
NAZIONALE
13
6 M
2 A

DISQVISITIONES MORALES, ET CANONICÆ,

IN QVIBVS,

MVLTÆ ADMODVM, AC SELECTÆ Resolutiones Practicæ, Tractatúsque non pauci, ad Titulum de Sepulturis adaptati, exactè pro vtroque Foro expenduntur, summo studio dilucidantur.

OPVS SANE' PRÆSVLIBVS ECCLESIÆ, Sæcularibus ac Regularibus, eorum vices gerentibus: Parochis, Confessariis Pœnitentibus, Iudicibus, & causarum Patronis, perutile.

SCRIBEBAT

M. F. PETRVS DE MVRGA

Æmilianensis, Sacro ac perillustri, antiquitatéque celebri, Hyrachensi Asceterio, & eius almæ Vniuersitati adscriptus: Benedictinæ Congregationis Hispanæ indignus Monachus.

TOMVS SECVNDVS.






LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.

M. DC. LXVI.

CVM APPROB. ET PERMISSV SVPERIOR.





Illustrissimo ac Reuerendissimo Principi,

D. D. Fr. IOANNI EMMANVELI DE ESPINOSA,

QVONDAM BENEDICTINÆ RELIGIONIS in Hispania, & Anglia Generali, posteà Episcopo Urgellensi, nunc Archiepiscopo & Principi Tarraconensi, Catholicæ Majestatis Consiliario, &c.



T hic *Secundus* nostrarum DISQVISITIONVM *Tomus* sub eodem auspicio editur, quo *Primus* lucem aspexit. Neque enim plantandis arboribus cordatus agricola peregrinam sollicitat vmbram, quando aliam domesticam, salutarémque prioribus plantis inuenit. Ita Prorsùs est. Prior *Tomus* propitio Sidere, benignáque fauoris aurâ prodiit, adoleuit, frondes, fructúsque emisit sub auspicio, & vmbrâ nominis Tui, ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS. Ergo imprudentiæ arguar, si posteriori arbusculæ exoticam vmbram desiderem, ac peregrinæ expectationi confidam, domesticâ, & notâ protectione relictâ. Maximè cum hic fœtus ingenij nostri, quia vltimus tenerior, & charior sit, quem operiosi curâ concepimus, expoliuimúsque; immeritò nociuæ vmbræ commendaretur. Tales illæ sunt, quas Plinius lib. 17. c. 12. *satorum nouercas vocat*: aut de quibus Poëtarum Princeps *Ecclef.* 10. accinit Plin. Virgil.

Nocent & frugibus vmbræ.

ã 2 Nulla

Nulla certè nostris arbusculis salutarior est vmbra, Tuâ, quæ pro aliorum opacitate lucem, & splendorem emittit. *Galero* Archiepiscopali caput Voluminis, non tàm operit, quàm exornat: *Scuto* EMMANVELIVM protegit: *Leonibus* hereditariis defendit: *euaginato ense* obarmat: *pennatus Angelorum brachiis* in cœlum eleuat. & quasi volantis Operis famam per aëra fert. Nec tamen id ambitiosè dictum volumus; vtpotè tarditatis propriæ conscij, quæ nullum, aut leuem volatum præsumat, vt quidam de seipso cecinit, dicens:

Nos quoque pluma leuat, sed tarda, sed anseris; & quæ
Fortè putetur humi repere, quando volat.

Qualecumque tamen sit Opus, certè, cùm de *Sepulturis* agat, opportunum censeri debet, ac conueniens Authori in senium declinanti, ac vicinam cogitanti Iob 17. sui funeris horam. Benè Doctor ille patientiæ Iob. *cap.* 17 de seipso aiebat: *Dies mei breuiabuntur, & solùm mihi superest Sepulchrum.* Planè in hoc humanarum virium deliquio, & pristinæ viuacitatis syncope, cùm iam dies vitæ breuiantur, *Tomum* hunc, velut in *Epitaphium*, & *Sepulchrum* elegimus. Sic Augustus adhuc viuens, sibi *Mausæolum* erexit, teste Suet. *c.* 110. Adrianus *Molem* apud Xiphilinum, Sueton. & Traianus *Columnam*. Antonius, & Cleopatra *Monumentū* iuxta eundem Sueto- Xiphil. nium in Augusto *cap.* 17. Idque frequentissimum erat apud Romanos, vt viuentes Lilius. adhuc sibi Sepulchrū erigerent. Quod planè testantur inscriptiones illæ V.S.P. id Kirman. Tertul. est, *Viuens sibi* posuit; & V.S.L.M. nimirùm, *Viuus sibi locum Monumenti.* De quo legendi Lilius, & Kirmannus *lib. de Funeribus.* Quasi vel ipsi Gentiles in libris sacris legissent illud consilium: *Memorare nouissima tua.* Aut in Tertulliano *de Testim. animæ, cap.* 4. dicente: *Quumnon hodie post mortem frequentandæ memoriæ ita studet, vt vel literatura operibus, vel simplici laude morum, vel ipsarum Sepulchrorum ambitione nomen suum seruet?* Sic & Carolus V. Maximus, deposito diademate, abiectísque Cæsareis insignibus, proprij funeris pompam ob oculos posuit, & parentalia sibi celebrari fecit. Sic sanctissimus Patriarcha Noster BENEDICTVS, teste Gregor. ipsius Filio, ac Historiographo Magno Gregorio 2. *Dialogorum*, aliquot diebus ante mortem aperiri sibi Sepulturam iussit. Non ergo mirum si nos ad tumulum properantes erigamus *Sepulchrum*, Epitaphiúmque editis papyro, velut alabastro, characteribus exaremus. Verùm quæ *Sepultura* nobis est, & mortis indicium, pro Tui nominis æternitate, & immortali memoriâ contendit. Quandiù enim paginæ istæ durabunt, aboleri non poterit eximij Præsulis, Clarissimi Herois, & decantati, Generalísque Benedictinæ Familiæ Parentis, æternatura fama, quam nulla deuorabit edacitas temporum. Et quamuis *viam vniuersæ carnis* ingrediar, Sepulchrúmque inhabitem priùs,

Ipse ego, quidquid ero, cineres, intérque fauillas,
Tunc quoque non potero non memor esse tui.

VALE, & perenna, PRINCEPS ILLVSTRISSIME. Pompeiopoli. Kalendis Nouembris, M. DC. LXV.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ

Humilis ac deuotus cliens

M. Fr. PETRVS DE MVRGA.

LEGENTI

Approbatio R. P. M. F. Joseph Saenz de Aquirre, in Vniuersitate Hyrachensi, olim, & nunc in Salmanticensi, Sacræ Theologiæ publico Professore.

IVssv, ac delegatione REVERENDISSIMI P. N. M. F. RVDESINDI DE MVXICA, Congregationis Benedictinæ in Hispania, & Anglia Generalis, Concionatorísque Regij, quâ potui diligentiâ perlustraui Tomum Secundum DISQVISITIONVM MORALIVM, ET CANONICARVM, respondentium Titulo DE SEPVLTVRIS, elaboratum indefesso ac pertinaci studio R.P.M.F. PETRI DE MVRGA. Qui certè in totius Operis decursu, non modò Theologi munus præstanter implet, sed etiam Pontificij Iuris eximium Professorem se ostendit; & placita, resolutionésque passim firmat ex vtriusque facultatis principiis, solidarum rationum momentis, numerosáque Doctorum multitudine; quos non alienâ, aut Græcâ fide in subsidium vocat (vt fieri assolet, non sine Moralis litteraturæ dispendio) sed propriis plerumquè oculis examinatos, & fideliter exscriptos. Credideram sanè in multis, quæ Authores alij ex professo discutiunt, absolutam fuisse materiam, nec incrementum accedere posse Moralis disciplinæ fastigio. Sed in Opere hoc didici nullam ingenij fabricam, adeò prodire perfectam, vt vel expoliri adhuc nequeat, vel accessionis incapax sit. Nam vel in his rebus, quarum seriâ, & prolixâ discussione nos iterata morantur aliorum volumina, tam multa superaddit, tam varia congerit, non tumultuario, sed ordinatè, vt credas integram Bibliothecam in vno contineri Volumine, nec, nisi libatum ab aliis, quod antè putaueras absolutum. Author ipse paucis retrò annis edidit Tomum alium QVÆSTIONVM PASTORALIVM, qui omnes ferè Christiani Orbis peragrauit Prouincias, & non modò delatas Hispanâ classe Americâ appulit; sed etiam Romæ, in Sacræ Rotæ grauissimo Senatu spectabilis visus est, & reuerenter citatur. At quem modò in publicæ lucis vsurã edit, operosior multò est, & ad plurimos in vtroque Foro decidendos casus vniuersalior. Et quidem nulla ferè in toto est Volumine DISQVISITIO, quæ ad satietatem vsque non impleat, expendat, etumulétque quidquid spectare posset ad Titulum DE SEPVLTVRIS. Etenim noua, & vetera, communia, & selecta, plurimáque, velut in sepulchro delitescentia, in lucem extrahit nouam, perspicuáque methodo facit posterioribus sæculis rediuiua. Nec quia supra relatum DE SEPVLTVRIS Titulum DISQVISITIONES istæ prodeunt, existimet aliquis doctrinam illarum angustari ad solos defunctos. Quippè viuentes alloquitur, quotquot Theologiæ, aut Pontificij Iuris nomenclaturâ censentur, & in omnem ferè se explicat vtriusque Tractatum. Memini apud Græcos noctuam fuisse Atheniensium Insigne, quam supra tumulos sedentem pingebant. Vndè illud Alciati:

Noctua vt tumulis, super atque cadauera bubo.

Certè Athenienses omnium disciplinarum & artium litteraturâ gloriabantur, & tamen pro Insigni assumpserunt noctuam supra tumulos tantùm depictam. Haud aliter censendum de Opere hoc: quod licet, instar noctuæ, solis videatur incubare sepulchris, nihilominùs per alias plurium facultatum diuagatur materias, & sub angusto nomine, potiorem Theologiæ moralis partem amplectitur, vt legenti constabit. Quin & status Religiosus plurimùm Authori

debet, nec modicam lucem pro dignoſcendis Priuilegiis, ſtatutis, & ſolemnibus votis, præſertim paupertatis, in cuius pleniſſima, ac recta expoſitione, videtur omne tuliſſe punctum. Erunt fortè, qui ſuccenſeant, blaterent, diſſentiántque eo præcisè, quòd parùm faueat, quòd nihil conniueat intortis animorum votis, minùs de obſeruantia Regulari benemerentium; quaſi velint audire illos tantùm Prophetas, qui iucunda, & laxa loquantur, non eos, qui amara, & ſolida, quamuis vera Sed de his parùm curandum eſt, dum veritatis, & ſalutis propriæ amatoribus conſulatur. Nihil inuenio, quod dignum cenſurâ ſit, innumera autem, quæ publicæ vtilitati proficiant: omnia tandem Catholicæ doctrinæ, ac bonis moribus conſentanea. Ita ſaluo aliorum iudicio, exiſtimo in Regio hoc Monaſterio, & Vniuerſitate D. MARIÆ HYRACHENSIS, quarto Idûs Ianuarij, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto.

M. Fr. IOSEPH SAENZ DE AGVIRRE.

Facultas Reuerendiſſimi Generalis.

NOS MAGISTER Fr. RVDESINDVS DE MVXICA per Hiſpaniam, & Angliam S. Benedicti Congregationis Generalis, Regiæ, & Catholicæ Maieſtatis Concionator, &c. Concedimus licentiam, & facultatem REVERENDO PATRI MAGISTRO F. PETRO DE MVRGA, Noſtræ Congregationis Hiſpaniæ Monacho, vt poſſit typis mandari ſecundum Tomum DISQVISITIONVM MORALIVM ad Titulum DE SEPVLTVRIS à ſe elaboratum, & à Viris doctis Noſtræ Religionis approbatum, obtentâ aliâ quacumque debitâ facultate. In cuius fidem has litteras dari iuſſimus manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo Noſtri Officij munitas, in Noſtro Regio Monaſterio, & Vniuerſitate Sanctæ Mariæ Hyrachenſis, Die vigeſimâ Menſis Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quarto.

M. Fr. RVDESINDVS DE MVXICA
Generalis Congregationis Sancti Benedicti.

Locus † Sigilli.

De mandato Reuerendiſſimi Patris Noſtri Generalis.
Fr. ANTONIVS DE MASSEDA.

Approbatio

Approbatio R. P. M. F. Ioannis Sanchez, olim in Regali Cœnobio S. Mariæ de Nagera, Moralis Theologiæ Lectoris, & nunc Concionatoris maioris.

IVssu R. admodùm PATRIS NOSTRI M. F. ILDEPHONSI DE NEYLA, Najarensis Abbatis, nec non tàm in eadem Najarensi Ciuitate, quàm in aliis locis suæ ditioni subiectis, Iudicis Ordinarij, Regiíque Capellani Maioris in Sanctæ Crucis Najarensis Capella, &c. Præsens Opus, cuius inscriptio, & superscriptio, *Disquisitiones Morales, & Canonicæ ad Titulum de Sepulturis adaptatæ* pro vtroque Foro, *Authore R.P. M.F. Petro de Murga*, Æmilianensi, & Benedictinæ nostræ Hispanæ Congregationis Monacho, & Regalis Hyrachensis Cœnobij, celeberrimæque Vniuersitatis dignissimo filio, quâ potui vigilantiâ, volui, voluptate legi, & vtilioris doctrinæ auidus perlegi. Tantâ ingenij dexteritate, tantâque, quâ pollet Author eruditione, & scientiæ grauitate elaboratum est, tùm in exponendis Sacrorum Canonum decretis, in Summorum Pontificùm explicandis Bullis, tùm de nominatorum Theologorum difficillimis decidendis quæstionibus, & in Doctorum roborandis placitis; vt quid vtilius, quid doctius, quid felicius in qualibet resolutione pertractet, me fatear ignorare prorsùs. Vnum tamen scio, quòd Author noster veluti altera Phœnix è Sepulchis renascens, è bustis viuifica Pyra resurgens, & in marmoreis studiorum animis semper viuens, in æuum immortalitatis euadet. Obseruat item Author, (quod non omnium) in citandis Authoribus, in referendis Decretorum verbis, inque adducendis ad vnguem Bullis, sinceram fidem, fidelitatem germanam, & ex limpidissimis aquæ salutaris fontibus bibens, aliis poculum ad salutem propinat. Totum ergo ex plenissimo ingenij sui promptuario, clarum, profundum, doctum, singulare. Nihil contra Sanctæ Matris Ecclesiæ fidem, & sacra dogmata inuenio. Omnia pietati, eruditioni, in componendis moribus consona fateor, & tam Iurisperitis, quàm Theologis, & Confessariis apprimè necessarium Opus, vt typis detur, dignissimum censeo. In hoc Regali Sanctæ Mariæ Najarensis Benedictorum Cœnobio, Die quartâ Septembris, Annis Domini millesimi sexcentesimi sexagesimi quarti.

M. Fr. IOANNES SANCHEZ.

Facultas

Facultas Ordinarij.

NOs el Maestro F. Alonso de Neyla Abbad de Najara, y Iuez Ordinario en ella, y en todos los lugares Sujetos a esta Abbadia, y Capellan Mayor de su Magestad en su Real Capella de Santa Cruz de esta Ciudad de Najara, &c. Por las presentes, por lo que a nos toca, damos licençia al Padre Maestro F. Pedro de Murga, hijo de la Real Vniuersidad de Hyrache, y subdito nuestro, para que pueda imprimir, y imprima vn libro intitulado: *Secundo Tomo de Disquisitiones Morales, y Canonicas*, attento, que de la censura del Padre Maestro Fray Ioan Sanchez a quien le cometimos, consta no tener cosa contra nuestra Santa Fe Catholica, y buenas costumbres, antes muy sana, y docta doctrina, y que sera de mucha vtilidad, y prouecho para todos. Dadas en nuestro Monasterio, y Camara Abbacial de Santa Maria la Real de Najara, a doze del Mes de Septiembre de mil, y seiscientos, y sesenta, y quatro años.

EL MAESTRO F. ALONSO DE NEYLA
Abbad de Najera, y Capellan Mayor de su Magestad.

Locus ✝ Sigilli.

Por mandado de su R.ma el Señor Abbad.

Diego Ocon de Lumbreras Notario Apostolico.

DEclarationibus Sacræ Congregationis Concilij, nullam fidem esse in iudicio, vel extra adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Sacræ Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint eadem Sacra Congregatio ex speciali Sanctissimi Domini Nostri Vrbani, Diuina prouidentia Papæ Octaui, iussu mandauit, & præcepit. Romæ, die 2. Augusti, 1631. & Consilium S. Generalis Inquisitionis cum huiusmodi Declaratione posse liberè, & licitè à quoquam vendi, & retineri permittit.

INDEX



INDEX
DISQVISITIONVM, DVBIORVM,
Paragraphorum, Diuiſionum huius ſecundi Voluminis.

DISQVISITIO I.

De Hæreticis, de eorum Credentibus, Receptatoribus, Defenſoribus, & Fautoribus: de Apoſtatis, Schiſmaticis, & de Receptatoribus; Defenſoribus, & Fautoribus eorum: de Paganis: de Iudæis; & de Fidelium filiis nondum baptizatis.

DVBIVM XIV.

Incidens.

3. Plura

DISQVISITIO II.

De Blasphemiæ reis.

DISQVISITIO III.

De excommunicatis.

DISQVISITIO IV.

De Interdictis.

DISQVISITIO V.

De Nefando crimine infectis.

DISQVISITIO VI.

De Religiosis proprietariis.

3.Dubiola

DISQVISITIO VII. De Parricida.

DISQVISITIO VIII. De Suicidis.

DISQVISITIO IX. De his qui in Torneamentis, & in Hastilitiis decedunt.

DISQVISITIO X. De his, qui in agitatione Taurorum obeunt.

DISQVISITIO XI. De his, qui in Duello moriuntur.

ẽ 3 Dvbii

DIVISIO

Menti tenenda.

DISQVISITIO XII.

De Clerico Concubinario.

DISQVISITIO XIII.
De non restituentibus Ecclesiæ decimas.

DISQVISITIO XIV.
De Vsurariis.

DISQVISITIO XV.

De eo, qui secundum, & tertium Ecclesiæ præceptum non adimplet.

DISQVISITIO XVI.

De Diœcesano in visitationibus aliquid, occasione Procurationis accipiente, in cap. *exigit, de Censibus* prohibitum.

DISQVISITIO XVII.

De Sacerdotem filiis suis Tutorem instituente in Testamento.

DISQVISITIO XVIII.

De Clericis concubinis suis, aut filiis spuriis bona, seu fructus beneficiorum in vltima voluntate legantibus.

DISQVISITIO XIX.

De Incendiariis.

DISQVISITIO XX.

De decedentibus in lethali peccato.

DISQVISITIO XXI.

De Raptoribus.

DISQVISITIO XXII.

De Ecclesiæ violatore.

DISQVISITIO XXIII.

De Iustitiatis.

DISQVISITIO XXIV.

De Exulibus.

DISQVISITIO XXV.

De Exenteratis.

DISQVISITIO XXVI.

De his de quibus est dubium, An priuati sint sepultura.

DISQVISITIO XXVII.

R. P.



R. P. Fr. PETRI

DE MVRGA

BENEDICTINI

Monachi Æmilianensis,

DISQVISITIONVM MORALIVM ET CANONIC.

TOMVS SECVNDVS.

TRACTATVS

DE IIS, QVI SEPVLTVRA ECCLESIASTICA reperiuntur in Iure Privati.

MVLTI sunt, ac varij casus, in quibus Sacri Canones & Ecclesiæ Catholicæ Decreta, Sepulturam Ecclesiasticam hominibus prohibent, illiúsque vsum interdicunt. De illis in hôc tractatu agere aggredior. Plura dilucidabo, quæ ad exactam materiarum cognitionem pertinent. & ex quibus facilè, non pauci, ac vulgares casus, pro vtroque foro decidere quisque queat, si mediocri ingenij acumine polleat.

DISQVISITIO I.

De Hæreticis & alijs Infidelibus.

Quæritur, An Sepultura Ecclesiastica privati existant?

BREVIARIVM.

Absolutio, Absolvere.

Absolvi non possunt, qui præsumpserint sepelire Hæreticos, &c. nisi satisfactione præmissa, & nisi proprijs manibus publicè illorum cadavera extumulaverint, & proiecerint, num. 4.

Dictio *scienter*.

Scienter, omnem ignorantiam, etiam culpabilem excludit, num. 3.

Excommunicatio.

Excommunicantur Hæretici, Credentes, Receptatores; Defensores & Fautores eorum, n. 4.

Privatio.

Officio privatur Clericus, & Religiosus ministrans Sacramenta Hæreticis, &c. aut eleemosynas, vel oblationes ab eis recipiens, n. 4.

Sepultura.

Privati existunt sepultura Iudæi, Pagani, Hæretici, & Infideles alij, n. 1. 2. 5.

Vt priventur Hæretici, Credentes, Receptatores, Fautores, Defensores, & Schismatici, denunciati esse debent, & non solum notorij, n. 6.

CONCLVSIO PRINCIPALIS.

ECCLESIASTICA Sepultura privati existunt omnes Hæretici, eorum Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores; Schismatici, Apostatæ à Fide, Pagani, Iudæi, & Infideles. N. 1.

Hanc conclusionem tenent Ioannes Calderinus, *tract. de forma procedendi contra de haresi inquisitos*. rabrio.ą *de Pœnis hareticorum post mortem.* Arnaldus Albertinus, *tract. de agnoscendis assertionibus Catholicis & Hareticis, quast.33. num.11.* Ioan. Baptista Bentriglia, *in Praxi rerum notabilium, annot.2. §.3. n.34. & annot.52. §.vnico, n.21.* Antonius Fernandez de Moure, *in examine Theologia Moralis, part. 4. cap.20. §.3. n.1.* Ioan. Ægid. Trullench *tom.3. tract. de officio Parochi, cap.9.* August. Barbosa, *de Iure Ecclesiast. part.2. lib.2. cap.10. num.43. & de officio Parochi, parte 3. cap.26. num. 43. & in cap. Excommunicamus, §. Credentes, num.39. el 13. de Hareticis*, cum Cardinali Zabarella, *in dicto cap. num. 6.* Anania, *num.10.* Butrio, *num.38.* Simanca, *de Catholicis Institutionibus, tit.18. num. 7.* Grilando, *de Hareticis, quast. 9.* Roxas, *singul.181.* Castro, *de iusta Haereticorum punitione, lib.2. cap.18. versic. An cum nullus.* Spino, *in Speculo testamentorum, glossa 1. principali, num.17.* Pennia, *in Directorio Inquisitorum, part.3. schol. 102. versic. Sed alterum*, & Sanctarello *de Haresi, cap. 28. num. 12.* Tenent etiam Franciscus Maria Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tr.2. disputat.1. controvers. 4. conclus. 12.* Ioan. Machadus *enel perfecto Confesor, y Cura de Almas, tomo 2. lib. 4. parte 2. tract.2. documento 25. num. 4.* D. Antoninus *part. 3. Summa maioris, titul. 10. de Sepulturis, cap.5. §. 8.* Ioan. Azorius, *parte 1. Institutiones Moralis, lib.8. cap.13. quast.8. versicul. sexta colum. mihi 869.* Noster Nicolaüs Tudeschus, dictus Abbas Panormitanus, *in Rubrica de Sepulturis, num. 2.* Pax Iordanus, *tom.1. de re Sacra, lib.5. tit.12. num.117. 124. & 127.* Emmanoël Sà, *verbo Sepultura, num.3.* Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali tom.2. lib.7. quast.8. cap.3. num. 42.* Sylvester, *verbo Sepultura, num. 9.* Francisc. Pellizzarius, *in Manuali Regularium tomo 2. part.1. tract. 8. cap.5. nu. 148.* Antonius Sousa, *in Aphorismis Inquisitorum, lib.3. cap.3. num.1.* cum Farinacio, *de Haresi, quast.190. §.8. num.107. & qu.192. §.3. nu.38.* Ægidius Coninck, *de Censuris, disp. 14. dub.8. n.61.*

2 Probatur conclusio ex cap. *Quicumque, el 2. de Hareticis, lib. 6.* vbi sic Alexander Papa decernit. *Quicumque Hareticos, Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fautores eorum scienter prasumpserint Ecclesiastica tradere sepultura, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententia, se noverint subiacere. Hac Alexander.*

3 Adnotandum venit adverbium *scienter.* Vnde Glossa *ibi*, ita fatur. *Ignorantia ergo probabilis, bene illos excusat. Suprà de Clerico excommunicato ministrante, Apostolica.* Imò, quod magis est, ignorantia etiam culpabilis bene illos excusat ab incursione censuræ, iuxta ea, quæ diximus *in quast. Pastoralib. de Iure, & Potest. Parochi vnitarum Ecclesiarum, part.4. quast. 1. sect. 4. §. 1. num. 1.* cum Maco Vidal, *in Arca vitali, tit. de Eucharistia num.39.* Ioan. Bapt. Lezana, *in Summa qq. Regular. to.2. par.3. verbo Eucharistia quoad Regulares, num.3.* Pellizzario, *in Manuali, tom. 1. tract. 6. cap. 2. n. 9.* Antonino Diana, *part.3. tract.6. resolut. 7. versic. Notandum est, & alios penes dictos Doctores.* Quinimò addidi, cum eodem Diana, *par.4. tract.4. resolut.35.* Raggio, *de Regimine Regularium, centuria 1. part. 3. dub. 55. conclus. 3.* & Æligio Bassæo, *in Summ. part.1. verbo Ignorantia, num. 11.* ignorantiam vincibilem legum, & præceptorum humanorum, dummodo affectata non sit, à peccato excusare mortali.

4 Secundò probatur conclusio ex Constitut. Nicolai Papæ Tertij, incipit, *Noverit vniversitas vestra, la 2. apud Bullarium Magnum Angeli Cherubini, tom. 1. pag. mihi 181.* qui 5. Nonas Martij, Anno 1280. & sui Pontificatus 3. postquam ibi anathematizavit vniversos Hæreticos, & eorum Receptatores, Defensores, Fautores, sic §. 18. decernit. *Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarij, aut Contemplarij, aut quilibet Regulares; alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolica speciali. Item quicumque tales prasumpserint Ecclesiastica tradere sepultura vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententia se noverint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè exhumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat sepultura.* Hucvsque Nicolaüs Papa, qui quidem, sicut Alexander *in dicto cap. Quicumque*, satis apertè privat Ecclesiastica Sepultura omnes Hæreticos, eorúmque Receptatores, Defensores, & Fautores, quod & fecit Concilium Generale, *in cap. 13. de Hareticis, §. Sanè.*

5 Deinde probatur ex Rituali Romano Pauli Papæ Quinti, *in Rubrica de exequiis:* vbi ita ait. *Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica Sepultura ipso iure sint excludendi; ac quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta vnquam admittat. Negatur igitur Ecclesiastica Sepultura Paganis, Iudais & omnibus Infidelibus, Hareticis, & eorum Fautoribus, Apostatis à Christiana Fide, Schismaticis, &c.* Hæc Paulus V.

6 Vltimò probatur, quoad Schismaticos, *ex Canone sanè, causa 24. q.2.* vbi Vrbanus Papa postquam dixerat: *Quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus*, addit, *Schismaticis vllo modo communicare non possimus, aut licet.*

7 Libuit advertere, quòd conclusio disquisitionis procedit solùm quando Hæretici, Credentes, Receptatores, & Fautores, ac Defensores eorum, & Schismatici sunt denunciati excommunicati; non enim sufficit, quòd notoriè tales sint, vti docet Pax Iordanus, *tom.1. lib. 5. tit. 12. num. 127. & 128.* Quo in casu (inquit) magis considerantur vti excommunicati, quàm vti Hæretici, Credentes, Receptatores, *&c.*

Quoad Paganos autem, Iudæos, & Infideles, conclusio, vti sonat, tenet: quia constat non esse illos Ecclesiæ incorporatos. Quòd vero in Hæreticis, &c. non sufficiat, quòd notoriè sint tales, & excommunicati, vt sepultura priventur, ex Extravag. Concilij Constantiensis procedit, quam *infra disquis.3. de Excommunicatis, dub.3. num. 2.* fideliter ex D. Antonino transcribo. Incipit, *Ad evitandum scandalum.*

DVBIVM

DVBIVM I.

Quis sit Hæreticus, & quid Hæresis, à qua denominatur?

BREVIARIVM.

Absolutio, Absolvere.

Quilibet Confessarius absolvere potest Hæreticum occultum per se, n. 8.

Potest etiam absolvere in foro interno Hæreticum purè materiale & externum, n. 8.

Ab hæresi occulta per accidens, à manifesta, publica, & famosa, quæ tamen notoria non sit, probabile est posse Episcopum & Prælatos Regulares suos subditos respectivè, in foro conscientiæ absolvere, n. 10.

Cathecumenus.

Contra Fidem sentiens Cathecumenus Hæreticus est coram Deo, non coram Ecclesia, n. 3.

Dubius.

Ille est, qui in neutram contradictionis inclinatur partem, n. 23.

Dubius in Fide, alius positivè, & alius negativè dubius: & quales vterque sit, n. 30.

Dubius in Fide negativè, non est Hæreticus; est tamen dubius positivè, n. 31.

Fides.

Omnes Fideles obligat ad sciendum, quæ Fidei sunt, num. 14.

Hæresis, Hæreticus.

Est error intellectus voluntarius, liber, & pertinax, in parte Fidei Catholicæ contrarius in homine, qui Fidem suscepit, 1.

Iudicium erroneum voluntarium, & liberum habet pro materiali, & pro formali contumaciam, num. 2.

Contumacia hæresim constituens, declaratur, n. 12. 13. 14. 15. 21.

Hæreticus formalis est; qui aliquid sentit, cuius contrarium scit Ecclesiam sentire, quamvis illud non tueatur, aut acriter teneat, n. 2.

Hæresis, alia mentalis alia externa, & quænam vtraque sit, declaratur, n. 4.

Hæresis, alia materialis, alia formalis, n. 4.

Regulæ traduntur ad cognoscendam manifestationem constitutivam hæresis externæ, numero 5. & 6.

Hæresis externa; alia occulta per accidens; alia manifesta; alia publica, seu famosa; & alia notoria, n 7.

Hæreticus externus torquendus est super intentione, num. 9.

Hæreticus est; qui postquam Fidem suscepit, ex errore intellectus, liberè, & pertinaciter aliquid contra eam defendit, aut sentit, numero 11.

Item, qui contra Sacr. Scripturam, Fidei articulos, & determinationes Ecclesiæ, vt de Fide, pertinaciter sentit, n. 17.

Item, qui malè de Sacramentis sentit, n. 18.

Item, qui falsò credens aliquid esse ab Ecclesia definitum, oppositum sentit, n. 19.

Item, qui sentit contra traditiones divinas doctrinales, aut morales, vt includunt aliquid credendum, si fuerint ab Ecclesia perpetuò retenta, n. 20.

Item, qui non assentitur revelationibus sibi specialiter factis, quas divinas putat, n. 22.

Hæreticus non est, qui paratus est iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit contrarium illam tenere, n. 13.

Hæreticus non est rusticus rudis, qui ex ignorantia culpabili falsò credit Patrem in Divinis, maiorem, aut seniorem esse Filio, aut Personas Divinas loco esse distinctas; si implicitè, quod Ecclesia, credit, n. 14.

Ecclesia.

Purè interna non iudicat, punit, aut reservat, num. 8.

Famosum.

Quid sit famosum declaratur? n. 7.

Idolatra.

Pure externus excommunicatione plectitur nemini reservata, n. 9.

Manifestum.

Declaratur quodnam sit, n. 7.

Notorium.

Exponitur quid sit Notorium, n. 7.

Pertinacia.

In quo consistat declaratur, & in quo salvetur, n. 12. 13. 14. 15. & 21.

Pœnæ.

Extendi non debent ad alia delicta, prætereà quibus sunt inflicta, n. 9.

Pœnas Hæreticorum non incurrit, qui non assentitur revelationibus sibi specialiter factis, esto Hæreticus sit, n. 22.

Publicum.

Quid sit publicum explicatur? n. 7.

CONCLVSIO I.

1 HÆresis est error intellectus, voluntarius, liber, & pertinax in materia Fidei Catholicæ contraria in homine, qui Fidem suscepit.

Ita noster Iacobus de Graffis, *in suis aureis Decisionibus, part. 1. lib. 2. cap. 8. num. 25.* Lezana *in Summ qq. Regular. tom. 2. part. 3. verbo Hæresis, & Hæreticus*, *num. 2.* Hermannus Busembaum, *in Medulla Theologiæ*, *lib. 2. tract. 1. de Præceptis Fidei, cap. 4. dub. 3.* Anton. de Sousa, *in explicat. Bullæ Cœnæ, cap. 2. num. 7. in Aphorismis Inquisitorum*, *lib. 1. cap. 8. num. 1.* cum Sanchez, *lib. operum Moral. cap. 7.* & Suarez, *de Fide*, *tractat. 1. disputatione 19. sect. 5. num. 13.* & Trullench, *in Bullam Cruciatæ, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 7. num. 2.* qui benè addit, quòd error iste, debeat esse Fidei, *in parte* contrarius, & non in omnibus, vt Hæresis, ab Apostasia distinguatur.

2 Ad hæresim duo requiruntur, vnum quasi pro materiali, & alterum quasi pro formali. Pro materiali requiritur iudicium intellectus erroneum: voluntarium quidem, & liberum, seu à voluntate liberè admissum; quia voluntate libera deficiente, nullum iudicium erit Hæreticum, nec peccatum. Quia actus in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, & liber, etiam cum actuali advertentia malitiæ, vti Busemhaum docet, *in Medulla Theologiæ, lib. 5. c. 1.* Pro formali requirit Hæresis, pertinaciam. Docent omnes Doctores. Discrepant solùm in assignando eo, in quo salvetur pertinacia.

Porrò pertinaciter errare, non est hîc acriter, & mordicùs suum tenere errorem, aut illum tueri; sed est eum retinere, postquam contrarium est ei sufficienter propositum: sive quando scit, contrarium teneri ab Ecclesia Catholica Romana, cui suum præfert iudicium; sive id ex vana fiat gloria; sive ex contradicendi libidine; sive ex alia qualibet causa. Ita noster Panormitanus, *in Rubrica, de Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, num.* 1897. Gabr. Vasquez *in* 1. 2. *D. Thom. disput.* 126. *cap.* 3. *num.* 5. Antonino Diana *part.* 1. *tract.* 5, *resol.* 1. Busembaum, *dicto lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *dubio* 3. tum Layman, *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. Barbosa, *in cap. Damnamus, num.* 3. *el* 2. *de Summa Trinit. & F de Cathol.* Bassæus, *tomo* 1. *verbo Hæresis, num.* 2. Vndè quando quis vnum sentit, & intellectu suo tenet, sciens oppositum vniversalem Christi Ecclesiam tenere, cum ab ea corrigi paratus non sit, contumaciter errat, & formalem admittit Hæresim.

3 Additur in diffinitione: *In homine qui Fidem suscepit:* ad excludendum ab Hæresi, quemlibet errorem intellectus, existentem in quocumque homine, qui Fidem non admisit Christianam. An autem istius susceptio debeat fieri in Baptismo in re suscepto, ad hoc vt contra Fidem sentiens, hæresim admittere censeatur: an verò sufficiat susceptio in Catechesi, controvertitur inter Doctores. Sousæ mihi placet sententia dicentis *in expositione Bullæ Cœnæ cap.* 2. *num.* 8. *& in Aphorismis Inquisitorum libro* 1. *cap.* 8. *num.* 4. cum Bannez 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *versiculo vltima particula*, & Suarez *de Fide, tract.* 1. *disputat.* 16. *sect.* 4. *num.* 9. *& disputat.* 19. *sect.* 5. *num.* 4. 5. *&* 6. Quod Cathecumenus, qui verè Fidem suscepit, si contra illam sentit verè hæresim coram Deo admittit, non tamen coram Ecclesia. Idem docet Granado, *controv.* 1. *de Fide, tract.* 15. *disp.* 6. *sect.* 2. *num.* 3. Caspensis, *tom.* 2. *tract.* 15. *disp.* 5. *sect.* 4. *n.* 26.

4 Dividitur communiter à Doctoribus Hæresis in mentalem, & externam. Hæresis mentalis est error contrarius Fidei, mente conceptus, absque vlla illius externa manifestatione per verbum, aut actionem, per quam ille dignosci queat. Hæresis autem externa est idem error mente conceptus per verba, vel signa, seu actiones externas propalatus. Ioannes Machadus, *en el perfecto Confesor, y cura de Almas, tomo* 1. *lib.* 2. *part.* 2. *tract.* 2. *documento* 3. *nu.* 5. *&* 6. cum Filliucio, *tom.* 2. *tract.* 22. *num.* 180. Dividitur etiam in Formalem, & Materialem. Formalis est, quando quis scienter, & pertinaciter errat circa Fidem. Materialis est, quando quis aliquid ex ignorantia contra Fidem sentit, ita tamen quod si sciret Fidei contrarium esse, id non sentiret. Ad istam reducitur hæresis purè externa, vt quando quis retenta in intellectu Fide, aliquid contra eam externè dicit aut facit ob metum aut passionem. De iis omnibus Trul. *n.* 3.

5 Duas regulas tradunt Doctores in hoc puncto, manifestationis interni erroris per verba, aut signa, seu actiones externas. *Prima* est. Ad hoc vt verba, aut signa dicantur errorem intellectus exprimere, talia debere illa esse, vt ex se, aut ex circunstantiis adjunctis, & ex qualitate personæ, integrè, & non solùm sufficienter exprimant, manifestent, propaléntque hæresim internam, sintque ex depravato, vel malo affectu orta. Ita enim Suarez, Sanchez, & Fillicius, Machadus, *vbi proximè, num.* 7. Ferdin. Castrus Palaus *to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 2. Trul. *n.* 3. Sà, *verbo De excommunicationibus Bullæ Cœnæ num.* 2. & non solùm manifestare debent hæresim internam, sed propriam, & actualem, in ea persistendo, esto illam hoc modo in confessione, aut consilium petendo aperiat, dicendo, se contra Fidem credidisse, & nunc etiam credere Azorius, *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 5. Escobar *in Theologia Morali, tract.* 5. *exam.* 1. *cap.* 4. *n.* 59. *&* 72.

Secunda regula. Quod signa, quibus hæresis profitetur, manifestatur, propalatur, ac declaratur sint in materia hæresis peccatum gravè. Ita Emanuël Sà, *vbi proximè* Machadus *loco citato, num.* 10. Palaus *dicto num.* 2. cum Sanchez *in Decalogum, lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 7. ac Suarez *de Fide, disputat.* 21. *sect.* 2. *à num.* 9. Vtramque regulam Palaus sub his reddit verbis. Breviter dici potest necessarium esse, vt verba, vel facta sint satis expressiva interioris hæresis, sive hanc expressionem habeant à se, sive ex circunstantiis adjunctis, & ex qualitate personæ; quia hæresis externa cognoscibilis, & punibilis constitui non potest, nisi signis illam sufficienter & integrè declarantibus. Secundò est necessarium, vt signa, quibus hæresim profiteris sint in materia hæresis peccatum gravè: quia hoc solum est, quod excommunicatione, alijsque pœnis punitur. Hactenus Palaus, Escobar *vbi proximè.* 6

Hæresis externa subdividitur in occultam, & manifestam, publicam, & notoriam. Occulta hîc sumitur, pro occulta per accidens. Quæ tunc contingit, quando quis solus absque vllo teste, hæresim internam mente conceptam, verbo, aut signo manifestat externo. Emanuël Roderiq. *in Bullam cruciatam, in addit. ad* §. 9. *num.* 69. apud Trulenk Azorius, *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 4. *Manifesta* est, quæ facilè probari potest per multos; non tamen clarè, & evidenter, ita vt negari nequeat. *Publica*, seu *Famosa est*, quæ est fama publica proclamata seu publica infamia prodita. *Notoria* denique hæresis est, quæ ita se exhibet conspectui hominum, vt nulla possit tergiversatione celari, seu quæ ita habet facti evidentiam, vt non possit probabiliter negari. *Occulta* tandem etiam dicitur, quando non est manifesta, publica, aut notoria: & in hac vltima acceptione sumitur à Chassaing, *de privileg. Regular. tr.* 3. *cap.* 3. *proposit.* 1. *versiculo. Ex quibus vox occultum*, quando nonnulla infert ex hac propositione, & eius probationibus. Prælati Regulares possunt iure communi suos subditos ab omnibus censuris occultis, Papæ reservatis, etiam hæreseos absolvere, si praxim in Italia, & Hispania contrariam, quæ inibi observanda est, excipias. 7

Hæresis occulta per se, non impedit absolutionem, à quolibet confessario obtinendam, qui possit à quolibet lethali peccato absolvere: quia Ecclesia non reservat purè interna, imò nec punit censuris, nec iudicat quidem. 8

Trulenck

Trulenck *in Bull. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *nu.* 4. *& in Decalogum lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. cum Sanchez *tom.* 1. *operum Moralium, lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 1. Azorius *lib.* 8. *tom.* 1. *Instit. Moral. cap.* 10. *quæst.* 10. Ab hæresi etiam purè externa, seu materiali, in foro tantùm interno potest absolvere quilibet confessarius, quia mortalibus possit absolvere. Busembaum, *in medulla Theolog. lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *versic. Rustici*, Trulenck *in loco citato Bullæ*, cum Sylvestro, *verbo Hæresis, & Apostasia*. Navarro *in Manuali cap.* 11. *num.* 27. Sayro *in Thesauro lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 25. Lodovico à Cruce *in Bullam, disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 7. Azot *vbi proximè, cap.* 9. *quæst.* 10. & Sanchez *loco recensito, cap.* 7. *num.* 8. cum pluribus. Barbosa *de potest. Episcopi, allegatione* 40. *numero* 3. Ratio est, quia hæresis purè externa, nec est verè hæresis, nec re servata.

9 Consul ò diximus: *in foro tantùm interno*: quia in foro externo, cùm Ecclesia non iudicet de occultis per se, hoc est de purè internis, nisi quatenus per exteriora manifestantur, & ex signis externis interna præsumantur, vt hæresis formalis ab Ecclesia iudicatur ac punitur. Trulench, *dicto num.* 4. vbi addit, quod si hæc hæresis materialis, & tantùm externa sit idololatria, habet anexam excommunicationem, à Ioanne XXII. latam *in extravagante super illius specula*, quæ extat *in Directorio Inquisitorum, part.* 2. *quæst.* 43. *pag.* 364. de qua Sanchez *cap.* 7. *citato, num.* 10. Nemini tamen est reservata, vti advertit Trulench, & ideò docet, bene ab ea absolvere posse in foro interiori, quemlibet approbatum confessarium. Non reticeam tamen Palaum *part.* 1. *tractat.* 4. *disput.* 3. *punct.* 2. *num.* 16. docentem ex Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. *& disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. Sanchez *in Decalogum lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 8. pœnas non esse extendendas ad alia delicta, præter ea, quibus impositæ sunt: atque adeò, hæreticum merè externum, puniri non debere pœnis hæreticorum. Addit tamen torquendum esse super intentione: & si neget sufficienter tortus, relaxandum esse.

10 Ab Hæresi autem formali externa occulta probabile est, quòd potest Episcopus absolvere toties, quoties per seipsum, vigore Tridentini, *sess.* 24. *de Reformatione, cap.* 6. in foro tamen interno conscientiæ, & animæ tantùm. Imò, & quilibet Prælatus Regularis, non solùm ex vi Constitutionis Pij Papæ Quinti, incipit *Romani Pontificis in Collectione Emanuelis Rodriquez la* 21. in favorem Priorem Conventualium, & Superiorum Prælatorum Ordinis S. Dominici editæ 21. *Iuly, de Anno* 1571. sed etiam vigore eiusdem Conciliaris Decreti, vti innuit præfatus Pontifex in Constitutione recensita, ibi: *ac etiam declaramus*: & docui *in Disquisitione Pastorali de Iure Prioris annexi, n.* 144. *& sequentibus* Henriquez *in Summ. lib.* 6. *c.* 16. §. 1. Roderiquez *tomo* 1. *qq. Regular. quæst.* 24. *art.* 13. *&* 17. *& quæst.* 61. *art.* 9. Flores de Mena *variar. lib.* 3. *quæst.* 24. *num* 18. Sayro, *in Clavi Regia, lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 83. *in fine*. Avila *de Censuris part.* 7. *dispu.* 10. *dubitat.* 6. Sanchez *tomo* 1. *operum Moralium lib.* 2. *c.* 11. *numero* 5. Duardo *in expositione Bullæ Cœnæ, lib.* 3. §. 2. *quæst.* 8. *num.* 55. Moneta *de Commutatio. vltim. volunt. cap.* 5. *nu.* 455. & Fratre Sigismundo à Bononia, *tract. de electio. dubio* 51. *num.* 8. quos recenset & sequitur Barbosa, *in tract. de appellativa verborum vtriusque Iuris significatione. Appellat.* 89. *num.* 22. quibus addo Ægidium Trulench *in expositione Bullæ S. Cruciata lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *n.* 4. qui vtique docent, consiliare Decretum extendi, ad habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem.

Et ratio fundamentalis, ex præfatis Doctoribus desumpta est, quia Concilium hanc delegavit Episcopalis facultatem; non qua Episcopis, & eorum industria quæsita, sed qua Iurisdictionem ordinariam habentibus. Cum autem hanc habeant Prælati omnes Regulares, & quasi Episcopalem quidem, vti prolixè *in citata probavi Disquisitione*, consequens est habere facultatem Episcopis à Tridentino concessam in dicta *sess.* 24. *cap.* 6. vti in specie docent Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum tom.* 2. *disput.* 14. *quæstiuncula* 15. *num.* 8. *versic. ita supradicta, & tom.* 4. *de Iure Abbatissarum disp.* 19. *quæstiunc.* 5. *num.* 2. Bartolom. à Sancto Fausto *de voto paupertatis, lib.* 8. *quæst.* 232. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstion. Regular. tomo* 1. *cap.* 18. *prima partis, num.* 31. *&* 46. *& part.* 2. *cap.* 13. *num.* 37. Diana *pars.* 7. *tract.* 2. *resolut.* 5. *versic. Sed quidquid.* Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 20. *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 133. *& cap.* 3. *num.* 73. *& tract.* 9. *cap.* 3. *nu.* 109. *&* 110. & libenti advertere, assertum nostrum procedere in omni casu, quo hæresis non sit notoria per evidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam hæretici confessionem in iudicio: ita vt occultè hic sumatur, prout opponitur notoriæ, quæ nulla tergiversatione potest celari. Ita Concilium intelligit Azotius, *parte* 1. *libro* 8. *cap.* 10. *quæst.* 9. Barbosa *Collectan. in dict. cap.* 6. *Concily, num.* 29. cum 30. Doctoribus gravissimis, quos recenset, sic etiam illud intelligit.

CONCLVSIO II.

Respondeo secundò dubio proposito. Hæreticus ille est, qui postquam Fidem Catholicam suscepit ex errore intellectus liberè, & pertinaciter aliquid contra eandem defendit, aut sentit Fidem. 11

Hæc conclusio constat ex dictis in præcedenti, & ex explicatione hæresis, à qua formaliter denominatur Hæreticus: & probatur ex *Canone, qui in Ecclesia* 24. *causa, quæstione* 3. D. Augustin. desumpto, *contra Manicheos. Qui in Ecclesia Christi* (inquit) *morbidum aliquid, pravúmque quid sapiunt: si correcti, vt sanum, rectúmque sapiant resistunt contumaciter, suáque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, Hæretici sunt.* Hactenus ibi.

Est igitur Hæreticus, qui cum Catholicam Fidem susceperit, contra illam pertinaciter errat, vti bene Sonsa *Aphorismis Inquisitorum libro* 1. *cap.* 8. *num.* 2. cum Farinacio, *de Hæresi, quæst.* 178. §. 1. *num.* 16. & Sanchez *tom.* 1. *operum Moral. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 15.

12 Pertinacia requisita ad Hæresim, & hæreticum constituendum, exigit per actum positivum contradictionem eorum, quæ constant esse de fide: & eum, qui sic contradicit, non esse corrigi paratum. Ita Sousa *in expositione Bullæ Cœna cap.2. n 7. & in Aphorism. vbi proximè nu.3. Machado enel perfecto Confesor y cura de almas tom.1. lib.2. part.2. tract.2. documento 3. num.3. ibi:* ni este dispuesto aser corregido, y emendado, aunque sea y conozca, que es contra la Doctrina de la Yglesia: *& n.4. ibi:* la mas probable opinion es, que, à quel se deve tener por error contumaz, que naçe del conoçimiento de la oposicion con la Fè. Trullenck *in Bullis Cruciat. lib.1. §. 7. cap.2. dub.7. num.* 2. cum Sanchez *lic.2. oper. moral. cap 7. num.*20. Castrus Palaus *tom.1. tract.4. disp.3. punct.2. n.1.* Vasquez *tom.1. in 1.2. disp.126. cap.3. versiculo Pertinacia.*

13 Quocirca Busembaum, *in Medulla Theologiæ lib.2. tract.1. cap.4. dub.3.* In hæc prorumpit verba. Nemo est hæreticus, quandiù paratus est iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit, contrarium tenere veram Christi Ecclesiam: esto ex ignorantia, etiam culpabili, & crassa sententiam suam mordicus tueatur. Ita ille cum Laymano *lib.2. tract.1. cap.13. num.2.* & Coninck cum eodem *de Censuris disput.* 18. *quæ est de Irregular.* ait ipse Hermannus *ibidem.* Nec est Hæreticus, qui ita dispositus est, saltem habitualiter, vt à suo errore esset discessurus, si sciret esse contrarium Fidei. Dummodò (addit) pertinaciam actualem numquam habuerit.

14 Vnde rusticus, rudis, & ignarus, ex ignorantia etiam culpabili, falsò credens Patrem, in divinis esse maiorem Filio, & seniorem, vti in humanis; aut divinas personas loco esse distinctas, si corrigi sit paratus, creditque implicitè quidquid Ecclesia Catholica Romana credit, ab hæresi excusabitur ob pertinaciæ defectum, peccabit tamen contra Fidei præceptum, obligationem Catholicis omnibus injungens res Fidei sciendi: quia ignorat ea, quæ scire tenetur. Trullenck *loco proximè reddito cum* Navarro *in Manuali cap.11. num.* 22. Machadus *vbi suprà num.11. recensens* Suar z *de Fide, disp. 19. sect.3. à num.* 9. & præcipuè *n.*18. Farinacium, *de Hæresi, quæst.*179. *num.*9. Azorium, *tom.1. lib.1. cap.14. quæst.* 9. Aragon, 2. 2. *quæst.* 11. *art.1.* & alios quos allegat, & sequitur Castrus Palaus, *tomo 1. tract.4. disp.3. punct.2. num.3. 4. & 5.* sic suum placitum, aliis redditis ac omissis, statuit tanquam regulam in præsenti generalem.

15 Si bien Suarez, y otros muchos Iuzgan por mas probable opinion, que qualquiera ignorançia, como quiera que sea, (venciole, crassa, o, affectada) que fuere causa del error, escusa del peccado de la heregia, a la qual estan impuestas descomunion, y otras penas Ecclesiasticas. Fundase enque es caso imposible, que alguno voluntariamente pueda contradezer a la authoridad de la Yglesia, en lo qual consiste la pertinaçia, sino es que conozca la Yglesia le es contraria. Y con la ignorancia, como quiera que sea, no se puede dar este conoçimiento, sino es quando la ignorancia se affecta con menos preçio de la Yglesia, y por pecar con mas libertad en la Fè, que esto augmenta la culpa. Hactenus Doctor Machadus. Consonat Escobar, *tractat. 5. examine. 1. numer.* 71. *&* 80.

16 Consultò dixi in conclusione: *aliquid contra Fidem defendit, aut sentit:* quia non requiritur, ad hoc vt quis hæreticus constituatur, vt contra omnia, quæ Fides catholica tenet, sentiat; sed sufficit in eorum aliquo dissentire. Ex quo plures resolves casus.

17 I. Qui pertinaciter sentit, aut contra Sacram Scripturam, aut contra Fidei articulos; vel contra determinationes Ecclesiæ, vt de Fide factas, hæreticus est. Ita Antonius Sousa *in Aphorismis Inquisitorum libro* 1. *cap.8. n.5.* cum ey merico 2. *part. Directory, quæst.35. & ibi:* Pinna *comm.* 60. & Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.7.* Glossa *in cap. Dubius, verbo eodem, el 1. de Hæreticis*, ibi: *etiam in tenui articulo, Cod. de Hæres. l.2. in fine.*

18 II. Qui malè de Sacramentis sentit Ecclesiæ, Hæreticus est. Sousa, *vbi proximè num.6.* cum Farinacio *de Hæresi, quæst.* 178. §. 2. *num.*44.

19 III. Hæreticus est, & pœnas Hæreticorum incurrit, qui falsò credens aliquid esse ab Ecclesia de Fide definitum, oppositum sentit. Sousa recensitus, *num.* 7. cum Farinacio, *dicta quæst.* 178. §. 1. *num.* 2. Suarez *de Fide, tract.1. disput.19. section.4. numero* 17. Escobar *in Theologia Morali, tract.5. examine 1. num. 70. versicul. Certum planè.* Becanus, *de Fide, cap.14. quæst.2. conclus. 3. num.* 12. Quia sicut is censetur Catholicus, qui sentit esse vera quæcumque ab Ecclesia proponuntur tanquam revelata à Deo; ita è contrario, is censeri debet Hæreticus, qui sentit aliquid non esse verum, quod ab Ecclesia proponitur, tanquam à Deo revelatum.

20 IV. Qui negat, aut sentit contra traditiones divinas, tam doctrinales, quàm morales, vt includunt aliquid credendum, si perpetuò sint in Catholica Ecclesia observatæ, aut retentæ Hæreticus est. Sousa, *n.9.* cum Bellarm. *tom.1. lib.4. de Verbo Dei non scripto.* Suarez *de Fide, tract.1. disp.5. sect.4.*

21 V. Hæreticum esse, Hæreticorumque pœnis subiectum existere, qui non credit, nec assentitur revelationi sibi specialiter factæ; quam tamen divinam putat. Sousa cum Sanchez, *lib.2. in Decalogum, cap.7. num.* 32. Consonant quoad culpam hæresis; & dissentiunt quoad pœnas. Azorius *part.1. lib. 8. cap. 9. quæst.4. colum. mihi* 850. & Castrus Palaus, *tomo 1. tract. 4. disput. 3. punct.2. num.*14. cum Suarez *de Fide, disp.19. sect. 5. num.* 12. Ratio prioris est. Quia tota malitia hæresis sita est in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ: qui enim sic discredit, quod prima veritas dicit, Deum facit mendacem. Sed qui discredit revelationi sibi specialiter factæ, eodem modò primam contemnit veritatem, ac Deum facit mendacem, quia Deus idem est, sive publicè, sive particulariter revelet: ergo Hæreticus est, qui non credit, nec assentitur revelationi sibi specialiter factæ. Neque hæresis necessariò petit contumaciam contra Ecclesiam formaliter, sed contra Deum revelantem.

Ratio

22 Ratio verò posterioris est, quia nihil credit contra ea, quæ tanquam credenda proponit Ecclesia: non enim proponit credenda, quæ privatim à Deo alicui patefiunt; sed quæ Prophetarum, & Apostolorum verbo, aut scripto, aut non scripto tradita suscepit Ecclesia ipsa. Vnde non est Hæreticorum pœnis subiectus, qui revelationi specialiter sibi factæ non assentitur. Notanter dicimus, *specialiter facta*, non autem *generaliter*, & à tota Ecclesia propositæ. Clarum est enim, quod hæreticus est, & pœnas incurrat Iuris, qui non assentitur revelationi, à tota Ecclesia generaliter propositæ, modò dissensus manifestus sit. Vnde, si quis diceret, primæ veritati per privatam revelationem manifestatæ, non esse credendum, Hæreticus esset ab Ecclesia punibilis, quia propositionem à tota receptam Ecclesia negat. Videantur Azorius, & Palaüs *locis citatis*. Iacobus etiam Granado, *controvers.1. de Fide, tract.15. disput.16. sect.2. n.8.*

23 Sed Quæres, An non solùm sit Hæreticus, qui habet errorem contrarium Fidei, sed et am ille, qui habet in rebus, aut in re aliqua Fidei dubitationem. Pro sententia negativa referunt Becanus *in tract. de virtut. Theolog. cap. 14. quæst.2. concl. 2. nn. 7.* Palaus *vbi suprà n.8.* & Granado *vbi proximè, disp.2. n.5.* Melchiorem Canum *lib.12. de locis cap.8. alias 9. versicul. Controversantur autem.* Exductum ratione, quia hæresis essẽtialiter cõsistit in iudicio intellectus cõtra Fidẽ: sed qui dubius est, non habet iudiciũ intellectus contra Fidem: ergo qui dubitationẽ in rebus Fidei habet, non est Hæreticus. Minor probatur, quia dubius in neutrã partẽ inclinatur.

24 Pro affirmativa recenset Becanus Antoninum, Adrianum, Gabrielem, Turrecrematam, & alios apud Greg. de Valentia, *qu.11. punct. 1. dub. 2.* illam tenet Palaus *num. 9.* cum Suarez *de Fide disp.9. sect.4. num.10.* Coninck *de Fide, disput.18. dub.7. conclus.6. num.102.* Bonacina, *de Censuris, disp 2. quæst. 5. punct. 1 n.3.* Farin. *de Hæresi, quæst. 178. §. 4. nu. 90.* Augustinus Barbosa, *de Officio, & potestate Episcopi, par.2. alleg. 40. num.16.* Cum Albertino, *tract. de agnoscendis assertionibus, q.3. n.9. & in Rubrica, de Hæreticis, lib.6. q.15. à num. 26.* August. de Ancona *in Summa de potest. Ecclesiæ. q.22 art.1.* Navarr. *cap.11. nu.17. & in cap. Si quis autem, n.18. 19. & 49. de Pœnit. distinct.7. & in cap. Inter verba, concl.6. concl.19. nn. 55.* Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.7. num.11.* Petez, Menochio, Claro, Valentia, Azevedo, Pegna, Reginaldo, & alijs Azorius, *1. part. instit. Mor. lib. 8. c.9. quæst.5.* Busembaum *in medulla Theologiæ, lib.2. tract.1. cap.4. dub.3 versic. Est hæreticus.* Caspensis, *tom.2. tract.15. disp.5. sect. 4. num.23. & sequentibus.*

25 Probant hanc sententiam. I. *Ex cap. 1. de Hæreticis*: vbi sic Stephanus Papa definit. Dubius in Fide, infidelis est. II. Ex Concilio Viennensi sub Martino Quinto relato *in Clementina Fidei Catholicæ, §. Porro lib 1. de Summa Trinitate, & Fide Catholica*, vbi dubitantem in Fide, contra eam asserenti comparat dicens. Porrò Doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis; seu intellectivæ verè, ac per se humani corporis non sit forma: velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam Fidei, prædicto sacro approbante Concilio, reprobamus. III. Ex Concilio Lateranensi, sub Leone Papa X. *sess.8.* celebrata 19. *Decembris, Anni* 1513. idem definiente sub his verbis. sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut vnam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cum illa non solum verè, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Can. Clementis Papæ V. in Generali Viennensi Concilio edito continetur.

IV. Ex Symbolo D. Athanasij, ibi: *hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.* Firmiter itaque credi, Fides exigit Catholica, vti hîc, *Et de Summ Trinit. & Fide Cathol. cap. 1.* in principio *Firmiter credimus*: & dicta Clem. *Fidei Catholicæ fundamento firmiter inhærentes.* 26

Dubitare autem, & firmiter credere, aut inhærere, non sibi bene cohærent, sed vnum alteri ad invicem adversari dignoscitur: ergo qui dubitat in Fide hæreticus est. V. Ex D. August. *lib.8. de Trinitate, cap.5.* vbi asserit, salva Fide non posse vsurpari illam particulam *Fortè*, in rebus Fidei. Nam illa particula significat dubitationem, quæ Augustino teste Fidei rationem destruit.

VI. Hanc addit Palaus rationem: tunc 27 deliberatè, & peccaminosè dubitas de rebus Fidei, cum iudicas res Fidei non esse dignas certò, & infallibiliter credi: sed dubitare deliberatè res Fidei tibi sufficienter propositas, non esse dignas certò, & infallibiliter credi, est hæresis manifesta. Ergo si deliberatè dubitas de rebus Fidei, hæresim committis. Maiorem, in qua sola est difficultas, probat, dicens. Ponamus tibi repræsentare obiectum Fidei, & rationes, quæ ad eius assensum sufficienter movent, tempore; quo non obligaris Fidei actum elicere, absque vlla culpa potes suspendere actum. Ergo suspendere Fidei actum non est dubitare de Fide. Ergo ad dubitationem peccaminosam, & voluntariam, aliquid ampliùs requiritur: sed hoc esse nequit, nisi iudicium, quo iudicas obiectum illud sic tibi repræsentatum non esse dignum certò credi; sed esse dubium & incertum: neque enim apparet in quo alio possit consistere: ergo tunc deliberatè dubitas de rebus Fidei tantùm, quando iudicas res Fidei non esse dignas certò, & infallibiliter credi.

Et confirmat. Circa obiectum tibi certissimum potes investigare rationes pro vna, & altera parte; absque vllo assensu, vel dissensu; neque ex tali investigatione potes argui dubitare circa illud; aliàs sæpissimè Sancti de rebus Fidei; de mysteriis dubitarent revelatis peccaminosè. Ergo ad dubitationem in rebus Fidei, assensus, vel dissensus suspensio non sufficit, sed vlteriùs requiritur iudicium, quo iudicetur obiectum illud dubium, & incertum esse, & certa, ac infallibili indignum credulitate. 28

Concludit præfatus Autor, *num.10.* admit- 29 tendo dubium ex se, non includere assensum nec dissensum circa obiecti propositi veritatem, & de quo dubitatur; quia in dubio suspenditur actus, ita vt nec assentiatur, nec dissentiatur obiecti veritati. At cum hac suspensione optimè stare te habere iudicium, quo iudices illud obiectum non esse omnino certum,

sed

sed dubium. Quod iudicium necessario haberi debere asserit Palaus, vt verè quis dicatur de illo obiecto peccaminosè dubitare. Ac proinde (ait) numquam dari potest dubium sine positiuo actu, & errore: ita ille. In quibus meo videri docère videtur non posse dici dubitare peccaminosè, & hæreticè in Fide qui tantùm concipit obiectum Fidei (v.gr. Deiparam post partum Virginem permansisse) absque assensu vel dissensu circa illius veritatem. Qui quidem conceptus, seu repræsentatio obiecti, sine assensu vel dissensu dari, & sine peccato, bene posse ait, tempore, quo quis non obligatur Fidei actum elicere. Non tamen negari iudico, posse dari dubium negatiuum in rebus Fidei prout ab aliis Doctoribus explicatur, id est posse aliquem concipere obiectum Fidei merè negatiuè se circa illius veritatem habendo: id est absque eo, quod circa illam actum eliciat assensus, vel dissensus.

30 Quocirca Martinus Becanus, *tract. de Virtutibus Theologicis, cap. 14. quæst 2. num.* 8. Quæsitui suprà à nobis proposito cum distinctione respondet. Nam dubitatio (inquit) potest duobus modis esse in intellectu, scilicet, positiuè, & negatiuè. Negatiua dubitatio est, quando intellectus apprehendens aliquam propositionem, non determinat se in alteram partem, sed circa vtramque habet se mere negatiuè. Positiua dubitatio est, quando intellectus positiuè iudicat rem, quæ proponitur, esse ambiguam, de qua iudicium ferendum non sit.

31 Qua præmissa distinctione, dicendum est, (ait) I. Dubitationem negatiuam non sufficere ad hæresim hoc bene probat ratio Cani. II. Positiuam dubitationem sufficere, Ratio est: Quia ille censetur hæreticus, qui errat circa fidem: Sed qui positiuè dubitat de articulis Fidei, is errat circa Fidem: ergo hæreticus est. Maior ex dictis patet: Minor Probatur, quia inter veritates Fidei; vna est articulos Fidei non esse ambiguos, sed certos, in quibus nullum sit errandi periculum: ergo qui positiuè iudicat articulos Fidei esse ambiguos, aut incertos, habet erroneum iudicium, contra prædictam Fidei veritatem: ergo hæreticus est, si cum pertinacia id iudicat. Et in hoc sensu intelligendus est Stephanus Papa, cum asserit, dubium, infidelem esse. Hucusque doctissimus Becanus, vbi satis bene vtramque propositam explicat, & concordat sententiam, secundam probat & primam in sensu in quo illam exponit, bene probatam ab eius Authore asserit.

De pœnis contra Hæreticos à iure statutis dub. 12. agemus, cum de Receptatorum eorum, & de aliorum pœnis.

DVBIVM II.

Qui dicantur & sint Hæreticorum Credentes?

BREVIARIVM.

Credentes.

Hæreticorum Credentes sunt, qui eorum erroribus, in particulari, aut in communi, expressè, vel confusè assentiuntur signis externis, tali assensu manifestato, n. 1.

Credentes Hæreticorum, Hæretici etiam sunt, num. 2.

CONCLVSIO.

CRedentes Hæreticorum illi dicuntur, & verè tales sunt, qui Hæreticorum erroribus, siue in particulari, siue in communi assentiuntur, siue expresse, siue confusè, signis externis, tali assensu manifestato. 1

Hanc conclusionem tenent, Ferdinandus Castrus Palaus *tomo 1. tract.4 de Fide, disp.3. punct.5. n* 1. cum Navarro *in Manuali, cap.17. num.* 55. Vgolino *de censuris reservatis Papæ part.2. cap.1. verbo Credentes, n.1. & 2.* Suarez *tom.5. in 3. p. de Censuris disp.21. sect.2. n.6.* & *de Fide, disp.24. sect.1. num.1 & 3.* Sanchez *in Decalog. tom.1. lib.2. cap* 10 *n.2.* Bonacina *de Censuris disp 2. quæst.5 punct.3. num. 2.* Pegna, *part. 2. directoris Inquisitorum, circa quæstion.50. commento.75.* & Farinacio, *de Hæresi, quæst.* 181. *num.*104. quibus addit *tom.6. tract. 29. de Censuris, disp.3. punct.2. nu.4.* Archidiaconum, *in cap. Quicumque, de Hæreticis in 6.* Paludanum *in 4. distinct.13. quæst.3. art.1. concl.7.* Sylvestr. *verbo Hæresis 1. num.10. quæst.7.* Gregorium Sayrum, *lib.3. thesauri, de Censuris in particulari cap.5. num.1.* & D. Antoninum *in Summa, part.3. tit.25. cap.4. §. finali.* Iacobus de Graffis *in Decisionibus aureis, part.1. lib.4. cap.18. num.28. & seqq.* Æligius Bassæus, *verbo Hæresis, num.11.* Augustinus Barbosa, *in cap. Excommunicamus, §. Credentes, num.20. el 13. de sentent. excomm.* D. etiam Antoninus, *dicta part.3. tit. 24. de Excomm. cap.5.* vbi ita fatur: illi dicuntur Credentes Hæreticorum, qui ore proprio dicunt se credere erroribus eorum. Item qui adoraverint, & reverentiam suo modo exhibuerint, consolationem, vel communionem ab Hæreticis acceperint, vel similia perpetrant, quæ ad ritum eorum pertinent. Hæc Florentinus Archipræsul.

Credentes Hæreticorum, Hæreticos veros esse, definitum non semel, in Canonico Iure invenio. Gregorius enim Papa Nonus sic *in capite Excommunicamus, el 5. de Hæreticis*, pronuntiat. Credentes autem eorum erroribus, Hæreticos similiter iudicamus. Ita ibi, & Nicolaus Papa Tertius, sub eisdem verbis, eamdem protulit sententiam *in Constitutione. Noverit universitas vestra, la 2. huius Pontificis apud Bullarium Magnum Angeli Cherubini, tomo 1. pag. mihi* 185. sic enim ait §. 3. Credentes autem eorum erroribus, similiter Hæreticos iudicamus. Plures ibi statuit pœnas contra credentes, Nicolaus, quas & statuit Concilium Generale, relatum *in cap. Excommunicamus, el 13. de Hæreticis*, tanquam contra Hæreticos, de quibus latè infrà *dubio* 12. 2

DVBIVM

DVBIVM III.

Quinam Receptatores Hæreticorum sint?

BREVIARIVM.

Ignorantia.

In facto alieno probabiliter ignorantia creditur, num.11.

In dubio præsumitur ignorantia, n.12.

Ignorantia probatur iuramento Receptatores, aut rei, num. 12.

Iura naturæ.

Naturæ iura denegantur hostibus, proditoribus patriæ, publicè proscriptis, & Hæreticis suos corrumpere studentibus n.6.

Lex humana.

Non obstringit conscientias, cum certo, aut probabili vitæ discrimine, num.9.

Pœnæ.

Pœnas Receptatorum incurrit, qui semel receptat Hæreticum, num.2.

Pœnas Receptatorum vt quis incurrat, in conscientiæ foro, Hæreticum, qua talem recipere debet, non qua propinquum, aut amicum; secus in externo foro, num.3.

Receptans in causa hæresis, parentem, filium, coniugem, aut fratrem, an vt receptator sit puniendus? num.5.

Receptator consanguinei, affinis, & amici, mitiùs punitur, n.5. 7.

Pœnas non incurrit Receptatorum, qui metu mortis, aut alterius gravis mali, Hæreticum receptat, num.9.

Neque ex ignorantia receptans illum, n.10.

A pœnis excusantur Receptatorum Caupones, Nautæ, Stabularij, & similes, nisi constet Hæreticos receptasse in hæresis favorem, n.12.

Receptator nullis plecti debet pœnis, nisi in eo scientiam adfuisse probetur, quamvis in eo ignorantia non præsumatur, n. 13.

Pœna Receptatoribus inflicta recensetur, n.14.

CONCLVSIO.

1 Receptatores sunt Hæreticorum, qui scienter istos ob hæresis causam fugientes, & se abscondentes, hospitio recipiunt, vel in domibus suis, vel in agro, vel in civitate, vel in alio quovis loco, ne à Iudicibus capiantur, nevè Hæreticorum pœnas luant.

Ita Castrus Palaus *tom.1. tr.4. disp.3. punct.5. n.4.* cum Pegna *2.par. Direct. Inquisit. circa q.51. comm. 76. versic. Hinc consequitur.* Sanch. *tom.1. oper.moral. lib.2. c.10. n.10.* Vgolino *de Censuris, verb.Receptatores, in princ.n.1. & §.1 n.3.* Suar.*de Fide, disp.24. sect.1. n.4.* Ant. Sousa *in Aphorism. Inquisit.lib.1. c.23.* Ioan.Azor.*par.1. instit. moral. lib.8.c.15. q.2. col.875.* Coninch *de Cens. disp.18. de Irregul.dub.7.n.51.* Navar. *tom.2. consil.lib.5.de sent.Excomm. consil.23. n.7.*

2 Qui semel Hæreticum recipit sciens esse Hæreticum verè Receptator est Hæretici, & pœnas contra Receptatores latas incurrit. Docent Palaus *n.4.* Sousa *n.3.* cum Eymerico *in Direct. Inquisit. 2.par.q.51.* Pegna *ibi,comm.78.* & Farin.*de Hæres. q.182.§ 9.n.152.* ac Sanch.*loc.cit.* Azor.*d.q.2.* vbi ita fatur. Licet nomen *Receptator* iuxta Grammaticæ regulas, frequentiam significet; in vtroque tamen Iure ciuili, & canonico pro simplici nomine accipitur: & in Iure civili, Receptator, aut Receptor appellatur, qui clàm accipit, & celat aliquem vt manus Iudicis evadat *l.1. ff.de Recept.& l. congruit, ff de offic. Præsid.* At verò Ius Canonicum nomine Receptatorum Hæreticorum eos accipit, qui Hæreticos excipiunt alicubi, sive sæpiùs, sive semel tantùm, sive publicè, sive occultè: dummodò tamen eos scienter recipiát. Hactenus P.Azor. Si publicè excipiat, graviùs peccabit. Palaus cum Ioan.Calder. *tra.de Hæres.rubr. de Hæret.volentibus n.14.fin.* Farin.*q.182.cit.§.7.n.99.& Pegn.vbi prox.*

Vt Receptator pœnas incurrat contra Receptatores latas, debet recipere Hæreticos, qua tales, id est, vt Hæreticos formaliter. Ægid.Coninch,*d.n.51.* Sousa *n.5.* cum Sanch.*d.c.10. n.3.& 4.* Azor. *q.2.reddita*: vbi benè positionem nostram, sicut & Sousa de incursione in foro tantùm conscientiæ explicat, dicens. Quæres, an Receptatores censcátur, qui Hæreticos domi excipiunt tanquam sibi societatis, propinquitatisve lege, vel benevolentię, amicitiæve necessitudine coniunctos? Respondent quidá, eos non esse pro Receptatoribus habendos. Ita Caïet.*in Sum.excom.c.1.* quem alij, inter quos Navar.*in Manual.c.27.n.55.* sequuntur. Quoniam iuxta eorum sententiam, duo requiruntur. *Primò*, vt scienter excipiant, hoc est, noverint esse Hæreticos. Deinde, vt tanquam Hæreticos recipiant. Existimo tamen id locum habere in foro conscíétiæ, non autem in foro exteriore. Ita ibi, *& qu.3.* latiùs eandem prosequitur, traditque Doctrinam, dicens, quòd recipiens scienter Hæreticum, vt sibi alioquin amicissimum, licet excusetur à pœna in sententia Tiraq. *de pœnis temperandis, aut remittendis, causa 4.& 22.* debet tamen puniri in sententia glossæ *in c.Excommunicamus, verbo, Receptatores,* ibi: *etiamsi essent consanguinei el 13.de Hæret.* quam alij sequuntur. Et concludit Azor. Sed dicendum arbitror, in foro conscientiæ excusari, si revera solùm tanquam sibi amicitiæ Iure devinctum exceperit, non tanquam Hæreticum; in foro tamen exteriori haberi tanquam receptatorem, & proinde tanquam excommunicatum, & in alias Iuris pœnas prolapsum. Hæc ille Sousa consequenter ait, quòd receptans Hæreticum, ne ab inimico occidatur, aut in causa civili, aut criminali ab hæresi diversa, non dicitur Receptator Hæreticorum, ita *n.23.& in Bull.Cœnæ, c.2.disp.9.n.5. & 6.* Delbene *to.2.c.19.dub.27.n.2.de Immu.Eccl.* 3

Probabile esse ait Sousa *n.5.* cum Sanch. *c.10. recens.n.5.* non manere Receptatorem præfatum in foro conscientiæ, prædictis pœnis subiectum, licet Hæreticum in causa hæresis recipiat, quando talis receptionis motivum non est ipsa hæresis. Probabiliùs tamen esse securius, seu tutius, *n.6.* asserit cum Toleto *in Sum.Excom.1.Bullæ Cœnæ, n.2. & 23.*& Vgol.*in d.Bullam, verb.Receptatores. & §.1. n.3.vers.6.* Receptatorem Hæretici in causa hæresis incurrere prædictas pœnas, & censuram, quamvis primaria intentio non sit hæresis. 4

Qui receptant parentes, filios, conjuges, aut fratres, scientes illos esse Hæreticos, quamvis propinquitas sit principale motivum talis receptionis, quando in causa hæresis illos receptant, probabiliùs esse asserit Sousa *in Bullam Cœnæ, cap.2. disp.10. n.1. & 3. & in Aphorism. Inquisit. lib.1. c.23. n.17.* cum Peña *2. par. Direct. Inquisit. ad quæst.56. commento 81. versic. Sed Zanchinus,* quòd neque in foro externo, neque in interno 5

excusantur. Recenset præfatus Sousa pro se, Azor. *loco citato quæst.* 4 sed oppositum, ni fallor, ille sentit: postquam enim duas sententias reddidit, aliam asserentiũ huiusmodi Receptatores puniendos pœnis à Iure contra Receptatores Hæreticorum statutis: & alteram asserentium, plectendos quidem illos esse, sed mitiùs quàm à Iure statuitur, ex eo quòd *l. 2. ff. de Receptatoribus* dicitur; eos apud quos affinis, vel cognatus latro conservatus est, neque absolvendos; neque severè admodum puniendos: non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiunt: ergo à simili, idem Iuris est in præsentia, statim propriam pronuntiat Azorius dicens. Verius tamen puto, quòd tradidit Simanca, *de Catholicis institutionibus, tit.* 15. *n.* 21. aut eos, non esse puniendos, aut levissima certè pœna coërcendos, quoniam naturæ iura, non sunt Hæreticis deneganda, neque enim ea facilè possumus exuere. Hæc Azorius, in quibus satis apertè excusat in foro externo Receptatores prædictos, & ait: idem dicendum de recipientibus lesæ Majestatis reos tanquam cognatos.

6 Obiicit tamen sibi Azorius. Naturæ iura denegantur hostibus, ac proditoribus patriæ, & iis, qui publicè sunt proscripti; ergo etiam Hæreticis debent denegari.

Respondet negando consequentiam, ob disparitatem. Quia non semper Hæretici tam graviter in Rempublicam, aut in Reipublicæ communem pacem, & tranquilitatem peccant, ac hostes, & proditores patriæ, nisi Hæreticus pater filium, aut maritus vxorem, aut frater fratrem studeat corrumpere.

7 Et quidem ipse Sousa *in Bullam, loco citato, n.* 4. *& in Aphor. vbi suprà, n.* 8. cum Penna *loco reddito:* & Farinacio *de Hæresi, q.*182. §.9. *n.*146. *&* 149. ait quod Receptator consanguineorum, aut affinium, aut etiam amici in veritate, vel illius; cuius amore captus est, mitiùs punitur.

8 In dubio an quis receptaverit, Hæreticum, vt Hæreticum, an vt consanguineum, præsumendum est receptasse vt consanguineum, ait Anton. Sousa *d. Aphor. loco, n.*9. cum Farin. *vbi proximè, num* 143.

9 Qui metu mortis, aut alterius mali gravis Hæreticum receptat, in pœnas Iuris minimè incurrit. Cùm, quia leges humanæ conscientiam non obstringunt, cum certò, aut probabili quidem vitæ discrimine. Tum etiam, quia qui metu mortis, aut alterius mali gravis Hæreticum recipit, non tanquam Hæreticum recipit, sed vt se, aut sua tueatur, & servet. Ita docet Azorius *dicta part.*1. *lib.* 8. *cap.*15. *quæst.*5. *colum.*876. & Sousa *in Aphor. Inquisitor. lib.* 1. *cap.*23. cum Farin. *de Hæresi, q.*182. §.9. *n.*162. sic enim ait: Qui metu mortis, aut gravissimi damni naturalis, aut per vim, Hæreticum, in causa etiam hæresis, recipit, & occultat, non punitur vt Receptator, nec excommunicationem incurrit. Hæc Sousa.

10 Qui ex ignorantia Hæreticum receptat, pœnas non incurrit Receptatorum. Tenet Sousa *num.* 13. cum Penna *in Direct. Inquisit.* 2. *part. ad quæst.*51. *commento* 76. Deciano *crimin. lib.* 51. *c.*37. *n.*23. *& cap.*51. *n.*70. & cum Farin. *vbi proximè, n.* 163. & ratio est, quia receptator non est Hæretici, nisi qui scienter illum ob crimen hæresis fugientem, & se abscondentem, hospitio recipit.

11 Sed si petas, an ad Receptatorem spectet obligatio, suam probandi ignorantiam; an ad accusatorem illius, istud onus incumbat: Respondebit Alphonsus *de iusta Hæreticorum punit. cap.* 17. *lib.* 2. apud Azorium *q.* 8. Receptatorem debere se innocentem, & à culpa liberum ostendere, si per ignorantiam id fecerit, vt pœnas Receptatorum evadat. Alij, quos penes eundem Azorium recenset Simanca *lib. de Catholicis institut. tit.*15. *n.*18. id onus receptatori incumbere quandocumque probabiliter, creditur eius, quem recepit, hæresim cognovisse, vt quia erat palàm, aut publicè notum, eos esse Hæreticos, & non erant amici, vicini, aut consanguinei, seu affines. Sousæ tamen *n.* 15. & Azorio sententia dicti Simancæ placet, asserentis, cum Accursio, Bartholo, Romano, Decio, & aliis, etiam in hoc regulam Iuris tenendam; nimirùm in facto alieno probabiliter ignorantiam credi, & onus probandi contrarium, ad accusatorem pertinere, & ad eum, qui in receptatore Hæretici scientiam fuisse contendit. 12

In dubio autem potiùs præsumitur ignorantia, quàm scientia in Hæreticum receptante, vti ait, Sousa, *n.* 21. quo loco resolvit cum Farinac. *de Hæresi, q.*133. *c.* 3. *n.*112. ipsius Receptantis iuramento ignorantiam probari: quòd vtique sentit Azorius dicens: & credendum, arbitror, Receptatori, si suam ignorantiam iureiurando confirmet. Vnde Sousa *in Bull. Cœna c.*4. *disp.*9. *n.*6. *& in loc. cit. Aphor. n.*22. cum Farin. *de Hæresi, q.* 182. §. 9. *n* 161 & Azorius *quæst.* 8. *recensita, in fine*, bene asserunt, Nautas, Caupones, Stabularios, & similes, qui nec lege, nec Iure alio compelluntur, ad mores advertantium scrutandos, *l.* 1. *ff. de furti. adversus Nautas, Caupones, Stabularios*, à pœnis Receptatorum excusari, & eis non puniri, nisi constet receptasse Hæreticos in favorem hæresis.

Ex dictis colligo, quòd licet non præsumatur 13 ignorantia in receptante, quando in loco vbi Hæreticus recipitur, est publica vox, & fama, vel notorium, ipsum esse Hæreticum, vt cum Peña *d. commento* 76. & Farin. *d. cap.* 3. *n.*120. docet Sousa *in Aphor. lib.* 1. *cap.*23. *num.*14. Neque quando Hæreticus fuit publicatus, & præcessit edictum publicum, quòd fugerit e carcere, vt cum eodem Farinac. *n.* 127. ait ipse Sousa, *n.* 16. neque tandem præsumatur in vicino, amico, consanguineo, aut affine, Hæreticum receptante, iste non debeat vllis Receptatorum pœnis plecti, nisi in eo scientiam adfuisse probetur: quia non est vlla ratio vrgens ad puniendum potiùs levi, quàm gravi pœna, aut graviori.

Vnde nescio, an consequenter ad ea, quæ Sousa 14 docet locis hîc *num.*11. *&* 12. recensitis, ipsemet doceat *n.*17. quòd quando præcessit rumor publicus, quòd receptatus sit Hæreticus, aut receptans id solummodò suspicatur, non punitur huiusmodi receptans tota pœna receptatoris, nec etiam corporali pœna, sed mitiori, & pecuniaria; & *n.*18. ait idem Author in consanguineo, vicino, & amico, non præsumitur ignorantia, quæ excuset à tota pœna receptatoris, & *n. tandem* 20. ita fatur, vt tota pœna ordinaria receptatorum imponatur, & item corporalis, debet plenè probari scientia, in receptante; ad alias verò pœnas sufficit scientia præsumpta.

DVBIVM IV.

Qui dicantur Hæreticorum Defensores?

BREVIARIVM.

Abjurare.

Defensores Hæreticorum abjurare debent de levi, aut de gravi secundum defensionis gravitatem, n. 10.

Abjurationis pœna, communis est omnibus, in Fide suspectis, n. 11.

Actuarius.

Qui in hæresis causa, in iudicio; de auctoritate Inquisitorum, patrocinium suscipit, iurat de iusta præstanda defensione; & de abstinendo à defensione quamprimum cognitum fuerit Hæreticum esse illum, qui defenditur, n. 9.

Advocatus.

Vide verbo *Actuarius*.

Defensio, Defensor.

Triplex Hæreticorum est defensio. I. *Eorum errorum.* II. *Eorum personarum ob hæresis causam.* III. *Eorum personarum ob aliam, quàm hæresis causam*, n. 1.

Qui primo defendit modo, non defensor Hæretici est, sed Hæresiarca, & Hæretico damnabilior, n. 2. 3. & 4.

Qui tertio modo, non est Hæretici defensor, n. 5.

Defensor Hæretici solum ille est, qui illum, quà talem defendit, n. 6.

Quà Hæreticum defendit. I. *Qui removet impedientes actum hæreticalem facere volentem, vt liberè eam pravam exequatur voluntatem*, n. 7.

Defendit. II. *qui quomodolibet impedit ne Hæreticus capiatur à Iudice, vel Ministris*, n. 7.

Tertiò defendit, qui captum liberat, n. 7.

Qui facit, vt in tuto ille vivat, quartò defendit, numero 7.

Quintò, qui impedit muneribus, dolo, aut potentia ne condemnetur, aut puniatur, n. 7.

Sextò, qui curat ne denuncietur, aut accusetur, vel ne eius prava dogmata ad Iudicem deferantur, num. 7.

Septimò, qui curat, ne Hæreticus examinetur, aut interrogetur in hæresis causa, n. 7.

Octavò, qui quavis ratione Inquisitorum functionem in hæresis causa impedit, n. 7.

Qui defendit innocentem, quem vt Hæreticum quærunt inquisitores, non est defensor in foro interno, sed in externo punietur vt talis, n. 8.

Defensor censetur, & vt talis punitur Advocatus, Procurator, & Actuarius, qui nisi de Inquisitorum auctoritate, in iudicio Hæretico patrocinatur, num. 9.

Qui defendit, quem credebat esse Hæreticum, vt defensor punitur, abiurare cogitur: peccátque graviter; sed excommunicationem non incurrit si defensus non est Hæreticus, n. 9.

Graviùs defendit, qui cum armis, quàm sine illis: graviùs qui vi adimit Hæreticum de capientium manibus, quàm qui voce movet, & fugiat, &c. n. 10. 11

Defensores Hæreticorum eiusdem pœnis plectuntur, ac eorum Receptatores, n. 10.

Procurator.

Vide *Actuarius*.

Prohibitio.

Cessante prohibitionis causa, cessat etiam prohibitio, 5.

1 TRipliciter quis esse queit Hæreticorum defensor. *Primò*, si istorum defendat errores. *Secundò*, si Hæreticorum personas, ob hæresis defendat causam. *Tertiò*, si illos defendat, ne ab aliquo particulari lædantur; aut eis patrocinetur in causa litis iusta; aut in criminibus quidem aliis extra hæresim.

2 De defensoribus Hæreticorum in prima acceptione, dubium propositū minimè procedit. Quia huiusmodi defensores Hæreticorum, Hæretici etiā, imò & Hæresiarchæ sunt, vt benè docent P. Ant. Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. c. 24. n. 1. & in exposit. Bullæ Cœnæ c. 2. disp. 12. n. 1.* cum Farin. *de Hæresi, q. 172. §. 4. n. 26.* Ferd. Castr. Palaus *operis moralis to. 1. tr. 4. disp 3. punct. 5. n. 5.* vbi in hæc prorumpit. Defendis errorem, si argumenta in eius favoré facias, & obiectiones contrarias dissolvas, si verbis laudes, scriptis extollas. Modus hîc defendendi Hæreticum, perniciosissimus est, sive interiùs errori defenso assentiaris, sive non. In foro enim externo violenter præsumeris errori assentiri, & tanquā Hæreticus, omni Hæretico deterior esses damnandus, vt benè tradit cum Eymerico suprà (scilicet *par. 2. Direct. Inquis. q. 52.*) Pegna *comm. 77. in princ.* Farin. innumeros referens, *q. 182. n. 62.* & est textus expressus, *in c. Qui aliorum 24. q. 3.* Hactenus Castr. Palaus.

3 Accinit Ioan. Calder. *in suo docto tractatu, de forma procedendi contra de Hæresi inquisitos, in Rubrica de Hæreticis Credentibus Receptatoribus, Fautoribus, & Defensoribus, n. 15. fol. mihi* 65. vbi ita fatur. Quartò, secundùm eundem videndum est de Defensoribus, dicit enim se de defensoribus inspicere diligenter. Defendens ergo quis interdum errorem, damnabilior est illo qui errat, & non solùm Hæreticus, imò Hæresiarcha dicitur, 24. *q.* 3. *Qui aliorum*, & in eodem casu intellige, quod dicitur, 11. *q.* 3. *Qui consentit*, quamvis ibi videatur loqui de illo, qui defendit errantem: sed intelligo quod defendit errantem, & errorem per præallegatum caput, *Qui aliorum*, aliàs enim non esset acriùs puniendus errante. Hæc Calderinus.

4 Canon, *Qui aliorum*, à præfatis recensitus Doctoribus *in causa* 24. huius tenoris est. Quia aliorū defendit errorem, multò ampliùs damnabilior est illis, qui errant: quia non solùm ille errat, sed etiā aliis offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde, quia Magister erroris, non tantùm Hæreticus, sed etiam Hæresiarcha dicendus est. Hactenùs Sanctiss. Papa Vrbanus II. ex cuius sacro Canone, & Doctrina reddita, apertè convincitur, defensores Hæreticorum in prima acceptione considerata, non ad præsens pertinere dubium, sed ad primum potiùs spectare, in quo de Hæreticis disservimus.

Nec procedit quidem dubium circa Hæreticorum defensores in tertia acceptione. Quia vel est iusta hominis defensio, illatam vim, aut iniuriam sustinentis; aut saltem in eo crimine, in quo illos defendunt extra hæresim, participes fiunt: Quòd neutrum certè catholicæ Fidei nostræ adversatur: neque adversabitur si Hæreticos tāquam sibi ipsis consanguinitate, affinitate, aut amicitia cōiunctos defenderint, vti benè Ioan. Azor. *Instit. Mor. par. 1. lib. 1. c. 15. q. 6. col. mihi* 876. Ant. Sousa *d. c. 24. n. 7.* cum Th. Sanch. *to. 1. oper. mor. lib. 2. c. 10. n. 19.* Bart. Vgol. *de Cens. Pont. reserv. par. 2. versic. & generaliter quoslibet illorum defensores, num.* 2. vbi sic ait. Excipitur tamen primò vbi ob aliam rem ab hæresi eum tuerentur, ob *cap. Accensatus, §. Ille quoque*

iuncta *glossa de Hæreticis, lib.*6. Quare qui defenderet eum in Iudicio, aut in causa civili, aut ab homicidio, Hæretici defensor hic non diceretur. Quare & qui defendit Hæreticum ne iniustè ab aliquo privato offendatur, in excommunicationem hanc (scilicet Bullæ Cœnæ) non incideret. Hæc omnia Vgolinus, quæ fundat ex eo, quod cessante causa prohibitionis, cessat & prohibitio, *cap. Cum cessante, de Appellationibus*, idem docet Iacobus Granado *tom.*3 *in* 2. 2. *controvers.*1. *de Fide tract.*15. *disp.*16. *num.*2. ibi: Nam si solùm defendat ab iniusto invasore, aut laudet ingeniũ, & eloquentiam illius, non censetur Hæretici defensor Castrus Palaus, *vbi supra* recensitis. & aliis quam pluribus Doctoribus passim idem sentientibus consonat dicens. Dixi, si defendas personam, ob causam Hæresis. Quia si ex alia causa defendas, videlicet ne à latrone, vel aliâ privatâ personâ iniustè offendatur, non es Defensor Hæretici: quia illa defensio mala non est. Sic Toletus, *lib.*1. *Summa, cap.*19. *num.*6. Farinacius, *num.*68. Suar. *disput.*24. *sect.*1. *num.*5. Hæc Palaus, Barbosa *in cap. Sicut, n.* 2. *c.*18. *de Hæreticis.*

6 Restat igitur à sufficienti partium numeratione, vt procedat dubium, de Defensoribus Hæreticorum in secunda acceptione. In qua quidem illi Hæreticorum dicuntur, & sunt Defensores, qui defendunt Hæreticos formaliter, idest in quantum Hæreticos. Ita Navarrus *tomo* 2. *Conciliorum, lib.*5. *titul. de sententia excommunicationis, consil.* 23. *num.* 7. & in simili Receptatoribus, *dub.*3. *num.* 52. diximus cum Coninck, Sousa, Sanchez & Azorio, qui *part.*1. *lib.* 8. *cap.*15. *q.*6. docet cum Caietano *in Sum. verbo Excommunicatio, cap.*1. & Navarro *in Manuali cap.*27. *n.*55. solum defensorem censeri in foro conscientiæ, qui Hæreticum scienter, tanquàm Hæreticum defendit; secus autem in foro exteriori. Graffis *in decis. aureis, p.*1. *lib.*2. *cap.*9. *n.*9. & 10.

7 Quòd si petas quomodò fiat ista formalis Hæreticorum defensio? Respondeò multis fieri modis. I. Si quis volens aliquem actum hæreticalem facere, ab aliis impeditur, tu verò removes impedientes, vt liberè illam pravam exequatur voluntatem, tanquàm formalis erroris defensor es iudicandus, pariter & condemnandus. Ita Palaus, *tom.*1. *tract.*4. *disput.*3. *punct.*5. *num.* 5. cum Deciano *tract. crimin. lib.*5. *cap.* 51. *nu.* 8. *versic. Ego vero*, & Farinacio *de Hæresi, quæst.*181. *num.* 65. Antonius Sousa *in Aphorismis inquisitorum, lib.*1. *cap.*28. *n.*8. cum Deciano, & Farinacio, quem recenset, *q.*182. §.4. *n.*65.

II. Defendis Hæreticos formaliter propter causam hæresis, si quomodolibet impedis ne capiantur à Iudice, vel ne in Iudicis veniant manus. Azorius *dicta quæst.* 6. Palaus *vbi proximè*, cum Farinacio *quæst.* 182. *citata*, §. 7. *per totum.* Antonius Sousa, *num.*2. cum Eymerico 2. *parte Directorij Inquisitorum*, *quæst.* 52. & Penna ibi *commento* 77. & Sanchez *in Decalogum*, *lib.* 2. *cap.*10. *num.* 1. idem Sousa, *num.* 3. ait: defendens Hæreticum, dum quæritur in causa Fidei, est verè Hæreticorum defensor, defensorúmque pœnas incurrit. Farin. *de Hæresi*, *q.*182. §.4. *n.*68. dixi *d. disp.*12. *num.*2. & 3. Hæc Sousa, Asorius, *d. q.* 6.

III. Formales defensores Hæreticorum sunt, qui eos propter causam hæresis captos, liberant. Castrus Palaus cum Farinacio, *locis citatis*, *vbi proximè.*

IV. Item, qui efficiunt vt in tuto Hæretici vivant eorum defensores sunt. Ita Antonius Sousa *d. num.*2. cum Eymerico, Penna, & Sanchez, *locis, modò ex eo, à me recensitis.*

V. Qui impedit ne condemnetur Hæreticus, vel puniatur propter hæresim, formalis est eius defensor. Sousa cum eisdem, *d. nu.*2. Castrus Palaüs *vbi supra*: & ait alibi, id fieri posse muneribus, vi, dolo, & potentia. Azorius *quæst.*6. *reddita*, ibi: qui quomodolibet impediunt capturam Hæreticorum, condemnationem, animadversionem, supplicium, ac pœnam.

VI. Qui quávis ratione student, & curant ne denuncientur, vel accusentur Hæretici, aut ne eorum errores, praváque dogmata ad Iudices deferantur, formales defensores Hæreticorum sunt. Azorius *vbi proximè.*

VII. Qui etiam studet, & curat, ne Hæretici examinentur, aut interrogentur in causa hæresis, illorum defensor est. Azorius *ibidem.*

VIII. Ille denique defensor est, Hæreticorum formalis, qui quávis ratione Inquisitorum munus, & functionem in causa hæresis impediunt. Azorius *d. q.*6.

Ex dictis colligitur, quod si quis defendat illum, quem Fidei ministri, vt Hæreticum quærunt, sciens innocentem illum esse in foro conscientiæ, defensorem Hæretici non esse, nec pœnas incurrere, secùs autem in foro externo, in quo vt defensor punitur. Et ita docet Antonius Sousa *in Bullam Cœnæ cap.*2. *disp.*12. *nu.* 4. & *in Aphorismis inquisitorum*, *lib.* 1. *cap.*24. *num.* 4. Prima Corollarij pars suadetur: quia inquisitio illa in falsa præsumptione fundatur; & quia cessante prohibitionis causa, cessat ipsa prohibitio. 8

Secundò colligitur illum, qui in iudicio Hæretico patrocinatur, nisi de Inquisitorum auctoritate id fecerit, pœnas Defensorum incurrere, licet probabiliter credat iustam habere causam, si saltem posteà constet causam non fuisse iustam. Sic etiam asserit Sousa *locis modo citatis vtrobique num.*5. qui in vtroque addit loco *num.*6. Quòd si quis defendat, quem credebat esse Hæreticum, & revera Hæreticus non erat, excommunicationem non incurrit; peccat tamen graviter, & vt defensor puniendus, & abiurare cogendus. Vide Iacobum de Graffis *in decis. aureis par.*1. *lib.*4. *c.*18. *num.*39. vbi refert consuetudinem inquisitorum solemne iuramentum exigentium, ab Advocatis, Procuratoribus, & Actuariis, de iusta defensione præstanda, & de abstinendo à defensione, quamprimum cognitum erit illum, qui defenditur Hæreticum esse. 9

Pœnæ contra defensores Hæreticorum statutæ, sunt excommunicatio lata, Pontifici Summo reservata, & aliæ Receptatoribus Hæreticorum inflictæ: de quibus alibi, scilicet 12. *dubio.* Ita Sousa *dicto cap.*24. *num.*9. cum Eymerico 2. *parte Directorij inquisitorum quæst.* 52. vbi Penna *commento* 77. & 3. *part. Directorij*, *quæst.* 122. vbi Penna *commento* 171. & Farinacio *de Hæresi*, *quæst.* 182. §.4. *num.* 58. & 61. addit Sousa, defensores præfatos, abiurare debere pro qualitate defensionis. Idem docet noster Graffis *vbi proximè*, *num.* 38. in hæc prorumpens verba, loquens de Defensoribus illis, qui Hæretici personam defendunt tantùm, ac proinde de defensoribus in 2. acceptione, de qua *numero* 1. huius dubij, videlicet. 10

11 Et tales Hæretici non sunt, postquam errorem non defendunt, argumento *de Summa Trinitate, & Fide Catholica, Damnamus*, sed suspecti de Hæreticorum erroribus sunt vehementer, vel leviter, secundùm defensionem, quàm fecerunt. Nam graviùs deliquit, qui defendit cum armis, quàm qui sine armis; graviùs qui vi adimit Hæreticos de manibus capientium, quàm qui voce monet, vt fugiant, ac sese à custodibus eripere conentur, & sic de cæteris: quæ sunt prudentissimè consideranda, vt gradus suspicionis notari possint, & debitæ pœnitentiæ iniungi, & debent abiurare, iuxta *cap. Accusatus, de Hæreticis lib. 6.* Nam hæc abiurationis pœna omnibus suspectis est communis. Hactenus Iacobus de Graffis, *fol. mihi* 476.

DVBIVM V.

Qui sint Hæreticorum Fautores: quot modis eis Faveant?

BREVIARIVM.

Absolutio.

Ab excommunicatione impendi non potest notoriis Fautoribus, Receptatoribus, Credentibus & Defensoribus Hæreticorum, nisi à Papa, vel in mortis articulo præstita tunc cautione de satisfaciendo, & obediendo Ecclesiæ mandatis, n.67.

Actuarius.

Actuarij, Notarij, aut Scribæ Hæretici censentur si omittant contra Hæreticum procedere, & vt tales in S. Officio tractandi, n.23.25.

Advocatus.

Advocati Hæretici censentur, si omittant contra Hæreticum procedere, & vt tales tractandi in S. Officio, num.23.25.

Advocati consilium, auxilium, vel favorem Hæreticis præstantes, suspenduntur ab Officio, & perpetua inuruntur infamia, num. 44.

Consanguinitas.

Quædam ratione consanguinitatis tolerantur, quæ aliàs non tolerarentur, num,60.

Consanguineo, qui favet Hæretico, præsumitur illud fecisse affectione sanguinis, n.60.

Crimen.

Crimina, quæ quis potest corripere, & non corripit, ipse committit, n. 21.

Si tamen ex officio, aut ex iustitia corripere debeat, num. 34.

Error.

Cui non resistitur, approbatur, n.21.22.

Excommunicatio.

Excommunicationem non incurrit, qui mandat percuti Clericum percussione non sequuta, numer. 7, & 13.

Neque qui consulit, favet, vel mandat, nisi sequuto effectu principaliter prohibito sub excommunicatione, si minus principaliter prohibeatur consilium, favor, vel mandatum, n.8.

Tenentur omnes sub excommunicatione, etiam edicto non præmisso, Hæreticum Episcopo, Inquisitori, vel Confessario indicare, vt ad Inquisitores perveniat illius notitia, n.30.

Familiaris.

Qui omittit capere Hæreticum, aut aliud facere, quod debet, illius Fautor est, num. 16. 20. 23, & 25.

Fautor Hæretici.

Ille est, qui quovis modo ei favorem in causis Fidei præstat, ob hæresis causam, n.1.

Favor impenditur Hæretico ob hæresis causam, omissione, verbo, *vel* facto: *& à duplici personarum differentia:* à Ministris *scilicet iustitiæ in aliqua saltem linea*, à non Ministris, n. 2.

Fautor non est in conscientiæ foro, qui favorem præstat non tanquam Hæretico, sed tanquam propinquo, affini, amico, aut tanquam sibi favorem impendenti, aut tanquam favoris indigenti; sed in foro externo, vt Fautor iudicabitur, & punietur. Quia suspicionem non effugit hæresis, nisi faveat in extrema necessitate constituto, n. 34. 24.

Favor, Receptatio, ac Defensio prohibentur impendi, ne in hæresi foveatur, n. 9. 12.

Etiam pro qualibet temporis morula, n.15.

Qui favet, receptat, vel defendit Hæreticum, consummat delictum Fautoris, Receptatoris, vel Defensoris, quamvis effectus complete non sequatur, n. 13.

Licet non ampliùs sicut intenderat, n.15.

Æquè principaliter prohibetur, Fautoris, Receptatoris, & Defensoris, ac Hæretici scelus, n. 14.

Favent omissione *Hæretico, qui cum ex officio, publica administratione, vel authoritate, qua funguntur teneantur contra eum procedere, ea facere omittunt, ad quæ ex tali officio, administratione, vel authoritate tenentur*, n. 16.17.

Item, qui ex iuramento cum teneantur contra eum procedere, ea facere omittunt, ad quæ ex iuramento tenentur, n.17.

Item, qui eum tenetur capere, & non capit, n.16.19. 20. 21. & 23.

Vel negligenter se habet, n.20.21.

Item, qui tenetur eum ministris indicare, & non indicat, n.16.

Si tamen ex iustitia tenetur, n.34.

Item, qui captum, & sua curæ commissum, diligenter non custodit, n.16.19.

Si ex iustitia tamen tenetur, n.34.

Item Inquisitor torquere, & punire omittens, & qui sibi puniendum commissum non punit, n. 16. 19, & 21.

Aut negligenter se habeat, n.21.

Item Domini temporales, Gubernatores, & Ministri publici locorum, Ecclesiastici, & Seculares, qui ab Episcopi, vel Inquisitoribus requisiti, ad procedendum contra Hæreticum, capiendo, custodiendo, vel puniendo, aut deducendo, si auxilium negent, aut præstare illud negligant, n. 18. 23. 24. & 38.

Si tamen intuitu hæresis, aut causa illi favendi, facere id omittant; seciùs si ex avaritia, amicitia, aut affectu carnali personæ, n.24.

Et verum est, etiamsi sciant esse innocentem, numero 23.

Item Episcopi, & Inquisitores tutos carceres facere omittentes; fidos custodes præficere omittentes, & fideliter in carcere custodiri Hæreticum negligentes, vt ei faveant, n. 19.

Seciùs si ex negligentia aut alia ex causa, numero 19.

Item qui non denunciat Hæreticum, num. 16, 27. & seqq. *secundùm aliquos.*

Alij tamen meliùs dicunt contrarium, quod ad personam privatam, nisi ratione conventionis ex iustitia sit adstrictus: vt quia datur ei certum sti-

pendium, ad denunciandum, inquirendum, capiendum, custodiendum, &c. n. 31. & seqq.

Favent verbo haretico, qui eum scienter, vel eius excessum excusat, n.40.

Qui eum laudat, dicendo esse probam, pium, innocentem, vel iniustè damnatum, n.41.

Qui illum commendat, & pro illo preces fundit ne puniatur, n.42.

Qui consilium ei prastat, vt evadat incolumis è manibus Iudicum, vel Ministrorum, n. 43.

Qui viam fugiendi eum docet, n.43.

Qui eum instruit ad se falsò defendendum, num.43. & 45.

Qui consilium prastat, vt possit errores celare, & condemnationem effugere, n.43.44.

Qui falsis testibus è manu liberat Iudicum, n. 45.

Qui vbi satellites eum capere volunt clamat, quo animum ei faciat, ne se capi permittat, dicendo ei, se paratam opem ferre: vel vt se defendat, num.45.

Qui ei revelat denunciatores, accusatores, testes, & his similia, quorum notitia iustam evadat sententiam, n.46.

Favet operè *Haretico*, & Facto, *qui eum dimittit, aut eruit de carcere, vel è manibus ministrorum, ne puniatur ob haresim*, n.47.

Qui eum celat & occultat in domo, alióve loco, ne capiatur n.48.

Qui ei procurat aliquid per quod liberetur, & id ei administrat, n.49.

Qui eum comitatur, aut visitat, aut cum eo susurrat, n.50.

Qui ei subministrat alimenta, pecuniam, aut quid aliud simile, n.51.54.55.

Qui processum in eum formatum, rumpit, falsificat, vel abscondit, n.52.

Qui corrumpit iudicem, aut alium ministrum, vt Hareticum liberet, n.53.

Qui ei beneficia, dignitates, honoresvè Ecclesiasticos, confert, aut saculares, n.54.

Qui ei instruit, ibid.

Qui eum ducit & reducit aliquo, nisi id prastet tanquam famulus, aut stipendio conductus, ibid.

Qui eum adorat, aut veneratur, n.55.

Qui communionem ab eo recipit, aut associatur, aut visitat, ibid.

Qui Haretico mortuo favet aliquo modo ex recensitis, aut eum sepeliendo, eius verus Fautor est, n.61. & 3. & seqq.

Qui Haretico iam emendato, n.61. 64.

Qui captura, aut supplicio eius lamentatur, n.65.

Qui combusti cineres servat, ibid.

Qui vultu aspicit torvo, Haretici persecutores, ibid.

De haresi sunt suspecti, & vt tales puniuntur in S. Officio, qui non denunciant Hareticum, n.16.

Qui non capit eum, cum teneatur, n.22.

Qui cum sibi commissum, vt puniat, & non punit, aut negligenter se habet, n.22.23.

Qui auxilium petitam ad procedendum contra eum negant, si persona publica sint, n.23.

Fautor non est Haretici dummodò in haresis favorem non redundet, qui aliquid ex omnibus supradictis prastat propter causam miserationis paupertatis, amicitia, aut cognationis, propter timorem vel ignorantiam, & non prout Haretico, num. 55. vsque 60.62,63.

Hæreticus.

Hareticus censeri debet, & vt talis tractari in S.Officio Episcopus Inquisitor, & quilibet pralatus potens impedire in suo territorio pradicationem heresum, aut lectionem librorum heresim continentium, & non impedit, & à dignitate, vel officio est removendus, num.22.

Notarius.

Eadem pana Notariis infliguntur, si in rebus Fidei delinquant, ac Advocatis in eisdem delinquentibus, num. 44.

Obedientia.

Duplex peccatum non committit, quoties quis superiori pracipienti, non obedit, vnum contra virtutem, cuius est materia pracepta, & aliud contra ius superioris, quod ex sui pracepti laditur omissione, num.37.

Occultare.

Alienum occultans delictum, illud suum facit, num.48.

Peccare.

Potiùs mortem, quàm peccare, oppetere debemus, num.56.

Pœna.

Panas Fautores, Receptatores, & Defensores Hareticorum non incurrere, effectu favoris Receptatoris, & Defensionis non sequuto, probabile est, num. 6. *Probabile etiam est oppositum*, nu.10.

Ad panas incurrendas, favor, Receptatio, & Defensio vnica sufficit, n.5.

Pana Fautoribus Hareticorum inflicta, eadem sunt, ac qua Receptatoribus, n.66.

Probatio.

Allegantí se non fecisse aliquid prohibitum, animo favendi Haretico, qua tali, sed ex misericordia, aut amicitia, &c. incumbit onus id probandi, num. 55.

Promissio.

Promissionem obligare ex iustitia, deficiente stipendio, & alio quolibet, illam constituente in ratione contractus onerosi, asserunt multi; non pauci, negant, n.31.

Pugnare.

Contra Ecclesiam, aut Christianos in Hareticorum, aut Turcarum favorem, mortale facinus est, numero 56.

Remigrare.

Contra Ecclesiam, vel Christianos in favorem inimicorum Fidei, mortale peccatum, n.56.

Testis.

Iuridice interrogatus, si ad excusandum Hareticum, neget, aut dissimulet, vel taceat veritatem, aut falsum dicat, ut tanquam Hareticus, vel vti Fautor illius habeatur, n.23.27.28.29. & 36.

§. I.

Difficultas in eo resolvitur.

CONCLVSIO.

FAutores Hæreticorum dicuntur, & sunt, qui 1
eis in causis Fidei, quóvis modo favorem præstant. Ita Antonius Sousa *in Bulla Cœna Domini, cap.2. disp.11. num.1. & in Aphorismis Inquisitorum, lib.1. cap.25. num.1.* cum Eymerico, *2. part. Directory Inquisitorum, quæst.53. & ibi* Penna, *commento* 78. Sanchez *in Decalogum, lib. 2. cap.10. num.11.* & Farinacio *de Heresi, quæst.182. §.1. n.1.* Azorius *part.1. Instit. Moral. lib.8. cap.15. quæst. 7.* Iacobus de Graffis *in decis. aureis, part. 1. lib. 4. cap.18. à num.20.* Castrus

Palaus

Palaus *tom.1. tract.4. disp.3. punct.5. num.6.* Navarrus *tom.2. Concilior. lib. 5. tit. de Sent. excom. consil.23.* Leander, *part.4. tract.3. de Bulla Cœnæ, disp.1. §.3. quæst.* 24. Scotti, *in delectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theorem.410. versic. Excommunicantur etiam.*

2 Tripliciter impendi queit favor Hæretico in causis Fidei, seu quod idem est, ob hæresis causam; *omissione* scilicet *verbo, & facto*, & à duplici quidem personarum differentia: quidam enim sunt, qui iurisdictionem habent, aut ad tribunal saltem aliquo modò mediatè, vel immediatè spectant; alij verò, qui non habent iurisdictionem, nec ad tribunal, tanquam administri, in vlla linea classéve pertinent. Iuxta quas differentias personarum, diversósque modos favendi Hæreticis, diversificantur resolutiones casuum, in hac materia, tam in foro poli, seu interiori conscientiæ, quàm in foro fori, non rarò contingentium.

3 In causis Fidei, seu ob Hæresis causam dixi: quia non procedit dubium quando impenditur Hæretico, non tanquam Hæretico, sed tanquam favorem impendenti, iure propinquitatis, vel amicitiæ fœdere, & vinculo coniuncto. Tunc enim, (saltem in conscientiæ foro) Fautor Hæretici non est; licet in contentioso, & exteriori foro, tanquam verus Hæretici fautor, iudicetur, puniatur. Azorius *d. q.7. in fin.* Sousa *in Aphor. d. cap.25. num.13. 14. & 15.* Quibus in locis ita fatur. Favoré præstans non in causa hæresis formalis, quamvis ipsum impendat in alia, etiam vehementis suspicionis, non est Fautor Hæreticorum. Sanchez *d. cap.10. n.14.* Farinacius *d. §. 1. n.11.* Hæc Sousa *n.13. & n.14.* quæ sequuntur, Qui Hæreticis extra causam hæresis, aut suspicionis contra Fidem favent, verbis credunt, eorum literas hinc-inde deferunt, ducatum præstant, & similia circa illos exercent: licet Fautores non sint, suspicionis tamen hæresis non omninò effugiunt. Azor. *in Summ. tom 1. lib.8. c.15. q.1.* Hactenus *ibi n. tandem* 15. sic ait. Favens Hæretico in extrema necessitate naturali constituto, neque Fautor est, neque de hæresi suspectus. Farin. *n.13. d. §.1.*

4 Eundem doctrinam tenet Navarrus, *vbi suprà* dicens: propriè loquendo, Fautor Hæretici solus est, qui favet Hæretico, vt Hæretico. Graff. *d. c.18. n.23.* in hæc prorumpens. Quòd si faventes Hæreticis, non eo respectu, vt sunt Hæretici, sed vel ob causám miserationis, paupertatis, cognatis, vel amicitiæ, non videntur in foro conscientiæ incurrisse excommunicationem præfatæ Bullæ. Ita post Caietanum consuluit Navarrus, *lib 5. de Hæret. consil.11. & 16. n. 17.* Hæc Graffis. Vide, quæ in simili, de Receptatore dicta sunt *dub. 3. n.3. & seqq.* vide & Ægidium Bassæum *in Summa*, verbo *hæresis, n.* 8. & Dianam *par.4. tract.7. resol.21.* vbi cum Lorca 2, 2. *q.11. art. 4. disp.* 48. *num.6.* Peyrino *in privil. minimor, tom. 2. constit.9. Pauli V. §. 2. num. 7.* & aliis docet, eum, qui Hæretico favet consanguineo non vt Hæretico, sed vt consanguineo excommunicationem Bullæ non incurrere. Quia ad incurrendum fautoriam requiritur intentio formalis favendi Hæretico, qua Hæreticus est, vt colligitur ex *cap. Accusatus, §. Sacerdotes, el 18. de Hæret. lib.6.* ibi: cum non sit dubium eos ipsa facere, in favorem Hæreticæ pravitatis.

5 Libuit hîc advertere, quòd ad hoc vt quis fautor sit Hæretici, & pœnas subeat, contra formales Fautores Hæreticorum statutas, sufficit quòd semel tantùm Hæretico, qua tali seu formaliter in causa Fidei, Favorem impenderit: & idem est de Defensore Hæreticorum dicendum, sicut in simili de Receptatore eorum diximus *dubio 3. num. 2.*

Secundò admoneo, Fautores, Receptatores, & Defensores Hæreticorum, pœnas excommunicationis, aut aliàs contra eos statutas non incurrere, nisi sequuto effectu favoris impensi, receptationis, aut defensionis. Ita Bassæus *tom. 1. verb. Hæresis, num.8. reddito*, cum Navarro *in Manual. cap.27. n.55.* Sylvestro, *verb. Hæresis, I. num.10.* Toleto, *in explicatione Bullæ Cœnæ, §.1.* Sayro, *de Censuris, lib.3. cap.5. num.1. & seqq.* Crousets *ad caput 7. Regulæ S. Francisci, lect.5.* Suarez *de Censuris, disp.21. sect. 2. n. 8.* Filliucio *tract.16. n.30.* Layman *lib.2. tr.1. c.14. n.5.* 6

Pro hac sententia recenset Castrus Palaus, *par.1. tract.4. disp.3. punct.5. n.10.* Thomam Sanchez *in Decalogum, lib.2. cap.10. n.9.* Farinacium *de Hæresi. q.182. n.102.* & Bonacinam *de Censur. disp.2. q.5. punct.3. n. 2.* quem etiam citat Diana, *part.4. tract.7. resol.21. versic. Sed in fine, in tom.3. de Censuris in particulari, in Bullam Cœnæ Domini, disp.1. q. 2. punct.3. num.3.* Ioannes de la Val *in eiusdem Bonacinæ Compendio, verbo Hæreticorum Fautores.*

In hac igitur sententia, qui domi recepit Hæreticum, vt illum à Ministris Inquisitionis liberaret: & qui Hæretico pecuniam, vt fugeret, ne à dictis Ministris caperetur, dedit: qui etiam in iudicio interrogatus veritatem negavit, ne condemnaretur Hæreticus, non incurrit pœnas, si captus tandem, aut condemnatus fuerit huiusmodi Hæreticus.

Hæc sententia probatur *primò.* Quia mandans percuti Clericum, non incurrit excommunicationem, nisi sequuta percussione: ergo occultans Hæreticum, vt eum liberet à Ministris Fidei, & de facto non liberat, quia Ministris capitur, excommunicationem, & aliàs pœnas non incurrit. 7

Secundò. Quia quando aliquis effectus sub excommunicatione prohibetur, & minùs principaliter prohibetur mandatum, consilium, vel favor, non incurritur excommunicatio ab eo, qui mandavit, consuluit, vel favit, nisi sequuto effectu: ergo similiter in nostro casu. Vide Navarrum *tom. 2. consil. lib.5. tit. de sent. Excomm. consil.18. num.3. consil.19. n.1. & 2. cons.20. n.3. cons.30. n.1.* & Thom. Delbene *de Immun. tom.2. cap 29. dub.27. n.5.* 8

Tertiò. Quia favor Hæreticis prohibetur, ne in Hæresi foveantur. Sed qui non obtinuit favoris effectum, non fovet Hæretico in hæresi, etiamsi fovere intenderit: ergo puniri non debet, vt Hæretici Fautor. 9

Non reticeam tamen graves etiam Doctores oppositam tenere sententiam. De quorum numero sunt Iacobus de Graffis *in suis decisionib. aureis, par.1. lib. 4. cap. 18. in explicatione Bullæ Cœnæ, n.34.* Castrus Palaus *tom.1. tr.4. disp.3. punct.5. n.11.* cum Suarez *de Fide, disp.24. sect. 1. n.14.* & Gregorio Sayro *de Cens. lib.3. cap. 5. num.4.* Antoninus Diana *part.4. tract.7. resol.21. versic. His non obstantibus*, cum eisdem, & Megala *in 3. part. lib.3. c.1. q.2. n.28.* ac Duardo *in Bullam Cœnæ, lib.2. canon.1. q.31. n.1.* 10

Hanc sententiam probat Diana. *Primò*, ex hac 11

ratione:

ratione: quia opinio contraria applicata casibus particularibus videtur incredibilis, & contra praxim, vt observat (inquit) Suarez. Nam qui non denunciat Hæreticum, cum tenetur, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, etiamsi alter denunciet: & consequenter prior effectum non consequitur: & idem est de illo dicendum, qui per testimonium suum falsum liberare Hæreticum procuravit; non tamen id fecit, & suum effectum non est consequutus, quia per alios fuit testes convictus Hæreticus: ergo similiter immunis neutiquam erit, qui effectu non sequuto, Fautor, Receptator, aut Defensor Hæretici fuerit.

12 *Secundò* probat cum Palao, sic. Favor Hæretico prohibetur, non vt hæresis non committatur, sed ne hæresis commissa, firmitatem habeat, & perseverantiam. Sed hic effectus semper obtinetur, quoties favor Hæretico, vt Hæretico præstatur, & non vt proximo, affini, amico, aut indigenti, saltem pro illo tempore quo favor exhibetur, etiamsi posteà auxilium per alium impediatur: ergo etiamsi effectum non consequantur Fautores, Receptatores, & Defensores Hæreticorum pœnas non evadent contra Fautores, Receptatores, & Defensores statutas, si de facto faveant, receptant, aut defendant.

13 Ad argumenta in contrarium respondetur. Et ad *primum*, illud procedere quando mandatum ordinatur ad eiusdem delicti executionem, vt in casu in illius antecedente posito, de Clerici percussione, & in similibus aliis; secùs verò contingit in casu præsenti, quia favor, receptatio, aut defensio Hæretici, per se non ordinatur ad hoc vt Hæreticus hæresim committat: imò illam commissam supponit; sed potiùs ad tuitionem hominis ordinatur Hæretici. Et ideò hoc tuitionis delictum, in suo genere, id est in favore, receptatione, aut in defensione est consummatum, quamvis effectus non sequatur. Vnde ad argumentum concesso antecedente, negatur consequentia ob disparitatem redditam.

14 Ad *secundùm* admisso etiam antecedente, negatur consequentia. Quia in Iuribus recensitis æquè principaliter prohibentur sub excommunicatione, & aliis pœnis, Receptatorum, Defensorum, & Fautorum Hæreticorum crimina, ac ipsum Hæreticorum scelus.

15 Ad *tertium* respondetur, quòd pro illo tempore, aut morula, qualiscumque illa sit, in qua favor Hæretico impenditur, aut receptatur, vel defenditur ille, hæresis commissa firmitatem, seu perseverantiam habet. Qui quidem effectus pro tunc planè consequitur, quamvis posteà impediatur, ne longiori tempore, aut ad semper perseveret. Quare cum Ecclesia quamlibet hæresis perseverentiam tollere, destruere intendat, qualibet à Receptatore, Defensore, aut Fautore hæresis firmitate, vel perseverantia causata, pœna contra illam causantem statuta, dubio procul incurrentur. Vnde ad minorem respondetur, Fautorem obtinere favoris effectum, licet non tam amplum sicut intenderat.

§. II.

Expenduntur modi favendi Hæreticis, & personarum faventium differentia.

SEd redeundo ad modos favendi Hæreticis, & ad differentias personarum illis faventium, expendere illos libuit.

DIVISIO I.

De omissione I. *favendi modo.*

O*Missione* favent Hæretico, qui cum ex officio, publica administratione, & auctoritate qua funguntur, teneantur contra Hæreticos procedere, ea facere omittunt, ad quæ ex tali officio, administratione, & auctoritate tenentur. 16
Ita Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 7. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 21. *versic. Verùm hæc opinio.* vbi ita fatur. Vnde supradictæ personæ non denunciantes Hæreticos, sunt de hæresi suspectæ, & tanquam Hæreticorum Fautores puniendæ. Et ita docet Sousa *in Bull. Cœnæ, c.* 2. *disp.* 11. *n.* 6. *& seq.* Megala *in* 3. *par. lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 2. *n.* 31. Suarez *de Fide, disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 6. Sanchez *in Summa tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 15. & alij penes ipsos. Vide etiam Sesse, *tom.* 4. *decis.* 474. *n.* 17. Hactenus Diana, Castrus Palaus *par.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 5. *n.* 6. sic inquit. Omissione faves Hæreticis, si eos, cum teneris capere, aut Iudicibus indicare, non indicas, neque capis: si captos, & tuæ curæ commissos non custodias diligenter: si tibi commissos puniendos non punias. Et infrà. Ex quo fit, si Inquisitores, & Episcopi, in favorem hæresis omittant delinquentem capere, torquere, punire, & in carcere custodire fideliter, Fautores esse Hæreticorum. Idem est de Cruce signatis, si omittant capere Hæreticos: quia omnes ij ex officio obligantur. Sic Sanchez, Suarez, & Farin. suprà. Hæc omnia Palaus.

Antonius Sousa *in Aphorismis Inquisitorum*, *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 2. *cum* 3. *seqq.* quæ sequuntur docet. Omissione favent, qui cum ex officio, aut iuramento teneantur contra Hæreticos procedere, ea facere omittunt ad quæ ex tali officio, vel iuramento tenebantur. Eymericus, Peña, & Sanchez *locis citatis* Farinac. *de Hæresi, q.* 197. §. 2. *nu.* 38. *&* 47. 17

Domini temporales, & Gubernatores Civitatum, ac locorum, ministri etiam publici, Ecclesiastici, vel Sæculares, qui ab Episcopis, aut Inquisitoribus requisiti, ad procedendum contra Hæreticos si auxilium negant, aut illud præstare negligunt, Fautores Hæreticorum sunt Eymericus, Penna, & Farinacius, §. 2. *dixi num.* 7. *citato loco.* 18

Prælati, vel Inquisitores qui tutos carceres facere omittunt, & fides custodes eis præficere, capere, torquere, aut punire Hæreticos, vel fideliter in carcere custodire negligunt, vt Hæreticis ipsis faveant, verè Fautores iudicantur; secus verò, si ex negligentia, aut alia ex causa ea faciant. Sanchez *n.* 12. Farinacius, §. 2. *n.* 27. Dixi *num.* 8. 19

Ministri Sancti Officij *Familiare dicti*, seu 20

Cruce

Cruce signati, si Hæreticos capete omittant, aut in illis capiendis negligenter se habeant, Fautores Hæreticorum sunt. Sanchez, *cap.* 10. *num.* 3. Dixi *num.* 9. *dicta disput.* 11. Hucusque Sousa.

21 Noster Iacobus de Graffis, 1. *part. decision. aurearum*, *libro* 4. *cap.* 18. *num.* 20. *& seqq.* latè de Fautoribus per *omissionem*. Sic enim ait: Qui habent Iurisdictionem, dicuntur Fautores, si negligant, vel omittant, capere, vel punire Hæreticos, *cap. Negligere*, 2. *quæst.* 7. *cap. Qui potest*, 23. *quæst.* 3. Vnde 1. *Regum* dicitur, quod Rex Saül damnatus fuit, & Regno privatus, quia contra præceptum Domini pepetit Agag Regi Amalec. Facit *Authent. Cod. de Hæret. Si verò*. Facit etiam text. *in cap. Præterea*, 23. q. 8. vbi crimina, quæ quis potest corripere, & non corripit, ipse committit: & error, qui non resistitut, approbatur *cap. Error*, *dist.* 83. Glossa *in Clem.* 1. *de Pœnis*, hos vocat Fautores.

22 Hinc si Episcopus, vel aliarum Ecclesiarum Prælatus, seu alius Fidei Iudex potens impedire, vel prohibere lectionem librorum, aut prædicationem dogmatum Hæreticalium in sua Diœcesi, aut negligens punire Hæreticos, cum posset eos capere, & punire & hoc non facit, Hæreticus iudicari potest in foro exteriori, & vt talis tractari in sacro Inquisitionis Tribunali. Et ratio est, quia cum possit contradicendo actum impedire, & tacet, & dissimulat, videtur consentire. Ita Bartolus *in l. Qua dotis*, *ff. soluto matrimonio*. Igitur talis, qui negligit Diœcesim ab hæresibus purgare, non solùm severe puniendus est, si est Episcopus, sed etiam ab Episcopali dignitate removendus *cap. Excommunicamus el* 1. §. *Volumus*, *extra de Hæreticis*.

23 In hoc etiam numero sunt Inquisitores, Ministri Inquisitionis negligentes, & omittentes capere ac punire, & torquere Hæreticos. Item Ministri iustitiæ Sæcularis qui negligant brachium Sæculare pro Hæreticis, vel de hæresi suspectis capiendis, ac puniendis, cum ab Episcopis, vel Inquisitoribus, aut altero eorum requiruntur: vt potè si eos non capiant, vel captos diligenter non custodiant, vel infrà districtum suum, ad locum de quo eis mandabitur, non deducant, aut executionem promptam de eis non faciant, & similia, vt patet, de Hæreticis *lib. 6. Vt Inquisitionis, in princ.* quamvis reum, quem Inquisitores iuridicè sibi tradunt comburendum, scirent esse innocentem. Nam si proposita ab ipsis D. Inquisitori innocentia, nihilominùs præcipitur sententiam exequi, executioni mandare tenentur, vt meri Iustitiæ executores. Ita communis... Item Advocati, & Actuarij omittentes procedere contra Hæreticos. Hæc omnia Graffius, qui addit. Item testes iuridice examinati, & interrogati, si negant, aut dissimulant, vel tacent veritatem, sive dicant falsum ad excusandum Hæreticum scienter.

24 Leander à Sanctissimo Sacramento, *parte* 4. *tract.* 3. *de Bulla Cœnæ*, §. 3. *quæst.* 25. idem docet respectu Iudicum, Magistratuum, & aliarum publicarum personarum, qui requisiti ab Episcopis, vel Inquisitoribus negligunt Hæreticos capere, vel captos diligenter custodire, quoad incursionem censuræ Bullæ præfatæ & etiam excommunicationis Iuris latæ *in cap. Excommunicamus el* 1. *de Hæret. cap. Noverit, de sent. Excomm. cap. Ad abolendam, & cap. Qui alios, de Hæret.* Dummodò id facere omittant intuitu ipsius hæresis, aut causa illi favendi: quia tunc verè dicuntur, & sunt Fautores Hæreticorum. Secus verò est (inquit) dicendum, si dicta facere omittant ex negligentia, avaritia, amicitia, vel amore, aut affectu quodam carnali ipsius personæ.

In quibus itaque casibus, ait Pater Leander non sunt veri Hæreticorum Fautores, nec incurrunt excommunicationem Bullæ, nec Iuris. Et ita docet cum Eymerico, Peña, Archidiano, Paludano, Antonino, Sylvestro, Tabiena, Sayro, Toleto, Azorio, & Vgolino, citatis, & sequutis à Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 11. cum Vivaldo *in Expositione Bullæ Cœnæ*, *n.* 4. & penes eum Perez. Castrus, Sotus, cum Navarro *in Manuali*, *cap.* 27. *num.* 55. *& seqq.* Alterio *lib.* 5. *disp.* 2. *cap* 5. Fagundez *in præcepta Decalogi*, *c.* 13, *n.* 2. *&* 8. Sanctarello *de Hæresi*, *cap.* 11. *dub.* 1. *num.* 17. Bauny, *in Bullam*, *quæst.* 1. Villalobos *tract.* 17. *difficult.* 20. *num.* 7. cum Ægidio Trullench. *lib.* 1. *in Decalogum*, *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 6. Filliucio *tract.* 16. *cap.* 2. *quæst.* 6. & cum communi Doctorum.

Idem omninò docet Leander præfatus, *qu.* 26. 25
cum Saytb *de Censur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 7. Sanchez, Sanctarello, Fagundez, Trullench, & Filliucio, *loc. cit.* respectu Inquisitorum, Prælatorum, Ministrorum S. Officij, vulgò *Familiares*, Advocatorum, Notariorum, Apparitorum, & similium, si omittant, quæ quilibet contra Hæreticos præstare tenetur. Quia ad ea ex officio tenentur.

Ad personas, publica fungentes auctoritate, 26
spectare, & pertinere testes, non pauci insinuant Doctores, cum inter illas adnumerent, Graffius, *suprà num.* 97. *in fine*; alij autem ad privatas personas testes adscribunt. Sousa mox recensendus. Vide Calderinum *in tractatu de Hæreticis*, *cap.* 5. *num.* 2. vbi absolutè docet interrogatum ab Inquisitoribus præmisso iuramento, aut illo non præmisso, Hæreticos indicare teneri ex debito, vti mox videbimus, vnde priori sententiæ adhærere videtur.

De privatis personis, est difficultas, *An sint* 27
Hæreticorum Fautores ex omissione, si non denuncient, capiant, aut custodiant illos? &c. In ea communem, contra communem, invenio pugnantem sententiam in casu, quo solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij teneatur privata persona Hæreticum capere, custodire, aut denunciare, &c. Alij enim Doctores asserunt, quòd si adsit speciale mandatum Inquisitoris, inducet obligationem iustitiæ in subdito, ac si illam ex Officio ide subditus haberet. Obligatio itaque aiunt, oriri potest vel ex Officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato. Et tunc Fautor Hæretici dicendus erit, qui favorem debitum Inquisitioni præstare omiserit requisitus. Quia peccat (inquiunt) contra iustitiam: cùm peccet contra ius debitum Superiori præcipienti. Vnde inferunt, quòd si quis interrogatus à Fidei Iudicibus, veritatem celet, vel requisitus capere Hæreticum, id omittat, vel imperatus Hæreticum manifestare, denunciare omittat, Hæretici Fautor sit,

Hanc sententiam tenent Leander, *parte* 4. 28
tract. 3. §. 3. *quæst.* 30. cum Peña *in* 2. *parte Directorij Inquisitorum*, *libro* 2. *ad notat*, 59. §. *Et isti non dicuntur*, & penes eum Turrecremata, Repertorium Inquisitorum, Simanca, & Brunus: cum Sanchez *in Decalogum. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 15. Fagundez *eodem tract. cap.* 13. *num.* 11. Trullench *in simili tract. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 9. §. 3.

num. 8. cum Alterio *libro* 5. *disput.* 2. *cap.* 5. & Palao *parte* 1. *tract.* 4. *disputat.* 3. *punct.* 5. *num.* 7. Sed iste Doctor, ni fallor, contrariam ibi tenet sententiam, sicut & ipse Leander *quæst.* 18. *præcedenti*, vti mox videbimus. Antonius Sousa *in Aphorismis*, *dicto cap.* 25. *à num.* 6. dicens. Personæ privatæ, si à Ministris requirantur ad procedendum, & favorem præstandum contra Hæreticos, & cum possint, auxilium præstare omittunt, Fautores Hæreticorum sunt. Secus verò, si non requirantur, aut si iustam excusationem habeant. Qui testimonium contra Hæreticos ferre nolunt, aut veritatem negant, celant, vel diminutè manifestant, cum ad veritatem dicendum sub iuramento ab Inquisitoribus astringuntur, Fautores etiam dicuntur. Omittentes denunciare Hæreticos post edictum ab Inquisitoribus publicatum, similiter sunt Hæreticorum Fautores. Hæc omnia Sousa.

29 In eadem fuit sententia Ioannes Calderinus, celebris Iurisconsultus *in tract. de Hæreticis, c.* 5. *num.* 2. vbi sic prorumpit. In indicando verò videtur hoc dicendum in eo, qui tenetur Hæreticum indicare: quia ille, qui iuravit indicare Hæreticum ad petitionem fortè Inquisitoris, qui quotidie exigit à multis hoc Sacramentum, per *cap. Excommunicamus* 1. §. *Adiicimus*, *de Hæreticis*, si scienter Hæreticum non indicat ipsum, imò celat, per hoc potest censeri Fautor, cum ad hoc ex debito teneatur, 11. *quæst.* 3. *Quisquis*. Ad hoc facit 12. *qu.* 5. *Qui audit*, & *cap. Hoc videtur*.

30 Sed quid, si iis, qui non iuravit indicare interrogetur ab Inquisitore de Hæreticis, & scienter eos celat, & recusat ipsos indicare, numquid ex hoc censebitur Fautor eorum? Dic, quod sic. Quia iam illud est dictum, quod omnis, qui tenetur indicare ex debito, non indicando, celando scienter, incidit in suspicionem Fautoris. Et illud constat apertè, quòd quilibet Christianus, etiam sine iuramento tenetur ex debito indicare Hæreticum, cum teneatur indicare in minoribus delinquentem: vt Argument. *ff. de Iure Fisci*, *l. Ex quibusdam*, §. *Divus*, *de Officio Præsidis*, *leg. Congruit*. Ad quod *ff. de Conditione ob turpem causam*, *leg.* 4. §. *Placet*, & quod notavit veniat extra *de Furtis*, *Qui cum furem*, *in dicto cap. Qui audit*, *cum sequenti*, 22. *q.* 5. & habetur expressè in quadam Constitutione Innocentij Papæ, quàm edidit, & incipit. *Noverit vniversitas*, §. *Item si quis Hæreticos*. Vbi Papa præcipit omnibus indistinctè, quod sub excommunicationis pœna debeant, quos sciverint Hæreticos, Inquisitori, vel Episcopo, vel saltem suo Confessori indicare, sic quod possit ad Inquisitoris notitiam pervenire. Et restat, quod omnes scientes non indicantes ipsos, censentur ex obstinatione, & negligentia esse Fautores: cùm omnis ex debito teneatur per Iura prædicta. Et maximè vbi constituti coram Inquisitore, & iurati dicere veritatem, eam supprimunt celando scienter Hæreticum, & committendo sic falsum, *vt extra*, *de Falsis cap.* 1. Hucusque Ioannes Calderinus.

31 Alij, è contra gravissimi Doctores docent privatas personas, eos scilicet, qui Iurisdictionem non habent, aut Officium, ratione cuius teneantur favere sanctæ Inquisitionis Ministris denunciando, capiendove Hæreticum, &c. non esse Fautores Hæretici, ea omittendo facere, neque incurrere pœnas contra Fautores statutas Hæreticorum, nisi essent adstricti, iure conventionis, vt quia datur eis certum stipendium ad inquirendum Hæreticos, & denunciandum: quia tunc certum est, quod ex iustitia tenerentur ratione contractus, vt benè limitat Iacobus de Graffis *in decisionibus aureis lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 24. Non igitur sufficit in ista sententia, ad hoc, vt quis Fautor censeatur Hæretici, vt illum non denunciet, capiat, aut custodiet, &c. Etiam si ex præcepto ad denunciandum teneatur, &c. Et etiamsi denunciare promiserit, non tamen ex conventione, ob certum stipendium. Isto enim deficiente, & quolibet alio constituente promissionem in ratione contractus onerosi, promissio non obligat ex iustitia, vti Doctissimus noster Ioannes Caramuel docet *in sua Theologia Morali*, *libro* 2. *de lege Morali*, *seu Virtuali*, *disput.* 9. *num.* 588. *& seqq.* cum Caïetano 2. 2. *quæst.* 113. *art.* 1. *dub.* 4. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 6. Ledesma *in Summa tomo* 1. *tract.* 10. *cap.* 3. Fernandez *in excommun. Theolog. part.* 1. *cap.* 15. §. 8. *num.* 11. quorum sententiam probabilem iudicant Lessius *de Iustitia*, *lib.* 2. *c.* 18. *dubitat.* 8. *num.* 54. vbi pro ea recenset præter Henriquez, Franciscum Garciam *de Contractibus*, 1. *part. cap.* 3. Fumum, *verbo Perfidia*, & alios Hermanus Busembaum *in Medulla Theologia*, *lib.* 3. *tract.* 5. *dub.* 2. *capitis tertij*, quatenus ait, alios fortè probabiliùs affirmare. Et Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resol.* 9. non solùm probabilem ait, vt refert Caramuel, sed potiùs illam sequitur, & non contrariam. Vtramque enim refert opinionem Diana; & secundo loco, Caramuëlis propriam, & absque aliqua quidem nota, quod contrariam sequatur, asserentem promissionem, si materia notabilis sit sub mortali obligare, si serio fuerit facta, animo promittendi, & acceptata: & ex iustitia quidem, vel ex virtute valdè affini iustitiæ: quàm tenent Bassæus, *verbo Promissio*, *num.* 9. Sanchez *tom.* 1. *de Matrimonio*, *lib.* 1. *disput.* 5. *dub.* 3. *num.* 20. *pag. mihi* 11. Vasquez *tomo* 1. *in* 1. *part. D. Thomæ*, *quæst.* 21. *disput.* 85. *cap.* 6. *num.* 42. *versic. Verum enim vero* Lessius *vbi suprà*, *num.* 55. cum Navarro *in Manuali*, *cap.* 18. *num.* 6. Soto *lib.* 7. *quæst.* 2. *artic.* 1. *ad* 1. Ricardo *in* 4. *disput.* 38. *circa tertium principale*, *quæst.* 3. D. Antonino *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 1. §. 4. & videtur (ait) communis Canonistarum esse. Sed omissa, pro nunc discussione, circa probationes istarum opinionum ex principiis extrinsecis, ne digressio ista protrahatur, & prolongetur, redeamus ad rem.

Privatas igitur personas non favere Hæreticis ex sola omissione, tenet Leander *quæstione* 20. *citata*, vbi sic inquirit, & solvit. An privatæ personæ dicantur etiam Fautores Hæreticorum, ex omissione: si Hæreticos v.g. non capiant, aut non custodiant, &c. Respondeo non dici Fautores Hæreticorum, ac proinde non incurrere excommunicationem Fautorum Hæreticorum, communiter loquendo: etiamsi requisiti id non faciant. Ratio est, quia non tenent ex Officio, *l. Non est singularis*, *ff. de Regulis Iuris*, *cap. Si de area*, 26. *quæst.* 2. sicut tenent Magistrati, & aliæ personæ publicæ. Sic communiter Doctores, Eymericus, Peña, Sayro, 32

Toledo,

Toledo, Azor, Vgolinus, quos citant, & sequuntur Sanchez *cap.* 10. *citat. n.* 15. Palao. *loco citat. numero* 7. Fagundez *cap.* 13. *citat. num.* 7. Trullench, *num.* 8. Alterius *lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 5. & alij.

33 Eymericus *in Directorio Inquisitorum* 2. *parte quæst.* 53. *num.* 3. prout redditur ab eodem Leandro *quæst.* 30. ita fatur. Quidam autem sunt, qui publica non funguntur auctoritate, sed sunt personæ privatæ, & istæ non dicuntur favere, nec fautores esse, ex sola omissione. Vnde si Hæreticos non capiant, non dicantur favere, nec fautores esse: vel non custodiant, & similia etiamsi requisiti non faciant: quia non tenentur ad hoc, vel non tenebantur. Ita ille: Quem sequitur Farinacius *quæst.* 182. §. 2. *num.* 36. sic recenset Leander.

34 Castrus Palaus *vbi suprà* nonnullas proponit, & innodat difficultates. *Prima est*, an privatæ personæ ex omissione dicantur favere Hæretico: v. g. si omittis capere Hæreticum, vel Iudicibus indicare, cum facilè possis, si iam captum, & tibi commissum non custodis.

In qua re communis omnium sententia est te non esse fautorem Hæretici nisi adversus iustitiam, & obligationem officij pecces: sic Simances *titul.* 15. *num.* 13. Peña *Direct. quæst.* 53. *commento* 78. *versic. Ego?* Sanchez *libro* 2. *cap.* 10. *numero* 15. Suarez *disputatione* 24. *sectione* 1. *num.* 6. Farinacius innumeros referens, *de Hæresi, quæst.* 182. *num.* 27. Ratio est, quia cessante obligatione iustitiæ, tibi imputari non potest Hæreticum non corrigi, cum tua non intersit illum corrigere.

35 At si ex iustitia obligatus sis Hæreticum capere, vel denunciare; quæ obligatio oriri potest, vel ex officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato; tunc fautor Hæretici dicendus es, si fautorem debitum præstare omittis. Sic Doctores relati. Hactenus Palaus: qui aliquibus interiectis circa Episcopos, Inquisitores, & inquisitionis Familiares, ratione officiorum suorum, sic circa omnes prosequitur particulares, quoad obligationem in eis natam, ex speciali Inquisitionis mandato.

36 Ex Speciali autem mandato tenentur omnes præstare auxilium contra Hæreticum, quoties requisiti fuerint. Si autem omittant, peccant contra iustitiam; quia peccant contra ius debitum Superiori præcipienti: quòd videtur sufficiens, vt fautores Hæreticorum dicantur. Ex quo fit, si interrogatus à Iudicibus Fidei celes veritatem, vel requisitus capere Hæreticum, id omittas, vel imperatus manifestare Hæreticum, omittas denunciare; quia omittis facere ea, quæ ex speciali præcepto tui Superioris facere debebas. Sic Sanchez, & Pegna *suprà*. Hucusque præfatus doctor, qui nihil omninò amplius ait propriori sententia, & pro illationis complemento. Istam vtique imperfectam relinquendo, immediatè ad secundam sententiam; quàm dubio procul amplectitur, fulciendam, transit, & dicit.

37 Quamvis non desunt Doctores, qui te à fautoria hæresi liberent, quando solum ex speciali præcepto, & non ratione officij teneris favorem præstare, eo quod non videaris adversus iustitiá, sed solum adversus fidem, peccare in omittendo tali favore: alias quoties subditi Superiori præcipienti, non obedirent, duplex peccatum committerent, alterum scilicet adversus virtutem illam cuius est materia præcepta v. g. temperantiæ, vel religionis, si Missa, vel ieiunium imperetur; alterum adversus ius Superioris, quòd ex omissione sui præcepti læditur. Et ita non esse fautores Hæreticorum singulares personas, quibus ex officio non incumbit Fidei favere, & hæresim extirpare, docet Eymericus 2. *part. q.* 53. *n.* 3. Farin. *q.* 182. §. 2. *n.* 36.

38 Hæc ad amussim Palaus, in quibus manifestè suam propalat mentem, in ista secunda esse sententia: illam tenet Azotius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 7. vbi ita ait: Respondeo Fautores dici dupliciter, omissione, aut commissione. Omissione quidem eos, qui cum publica administratione funguntur, & publica auctoritate valeant, id contra Hæreticos facere negligunt, quod iure debetent: qui nimirum Hæreticos lata sententia ab Ecclesia damnatos non exterminant, expellunt, eiiciunt, puniunt, vt debent: vnde privati homines si eos expellendos, aut puniendos non curent, Fautores Hæreticorum non censentur. Hactenus Azor. Scortia *Theorem.* 410. *versic. Excommunicantur etiam.*

39 Graffis *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 94. etiam docet iurisdictionem non habentes, peccare mortaliter, si omittant, denunciare, capere, aut punire Hæreticos, sed non incidere in Bullam, quia ad eos non pertinet, sed ad eos, qui iurisdictionem habent, *leg. Non est singulis, ff. de Regulis Iur. cap. Area* 26. *q.* 2. excipit nisi essent adstricti iure conventionis, vt quia eis datur certum stipendium ad inquirendum Hæreticos, & cætera.

DIVISIO II.

De Verbo secundo favendi modo.

40 Secundus modus favendi Hæreticis est *Verbo.* Qui multipliciter exercetur. I. Cum quis scienter excusat Hæreticos, vel excessum eorum *Can. Scelus el final,* 2. *quæst.* 1. ibi: *in tali facto cum habuisse tutores, atque Fautores, can. Ita corporis tui el* 86. *causa* 11. *qu.* 3. Ioan. Calder. *tract. de Hæreticis, cap.* 5. *num.* 4. Leander *part.* 4 *tract.* 3. *disput.* 1. §. 3. *quæst.* 32. Azotius *part.* 1 *lib.* 8. *c.* 15. *quæst.* 7. Vgolinus infrà recensendus, ibi: *vel eos, falsis rationibus, &c.* Sousa *in Aphor. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 9.

41 II. *Verbo* Hæretico favor impenditur, quando laudatur. Vt dicendo eos esse viros probos, pios, innocentes, aut iniustè damnatos. Castrus Palaus *part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 7. *n.* 6. Leander, & Azotius *locis modo recensitis* Sousa *dist. n.* 9. & 32. Scortia *Theorem.* 410. *versic. Excommunicantur etiam.*

42 III. Favet quis Hæretico *Verbo,* Quando illum commendat, & pro illo preces, ne puniatur fundit. Azorius, Leander, & Calderinus, *vbi suprà* Vgolinus *de Censuris Papæ reservatis parte* 2. *cap.* 1. *vers. Fautores, numero* 11. *in fine,* Argument. *cap.* 1. §. *Illud* 14. *quæst.* 6. Sousa *num.* 9.

43 IV. Si Hæretico consilium præstas, vt evadat incolumis è manu Iudicis, aut Ministrotum, Fautor illius es *Verbo:* & si ei viam fugiendi doceas, *Verbo* ei faves. Calderinus, Leander, & Palaus, *locis redditis,* & Iacobus de Graffis,

n. 27. vbi ita fatur. Dicitur etiam quis fautor, quãdo quis verbo fauet Hæretico: vt qui modum, & viam docet fugiendi de manibus ministri, vel è carcere: aut quando instruit Hæreticum ad se falso defendendum. Quare attẽtus sit Sacerdos, ne talibus absolutionem det, nisi damnationem incurrere non metuat. Hæc ille, & Palaus sic. Commissione faues *Verbis*... Si concilium præbeas, vt possit errores celare, & condemnationem effugere. Quod apertè decernitur ab Alexandro Papa quarto *in cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes*, *el* 8. *de hæreticis lib.* 6. Ibi enim ita ait. Sacerdotes insuper, & alij clerici, qui negotium inquisitionis instruendo citatos Hæreticos, vel eorum Credentes de celanda Veritate, vel dicenda falsitate, seu eos indebitè liberando inuenti fuerint impedire: (cum non sit dubium eos ipsa facere in fauorem hæreticæ prauitatis) per inquisitores à talibus compesci possunt, & pœna debita castigari. Hactenus Alexander. Vide etiam Sousam, *loco citato*, & Vgolinum *infrà* Scortiam *Vbi suprà*.

44 Innocentius etiam Papa Tertius, *in cap. si aduersus nos*, & *t. t. de hæreticis.* Sic de aduocatis, & notariis decernit. Quia plus timere solet, quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter imperatur: Vobis aduocatis, & scriniariis firmiter inhibemus, ne Hæreticis, Credentibus, Fautoribus, vel Defensoribus eorundem, in aliquo præstetis auxilium, concilium, vel fauorem, nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus sub eorum examine, vestrum patrocinium præbeatis, & pro ipsis publica instrumenta, vel scripta facere nullatenus attentetis. Quòd si contra præsumpseritis, ab officio vestro, suspensos perpetuæ vos decernimus infamiæ subiacere.

45 V. Bartholomæus Vgolinus vbi proximè, in hæc prorumpit. *Verbis* quoque fauet, qui Hæreticum instruit de celanda veritate, vel falsitate dicenda, vel qui eos falsis rationibus, falsisvè testibus è Iudicum manu liberat, vt probatur *in cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes*, & ibi notat Geminianus, *de Hæreticis lib.* 6. atque sic sentit Rebuffus, *eod. versic. Fautores*: ibi item Fautores sunt. His igitur, & aliis huiusmodi modis fauere Hæretico verbis quis dicitur: quare, & qui vbi Satellites Hæreticum capere volunt, clamat, quo animum Hæretico faciat, ne se capi permittat, dicendo ei se paratum opem ferre, & pro viribus, vt se defendat, esto aliud hic non agat, tamen hæreticorum fautor hic dicetur, vbi ob hæresim id facit. Hucusque Vgolinus, in cuius vltima periodo, quintum modum fauendi Hæreticis *Verbo*, ostensum reperio: sicut in prima, primum, & quartum confirmat.

46 VI. Sextus modus præstandi Hæreticis fauorem *verbo*, est quando eisdem reuelantur accusatores, denunciatores, testes & alia his similia, quorum notitia, iustam euadant sententiam. Istum assignat Pater Leander modum, *in dicta quæst.* 32. *versic. Respondeo.*

DIVISIO III.

De Facto, *tertio Fauendi modo.*

47 TErtius fauendi Hæreticis modus est, *Facto.* Qui quidem, sicut & duo alij iam expensi, multiplex est. I. Quando quis dimittit, aut eruit è carcere, vel è manibus ministrorum iustitiæ Hæreticum, ne ob hæresim puniatur. Sic Bartholomæus Vgolinus. *de censuris Pontifici reseruatis*, *part.* 2. *cap.* 1. *verbo Fautores*, *num.* 12. *ex cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes el* 8. *de Hæreticis*, *lib.* 6. ibi: *seu indebitè eos liberando*, & *ex capite Inquisitionis* §. *prohibemus*, *el* 18. *eod. tit.* & *libro*, ibi: *vel mandato à carcere liberent*, cum Carrera *in tract. de Hæreticis num.* 19. de eo, qui Hæreticum liberauit, feceritve, ne in manus Iudicum perueniret. Leander *dicta quæst.* 32. *versic. Rursus.* Nauarrus. *tom.* 2. *Consiliorum*, *lib.* 5. *tit. de Hæreticis*, *consil.* 14. incipit. *Quidam Gubernator*, *n.* 3. Sousa *in Aphorismis*, *lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 10. ibi: aut quouis modo iustitiæ executionem impediunt.

II. Fauet quis Hæretico *Facto*, si eum celat, & occultat in Domo, aliovè loco, ne capiatur, à ministris iustitiæ. Castrus Palaus *part.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 5. *num.* 6. Sousa *verbis proximè redditis.* Leander, *loco citato.* Vgolinus *vbi proximè. num.* 17. vbi ait ex Baldo *in l.* 1. *Cod. de his*, *qui latrones occultauerunt*, quem sequitur Ioannes Nicolaus Arelat. *de censur. not.* 31. *versic. adnotato.* Qui occultat hæreticum, tanquam Hæreticum puniri posse: occultans enim alienum delictum, facit illud suum. Gloss. d. c. 48

III. Fautor est Hæretici, qui ei procurat aliquid per quod liberetur, & id ei administrat. Grassis, *part.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 20. *in princ.* & *num.* 27. *in fine.* Leander. *Vbi proximè.* Palaus citatus, Sousa *Verbis iam relatis* Ioannes Calderinus, *tract. de Hæreticis*, *cap.* 5. *num.* 3. ibi. Item ille, qui ad euadendum præstitit eis auxilium, & fauorem; non dico per obiectum sui corporis, vt per hoc differat à defensore, vt puta, quia ministrauit sibi ea per quæ tutè fugiat, & euadat. *Vt instituta de obligationibus*, *quæ ex delicto nascuntur*, §. *ope ff. de furtis. l. Pignor.* §. *placet*, & *l. in furti*, §. *Recte.* Ad hoc extra *eodem de Hæreticis*, *cap. Vt officium*, §. *prohibemus*, & *cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes.* 23. *quæst.* 4. *Cum iniusta.* Hactenus Calderinus. Vgolinus. *num.* 14. cum Toleto *in Bulla*, *excom* 1. *num.* 20. idem Vgol. *n.* 13. à simili de eo, qui dedit scalam v. gr. ad furandum, *ex l. si pignori.* §. *qui ferramenta. ff. de Furtis.* 49

IV. Qui hæreticos comitantur, aut visitant, eorum Fautores sunt. *Souza*, *num.* 10. *sæpe citato.* Ioannes Calderinus, *vbi proximè.* Leander *dicta quæst.* 30. *versic. Rursus.* Idem Sousa *num.* 12. ibi. Qui captum hæreticum occultè visitat, cum eo susurrat. Scortia *Theorema* 410. *vers. excommunicantur etiam.* 50

V. Si Hæretico alimenta, pecuniam, aut aliquid aliud simile subministrat, illius es Fautor. Calderinus *dicto num.* 3. Sousa *num.* 10. Castrus Palaus, num. 6. Leander *Versic. Rursus.* Iacobus de Grassis. *num.* 27. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 7. ibi: eis subministrando, quibus egent, vitæ subsidia. Vgolinus *num.* 14. cum Geminiano *in cap. quicunque*, *num.* 1. 12. *versic. quid autem de agente*, *el* 2. *de hæreticis*, *in* 6. & cum Anchartano *ibid. num.* 5. *versic.* & *de istis aduocatis*, ibi: Quod autem quis faueat. & Rebuffo *eodem versic*, ibi: Facto etiam. Scortia, *Theorema* 27. *versic. Fautores vero*, & *theorema*, 410. *versic. excommunicantur etiam.* 51

VI. Hæretici Fautor est, qui processum in eum formatum rumpit aut falsificat, vel abscondit ita Castrus Palaus *part.* 1. *tract.* 4. *disput.* 3. *punct.* 5. *num.* 6. Sousa *in Aphorismis*, *lib.* 1. *c.* 25. *num.* 10. 52

n. 10. Leander à Sanctissimo *par. 4. tr. 3. disp. 1. §. 3. q. 32. versic. Rursus*, Scortia *Theorem. 410. versic. cit.*

53 VII. Fautor est Hæreticorum, qui Iudicem, aliumve Ministrum quacumque ratione corrumpit, vt Hæreticos liberet. Vgolinus *de Censuris Pontifici reservatis, part. 2, cap. 1. verbo Fautores, n. 14. in fine* Scortia *Theorem. 410. versic. Excommunicantur etiam*, ibi: pro eis intercedunt, ne capiantur, aut puniantur.

54 VIII. *Facto*, Fautor Hæreticorum est, qui eis beneficia, honores, dignitates, sivè civiles, sive Ecclesiasticas confert: qui eis munera donat absque vlla honesta causa, qua excusetur: qui Hæreticis inservit: eósque ducit, & reducit aliquo, nisi id præstet tanquam famulus, servus, vel mercenarius, stipendio conductus. Hæc omnia docet Leander *dicta quæst. 30. versic. Deinde Azorius, par. 1. lib. 8. c. 15. q. 1. in fin.*

55 Consonat Vgolinus *num. 15.* dicens. Quartò *factis*, Hæreticos favet, qui eos, ob hæresim, adorat, veneraturvè, aut communionem ab ipsis recipit, aut associatur, aut vicit, aut dona, munerave mittit, vt probatur *in cap. Accusatus, §. Ille quoque, de Heret. lib. 6.* ibi enim, relapsus dicitur, qui post hæresis abiurationem hæc præstat: idem dixit Ioannes Nicolaus Arelat. *in tract. de Heret. not. 5.* incipit, *nota perpetuò* & Fabiena *in verbo Excommunicatio, 5. casu 4. num. 9.* ibi: Secundò favet *Facto*, quæ ego intelligo semper, vbi ob hæresim ea præstat; non autem, vbi ob aliam causam, modo in favorem hæresis non redundet, idque probatur in citato, §. *Ille quoque.* Nam qui abiuravit hæresim, relapsum iudicandum esse, ibi dicitur, vbi prædicta facit; modo favor, quem impendit Hæretico excusari non possit: ergo secus, vbi excusari potest. Id autem contingit, vbi ob aliam causam ab hæresi favor præstitus probatur: & ideò Glossa ibi, *in verbo non possit*, declarans exemplis, quando ob aliam causam ab hæresi favor præstitus dicatur, & excusari possit, inquit: si hoc præstabat ob famem, vel ignorantiam. Et eam sequuntur ibi, Germinianus, & Philippus Francus, & alij ab ipsis citati.

56 Quare subditi Principis Hæretici, qui ob timorem solùm eum honorant, & non ob hæresim, Hæreticorum Fautores non dicentur. Quamvis si contra Ecclesiam bellum moveat à peccato non excusarentur ipsi opem ferendo; cùm potius mortem oppetere, quàm contra Ecclesiam pugnando, mortiferè peccare debeant. Argumento *cap. Sacris de ijs qua vi, metúsve causa fiunt*: & vt dixit Navareus de Christianis, qui remigium officium præstant coacti in navibus Turcarum contra Christianos *in cap. Ita quorumdam, propè finem, de Iudæis*: & facit *cap. Iulianus, 11, quæst. 3.* vbi Iuliano Apostatæ Christiani milites opem ferebant adversus hostes patriæ; non autem vbi contra Christianos, & de hoc ibi commendantur.

57 Notandus igitur est §. *Ille quoque*, quoniam declarat hanc rem totam, quando scilicet præstans aliquid Hæretico, favere ipsi dicatur; nam si ob hæresim quidpiam præstet, Hæretico favere dicitur, si ob aliam causam, secus; modò in favorem hæresis non redundet, vt suprà sæpiùs dixi; Ad ipsum tamen probare hoc pertinebit, & an eius iureiurando standum sit, vir bonus id arbitrabitur, Argum. *l. 1, ff. de Iure deliberandi, & cap. De causis, de Offic. deleg.* Hæc omnia Barth. Vgolinus.

Eius doctrina, in quantum excusat à *Fautoria* quis v. g. impediret, ne Inquisitores, aut alij eum, qui ob aliam causam ab hæresi favorem Hæretico præstat. Communiter ab omnibus recipitur Doctoribus. Nonnullos recensui diversis in locis huius disquisitionis *dub. 3. num. 3.* in simili *de Receptatoribus, & num. 9. 10.* & *de Defensoribus dub. 4 n. 5. & 8.* & *de Fautoribus* denique *dub. 5. n. 3. 4. 19. & 24.* Multos alios reddere possem, vnum, & alterum hic addere libuit. Primus sit Navarrus *tom. 2. consiliorum, lib. 5. tit. de Haret. consil. 14. n. 4* vbi de gubernatore quoddam, ab Episcopo requisito, vt caperet quendam, qui excommunicatus per annum manserat, tanquam suspectum de Fide, qui ne præiudicium Iuris ditioni Regiæ faceret, capere distulit, & posteà captum Episcopo tradere distulit, eadem de causa, donec à Iuris consulto consilium acciperet: & rursus consilio accepto, extra iudicialiter declaravit separatum ad tradendum; sed non tradidit, nec illum suum tradendi animum Episcopali curiæ notificavit: & interim captus sine vlla alia gubernatoris culpa aufugit, de consensu tamen carcerarij, sic consuluit. videlicet. 58

Quartò, quod si verè coram Deo præfatus Gubernator omisit implere mandata tam diligenter, & promptè, ac debuit propter causas, quas exprimit, & non animo favendi præfato capto quatenùs erat de hæresi suspectus; & si nec carcerarius eius fugæ consentit, ne puniretur de hæresi, sed ob aliam causam miserationis, paupertatis, cognationis, vel amicitiæ: neuter eorum videtur in foro conscientiæ incurrisse excommunicationem præfatæ Bullæ (scilicet Cœnæ) per ea, quæ nos post Caietanum adnotavimus *in Manuali confess. cap. 27. n. 55. super can. 7. præfata Bulla.* Ita consuluit magnus ille Doctor. Vide ipsum, *eodem lib. 5. tit. de Sent. excomm. consil. 23. n. 7. & 8.* 59

Secundus sit Ioannes Calderinus *in tract. de Hæreticis, cap. 4. qui n. 3.* sic ait. Sed quid si aliquis defendit consanguineum suum, an sic videatur potiùs facere affectione sanguinis, quàm contemptu Fidei. Nam in dubio præsumitur hoc fecisse sanguinis affectione, ob illam notabilem præsumptionem sanguinis, vt *ff. pro socio, l. meritò.* Certè dicunt quidam, quod nihil sibi prodorit: ad vitandam pœnam, vt Argument. *27. quæst. 1. de Filia*, & Argument. *extra eod. cap. In eos*: quod intellige verum, vt eximas à rota. Sed à tanta non eximitur, quia minùs punietur, vt *ff. de Receptatoribus, l. fin.* Nam quædam ratione sanguinis tolerantur, quæ non tolerarentur alias; *vt dicta lege finali, & ff. de suspectis tutoribus*, & not. Hactenus Calderinus, qui quidem, vti ex ipsius verbis manifestè constat, solùm agit de defensore Hæretici consanguinei, quoad externum forum, sicut Navarrus de Fautoribus suspecti de hæresi; quoad internum conscientiæ. Vterque tamen benè consonat Doctoribus redditis, locis *numero precedenti*, remissivè citatis. 60

IX. Fautor Hæretici dicitur, & vt talis excommunicationem, & alias pœnas contra Hæreticorum Fautores statutis incurrit, qui Hæreticis etiam è mortuis, vt Hæreticis favet. Vt si quis v. g. impediret, ne Inquisitores, aut alij Prælati contra Hæreticum mortuum procederent: vel si in testem vocatus, delictum negaret illius: vel si illum in gratiam hæresis sepeliret. Ita docet Leander *part. 4. tract. 3. disp. 1. §. 3. quæst. 32.* 61



versic. Demum, vbi ait esse communem Doctorum sententiam, & recenset Zanchinum *de Hæreticis, cap. 5. n. 5. & 6.* Navarr. *in Manual. c. 27. num. 55.* Sayrum *de Censuris, lib. 3. cap. 3.* Peñam *in Directorio Inquisitorum, par. 3. quæst. 113. comment. 162.* Sanchez *in Decalogum tomo 1. lib. 2. cap. 10. num. 16.* Filliucium *tract. 16. cap. 2. qu. 6.* Fagundez *in Decalog. lib. 1. cap. 13. a num. 13.* Trulench *lib. similiter 1. in Decal. c. 3. dub 9. §. 3. num. 9.*

62 Idem docet Castrus Palaus *par. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 6.* vbi ita fatur. Advertendum tamen est, hæc omnia officia te facere posse circa Hæreticum mortuum, & emendatum: quæ si in favorem hæresis cedant, absque dubio Fautur Hæreticorum dicendus est. Vnde si Hæreticum mortuum in loco sacro sepelias; si interrogatus à Iudicibus ad illius delicti punitionem, veritates occultes, cum debes manifestare; vel illius inquisitionem faciendam impedias; censeris in his casibus Hæretici Fautor. Hæc ille, qui citat Suar. *de Fide, disp. 24. sect. 1. n. 6.* & Sanch. *vbi proximè, num. 17.*

63 Bartholomæus Vgolinus *de Censuris Pontifici reservatis par. 2. cap. 1. versic. Fautores num. 18.* in hæc prorumpit. Postremò, ne singula, prosequar, qui Hæreticum mortuum Ecclesiastica sepultura donat, Hæretico favere dicitur. Argument. *cap. Quicumque, de Hæreticis, lib. 6.* vbi hoc agens, punitur excommunicatione, nec antea absolvitur, quàm è tumulo propriis manibus eiecerit. Facit quoque *Clem. 1. de Sepulturis.* Excipitur tamen, vbi ob ignorantiam in loco sacro eum sepeliret, scilicet, ignorans eum Hæreticum esse item, vbi cum profana sepultura donaret non hæresis favore, sed ne putredine aërem corrumperet, vel ob amicitiam consanguinitatémve, illud facit ob citatum §. *Ille quoque*, & vt respondit Navarrus in simili *in consil. 12. de Hæreticis, lib. 5.* In omnibus igitur his modis Hæretico favere quis dicitur. Hactenus Vgolinus *loco citato*: & paulò inferiùs *in §. Quem pro regula ponit*, sic ait. Tertiò in excommunicationem incidunt non solum vbi Hæretico vivo favent, verumetiam & vbi mortuo.

64 Antonius Sousa *in Aphorismis Inquisitorum lib. 1. cap. 25. num. 11.* ita ait. Fautor Hæreticorum est, qui aliquo ex prædictis modis Hæretico mortuo favet, aut Hæretico iam emendato; contra quem tamen Inquisitores ratione hæresis præteritæ procedunt. Sic ille, & recenset Vgolinum *in Bullam Cœnæ*, à nobis redditum, & Thomam Sanchez *in Decalogum tom. 1. libro 2. cap. 10. num. 17.*

65 X. Fautor mihi videtur, qui de captura, aut supplicio Hæretici lamentatur, quamvis Sousa *n. 12.* dicat quod propriè Fautor non sit, licet suspicionem hæresis præbeat. Ducor, quia si quis adorat veneraturve Hæreticum, Fautor illius est, vti vidimus *n. 55.* sed qui lamentatur, de captura, aut de supplicio Hæretici illum adorat, & veneratur: ergo qui lamentatur de huiusmodi captura, aut supplicio Hæretici, illius Fautor est. Idem propter eandem rationem, mihi videtur dicendum de eo, qui combusti Hæretici cineres servat: & de eo qui torvo vultu Hæretici aspicit persecutores: de quibus idem, Sousa præfatus, ac de eo, qui de captura, aut supplicio Hæretici lamentatur ait.

§. III.

De Pœnis Hæreticorum Fautoribus inflictis.

POenæ contra Fautores Hæreticorum latæ, eædem sunt, quæ contra eorumdem Receptatores, vt advertit Antonius Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 25. num. 16.* vbi etiam addit, quòd ea, quæ circa Receptatores, & Defensores dicta sunt, Fautoribus accommodari debent. Et meritò quidem, quia vti ipse Author *num. 17.* ait omnes Receptatores, & Defensores Hæreticorum sunt etiam Fautores, non tamen è contra: omnes etiam Receptatores, Defensores dici possunt; non tamen omnes Defensores, Receptatores appellari queunt. Ita ille cum Sanchez *tom. 1. in Decalog. lib. 2. c. 10. n. 18.* 66

Quòd si petas, ab excommunicatione contra Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum lata, quis absolvere queat? Respondet sub distinctione. Aut huiusmodi Credentes, &c. notoriè tales sunt, ita vt eorum crimina, tergiversatione celari non valeant; aut ita, vt tergiversatione benè quidem possint celari, iuxta ea, quæ dicimus *Disquisitione 12. numero 67. & 68.* 67

Si primum, certum omninò est, solum Summum Pontificem, ab excommunicatione posse Credentes, & alios successivè recensitos, absolvere, stante Bulla in Cœna Domini, anniversaria dies publicari solita, ex illius processu, §. 52. sub Vrbano VIII. Calendis Aprilis de Anno 1627. apud Bullarium Magnum Angeli Cherubini, Bulla 62. iuncto §. 1. manifestè constat. Cæterùm (inquit Papa dicto §. 22.) à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque Ecclesiasticis, Secularibus, & quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori Dignitate prædictis, ipsisque ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec non Laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana Excellentia fulgentibus per nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo literis, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum. Hactenus Bulla Cœnæ, quæ sine dubio observari debet in notoriis criminibus; in his autem, quæ aliqua tergiversatione celari possunt, sub opinionibus hinc-indéque agitatis est, an Episcopi, & Regulares absolvere nunc valeant, Bulla præfata, aut alio Decreto Sedis Apostolicæ non obstante. Addicta nunc, ne diutiùs in hac immorer digressione, supersedeo controversia; reassumam tamen illam, & dilucidare curabo sub speciali dubio; quia scire, quid in re hac valde controversa, & admodum gravi sequi possit non iniucundum, & inutile; sed plausibile, ac fructuosum fore meo Lectori spero.

DVBIVM

DVBIVM VI.

Qui sint Apostatæ, & quibus puniantur pœnis?

§. I.

De Apostatarum distinctione: & de Apostata à Clericatu, & Ordine.

BREVIARIVM.

Apostata.

Nomen est Græcum: significat idem quod desertor, vel transfuga, n.43.

Apostata multiplex est, n.1. & seqq.

Apostata Obedientiæ, est qui ex contemptu, aut superbia, præcepta Dei, Ecclesiæ, aut Prælati transgreditur, n.1.

Apostata à Clericatu; vel Ordine sacro, est, qui à statu Clericali, vel ab Ordine sacro, quem assumpserat, edito in manu Episcopi continentiæ voto, ad statum coniugis, vel Laïcæ conversationis, dimisso habitu, propria se transfert temeritate, num. 3.

Apostata à Clericatu, & Ordine sacro excommunicationem, si vxorem ducit, incurrit, n.3.

Si non ducit vxorem, mortaliter peccat, n.3.

Apostata à Clericatu, & Ordinibus minoribus, peccat mortaliter si est beneficiarius; venialiter, si non sit beneficiarius, & absque causa legitima à Clericatu discedat; mortaliter, si ex contemptu, num. 3.

Apostasia Religionis, & à Clericatu, & Ordine sæpe in eodem iunguntur subiecto, & vtriusque Apostasiæ pœnas incurrit, n.4.

1 PRo tituli intelligentia adnotare libuit, dictionem *Apostata* multipliciter vsurpari. *Primò*, pro *Apostata obedientiæ*, & est ille, qui ex contemptu, vel superbia præcepta sui Prælati transgreditur, illisque, vel sacris Canonibus, aut Dei præceptis non obedit. Ita Antonius Sousa *in Aphorismis Inquisitorum, lib.1. cap.8. num.* 18. cum Mascardo *de Probationibus, lib.1. conclus.* 112. *num.* 12. Farinacio *de Hæresi, qu.* 185. §. 5. *nu.* 54. & Francisco Suarez *de Fide, disp* 16. *sect.* 5. *n.*2. Barthol. Vgolinus *de Censuris Pontifici reservatis, part.*2. §. *Et à Christiana Fide Apostatæ, num.* 3. Lezana *tom.* 2. *par.*3. *verb. Apostata, el* 11. *de Apostatis*. Tambur. *de Iure Abbatum tom.*3. *disp.*7. *q.*1. *n.*1. Abbas *in d. c.*1. *n.*3.

2 Secundò sumitur nomen Apostata, pro *Apostata Religionis*, & est ille, qui ab Ordine, sive ab habitu assumptæ Religionis recedit, & ad sæculum reddit. Sic Sousa *loco citato* cum Farinacio *dicta quæst.* 185. §. 6. *n.* 61. & Suarez *vbi proximè* Vgolinus *num.* 3. Ædigius Bassæus *in Sum. tom.* 1. *verbo Apostasia, num.* 1. 4. *& seqq.* Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. *à num.* 12. *& tom.* 2. *dicto verbo Apostata, num.* 1. 4. *& seqq.* D. Thom. citatus *in corpore*. Sic describitur à Bassæo. Apostasia à Religione est criminosa, & mortalis recessio à Religiosi Ordinis instituto, sine revertendi proposito. Ita ille: qui addit, ad hoc crimen, nihil referre, vtrum quis habitum Religiosum abiiciat, necne: idem ait Caïet. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *versic. in eodem*. Tamburinus etiam *vbi proximè*. Abb. *loc. cit. n.*2.

Tertiò nomen *Apostata* accipitur pro *Apostata à Clericatu, vel sacro Ordine*. Et est ille, qui à perfectiore statu Clericali, quem in manu Episcopi, edicto etiam continentiæ voto, assumpserat, ad statum coniugis, vel Laïcæ conversationis, dimisso suo habitu, propria temeritate se transfert. Bassæus redditus, *n.*3. & D. Thom. *d. art.* 1. *in corp.* & colligitur *ex cap. Ex literis* 16. *& final. de vita & honestate Clericorum*. Item Lezana *verbo Apostata, n.*1. *&* 13. cum Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 1. cum eodem asserit, quod si desertor Clericatus, sit in aliquo maiore Ordine constitutus, si vxorem ducat excommunicationem incurrit *Clem. vnic. de Consanguin. & affinit.* Rursus docet, quòd huiusmodi Ordine sacro initiatus, etiamsi non ducat vxorem, in dicta desertione peccet mortaliter, per *Clementinam Quoniam, de vita & honest. Cleric.* Tridentinum *sess.* 14. *de Reform. cap.*6. *& cap. Tua fraternitati, de Apostatis*. Sylvest. *verb. Apostata, n.* 6. *&* 7. & Tolet. *lib.*4. *cap.* 18. *n.* 5. Idem docet de Clerico in minoribus, cum eodem Toleto, si beneficiarius ille sit. De eo autem, qui nec est in sacris, nec beneficium obtinet, si absque rationabili causa Clericatum deserat, solùm peccare venialiter, nisi ex contemptu id faciat, asserit: quod etiam docet Caïetanus 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. De hoc Apostata *in cap.* 1. *de Apostatis*, sic. Præterea Clerici, qui relicto ordine Clericali, & habitu suo in Apostasia, tanquam Laïci conversantur, si in criminibus comprehensi teneantur, & cætera. 3

Apostasia in secunda, & tertia acceptione sumpta, non rarò in eodem iungi solent subiecto, vt 4
si Religiosus Clericus, à statu recedat religioso, simul, & à Clericatu. Libuit Lezanæ versiculum 14. *& finale*, reddere. Hinc infertur, quod Religiosus Clericus Apostata, qui deserta Religione, deserit etiam Clericatum, esse bis, seu dupliciter Apostatam, scilicet ratione desertionis Religionis, & Clericatus: ac per consequens incurrere pœnas Apostasiæ à Religione, de quibus suprà; & Apostasiæ, à Clericatu, quæ designantur locis citatis ex Concilio Tridentino, ex Iure Canonico, & aliis Iuribus. Secus verò dici deberet, si tantum Religionem desereret, non Clericatum: vt si ex Religioso fieret Clericus sæcularis: tunè enim tantum incurreret pœnas Apostasiæ à Religione. Hæc Pater Lezana, quem sequitur Bassæus, *verbo Apostasia, numero* 4. *versiculo Ex dictis*.

§. II.

De Apostata à Religione, & de eius pœnis.

BREVIARIVM.

Alimenta.

Non debent Monasteria Apostatis; & fugitivis pro Apostasia, & fuga tempore, n.23.

Ext

5 P*Oena verò Apostatæ à Religione, illius scilicet* qui discedit à conventu, vel Religione animo deserendi illam, & nunquam revertendi, Iure communi inflictæ, quæ sequuntur sunt. I. Si durante Apostasia Ordinem recipiat Sacrum, non potest in illo ministrare, sed manet suspensus donec à Papa dispensetur, etiamsi posteà ad Religionem redeat. Habetur *in c. Consultationi* el 6. & *final. de Apostatis:* & ibi Bernardus. Lezana *tom. 1. pa. 1. c. 16. n. 12.* cum Suarez *tom. 5. in 3. part. de Cens. disp. 31. sect. 6.* Th. Sanch. *tom. 2. in Decal. lib. 6. c. 8. n. 21. pag. mihi* 129. Bassæ. *n. 5. verb. Apostasia*.

6 II. Si habitum Apostata deserit, excommunicationem incurrit, latam *in cap. Vt periculosæ* 2. *Ne Clerici vel Monachi*, contra temerè habitum sui Ordinis dimittentes; secus verò si habitum non dimittat. Quia non reperitur excommunicatio in Iure, contra Apostatas præcisè lata, vti advertunt Lezana *dicto cap.* 16. Bassæus *n.* 8. cum Bonacina *de clausura, quæst. 2. punct. 11. §. 4. nu. 1.* Bannez 2. 2. *quæst. 12. art. 1. dub. 1.* & Toleto *lib. 4. cap.* 18. Lessius *de Iustitia, libro 2. capite 41. dubitat. 15. & finali, num. 109. versiculo Sed verius*, cum Sylvestro *verbo Apostasia, quæstione* 8. & Caietano *in Summa, verbo eodem* Thomas Sanchez *numero* 20. cum pluribus; quos plena recenset manu.

Cum hoc tamen stat, quòd ex specialibus privilegiis, Religionibus concessis, aut ex Constitutionibus earum, Apostata retento habitu, excommunicationem incurrat. Iesuita illam incurrit, ex præscripto Gregorij Papæ X. III. in Bulla *Ascendente Domino*, quam Bassæos *num.* 8. recenset, & Sanchez *loco citato num.* 11. & Lezana *num.* 13. ex Casarobiosim *Compendio Privilegiorum Mendicantium, verbo Apostata ab ordine*, aut propter varia Privilegia Pontificum Apostatas excommunicatione affici. Eugenius Papa Quartus meæ concessit Congregationi Benedictinæ Hispaniæ 3. Calendas, Decembris 1446, in Bulla authentica nostri Bullarij *la* 51. incipit *Pastor bonus*, vt nullus Monachus, vel conversus, expressè, aut tacitè professus, etiam de licentia Summi Pontificis, non faciente de verbo ad verbum expressam dictæ suæ Bullæ mentionem, valeat transire ad alia quævis Monasteria, seu loca Secularia, vel Regularia, præterquã Carthusiensem Ordinem, & à proprio recedere Monasterio, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ. Et addit. Et insuper Superioribus, transeuntes, seu vagantes, & post monitionem eis factam ad sua Monasteria, seu loca non redeuntes, veluti notorios Apostatas, & excommunicatos, per se, vel alium seu alios capiendi, & capi faciendi, & captos carceribus mancipandi, & aliàs contra eos, prout opus, & de Iure fuerit faciendi, etiam invocatione brachij Secularis procedendi, &c. *Et infrà.* Nec non illos ex Monachis, transeuntibus, seu vagantibus prædictis, qui de præmissis dolentibus ad eorum Monasteria, sive loca redierint perpetuò permansuri, ab excommunicationis sententia, & Apostasiæ reatu huiusmodi, iniunctis sibi pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de Iure fuerint iniungenda, in forma Ecclesiæ consueta absolvendi, ac secum super irregularitate, si quam huiusmodi sententia ligati, Missas, & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando, aut se illis immiscendo quomodolibet pro tempore contraxerint; dispensandi, omnemque inhabilitatis ab eius infamiæ maculam, sive notam, præmissorum occasione, contractum abolendi, plenam, & liberam; concedimus (scilicet Apostatarum Superioribus) authoritate Apostolica tenore præsentium, facultatem. Hactenus Eugen. IV. qui prædicta dicit, decernit adhuc de Religiosis, qui habitum primum sui Monasterij, non dereliquerunt, vti inspicienti manifestè constabit. 7

In qua quidem Eugeniana Constitutione, 8
Apostatæ declarantur, qui suo Ordine, & habitu Religionis, retento, ad aliud Monasterium, seu locum transeunt, & qui extra proprium vagant Monasterium; aut locum. Quòd fortè

quoad forum exterius pertinet, declaravit. In foro namque poli, & verè ille solùm est Apostata à Religione, qui factus verè Religiosus deserit Religionem, quam professus est, siue transitu ad aliam, cum animo non revertendi ad suam. Ita Tamburinus *de Iure Abbatum, tomo 3. disput. 8. quæst. 10. num. 1.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 16. num. 7.* cum Aragon *2. 2. quæst. 12. art. 1.* Bannez *ibidem* Bassæus *verbo Apostasia, num. 4.* Sanchez *lib. 6. in Decalogum, cap. 8. numero 2.* cum pluribus, quos recenset; ex quibus hoc reddit discrimen, inter fugitivum, & Apostatam, quod fugitivus propriè dicatur, qui à Monasterio recedit, absque Superioris licentia, vt extra ipsius potestatem, & obedientiam sit, *l. Quis sit fugitivus, ff. de ædilitio edicto*; Apostata autem est, qui à Monasterio, recedit, animo & voluntate excutiendi obedientiæ iugum in perpetuum, deserendíque institutum Religiosum. Idem Tambur. *n.* 10.

9 In Constitutione etiam nostræ Congregationis, *cap.* 32. del quebrantamiento de clausura, sic, *num.* 7. Declaramos, que qualquiera Religioso, que se ausenta del Monasterio, con animo de no bolver ael, aunqoe se ausente con habito incurre en la excommunion del Canon, puesta contra los Regulares, que dexan el habito temerariamente y para mayor abundancia le ponemos, sciẽdo menester, la dicha excommunion. Ita ibi, ex qua Constitut. habemus, Patres nostræ Congregationis, illius authores sensisse, cum aliquibus, quos suppressis nominibus recenset Lezana, *dicto cap. 16. n. 11.* Apostatas incurrere excommunicationem latam *in cap. Vt periculosa el 2. Ne Clerici, vel Monachi.*

10 In Rituali etiam nostro, seu Ceremoniali Monastico, *part. 2. sect. 2. capite 5.* de lo que se ha de guardar en recivir al fugitivo, post aliquas preces pro illins absolntione, hæ subiunguntur orationes. I. Deus, cui proprium est misereti semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum Amen. II. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo à vinculo excommunicationis in quam incurristi pro *Apostasia*: & restituo te communioni, & vnitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, &c.

11 In Carmelitana Religione Religiosi decedentes à Conventibus sine licentia, vt excommunicati habentur, & puniuntur, ac absolvuntur. Ita testatur P. M. Lezana *d. n.* 13.

12 III. Pœna Apostatæ à Religione, assignatur ab aliquibus Doctoribus irregularitas, de quorum numero est D. Autonin. *part. 3. Summæ, tit. 27. de suspensione, cap. 4. colum. mihi 3. in fine*: non tamen ratione Apostasiæ præcisè, sed ratione susceptionis Ordinum in Apostasia. Verba Florentini Archiepiscopi reddo. Apostatæ à Religione in Apostasia suscipientes Ordines, sunt suspensi, & irregulares: *extra eodem titulo, Apostatà.* Nec dispensatur cum eis, nisi per Papam. Hæc Antoninus. Ipse tamen & alij eiusdem sententiæ Authores, in ea dubio procul fuerunt, quia crediderunt excommunicationem in *cap. Vt periculosa, Ne Clerici, vel Monachi*, contra temerè dimittentes habitum suæ Religionis latam, omnes afficere Apostatas, etiam habitum non dimittentes. Sed quia communis opinio est, illam ab Apostata habitum retinente non incurri, iuxta eandem dicendum est, irregularitatem non incurrere Apostatam, habitum non dimittentem, in susceptione Ordinum præcisè; benè tamen in eorum exercitio, & ministratione, ob violationem suspensionis latè *in cap. finali, de Apostatis*, contra suscipientes in Apostasia Ordinem sacrum; Si tamen Apostata in vim privilegij suæ Religioni concessi, aut Religionis statuti, excommunicatus extiterit, certum est, quòd irregularitatem incurret per Ordinis sacri susceptionem. Videantur Sanchez, *in Decalogum, tomo 2. libro 6. cap. 8. numer. 25. & 26.* Lezana *tomo 1. parte 1. cap. 16. num. 11. & 12.*

Alio tamen ex capite dici potest, & benè 13
quidem, Apostatam à Religione irregularem esse, dum in Apostasia perseverat: ex infamia scilicet, quam contraxit. Apostata enim est infamis ipso iure, & vt talis, in testem non admittitur, vti ait Lezana, *dicto num. 12.* cum Graffis, *lib. 3. de casibus reservatis, cap. 2. num. 26.* & Laurentius de Peytinis, *tom. 1. de subdito, quæst. 1.* Infamis autem irregularis est, *can. Infames esse, el 7. causa 6. quæst. 1.* Bassæus *verbo Irregularitas 10. num. 6.* Lezana *verbo Infamia, num. 15. ex dicto, can. Infames, can. Qui in aliquo, el final. 51. distinctione, capite Omnipotens, el 5. de Accusationibus: & cap. Infamibus, el 87. de Regulis Iuris, libro 6.* Barbosa *in dicto cap. Omnipotens, in Summario numero 1. & de Officio, & potestat. Episcopi, parte 2. allegat. 43. num. 29.* cum Nicolao Garcia *de Beneficiis parte 7. cap. 8. num. 4.* & aliis penes ipsum. Ergo Apostata à Religione, qua infamis, irregularis est.

IV. Pœna Apostatæ à Religione est, vt 14
non gaudeat privilegiis Religionis, si habitum dimittat, prætendens irritam esse suam professionem. Est expresè definitum in Concilio Tridentino, *sess. 25. cap. Quicumque, el 10. de Regularibus*, ibi: Sed ad Monasterium redire cogatur, & tanqnam Apostata puniatur, interim verò nullo privilegio suæ Religionis iuvetur. Lezana *parte 1. capite 16. num. 12.* Bassæus *verbo Apostasia, num. 6.* Sanchez *tomo 2. in Decalogum, lib. 6. cap. 8. n. 34.* vbi duo adnotat. *Primum*, hanc pœnam non incurrere quemcumqne Apostatam à Religione; sed eum tantùm, qui dimisso habitu, prætendit nulliter professionem emisisse. *Secundum*, nec istum quidem pœnam incurrere istam, nisi post Iudicis sententiam. Ducitur, quia dictio *non iuvetur*, est futuri temporis: dictio autem futuri temporis, non importat sententiam latam, sed ferendam, vt cum multis, contra non paucos tenet Tiraquellus, *lege Si vnquam, verbo Revertatur, num. 152. & tribus sequentibus, Cod. de revocandis donationibus* Covarruvias, *cap. Si hæredes, num. 10. de testamentis.* Azebed. *libro 7. Recopilat. tit. 3. leg. 4. num. 9.* Molina *tomo 1. de Iust. disput. 88. columna 531. in principio*, & Navarr. *libro 1. consilior. tit. de Temporibus ordinationum, in princ. editione, toto. consil. 19. in 2. toto. consilio 27.* Accinit Bassæus, & etiam Lezana *locis proximè recensitis* Tamburr. *quæst. 9. num. 2.*

Imò Ioannes de Lignano in *Clementinam Ne* 15
in agro Dominico, de statu Monach. & Federicus *consil. 19.*

consil. 19. quos refert Mandosius *de Privilegiis adinstar*, *gloss.* 3. *num.* 9. penes Sanchez proximè redditum sentiunt, nec recedentem licitè à Monasterio, eius exemptione gaudere. Ipse tamen Sanchez Mandosij, & Cardinalis sententiam approbat, dicentium, Lignani, & Federici opinionem veram intelligi, quando privilegium eidem speciali Monasterio concessum esset: quia tunc verùm est, quòd isti dicunt Authores; scilicet privilegium non ratione Religiosi, sed ratione Monasterij ipsi Religioso concedi. Si autem toti Religioni concessum esse constiterit privilegium, gaudere illo, dicunt Sanchez, Cardinalis, & Mandiosius, Religiosum, qui extra Conventum licitè est, nec ad alium migrat Ordinem.

16 V. Apostatæ à Religione pœna est, vt & postquam ad meliorem vitæ frugem, & ad pristinam Religionem se receperint, & bonæ opinionis extiterint, in Prælatos, seu Superiores Religionis eligi nequeant. Ita D. Antoninus, 3. *parte Summæ tit.* 24. *de Excommunicatione*, *cap.* 53. Argumento *canon. Si quis omnem traditionem el* 2. *causa* 1. *quæst.* 7. & recenset pro sua sententia Laurentius Iacob. de Al. & Petr. asserentes talem non solùm intelligibilem esse, sed electum, esse deiiciendum. Quorum doctrinam recenset Sanchez *in Decalogum*, *tomo* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 31. post Archidiaconum *in. cap. Vt periculosa, num.* 1. *el* 2. *Ne Clerici vel Monachi*, *in* 6. *& cap. Legi, num.* 1. *causa*, 16. *quæst.* 1. & Bellamer. *ibi paulò post principium:* & Sylvestrum *in Summa*, *verbo Excommunicatio.* 9. *casu* 24. *num.* 52. *notabili* 2. Et addit ex dictis Iacob, Petr. & Archidiacono *in dicto cap. Vt periculosa*, *num.* 1. huiusmodi electum, teneri resignare; vt conscientiam suam salvet. Probat (inquit) Archidiaconus *ex cap. Per tuas*, *de Voto*, vbi electus in Episcopum; voto Religionis à se anteà emisso nondum impleto cogitur resignare. Ergo à fortiori professus, qui semel Religionem Apostatando deservit, vtpotè qui graviùs peccat. Hæc Sanchez, ex recensitis Doctoribus.

17 Ipse tamen *numero* 32. constanter tenet iure eligi posse Apostatam à Religione, eo quòd nullum sit ius, talem ei pœnam infligens. Adducit pro sententia sua, Oldradum, *consil.* 202. *per totum*, Ioannem Andream *addition. ad speculatorem*, *tit. Ne Clerici*, *vel Monach*, §. *vnic. lit. E*, Ancharanum *cap.* 2. *num.* 3. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, *lib.* 6. & Probum ibi: *addition. ad Monachum*, *num.* 7. *in fine* Dominicum *ibi*, §. *Doctores*, *num.* 4. Francum *ibi*, *in principio*, *numero* 7. Et hanc sententiam approbat Azotius *part.* 1. *Institutionis Moralis*, *lib.* 12. *cap.* 17. *q.* 16. *colum. mihi* 1390. Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tomo* 3. *disput.* 8. *quæsito.* 9. *num.* 4. Sanctarello *de Apostat. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 21. Ioannes Baptista Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. *num.* 18. qui Doctores respondent, *cap. Per tuas*, *de Voto*, in contrarium adductum, intentum non probare, quia non loquitur de Apostatis, & illum decisum fuit, non ratione culpæ præteritæ, sed adhoc pendentis, eo quòd adhuc illud Religionis votum nondum impletum, obligat, ait Sanchez.

18 Ego autem addo, quòd etiamsi decisum fuisset ratione culpæ præteritæ, sicut statutum est *cap. Si quis omnem traditionem*, in oppositum etiam allegatum, non obstaret, sicut nec istud obstat, quominùs in Prælatum eligi possit Apostata, ad Conventum suum reversus, & emendatus; in vim saltem Iuris communis. Ducor. Quia pœnæ extendi non debent ad casus in iure, aut lege non expressos. Est textus elegans *in can. Pœna*, & ibi Glossa *verbo Molliendæ sunt*, & *verbo non excedunt*, *el* 18. *de Pœnitentia*, *distinct.* 1. Pœnæ (sicut *in ff. titulo de Pœnis* legitur) legum interpretatione molliendæ sunt, potiùs quàm nimis exasperandæ: atque ideò proprium casum non excedunt. Hæc citatus canon.

Hoc meum exornat iudicium, Doctor Navarrus, *in tom.* 1. *consilior. lib.* 3. *tit. de Regularibus*, *consilio* 66. vbi quæsitus, An Religiosus Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, obtinens facultatem à Papa transeundi ad alteram Religionem, posset obtinere beneficia Religionis ad quam transierit, & an sit contra Ius commune, vel Concilium Tridentinum? Respondet, *primò*, non esse ostensam ei facultatem obtentam; & ita non posse, de illa non perspecta, satis rectè respondere *l. in civile ff. de legibus. Secundò*, quòd si facultas fuit facta ad transeundum ad strictiorem, non est contra Ius, per *cap. Licet*, *de Regularibus*; si autem facta est ad transeundum ad laxiorem, est contra ius commune, & contra Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus. Tertiò*, quòd dictus Religiosus non incurret inhabilitatem obtinendi Beneficia Religionis, ad quàm transierit positam *in Clementina* 1. *de Regularibus*, si facultas se extendit ad transeundum ad Religionem non Mendicantium. Quia Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede; non est de quatuor Mendicantibus, de quibus loquitur prædicta *Clementina* 1. vt præ aliis rectè definit Ioannes Imola *ibidem*, & sentiunt alij. Et ea ratione firma probatur, quòd Clementina illa est pœnalis, & loquitur de Mendicante transeunte: & ideò non debet extendi ad alium non Mendicantem, *capite Pœna*, *de Pœnitentia*, *distinctione* 1. Hæc omnia Azpilcueta. 19

Consultò dixi: *in vim saltem Iuris communis.* Quia iura particularia Religionum, aliud, benè disponere, ac decernere queunt, prædictis contrarium. Quare illa consulenda erunt. De sua Religione ait Lezana, *dicta part.* 1. *cap.* 16. *num.* 18. statutum habere *in Constitutionibus*, *parte* 3 *cap.* 1. *num.* 9. prohibens, vt qui ab Ordine apostatavit, non admittatur ad officium Prioris, vel Diffinitoris, nisi cum eo dispensetur per Generale Capitulum, vel per Priorem Generalem. 20

In mea autem Congregatione *in Constitutionibus*, *cap. Quebrantamiento*, *de clausula*, quòd est *el* 32. licet ex errore, *el* 36. inscribatur, non tantùm præscribitur; & statuitur pœna privationis vocis passivæ, quoad dignitates, sed quoad omnia; & etiam activæ, contra Apostatas à Religione. Imò contra fugitivum, vtramque pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, absolutè inflictam invenio, quoad omnia scilicet. Et definitur; hanc nequire relaxari privationis pœnam, nisi per Capitulum Generale: Videantur *numeri.* 6. 8. & 9. 21

VI. Pœna Apostatæ, à Religione, & fugitivi etiam est; vt extra territorium vbique capi, 22

& apprehendi à Superiore suo queat. Ita noster Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 3. disput. 8. quæst. 9. num. 3.* cum Sanctarello *de Apostasia, cap. 3. dub. 2. num. 12.* Lezana *tom. 1. part. 1. c. 16. num. 16.* Sanchez *tomo 2. in Decalogum, libro 6. cap. 8. num. 33.* Bassæus *verbo Apostasia, num. 5.* cum Navarro *in can. Nullum, num. 50. causa* 18. *quæst.* 1. Probatur. I. Quia possessor alicuius rei, vbicumque illam invenit eam capere potest, & vendicare. Tambur. Roderic. *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 30. art. 6. ex l. Quis, §. Differenti ff. de acquirenda possessione.* Lezana & Bassæus. Sed Religiosus Apostata, & fugitivus sub potestate sui Superioris Regularis est: ergo iste potest illum capere vbique propria ex auctoritate. II. Quia Dominus fugientem servum vbique apprehendere potest. Roderiq. & Lezana *ex l. 1. §. Per servum, qui in fuga, ff. de acquirenda possessione: & l. 1. Cod. vbi quis de Curiali, vel cohortali aliave conditione conveniatur:* statuitur curialem vel cohortalem, id est curiæ, vel cohorti obligatum fugientem, capi posse auctoritate curiæ, vel cohortis, cui obnoxius est. Sed Religiosos servo æquiparatur; vnde quicquid acquirit, Monasterio acquirit; & eidem Monasterio, & eius Prælato obnoxius est, & obligatus: ergo fugiens vbique capi potest à Prælato, & ab aliis in ipsius nomine. III. Quia sic statuerunt multi Summi Pontifices in variis Constitutionibus in Religionum favorem æditis, etiam cum facultate invocandi auxilium brachij Sæcularis. Eugenius IV. pro mea Congregatione, in Bulla *suprà n. 7.* reddita. Pro Carmelitis, *in eorum mari magno, §. Apostatas corrigi*, à Sixto IV. compilato. Pro Minoribus, Innocentius Papa VIII. apud Emanuelem *vbi proximè.* Pro Iesuitis, Pius V. apud Sanchez *loco citato.* IV. Quia, qui aliis debent perpetuam obedientiam, possunt de quorumcumque manibus apprehendi. Lezana, cum Laurentio de Peyrinis *tomo 2. Privilegiorum Minimorum, in Constit. 7. Pij V. num. 20.* qui addunt, hoc esse verum, non solùm quando Religiosus sine licentia exivit, sed etiam quando cum illa per certum terminum, & ille transactus est.

Et posse quidem suos apprehendere Prælatum Regularem, irrequisito Episcopo, aut brachio Seculari, docet *loco citato* Lezana cum Cornexo, *tom. 2. in 3. part. tract. 5. de Excommun. disput. 6. dubio 5.*

23 VII. Pœna Apostatæ à Religione inflicta, est privatio alimentorum, seu iuris illorum, quæ Religio ei adhibuisset. Ita Bassæus, *verbo Apostasia, num. 6. versic. Imò Apostata*: cum Sanctarello *eodem verbo cap. 3. dub. 2. num. 22.* Thomas Sanchez *in Decalogum, tomo 2. lib. 6. cap. 9. num. 21.* cum Henric. *cap. finali, de Regularibus, num. 6.* & Surdo, *de Alimentis tit. 8. privileg. 97. num. 6. tom. 9. quæst. 27. num. 22. fin. Et ratio est.* Quia ideò tenetur Monasterium ad Monachi, aut alterius Religiosi alimenta, quod Religiosus ipsi Monasterio ministret, & acquirat, Sanchez cum Palo *consil. 76. num. 1. volum. 1.* & Surdo *de Alimentis tit. 6. qu. 35. num. 1.* & Bassæus. Sed Apostatæ, & fugitivi sua culpa non serviunt Monasterio: ergo Monasterium non tenetur illos alere, dum in fuga sunt.

24 Quæ ratio confirmatur *ex cap. Frustra el 75. de Regulis Iuris lib. 6.* vbi sic decernit Bonifacius Papa VIII. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam, servari recusat.* Monasterium igitur, & Religiosus in istius professione contraxerunt: illud promisit huic alimenta præstare; iste autem promisit Monasterio assistere, deservire. Vtrinque orta fuit obligatio. Quia contractus actus est externus inter duos, aut plures ex consensu ipsorum vltrò, citróque obligationem pariens. Bassæus, *verbo Contractus, num. 1.* ex consensu quidem non absoluto, sed vtrimque conditionato, iuxta Ioannis Caramuëlis doctrinam *in Theologia Fundamentali, num.* 1084. Vnde contractu fracto à Religioso, subtrahendo servitium Monasterio promissum, non tenetur Monasterium alimenta Religioso promissa præstare. Non enim, fractis catenis, homo poterit manere eisdem catenis ligatus: quia sub ea saltem tacita conditione, vt sibi exhiberetur à Religioso servitium, & non aliàs ei alimenta promisit. Ac proinde non tenetur Monasterium solvere expensas factas ab Apostata, & fugitivo ad sui sustentationem. Bassæus, *vbi proximè, verbo Apostasia* cum reliquis DD. redditis.

Limitat tamen, & benè doctrinam Sanchez 25
dicto cap. 9. num. 22. intelligendam esse, non teneri Monasterium ad alimenta Religiosi Apostatæ, aut fugitivi, quandiù ille in fuga fuerit: quia si ab aliquo capiatur in Monasterium revocandus, ex tunc tenebitur Monasterium ad alimenta, & expensas: quia ex tunc vtiliter negotium geritur Monasterij, & fit id quòd Monasterium tenebatur efficere; revocate scilicet illum propriis expensis. Et ob eandem rationem, tenebitur ad expensas, si pœnitentia ductus redeat, ipse Apostata, vel fugitivus ad Monasterium. Et potiori iure tenetur, ad alimenta, & expensas Monachi fugitivi licitè fugientis, & ex causa iusta, vt se præsentet Superiori: sicut tenetur ad alimenta Religiosi iniustè expulsi. Surdus *de Alimentis, tit. 6. quæst. 35. num. 6.* Molina *tomo 1. de Iust. disp. 140. colum. antepenult. §. Quando Religiosus.* Imola *in Clement. 1. num. 37. de statu Monachor. & ibi:* Cardinalis, *§. Quia verò, num. 7. quæst. 4.* Lara, *lege Si quis à liberis, §. Si vel parens, num. 59. ff. de Liber. agnosc.* Boër. Alciatus, Afflictus, quos recenset, & sequitur, Menochius *de Præsumptionibus, lib. 1. quæst. 35. num. 21.* Velascus *consil. 7. num. 3. tom. 1.* & addit Surdus *de Alimentis, tit. 1. quæst. 128. num. 10. & num. 11.* cum Bartholo *tract. de Alimentis, num. 43.* quòd tenetur etiam ad alimenta Monasterium, interim dum disputatur, an sit Monachus, & sufficere aliquam præsumptionem Monachatus ait ipse Surdus *eodem titul. quæst. 121. num. 2.* cum Simone de Pretis *de interpretat. vltim. voluntat. lib. 5. dubio 2. num. 12. & 13.* Boërio *decis. 324. num. 4.* Menochio *vbi proximè*, & cum Iosepho Ludovico *decis. 46. num. 4.* Similiter tenetur Monasterium expensas ad lites necessarias Monacho contribuere. Velascus citatus. Hæc omnia Sanchez *d. n. 22. & 8.* vbi aliquas modificationes invenies.

Quòd si petas. Religiosus Apostata, & fugi- 26
tiuus in fuga, bona acquisiuit, ad quem illa pertinebunt? Respondeo quòd Eugenius IV. in Bulla de qua suprà *num. 27.* statuit pro Congregatione mea, omnia illa mobilia, immobilia, & se mouentia ad Monasterium, in quo Religiosus huiusmodi emiserat professionem, pertinere. Quod Iuri communi consonum est. Vnde Pius

V.

„ V. *in constitutione & si Mendicantium ordines*, sic „ datuit. Inhibemus etiam ipsis ordinariis, ne Fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant, eosque, inuitis suis Superioribus, „ detineant. Prohibemus quoque eisdem Ordinariis, ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum Fratrum extra claustra suorum Monasteriorum pro tempore degentium; siue decedentium, & quamuis in habitu, siue absque habitu „ moriantur, volumus quòd eorum bona mobilia, „ & immobilia ad Ordinem, quem profeßi sunt, „ pertineant disponenda iuxta constitutiones, seu „ ordinationes prædictorum Ordinum: neque illa „ Ordinarij prædicti capere præsumant; imò huiusmodi, & ad habitum Religionis reuertentium „ bona omnia, Monasteriis ipsis, cum ea, quæ acquirit Monachus, de Iure Monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus.

27 Hactenus Pius V. Posteà tamen Gregorius XIII. in Bulla, *officij nostri partes la* 43. Apud Angeli cherubini Bullarium nouissimum. *tom.* 2. *pag. mihi* 410. Statuit Spolia Regularium, extra claustra vagantium, & decedentium, ad cameram Apostolicam pertinere: & derogat quibuscumque Priuilegiis in amplissima forma. Et ita in casu contingenti consuluit Nauarrus *lib.* 3. *consiliorum tit. de statu Monachorum, consil.* 17. *in* 2. *editione Romana, pag. mihi* 1020. Quem sequuntur Sanchez *tom.* 2. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 33. *& penult. num.* 9. Lezana *tom.* 7. *part.* 1. *cap.* 16. *num.* 20. & Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 3. *disp.* 16. *post. num.* 5. exscribit Gregorij Constitutionem, præmittens hæc verba: videlicet. Quæ cum sit valde necessaria, ideò eam hic recensere visum fuit.

28 Quæ autem Spolij nomine, veniant, expendit Cherubinus, in Bullam 100. Sixti Papæ V. *tom.* 2. *Bullarij, pag. mihi* 676. Et incipit *in conferendis*. Ac in Bullam 18. Pauli V. quæ incipit, *In Eminenti, tom.* 3. *pag.* 198. In primo Loco, sic ait. Spoliorum autem appellatione veniunt, bona Ecclesiasticarum personarum, siue licentia Sedis Apostolicæ, de eis disponentium, iuxta constitutiones 19. & 46. Pauli III. ac Pij IV. *constit.* 8. & acquisita ob illicitam negotiationem, iuxta constit. V. Nec non bona Regularium extra claustra decedentium, iuxta constitut. 43. Gregorij XIII. Clericorúmque extrà residentiam morientium, iuxta constit. 91. Pij IV. Fructus Beneficiorum Italiæ, Sedi Apostolicæ reseruatorum, vel affectorum, dum vacant, iuxta constitut. 32. Pij IV. Bona decedentium extra residentiam, Fructúsque Beneficiorum in exacti iuxta constitu. 7. Iulij III. vel ante litterarum Apostolicarum expeditionem, aut alias male percepti, vt hic. Quæ autem non veniant in Spoliis, dicam in dicta constitut. 18. Pauli V. Hucusque Cherubinus super Bullâ 100. Sixti V. Super Bullam autem 18. Pauli V. sic fatur. Spoliorum verò materiam, opportunius, quàm hic indicaui suprà in Constitur. 100. Sixti V. *In conferendis* §. 2. Quibus adde non venire in Spoliis, bona habentium beneficium vel pensionem non excedentem ducatos 30. Nec suppellectilia domestica, neque paramenta, & ornamenta Ecclesiarum, iuxta Constitutionem. 42. Pij V. *suprà lib.* 2. Hæc ibi:

29 Ioannes Baptista Scortia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theoremate* 170. *num.* 1. seu *versic. Non est*, ait fructus pensionum, & distributionum, quotidianarum, quæ dantur in seruientibus horis diuinis, non pertinere ad Spolium, sed eos tantùm, qui dantur, vel obueniunt, Prælato, vel Clerico, ratione tituli Prælaturæ aut beneficij, in quo est institutus, & decurrunt in vita eius, & per superuenientiam obitus, beneficiatus exactionem inchoatam ad finem perducere non potuit, & ideò res tales manserunt inexactæ. Sic exponit Constitutionem Iulij III. *cum sicut, la* 7. *alias* 9. *de anno* 1550. Cum Gulielmo Bedoano, *tract. de Spoliis Ecclesiasticis q.* 5. Qui quidem fructus Spectant, non ad hæredem, sed ad successorem in Prælatura, aut beneficio, ex dispositione dictæ Constitutionis, & Iuris Communis, *in capite Quia sæpe de electione, lib.* 6. *cap. Præsenti de officio Ordinarij, eod. lib. can. Non liceat.* 12. *q.* 2. *& can. Placuit, can. Pontificis* 12. *q.* 3. & communi Doctorum. Nonnullos recenset Scortia, & addit. Ea tamen conditione adiecta, vt successor soluat debita, & legata ad pios vsus, si ex aliis bonis beneficiati defuncti, solui non possint.

Idem Autbot versic. *Sunt autem spolia*, ait ex 30 Dedoano *loco citato quæst.* 1. *num.* 7. Nauarro *comment. de spoliis*, §. 1. *&* Azorio *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 1. *quæst.* 2. Spolia esse quæcumque bona ab Ecclesiasticis personis, ratione, & iure Ecclesiæ acquisita, vel ex negotiatione contra Canones comparata, tempore obitus illatum, relicta à Papa Cameræ reseruata, siue mobilia, aut immobilia, se mouentia, seu iura & actiones sint. Quæ omnia quocumque nomine censeantur, sub dictione *bona*, generatim prolata, comprehendi ait, iuxta *l. bonorum ff. de verborum significatione.*

Ipse Scortia, *Epitome* 98. *Bulla Romani Pontificis prouidentia, la* 42. Pij Papæ V. aliàs *la* 44. 31 de anno 1567. ait, Ornamenta, & paramenta, libri, & res sacræ Capellæ Prælatorum, etiam priuatæ, spectant ad Ecclesias, & Monasteria, quibus præfuerunt, non ad spolia Cameræ Apostolicæ, vt nec supellectilia, tabulæ, scamna: neque relicta à non excedente 30. ducatos Camerales ex redditibus Ecclesiasticis, si abstinuit ab illicita negociatione. Quæ omnia cum maiori indiuiduatione, & nonnulla alia exprimit Bulla. Videlicet, cathedras, arcas ligneas, vel Lapideas, mensas, dolia vacua, & similia, etiam ex beneficij fructibus acquisita, vbi's relicta à clerico, ex humanis decedente. Et scutos, seu ducatos illos 30. aureos de Camera declarat, non debere fructus beneficij, aut pensionis, secundùm communem æstimationem excedere. De his tamen idem Scortia Theorem, 243.

In Theoremate, 242. nonnulla obseruat Scortia. I. ipso facto, per dictam Bullam, applicatas 32 esse Ecclesiæ, aut Monasterio res. Omnes sacras, id est dedicatas diuino cultui, ac vsui, v. gr. Missalia, libri cantus, Thuribulum, vrceoli, ornamenta, paramenta; vasa, & similia, quæ Prælatus, Beneficiatus, aut Commendatarius quolibet tempore mortis suæ reliquit. II. Vltimas voluntates, circa res præfatas, irritas esse, & nullas. III. Censuris, & pœnis furti, & Sacrilegij detentores eorum gendos esse ad earum restitutionem. IV. Possessores in Prælatia, vel beneficio, aut capitula, vel Conuentus, propria ex authoritate easdem res vbiuis repertas apprehendere, & Ecclesiis suis incorporare. V. Hæc locum non habere respectu earum rerum, quas emit Prælatus, aut beneficiarius ad donandum aliis Ecclesiis, vel ad permutandum cum aliis bonis, aut etiam vendendis,

vel dum viueret iam commutatis, aut donatis. Sicut neque aulæa tapetes, vasa aurea, vel argentea, quæ habuit Prælatus, aut beneficiarius ad suarum ædium ornatum, & splendorem, etiamsi consueuerit Ecclesiæ ad Celebritatem aliquam peragendam commodare. Denique, neque habere locum Bullæ dispositionem, respectu earum rerum, quas Prælatus, aut Beneficiarius acquisiuit ex bonis suis patrimonialibus, vel quasi v. gr. arte, Doctrina, concionibus &c. Sed ex fructibus dignitatis, aut beneficij. Vnde si res sacræ ex patrimonialibus, vel quasi comparatæ fuerint, non ad Ecclesiam, sed ad hæredem pertinebunt. Et idem est, dubio procul dicendum, de libris non sacris, id est, non dicatis ad Missas, & cultum diuinum celebrandum.

33 *In Theorema* 43. aduertit, ideò ab spolijs exclud. à Pio V. derelicta in morte à Beneficiario, vel pensionario, qui dum viueret non excedebat in annuis redditibus, vel pensionibus Ecclesiasticis ducatos 30. de Camera, secundùm communem æstimationem, quia censuit, vt notauit Axorius, *tom. 2. lib. 8. cap. 3. quæst. 7. &* Nauarres *commentario de Spolijs* §. 8. *num.* 7. totum huiusmodi beneficium, vel pensionem esse necessariam ad vitæ beneficiarij sustentationem: & ob id si quid residuum sit, esse quæsitum, vel ex patrimonio, vel parcè viuendo, & se mortificando substractum ex victu quotidiano, & consequenter quasi patrimoniale illius esse, ex Nauarro *loco citato, & tract. de redditibus Ecclesiasticis, quæst. 1. moni.* 44. D. Thoma, in 2. 2. *quæst.* 85. *artic.* 7. Soto. *lib. 10. de Iustit. quæst. 4. art. 3.* Couarru *in cap. Cum in officiis, de Testam.* Maiore *in 4. distinct. 24. quæst. 17.* Adriano *in 4. distinct. quæst. 12. & quæst. 6. art. 12.* & Azorio *institutionum Moralium, part. 2. lib. 8. cap. 3. quæst. 5. colum mihi* 938. Contra Redoanum, *de Spolijs Ecclesiasticis quæst. 3. §. Quid dicendum, num. 1. & 2.* Asserentem fructus beneficij, solum Clerico deberi tanquàm alimenta vitæ necessaria. *Ita ille quæst. 9. à num.* 8. Apud Azorium *quæst. 1.* Qui tamen *ibi, & quæst. 2.* Impugnat dicens, non solùm deberi fructus beneficiario, tanquàm alimenta, sed etiam tanquàm stipendium, & merces Laboris.

34 VIII. Apostatarum à Religione pœna est, vt in carcerem detrudantur, si blanditiis, vel etiam minis induci non possint, vt habitum dimissum reassumant, & ad Religionem regrediantur. Sic decernit Honorius Papa III. *in cap. A. nobis, el 5. de Apostatis*, per hæc, quæ sequuntur verba.
,, A Nobis expetit tua fraternitas edoceri, quid de
,, Apostatis sit agendum, cùm in custodia detinen-
,, tur, qui minis, vel blanditiis nullatenus possunt
,, induci, vt abiectum habitum reassumant. Ad
,, quod tibi breuiter respondemus, quòd tales (si
,, volueris) poteris sub graui Custodia carcerare,
,, ita quod solummodò vita sibi misera reseruetur,
,, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant.
,, Hactenus Decretalis præfati. De qua pœna videantur noster Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 3. disput. 8. quæsito 9. num. 7.* Sanchez *in Decalogum. tom. 2. lib. 6. cap. 8. num. 36. pag. mihi* 131. & Barbosa *in dicto cap. A Nobis.* Vbi illam inflictam esse non solùm Apostatis Religiosis, sed etiam Clericis Apostasiæ reis. Et recenset Bernardum *in pract. c. 114. in fine, in nouissima editione.*

35 IX. Pœnam contra eosdem Apostatas, statuit Paulus Papa IV. in Constitut. *Postquam diuina bonitas, la* 14. huius Pontificis, apud Angelum Cherubinum, *tom. 1. Bullarij magni pag. mihi* 822. quam exscribit Tamburinus, *vbi proximè*, Priuationem scilicet omnium beneficiorum, cum cura, & sine cura Secularium, & Regularium, ac fructuum, redditmany, & prouentuum Ecclesiasticorum eis quomodolibet reseruatorum, seu assignatorum; nec non graduum Bachalaureatus, licenciaturæ, Doctoratus, & Magisterij, ac quorumcúmque aliorum, in Iure Canonico, vel Ciuili, aut Theologia, seu Medicina, vel Artibus, aut quauis alia facultate, per eos etiam antequàm Religionem ingrederentur obtentorum, seu assecutorum. Nec non cuiuscúmque ministerij Ecclesiastici. Iniungit etiam inhabilitatem ad illa, & alia quæcumque, & qualiacumque obtinenda. Suspendit etiam, & priuat omni vsu, & exercitio Ordinum, & omni Ecclesiastico ministerio in perpetuum. Pro intelligentia obligationis hanc subeundi pœnam, vide Lessium *in Auctuario V. Bulla, casu.* 1.

X. Pœna in eadem Paulina constitutione contra Apostatas à Religione inflicta est, vt teneantur ipsi Apostatæ cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & habitus fuerint, birretum nigrum duabus lineis albis ex tela confectis, & digito humano latis ab vna extremitate ad aliam extremitatem circunductis distinctum, & per totam eius circumferentiam simili linea alba suffultum, ita vt omnes lineæ præfatæ oculis intuentium manifestè appareant, continuè gestare, & ad illum gestandum, compelli concedit, per quoscumque Superiores, & Iudices, etiam sæculares. 36

XI. Pœna iniungitur Patronis, tam laicis, quàm Clericis præsentantibus, Apostatas Regulares ad beneficia sui Iuris Patronatus vacantia, videlicet: quòd præsentationes eo ipso nullæ sint, & irritæ, ac inanes: & quòd ipsi Patroni Iure præsentandi alios ad eadem beneficia, pro ea vice tantùm, priuati existant. 37

XII. Pœna adest excommunicationis latæ sententiæ, in dicta Pauli Quarti Constitutione, contra quascumque personas, status, gradus, Ordinis, Conditionis, & præeminentiæ existant, etiamsi Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori Ecclesiastica dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia maiori auctoritate, seu excellentia præfulgeant, aliquem Apostatarum eorundem receptare, seu nutrire, vel illis quominus ad eorundem Monasterium, seu Domum, vel alium locum regularem redeant, fauorem, aut auxilium, seu consilium præsumentes præstare, & si eos receptauerint, vel illis fauerint, aut auxilium, seu consilium præstiterint, & per Ordinarium loci sub quo moram trahent commoniti à promissis, non destiterint. 38

Ista tamen Paulina Constitutio, vt bene notat Angelus Cherubinus ibi, & Abbas Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 2. disp. 8. quæst. 9. num. 8.* cum in ea contentis, reducta fuit à Pio Papa IV. in Constitutione *Sedis Apostolicæ la* 3. Apud eundem Cherubinum *tom. 2. Bullary pag. mihi* 3. & apud Tamburinum *pag.* 170. ad formam Iuris, & Sacrarum Constitutionum. 39

Sacra Congregatio Concilij, authoritate Vrbani Papæ Octaui. Decreta nonnulla pro Regularibus edidit 21. Septembris, 1624. & habentur in Bullario Magno *tom.* 4 inter Vrbani Constitutiones, *num* 18. *pag. mihi* 63. quintum, in ordine huiusmodi est. Rursus statuit, vt fugitiui, 40

&

& Apostatæ, siue habitum Regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur; salua tamen, in omnibus facultate Ordinariis Locorum attributa Decreto Concilij, *cap.3.sess.6.* Hactenus Congregatio. Et hæc de Apostatis à Religione dicta sufficiant.

§. III.

De Apostata à Fide?

BREVIARIVM.

Absolutio.

Absoluere potest quilibet Confessarius absque vllo Priuilegio eum, qui sine intellectus errore circa res fidei, externè hæreticas effudit propositiones: qui sacris illusit imaginibus, & si Episcopus hæc non reseruauit, n.68.

Apostasia à Fide.

Obiectum formale Apostasiæ, prout infidelitas est directè opponitur obiecto formali Fidei: & actus proprius illius, actui fidei contrariatur, n.53.

Ista Apostasia requirit pro materiali iudicium erroneum intellectus, à voluntate liberè admissum, per quòd renitatur omni veritati à Deo reuelatæ, cui fides assentitur Christiana: pro formali requirit pertinaciam, quæ saluatur in hoc quòd sciat Ecclesiam contrariam sententiam tenere, & nihilominus Iudæorum v.g. doctrinæ adhæret. num.59.

Apostasia alia mentalis: alia externa: & in quo vtraque consistat. num.60.

Apostasia purè externa, non est propriè, & formaliter, sed materialiter, & impropriè Apostasia. n.60.

Apostasia formalis est, quando quis sciens, & volens animo, totam Fidem Catholicam iam susceptam explicitè, & professam in manifestatione veritatis, & non tantùm in figura, deserit. n.60.

Apostatas.

Apostata à Fide est, qui Fidem Christi iam susceptam deserit, non ad vnum aut alterum articulum, sed quoad omnes, Christum, in totum negando, ad Iudaismum, Paganismum, vel Atheismum transeundo, n.41.50.51.

Apostata, & hæreticus conueniunt in hoc, quòd quilibet eorum desertor est Fidei Christianæ, num.43.

Differunt; quia hæreticus non omnino fidem, & Christi Doctrinam, sed in parte deserit; Apostata verò, totam illam deserit. n.44.

Aliqui docent specie differre. n.45. & 3. *seqq.*

Sed eiusdem esse speciei cùm pluribus ostenditur an. 49. *ad* 53. *Soluuntur argumenta*, an.54. *ad* 57. *Hoc discrimen, accidentale est; non specificum;* num.54.56.70.

Apostatæ conueniunt omnia, quæ de Hæretico dicuntur, num.58.

Apostata pœnas non meretur; qui tantùm externè, verbis, aut factis, Christum, & Catholicam Fidem metu grauis mali deserit, in foro tamen externo, vt verus punitur Apostata, n.61.

Peccat tamen mortaliter; non contra Fidem, sed contra Fidei confessionem, n.62.

Non incurrit in foro conscientiæ excommunicationem, & alias pœnas, n.63.

Ecclesia.

De purè internis per se non iudicat, sed de externis: & ex iis præsumptiuè iudicat de internis, n.61.

Fides.

Ratio formalis sub qua obiecti Fidei est diuina, & prima veritatis reuelatio, sub qua veritatem reuelatam Fides agnoscit assentiendo. Veritati enim diuinæ Fides innititur tanquàm medio, num.53.

Actus Fidei proprius est assentire sententiæ veræ, prout à Deo prima veritate reuelata, num.53.

Forus conscientiæ.

Est forus boni, & æqui simul coniuncti, & tribunal veritatis, non fictionis, n.63.

Infidelitas.

Prout Fidei opponitur tres habet species iuxta tres modos renitendi Fidei I. modus est renitendi Fidei non professæ. II. modus renitendi Fidei professæ in figura. III. modus renitendi Fidei expressè professæ in ipsa manifestatione veritatis. I. constituit Paganismum. II. Iudaismum. III. hæresim; num.50.

Lex.

Quæ fundatur in præsumptione, non obligat in conscientia, si veritati præsumptio non correspondet: quia præsumptio cedit veritati, n.63.

Censurarum Pœna, & alia ipso facto inflicta, non contrahuntur nisi ob delictum verum, & omni ex parte consummatum. Pœna enim delicto consummato imposita, ad tentationem non est producenda; sicut dic de pœnis per Iudicem imponendis. Quia sic reus punitur, ac si perfecisset, ex quo ad actum peruenit propinquum num. 64. & 3. *seqq.*

Præsumptio.

Præsumptio si falsa est, lex, & sententia in ea fundata, nulla sunt, num.63.

Probatio.

Si falsa sit, sententia in ea fundata, nulla est, n.63.

Species.

Speciem magis, & minus non mutant. n.51.

Speciem sumit habitus vitiosus ab actibus, & actus illam desumunt remotè & fundamentaliter ab obiecto: proximè autem ab oppositis formis, seu à rectitudine virtutis, qua priuant, & sub ratione deformitatis diuersa, n.53.

VLtimò nomen Apostatæ accipitur magis 41
propriè, pro eo, qui retrocedit, seu deserit Fidem Christi iam susceptam, non quomodocumque, quoad vnum, aut aliquos articulos, sed quoad omnes, ita vt Christus in totum negetur, transeundo scilicet ad Iudaismum, ad Paganismum, vel Atheismum. Ita Iacobus Granado 2.2. *controuersia.1.de Fide tract.5. disputat.13. num.2. & 4.* Ballæus, *verbo Apostasia num.2.* Antonius Sousa *in Aphorismis inquisitorum, lib.1.cap.8. n. 11. & 12.* cùm Banez. 2.2. *quæst.12. artic.1.* Suarez *de Fide, disput. 16. sect.5. num. 1. & 6.* & Farinació, *de hæresi; quæst.183. §.2. num.13. & 19.* Deciano, *crimin. lib.5. cap.70. num.3. & cap.71. num.5.* Penna 2. *parte Directory inquisitorum, ad quæst.49. comment.74.* Vgolinus, *de censuris Pontifici reseruatis vers. & à Christiana Fide; num.4.* Arnaldus Albertinus, *in tract. de agnoscendis assertionibus Catholicis, & hæreticis quæst.22. num.3.* cùm Bar. *in rubrica cod. de Apostatis.* Azorius, *instit. moral. lib. 8. primæ partis, cap. 11. quæst. 3.* Lezanc; *tom.2. part.3. verbo Apostasia, num.2.* Becanus, *part.3. Theologia scolastica, tract. 1. de virtutibus Theologicis; cap.14. quæst.3.* Barbosa, *in*

in cap. Quidam, num. 2. *el.*4. *de Apostatis* Leander à Santissimo *part.* 4. *tract.* 3 *disp.* 1. §. 1. *quest.* 9. Ludouicus Caspensis, *in cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 15. *de Fide. sect.* 2. *num.* 8. Scortia, *in select. summorum Pontificum constitut. Theorema.* 8. *num.* 5. *& Theorema,* 410. *versic. Primò. Theorem.* 10. *versic. Quinto.*

42 De Apostatis, io hac quarta, & vltima acceptione, procedit dubium, in quo inquirimus. *Qui sint Apostatæ, & quibus puniantur pœnis?* & quorum occasione de reliquis in præcedentibus egimus.

43 Hæreticus, & Apostata conueniunt in hoc, quod quilibet eorum desertor, sit Fidei Christianæ: & sic in significato, per nomen *Apostata*, quod Græcum est, vti ait Azotius, *vbi proximè quest.* 1. & significat eum, qui recedit ab instituto vitæ prioris, quòd tuendum publica, & solemni professione susceperat. Vnde ait ipse Azorius, Apostata Græcis idem est, qui latinis Desertor, vel transfuga: is nimirum, qui à Principe, vel Duce suo ad hostes transfugit. Qua vtique de causa, Hæreticus, Apostata dici potest; Largo tamen modo, vti Albertinus, *proximè recensitus, num.* 3. dicit, per hæc verba. Et signanter dico *propriè*, quia Largè accipiendo, etiam Hæreticus dici posset Apostata. Ita ille. Consonat Granadus *dicto num.* 4. ibi: quia licet si Hæresis, & Apostasia sumantur, pra quacumque retrocessione, seu contradictione facta Fidei jam receptæ sint omnino idem. Sousa, *n.* 10. ibi in quo sensu Hæresis dicitur Apostasia.

44 Differunt tamen in hoc, quòd Hæreticus iuxta D. Augustinum 58. *de Ciuit. cap.* 51. est, qui sub vocabulo Christiano, resistit doctrinæ Christianæ, Quasi diceret, est Hæreticus, qui non omnino retrocedit, & deserit doctrinam Christi, sed in parte aliqua ei resistit; Apostata verò est, qui in totum Christi doctrinam, & Fidem deserit. Hæreticus enim, vti ait Albertinus, aliquam veritatem de Christo confitetur. Apostata verò non, sicut Iulianus Apostata. Doctrina est ab omnibus recepta, quos viderim. Leandet *dicta quest.* 9. Lezana *num.* 2 *citato*, Bassæus, *num.* 1. Granado, *num.* 4. Vgolinus, *num.* 4. Sousa, *num.* 12. Caspensis, *num.* 8. Scortia, *num.* 4. *& Theorem.* 40. *citatis.* Azor, *q.* 5. *versic. Ad argumenta,* Vel bene, *de Parlamentis, dub.* 4. *sub sect.* 31. *sub col.* 3. *n.* 10.

45 Controuersum autem valde est inter Doctores, An Apostasia, & Hæresis, eiusdem speciei crimina sint; an verò diuersæ, in ratione infidelitatis? Pro sententia negatiua referuntur Conus, *lib.* 12. *de locis Theologicis cap.* 8. *aliàs* 9. *ad* 2. Turrecremata, *in summa lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 13. Simanca, *de Catholicis institutionibus, tit.* 7. *num.* 5. Petrus de Lorca, 2.2. *quest.* 12. *disp. nt.* 50. dicentes non esse eiusdem speciei, sed diuersæ, Apostasiam & Hæresim. Et probant *primò*, ex authoritate D. Augustini, *num. precedenti* reddita. Ex qua hoc conficiunt argumentum. Hæretici sub nomine Christiano, doctrinæ resistunt Christianæ: sed Apostatæ nomine Christiani non sunt: ergo Hæreticus, & Apostata specie differunt infidelitatis.

46 *Secundò* probant authoritate D. Thomæ 2.2. *quest.* 12. *artic.* 1. *ad* 3. dicentis: Apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quandam circunstantiam aggrauantem: prauitatem scilicet infidelitatis augentem. Sed Hæresis importat determinatam speciem infidelitatis, vti idem D. Thomas *docet.* 2.2. *quest.* 11. *art.* 1. *in fine corporis*, vbi sic concludit. Et ideo Hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos, qui Fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt: ergo in sententia. D. Thom. Hæresis, & Apostasia eiusdem speciei non sunt infidelitatis.

Tertiò. Quia Hæreticus ex parte tantùm à Fide deficit Catholica. Sed Apostata, totam deserit Chatolicam Fidem: ergo Apostasia & Hæresis eiusdem speciei infidelitatis non sunt. 47

Quartò. Apostata aliquandò transit ad Paganismum, aut Sarracenismum, aliquandò ad Iudaismum: sed Hæreticus nec Iudæus, nec Sarracenus, nec Paganus euadit: ergo Apostasia, & Hæresis, non sunt eiusdem speciei infidelitatis. 48

Secunda sententia asserit Apostasiam, & Hæresim eiusdem speciei infidelitatis esse, & ad diuersas species non pertinere: & Apostasiam Hæresi tantùm addere circunstantiam augentem deformitatem, & turpitudinem criminis. Hanc tenent Scortia, *in selectas summorum Pontificum constitutiones Theorema.* 8. *&* 40. *versic. Quinto*, Cum Sanchez *in Decalogum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 16. *&* 17. Valentia 2.2. *quest.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 1. *& quest.* 12. *punct.* 1. *nob.* 1. Petro Ledesma *in summa, tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 7. Aragon 2.2. *q.* 1. *art.* 1. Alphonse Castro *lib.* 1. *aduersus Hereses, cap.* 1. *& lib.* 1. *de Iusta Hereticorum punitione, cap,* 17. Francisco Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 5. Bannez 2.2. *quest.* 11. *art.* 1. & Penna, *in Directorio inquisitorum.* Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 3. Granado, 2.2. *Controuersia,* 1. *de Fide tract.* 15. *disp.* 13. *num.* 3. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resolut.* 54. Cum dicto Penna *part.* 2. *q.* 49. *Commento* 74. Zanardo, *in Directorio Theolog. part.* 2. *precept.* 1. *cap.* 8. *Caieta,* 2.2. *quest.* 10. *art.* 1. *& q.* 11. *art.* 1. Idem Diana *part.* 4. *tract.* 1. *resolut.* 12. Et hanc sententiam satis probabilem pronuntiat Bassæus, *verbò Apostasia, num.* 1. Lezana, *verbò Apostata. num.* 12. Illam tenet Delbene etiam, *tom.* 2. *de immunit. cap.* 10. *disp.* 2. *sect.* 2. *num.* 4. *cap.* 16. *dub.* 22. *num.* 10. Vrrugoyti *in Pastorali interno q.* 5. *tract.* 1. *num.* 4. Cum Carena *de offic. S. Inquisit. p.* 2. *tit.* 3. §. 1. *num.* 8. 49

Hæc sententia probatur. Authoritate D. Thomæ 2.2. *quest.* 10. *art.* 5. *in corpore.* Vbi docet, quòd si infidelitas attendatur circa comparationem ad fidem, diuersæ sunt infidelitatis species, & numero determinatæ: quas quidem ad solas tres reducit, iuxta tres renitendi Fidei modos: quia (inquit) aut renititur Fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est Paganorum, siue gentilium, aut renititur Fidei Christianæ susceptæ, vel in figura: & sic est infidelitas Iudæorum; vel in ipsa manifestatione veritatis: & sic est infidelitas Hæreticorum. Vnde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis. Hæc D. Thomas. Ergo sentit ipse Angelicus doctor, Apostasiam, & Hæresim vnam, & eandem constituere infidelitatis speciem. Patet consequentia, quia ipse Doctor asserit *quest.* 12. *art.* 1. *in fine corporis*, quòd Apostasia est per quàm simpliciter, & absolutè aliquis discedit à Fide, quæ vocatur Apostasia per Fidem. Secundùm hunc modum, Apostasia simpliciter dicta, ad infidelitatem pertinet. Verba sunt S. Doctoris. Sed non discedit Apostata à Fide non suscepta; sed à suscepta; & non quidem in figura, sed explicitè. Ergo Apostasia, à sufficienti partium enumeratione, ad infidelitatem pertinet Hæreticorum. Ac per consequens, in D. Thom. sententia, Apostasia, & Hæresis ad eandem speciem infidelitatis pertinent. 50

Secundò

51 *Secundò* probatur sententia. Apostasia, est retrocessio totalis à Fide Catholica; hæresis autem est ab eadem Fide partialis retrocessio. Sed magis, vel minus retrocedere ab eo, quòd semel est susceptum, speciem non mutat; ergo Apostasia, & hæresis sunt in eadem infidelitatis specie.

52 Sed obiicies Apostasia dupliciter considerari potest. *Primò*, secundùm ordinem ad terminum à quo; quatenus est retrocessio, seu recessus à vera Fide explicitè suscepta. *Secundò*, considerari potest secundùm ordinem ad terminum ad quem: Paganismũ scilicet, vel Iudaismum. Si primò consideretur modo certum est, quod non distinguatur specie infidelitatis Apostasia ab hæresi, secùs verò si secundo modo consideretur: quia enim Paganismus, & Iudaismus specie differant ab hæresi, etiam ab hac differre necesse est Apostasia secundùm terminum ad quem, à quo speciem desumit. Et hoc solùm per vos probari manifestum est.

53 Sed contra, quia obiectio ista supponere videtur, terminum ad quem Apostasiæ, Paganismum scilicet, vel Iudaismum, esse obiectum formale Apostasiæ. Ita vt idem in præsenti sit obiectum formale, quod terminus ad quem. Quod vtique ita non esse, certùm, me iudice est: quia obiectum formale Apostasiæ, prout infidelitas est, opponitur directè obiecto formali Fidei: & actus proprius Apostasiæ, directè, & propriè actui Fidei proprio opponitur. Actus autem proprius Fidei, vt Caietanus docet 2.2. *quæst.* 10. *art.* 5 *dub.* 2. *versic. Ad hoc dicitur*, est assentire sententiæ veræ, &c. prout à Deo nimirum veritate prima reuelatæ; quæ est ratio formalis obiecti Fidei, sub qua veritatem reuelatam Fides ipsa cognoscit, assentiendo. *Non enim Fides assentit alicui; nisi, quod est à Deo reuelatum Vnde ipsi veritati diuinæ, Fides innititur, tanquam medio.* Verba Angelici Doctoris reddo, ex 2.2. *quæst.* 1. *art.* 1. *in corpore*, mutuata. Actus autem cuiuslibet infidelitatis; iuxta Caietanum recensitum, est dissentire contrariè: id est sentire contrariam sententiam, quàm Fides: id est oppositum ei, quòd à Deo est reuelatum, & sub eadem ratione. Et propterea infidelitas contrariè opponitur Fidei. Cum igitur habitus speciem sumat ab actibus, & actus ab obiecto; Apostasiæ habitus, quia habitui Fidei contrarius, speciem sumet ab actibus suis dissentiendi contrariè Fidei; & isti actus à suo obiecto, & non à termino ad quem, à Paganismo scilicet, aut Iudaismo speciem sument. Speciem inquam sument ab obiecto, remotè & fundamentaliter, proximè autem speciem sument ab oppositis formis, siue à rectitudine virtutis Fidei, qua priuant; iuxta doctrinã P. Hermanni. Busembaum, *in Medulla Theologiæ*, *lib.* 5. *cap.* 1. *dubio* 3. *art.* 1. Cum Tannero *d.* 4. *de peccatis d.* 1. *quæst.* 2. Et non ab obiecto vtcumque, sed sub ratione deformitatis diuersæ; id est, quæ adeò diuersa ratione, & malitia eiusdem virtutis materia attingunt, vt quantùm est ex natura eiusdem peccati; non sit eadem facilitas; neque propensio moraliter loquendo vtrumque peccatum committendi; qualia sunt, homicidium, furtum, adulterium, detractio. Vnde est, vt omnes infidelitatis species in contrariam sententiam, ab ea inquam Fides tendit, necessario diuersimodè ferantur. Aliàs non plures, sed vnica esset infidelitatis species. Quàm quidem tendentiæ diuersitatem, exponit Caietanus, dicens. Et quia tam Fides, quàm infidelitas sit circa intellectum motum à voluntate, ideò non secundùm veritatem contrariæ sententiæ absolutè, sed secundùm quòd diuersimodè variatur voluntariè sentire contrariam sententiam, species infidelitatis sumuntur. Sunt in huiusmodi dissensu velut duo extrema, voluntariè sentire contrarium absolutè: & voluntariè sentire contrarium promissæ, & professæ sententiæ. Et inter hæc, mediat voluntariè sentire contrarium quodam modo promissæ, & professæ sententiæ. Et primum quidem constituit infidelitatem Paganorum, secundum hæreticorum, tertium Iudæorum. Hactenus Caietanus.

Ad argumenta, pro contraria sententia facta, respondetur. Et ad primum ex D. Augustino. d- 54
co, ex illo sequi Hæreticum, & Apostatam nomine differre, & accidente; minime autem specie. Non enim dicit quòd Apostata non resistat doctrinæ Christianæ; aut quòd diuersimodè ei resistat; quòd vtique debebat necessariò dicere, vt excluderet Apostasiam, ab eadem infidelitatis specie, quàm hæres sortitur: Cum infidelitatis species, non per ordinem ad nomina, aut ad accidentalem diuersitatem resistendi Doctrinæ Christianæ, in totùm scilicet, aut in parte considerentur; sed per ordinem ad resistendum, vel absolutè Fidei Christianæ non susceptæ; vel susceptæ. Et quidem si susceptæ; vel in figura, vel explicitè. Si resistentia sit Fidei non susceptæ, prima species infidelitatis, Paganismus dicta perhibetur; si vero resistentia sit Fidei, in figura susceptæ, Iudaismus, secunda infidelitatis species committitur; si tandem eidem renititur Fidei, explicitè, seu in ipsa manifestatione veritatis susceptæ. Tertiã infidelitatis species, hæresis appellata contrahitur, iuxta D. Thomam suprà recensitum.

Ad secundum respondeo, D. Thomam, dum 55 dixit, Apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, sed circunstantiam illius aggrauantem; intelligendum esse, voluisse dicere, non importare speciem distinctam ab infidelitate sed intra eandem prauitatem augere. Quod ex eius doctrina, *num.* 50. reddita, demonstratur.

Ad tertium, concessa maiore, & minori nego 56 cõsequentiam. Quia ex præmissis solùm sequitur, quòd ad plus se extendat recessus Apostasiæ, quàm hæresis; quia hæc recedit ab vno, vel altero, aut à pluribus quidem Fidei articulis; Apostasia vero ab vno, & omnibus; nullo excepto retrocedit. Ex hoc autem diuersitatem specificam inter vtramque; neutiquam licet inferre; cùm magis, & minus intra eandem speciem, bene concordare queant, concinnè sibi cohæreant.

Ad quartum denique respondeo; concessa ma- 57 iori distinguendo minorem: Hæreticus, nec Iudæus, nec Paganus, aut Sarracenus fit: si ly Hæreticus, vt communiter sumitur, pro desertore aliquorum Fidei Catholicæ articulorum, sed non omnium accipiatur, concedo minorem; quia Iudæus, & Paganus, & Sarracenus, totam Christianam negant Fidem; si vero sumatur pro desertore totius, & integra præfatæ Fidei, quàm semel susceperat; & professus fuerat, nego minorem: quia ille qui sic in totum scilicet recedit à Fide, vel fit Paganus, vel Iudæus, profitendo Paganismum, vel Iudaismum; etiam Hæreticus conuincitur, quia de ratione essentiali hæresis est, quòd renitatur Fidei explicitè; & in ipsa manifestatione veritatis reipsa susceptæ, ac professæ. Vnde nego consequentiam.

Ea omnia, quæ suprà, dubio primo de hæresi, 58

ac Hæretico diximus, in præsenti diei debere, ex modo assertis colligitur: si enim omnis Apostata à Fide Hæreticus est, quæ Heretico conueniunt, per necesse Apostatæ conuenire, negari nequit (vno tantùm excepto, in quo differunt, de quo hic *num* 54.) vnde Graffis, *p.* 1. *decis. aurear. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 18 ait: quòd dicti Apostatæ hodie sunt verè Hæretici, & consequenter in illis locum habent omnia Iura loquentia de Hæreticis. Hæc ille.

59 Vnde ad Apostasiam à Fide, duo requiruntur: pro materiali vnum; & aliud pro formali. Pro materiali requiritur iudicium intellectus erroneum, voluntarium, & liberum, seu, à voluntate liberè admissum, per quod quis dissentiat, & renitatur omni veritati à Deo reuelatæ, cui Christiana Fides assentitur. Pro formali requiritur pertinacia, quæ in hoc satis saluatur, quòd sciat Ecclesiam Catholicam contrariam sententiam tenere, & nihilominus Iudæorum, aut Paganorum doctrinæ adhæreat, ab Ecclesiæ doctrina, quam explicitè susceperat, & professus iam fuerat, retrocedendo.

60 Diuiditur Apostasia in mentalem, & externam. Interna Apostasia, seu mentalis, est error integræ Fidei contrarius, mente conceptus, absque vlla illius externa manifestatione, per verbum, aut signum, per quod ille queat dignosci, ex se, aut ex circunstantiis adiunctis, vel ex personæ qualitate; sufficienter tamen, & ex deprauato animo, seu ex malo affectu propalatus: & in materia quidem graui. Apostasia autem externa subdiuiditur in occultam per accidens, manifestum, publicam & notoriam. Et loquimur de Apostasia, quæ simul interna sit, & externa. Quæ autem externe solùm verbis, vel factis, non tamen animo desciscit à Fide Christi, verus Apostata non est, nec vtique dici valet. De quibus Azorius *part.* 1. *institut. Moralis, lib.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 4. Lezana *tom.* 2. *part.* 3. Verbo *Bulla Cœnæ num.* 8. & nos ipsi *suprà dub.* 1. *num.* 19. In simili de Hæresi, vbi cum Trullench. diximus, Hæresim purè externam, ad hæresim materialem red ci. Idem possumus dicere in præsenti de Apostasia purè externa; esse scilicet Apostasiam materialiter tantùm, non autem formaliter: quia Apostasia formalis est, quando quis sciens, & volens, animo abscedit, refugit, deficit, dissentit, deserit, aut rebellat, vel renititur ex integro Fidei Catholicæ iam susceptæ, & professæ explicitè in manifestatione veritatis, & non tantùm in figura.

61 Exquo fit Apostatam exteriorem, qui metu grauis mali, v.g. mortis, seruitutis, carceris perpetui, tormentorum, fustigationis, exitij perpetui Christum negat, & eius Fidem verbis, aut factis tantùm, asque eo, quòd in animo Christum, & Catholicam deserat Fidem, eique renitatur, pœnas non mereri Apostatarum: quia non est verè, & propriè Apostata, cum ei desit ratio formalis Apostasiæ; in foro tamen exteriori Apostata censebitur, & tanquàm talis pœnis punietur Apostatæ inflictis, vti bene docet Azorius, *vbi proximè, quæst.* 5. Aug Barbosa, *de potestate Episcopi, part.* 2. *allegat.* 40. *n.* 33. Trullench. *in expositione Bullæ Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *dub.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. Granado, *Controu.* 1. *de Fide tr.* 15. *sect.* 2. *num.* 6. & 7. Escobar, mox citandus Delbene, *de parlamentis, dub.* 4. *sub sect.* 31. *ex Corollario* 7. *sub corollario* 1. cum Suarez, Sanchez Filucio, Syluio, Homo bono, valer, Giptio, Zanardo, Mercero, Bannez, Torreblanca, & communi Doctorum. Fagundez *in* 2. *precept. Eccl. lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 39 Cum Nauarro, Toleto, Syluestro, & Tabiena, Caietanus 2. 2. *q.* 12. *art.* 1 *in fine.* Et ratio est, quia Ecclesia, vti diximus, *dub.* 1. *n.* 24. non iudicat de animo, & de purè internis, seu de occultis per se, sed de externis; & de internis iudicat præsumptiuè ex externis. Ex iis enim præsumit, eadem ex animo prodiuisse ex illius plena deliberatione, & intimo cordis affectu.

Cum hoc tamen stat, quòd peccet mortaliter, 62
qui ex metu, quantumuis graui, externè tantùm Apostatat. Antonius de Escobar *in Theologia Morali, tract.* 15. *examine.* 1. *de Fide, cap.* 5. *n.* 82. Azorius *dicta q.* 5. & omnes Doctores iis subscribere adstringuntur, ob ea, quæ satis fundamentaliter idem fatur Azorius cuius verba reddere non grauabor. Quæres (inquit) quòd igitur peccatum est hæc Apostasiat? Respondeo, esse quidem peccatum Lethale, quamuis metu mortis Fidem quis abneget. Est enim per se malum, Fidem, & Religionem Christianam, verbo, aut facto, deserere. Vnde peccatum est non quidem contra fidem, sed contra confessionem Fidei. Nam & animo credere, & ore profiteri Fidem Catholicam debemus. Porrò qui ore tenus Fidem tantùm abnegat, quamuis metu mortis, sponte tamen abnegat, & proinde grauiter peccat. Neque enim mortis metus iuxta excusationem dat in iis, quæ sunt per se mala, vt est communis omnium sententia. Hactenus Author præfatus. Accinit Barbosa, *num.* 32. Fagundez *num.* 39. Delbene, *num.* 1. Caietanus, 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. *in fine.*

Et quæ de aliis pœnis diximus, seu de pœnis 63
contra Apostatas institutas in communi, seu in genere asseruimus, de excommunicatione contra eos lata, dicendum censeo. Nimirum ea neutiquam Apostatam in foro conscientiæ, & interno affici, si in eo Fidem non deseruit; sed quia in foro externo, veri Apostatæ, vt diximus, præsumuntur, excommunicati censentur. Prioris partis istius assertionis ratio est, quia Apostatas veros, & formales tantùm, intendit Ecclesia excommunicatione afficere; minimè verò materiales, & qui externi tantùm tales sunt; lex enim fundata in præsumptione, non habet locum coram. Deo, si veritas ei non correspondet. Marcus Vitalis *in indicè vtriusque Iuris textuum, verbò lex ad calcem Arca vitalis apposito, ex cap. is qui Fidem & 30. de, sponsalibus.* Lezana, *tom.* 2. *part.* 4. *verbo, lex Regularium n.* 61. *ex eod. cap. is qui, & ex cap. veniens ad nos, et* 15. *eod. tit.* Diana, *part.* 1. *tract.* 10. *resolut.* 27. Cum Homobono, *in examine Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *q.* 53. & aliis penes eum. Cum Ioanne etiam Valero, *in differentiis vtriusque fori, verbo, lex, different.* 15. *n.* 1. Lazman, *in Theolog. morali tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 4. Fernandez *in examine Theologiæ moralis, part.* 2. *cap.* 4. §. 3. *vers.* 4. & Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 55. & ex hac doctrina, multa ibi Corollaria, Antoninus deducit Diana. Eligius Bassæus *in summa, verbò, Lex IV. num.* 12. *versic. Quinto. Et versic. Aduertendum est*, cùm Sanchez, *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 37. Salas, *de legibus, disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 19. Suarez, *eod. tract. lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 9. Bonacina, *tom.* 2. *disput.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 3. *num.* 8. Syluestro, verbo, *Lex quæst.* 9. Siluio, 12. *quæst.* 96. *articulo* 4. *quæsito* 10. Et eodem Diana, *part.* 3. *tract.* 5. *miscelaneo, resol.* 56. Idem docet Bassæus, de sententia in falsa præsumptione fundata. Pax Iordanus, *tom.* 3. *de re Iudiciali*

lib.

lib. 14. *tit.* 25. *de sententia*, *num.* 79. Vbi idem dicit de sententia lata ex falsa probatione, aut præsumptione, ac de Lege in ista fundata.

Et addit rationem. Forus enim conscientiæ, est Forus boni, & æqui simul coniuncti, & Tribunal veritatis, non fictionis. Bald. *in l. vnica, Cod. de confessis.* Cassaneus plurima cumulans ad rem *in suo Cathalogo gloria mundi*, *part.* 4. *consid.* 6. Versic. *Septimo peccauit Pilatus.* Hæc iordanus. Lessius, *lib.* 2. *de Institia*, *cap.* 31. *dub.* 4. *num.* 24. *pag. mihi* 328. eandem sententiam, quoad Legem, & sententiam, tenet. Thomas, Delbene, *de immunitate part.* 1. *cap.* 5. *dub.* 18. *num.* 9. Ibi Quia cum præsumptio cedat veritati, cessat lex in præsumptione fundata. Palaus, *tom.* 1. *tract.* 5. *disput.* 1. *punct.* 14. Cum Basilio de Leon *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 5. *num.* 6. Sayro, *in claui Regia lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Nauarr. *in Manu. cap.* 17. *num.* 784. *& cap.* 25. *num.* 62. Couarru. *in cap. Cum esses*, *de Testament. num.* 9. *& in Epitome decret.* 1. *p. cap.* 4. §. 1. *num.* 9. Gabriel Vazquez *in* 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 163. *cap.* 2. *num.* 8. Cum Baldo, *in l. cum quis codde Iuris, & facti ignorantia*; *col.* 3. Iason, *in Rubrica ff. de acquirenda Hæredit. col. penult.* Felino, *in cap.* 1. *de Constitut. num.* 4. *& in c. Sicut dignum*, *de homicidio*, & Decio *in dict. c.* 1. *colum.* 8. Emanuel, *tom.* 1. *qq. regular. q.* 67. *art.* 3. *in princ.* Cum pluribus ibi recensitis. Panormitanus; *in cap. Canonum*, *num.* 10. *el* 1. *de constuit.* Cum Innoc. *in c. quia plerique in fine, de immunit. Eccl.* Et ponit exemplum *in dicto c. ex qui fidem*, *de sponsalibus*, *&* probat *ex can. veritate, el* 4. *distinct.* 8. Vbi Augustinus ait. veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Nonnullas ea nen fallacias istius doctrinæ tradunt. Authores; sed quia ad casom nostrum minimè spectare dignosco, ne diutius moram traham, earum enarratione, lubens supersedeo.

64 *Secundò* probatur prima huius assertionis pars. Quia censuræ, & pœnæ delictum aliquod afficientes, cum vti odiosæ, strictam habeant, interpretationem, non contrahuntur nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consummatum. Fagundez, *in* 2. *præcept. Eccl. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 40. Delbene, *de Parlam. duo* 4. *sub sect.* 31. *ex corollario* 7. *sub corollario* 1. *n.* 3. Barbosa; *in cap. Auaritia n.* 11. *&* 5. *de electione lib.* 6. Cum Crescent. *de Iure Patronatus decis.* 6. *n.* 17. *&* 18. & Lotterio, *de Re beneficiaria, lib.* 2. *q.* 13. *n.* 6. Idem Barbosa, *in cap. Hac constitutione, n.* 21. *el.* 15. *& final de officio, & potest. Iudicis legati, in eod. lib.* 6. Roderiquez, *tom.* 1. *quæstion. Regularium, quæst.* 65. *art.* 10. *versic. circa quod*, ibi: antequàm fiat. Bassæus, *verbo, Pœna, n.* 6. Sanchez, *tom.* 3. *de Matrimonio, lib.* 10. *disp.* 4. *n.* 12. *in medio*, ibi Quia pœna delicto consummato imposita, ad tentationem producenda non est, *l. sæpe ita, ff. de verborum significatione.* Emanuel Sa; *verbo, Pœna, n.* 17. Syluester, *eodem verbo, q.* 5. Cum Bar. *in l. is, qui cum telo, Cod. de sica*, Limitat tamen Syluester in pœna, quæ venit imponenda per Iudicem, quia talis (inquit) sic punitur, ac si perfecisset ex quo peruenit ad actum propinquum, vt *in l. si quis non dicam rapere, cod. de Episcopis, & Clericis. Et dicta l. is, qui cum telo.* Eandem limitationem addunt Bassæus, & alij, & non pauci illam supponunt, cum loquantur de Pœna Iuris, de quorum numero est Sà, Abbas, *in cap. Constitutis, n.* 13. *el.* 1. *de eo, qui mittitur in possessionem, causa rei seruandæ, vbi in margine adduntur* Alexander *consilio* 111. 3. *lib.* & Cæpo, 116. *consil.* Sed libuit nostri magni Panormitani, Nicolai Pudeschij. doctrinam, ad amussim reddere.

Duo tamen notabilia dicta in hac materia no- 65
to. *Primum*; quod vbi pœna imponitur ipso Iure, non habet locum, nisi delictum perficiatur. Nec sufficit, quod pars peruenerit ad actum propinquum. Aliter tamen arbitrio Iudicis punietur pro inchoatione delicti. Hoc singulariter, probatur *in c. cum in cunctis, de electione, iuncto c. perpetua, eod. tit. l.* 6. Ponit Iuannes Andreas in dicta Regula, *in Pœnis* (scilicet *la* 49. *de Regulis Iuris, l.* 6.) *Secundum* dictum, notandum est, quòd licet regulaliter in pœna imponenda sufficiat solus affectus animi, si peruenerit ad actum propinquum, nec pro eo deficit quin perfecerit, sed per impotentiam facti, adeo quod debeat puniri, ac si perfecisset, *vt in l. si quis non dicam rapere, cod. de Episcopis, & Clericis l. is, qui cum telo cod. ad* Legem *Corn. de sic. c. Canonizata, de Pænitentia, distinct.* 1. Et ita voluit illa glossa in secunda solutione (videlicet glossa, *in dicto cap. constitutionis verbo, voluntatem.*) Hoc tamen non habet locum in pœnis impositis per statutum. Vnde si dicit statutum: si quis occiderit, occidatur: non debet hanc pœnam pati ille, qui habuit voluntatem occidendi, & peruenit ad actum propinquum. Quia verba statuti exigunt actum perfectum. Ita notanter dicit Bar. *in l.* 1. §. *Diuus ff. de sic. Et in l.* 1. *qui cum telo, præalleg.* Hoc fortifico hac ratione. Quia intelligi debent in casu vero, & proprio, non autem ficto, *vt l.* 3. §. *Hæc verba, ff. de negotiis gestis, & in cap. in nostra.* Et quod ibi noto, *de Iureiurando.* Sed statutum imponit pœnam pro delicto perfecto: ergo non potest intelligi in eo, qui non perfecit; licet voluntatem habuerit perficiendi: quia fictè dicitur perfecisse propter voluntatem, & affectũ, non autem verè. Hæc bene notat gloss., in *verbo parati, in principio.* Est facilis. Huiusque Ecclesiasticæ disciplinæ Coryphœus, Abbas noster Panormitanus, inter Iuris Pontificij Summos interpretes, facilè Princeps.

Cuius doctrina, & aliorum, quos pleno recen- 65
sui calamo, supposita, facilè, efficaciter tamẽ, quòd asserui, de non incursione censuræ in foro conscientiæ, contra Apostatas inflictæ, per eum, qui tantùm in foro exteriori Apostatare dignoscitur, probo secundò. Censuram, aut pœnam aliam alicui delicto inflictam non incurrit, qui perfectè delictum illud, & consummatè non perpetrat. Sed qui externè tantùm ad Paganismum, aut Iudaismum Fide Catholica in animo retenta accedit, non perpetrat perfectè & consummatè Apostasiam: ergo in foro conscientiæ saltem, excommunicationem, & alias pœnas Apostatis inflictas non incurrit. Consequẽtia legitimè ex præmissis infertur. Maior Communissima, vt vidimus est. Minor autem certissima, & sine vlla controuersia, ab omnibus admittitur Doctoribus, asserentibus vtique formale Apostasiæ in recessu totali, internáque, à Fide Catholica, rebellione consistere. Sed nihil potest Consummatum, & perfectum dari, sine eo; quod est de eius ratione formali: ergo qui externè tantùm Paganismum, aut Iudaismum admittit; perfectam non perpetrat Apostasiam.

Tertiò tandem probatur, Authoritate grauissi- 66
morum, ac plurium Doctorum nobiscum sentientium. Recenset, & sequitur Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 6. Directorium Inquisitorum, *part.* 1. *quæst.* 9. *comment.* 24. Simancam *de*

Catholicis institutionibus sit.... num. 36. Albertinum *in Repert. Rubrica de Hæreticis lib.* 6. *quæst.* 13. *num.* 67. Contradum Brunum, *de Hæreticis. lib.* 1. *cap.* 4. Syluestrum *verbò Apostata quæst.* 1. Angelum, *verbò eodem quæst.* 9. Tabienam, *verbo Apostasia, quæst.* 3. Roselam, *eodem verbò num.* 1. *& verbo Hæreticus, num.* 4. Sentit Leander à Santissimo Sacramento, *part.* 4. *tract.* 3. *disput.* 1. §. 1. *quæst.* 10. Cum Sanchez, *tom.* 1. *in Decalogum, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 18. Idem Leander. *tract.* 1. *disput.* 8. *quæst.* 6. Cum Filliucio *in tract.* 11. *cap.* 6. *q.* 6. *num.* 176. Bastellio, *de Censuris in genere, q.* 4. *art.* 2. *n.* 4. *pagina* 100. Auila *pars* 1. *dub.* 2. *Conclus.* 3. Luysio, *lib.* 1. *de censuris, dist.* 4. *dub.* 5. *in fine*, Bauny, *q.* 1. *in cap.* 1. *Bulla cœna, versic. Ita secundò patet.* Syluio, 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 3. *quæst.* 1. *Conclus.* 2. Toleto, *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. Bonacina *disp.* 1. *q.* 1. *puncto.* 3. *num.* 14. Gabriel Vasquez, *tom.* 4. *in* 3. *p. tract. de excommunicatione, dub.* 13. *num.* 4. *vers. Tandem.* Bassæus, *verbo Censura num.* 15. Diana, *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 1. *in principio, &* 3. *parte, tract.* 4. *resol.* 143. Cum Homo bono de bonis, *in examin Eccles. part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 4. Ioanne Valero, *in differentiis vtriúsque fori, v. Hæresis, different.* 2. *num.* 1. Giptio, *tract. de casib. reseruat. cap.* 6. *casu.* 4. *num.* 83. *&* 84. Zanardo, *Directorio Theologorum, quæst.* 2. *præcep.* 1 *cap.* 11. quorum Verbo recenset, & Syluij, *vbi proximè*, Scortia, *in select. summor Pontificum Constitut. Theorem.* 410. *vers. Primò, in fine* Delbene, mox citandus, cum Merceto, *de Sacramentis, in* 3. *part. D. Thom. quæst.* 66. *art.* 9. *num.* 4. Fagundez, *in* 2. *præcept. Eccl. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 39. Lessius, *de Iustitia, lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *num.* 11. *& finali*, cum Syluestro, *verbo, Hæresis*, 1. *quæst.* 6. & Nauarro, *in Manuali, cap.* 11. *num.* 27. sequitur Læssium, Castrus Palaus, *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 16. & Franciscum Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thom. de censuris, disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. *& disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 3. *& tract. de Fide disp.* 14. *sect. vltim. num.* 3. Idem Palaus, *tom.* 6. *de censuris, tract.* 29. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 3. *cum* Toleto, *lib.* 1. *Summa, cap.* 18. *num.* 5. Sayro *de censuris, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. *&* 21. Ioanne Chapeauilla, *tract. de casibus reseruatis part.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 1. & Bonacina, *tom.* 3. *de censuris, de excommunicat. Bulla disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. Augustinus Barbosa *de officio, & potest. Episcopi, part.* 2. *allegat.* 40. *num.* 32. Cum Archidiacono, *in cap.* 1. *de Summa Trinit. in fine, lib.* 6. D. Antonino, 2. *p. Summa, tit.* 12. *cap* 12. §. 1. Bannez, 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *q.* 2. *vers. Tertia conclusio*, vbi dicit esse communem sententiam Iuris peritorum. Aragone *ibi artic.* 3. §. *Sed dubium est, quisnam possit. Versic. Dico sexto.* Repertorio inquisitorum, *verbo, Hæreticus* §. *Si verò hoc facit.* Rosella, *verbo Hæreticus, num.* 4. *versic. quid de illo*, & cum Penna, *in Directorio inquisitorum, part.* 2. *super. quæst.* 41. §. *An autem qui metu*, Qui & alij communiter docent contra Caietanum oppositum sentientem, 2. 2. *q.* 94. *art.* 1. *circa responsionem ad primum*, Hæreticum, & Apostatam, qui Fide in animo retenta, solùm externè b ca, in parte, vel in toto terrocedunt, neutiquam excommunicationem in foro conscientiæ, & animæ incurrere; in externo tamen, pro excommunicato haberi, puniri, & absolui: & denunciari debere Inquisitoribus.

68 Et eandem docet Diana *dicta* 3. *parte resol.* 143.

cum Syluio, Homo bono, Valero, Bartholomæo, Giptio, & Zanardo, *locis modo redditis* posse Parochum, & quemlibet Confessarium absque Priuilegio Bullæ Cruciatæ, aut alio simili in foro conscientiæ absoluere eum, qui sine errore intellectus, circa mysteria, & res Fidei Catholicæ, externè propositiones Hæreticas effudit, qui Sacris imaginibus illusit, qui carnes tempore comedit prohibito qui Mahometo, aut idolis cultum exhibuit, & reuerentiam, & Apostasiam admisit externè, aut metu compulsus, aut lucri spe adductus, aut ira, vel alia quacumque passione commotus; dummodo huiusmodi facinora Episcopus sibi non reseruauerit. Barbosa etiam *dicta allegat.* 40. *num.* 33. Tenet cum Aragon, *loco citato*, Hæreticalia, vel Apostatica dicta, vel facta, exteriùs dicentes, aut facientes Fidem Catholicam interiùs retinentes, à quolibet idoneo absolui posse Confessario: quia eorum crimen reseruationem non habet, per quàm pænitentes absolui, & Confessarij absoluere prohibeantur. Idem docent Thomas Delbene *de Parlamentis, & comitiis, dub.* 4. *sub sect.* 31. *ex corollario* 7. *sub corollario* 1. *num.* 1. Fagundez *dicto num.* 39.

§. IV.

De Pœnis Apostatæ à Fide inflictis.

BREVIARIVM:

Pœna.

Eisdem pœnis subest Apostata à Fide, ac subest Hæreticus. Eisdémque subsunt Receptatores, Fautores, & Defensores Apostatæ, ac Hæretici Fautores, &c. num. 69. 70. 71.

QVòd si petas, quænam pœnæ Apostatis à Fi- 69
de à Iure inflictæ repetiantur? Respondeo, easdem omnino constitutas inueniri pœnas in Iure, contra huiusmodi Apostatas, ac contra Hæreticos. Ita docent Azorius *parte* 1. *institution. Moralis lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 7. *cum Hostiensi*, & Ioanne Andrea. Noster Abbas Panormitanus, *in cap. Præterea, n.* 3. *el.* 1. *de Apostatis.* Lezana, *tom.* 2. *Summa, quæst. Regularium, part.* 3. *verbo, Apostasia num.* 2. Cum Sanchez, *operum Moralium, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 18. *& verbo, Bulla cœna, n.* 8. *& verbo, irregularitat, n.* 61. *circa medium*, cum Suarez, *de censuris tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 42. *sect.* 2. Toleto, *in Summa lib.* 2. *cap.* 69. *num.* 1. & dicto Sanchez, *eod. lib. cap.* 25. *num.* 2. Thomas Delbene, *vbi proximè, sub corollario* 3. *num.* 10. *pag. mihi* 89. Cum Canonistis, *in dictum caput.* 1. *de Apostatis.* Caietano, *verbo, Apostasia.* Valenna, *tom.* 3. *disputat.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 1. Syluester *verbo Apostasia, num.* 2. Cum innocentio *in cap.* 1. *de Hæreticis.*

Et probatur, cum ratione: Quia Apostata à 70
Fide, Hæreticus est, & ab Hæretico non differt essentialiter, sed solùm tanquàm magis, & minus intra eandem infidelitatis speciem, vti *à numero* 49. Probauimus: & vti Panormitanus, *vbi proximo* docet, Iura contra Hæreticos statuta, respectu Apostatæ locum habent: ergo eisdem omnino pœnis Apostata a Fide plectitur à Iure, ac Hæreticus punitur.

Tum

Tum etiam, ex textu *in cap. 13. de Hæreticis, lib. 6.* vbi sic Bonifacius Papa Octavus, contra Apostatas statuere, & decernere dignoscitur, videlicet. Contra Christianos, qui ad ritum transierint, vel redierint Iudæorum (etiamsi huiusmodi redeuntes, dum erant infantes, aut mortis metu, non tamen absolutè, & præcisè coacti baptizati fuerunt) erint tanquam contra Hæreticos, si fuerint de hoc confessi, aut per Christianos, seu Iudæos convicti. Et sicut contra Fautores, Receptatores, aut Defensores Hæreticorum: sic, contra Fautores, Receptatores, & Defensores talium, est procedendum. Hactenus Papa Bonifacius.

Quales autem sunt pœnæ contra Hæreticos statutæ, infrà in speciali dubio demonstrabimus, quod erit sub hac prima Disquisitione, duodecimum in ordine.

DVBIVM VII.

Qui schismatici dicantur, & sint, & quibus Pœnis puniantur?

§. I.

De significatione nominum Schisma, & Schismaticus.

BREVIARIVM.

Charitas.

Vbi non est Charitas, Iustitia esse non potest, numero 7.

Consecratio.

Schismatici consecrare non possunt, nec consecrari, num. 8.

Fides.

Vbi non est, non potest esse Iustitia, n. 7.

Iustitia.

Vide *Charitas, Fides*, n. 7.

Schisma.

Nomen est Græcum, idem importat, quod Latinum scissura, à verbo Scindo, *quod est separare, frangere, dividere*, n. 1.

Nullum est schisma, quod sibi aliquam non confingat hæresim, vt rectè ab Ecclesia decessisse videatur, n. 1.

Inter parientes schisma, pax diù esse non potest, num. 5.

1 PRo tituli, dubij propositi intelligentia, supponendum est, hoc nomen *Schisma*. Græcum esse, & idem Latinè portare quod nomen *Scissio*, seu *Scissura*, à verbo Græco significante idem, quod verbum Latinum *scindo*, quod est frangere, dividere, & seditiones efficere; id est quod seorsim eant alij, ad alium, causare. Ita Divus Thomas 2. 2. *quæst. 39. art. 1. in corpore*, vbi: vel potest dici, quòd peccatum Schismatis, quandoque graviùs est punitum in populo illo, quia erat ad seditiones, & schismata promptus. D. Augustinus *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 5.* recensitus à nostro Petro Crespetio *in Summa Ecclesiastica disciplinæ, verbo Schisma*, ibi: Qui in discordia perseverant schismatis, ad funiculum pertinent Ismaëlis.... Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit, quæ sunt Spiritus Dei, omnes dissensitiones, & schismata generantur. Idem Augustinus *libro 2. contra Cresconium Grammaticum, cap. 3.* Ita fatur, hæresis est diversa sequentium secta, schisma vero eadem sequentium separatio. Et *cap. 7.* Inter schisma, & hæresim magis eam distinctionem approbem, qua dicitur: *schisma est recens Congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio.* Neque enim schisma fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur, qui faciant. Hæresis autem est schisma inveteratum. D. Hieronymus *in Epistolam ad Titum, cap. 3.* ab eodem ibidem Crespetio, recensitus, sic ait; Inter Hæresim, & Schisma hoc esse arbitror, quod Hæresis perversum dogma habeat; Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet, quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Cæterùm nullum Schisma est nisi sibi aliquam confingat Hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Ita D. Hieronymus, relatus *in can. Inter hæresim, causa 24. quæst. 3.*

Noster etiam Cardinalis Hostiensis D. Petrus 2
Damianus *tom. 3. opusc. 27. cap. 3. pag. mihi 225.* in hæc prorumpit. Porrò non illi soli schismatici sunt dicendi, qui Fidei vnitatem dividunt; sed ij etiam, qui se per elationis, vel avaritiæ vitium à fraterna charitate divellunt. D. etiam Gregorius Magnus *tomo 4. Registri, Epistola 38.* ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, Schismaticum, *paulò ante finem*, ibi: Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo, Ecclesia scinditur. *In eod. tom. lib. 10. Epistol. 31.* in qua quidem Episcopus quidam hæresim suam anathematicans, sæpè idem ait: Magna (inquit) cautela nitendum est, ne latenter author schismatis irruat, & ab vnitatis radice eos, qui ad eam reversi fuerant; telo iterum erroris abscindat. *Et ideò postquam ego ille Civitatis illius Episcopus, comperto divisionis laqueo, quo tenebatur*, diutina mecum cogitatione pertractans, prona, & spontanea voluntate, ad vnitatem Sedis Apostolicæ; divina gratia duce reversus sum. Et ne non puramente, seu simulatè reversus existimer; sub mei ordinis casu, & anathematis oblatione, atque promitto tibi, & per te, Sancto Petro Apostolorum Principi, atque eius Vicario Beatissimo Gregorio, vel Successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo, ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reversurum: sed semper me in vnitate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & Communione Romani Pontificis per omnia permansurum. Vnde iurans dico, per Deum omnipotentem, & hæc Sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, & salutem gentium, atque illustrium dominorum nostrorum Rempublicam gubernantium, me in vnitate, sicut dixi, Ecclesiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio sum reversus, & Communione Romani Pontificis semper, & sine dubio permanere. Quòd si, quod absit, aliqua excusatione, vel argumento, ab hac me vnitate diverstero, periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, & cum authore *schismatis, habeam in futuro sæculo portionem.* Hæc omnia præfatus Episcopus.

In eadem fuit sententia noster D. Anselmus 3
Cantuariensis Archiepiscopus *lib. 3. Epistolarum, Epistola 36.* ad Episcopum Albanensem, & Cardinalem

dinalem Vvalterum, *fol. mihi*, 68. ibi: *Dicitis quosdam illorum vobis dixisse*, ideò vos offendisse in me, quia permisi me à Catholica Ecclesia transferri ad scismaticos, & ab illis consecrari, si fieri, sicut addictis, potest, & à sch smatico Rege investituram accepisse, & illi fid. litatem, & hominium fecisse, quos omnes sciebam esse *schismaticos, & divisos* ab Ecclesia Christi, & à capite meo Vrbano Pontifice, quem ipsi me audiente abnegabam. Certè nesciebam, nec sciò eos schismaticos, aut sic divisos ab Ecclesia fuisse, vt dicunt. Et si aliquis eorum, qui hoc vobis dicunt, me præsente hoc diceret, ostenderem rationabiliter, non ita esse.

4 Noster etiam Rabanus Maurus, *de Institutione Clericorum, lib.* 2. *cap.* 58. in opere de divinis Officiis, vetustorum Patrum, *pag. mihi* 305. ita fatur. Schisma, à scissura animorum nomen accepit: eodem enim cultu, vt cæteri, solo Congregationis delectabitur d ssidio. Hæc Rabanus, magni etiam Albini, seu Alcuini nostri discipulus, Fuldensis Monasterij Benedictinorum Monachus, & Abbas, & Sextus Archiepiscopus Moguntinus, qui sub annum Domini 855. non sine Sanctitatis obiit opinione.

5 Non minùs prædictis, noster Melifluus Doctor accinit Bernardus *sermone* 37. *in cantica*, paulò post medium *tom.* 5. *pag. mihi* 65. *versiculo Isaac.* Quasi foveam fodit, qui terreni sensus acumine Scripturæ soliditatem penetrat, & violenter scindit ortulum Ecclesiæ, quoddam incognitum dogma producens & obscura mysteria. Sed & qui subtili scrutinio, & dolosa machinatione fraternæ Charitatis solida perforat, & discordiæ venam aperit: qui se conspirationum claudit, & signat in puteo non acquiescens egredi, sed magis, ac magis ingrediens interiora schismatis, & eius effodiens abyssum.... Non potest sibi constare discordia, non potest inter parientes schisma perpetua præservari. Ipsum schisma infidum est sibi, nequit sibi cohærere diutiùs, quod charitas pertentat dissolvere glutinum. Hactenus Clarebalensis Abbas.

6 Idem ex pluribus sacris Canonibus manifestè convincitur. Pelagius Papa id docet *in can. Non vos*, 23. *q.* 5. ante medium ibi: Quisquis ergo ab Apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse, non dubium est. Idem Pontifex *in canone immediatè sequenti, de Liguribus*, vbi ita fatur: Quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est restiterit, vel seorsim collegerit, aut aliud Altare erexerit, seu schisma fecerit: iste excommunicetur, atque damnetur. Quod si fortè & hoc contempserit, & permanserit divisiones, & schismata faciendo: per potestates publicas opprimatur. Hæc ibi.

7 In canone Advocavit 24. *causa, quæst.* 5. B. Ambrosius ita ait: Luciferenim se à nostra communione diviserat: & quanquam pro fide exulasset, & Fidei suæ reliquisset hæredes, non putavit tamen fidem esse in schismate, nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant, cuius patiebantur velut quasdam artus dividi, & membra lacerari. Sic Mediolanensis Antistes. Etsic Augustinus *in canone Vbi sana, ead. caus, & quæst.* Vbi sana fides non est, non potest esse iustitia: quia iustus ex fide vivit: Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant: quia similiter vbi Charitas non est, non potest esse iustitia: Dilectio enim proximi, malum non operatur: quam si Hæretici haberet, non dilaniarent Corpus Christi, quod est Ecclesia Catholica. Hactenus Hipponensis Præsul.

Liberius Papa *in can. Pudenda* 24. *causa, qu.* 1. vbi de Schismaticis Episcopis ait, nec consecrare, nec consecrari posse dicens. Consecrare enim est simul sacrare: sed ab Ecclesiæ visceribus divisus, & ab Apostolicis sedibus separatus, exsecrat ipse potius, & non consecrat. Iure ergo execratus tantùm non consecratus poterit dici, quem simul sacrare in vnitate coniunctis membris, non agnoscit Ecclesia. Idem Liberius *in can. sequenti*, ita fatur Schisma siquidem ipsum, quod Græcum nomen, est, scissuram sonat: sed in vnitate scissura esse non potest: non ergo vnitati communicat, qui schismaticis communicat. 8

Ioannes denique XXII. *in Extravag. Discipulorum vnica inter communes, de celebratione Missarum*, ita fatur: Hæreticos insuper Ecclesiam ipsam cernamus, & schismaticos impugnare ferociter, ac vt inconsutilem Domini tunicam scindant, multipliciter laborare. 9

§. II.

Difficultati quoad primum partem, sit satis.

BREVIARIUM.

Schisma.

Est voluntaria, & pertinax abstractio, & separatio ab obedientia vniversalis Ecclesiæ, vel Papa, eius capitis, n. 12.

Schismaticus.

Ille est, qui recedit à Summo Pontifice, qua tale: qui alios avocat à Papa, qua Papa: qui contempto Papa intendit facere Synodum Generalem: qui se gerit vt Papam, cum legitimè non sit electus: qui aliis communicare non vult, quia sunt Papæ subditi, qua tali, n. 10. 11.

HOc igitur supposito dubio proposito, quoad priorem eius partem respondetur, schismaticum illum esse, qui recedit à Summo Pontifice, aut avocat alios à subiectione Summi Pontificis, vt Summus Pontifex est, aut vult cum aliquibus communicare hac solum de causa, quia sunt subditi Papæ, vt Papa est: vel qui contempto Summo Pontifice facit, aut facere intendit Synodum Generalem: aut qui gerit se vt Papam, & caput Ecclesiæ, cum non sit canonice electus. Ita tenent Ædigius Bassæus *in Summa verbo Schisma, num.* 1. cum Caïetano *eod. verbo* Suarez *to.* 5. *in* 3. *part. qui est de Censuris, disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 13. & Sylvio, 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. Antonius de Sousa *in Aphorismis Inquisitorum lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 2. 5. *&* 6. *ac* 7. Azorius *Institut. Moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *q.* 3. *versic. Breviter, & q.* 4. Ferdinandus Castrus Palaus *in Summa par.* 1. *tract.* 6. *de Charitate, disput.* 4. *punct.* 5. *à num.* 1. *vsque ad* 4. Ioan. Baptista Lezana *in Summa quæstion. Regularium tom.* 2. *part.* 3. *versic. Bulla Cœnæ, num.* 9. Ioannes Baptista Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theorem.* 182. *versiculo Porrò, & Theorem.* 410. *versic. Quod spectat*: & alij communiter scribentes, præcipuè D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. 10

*art.1. in corp.*ibi: & ideò propriè Schismatici dicuntur, &c.

Et probatur, fundamentaliter quidem. Quia
11 Schismaticus, à schismate denominatur; & verè scismaticus est, qui schismatis crimen perpetrat, sicut & Hæreticus denominatur, & cum effectu est, qui hæresim admittit. Sed schismatis peccatum dicitur, quod directè, & per se opponitur vnitati, vti D. Thomas *vbi proximè* ex D. Isidor. *Etymologiarum lib. 8. cap.3. à medio* colligit, dicente: *Nomen schismatis, à scissura animorum vocatum est*: & docent Summi Pontifices, & Ecclesiæ Patres, numeris præcedentibus recensiti, Barbosa *in Rubrica de Schismaticis, & Ordinatis ab eis, num.4.* cum Sanchez *in Decalog.tom.1. lib.2.c.36. num.1.* Ricciulus *de Iure personar. extra gremium Ecclesiæ existentium, lib.9. cap.1. à num. 5.* Graff. *in decis. aureis, part. 1. lib.4. cap.18. num. 51.* ac communis sententia Doctorum: ergo propriè Schismatici dicuntur, & verè sunt, qui propria sponte, & intentione se ab vnitate Ecclesiæ separant, quæ est vnitas principalis, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Verba sunt Angelici Doctoris omnia.

12 Vnde benè Sousa *dicto num.* 2 Schisma sic definit. Schisma propriè loquendo, est disiunctio per quam aliquis separatur ab vnitate Ecclesiæ, in quantum est quoddam corpus constans ex vniversis fidelibus, & Romano Pontifice; tanquam capite. Et statim, vt describat Schismaticum, addit. Et Schismaticus est, qui sic disiungitur. Hæc Sousa ex D. Thoma *loco citato* Peña 2. *part. Directorij Inquisit. commento 73. ad quæst.* 48. & Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.36. num.1. tomo* 1. & Lezana *num. 9. citato*: ita fatur. Nota, Schisma esse voluntariam, & pertinacem subtractionem, & separationem, ab obedientia vniversalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis. Et Palaus; sic *num.*2. Schisma in præsenti sumitur pro scissione, vel divisione ab Ecclesia, eiusque capite. Cum enim Ecclesia vna sit, & indivisa, constans ex fidelibus tanquam membris, & ex Christo, eiusque Vicario tanquam capite, qui se ab huiusmodi membris, vel capite separat Schismaticus est. Et Bassæus *num.* 1. Schisma, est voluntaria, & pertinax subtractio, & separatio, ab obedientia vniversalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis, qui Principem in Ecclesia locum tenet. Prædictis consonant passim Doctores, quoad substantialia schismatis, & Schismaticorum definienda.

§. III.

Corollaria nonnulla redduntur.

BREVIARIVM.

Ecclesia.

Duas habet vniones, vnam in fide, quæ vnica est: alteram in suo capite Christo, & Vicario eius Papa, tam in Sacramentis, & divino cultu, quàm in subordinatione addictum caput. Vnde dupliciter potest quis ab Ecclesia separari, n. 22.

Obedire.

Nemo tenetur superiori, nisi priùs morali certitudine sibi constet superiorem suum esse, n. 19.

Papa.

De cuius canonica electione, non satis constat, exercere nequit Papæ officium, sed iuri dubio cedere debet, vt Ecclesia de Pastore provideat, n. 19.

Imò ille de cuius electione Canonica non est dubium, cedere debet iuri, quod habet, & renunciare, si alia via cognoscit Ecclesiam non esse pacem habituram; quia si animam debet ponere pro ovibus: ergo & honorem, n. 19.

Parvitas materiæ.

Non datur in blasphemia, & schismate; potest tamen esse veniale ex indeliberatione, & imperfecta advertentia, n. 26.

Peccatum.

Duorum peccatorum maior gravitas, simpliciter, & secundum speciem, debet pensari ex maiore bonitate obiecti, cui vnum, & alterum contrariatur; per accidens tamen ex circumstantiis minus grave secundùm speciem, gravius altero esse potest, n. 28. *&* 29.

Schisma.

Schismatis tempore in Pontificis electione orti; nulli ex electis obediendum, donec declaretur, quisnam sit legitimè electus: & interim parati esse debemus illi adhærere, qui legitimus Papa sit; num. 18 *&* 19.

Et declaratus fuerit à Concilio Generali, n. 20.

Schismatis, duplex modus datur: primus, cum se quis à Summo Pontifice separat, Ecclesiæ visibili capite. Secundus, cum se separat ab vnitate, quam Fideles habent inter se, & cum Christo capite, & eius Vicario, n. 21.

Dupliciter committitur schisma: Directè, & indirectè: Directè, cùm formaliter, & expressè quis intendit non recognoscere Papam, qua talem, vt Superiorem, & Christi Vicarium. Indirectè, cùm quis facto ipso ostendit illum, qua talem non recognoscere, n. 23.

Angeli Regi suo signa reverentiæ tanquam Christi Vicario in spiritualibus exhibentes, quamvis interius ita esse non credant, indirectè schisma committunt, n. 23.

Indirectè illud admittunt, qui præsumunt absque debita authoritate Concilium congregare Generale: vel illud prosequi, postquam per legitimam authoritatem fuit dissolutum, n. 24.

Schisma, tam directum, quàm indirectum potest contingere hæresi mixtum, & sine hæresi: Primum v. g. est, quando quis se ab obedientia subtrahit Papæ, negando mente sua illius prælationem. Secundum, quando ita se subtrahat ab obedientia; vt prælationem eius non neget, n. 25.

Schismatis peccatum à Deo gravè est, vt quantum est ex se scindat vnitatem Ecclesiæ, quam Charitas constituit: & inter peccata, vnum ex gravissimis, n. 26. 27.

Secundum suam speciem consideratum, minus gravè est hæresi: quia istius obiectum, nempè Deus, vt prima veritas, cui Fides innititur, nobilius est vnitas Ecclesiæ; secundum circunstantias tamen potest schisma gravius esse peccatum hæresi, n. 28. *&* 29.

Schismaticus.

Peccati mortalis reus, non est propriè, sed latè Schismaticus. Quia separatio hominis à Deo per peccatum; non est per se intenta, sed præter intentionem eius accidit, ex inordinata conversione eius ad bonum commutabile, n. 13.

Neque qui se subtrahit ab obedientia sui Prælati, vel Principis; aut particularis Ecclesiæ, seu Diœcesis: nisi Prælatus Ecclesiæ particularis, vel Diœcesis, cum vniversali Ecclesia, & Papa communicet

nicet in illa re, in qua ille communicare non vult obediendo : tunc enim implicitè ab vniversali Ecclesia, & à Papa se subtrahit, n. 14.

Neque qui excommunicationi subest. Quia non se voluntariè subtrahit ab vniversitate Fidelium; sed potius ab alio, à Superiore, involuntariè separatur, n. 15.

Neque qui Papa non implet mandatum, eo quod difficile & arduum sibi videatur, vel extra Papæ potestatem, aut in odium illius, & vindictam. Quia cum hac inobedientia stat recognitio Papæ qua talis, & in alijs materiis obedientia, & subiectio, num. 16.

Neque qui dominium temporale Papæ in aliqua Civitate non recognoscit, aut loco, & ob hanc causam, Papæ mandatis nolit parere, n. 17.

Schismaticus non est, qui ex probabili ignorantia ductus, verum Papam non agnoscit, aut qui agnoscit non legitimum : & nullas pœnas iuris incurrit, n. 18. 19. & 20.

Schismaticus est omnis Hereticus; quia separat se à præcipua Ecclesiæ vnitate, quæ est Fides, numero 22.

Schismaticus est; qui Sacramentorum vsum, cultum Religiosum, aut obedire Papæ, tanquam verò capiti contemnit. Quia separat se ab Ecclesiæ vnitate in dictis vsu Sacramentorum, cultu Religioso, & obedientia Papæ, n. 22.

Schismatici, gentilibus æquantur, n. 27.

Species.

Tam in Moralibus, quam in naturalibus constituitur ex illo, quod est per se; non vero ex eo quod per accidens, n. 13.

13 EX dictis nonnulla scitu dignissima, & menti tenenda sequuntur. *Primum est*, divisionem hominis à Deo per peccatum quodlibet mortale, schisma non esse, nec Schismaticum, quemlibet peccatorem, lethalis culpæ reum. Ita expressè D. Thomas 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. *ad* 1. vbi hanc reddit rationem : quia divisio hominis à Deo per peccatum, non est per se intenta, sed præter intentionem eius accidit ex inordinata conversione ipsius ad commutabile bonum, & ideò non est schisma per se loquendo. Sicut enim (inquit idem Doctor Angelicus, in principio corporis) in rebus naturalibus, id quod est per accidens non constituit speciem; ita etiam neque in rebus moralibus, in quibus, id quod est intentum, est per se : quod autem sequitur præter intentionem, est quasi per accidens. Et ideò propriè Schismatici dicuntur, qui propria sponte, & intentione se ab vnitate Ecclesiæ separat. D. Thomæ sententiam sequitur Bassæus *verbo Schisma*, *num.* 1. ibi : vel qui per peccatum mortale separatur ab vnione charitatis, qua Christi Fideles vinculo charitatis inter se cum Deo connectuntur. Palaus *parte* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *n.* 7. Sylvester *verbo Schisma*, *vers. Sed pro notitia:* Caietan. 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *dubio* 1.

14 *Secundum est*, illum, qui se separat ab obedientia sui Prælati, vel Principis, aut Ecclesiæ particularis, seu Diœcesis, Schismaticum neutiquam esse. Ita docent Bassæus, *vbi proximè* Antonius Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 20. *nu.* 8. cum Vgolino *de Censuris Papæ reservatis*, *par.* 2. *cap.* 1. §. 1. *n.* 3. Sanchez *tom.* 1. *Moralium*, *lib.* 2. *cap.* 36. *n.* 6. Farinacius *de Hæresi*, *q.* 182. §. 1. *nu.* 27. Palaus citatus *n.* 6. Qui tamen bene sic limitat. At si ille Episcopus, & Clericus cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicat in illa re, in qua tu communicare non vis, Schismaticus eris, si ab illius obedientia te separas. Quia implicitè te separas ab vnitate Ecclesiæ, cum tota Ecclesia tibi resistat. Sic Valent. *post tertiam propositio. vers. Item eadem ratione.* Coninch *disput.* 30. *dub.* 5. *num.* 4. Lorca *disput.* 48. *num.* 11. Farinac. *quæst.* 184. *num.* 27. & 30. Hactenus Palaus. D. Thom. *solutione ad* 2. vbi ait, quod non obedire præceptis cum rebellione quadam, constituit schismatis rationem: cum scilicet pertinaciter præcepta Ecclesiæ (vniversalis vtique) contemnit, & iudicium eius subire recusat. Azorius 1. *part. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 4. vbi exponit *can. Scire debes*, 7. *q.* 1. & *can. Loquitur Dominus*, 24. *qu.* 3. Schismaticos appellantes eos, qui sese à suis Episcopis segregant, intelligi de schismate latè sumpto.

Tertium est, qui per excommunicationem à communi fidelium abscetur cœtu, Schismaticus propriè non est, nec dici queit. Sic Bassæus *dicto num.* 1. Castrus Palaus *num.* 10. cum Bonacina *disp.* 3. *q.* 4. *puncto vlt.* §. 5. *versic. Tertio proposit.* 1. Reginaldo *libro* 9. *n.* 258. & Farinacio *de Hæresi, qu.* 144. *nu.* 26. plures referente. Et ratio est, quia excommunicatus non se ab vnitate, & communione separat Fidelium, sed potiùs ab alio separatur, ab Ecclesiastico scilicet Superiore; Schismaticus autem propria sponte, & intentione separat se ab vnitate Ecclesiæ. Granadus *de Charitate, controvers.* 3. *tract.* 12. *disput.* 3. *num.* 1. Bassæus, Palaus, &c. 15

Quartum est, non esse Schismaticum, qui Pontificis non implet mandatum, eo quod sibi videatur difficile, & arduum, vel extra Pontificis potestatem, vel in odium illius, & vindictam. Ita Bassæus *num.* 1. *citato* Antonius Sousa *num.* 4. vbi in hæc prorumpit. In ea inobedientia consistit schisma, in qua datur rebellio à Papa, vt Pontifex est, & separatio à membris, vt membra sunt Ecclesiæ; non verò ratione personarum aut causarum. Hæc ille cum Sanchez *in tom.* 1. *operum Moralium*, *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 3. Sylvester *verb. Schisma*, *versic. Notanter.* Ioannes Baptista Scortia *in Selectis Summorum Pontificum constitutiones*, *Theorem.* 410. *versic. Quod spectat ad tertiam*, cum Farinacio *de Hæret. quæst.* 184. *n.* 39. Alterio *lib.* 5. *disput.* 2. *cap.* 9. Caietano *verbo Schisma*, Azorius 1. *part. lib.* 8. *cap.* 20. *q.* 4. & 5. cum eodem Caietano, 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. & *in Summa, verbo Excommunicatio*, *cap.* 7. Graffis *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 53. Castrus Palaus *n.* 7. cum Divo Thom. ibi, Caiet. *dub.* 2. Bañez *ad finem.* Valentia *proposit.* 3. Bonac. *disp.* 3. *q.* 4. *punct. vlt.* §. 5. *nu.* 2. *vers.* 6. Coninch *disp.* 30. *dub.* 5. *n.* 42. Farinac. *q.* 184. *num.* 11. *Et reddit rationem* : quia cum hac inobedientia, stat recognitio Prælationis Pontificiæ, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectio. Aliàs quilibet transgressor Ecclesiastici præcepti, esset Schismaticus, quod non est dicendum. Hæc Doctor præfatus, & Barbosa *in Rubrica de Schismaticis*, *num.* 8. 16

Quintum est, non esse Schismaticum illum, qui dominium temporale Papæ in aliqua civitate, vel loco non recognoscit, & ob eam causam Papæ mandatis parere nolit. Docent Bassæus *d. n.* 1. Sousa *n.* 5. Sanchez *n.* 4. Vgolino *de Censur. Papæ reservatis*, *par.* 2. *cap.* 1. §. 1. *n.* 4. & Azor. Castrus Palaus *n.* 8. cum Bonac. *versic. septimò*, & aliis penes eum, & Sanch. *vbi proximè.* 17

Sextum

18 *Sextum est*, illum Schismaticum neutiquam esse, qui subtrahit se ab obedientia illius, quem probabiliter putat legitimum non esse Pontificem, ita docet Iacobus de Graffit *in decisioni aureis, parte* 1. *libro* 4. *cap.* 18. *numero* 54. vbi sic ait. Constitui denique possunt tertij generis, Schismatici, & sunt illi, qui aut probabili, aut insuperabili ignorantia ducti putant aliquem esse Papam, qui non sit, quòd solet contingere, cum dico, pluresve de Papatu contendant, non tamen constat, quis eorum ritè, vel Canonicè electus sit: qui ergo tunc obediunt, non vero Pontifici, putantes esse verum, aut non obediunt vero, credentes non esse verum, Schismatici propriè dici non possunt.... nec in aliquam pœnam Iuris incurrunt, cum iustam excusationem habeant, & culpa careant. Bassæus *recensito loco*, & Castrus Palaus *numero* 9. cum Valentia, *proposit.* 5. Sanchez *num.* 3. Bonacina *versic. octavo*, Coninch *num.* 42. & Suarez *de Charitate, disput.* 12. *sect.* 1. *in fine.* Ioannes Baptista Lezana *verbo Bulla Cœna, num.* 9. cum eodem Valentia 2. 2. *disput.* 3. *quæst.* 15. *punct.* 1. §. *Tertia propositio:* Antonius Naldus *in Summa, verb. Bulla Cœna, num.* 16. in hæc prorumpens. Tempore Schismatis, non peccat, nec hanc censuram incurrit, qui non vult adhærere, & obedire Romano Pontifici vero, quando probabiliter ignorat, an talis sit. Imò nemini tunc adhærendum est, sed expectandum, vt declaretur quisnam legitimus sit. Interim tamen paratus esse debet illi adhærere, qui legitimè electus fuerit. Temerè enim quis ageret inhærendo Pontifici dubio, tanquam certo. Ita Caïetanus hîc *versiculo Alio tamen modo.* Hucvsque Naldus, cuius doctrinæ, satis sanæ, ac solidæ, Palaus accinit dicens:

19 Quartò infero, te nón esse Schismaticum, cum te sobstrahis ab obedientia Pontificis quem probabiliter credis talem non esse, quia tunc non peccas. Non enim teneris obedire Superiori, nisi tibi priùs morali certitudine constet Superiorem esse; Imò potius foveres schisma, si dubio Pontifici te subiiceres. Vnde cum aliquis in Pontificem est electus, de cuius canonica electione non satis constat, non tenetur Ecclesia illum, vt Pontificem acceptare, illique obedire: & consequenter nec ipse potest officium Pontificis exercere, cum ad hoc officium necessariò spectet posse cogere subditos, vt sibi obediant: imò potiùs tenetur ipse iuri illi dubio cedere, vt Ecclesia de Pastore provideat: caret enim illo, dum dubium habet. Sic ex Caïetano benè notavit Coninch *disput.* 30. *dub.* 5. *numero* 44. vbi *num.* 45. dixit, aliquando Pontificem, de cuius canonica electione prudenter dubitari non potest, obligatum esse cedere iuri, quod habet, & renunciare Pontificatum, si alia via cognoscit Ecclesiam non esse pacem habituram. Quia officium boni Pastoris est animam ponere pro ovibus suis *Ioannis X.* Ergo à fortiori honorem, & auctoritatem. Item pro bono communi quilibet tenetur proprium expendere. Ergo anthoritatem Pontificiam tenetur Pontifex expendere pro pace Ecclesiæ, quæ bonum commune est. Hæc omnia Doctus Pater Palaus.

20 Dictis consonat Barbosa *in Rubrica, de Schismaticis, numero* 6. vbi ait: Dixi schisma dari, quoties temerè quis desuit Summo Pontifici obedire; quia secùs erit data legitima causa, veluti si ignorantia facti detur circa obedientiam præstandam propter ambiguam de ipso, & alio in simul factam electionem, provt contigit tempore Vrbani VI. tunc etiam cum vtrique in simul obediendum non sit.... tantùm obediendum erit illi, qui verus Pontifex, & Christi Vicarius declaratus fuerit à Concilio Generali. Nec Schismaticus dicendus erit, qui sub tali dubio Pontifici obedientiam denegaverit, Argum. textus *in cap. Factus*, 7. *quæst.* 1. Gloss. *ver. Qui verò, in c.* 1. 24. *q.* 1. *singul.* per Abb. *in cap. Quia diligentia.*

Septimum, quòd sequitur est, duplicem schismatis dari modum. *Primus est*, cum quis se separat à Summo Pontifice, Ecclesiæ visibilis capite, ei debitam obedientiam, & subiectionem, qua talis est, denegando. Æligius Bassæus, *verbo Schisma, numero* 20. cum Sanchez *tomo* 1. *operum Moral. libro* 2. *capite* 36. *numero* 3. Valentia. 2. 2. *quæstione* 15. *disputat.* 3. *punct.* 1. Sylvester *verbo Schisma, versic. Schisma*, verbis, mox recensendis, & Div. Thomas, *secunda secundæ quæstione* 39. *articulo* 1. *in corpore*, cuius verba Lubens statim reddam. *Secundus* Schismatis modus est, cum quis se à reliquis separat Ecclesiæ membris, sive à Fidelibus. Ita Bassæus, modò citatus, cum Doctoribus redditis. Palaus *parte* 1. *tract.* 6. *disput.* 4. *punct.* 5. *numero* 4. dicens. Adde, non esse de essentia Schismatis, separationem à Pontifice, cum Sede vacante committi possit; sufficit enim esse separationem ab vnitate, quam Fideles inter se, & cum Christi Capite habent. Sic benè probat Valent. *disput.* 3. *quæstione* 15. *punct.* 1. *proposit.* 5. Coninch. *disput.* 30. *numero* 41. Hæc ille. Sylvester, *vbi proximè*, vbi postquam dixerat, quod schisma propriè tripliciter sumitur. Primò in genere, provt est peccatum directè, & per se oppositum vnitati, quod est dissensio eorum inter quos vnitas esse debet. Et secundò in specie, vt opponitur vnitati minus principali: & sic est dissentio horum, vel illorum, verbi gratia, Petri & Ioannis inter quos vnitas esse debet. Addit. Et tertiò in specie, vt opponitur vnitati principali; idest totius Ecclesiæ. De cuius vnitate sic ait. Quæ quia in duobus attenditur, vt dicit (videlicet Div. Thomas, cuius sententiam recenset, & doctrinam) scilicet in connexione, vel communicatione membrorum ad invicem, & in ordine omnium membrorum ad vnum caput, id est Christum; cuius vicem Summus Pontifex gerit. Et Angelicus Doctor, loco citato; vbi ita fassus est. Ecclesiæ autem vnitas in duobus attenditur; scilicet connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione: & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad vnum caput.... Hoc autem Caput est ipse Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex: Et ideò schismatici dicuntur, qui subesse renuunt, Summo Pontifici; & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare, recusant. Hactenus D. Thomas, qui & Sylvester, vtrumque Schismatis modum, in redditis distinguunt, vti ex ipsis patet, verbis. 21

Dupliciter quis ab Ecclesia separari queit, 22
iuxta duplicem vnionem, quam in se retinet ipsa Ecclesia. *Primò*, fidem, quæ vna tantum est, in

Ecclesia, deserendo. Et tunc quidem, dubio procul, Hæreticus erit, ac Schismaticus. Hæreticus vtique, quia Hæresis, à qua Hæreticus nominatur, est error intellectus voluntarius, liber, & pertinax in materia Fidei Catholicæ contraria, in homine, qui Fidem suscepit, vti diximus dubio primo Disquisitionis istius. Schismaticus autem, quia à præcipua vnitate Ecclesiæ, quæ à Fide sumitur, separat se. *Secundò*, quis separari ab Ecclesia valet, deserendo vnitatem, quam Fideles omnes inter se habent cum suo capite, Pontifice Summo, tam in Sacramentoris, & divino cultu, quàm in subiectione, & subordinatione ad suum dictum caput. Si enim quis Sacramentorum contemnat vsum, aut cultum omittat religiosum, vel Papæ tanquam vero capiti, se subiicere recuset, iam exinde, citra controversiam, cum aliis Fidelibus minimè communicat, imò ab illorum se communione separat. In qua quidem separatione Schisma admittere, apertè dignoscitur. Quocirca videndus venit Castrus Palaus, *in Summa, parte 1. tract. 6. disputat. 4. punct. 5. numero 2.* Iacobus de Graffis, *in decisione Aureis, parte 1. libro 4. cap. 18. num. 53. fol. mihi* 478.

23 Dupliciter etiam queit quis à Papæ subiectione, & ab Ecclesiæ separari vnitate. Directè scilicet, ac indirectè. Directè ille se separat, cum formaliter, & expressè non recognoscere Papam vt Superiorem, intendit; indirectè autem, cum facto ipso ostendit illum, qua talem non recognoscere. Quòd vtique contingere videtur in Anglia existentibus, & obedientiæ signa exhibentibus Regi, quibus Christi esse in spiritualibus Vicarium testantur, quamvis interiùs ita esse neutiquam credant. Quia ab vnitate Ecclesiæ, & eius Capitis separatio, & ab eius obedientia, in opere externo sufficienter salvatur. Et per consequens, huiusmodi, veri Schismatici censendi sunt, esto contrarium sentiant in mente ei, quod opere exhibent externo. Ita docet Castrus Palaus *vbi proximè, n. 3.* cum Suarez *tomo 5. in 3. part. de Censuris, disputat. 21. sect. 2. num. 13.* Sanchez *in Decalogum, tomo 1. lib. 2. cap. 36. num. 14.* Bonacina *de Charitate, disput. 3. quæst. 4. punct. vltimo, §. 5. numero 9. versic. Hinc patet:* Bassæus *verb. Schisma, num. 5.*

24 Indirectè etiam separat se ab Ecclesia, qui præsumit absque debita authoritate Synodos congregare vniversales, vel eas postquam per legitimam authoritatem dissolutæ sint, prosequi. Sic idem Palaus *ibidem* cum Valentia 2. 2. *disput. 3. quæst. 15. punct. 1. proposit. 3. vers. Nam qui separant*, Soarez *de Charitate, disp. 21. sect. 1. n. 2.* Sanchez *n. 5.* & Conineh. *disp. 30. dub. 5. num. 38.* Caïet. 2. 2. *qu. 39. art. 1.* Sousa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. cap. 20. n. 6.*

25 Vtraque recensita dissensio, ac separatio, directa, & indirecta, dupliciter contingere queit. *Primò*, Hæresi mixta. *Secundò* absque omni hæresi. Primo modo contingit, quando ita se quis ab obedientia Papæ subtrahit, & Ecclesiæ vnitate, vt neget illius prælationem, & istius vnitatem. Secundo vero accidit, quando recognoscit quis Summi Pontificis prælationem, Ecclesiæque vnitatem; non tamen vult Papæ subiici, aut in Ecclesiæ vnitate permanere, & aliis Ecclesiæ membris communicare, malitia vtique sua ductus. Docet Castrus Palaus, *dicto num. 3.* cum Thoma Sanchez *loco citato num. 8.* Gregorio de Valentia *proposit. 3. reddita* Cardinali Toleto *de Casibus Bullæ Cœnæ, concl. 3. excommunic. 1.* Bonacina *de Charitate, disp. 3. quæst. 4. punct. vltim. §. 5. num. 5.* & Farinacio *de Hæresi, quæst. 184. num. 2.* Bassæus *verb. Schisma, n. 3.* Sousa *n. 10.* Granadus *in 2. 2. tom. 3. controv. 1. de Fide, tract. 15. disp. 4. nu. 1.* Lezana *verbo Bulla Cœnæ, n. 9.* Navarrus, *tom. 1. consilior. lib. 1. tit. de Constitut. cons. 1. n. 61. & 62. & in Manuali, c. 27. n. 57.*

26 Schismatis crimen, à Deo gravè est, vt quantum est ex se, vnitatem Ecclesiæ, quam constituit Charitas, scindat. Et in eo, parvitatem materiæ dari non posse, tenet præfatus Castr. Palaus *vbi proximè, n. 5.* cum Valentia *loco citato punct. 2. in princ.* Bonacina *dicto §. 5. proposit. 2.* Bassæus, *n. 4.* vbi ita fatur. Schisma, ex suo genere peccatum est mortale, contra Charitatem, quia per illud violatur vnitas corporis Ecclesiæ; tamen ob indeliberationem, & imperfectam advertentiam fieri potest veniale; ratione autem parvitatis materiæ, non potest fieri veniale, sicut, & Hæresis, & Blasphemia. Nam Schisma consistit formaliter in divisione, & rebellione ab vnitate vniversalis Ecclesiæ, aut Capitis; rebellio autem, & divisio, ab huiusmodi vnitate, in quavis materia reperiatur, gravissimam continet inordinationem, & inter peccata contra proximum, est vnum ex gravissimis, quia præstantissimum bonum commune, nempè Ecclesiæ vnitatem. Hactenus Æligius, cuius vltimis consonat verbis, Anton. de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tract. 5. examin. 5. de Charitate ad proximum, c. 5. num. 74.* ibi: Vnum est illud (schismatis scilicet peccatum) in proximum gravissimorum criminum.

27 Et quidem, quanta sit Schismatis gravitas, docet D. Cyprianus *Epist. ad Papinianum, relatus in can. Denique el 7. q. 1.* ibi: Addendo autem, & Civitatem Samaritanorum debere omitti, vbi erãt Schismatici, ostendit (scilicet Christus, *Matth. 10. vers. 5.*) Schismaticos gentilibus adæquari. Hæc S. Martyr, & D. Hieronymus relatus *in can. Non afferamus el 21. 24. q. 1.* vbi ex graviori pœna gravitatem delicti esse appendendam, satis ad rem ait. Non afferamos stateras dolosas, vbi appendamus, quod volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc grave est: hoc leve est, sed afferamus divinam stateram de Scripturis sacris, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit gravios appendamus. Tempore, quo dominus priora delicta recentibus pœnarum exemptis cavenda monstravit, & idolum fabricatum, atque adoratum est, & propheticus liber, ira Regis contemptoris incensus, & schisma tentatum, & idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde, & peregrina captivitate, Schisma hiatu terræ sepultis authoribus, vivis, & cæteris cœlesti igne consumptis, quis iam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? Hæc omnia D. Hieronym.

Vrget noster venerabilis Beda, *super Matth.* relatus *in can. Quicumque, el 27. ead. causa, & q.* dicens. Quicumque ab vnitate Fidei, vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregaverint, tales, nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi.

28 Quòd si petas, estne schisma gravius peccatum Hæresi? Respondeo, duo ista peccata dupliciter considerari posse. *Primò*, vtriusque obiecto attento, seu

ſeu ſimpliciter. *Secundò*, circunſtantiis eorum inſpectis. Si primo conſiderentur modo, dubio procul gravius eſt Hæreſis peccatum, Schiſmate. Et ratio eſt, quia Hæreſis, eſt contra Deum in ſe, vt prima veritas eſt; Schiſma verò, eſt contra Eccleſiaſticam vnitatem, quæ vtique minùs, quàm ipſe Deus eſt. Si autem ſecundo modo attendantur Hæreſis, & Schiſma, contingere benè queit, vt iſtud graviùs ſit peccatum, quàm Hæreſis. Docent Ægidius Ballæns *d.a.*4. Sylveſter *verbo Schiſma, q.*2. D.Thom.2.2.*q.*39. *art.*2. *in corpore*: vbi quæſito, vtrùm Schiſma ſit gravius peccatum infidelitate? ſic reſpondet.

29 Reſpondeò dicendum, quod gravitas peccati, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo, ſecundùm ſuam ſpeciem: alio modo ſecundum circunſtantias. Et quia circunſtantiæ particulares ſunt infinitæ, ita & infinitis modis variari poſſunt, cum quæritur in communi, de duobus peccatis, quod ſit gravius. intelligenda eſt quæſtio, de gravitate, quæ attenditur ſecundum genus peccati. Genus autem, ſeu ſpecies peccati attenditur ex obiecto, ſicut ex ſupradictis (ſcilicet 1. 2. *qu.*72. *art.* 1. & *q.*73. *art.*1.2. & 4.) patet. Et ideò illud peccatum quo maiori bono contrariatur, ex ſuo genere, eſt gravius, ſicut peccatum in Deum, quàm peccatum in proximum. Manifeſtum eſt autem, quòd infidelitas eſt peccatum contra ipſum Deum, ſecundùm quod in ſe eſt veritas prima cui Fides innititur. Schiſma autem, eſt contra Eccleſiaſticam vnitatem, quæ eſt quoddā bonum participatum, & minùs, quàm ſit ipſe Deus. Vnde manifeſtum eſt, quòd peccatum infidelitatis, ex ſuo genere, eſt gravius quàm peccatum Schiſmatis: licet poſſit contingere quòd aliquis Schiſmaticus graviùs peccet, quàm quidam infidelis, vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum, quod induci, vel propter aliquid huiuſmodi. Hactenus Præceptor Angelicus. Et hæc, pro reſolutione primæ partis dubij principalis propoſiti ſufficiant. Ad ſecundam, de pœnis, Schiſmaticis inflictis, vt fas eſt, accedamus. Sed præmonere libuit, nos in præſenti diſſerere de Schiſmaticis, qui ſimul Hæretici non ſint.

Multis ac variis plectuntur pœnis, qui Schiſmatis crimine, inveniuntur obſtricti,

§. IV.

Reſpondetur dubio quoad pœnas.

DIVISIO I.

De prima pœna quoad Ordines iam ſuſceptos.

BREVIARIVM.

Caracter.

Eſt ſignaculum quoddam indelebile, animæ impreſſum in quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato, n.30

Vel eſt quædam qualitas in anima impreſſa, per quam quis diſponitur ad faciliùs gratiam Dei recipiendum, n. 31.

Nunquam iteratur, n.31.32.

Excommunicatio.

Poſt Concilium Conſtantienſe, ſolùm vitare debemus Excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum percuſſores, n.43.

Iuriſdictio.

Poſt Conſtantienſe Concil. nemo privatur Iuriſdictione, qui denunciatus non ſit, n.43. 44.

Schiſmaticus.

Privatus eſt executione Ordinum, & poteſtate Iuriſdictionis, ad Ordines ſpectante, à numero 30. *ad* 39.

Epiſcopus Schiſmaticus Ordines celebrans, illos confert, quoad caracterem, & poteſtatem ſpiritualem, non autem quoad executionem, & poteſtatem Iuriſdictionis, à n.30. *ad* 39.

An vt Schiſmaticus Eccleſiaſtica Iuriſdictione privatus exiſtat, debeat eſſe denunciatus? Referuntur quatuor ſententiæ, num. 40. & ſeqq. ſ.

PRimò plectitur Schiſmaticus, pœna privationis Ordinis, ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ, ad Ordinem ſpectantis. Quam vtique pœnam, vt benè Lector percipiat, advertere libuit, poteſtatem Ordinis dupliciter conſiderari poſſe. *Primò* quidē provt in ſpirituali cōſiſtit Charactere, quod ſignaculum quoddam indelebile eſt, animæ impreſſum, in quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato. *Secundò*, provt in Iuriſdictione ſalvatur Eccleſiaſtica, vt in libera facultate licitè Ordinem, & ea, quæ Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſunt, exercendi. 30

31 Pœna igitur privationis Ordinis, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ ad Ordinem pertinet, contra Schiſmaticum ſtatuta, neutiquam procedere queit, ſi Ordinis poteſtas in prima ſumatur acceptione. Ita docent Barboſa *in cap.* 1. *de Schiſmaticis, numero* 3. cum Gloſſa *ibi, verbo irritas*; & Ricciulus *de Iure perſon. libro* 9. *cap.* 3. *numero* 7. Panormitanus *in dicto capite* 1. *numero* 4. vbi ſic ait. Vel etiam ſunt Schiſmatici ſtrictiſſimè; & tunc aut ſcienter quis recipit hæc Sacramenta ab eis (quæ ſcilicet vltra gratiam habent executionem facti, vt eſt Ordo; alia enim, inquit, ſunt in quibus tantum confertur gratia, & vltra eam non eſt aliqua executio ſienda, vt in Sacramentis Euchariſtiæ) & citra formam Eccleſiæ; & nihil recipit. Vnde etiam character non imprimitur 1. *quæſt.* 1. *Detrahe.* & *infrà, cap. proximo,* & *cap.* 1. *cum ibi notatis de Baptiſmo*: & ſic poteſt intelligi iſte textus, capiendo verbum *irritas*, propriè. Si verò fuit forma Eccleſiæ; & tunc character imprimitur, ſed executio non confertur: & hoc caſu procedit textus ſecundùm lecturam Gloſſæ, nam ordo benè confertur à talibus, quia ipſi Ordinem habent; & character imprimitur à Deo, cum ſit quædam qualitas impreſſa in anima, per quam quis diſponitur ad faciliùs recipiendum gratiam Dei; ſed executio non confertur, quia omnes iſti ſunt ſuſpenſi ab Eccleſia, ideò conferendo, non poſſunt dare, quod non habent. Hæc omnia Pontificiæ diſciplinæ Coryphæus, facilè Princeps, Azorius *part.* 1. *lib.*8. *cap.*20. *quæſtione* 11. Caſtrus Palaus *in Summa Moral. part.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 4. *punct.*6. *num.*1. Sylveſter *verbo Schiſma, quæſt.*3. & D. Thom. *in Additionibus ad* 3. *partem quæſt.* 35. *art.* 2. *in fine corporis*, ibi: cuius etiam ſignum eſt, quod perpetuo manet (ſcilicet character Ordinis) & nunquam iteratur. Et in ſpecie, adhuc clariùs 2. 2. *q.* 39. *art.*3. *in corpore*, in hæc prorumpens verba.

32 Respondeo dicendum, quòd duplex spiritualis potestas. Vna quidem Sacramentalis: alia Iurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quæ per aliquam consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiæ, sunt immobiles, manente re, quæ consecratur, sicut etiam patet in rebus inanimatis: nam altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum. Et ideò talis potestas, secundùm suam essentiam, remanet in homine, qui consecrationem eam est adeptus, quandiù vivit, sive in Schisma, sive in Hæresim labatur: quòd patet ex hoc, quòd rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur. Hactenus Angelicus Doctor.

33 Probatur etiam *ex Canone Ordinationes el 5. causa 9. quæst.* 1. vbi noster Vrbanus Papa II. sic statuit. Qui verò ab Episcopis quondam quidem Catholicæ Ordinatis, sed in schismate à Romana Ecclesia separatis consecrati sunt, eos nimirùm cum ad Ecclesiæ vnitatem redierint, servatis propriis Ordinibus, misericorditer suscipi iubemus, si vita, & scientia commendant. A modo verò quicumque à prædictis Schismaticis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ adversariis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur. Quamvis autem misericordiæ intuitu, magnáque necessitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus: nullum tamen præiudicium sacris Canonibus fieri volumus: sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset, quòd factum est pro necessitate. Hucusque Sanctus Vrbanus in canone illo: vbi Glossa *in formatione casus*, sic fatur. Videlicet.

34 In secunda parte dicitur, quod illi, qui receperunt Ordines à Schismaticis, quondam tamen Catholicis Episcopis: ex misericordia in suis Ordinibus tolerantur, si boni sunt, propter necessitatem: & *verb. Nisi probare*, ita ait & hîc manifestè reprobatur distinctio Ioannis, & Ruffi. Hic enim distinguitur inter Ordinatos ab illis, qui receperunt vltimam manus impositionem in Ecclesia & Ordinatos ab illis, qui receperunt vltimam manus impositionem extra Ecclesiam: & tam hi, quàm illi recipiunt Ordinem, scilicet Characterem. Hæc Glossa.

35 Procedit autem pœna privationis potestatis Ordinis, in secunda acceptione, vti eadem glossa tenet, *vbi proximè*, dicens: & tam hi, quàm illi recipiunt Ordinem, scilicet Characterem: sed non executionem. Tenent & Sylvest. *q. 3. reddita*, ibi: sed tamen eius vsu sunt privati, nec licitè vtuntur: secundam verò (scilicet potestas Iurisdictionalis) quæ non immobiliter adhæret vt prima, non habent isti (videlicet Schismatici:) vnde nec absolvere, nec excommunicare possunt, nec indulgentias facere, vel huiusmodi: & si fecerit, nihil actum est, 7. q. 1. *Novatianus.* Castr. Palaus *d. n.* 1. ibi: at benè privari potest, & de facto privatur legitimo vsu talis potestatis. Non enim licet ipsi eam potestatem exercere, dum est in schismate, sic ex D. Th. *q. 39. art.* 3. Turrect. *lib. 4. Summa, par. 1. cap.* 7. & aliis Doctoribus, probat Valentia 2. 2. *disp.* 3. *q.* 15. *punct.* 3. *in princ.* Farin. *q.* 184. *n.* 43. & D. Thomas, loco modo recensito, vbi ita ait.

36 Sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundùm quod movetur à potestate superiori, vt etiam in rebus naturalibus patet: inde est, quòd tales vsum potestatis amittunt, ita scilicet, quòd non liceat eis potestate vti. Si tamen vsi fuerint, eorum potestas effectum habet in Sacramentalibus: quia in his homo non operatur, nisi sicut instrumentum Dei. Vnde effectus Sacramentales non excluduntur, propter culpam quamcumque conferentis Sacramentum. Potestas autem Iurisdictionalis est, quæ ex simplici coniunctione hominis confertur: & talis potestas non immobiliter adhæret. Vnde Schismaticis, & Hæreticis non maneat. Vnde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere aut aliquid huiusmodi: quòd si fecerit nihil est actum. Cùm ergo dicitur, tales non habere potestatem spiritualem, intelligendum est, vel de potestate secunda: vel si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum vsum eius. Hæc omnia D. Thomas.

37 Prædictis consonant Doctoribus, Bassæus *verb. Schisma, n.* 5. cum Toleto *lib. 1. cap. 13. n.* 2. Soto *in 4. distinct. 12. quæst. 1. art.* 4. Filliucio *tract.* 8. *num.* 218. Bellarmino *lib. 2. de Romano Pontifice, cap.* 30. & Sylvio 2. 2. *qu.* 39. *art.* 3. *concl.* 3. Ioan. Baptista Lexana *in Summa quæstion. Regular. to. 2. par. 3. verb. Bulla Cœnæ, n.* 9. Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 20. q.* 9.

38 Probatur ex *Canone Novatianus el 6. causa 7. quæst.* 1. suprà à Sylvestro allegato, ex D. Cypriano Episcopo, & Martyre desumpto, in quo hæc ait. Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionis pacis observat, & se ab Ecclesiæ vinculo, & Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem, qui Episcopatus nec vnitatem voluit habere, nec pacem. Hactenus ibi, & in *can. Diximus el 31. causa 24. q.* 1. sic idem fatur Cyprianus. Didicimus omnes omninò Hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, & Iuris: propter quod Novatianus, nec debet, nec potest excipi quo minùs ipse quoque extra Ecclesiam consistens, & contra pacem, ac dilectionem Christi faciens inter adversarios, & Antichristos computetur. Hæc, & alia D. Cypr. qui vtrobique Schismaticis dum denegat omnem potestatem, non denegat quidem potestatem Sacramentalem, sed Iurisdictionalem.

39 Et hac quidem meritò Schismaticus privatur: quia cum ipse se voluntariè retrahat ab Ecclesia, & ab ipsius capite, par non est, vt Iurisdictionis fruatur fructu, qui ab Ecclesia, & ab ipsius capite, in membra derivat Ecclesiæ. Castr. Palaus, *par. 1. tract. 6. disput. 4. punct. 6. num.* 1. Bassæus *verbo Schisma, n.* 5.

40 Difficultas autem est, an vt Schismaticus iurisdictione Ecclesiastica privatus existat, debeat esse denunciatus? an verò sufficiat quòd publicus sit Schismaticus? aut quòd secreto schisma teneat? Multæ sunt, ac variæ in hac res sententiæ Doctorum, quas recenset Palaus *num.* 2. Prima asserit, non esse privatum, nisi per sententiam privetur. Hanc tenet Caïetanus *tomo 1. Opusculorum, tract. 1. de Authoritate Papæ, & Concilij, cap.* 20. 21. *&* 22. Canus *lib. 4. de locis cap. 2. & cap. vlt. ad 12. argum.* Sotus *in 4. distinct. 2. 2. q. 2. art.* 2.

41 Secunda tenet Schismaticum ipso facto, quamtumvis occultè talis sit, esse privatum. Illam tuentur Turrectemata *lib. 4. Summa, part. 2. cap.* 20. Castrus *de iusta Hæreticorum punitione, capite* 23. *&* 24. Azorius *Institut. Moral. par. 1. lib. 8. cap. 2. quæst. 9. in fine.* D. Thom. 2. 2. *q. 39. art.* 3. *quos recenset*, & sequitur Palaus, qui tamen *num.* 3. limitat

limitat sententiam, ita vt necessaria sit sententia ecimiois patrati declaratoria, vt Iurisdictionis privatio effectum habeat.

42 Tertia sententia asserit, occultum schismaticum non esse privatum iurisdictione; benè tamen ea privatom existere schismaticum manifestum, siue manifestus sit ex proprio facto, siue per Iudicis sententiam. Hanc sequitur Valentia, 2. 2. *disp. 3. q. 15. punct. 3. versic. Tertia sententia.*

43 Quarta docet post Concilium Constantiense, nullum Schismaticum privari Iurisdictione, qui denunciatus non sit. Quia solùm post illud, vitare tenemur denunciatum criminis reum, cui est adiuncta communionis priuatio, manifestum clerici percussorem: vnde solùm ij carere debent iurisdictione nobis conueniente. Hanc tenent Bonacina, *disp. 3. quæst. 4. de Charitate, puncto vltim. §. 6. num. 8.* & Bassæus, *verbo Schisma, num. 5.* Palaus *part. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. num. 3. & 18.* cum Suarez.

44 Quæ quidem difficultas, non solùm procedit in pœna præfata priuationis Ecclesiasticæ iurisdictionis, sed in aliis etiam, ex infrà enumerandis. Quid autem in ea, me iudice, dicendum sit, dubio inueoies 13. vbi de pœnis Hæreticorum, & aliorum prolixè dissero.

DIVISIO II.

De Pœna quoad Ordines non susceptos.

BREVIARIVM.

Schismaticus.

De Schismate reuertens, non est ad ordines promouendus, in susceptis tamen ministrare potest, n. 45.

45 Secunda pœna, cui adstricti Schismatici sunt, est vt de Schismate reuertentes nõ sint ad Ordines promouẽdi, sed in iam susceptis tolerantur. Ita decernitur à Leone Papa, in Epistola decretali ad Ianuarium Episcopum Missa, relata *in canone Omnis, causa, 1. quæst. 1.* Omnis, cuiuslibet ordinis Clericus, qui Catholicam deserens vnitatem, Hæreticæ, vel Schismaticæ coniunctionis contagione se maculauerit, si ad Ecclesiam redierit, cum legitima satisfactione, & erroris sui damnatione, hoc in magno beneficio habeat, si adempta spe omnis promotionis, in quo inuenitur Ordine permaneat. Hactenus illo in Canone Leo.

DIVISIO III.

De excommunicationis pœna.

BREVIARIVM.

Bulla Cœnæ.

Excommunicat Schismaticos, reseruando absolutionem ad Papam. n. 46.

Excommunicatio.

Recensetur excommunicatio contra Hæreticos, & alios, num. 46.

Punitio.

Quisque puniri debet, per quæ peccat. n. 46.

46 Tertia pœna, cui addictus reperitur schismaticus, excommunicatio est in Bulla Cœnæ lata, & Papæ reseruata. Docent Azorius, *part. 1. lib. 8. cap. 10. quæst. 5.* Syluester, *in Summa,* verbo *Schisma, quæst. 4.* Castrus Palaus, *dicto punct. 6. num. 4.* Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 2. part. 3. verbo Bulla cænæ, num. 9.* Cum Sanchez, *in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 36. num. 10. 11. & 18.* & cum Bonacina, *in Decalogum, disput. 3. quæst. 4. punct. vlt. §. 5. num. 7. 9. & 10.* Aligius Bassæus, *verbo Schisma, num. 5.* Cum nostro Gregorio Sayro, *de Censuris, lib. 3. cap. 5. num. 19.* Toleto *in Summa, lib. 1. cap. 19.* & Syluio, *2. 2. quæst. 39. art. 4.* Idem Bassæus *verbo, excommunicatio VI. num. 1.* Et conuenienter quidem excommunicatur Schismaticus, vti D. Thomas docet, *2. 2. quæst. 39. art. 4. in corpore.* Quia per quæ peccat quis, per ea debet puniri, vt dicitur Sapientiæ 11. Schismaticus autem ... in duobus peccat. In vno quidem, quia separat se à communione membrorum Ecclesiæ: & quantùm ad hoc, conueniens pœna Schismaticorum est, vt excommunicantur, &c.

Constat ex Bulla cœnæ ab vrbano Papa Octauo edita, & publicata, *anno* 1627. *In* 62. apud Cherubinum, *tom. 4. pag. mihi* 113. §. 7. Sic decernit. excommunicamus, & Anathematizamos ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, authoritate quoque Beatoruuo Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra; quoscumque Husitas, Wichlephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Caluinistas, Vgonotos, Anapaotistas, Trinitarios; & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocúmque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant ac eis credentes, eorúmque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa, publice, vel occultè, quouis ingenio, vel colore: nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Hactenus ibi. Et §. 22. Cæterum à prædictis sententiis, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendi cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quorumuis facultatum, & indultorum, &c. *Et* §. 53. Quòd si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere dè facto præsumpserint; eos excommunicationis sententia innodamus, grauiùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, provt expedire nouerimus, processuri. Hucusque vrbanus Papa.

SVBDIVISIO VNICA

Discutiuntur difficultates, circa excommunicationis istius pœnam.

BREVIARIVM.

Absolutio.

Schismaticus, qui Hæreticus non est, per Cruciatam, & simile priuilegium; semel in vita, & semel in mortis articulo absolui potest. n. 58.

47 Circa quam quidem excommunicationis pœnam, nonnullæ occurrunt difficultates, breuiter hìc dilucidandæ *Prima* est, An afficiat Schismaticos puros, eos scilicet, qui Hæretici simul non sint? *Secunda,* An dictæ addictus sit excommunicationis pœnæ qui Schismaticus tantùm internè sit. *Tertia,* An qui externè tantùm Schisma tenet? *Quarta,* An afficiat dicta pœna eos, qui & si Schismatici interni aut externi non sint, inobedientes Summo Pontifici existunt? *Quinta,* An Fautores, Defensores, & Receptatores Schismaticorum hac excõmunicatione ligentur? *Sexta,* An Schismatici veri, qui tamen Hæretici simul non sint, per Cruciatam absolui semel in vita, & semel in morte queant, aut per aliud priuilegium, vel Iubileum? *Septima,* An ante Bullam Cœnæ, Schismatici fuerint iure communi, excommunicationis pœna innodati?

48 Ad primam Respondeo difficultatem, Bullæ cœnæ excommunicationem, Schismaticos comprehendere, qui simul Hæretici sint. Et ita docent Castrus Palaus, *part.1. Summæ, tract.6. disp. 4. punct.6. num.5.* cum Valentia, *2.2. disp.3. quæst. 15. punct.3. Versic. Tertio certum est.* Sanchez *in Decalogum, tom.1. lib.2. cap.36. num. 11. iuncto num.14.* Suarez, *tom.5. in 3. part. de censuris disp. 21. sect. 2. num. 18. & de Charitate disp. 12. sect. 2. num.18. & de Charitate disp.12. sect.2. in principio. Et* Bonacina, *eodem tract. disp. 3. quæst.4. puncto vlt. §. num.9.* Ioannes Baptista Lezana, *verbo, Bulla Cœnæ, num. 9.* Et ratio est, quia in Verbis Bullæ separatim ponuntur Hæreticus, & Schismaticus & tam separatim, vt inter illos medient, vti ex reddito contextu patet, qui nec Hæretici, neque Schismatici sint: ergo in, Bulla excommunicatur Schismaticus, quamuis Hæreticus ille non sit.

49 Deinde, quia verba Bullæ: *nec non Schismaticos:* aliquid operari debent, vltra id, quod operantur illa: *ac omnes, & singulos alios Hæreticos:* quodlibet enim verbum legis, quamuis minimum, aliquid operari debet, Lezana, *Verbò, Leges Regularium, num. 41. & tom. 4. consilio 2. num.37.* ex *cap. in his, de Priuilegiis cap. Si ciuitas, de sententia excommun. in 6. cap. Si Papa, in fine, de Priuilegiis, eodem lib.6. & cap. si à Iudice, de appellat. eod. l. 3. in principio ff. de Iure iurando. litem si quando, l. 109. de legat. 1. l. fin. ff. Nequid in loco publico.* Cum Miranda *in Manuali Prælatorum tom... quæst. 25. art. 26. conclus. 7.* Felino *in cap. Qualiter, & quando n. 25. de Accusation.* & Alexandro, *Consilio* 214. Ponderatis *num.10. & seqq. lib.6.* Narcus Vidal, *in arca vitali, tit. de Duello, n. 26.* Antonius Naldus *in Summa, verbo Lex. n.24.* Cum Cognol. *in l. omnia, quæ Iure, de Regulis Iuris.* Augustinus Barbosa, *tract. de Axiomatibus Iuris, axiom. 222.* Ergo verba: *nec non Schismaticos:* significant Schismaticos non Hæreticos; aliàs superfluè adderentur in Bulla, quod vtique maximè à lege debet esse alienum. Naldus *cit.* Palaus *num.6.*

50 Ad secundam respondeo, minimè subiici excommuni

communicationi Bullæ Schismaticum purè internum. Anton. *Sousa, de censuris Bulla cœna*, *disp.* 19.*num.*5. *& in Aphorismis Inquisit. lib.*1.*cap.*20. *num.*16.*cum Sanch. in Decalog. lib.*2.*cap.*36.*num.* 14.*&* 15. Bassæus, mox citandus, Lezana, & Palaus. Et ratio imprompru est. Quia de occultis, & purè internis Ecclesia non iudicat: & consequenter, nec punit.

51 Ad tertiam, affirmatiuè respondendum censeo, cum Sousa, *locis citatis*, Religio Bassæo, *verbo Schisma*, *n.*5. dicente. Ad hanc autem censuram incurrendam requiritur, & sufficit, vt quis Schisma factis, aut verbis, aut alio signo externo manifestet, quamuis in mente Schismaticus non sit. Vnde hac censura ligantur, qui in Anglia externa obedientiæ signa exhibent erga Regem; quibus indicare præsumantur ipsum esse Christi Vicarium in spiritualibus, etiamsi interiùs in mentè contrarium sentiant. Et cum Lezana, *verbo*, *Bulla Cœna*, *num.* 9. Vbi ita fatur. Incurritur etiam solo actu externo, quo quis indicat se recedere ab obedientia Papæ, etiamsi actu interno id non intendat. Hæc enim est differentia inter Schisma, & Hæresim: quòd, quia Hæresis consummatur in actu interno, sicut actus Fidei contrarius, ideò si ille non adsit quantumuis adsit actus externus, non incurritur excommunicatio; Schisma verò, quia cõsommatur in acto externo, scilicet in substractione ab obediẽtia Papæ; ideò solùm propter illum, incurretur excommunicatio. Suarez, *suprà dicta*, *disp.*21. *sect.* 2. *n.*13. Qui bene propterea animaduertit Catholicos, qui sub Hæretico Principe viuunt, v.g. in Anglia, eique, vt Supremo capiti Ecclesiæ, exterius obediunt, quamuis in conscientia pœnas Hæreticorum effugiant, sed non Schismaticorum, quia verè Schismati sunt. Sanchez, *suprà n.*14. Hucusque Lezanæ.

Accinit Palaus *part.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punctus* 5 *num.* 3. Vbi ita ait. Dupliciter autem te potes à subiectione Pontificis, & Ecclesiæ vnitate diuidere. *Primò*, directè. *Secundò* indirectè. *Directè* te diuidis, cum expresè, & formaliter Intendis non recognoscere Pontificem, vt superiorem. *Indirectè*, cum facto ipso ostendis, non recognoscere. Quod videtur contingere existentibus in Anglia, & exhibentibus Regi Obedientiæ signa, quibus testantur esse Christi Vicarium in spiritualibus, quamuis interius, sic esse; nullomodo credant. Quia sciunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque obedientia, in opere externo consistit. Ac proinde ij veri Schismatici sunt; esto non sint Hæretici. Hactenus Palaus, cum Suarez, & Sanchez, *locis citatis*, & Bonacina, *de Charitate*, *disp.* 3.*quæst.*4. *punct.vlt.*§.5. *num.*9. *versic. Hinc patet*: Consonat Scortia *Theoremate* 410. *circa finem*, *pag.*633.

52 Ad quartam, respondet Farinacius, *de Hæresi*, *quæst.*184.*num.*11. *in fide*, apud Castrum Palaum, *part.* 1. *tract.*6. *disp.* 4. *punct.* 6. *num.*6. Censuram Bullæ recensitam, non solùm afficere Schismaticos, sed etiam eos, qui etsi tales non sint, recedunt tamen ab obedientia Summi Pontificis, seu potiùs illi inobedientes existunt. Cuius sententia probari quçit ex fundamento modo à nobis iacto: nimirum in lege, aut constitutione Pontificis, nihil superfluum dari. Sed in Bulla Cœnæ postquam Pontifex excommunicat Schismaticos addit: & eos, qui se à nostra & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, & recedunt: ergo vt hæc clausula superfluè addita in Bulla non sit, comprehendere debet inobedientes Papæ, qui Schismatici non sint.

53 Nihilominus tamen, dicendum censeo non afficere inobedientem huiusmodi, cum dicto Castro, Palao, *n.*7. Toleto, *in Summa*, *Lugduni edita lib.*4. *cap.*12. *n.*2. Suarez, *dicta disp.*21. *sect.* 2.*n.*12. Sanchez *in Decalogum*, *tom.*1. *lib.*2. *cap.* 36.*n.* 12. Bonacina, *disp.*3. *quæst.*4. *de Charitate*, *puncto vlt.*§.5.*n.* 9. Ab eodem recensitis Palao, & cum Ioanne Azorio, *part.*1. *lib.*8.*cap.*20.*quæst.* 5. cum Caietano *in Summa*, *verbo Excommunicatio*, *cap.*7.

Ratio nostræ resolutionis est: quia recessus ab obedientia Apostolicæ Sedis propriè cum illius recognitione non stat. Ergo dum quis Summum Pontificem superiorem recognoscit, etiamsi ei ob aliquam non obediat causam, à Pontifice Summo, vt tali, non videtur absolutè recedere: ac per consequens excommunicationem Bullæ non incurret, contra absolutè recedentem à Papa latam.

54 Ad fundamentum, pro Farinacio, in contrarium adductum, respondetur, quòd licet sub nomine Schismaticorum comprehensi erant in Bulla ij, qui absolutè recedunt à Summi Pontificis obedientia, fuerunt tamen expressi ad maiorem charitatem, & specialem timorem incutiendum, vt cum Suarez, Sanchez, Bonacina, & aliis penes Ipsos, docet Castrus Palaus, *dicto n.*7. Quòd vtique sufficit ad hoc, vt clausula præfata superflué addita non sit præcedenti; scilicet: *nec non Schismaticos*. Vnde ad argumentum, concessa maiori, & minori, nego consequentiam.

55 Ad quintam Respondeo, excommunicationi Bullæ in Cœna Domini addictos neutiquam esse Schismaticorum Fautores, defensores, & Receptatores; vti bene docent Castrus Palaus, *vbi suprà*, *n.*8. & Lezana, *verb*, *Bulla cœnæ*, *n.*9 cum Bonacina, & Suarez. Et ratio est, quia in Bullà præfata prædicti non exprimuntur: ego pœna in ea Schismaticis inflicta, comprehendere nequit illorum Fautores, Defensores, & Receptatores. Patet consequentia, quia in odiosis & pœnalibus extensio fieri non debet ad alios casus, etiam similes; sed proprietas est verborum seruanda, & strictè interpretanda. Quocirca videantur, quæ dico *num.*77.

56 Cum hoc tamen, duo, bene stare; dignoscuntur. *Primum*, quod vti refert Axorius *part.*1.*lib.* 8.*cap.*20. *quæst.*5. *versic. Animaduertendum*, Caietani tempore, hanc Bullæ excommunicationem his verbis; ferri solitam esse, *excommunicamus*, *& anathematizamus illos omnes, qui in animarum suarum periculum, se à nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahere, seu quomodolibet recedere præsumunt: & qui per se, vel alium, seu alios directè; vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur.* Quibus quidem verbis, alios quàm Schismaticos, dubio procul, excommunicatio afficiebat Bullæ.

57 *Secundum*; quòd Fautores, & Receptatores Schismatici in Summum Pontificem electi excommunicantur ab Alexandro Papa Tertio *in cap. licet el* 6.*de electione*, *& electi potestate* vti adnotat P. Palaus *num.* 8. Verba Alexandri huiusmodi »
sunt. Siquis autem de tertiæ partis nominatione »
confisus (quia de ratione esse non potest) sibi »
nomen Episcopi vsurpauerit, tam ipse quàm ij, »
qui eum receperint excommunicationi subiaceant; »
& totius sacri Ordinis priuatione mulctentur. »

Ita

Ita ille *in Concilio generali lateranensi.* Similem excommunicationis sententiam, Papæ tamen reseruatam, tulit Bonifacius Octauus *in cap. Ad succidendos, vnico de Schismaticis, lib.* 6. non solùm aduersus Fautores Iacobi, & Petri de Columna, contra quos constitutionem edidit illam, sed contra cuiuscumque alterius Schismatis Fautores. Addidit enim in fine Statuimus, atque decreuimus, vt & ipsa inuiolabiliter obseruentur: & quòd similes excessus, & culpæ, pœnis similibus in posterum puniantur. Quas, & omnes alias quascumque Apostolicas constitutiones, contra Hæreticos, & etiam contra Schismaticos latas. Paulus Papa quartus innouauit, approbauit, & perpetuò obseruari statuit, 15. *Calendas Martij, Anni* 1559. *in Constitut. Cum ex Apostolatus officio, la* 59. apud Angeli Cherubini Bullarium Magnum, *tom.* 1. *pag. mihi* 829. §. *Habita.* Cuius meminit Palaus, *dicto num.* 8. Lezana, *num.* 9.

58 Ad sextam difficultatem Respondeo, bene posse absolui Schismaticum, qui Hæreticus simul non sit, vigore Bullæ Cruciatæ, & alterius similis priuilegij, semel in vita, & semel in mortis articulo. Ita docent Ioannes Baptist. à Lezana, *tom.* 2 *part.* 3. *verbo Bulla Cruciata num.* 19. *&* 25. Diana, *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 7. *& part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 18. cum Enriguez, *lib.* 6. *cap.* 16, *num.* 2. Portellio, *in additionibus ad dubia regula. verbo libri prohibiti, num.* 14. Sanchez, *in decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. Duardo, *in Bulla Cœna, lib.* 3. §. 2. *quæst.* 8. *& quæst.* 11. *n.* 47. Farinacio *de Hæresi, quæst.* 180. *n.* 8. Acosta, *in Bulla Cruciata quæst.* 63. *conclus.* 4. Suarez, *tract. de Fide, disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 11. Ludouico à Cruze, *Bulla Cruciata, disp.* 1. *cap.* 50. *dub.* 4. *n.* 8. & penes eum, Roderiquez, Fernandez, Fagundez, Villalobos, & Sorbus. Docent, & Antonios Escorbar, *in Theologia morali tr.* 1. *de legibus, examine* 17. *cap.* 6. *num.* 55. Ausonius Noctinot, *verbo Bulla cœna n.* 30. *& Verbo, Bulla Cruciata, quoad reseruata, n.* 32. Hermannus Busembaum, *in Medulla Theologia, lib.* 7. *de censuris cap.* 1. *dub.* 5. *versic. Tertia.* Ioann. Ægidius Trullench, *in expositione Bulla Cruciata, lib.* 1. §. 5. *dub.* 13. *n.* 2. Castr. Palaus, *part.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *num,* 9. cum Sanchez, *loco citato cap.* 36. *num.* 17.

Et probatur, ex ipsius Bullæ Cruciatæ Verbis. Iten, paraque con mas puridad, y Limpieza desus conciencias, puedan hazer oracion, concede so Santidad atodos los suso dichos, que puedan elegir por Confessor, à qualquier Presbytero secular, o Regular, delos aprouados por el Ordinario, el qual los pueda absoluer, vna vez enla vida, y otra enel articulo de la muerte, de qualesquier peccados, y censuras, aunque sean de los reseruados y reseruadas à la sede Apostolica y delos declarados enla Bulla in Cœna Domini, excepto del crimen, y delicto dela Heregia. Hactenus Bulla Hispana. Ex qua quidem, me iudice, euidenter conuincitur veritas resolutionis dictæ sextæ difficultatis.

59 Sed circa clausulam: *y otra enel articulo de la muerte.* Duo libuit adnotare. *Primum* est, quòd licet quilibet sacerdos bene queat existentem in mortis articulo ab omnibus peccatis, & censuris, aliàs quantumuis reseruatis, nulla Bulla, aut speciali fultus, priuilegio absoluere, magnum tamen continet clausula recensita priuilegium, ratione cuius dici nequeat, superfluè additam fuisse Bullæ Cruciatæ, vti bene obseruant Lezana, *dicto num.* 23. Cum Ludouico à Cruce, *dicta disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 14. Antoninus Diana, *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 66. Cum Hurtado de Mendoza, *tom.* 1. *de Fide, disp.* 84. *sect.* 8. §. 135. & Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 27. Priuilegium huiusmodi, in hoc consistit, quòd absolutus virtute Bullæ in articulo mortis à reseruatis, si postea non moriatur, sed conualescat, non teneatur se Superiori præsentare, cui peccata, aut censuræ fuerant reseruatæ, quòd tamen tenetur, qui in huiusmodi articulo, fuit ab alio absolutus à censuris reseruatis, quàm ab habente priuilegium, vel facultatem Superioris, quòd etiam docet Busembaus, *in Medulla Theo. lib.* 6. *tr.* 4. *cap.* 2. *dub.* 3. *vers. Probabile est.* Cum Filliucio, *tr.* 7. *cap.* 10. *q.* 6. *n.* 288. Bonacina, *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 1. *num.* 13. Nauarr. Suarez, & Mercero. Diana *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 199. Cum sanctorio *de casibus Papalibus, cap.* 18. *num.* 147. Et dictis Nauarr. *Manu. cap.* 26. *num.* 26. & Mercero, *in* 3. *part. D. Thom. q.* 9. *art.* 6. & constat hoc vltimum, ex his, quæ idem docet Diana, *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 67. & vtrumque tenet, *resol.* 66. Cum Granado, *de Sacramentis, in* 3. *p. contron.* 7. *tr.* 10. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 13. Præposito *in* 3. *p. q.* 7. *de Ministro Pœnit. dub.* 5. *n.* 41. Ludouico de S. Iuan, *q.* 5. *art.* 17. *de Sacra. Pœnitentia difficul.* 12. *conclus.* 1. *&* 2. Sanchez *in Sum.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 27. Coriolano, & Hurtado. Et quoad censuras, patet, ex dispositione *capitis, los qui, el* 22. *de sententia excommunicationis lib.* 6. In quo Bonifacius Papa octauus in hunc decernit modum.

Eos, qui à sententia Canonis, vel hominis (cum ad illum à quo aliàs de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluuntur: si cessante posteà periculo, vel impedimento huiusmodi, si illi à quo his cessantibus absolui debeant, quàm cito commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant humiliter recepturi, & satisfacturi, pro vt iustitia suadebit t d. cernimos (ne sic censuræ illodant Ecclesiasticæ,) in eandem sententiam recidere ipso iure. Hactenus Bonifacius in Decretali citata.

Secundùm, quòd lubens adnoto est, quòd per 60
mortis articulum, non solùm intelligitur verus articulus mortis, quem de facto mors sequitur, sed etiam præsumptus cum quis prudenti hominum iudicio assumator morti propinquus, licet mors, vel naturaliter, vel per miraculum non sequatur. Bulla enim generaliter loquitur, & cum materia sit de re concernenti salutem spiritualem animæ, est fauorabilis, ac per consequens amplianda. Ita Lezana, *vbi proximè*, cum Corduba, *de indulgentiis, q.* 39. & Henriquez, *lib.* 6. *cap.* 9. Vgolinus mox citandus arg. *l.* 3. *cum seq. ff. de donation. causa mortis.* Cum Baldo, *in cap. Pastoralis, n.* 4. & Abb. *n.* 3. *de offic. Ordinar.* Bart. & Ias. *num.* 18. *in l.* 1. *cod. de sacrosanct. Eccles.* Nauarr. *man. c.* 2. *n.* 9. *& c.* 26. *n.* 31. Aug. Barbosa, *de potestate Episc. part.* 2. *allegat.* 25. *n.* 81. & me iudice, apertè ex Decretali, modò reddita, sequitur.

Nomine etiam articuli mortis, potest intelligi 61
periculum mortis, in quo quis non spontaneè, sed propter necessitatem est constitutus v.g. cum periculosam ingreditur nauigationem, vel imminens prælium, & cum mulier grauida difficili partui proxima existit. Ita Antonius Naldus, *in Summa verbo, Bulla cœna, n.* 16. cum Couartuuia,

Bartholo

Bartholomæus Vgolinus *de censuris Pontifici reseruatis, part.3. cap.2. vers. Nisi in mortis articulo constitutus, cum Nauarro, in Manuali, cap. 27. numer.172. vers. cæterum facessat*, cum dicto Couarr. *in cap. Alma mater, de sent. excommunicat. lib.6. part.1.§.11. num.2. vers. Tertia.* Et communi DD. Lezana, *verbo Bulla cœnæ; num. 53. & verbo, Bulla cruciata, numer. 23.* Cum Diana, *part.5. tract.9. resol. 67.* & Ludouico à Cruce, *disp. 1. cap.10. sub dub. 18.* Noctinot, *verbo Absoluere à reseruatis, à num.22.* Barbosa, *vbi proxime.* Coninch, *de Sacrament. disp.8. dub.2. num. 15.*

62 Sed quia Vgolini doctrina plura continet notatu digna, eam consultò reddere libuit. Quare si quis in mare sit tempestatéque graui orta, naufragium probabiliter, immineat, hunc in articulo mortis constitutum dicimus. Idem sentimus de eo, qui prælium ingressurus sit. Idem concludimus de his, qui à carnifice necandi sunt; & qui se castrandos tribuunt, sicut etiam de muliere partui proxima vbi difficiliter parere solet, vbi ne primo parit. Hi omnes ergo, & horum similes, vel in mortis articulo sunt, vel mortis articulus saltem imminet, quod sat est, vt probatur *per cap. eos, de sententia excommunicationis, versiculo propter imminentis mortis periculum.* Atque sic asseruit Rebuffus, *in Praxi Benefic. in expositione Bullæ cœnæ Domini, art. 13. versicul. Mortis in verbo Articulo.* Nam ibi ait, in articulo mortis eum esse, in re nostra, non solùm vbi, ob morbum in tali statu est, verumetiam vbi mortis periculum est, aut ab hoste, aut à Prædonibus, aut ob nauigationem, aut ob iter periculosum, aut ob senectutem, aut ob huiusmodi alia pericula, vtpote, vel est damnatus ad mortem. Quamuis Sotus contrarium senserit, *in quarto, dist. 18. quæst. 4. art. 4. vers. Quæris autem quis dicatur, lib. 4.* vbi aliud esse periculum mortis, aliud articulum mortis sentit. Cuius sententiam improbauit, ac rectè Nauarrus, *cap. 27. num.172. vers. Cæterum facessat.* Et hoc, ob citatum *caput eos.*

63 Et sententia hæc, vt idem sint, quoad effectum hunc absolutionis, articulus mortis, & periculum mortis, communis est, vt testatur Couarruuias *in cap. Alma mater part.1. §.11. nu.8. versic. Tertia, de sententia excommunicationis, lib. 6.* Quamuis ipse opinionem hanc non admittat, nisi graue, & morti proximum periculum sit. Hic ergo articulus mortis dicitur, quoad rem nostram. Et quoniam diutiùs durare potest, ob eam rem, excommunicatus absolui semper poterit. Quid enim si in naui decem, quindecimve dies graui tempestate orta huc, illucve fluctibus quis impellatur? Planè in articulo mortis semper hic esse dicetur. Quo igitur ab alio, quam à Romano Pontifice, ab his censuris quis absoluatur, in articulo mortis existens, & in his angustiis deprehensus esse debet.

64 Postremò requiritur etiam, vt eius facultas non detur, à quo iure communi absolui debet, vt probatur *in citato capite eos, de sententia excommunicationis, vers. cum ad illum, à quo alias de iure fuerant absoluendi.* Etenim vt quis à non suo Iudice absoluatur, extraordinarium remedium est, vt verò quis à suo Iudice absoluatur, remedium ordinarium argument. *cap. Omnis, de Pœnitentia, in antiq. & cap. final. de Constitutionibus, & l. fin. ff. de iurisdict. omnium Iudicum.* At vbi remedium ordinarium locum habere potest, extraordinario locus non est, argumento *l. In causæ 2. ff. de Minoribus, & l. in prouinciali, §. si in loco communi,* Vbi Bartol. Iaso, ac DD. notant, ff. *de operis noui nuntiatione.* Ergo vbi aliàs proprij Iudicis facultas non datur, extraordinario huic locus erit. Quare si in articulo mortis constitutus, Romani Pontificis facultatem habet, absolui ab alio non poterit. Facultatem autem ordinarij tunc quis non habet, vbi periculum est, si ipse adeatur ne in censura constitutus interim decedat, argumento, *capitis, Qua fronte, de Appellationibus. versic. Ne in excommunicatione decidat,* in antiquis. *Et cap. Venerabilibus, cap. Sane, vers. Nisi periculum, de sententia excommunicationis, lib. 6. & cit. cap. eos, eodem.*

65 Verùm licet Vgolini sententia, in hac vltima parte probabilis sit, & iuxta Luisij Turriani placitum, *in suis selectis disputationibus, centuria.2. dub.77. pag. mihi 169.* & Patris Hurtado de Mendoza, *volum. 1. de Fide, disputat. 82.* & aliorum, quos recenset Diana, *part.1. tract.5. resol.5.* Videlicet Sanchez, *in Decalogum, tom. 1. lib.2. cap.13. num. 7.* qui alios pro se citat. Sanctorum *de casibus Pap. & Episco. num.146.* Bonacinam, *de Sacramentis, disp. 5. quæst.7. punct. 1. num.10. & de censuris, disputat. 9. quæst. 3. punct. 5. num.3.* Benzonium, *tract. de fuga, lib.1. disputat. 1. quæst. 6.* Sanctarellum, *tract. de Hæresi, cap.6. dub.1. num. 2.* Puteanum, *in 3. p. D. Thom. part.2. quæst.3. dub. 3. conclus.* Valerium Reginaldum, *in praxi tom.1. lib.1. cap. 7. numer.61.* Auilam, *de Censuris, part. 2. cap. 6. disputat.3. dub. 1. conclus. 4.* Nugnum, *in additionib. ad. 3. partem, tom. 2. quæst. 8. artic. 6. dub.3. fol.300.* & iuxta placitum Coninch. *de Sacramentis, disput.8. de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, dubio. 2. num. 16. pag. 387.* cum Suarez, *disput. 26. sect.4. num.4.* & Gabrielis Vazquez, *tom.4. in 3. parte D. Thom. quæst.39. artic. 1. dubio. 4. num.18, versic. His tria addenda sunt,* cum Angelo. Licet inquam probabilis sit dicta sententia, & maximè iuri communi antiquo consona, minus probabilis non existit ea, quæ docet, in articulo mortis simplicem sacerdotem excipere posse confessionem constituti in tali articulo, & absoluere eum ab omnibus peccatis, & censuris, alias reseruatis, quamuis copia adsit Confessoris approbati, imò proprij Parochi, aut Prælati superioris, cui casus; & censuræ reseruantur.

66 Hanc tenet Diana *parte 1. tractat. 5. citata, parte 4. tractat. 4. resolut. 161. & parte 5. tractat. 6. resol. 60.* cum Nauarro; Roderiquez, Henriquez, & Vegha à Sanchez, *vbi proximè, numer. 6. citatis.* cum Villalobos *in Summ. tomo 1. tractat. 27. claus. 1. §. 2. num.7.* Coriolano, *de casibus reseruatis, parte 1. sect. 2. artic. 16. num. 7. & 8.* Conrado, *in respon. casuum conscientiæ, parte 1. quæstio. 12.* Ludouico de San Ioan, *in Summa, parte 1. tractat. de pœnitent. quæstio 6. artic.6. dub.4.* Ioanne valero, *in differentiis vtriusque fori,* verbo *Excommunicatio, different.27. n.1.* Angles *in 4. to.2. quæst. de Confessione, art. de Minist. diffic. in articulo mortis,* Zerola *in praxi, de Pœnitentia, cap. 15. num. 4.* Finellio, *de casibus reseruatis,*

capite 7. *in fine*. Paulo Comitelo, *in Responsis Moralibus*, *libro* 1. *quæstio*. 2.2. *numer*. 2. Petro de Lesma, *in Summa*, 4. 1. *tract. de Sacramento Pœnitentiæ*, *capite* 14. *difficultat*. 2. *col*. 50. Emanuele Sa, *verbo*, *Absolutio*, *numer*. 5. Philiberto Marchino, *in tract. de Bello diuino, seu Peste*, *parte* 3. *cap*. 3. *numer*. 10. *& seq*. Augustinus Barbosa, *de officio, & potest. Episcopi*, *part*. 2. *allegat*. 25. *n*. 79. Cum Nauarro, *consil*. 15. *numer*. 5. *de Pœnitentiis, & remissionibus*, Sayro, *in floribus consil. sub. eod. titul. de Pœnitent. decis*. 21. Reginaldo, *in praxi fori pœnitentiæ*, *lib*. 1. *num*. 60.

67 Hæc sententia, in iure nouo Concilij Tridentini fundatur, *seß*. 14. *capite* 7. Ita decernente. Verumtamen piè admodum: ne hac ip-
» sa occasione aliquis pereat, in eadem Eccle-
» sia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit re-
» seruatio in articulo mortis: atque ideò om-
» nes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibus-
» vis peccatis, & censuris absoluere possint: ex-
» tra quem articulum Sacerdotes cum nihil pos-
» sint in casibus reseruatis, id vnum pœniten-
» tibus persuadere nitantur, vt ad Superiores,
» & legitimos Iudices pro beneficio absolutio-
» nis accedant. Hactenus conciliare decretum. Si
» igitur in articulo mortis nulla est reseruatio, cur erit reseruator? & vt verbis vtar Comitoli, *vbi proximè*, si facit ille articulus, vt omnis cesset reseruatio, cur non item cesset reseruator?

68 Nec obstat dicere, Concilium hanc facultatem omnibus Sacerdotibus concessisse in eo articulo, deficiente Superiore reseruante. Conceditur enim huiusmodi facultas in extrema necessitate, aliàs illam non habenti, sed in absentia illius, qui eam habet, ne remedio careat ægrotus, in eo constitutus articulo.

Non inquam obstat, quia omnes Sacerdotes, etiam simplices dictam facultatem in defectum non habent Superioris, aut alterius illius vicem habentis, sed absolutè, & simpliciter. Concilium enim, vt bene Diana, *parte* 4. *tract*. 4. *resolut*. 161. *ait*, ex Marchino *loco citato*, non apposuit istas glossas, & limitationes, sed loquitur absolutè: ergo neque nos illas apponere debemus. Concilium igitur nullum ordinem constituit, quia voluit in eo articulo amplissimum fauorem præstare fidelibus. Et quidem, si vllum ordinem constituere voluisset Concilium, illum vtique expressisset. In lege enim, quòd non fuit expressum, censetur neglectum: quia, vt præfertur, si legislator illud voluisset, expressisset. Roderiquez *to*. 2. *qq. Regularium quæst*. 44. *artic*. 4. *versic. Quartum* Ragius, *de Regimine Regularium*, *centur*. 2. *tract*. 8. *dub*. 161. *numer*. 2. *ex Lunica*, §. *Sin autem ad deficientis Cod. de caducitate tollenda*. *l. si seruus*, §. *Prætor ait*, *versic. Non dixit. ff. de acquirenda hæreditate*. Tiraquello, *in l. Si vnquam tit. libertis*, *numer*. 3. Surdo, *consil*. 88. *numer*. 4. *& decis*. 322. *numer*. 22. *& consil* 245. *numer*. 45. *volum*. 2. Gutierrez *Pract. lib*. 3. *quæst*. 22. *numer*. 7. Alexandro, *consil*. 94. *lib*. 2. Marcus vidal, *in Arca vitali de Duello*, *inquisit*. 6. *numer*. 13. Cum Rolando à valle, *consil*. 56. *numer*. 5. Testante de communi Doctorum sententia.

69 Et addo cum Diana, *eadem resolutione*, 161. Quòd vt concessio suam obtineat vim, non requiritur vt concedentis motiuum in singulis inueniatur casibus, sed sufficit, quòd interdum possit inueniri. Et ratio est, quia concessionem ad casus non restringit, particulares, quibus necessitas reipsa inuenietur: sed generaliter concedit, quia necessitas interdum subesse potest.

Neque etiam obstat, quòd Vgolinus ait: Videlicet, quòd vbi remedium ordinarium locum habere potest, extraordinario locus non est. Quia hoc intelligendum est, regulariter & in plurimum; secus autem quando ad hoc legitima adest Iuris, priuilegij, aut specialis, potentis eam delegare, facultas. Cum igitur Ius tridentini remedium extraordinarium in articulo mortis constituti concedat, ei locus est, darique debet. In quo quidem casu extraordinarium dici nequit remedium; sed ordinarium: cum à Iure remedium ordinarium, in mortis articulo constitutis, statuatur. 70

Neque denique obstat, quòd Luisius de Torres, *dubitatione* 77. *recensita*, ait ex Patre Molina, *tom*. 4. *de Iustitia*, *disputat*. 63. Videlicet, opinionem, quàm sequitur, esse à Gregorio XIII. damnatam: tum, quia de tali non constat damnatione: tum, quia non est verò simile eam fuisse damnatam opinionem à Gregorio, aut ab alio priore, aut successore Pontifice, non solùm ob eius probabilitatem intrinsecam, sed ob extrinsecam quidem, tantorum grauissimorum Doctorum, pietate, virtutibúsque aliis, ac Doctrina illustrium, illam, tam simul, quàm vnius post alios; sequentium. 71

Ad septimam tandem difficultatem, circa pœnam excommunicationis, qua Schismatici plectuntur, motam, respondeò Iure antiquo, non esse ipso iure latam sententiam excommunicationis contra omnes Schismaticos, sed ab homine esse ferendam iuxta diuersorum Iurium dispositiones. Ita tenet Azorius *part*. 1. *institutionis moralis*, *lib*. 8. *cap*. 20. *quæst*. 6. *columna mihi* 899. Barbosa *in cap*. 1. *de Schismaticis*, *numer*. 6. ibi. Sed solùm in Bulla cœnæ excommunicantur absolutè. Et constat ex inspectione Canonum, qui in contrarium afferri solent. 72

In primis enim *in Canone Nulli fas est*, *el* 5. 73
distinct. 19. Gregorius Papa, ita ait. Nulli fas »
est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ »
Sedis præcepta, nec nostræ depositionis mini- »
sterium, quòd vestram sequi oportet Charita- »
tem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quis- »
quis Apostolicis voluerit contradicere Decretis, »
nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, »
sed exors à sancto fiat ministerio, nec de eius »
iudicio quisquam postea curam habeat. quo- »
niam iam damnatus à Sancta, & Apostolica »
Ecclesia, sua inobedientia, atque præsumptio- »
ne à quoquam esse non dubitetur: quia maio- »
ris excommunicationis deiectione est abiicien- »
dus cui sanctæ Ecclesiæ commissa fuerit disci- »
plina, quia non solùm præfatæ sanctæ Ecclesiæ »
iussionibus parere debuit, sed etiam aliis ne præ- »
terirent insinuare. Sitque alienus à diuinis, & »
Pontificalibus officiis, qui noluerit præceptis »
Apostolicis obtemperare. Hactenus in illo cano- »
ne: in quo nihil aliud continetur.

Adduci etiam solet canon *Ordinationes*, *el* 5. *causa*, 8. *quæst*. 1. Sed ibi solùm statuitur, vt ordinationes factæ à Schismaticis Episcopis, pro irritis habeantur. Hoc est, vt exponit Azorius, 74

vbi

vbi proximè, *versic. Verumtamen*, vt scienter Ordinati à Schismaticis, ab Ordinum officio, munero, functione, & vsu ipso iure sint remoti, & exclusi. Cui consonat Syluester, *verbo*, *Schismaticus*, *quæst.* 5. Vbi sic ait. Tertiò, quando quis innititur ordinationi factæ per eum; quod intellige in ordinatione, quoad executionis, secundum Glossam, & Panormitanum ibi (scilicet *cap.* 1. *de electione.*) quia Ordo bene confertur, si forma seruetur, sed non executio, si à tali (Schismatico scilicet,) scienter suscipiatur. Si vero ignoranter, secundum Innocentium, confertur etiam executio, quòd Hostiensis dicit esse verum, quamdiu est occultus, sed postquam fuerit patefactus, requiritur dispensatio: & hoc est tutius. Hucusque Syluester.

75 Canon item, *de liguribus, el* 43. *causa* 23. *quæst.* 5. Hoc solùm, quoad excommunicationem, Schismaticorum contineri, inspicienti constabit. *Nolite ergo dubitare, huiusmodi homines principali, vel iudiciali authoritate comprimere: quia regula Patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu Schisma fecerit: iste excommunicetur, atque damnetur. Quòd si forte & hoc contempserit, & permanserit diuisiones, & Schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur.* Hæc Pelagios Papa in dicto Canone.

76 Et quòd per Principes, & potestates, sæculares coerceri debeant Schismatici, & cogi, vt ad Ecclesiæ vnitatem reuertantur, docent D. Thom. 2.2. *quæst.* 39. *art.* 4. *in corpore*, *& solutione ad* 3. quia subdi recusant capiti Ecclesiæ (inquit,) & ideo quia coerceri nolunt per spiritualem potestatem, Ecclesiæ, iustum est, vt potestate temporali coërceantur. Et Syluester, *verbo Schismaticus*, *quæst.* 4. & ex pluribus aliis; præter modò redditum Canonem, constat. Videlicet ex *Canone Nec licuit in fine*, & ibi glossa, *verbo per seculares*, *el* 4. *distinct.* 17. ex Gregorio Papa desumpto, *Cano. Petimus el* 29. *causa* 11. *quæst.* 1. ex Concilio Cartaginensi III. *Cano. Ipsa pietas*, *el* 24. *causa* 23. *quæst.* 4. ex Augustino ad Bonifatium, *Can. Non vos*, *el* 22. *Cano. Quali nos*, *el* 44. *eiusdem causæ*, *quæst.* 5. ex eodem Papa Pelagio.

77 In capite licèt, *el* 6. *de Electione*, *& electi potestate*, quodquod ad probandum Schismaticos, iure communi, ipso facto esse excommunicatos, allegari solet, solùm contra Schismaticos sententia fertur excommunicationis; quando facta electione Summi Pontificis à duabus Cardinalium partibus, consentientibus, concordantibus, & recipientibus, aliquis tertiæ partis nominatione confisus, sibi nomen Episcopi, seu Pontificis vsurpauerit. In quo vtique casu, Alexander Papa Tertius, sacro approbante Concilio lateranensi, statuit, vt tam ipse, qui sibi Pontificis vsurpauerit nomen, quàm ij, qui eum Receperint, excommunicationi sobiaceant. Quæ quidem dispositio, vti pœnalis, & odiosa extendi non debet ad alios Schismaticos, in ea non expressos, iuxta tritam Iuris Regulam, *Odia restringi & fauores conuenit ampliari*, *la* 15. *de Regulis Iuris*, *lib.* 6. *& ita docet*, Barbosa, in dictum *cap. licet num.* 7. Cum Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thom. de censuris*, *disputat.* 23. *sect.* 5. *num.* 2. Garcia, *de beneficiis*, *parte* 11. *capit.* 10. *num.* 153. Azorius, *parte* 1. *libro* 8. *capite* 2. *quæst.* 6. *colum. mihi* 889. Vidal, *in Arca vitali*, *titul. de Duello*, *Inquisit.* 6. *numer.* 13. *cent. Pœna de pœnitentia*, *distinct.* 1. Cum Lanfranco, *de Duello opusc.* 5. *capite* 3. *numer.* 9. Diana, *parte* 2. *tractat.* 17. *resol.* 66. *versic. At his non obstantibus.* Cum Miranda, *in Manuali*, *tr. de Monialibus*, *quæst.* 2. *artic.* 10. *conclus.* 1. Henr. *libro* 7. *capite* 3. *numer.* 4. *in glos. litt.* C, Garc. *de Benefic. tomo* 2. *parte* 11. *capite* 10. §. 2. *numer.* 236. Castro *de lege Pœnali libro* 6. *cap.* 3. *numer.* 5. *& cap.* 4. *num.* 1. Sanchez, *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 1. *disp.* 4. *num.* 3.

Adduci etiam solet ad idem intentum, *caput*, 78 *quòd à prædecessore*, *el* 1. *de Schismaticis*, vbi ab eodem Alexandro Tertio, in eodem Concilio irritas esse declarauit ordinationes factas ab Octauiano: & Guidone Schismaticis: & decreuit, vt qui dignitates, se, beneficia per prædictos Schismaticos accepissent, carerent impetratis: & vt alienationes per eosdem, aut Laicos factas de rebus Ecclesiasticis, omni carerent firmitate, & ad Ecclesias reuerterentur. Et addit. Si quis autem contrariè præsumpserit, excommunicationi se nouerit subiacere. Sed in hoc capite, Schismatici non excommunicantur, vti docet noster Abbas Panormitanus *in Rubrica de Schismaticis*, *n.* 2. ibi: sed magis videntur inclinare in illam partem, quòd non sint excommunicati. Sed dic hoc verum respectu illius capitis primi. Ita ille in terminis capitis recensiti, *Quòd à prædecessore.* quem sequitur Azorius, *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 6. Syluester, *verbo Schismaticus*, *quæst.* 5. *in principio* Barbosa, *in dictum caput. num.* 6. Cum Suarez, *de censuris*, *disp.* 23. *sect.* 3. *n.* 1. *& à n.* 4. & Nicolao Garcia, *de Beneficiis*, *part.* 11. *cap.* 10. §. 1. *num.* 157.

DIVISIO IV.

De Priuatione dignitatum, & Beneficiorum.

BREVIARIVM.

Beneficia.

Dignitatibus, & Beneficiis habitis tempore admissionis Schismaticis, Schismatici priuantur num. 79. *& seqq.*

Decretum.

Volumen Decreti authenticum est, non solùm quoad sanctorum, & Pontificum, sed & Gratiani, dicta, num. 83. *& seqq.*

Quatuor species authoritatum sunt in Decreto, Patrum, Graciani, Palea, & Iuris consultorum, n. 84.

Dicta Patrum, etiamnon Pontificum, in Decreto reperta, vim habent statuti Canonici; dummodò aliquà Pontificia dispositio in contrarium non appareat. num. 85.

Papæ decreto omnia, siue Bulla, Breuia, Descripta, Signaturæ simplices, & viuæ vocis Oracula, eamdem vim habent, ac Decreta eius in Conciliis, aut in Iure Communi inserta, & Diui Petri voce firmata, num. 86. 87.

Gratiani Decreti compilatoris authoritas, & fides, quænam detur ostenditur, n. 88.

Paleæ authoritas, in Decreti volumine, quænam sit, num. 89.

Lex ciuilis in Decreto reperta, vim Iuris Canonici non habet, nisi alicui Canoni, fuerit per Pontificem incorporata, aut approbata, n. 90.

Gratianus.

Vide Decretum.

Lex ciuilis.

Vide Decretum.

Pœna.

Granior pœna, grauiori delicto est insligenda. num.81.

Pœnæ similes sunt in æquali delicto. n.81.

Inslignntnr Pœnæ in obedienti Summo Pontifici, nam.82.

79 QVarta Pœna contra Schismaticos statuta, est priuatio Dignitatum, & Beneficiorum, quæ tempore admissionis Schismatis habebant, in sententia Eligij Bassæi, *verbo Beneficium VII. num.* 3. & Rebuffi, *in Praxi Beneficiaria tit. de modis amittendi Beneficia, num.*29. Flaminij Parisij *de resignatione Beneficiorum, lib.*3. *quæst.*1. *num.*36. *&* Farinacij, *quæst.* 184. *num.*42. quos recenset Castrus Palaus *part.*1. *tract.*6. *disp.*4. *punt.*6. *num.* 15. Lessius *de Iustitia lib.*2. *cap.*34. *dub.*34. *num.* 187. Sylucster, *quæst.*4. ibi: vel depositionem. Et probant *ex can. Nos consuetudinem, el* 8. *distinc.*12. *ex cap. Quia diligentia el* 5. *de electione, & ex capite Ad succidendos, vnico de Schismaticis, lib.*6. Et probare æquè poterant *ex canone, in nomine Domini, el* 1. *distinct.* 23. *post medium* ibi: Nec
» aliqua super hoc ei audientia reseruetur, sed ab
» omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat
» priùs, sine traditione deponatur. Cui quisquis
» adhæserit, vel qualemcumque tanquam Ponti-
» fici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum
» deffendere præsumpserit, pari sententiæ, sit man-
» cipatus. Hactenus Nicolaus Papa in reddito Canone. Probare etiam poterant *ex canone, Nulli fas est*, suprà recensito.

80 Ipse tamen Castrus Palaus docet cum Garcia, *de Beneficiis, part.*11. *cap.*10. *num.*151. Sanchez, *in Decalognm, tom.* 1. *lib.*2. *cap.* 36. *num.* 19. & Bonacina, *disp.*3. *quæst.* 4. *de Charitate, punct. vltimo* §.5. *num.* 10. Schismaticum in genere, qui simul hæreticus non sit, priuatum non esse beneficiis, ante Schisma obtentis. Nullam aliam reddit Palaus suæ sententiæ rationem, aut fundamentum, quàm explicationem aliquorum, ex allegatis, in contrarium, textuum. Ait, enim, *caput, quia diligentia & canonem, Nos consuetudinem,* non loqui de Beneficiis ante Schisma ostentis *& capnt. vnicnm de Schimaticis lib.* 6. loqui in casu speciali, quo postposita electione canonica alicuius Pontificis alius eligitur. Et consequenter dispositio illius Decretalis, in illo solùm casu expresso, locum habere queit; minime autem in vniuersum, in aliis ibi non expressis.

81 Nec valet dicere, Bonifacium Octauum, hanc suam vnicam Decretalem, de Schismaticis, ad casus similes extendisse, in illius fine. Quia ex dicta extensione non comprehenduntur nisi casus similes ei, de quo expresè in illa constitutione. Ille autem fuit, quòd Iacobus, & Petrus de columna Cardinales, elegerunt quemdam in Romanum Pontificem, cum scirent, alium fuisse canonicè electum. Nullum autem Schisma huic simile erit, quòd in eadem materia non fuerit, electionis scilicet Romani Pontificis factæ per eos, qui scirent alium canonicè electum fuisse. Vnde Ioannes Andreas, *in glossa Marginali* ita ait, *verbo simile* in æquali delicto, similes sunt pœnæ, *in authentic. Fra. Fil. insi. col.* 9. grauius autem delictum, grauius vindicetur 14. *quæst.* 1. *Non afferamus.* Sed Schisma in præfata Decretali punitum graue nimis est, ita vt ei alia Schismata æquari nequeant in criminis grauitate: vnde Bonifacius Papa profundum malorem illud appellauit: ait enim. Consequenter dictis Iacobo, & Petro descendentibus in profundum malorum &c. ergo extensio constitutionis à Bonifacio ad casus similes facta non intelligitur facta ad omnia Schismata, sed ad æqualia in delicto vindicato à se in eadem Constitutione. Alias grauius delictum non vindicaretur grauius.

82 Eodem modo, quo respondet Palaus Iuri, vltimo præfato, responderi bene queit Canoni *In nomine Domini*, quia ibi agitur de Schismate in electione Romani Pontificis. Quare illius dispositio extendi non potest ad alios casus: quia pœnalis, & odiosa illa est. Canoni autem, *Nulli fas est*, quid fundatè responderi queat, (ingenuè fator) non capio: quia in eo Gregorius Papa agit, de quocumque Sacerdote Sedi Apostolicæ inobediente, de quo decernit, quòd deinceps inter Sacerdotes locum non habeat, quòd exors à sancto fiat ministerio, & priuatus à diuinis, & Pontificalibus officiis. Præhabitis quidem, vt supponit textus, quo vtique fultus, priori pro nunc sententiæ iubens adhæresco.

83 Nec obstat siquis dicat Decreti volumen authenticum non esse, cum Gratianus noster, illius compilator potestatem legis condendæ non habuerit. Quia præfatum volumen approbatum reperiri testatur Abbas Panormitanus, Pontificiæ disciplinæ facile princeps, *in cap. ex parte, num.* 9. *el* 2. *de rescriptis*, vbi postquam recensuit Ioannem Andream sentientem, non esse approbatum: & quòd præsupposito, quòd fuerit approbatum, quoad dicta Sanctorum, & Romanorum Pontificum, non autem quoad dicta Gratiani. Et his videtur, quòd dicta ibidem posita, non facient indubitatam fidem: immediatè ait Abbas. Sed ego dico, ex quo ille liber communiter, & à multis annis citra fuit publicè lectus in scholis, & ipsius dicta communiter recepta, sunt hodie tacitè approbata, & per omnes recipienda, provt in simili notat Bart. *in l. ff. Si certum petatnr*, de dictis Hippocratis 9. Aristotelis, & aliorum Medicorum, & Philosophorum. Idem docet Felinus *in dictum caput, num.* 44. & eos sequitur Barbosa, *in Proœminm Decreti, num.* 5. *& seqnentibus.*

84 Sed aduertit Barbosa, quatuor auctoritatem speciei in Decreti repertiri volumine. *Prima* est sanctorum Patrum. *Secunda*, est Gratiam eius compilatoris. *Tertia*, cuiusdam Paleæ, de quo nomine, & quisnam ille fuerit, sunt variæ Doctorum sententiæ. *Quarta*, tandem est, Iurisconsultorum, & Imperatorum sæcularium: quia multæ sunt leges ciuiles in libro insertæ Decreti. Et sic de earum qualibet, provt sequitur, asserit.

85 De Auctoritate Sanctorum Patrum ait, quod licet eorum testimonia ex se vim Canonum non habeant ad diuisionem causarum (intellige, si illi non fuerint Summi Pontifices, de quibus mox dicendum;) at ex longa Ecclesiæ consuetudine sic acceptantis, & publicè legi volumen hoc decreti permittentis, quæ in eo inserta sunt Sanctorum dicta, robur statuti Canonici obtinent, dummodo in contrarium aliqua Pontificia

dispo

dispositio non appareat. Ita docet *num.* 7. cum Archidiacono *in cap. De his* el 2. *in princ.* 51. *distinct.* cum Dominico ibi, *num.* 2. *vers. Sed quæro, nunquid*: cum Præposito *post* 5. *quæst. versic. Redeundo ad textum*: & Turrecrem. *ibidem, n.* 5. *versic. De hoc*: vbi quærunt, nunquid standum sit decisioni textus, eo quod non sit Pontificis, nec Concilij Generalis, sed magni nostri Rabani Mauri, ex Abbate Fuldensis Cœnobij, Moguntini Archiepiscopi, ad Heribaldum; & respondent standum esse: quia hoc decreti opus, recipit Ecclesia Romana, quoad capitula in eo contenta. Idem Archidiaconus *in cap. Quis nesciat, in fine, dist.* 9. *& ibi* Dominicus *versic. Quæro, quid de volumine.* Abb. *vbi suprà*, Felinus *citato loco, num.* 43. *versic. Firmat.* Ripa, *n.* 8. Turrecrem. *in Proœmio Decreti, art.* 8. *num.* 25. Thoma Canon. *in repetit. dicti proœmij, num.* 243. *& duobus sequentibus*: Maranta *de ordine Iudic. part.* 3. *quæst. vnic. nu.* 36. Anton. Cuch. *Instit. maior. lib.* 1. *tit.* 1. *nu.* 5. Medina, *de Sacrorum hominum continentia, lib.* 2. *cap.* 33. *in fin.* Dionys. Paul. *de vera Patriarchalium sedium erectione, cap.* 4. *n.* 2. Thomas Sanchez *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *disp.* 12. *n.* 3. *pag. mihi* 199. cum Hugone, Azon de Ramenghis *repetitione in proœmium Decreti, nu.* 25. Cenedo *in suis Collectaneis, collect.* 16. *ad Decret.* 2. ac Decio *cap.* 2. *de Rescript. in fine*: Roderique x *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæst.* 6. *art.* 2. *in medio*, ibi: quoad primam speciem, &c.

Et probari potest ex *cap. Continebatur* el 6. *de Desponsatione impuberum*, vbi sic Alexander Papa decernit. Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum in Decretis habeatur expressum, quod si vir dixerit, quod vxorem suam cognoverit, & mulier negaverit, viri standum est veritati. Decretum autem; hîc ab Alexandro allegatum, est *canon. Si quis acceperit* el 3. *causâ.* 33. *quæstio.* 1. ex Concilio Provinciali, apud Compendium celebrato, desumptus.

86 Secundò probatur, quia quæcumque decreta à Papa emanata sive sint Bullæ, sive Brevia, Rescripta, Oracula, vivæ vocis, Signaturæ, & alia huiusmodi quocumque nomine nuncupetur, extra Concilia, & Ius commune vagantia, eadem vi pollent, ac Canones in Concilijs, & Iure inserti, vti benè docet Bruno Chassaing *in tom. privilegia Regularium tract.* 1. *cap.* 1. *proposit.* 2. & declaravit Nicolaus Papa *in Epist. Decret. ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ Missa.* Et triplici ratione probat, Epistolas Decretales extra corpus Canonum per nostrum D. Isidorum factum vagantis, recipi debere, contra quosdam, qui nolebant recipere huiusmodi Decretales Epistolas:

Prima est, quia cum Papa præstet authoritatem opusculis aliorum, multò fortiòs suis. *Secunda*: quia ipsi (nolentes scilicet recipere dictas Epistolas) recipiunt eas cum pro se faciunt. Ergò & cum contra eos faciunt recipere debent. *Tertia* ratio est, si ideò non admittunt eas, quia in corpore Canonum non habentur: ergò eadem ratione non debent admitti scripturæ B. Gregorij, & aliorum multorum, qui ante ipsum, & post ipsum fuerunt, & novum, & vetus testamentum in corpore Canonum non inveniuntur.

» Et concludit sic. His itaque divina favente gra» tiæ prælibatis, ostendimus nullam esse differen» tiam inter illa Decreta, quæ in corpore Canonum » habentur Sedis Apostolicæ Præsulum, & ea quæ » præ multitudine vix per singula Corporum volumina reperiuntur, cum omnia, & omnium » prædecessorum suorum Decretalia constituta, » atque Decretales Epistolas, quas Beatissimi Pa» pæ diversis temporibus ab Vrbe Romana dede» runt, fore venerabiliter suscipiendas, & custo» diendas eximios Præsules, Leonem scilicet & » Gelasium mandasse probavimus. Hucvsque Nicolaus relatus *in canone Si Romanorum*; el *primo distinct.* 19.

Confirmatur *ex canon.* 2. *eiusdem distinct.* vbi ita Agathus Papa omnibus Episcopis ait. Sic om» nes sanctiones Apostolicæ Sedis accipiendæ sunt, » tanquam ipsius divina voce Petri firmatæ. »

Confirmatur secundò, *ex canon.* 35. Concilij Romani, sub nostro D. Leone I V. huius nominis Papa, celebrato *Anno* 853. teste Spondano, qui provt refertur à Chassaing, *vbi suprà, proposit.* 4. *in fin.* huiusmodi est. Si quis Dogmata, mandata, sanctiones, interdicta, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione Fidelium; pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, à Sedis Apostolicæ Præsule promulgata contempserit, anathema sit. Sic eum recenset Chassaing: ex Iuone *in par.* 3. *Decreti.*

Ex quibus demonstratur, Decreta Conciliorum Generalium; & Summorum Pontificum, in volumine Decretorum à Gratiano relata, à fortiori vim, ad decisionem causarum habere. Quia ab habentibus potestatem leges condendi sunt; condita, vti advertit Barbosa, ex Abbate *in cap.* 2. *de Rescriptis, n.* 9. *versic. Et præsupposito*, suprà à me reddito, Felino ibi, *n.* 44. *versic. Firmat etiam*, & Thomas Sanchex, *vbi proximè, n.* 5. *ante medium*, vbi ait. Quod videtur probare *cap. De libellis*, 20. *distinct.* vbi Leo I V. scribens Episcopis Britaniæ, explicansque, qui vim Canonum habeant, ad causarum decisionem, retulit Canones Pontificios, ac Conciliorum Generalium. Et meritò quidem, quia vnicuique Canoni, qui in Decreti volumine reperitur, eadem fidei danda est, quæ datur eius authori. Sanchez, & Barbosa, cum Ripa *in l.* 1. *n.* 69. *ff. si certum petatur.* Caietan. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *dub. vltim.* §. *Ad primum dicitur.* Aragone *ibid. dub.* 1. *in solut. ad* 2. *in fin.* Soto, *de Iustitia, & Iure lib.* 7. *qu.* 3. *art.* 1. *versic. An ergo sunt.* Valentia 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 6. *de Voto punct.* 6. §. *Hinc sequitur deceptum fuisse.* Maiore *in* 4. *dist.* 27. *q. vlt.* §. *Dubitatur, an is.* 87

Quòd autem credendum sit Gratiano referenti Concilij, aut Summi Pontificis authoritatem, nisi in contrarium ostendatur exemplar; docet Barbosa, cum Felino *in cap.* 2. *de Rescriptis, n.* 47. cum Decio *ibid. n.* 15. ac Præposito *in Proœmium Decretorum, n.* 4. Et ratione id probat. Quia Summi Pontifices passim Gratiano hanc fidem tribuunt. Vt videre licet *in cap. Cum Apostolica, de his quæ fiunt à Prælatis, in cap. Per tuas, de sentent. Excomm. & in Clemen.* 1. *col.* 4. *versic. Nos eodem mandato*: ibi secundum formam in Decretis, *de Iureiurando.* 88

De Gratiani authoritate, docet Barbosa *n.* 8. non esse approbatam ab vllo Pontifice, & sic non esse authenticam. Recenset Felinum *in cap.* 2. *de Rescriptis, n.* 43. Ripam *loco citato à n.* 77. Capram *in lib. communium opinionum*; *verbo Decretum pag.* 493. Suarez *de legibus, lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. Layman *in Theologia Morali, tract.* 4. *de Legibus cap.* 3. *num.* 12. & alios. Idem docet Roderiquez *tom.* 1. *qq. Regularium, quæst.* 6. *articul.* 2. cum

Archidiacono *in cap. Qui nesciat*, 9. *distinct.*

De Paleæ authoritate idem asserit Roderiquez, cum Ioanne Andrea, Saliceto, & Imola, Barbosa, *nn.* 9. cum Coriech *in Repertorio, Abbatis, verbo Liber Decretorum.* Baptista de Sancto Blasio *in repetit. Rubrica Decreti, num.* 42. Sebast. Medices *de Legibus, & Statutis par.* 1. *qu.* 3. *n.* 13. Antonio Augustino *ad Decretales, in Præfatione ad Gregorium XIII. pag.* 3. & Baronio *tom.* 12. *Annal. Ecclesiasticor. Anno* 1151. *n.* 6.

90 De quarta tandem authoritate Iurisconsultorum, & Imperatorum sæcularium, quorum multæ leges civiles insertæ reperiuntur in volumine Decreti, vim Iuris Canonici non habere, docent communiter Doctores, Abbas Panormitanus *cap. Ex parte, in fine el* 2. *de Rescriptis*, ibi: Nec leges per eum (scilicet Gratianum) canonizatæ, habent maiorem vim, quàm si simpliciter essent in volumine Iuris Civilis; secus autem vbi lex esset incorporata Canoni authoritate Principis: quia tunc faceret fidem, tanquam Canon, vt est textus cum Glossa notabili 2. *q.* 1. *cap. In primis.* Hæc Abbas. Emanuël Roderiquez *loco citato*, cum Andræa de Isoreca, & Maranta, Thoma Sanchez, *de Matrimonio, tom.* 3. *lib.* 9. *disput.* 12. *num.* 3. cum Cenedo *in Collect. collect.* 16. *ad Decretum, num.* 8. & Magdaleno *tract. de numero testium, in testamento*, 2. *part. cap.* 6. *n.* 22. August. Barbosa *n.* 10. cum Glossa *in cap.* 1. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis, lib.* 6. *verb. Tractatus, versic. Sed quæris*, & aliis. Additque idem Barbosa, adeò hoc esse verum, vt habet locum, quamvis tales leges civiles, sint favorabiles Clericis, seu Ecclesiis. Nihil enim (ait) suffragatur is favor ad supplendum defectum potestatis in concedente, *caput Ecclesia Sancta Maria, de Constitutionibus, & ibi* Abbas *num.* 15. Felinus *nu.* 40. Decius *n.* 24. limitat tamen, nisi prædictæ leges per aliquem essent canonem approbatæ eo enim ipso, vim legis obtinent canonicæ. Glossa, & Abbas *locis proximè redditis.*

DIVISIO V.

De Inhabilitate ad Dignitates, & Beneficia.

BREVIARIVM.

Consuetudo.

Quæ contra Fidem Catholicam non existit, permanere conceditur, n. 94.

Dispensare.

In lege Superioris, non potest inferior, n. 97.

Probabile est Schismaticum occultum pænitentem, & Ecclesiæ reconciliatum, dispensatione non indigere, n. 99.

Inhabilitas.

Ad beneficia, & dignitates in futurum obtinenda inhabilis est Schismaticus, n. 91.

Non tollitur hæc inhabilitas per pænitentiam, & reversionem ad vnionem Ecclesiæ, sed per dispensationem, n. 96.

Si Schismaticus notorius est, tolli non potest eius inhabilitas, nisi per Papam, n. 97.

91 QVinta pœna, cui addicti sunt Schismatici, inhabilitas est ad dignitates, & beneficia in futurum obtinenda: Ita Bassæus *verbo Schisma, num.* 5. cum Sanchez *in Decalogum, tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 18. Ioannes Baptista Lezana *tomo* 2. *Summa quæstionum Regularium, part.* 3. *verb. Bulla Cœnæ, n.* 9. Castrus Palaus *part.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *num.* 10. *& seqq.* Barbosa *in cap. Fraternitate, num.* 4. *el* 2. *& final. de Schismaticis*: cum Rebuffo *in praxi Benefic. tit. de modis amittendi beneficia, n.* 29. Peña *in Direct. Inquisitor. part.* 2. *q.* 84. *commen.* 73. Vgolino *de Irregular. cap.* 36. §. 3. *nn.* 7. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part.* D. Thom. *de Censur. disp.* 43. *sect.* 2. *n.* 7. Sanctarello *tract. de Hæresi, cap.* 43. *num.* 12. & cum Nicolao Garcia *de Beneficiis, part.* 11. *cap.* 10. §. 1. *à n.* 161. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *qu.* 8. cum Hostiensi, Ioan. Andrea, & Abbate, ac Antonio *in cap. Quia diligentia, de Elect.*

Et probatur efficaciter ex recensito *cap. Quia diligentia el* 5. *de Electione, & electi potestate*: vbi Alexander Papa III. decernit, quod si Schismaticus ad Ecclesiæ vnionem reversus, in Episcopum eligatur, electio non tenet, sed quod ex dispensatione confirmari queat: vbi Bernardus sic ait. Nota, quod qui scindit se ab vnitate Ecclesiæ, de Iure communi, non potest promoveri. 92

Probatur etiam, quoad Schismaticos illos, qui cum sciverint aliquem fuisse canonicè electum in Pontificem, alium ipsi elegerint, vel admiserint, *ex cap. Ad succedendos, paulò post medium, iuncto fine. vnico de Schismaticis, lib.* 6. 93

Probatur tertiò, *ex can. Nulli fas est el* 5. *distinct.* 19. suprà reddito *n.* 73. quoad omnes Schismaticos. 94

Videtur probari quartò *ex canone Nos consuetudinem el* 8. *distinct.* 12. vbi ita Gregorius Magnus, Episcopis vniversis Numidiæ. Nos consuetudinem, quæ contra Fidem Catholicam nihil vsurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis, sive de cœteris Capitulis; exceptis iis, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus Dignitatem (etiam cum ordo Clericorum eos deferat ad locum eumdem) modis omnibus prohibemus. Sed revera non probatur. Quia hîc, noster Gregorius, de Schismaticis Hæreticis decernit, non autem de iis, qui Schismatici tantùm sint. De his autem nostrum procedit dubium, non vero de illis.

Ex hoc Canone licet colligere, quanta sit consuetudinis authoritas, quæ contra Fidem Catholicam nihil vsurpet; cum illam, tantus Pontifex, Summus quidem, Sanctus, & Ecclesiæ Doctor, permanere concedat immotam.

Difficultates aliquæ dilucidantur.

SEd nonnullæ hîc difficultates occurrunt decidendæ. *Prima est*, an pœnitentibus Schismaticis, & Ecclesiæ reconciliatis, hæc tollatur ad dignitates, & beneficia inhabilitas? Asserunt penes Castrum Palaum *loco citato num* 11. Decian. *tract. Crimin. lib.* 5. *cap.* 54. *n.* 15. *&* 16. Conradus Brunus *tract. de Hæreticis, lib.* 3. *cap.* 7. Bursatus *Consil.* 14. *nn.* 34. Quintil. Mandos. *in Addition. ad Repertorium Inquisitorum, verbo Abiuratio, lit. A, versic. Pulchra etiam*: & Farinacius plures referens *q.* 189. *&* 193. *num.* 66. Quorum ratio fundamentalis est, quia inhabilitas ista, à Schismate procedit: ergo cessat inhabilitas sublato schismate. 95

Negant

96 Negant tamen Barbosa *in cap. Fraternitati*, *num. 4. el 2. de Schismaticis*: cum Rebuffo, & aliis, quos suprà, ex ipso *n. 91.* recensui. Palaus, *n. 12.* cum Bonacina *disp. 3. de Charitate quæst. 4. punct. vlt. §. 3. n. 10.* & aliis Bassæus *verb. Schisma, n. 5.* Azorius *d. q. 8.* vbi ait, quod hæc sententia est communi consensu Iuris Canonici interpretum recepta. Pro qua expressè allegat Hostiensem, Ioannem Andream, Abbatem, & Antonium. Huius sententiæ fundamentum solidius videtur. Quia electio de qua *in cap. Quia diligentia*, fuit facta in eum, qui pœnitentia ductus, schisma abiuraverat. Manifestè apparet ex textu. Quia diligentia tua requisivit (inquit ibi Alexander III.) An electionem electi, qui abiurato Schismate, nuper ad vnitatem Ecclesiæ rediit, debeas confirmare? Et sub conditione, quod promotus huiusmodi, nullum Ordinem à Schismatico alio susceperit; quod electio secundum formam Canonum fuerit celebrata; & quod nullum aliud patiatur impedimentum, dispensativè permittit confirmari. Vnde *Summa, dicto capiti præfixa*, sic ait. Si Schismaticus ad vnionem Ecclesiæ reversus, eligitur in Episcopum, electio non tenet, sed ex dispensatione potest confirmari. Et *informatione casus*, sic dicitur. Quidam Schismaticus reversus ad Catholicam vnitatem, electus fuit in Episcopum Aquilegiensis Ecclesiæ, quæ tunc erat schismatica: quidam Cardinalis Apostolicæ Sedis quæsivit, an ipsius electionem debeat confirmare? Ex quibus omnibus demonstratur Schismaticos reconciliatos, & pœnitentes, dispensatione indigere, vt obtinere Dignitates, & Beneficia queant.

97 Secunda difficultas est, quisnam possit hanc tollere inhabilitatem, & super ea dispensare? Respondeo sub distinctione: aut Schisma occultum est, aut notorium evidentia facti, vel propria confessione in iudicio facta, vel Iudicis sententia. Si notorium, nemo præter Summum Ecclesiæ Præsulem super præfata ad dignitates, & beneficia inhabilitate dispensare quivit: Bassæus *num 5.* Barbosa *in cap. Fraternitati, n. 4. el 2. de Schismaticis* cum Garcia *de Beneficiis, par. 11. cap. 10. §. 1. à n. 163.* Castr. Palaus *num. 13.* Quia in lege superioris, nullus inferior, qui illius facultate non fungatur, validè, aut licitè dispensare valet, iuxta Innocentij III. Decretum *in cap. Quod super el 9. de Maior. & obedient.* ibi: Dummodò in ipsa Synodo non ducas aliquid statuendum, quod Canonicis obviet institutis: vbi Abbas *n. 1.* ita fatur. Secundò nota, ibi: *aliquid statuendum, &c.* Quòd Episcopus non potest aliquid statuere contra Canones etiam in Synodo; & ad hoc quotidiè allegatur iste textus Facit. *cap. Institutionis, 25. q. 2.* vide plenè per Ioannem Andream *in c. fin. de Officio Archipresbyt. & in cap. vlt. de Appellat. lib. 6.* & per Federicum *consil. 17.* Hactenus Panormitanus. Clemens etiam V. in Concilio Viennensi, *Clem. Ne Romani la 2. de electione, & electi potestate*, §. 1. sic ait. Nos inter cætera præcipuè attendentes, quod lex superioris, per inferiorem tolli non potest: & ibi Glossa *verbo Inferiorem*, reddit etiam *Canonem Inferior, 21. distinct. & legem finalem, Cod. de Legibus*: Barbosa *in cap. Quod super*, citato *num.* 8. & dicta *Clem. Ne Romani, nu. 3. & de officio & potest. Episcopi, part. 3. allegat. 93. n. 29.* cum Rocho de Curte *in cap. fin. de Consuetudine, sect. 3. n. 7. 9. & 11.* Henric. Botta *de Synodo Episcopi, part. 3. art. 2. concl. 8. à nu. 36.* Albert. de Rosatis *in tract. de Statut. part. 1. q. 7. versic. Sed quid si statutum*: Praxi nova Episcopali Piasegi, *par. 2. n. 7.* Lotterio *de re beneficiaria, lib. 1. q. 21. n. 100.* Dueñas *Regul. 250.* Mencha *illustrium quæstionum cap. 35. n. 10. cum seqq.* Surdo *consil. 58. n. 6.* Azevedo *lib. 4. nova recopil. tit. 14. l. 2. n. 56.* Brunor. à Sole *in locis communibus, verbo Inferior 4.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloss. 45. §. 1. n. 69.* & Rota *in Toletana Confraternitatis 3. Dec. 1618.* coram Vbaldo.

Quibus addo Abbatem *in cap. Cum tanto, n. 7. & 8. el fin. de Consuet.* & alios Doctores, quos recensui, & sequutus egomet fui, *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, nu. 85. & seqq.* & novissimè Rotam in Pampilonensi Vicariæ de Stella *veneris 28. Martij, Anni 1659.* in favorem mei dilectissimi Hyrachensis Conventus lata, super amobilitate Vicarij Parochialis Ecclesiæ Sancti Ioannis, sine causa, ad nutum Domini Abbatis, & Præsidentis Conventus: vbi ita ait. Non obstat suprà dicta Constitutio (Synodalis scilicet Pampilonensis, per Dominum Episcopum Div. Bernardum de Roxas, & Sandoval edita *anno* 1590.) vel quia contra Iuris dispositionem, nullum effectum operari potest, cum non valeat Episcopus contra Ius statuere *Clem. Ne Romani, de Electione* Gratianus *discept. 894. n. 13. & seqq.* vel etiam, quia licet Episcopus Vicarios temporales perpetuos facere possit, ex dispositione sacri Concilij Tridentini *sess. 7. cap. 7.* Hoc tamen non procedit in Vicariis Parochialium, quæ sunt vnitæ Monasteriis exemptis, quorum Abbates semper deputarunt, & removerunt Vicarios sine licentia Episcopi, vt præsenti, provt declarat Barbosa *vbi supra* (scilicet *de Iure Ecclesiast. lib. 3.*) *cap. 6. nu. 6. & seq.* Sanchez *ad præcepta Decalogi, lib. 7. cap. 29. n. 191.* Modern. Avenionem *quæst. Benefic. 36. n. 11. lib. 1.* Rota in dicta Hispalensi Iuris amovendi Curatos 21. *Iunij* 1641. coram bonæ memoriæ Pentirigerio. Hæc omnia in dicta Pampilonensi; per sententiam diffinitivam, & executoriales literas relaxatas, roborata.

Si verò schisma occultum est, poterit auferre inhabilitatem ad dignitates, & beneficia ex illo proveniens, Episcopus Diœcesanus, vigore dispositionis Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* & super illa cum Schismatico pœnitente, & ad Ecclesiæ vnitatem reverso, dispensare. Ita nobilissimi docent Doctores quàm plurimi Ælig. Bassæus *verb. Schisma, n. 5.* Barb. *in c. Fraternitati, n. 4. el fin. de Schism* cum Thom. Sanchez *tom. 1 in Decalog. lib. 2. c. 36. n. 18.* Castr. Palaus *part. 1. tr. 6. disp. 4. punct. 6. n. 13.* cum eodem Sanchez, & Bonacina, *disp. 3. q. 4. de Char. punct. vlt. §. 5. n. 10.* 98

Imò probabile est, Schismaticum occultum, pœnitentem, & Ecclesiæ reconciliatum, dispensatione, ad dignitates, & beneficia adquirenda, non indigere. Quia inhabilitas ad illa obtinenda, non cuilibet Schismatico imposita videtur, sed publico, manifesto, aut notorio, qualis certè erat, qui post Schisma electus fuit Episcopus, & dispensatus, ad Episcopatum obtinendum *in c. Quia diligentia*, & ita docet Castr. Palaus *n. 14.* cum Nicol. Garcia *de Benef. par. 11. c. 10. n. 162.* 99

DIVISIO

DIVISIO VI.

An irregularitatem, & quam contrahant Schismatici?

BREVIARIVM.

Dubium.

Dubium, quod est, & controversum inter DD. non est clarè expressum in iure, n.105.

Fides.

Profiteri exterius debet, etiamsi ob id oporteat mori, num. 107.

Infamia.

Iuris infamia tollitur 1. per purgationem Canonicam 2. per contraria facta, & vitæ emendationem, num. 108.

Irregularitas.

Schismaticus, qui Hæreticus simul est, irregularis est; non tamen qui solùm est Schismaticus, num. 104. & 105.

Nisi sit notorius, n. 107.

Non incurritur irregularitas nisi in casibus in Iure expressis, n. 105. & 106.

Irregularis est, qui crimen notorium depositione dignum perpetravit, n. 107.

Irregularitas tollitur per Baptismum, Professionem Religionis, per dispositionem, & per ablationem causæ ob quam fuerit inducta, n. 108.

Irregularitas ex defectu ætatis, tollitur per adventum legitimæ ætatis, n. 108.

Irregularitas ex infamia facti, per vitæ tollitur emendationem, n. 108.

Irregularitas ex ignorantia, per acquisitionem oppositæ scientiæ tollitur, n. 108.

Pœna.

Nulla imponi debet, nisi exprimatur, quòd sit imponenda, n. 105.

Possessio.

Aliquid possidens cum dubio, an sit sua, non tenetur se expoliare, n. 106.

Res.

Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, n. 108.

Testimonium.

Illius, qui in crimine perseverat, repellitur; admittitur, si sit de crimine emendatus, n. 108.

Limita in crimine periurij, ibid.

103 SExta pœna, cui Schismatici subiecti manent, est irregularitas, iuxta Azorij sententiam *parte 1. lib.8. cap.20. q.8. col. mihi* 900. Peña *2. part. Directorij, quæst.48. comm.88* vti Palaus vult, *vbi suprà, n.16.* vel vti mavult Leander à Sanctissimo Sacram. *par.5. tract.2. de Irregularitate in particulari disp.24. q. 22. commen. 73.* Speculator *tit. de Dispensatione, §. Iuxta, n.17.* Raymundus *in Summa, verb. Schisma, vers. vltim.* Maiolus *lib.5. de Irregular. cap.46. n.4.* Vgolinus *cap.36. §.3. n.7.* & Philibert. *de Ordine. tract.1. part.8 cap.2. n.5.* quos Leander recenset. Clarus *§. fin. qu.77. n.27.* à Barbosa *vbi infrà* allegandus.

104 Contrariam tamen sententiam tenent Castrus Palaus cum Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 36. num.20. in fin.* Suarez *tom. 5. in 3. part.* D.Thom. *de Censur. disp.43. sect. 2. n.7.* & Bonac. *de Charit. disp.3. qu.4. punct. vltim. §.5. num. 12.* P. Leander citatus, Iacobus Gordonus *in Theol. Moral. tom.2. lib.7. qu.18. cap 20. sub num. 115. versic. de Schismat.* Bassæus *tom. 1. verb. Irregularitas X. num. 2.* Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.2. par. 1. tract. 7. cap.5. nu. 106. in fin.* cum Filliucio *tract. 20. cap.9. q. 5.* Barbosa *in cap.1. de Schismat. n.15.* cum Suarez *loco citato disp.23.* Sanctarello *tract. de Hæresi, c.43. n.13.* & Sayro *de Cens. lib.7. cap.12. num.16. versic. tertiò,* iuncto *vers. Primus est, de Hæresi.*

Ratio fundamentalis huius sentẽtiæ cui lubens subscribo, est, quia ad Irregularitatem, ob aliquod crimen incurrendam, requiritur, vt in iure expressum sit, vti præter citatos, communis Doctorum tenet sententia. Navarr. *tom.2. consil. tit.5. tit. de Simonia, cons. 91. num. 3. & de Homicidio, consil.11. n.7. cons.12. n.3. & tom.1. lib.1. tit. de Bigamis, cons.1. num.1. & tit. de Cleric. peregrinis, cons. vnic. n.4.* Lezana *verbo Irregularitas, nu. 85.* Imò nulla pœna imponi debet, nisi exprimatur quòd sit imponenda. Glossa celebris, communiter recepta *in cap. Transmissæ, verbo Ex vi. 31. & finali, de Iure patronatus.* Navarr. *dicto cons. 91. n. 3.* & expressè decernit, Bonifacius Papa VIII. *in cap. His qui in Ecclesia el 18. de sent. Excomm. lib. 6.* ibi: licet in hoc temerariè agat; irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueũ non incurrit. At nullo in Iure expressum, eperitur, quod Schismaticus, qui simul non sit Hæreticus, sit irregularis: ergo huiusmodi Schismaticus irregularis non est. Minor patet, tũ quia nullus textus in contrarium afferri solitus, sufficienter dictam Schismatico infligit irregularitatis pœnam: tum, quia cum Ius dubiũ, & controversum est, non est expressum in iure, vti ait Thomas Delbene, *de Immun. Ecclesiast. tom. 1. cap.2. dubit.4. sect. 13. num. 26.* sed est valdè dubium, & inter vtriusque sententiæ Authores controversum, an Schismatici sint irregulares: ergo non est expressum in iure. Et consequenter in dubio Iuris irregularitas non incurritur. 105

Quocirca Coninch *disp.18. de Irregular. dub. 2.* ita fatur *num. 21.* Conclusio II. Quando post diligentem Inquisitionem manet dubium, an tali facto annexa sit irregularitas; qui id commisit, in vtroque foro debet iudicari, non esse irregularis. Patet *ex cap. His qui, 18. de sent. Excom. in 6.* vbi dicitur pro nullo facto incurri irregularitatem nisi sit iure expressum. Quibus verbis significatur id clarè in iure debere contineri: non potest autem dici in Iure clarè contineri, quod post diligentem Iuris inspectionem, non potest certò ex eo colligi: ita Suarez *disp.40. sect.5. nu.4.* & cum aliis Avila *par.7. disp.2. dub. 4.*

Probatur secundò, quia nemo bona fide suam libertatem, aliámve quamcumque rem possidens, tenetur se ea spoliare, nisi sufficienter constet ipsum eam perdidisse, sive esse alienam: at qui talis bona fide possidet libertatem ab irregularitate, nec quamdiu dubitat, sufficienter ei constat se eam perdidisse: ergo tamdiu non tenetur se ea spoliare. Hucvsque Ægidius Coninch. 106

Cum dictis tamen stat, quòd si Schisma sit notorium, illo durante, Schismaticus irregularis sit, irregularitate quidem generali, proveniente ex crimine notorio, depositione digno, vt benè advertunt Leander *d. q. 22.* Castrus Palaus *d. n.16. versic. Advertit*, cum Sanchez *num.20. citato*, & Bonacina *num.12.* & Navarr. *tom. 2. Consiliorum, lib.5. tit. de Haret. consil.9. num.3.* Ad secundam 107

(inquit)

(inquit) respondeo primò, prædictos corde Catholicos, sed verbis, & operibus prædictis, se simulantes notorios, Hæreticos, vel Schismaticos, incurrere illam irregularitatem, quæ nascitur ex crimine notorio, depositione digno, quoad forum contentiosum: quia quoad illud diiudicandi sunt Hæretici notorij (supple vel Schismatici) Argumento *l. Labeo*, §. *Idem in verò, ff. de Suppellectili legata, cap. Humana aures*, 22. *qu.* 5. Secundò, quod etiam, quoad forum interiùs incurrunt prædictam irregularitatem; quia licet verè, & quoad illud forum non fuerint Hæretici, admiserunt tamen gravissima peccata notoria, profitendo se Hæreticos, cum tenerentur confiteri se Catholicos, etiamsi oportuisset eos ob id mori, iuxta tradita per Divumque Thomam, 2. 2. *qu.* 3. *art.* 2. Hactenus Doctor Azpilcueta, qui licet in hac sua resolutione, semel tantùm mentionem de Schismaticis fecerit, & quidem in prima illius parte, certum dubio procul, est, resolutionem vtrosque comprehendere, Hæreticos scilicet, & Schismaticos: quod ex contextu apparet manifestè, & ex Summario demonstratur. In eo enim, sic lego: Hæreticum, seu Schismaticum notoriè se simulans, in vtroque foro fit irregularis.

108 Vnum tamen vt scias velim, quod hæc irregularitas, absque vlla tollitur dispensatione, per solam delicti pœnitentiam, vti docet Castr. Palaus *ubi proxime* Bassæus *tom.* 1. *verb. Irregularitas* 15. *num.* 13. cum nostro Gregorio Sayro *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 23. Suarez *disput.* 41. *sect.* 1. *num.* 16. vterque *in tract. de Censuris*: Toleto *lib.* 1. *cap.* 56. est Filliucio *tract.* 19. *num.* 93. irregularitas inquit Æligius) præter prædictos modos, quibus communiter tollitur (videlicet, *per professionem Religionis, per Baptismum, & per dispensationem*) aufertur etiam ablata causa, ob quam fuerat inducta; hinc, quando irregularitas non fuit simpliciter, & absolutè lata, sed solùm pro aliquo tempore, quo durat aliquis defectus, cessat, cessante causa illius: vt irregularitas ex defectu ætatis, tollitur, sublato ætatis defectu per adventum legitimæ ætatis: irregularitas ex infamia facti, aufertur per emendationem vitæ; & irregularitas ex ignorantia, tollitur per oppositam scientiam. Hæc recensitus Doctor.

Docet etiam Lezana *verbo Infamia*, *num.* 3. & 16. cum Sanchez *tom.* 2. *Consil. moral. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 27. Thesauro *in Praxi Ecclesiast. par.* 1. *cap.* 34. Bonacina *de Censuris disp.* 7. *qu.* 3. *punct.* 1. *num.* 6. Quod ablata infamia, consequenter tollitur irregularitas, quæ in ea fundatur, ita vt nova non egeat dispensatione. Infamia autem Iuris (inquit) tollitur *primò*, per purgationem Canonicam, Fabiena & Armilla *in Summ. verbo Infamia*, *num.* 10. *Secundò*, per contraria facta, & vitæ emendam publicam *cap. Omnes* 6. *qu.* 1. Navarr. *in Manuali*, *cap.* 27. *num.* 204. Cornejo *tom.* 2. *in* 3. *par.* D. Thom. *tract.* 5. *de Irregular. disput.* 8. *dub.* 1. § *Dico primò*: idem docet de infamia facti, P. Lezana, cum eodem Cornejo *ibidem* §. *Respondeo negativè*, & Laymano *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. quod ea scilicet quomodocumque ablata, aufertur irregularitas in ea fundata. Et huius ratio est, Quia vti ait D. Ioannes Chrysostomus relatus *in cap. Omnis el* 1. *de Regul. Iuris*, omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Facit etiam *cap. Testimonium el* 54. *de Testib. & attestat.* vbi testimonium criminosi, in crimine perseverantis, repellitur; admittitur si sit de crimine emendatus. Sic enim Gregorius Papa IX. ibi decernit. Testimonium eius, cui ab adversa parte opponitur crimen, meritò reprobatur in criminali causa, sive civili, si in ipso crimine perseveret; si verò sit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia, non est causa in civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur (præterquam pro reatu periurij) repellendus.

DIVISIO VII.

De suspensione contracta, à suscipiente Ordines à Schismatico.

BREVIARIVM.

Dictio.

Incunctanter, *quid importet*, n. 110.

Ordo.

Suspensus est ipso iure, qui scienter recipit Ordines à Schismatico, num. 109.

109 SEptima pœna est, vt ij, qui scienter Ordines à Schismatico recipiunt suspensi ipso iure maneant: ita docent Sylvester *verbo Schisma*, *qu.* 5. Bassæus *eod. verbo nu.* 5. *in fine*, cum Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thomæ*, *de Censuris*, *disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 61. & Sanchez *in Decalogum*, *tom.* 1. *libro* 2. *cap.* 36. *n.* 20. Castrus Palaus *par.* 1. *tract.* 6. *disp.* 4. *punct.* 6. *n.* 17. cum eodem Suarez *disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 4. Bonacina *disput.* 3. *quæst.* 4. *de Charitate*, *punct. vltim.* §. 5. *num.* 13. & Farinacio *quæst.* 183. *num.* 43. & 44. & noster Abbas Panormitanus *in cap. Quod à Prædecessore*, *num.* 2. *el* 1. *de Schismat.* & *in cap. Fraternitati*, *n.* 1. *el* 2. & *fin. eiusd. tit.* & vtrobique Barbosa, *n.* 1.

110 Et probatur ex modò recensitis Iuribus. In primò enim, sic Alexander III. in Concilio Generali statuit Lateranensi. Ordinationes ab Octaviano, & Guidone Hæresiarchis factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus: vbi Glossa *verbo Irritas*: ita fatur. Et hoc intellige, quod dicit irritas, quantùm ad executionem, nisi cum eis fuerit dispensatum. Et quia in dicto capite, & verbis redditis, de Hæresiarchis, non verò de Schismaticis expressa fit mentio, licet ex aliis eiusdem textus, de iisdem, provt Schismaticis, hæc, vti ex illo apparet, fiat, clarius ex secundo recensito capite, idem de Schismaticis demonstrari, nefas sit dubitare. Ita enim ibi Innocentius Papa III. Apostolicam sententiam protulit. Fraternitati tuæ: & infrà. Priorem, quem à Schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere cunctanter, nisi legitimè probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi. Hæc ibi Innocentius: vbi Barbosa *num.* 2. cum nostro Greg. Sayro *in clavi Regia*, *lib.* 3. *c.* 8. *n.* 27. adnotat, dictionem illam *incunctanter*, qua Summus ibi vtitur Pontifex, latam continere sententiam, ita vt omnem dilationem, & omne temporis spatium, ad pœnæ executionem, excludere censeatur.

DIVISIO VIII.

De nullitate collationum per Schismaticos factarum.

BREVIARIVM.

Beneficium.

A Schismatico collatum, nulliter collatum declarari debet, n. 112.

Si tamen fuerit notoriè Schismaticus, & declaratus, num. 113.

Dignitas.

Dignitate caret, qui eam à Schismatico notorio, & declarato obtinuit, n. 111. & seqq.

Iurisdictio.

Non caret iurisdictione Schismaticus, donec denuntietur, n. 113.

Ordo.

Suspensus est, qui Ordines à Schismatico notorio, & denunciato, scienter recipit, n. 113.

Vitare.

Non tenemur vitare nisi denunciatos, & notorios Clericorum percussores, n. 113.

111 OCtava Schismaticorum pœna est, vt collatio beneficiorum ab eis facta, irritetur. Docent Basseus verbo Schisma, num. 5. in fine: Castr. Palaus vbi proximè, num 18. cum Suarez, Sanch. Bonacina, & Farinacio ibi ab ipso allegatis. Barbosa in dicto capite Quod si à Prædecessore, num. 7. cum Corras de Benefic. par. 3. cap. vltim. num. 19. Nicolao Garcia eod. tract. par. 11. cap. 10. n. 159. Anton. Ricciul. de Iure person. lib. 9. cap. 4. n. 4. & Sanctarellu tract. de Hæresi, cap. 43. num. 15. Abbas Panormitanus in dicto cap. 1. de Schismaticis, num. 1. estque ibi apertè definitum à sacro Lateranensi Concilio, sub hoc tenore. Adiicientes, vt qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia, per dictos Schismaticos acceperint, careant impetratis. En conciliare Decretum.

112 An autem hæc de facto, & ipso iure incurratur pœna, ita vt absque declaratione irrita sit collatio dignitatis, aut beneficij à Schismatico facta; an verò per declarationem, seu sententiam irritanda veniat, controvertitur inter Doctores. Syr. enim citatus num. 26. penes Barbosam vbi proximè, num. 8. docet, nulla spectata sententia, irritam esse huiusmodi collationem, ita vt dictio illa, careant, Decretalis recensitæ sententiam contineat latam, & non solùm per Iudicem ferendam. Contraria nihilominùs opinio, quam Barbosa ibi, iuncto Summario sequutus Francisc. Suarez disp. 23. sect. 3. num. 4. & Thomam Sanchez dicto cap. 36. num. 20. Basseus dicto num. 5. probabilis mihi est & sequenda dub. 13. huius Disquisitionis, à n. 99.

113 Duo adnotat Palaus num. 18. circa hanc, & proximè immediatam pœnam. Primum est, quod ad illas incurrendas Schismatici Ordinum collatores, & beneficiorum, debent esse notorij, & declarati secundùm satis probabilem sententiam Azorij part. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 10. quæst. 11. & Bonacinæ disput. 3. quæst. 4. punct. vltim. §. 5. de Charitate, n. 13. Quod probatur, cum ex canone Ordinationes el 5. causa 9. quæst. 1. ibi: Ordinationes, quæ ab Hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, &c. Tum, quia post Concilium Constantiense, non tenemur Schismaticos vitare, donec denunciati illi sint: tum etiam, quia potestate non carent Iurisdictionis schismatici, quousque crimen eorum declaratum sit. Secundum est, has duas pœnas inflictas esse, scienter Ordines, aut beneficia à Schismaticis recipientibus: colligitur ex dicto canone Ordinationes, ibi: Nisi probare valuerint, se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos: & ex cap. Quod à Prædecessore el 1. de Schismaticis: idem colligit Palaus: nam in Iure (inquit) Hæreticus, & Schismaticus æquiparantur ex cap. Firmissimè, de Hæreticis, & multis exornat Farin. q. 184. n. 53.

DIVISIO IX.

De pœna Spoliationis bonorum Schismatico inflicta.

BREVIARIVM.

Bona.

Privatione bonorum, punitur Schismaticus, n. 114. 115. & 116.

Schismaticus.

Vide verbo Bona.

NOna pœna, cui adstricti sunt Schismatici, est temporalium spoliatio bonorum. Non obscurè id Sylvester docet, verbo Schisma, quæst. 4. vbi inter modos, quibus ab homine, seu à Iudice puniantur Schismatici, sic ait: & pecuniariter Argument. can. Quod autem el 3. causa 23. quæst. 7. vbi ita Augustinus. Quod autem nobis obiiciunt, quod res eorum concupiscamus, & auferamus, non rectè obiiciunt: sed vtinam Catholici fiant: & non solùm, quæ dicunt sua, sed etiam nostra in pace, & charitate nobiscum possideant: ita D. August. docet etiam expressè Palaus part. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. n. 20. 114

In can. De Liguribus, ead. causa, q. 5. Pelagius Papa dubio procul, hanc pœnam apertè contra Schismaticos statutam esse demonstrat dicens. De Patrum vobis auctoritate, hæc breviter dirigenda curavi: cum mille alia Exempla, & Constitutiones sint, quibus evidenter ostenditur, & agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solùm exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia, per publicas potestates, debeant coërceri. Hactenus Pelagius. 115

Liberius item Papa similiter decrevit in canone Qui contra, 24. q. 1. dicens, qui contra Ecclesiæ pacem sunt, si dignitatem, aut cingulum militiæ habent, nudentur eis: si autem privati sunt, siquidem nobiles sunt suarum substantiarum proscriptionem patiantur: si autem ignobiles, non solùm in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur. Hucusque Liberius, & Glossa verbo Ignobiles, ita fatur. De huiusmodi autem pœna, nota, quia si est pecuniaria, vel spiritualis, semper maior imponitur nobili, quàm ignobili. 116

DIVISIO

DIVISIO X.

De pœnis carceris, vinculorum, verberationum exilij, & suspensionis, & de Hæresis suspicione, quibus plectuntur Schismatici.

BREVIARIVM.

Carcer.

Carcere, & dura custodia punitur Schismaticus, numero 117.

Flagellum.

Schismaticus ignobilis, fustigandus venit, n. 118.

Furca.

Furca pœna plectitur ignobilis Schismaticus, numero 120.

Exilium.

Delegari debet, & in exilium mitti, Schismaticus, num. 119.

Hæresis.

Suspectus vehementer de Hæresi, est Schismaticus, num. 121.

Rarò datur sine hæresi Schisma, n. 121.

Schismaticus.

Abiurare debet Schisma, & suspicionem de Hæresi, num. 122.

Vide V. Carcer. Flagellum, Furca, exilium.

117 DEcima Pœna, cui Schismatici mancipati noscuntur, Dura custodia in carcere est, ac vinculis. Decernitur in modo recensito Pelagij *canone de Liguribus*, & docet Palaus *vbi proximè*.

118 Vndecima pœna, contra Schismaticos, ignobiles, per liberium Papam statuta in dicto *canon. Qui contra*, est fustigatio, flagellatio, verberatio.

119 Duodecima, cui adiecti sunt Schismatici, est in exilium relegatio, constat ex duplici modo reddito Pelagij, & Liberij Pontificum Canone. Docet Palaus *n. 20. citato*.

120 Tertia Decima Schismaticorum pœna est, è furca suspensio: ita docet Belencinus *in Scholio ad Abbatem Panormitanum, in c. Quod à prædecessore el 1. de Schismaticis*: ex Bal. *in cap. 1. §. Iniuria, de pac. Iur. fir. & in l. 3. ff. de his, quæ sunt sui vel alieni Iuris*: Glossa item marginalis *in cap. Quia diligentia el 5. de elect. & electi potestate*: Palaus *loco citato*, ibi: imò & relaxatione brachio sæculari si pertinaces exiltant. Sic Bernardus Diaz, *Practica, cap. 112. num. 1. & seqq.* Farinac. *q. 184. n. 51.* Valent. *disp. 3. q. 15. punct. 3. versic. Quinto certum est.* Sed hæc pœna, me iudice, locum non habet respectu nobilium, sed ignobilium tantùm; saltem Pontificio Iure attento. Ducor, quia mitior pœna est corporis verberatio, quàm è furca suspensio; At illa non infligitur in recensito *can. Qui contra*, nobili sed ignobili; ergo eodem Iure attento, furcæ pœna, huic; & non illi infligenda erit.

121 Quarta decima pœna, cui subest Schismaticus, suspicio Hæresis est, & vehemens quidem, vti sentit Castrus Palaus *n. 19.* cum quia licet aliquando contingat dari Schisma absque intellectus errore, rarò tamen. Tum etiam, quia Schismatici, non solùm abiurare tenetur Schisma, sed etiam suspicionem hæresis; vti adnotat idem Palaus;

cum Pegna *in Director. Inquisit. par. 2. q. 48. com. 73.* Farinac. *q. 184. num. 35.* & latiùs 13. Menoch. *de Præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. nu. 24.* Quibus addo Anton. Souſa *in Aphor. Inquisit. lib. 1. c. 20. n. 19.* qui eundem recenset Pegnam.

DIVISIO XI.

De subiectione Iudici Ecclesiastico.

BREVIARIVM.

Iudices.

Principes, & Iudices sæculares punire debent delinquentes, ex Episcopi præcepto, n. 123.

Princeps.

Protectores Ecclesiæ sunt Principes sæculares, & Deo rationem reddent, de augmento Ecclesiasticæ disciplinæ, & de istius defectu, n. 127.

Schismaticus.

Iudici Ecclesiastico subiicitur spiritualibus pœnis, secundum qualitatem delicti puniendus, n. 122. 124. & 126.

Iudices, & Potestates sæculares, procedere variis suppliciis contra Schismaticos debent, quoties Ecclesiastici eos armis spiritualibus, non ad emendam, coercent, n. 122. 125. 126. & 127.

QVinta decima pœna est, esse Schismaticos 122
Ecclesiastico Iudici subiectos, vt pro criminis qualitate, eos puniat, tum pœna pecuniaria, tum exilio, tum carcere, tum triremibus, imò & relaxatione brachio sæculari, si pertinaces existant: ita Castrus Palaus *num. 20.* cum Bernardo Diaz *in pract. cap. 112. n. 1. & seq.* Valentia 2. 2. *disp. 3. quæst. 15. punct. 3. versic. Quinto certum est:* & Farinacio *quæst. 184. num. 51.* & colligitur (ait Palaus) *ex cap. De Liguribus, 23. qu. 5. cap. Non vos, 23. q. 5. & cap. In vnione Domini* (cum dicere debeter, *in nomine Domini*) *23. distinct.* Sed ni fallor, id ex his Iuribus colligi nequit; imò potius oppositum, me Iudice, colligi ex illis debet, & apertè mihi demonstratur *ex canone Principes, eadem causa, & quæst.* ex nostro D. Isidoro Hispalensi Archipræsule. Est igitur procedendum contra Schismaticos, & alios Ecclesiæ hostes, per Principes, & Iudices Ecclesiasticos in vim istorum Iurium, mediis armis spiritualibus; per sæculares verò, mediis suppliciis potestati suæ congruentibus, & opportunis. Hæc & isti exequi tenentur, quoties Ecclesiastici Iudices per doctrinæ sermonem, & spirituales pœnas, inimicos Ecclesiæ punire non valent, quantùm ad illorum emendam, & correctionem opus sit.

Quocirca Leo Papa *in canone Res autem, dicta* 123
causa 23. quæst. 5. ita ait: Res autem omnes aliter turæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem (id est, vti exponit ibi Glossa *verbo Res autem ad Ecclesias Christum confitentes*) pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas. Hæc Leo. Et in canone immediatè sequenti, sic Concilium Turonense Tertium, celebratum *anno* 813. Leonis III. Papæ, & Caroli Magni Imperatoris tempore, vti ex Spondano, *eodem annorum V I.* colligo, ita definitur: Incestuosi patricidæ, homicidæ multi apud nos reperiuntur; sed aliqui ex illis Sacerdotum

 nolunt

nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam, à tam prava consuetudine coërceri, qui per salutifera Sacerdotum monita, noluerant reverti. Ita Synodus Turonensis. Huc spectat, quod Spondanus, *vbi proximè*, refert eodemmet anno, statutum in Concilio Arelatensi, *c.* 13. & in Moguntino, *c.* 8. videlicet. Præceptum est (inquit) vt Episcopis obediant Comites, & Magistratus, ac Iudices, Sæculares, & invicem consentiant ad Iustitias faciendas.

124 Sed redeundo ad Canones, à Castro Palao allegatos, nec verbum quidem vnum in eis invenire quivi, sæpè quidem per me attentè, ac magna diligentia Lectis, ex quo dicti Doctoris assertum, colligere potuissem. In Canone enim, *In nomine Domini*, postquam Nicolaus Papa, Decretum de Papæ electione edidit, statuit, quod si quis contra hoc decretum Synodali sententia promulgatum, quasi per seditionem, vel præsumptionem, aut quolibet ingenio electus, aut etiam ordinatus, seu intronizatus fuerit, authoritate divina, & Sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli perpetuò Anathemate, cum suis authoribus, & fautoribus, & seqnacibus aliminibus Sanctæ Dei Ecclesiæ separatus abiiciatur, sicut Antichristus, & invasot, & destructor totius Christianitatis. Nec aliqua super hoc ei evidentia reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat priùs, sine retractatione deponatur. Cui quisqne adhæserit, vel qualemcumque tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præsumpserit, pari sententiæ sit mancipatus. Quòd si quis huius oostræ sanctæ Decretalis sententiæ temerator extiterit, & Romanam Ecclesiam sua præsumptione confundere, & perturbare contra hoc statutum tentaverit, perpetuo anathemate, atque excommunicatione damnetur: & cum impiis (qui non resurgent in iudicio) reputetur: omnipotentis iram, contra se sentiat, & sanctorum Apostolorum, Petri & Pauli (quorum Ecclesia præsumit confundere) in hac vita, & in futura furorem sentiat? fiat habitatio eius deserta, & in tabernaculis suis non sit, qui inhabitet: fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Commotus commoveatur ipse, & filij eius mendicent, & eiiciantur de habitationibus suis. Scrutetur etiam fænerator omnem substantiam eius, diripiant alieni labores eius: orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa sint ei contraria: & omnium Sanctorum quiescentium merita illum confundant & in hac vita super eum apertam vindictam eorum ostendant. Hæc omnia Nicolaus Papa in Concilio Lateranensi, & canone citato, qui nullum omninò aliud continet verbum, circa Schismaticorum punitionem. Quare ex eo colligi queat, posse Iudices Ecclesiasticos eos punire pœna pecuniaria, & aliis, quas Pater recenset Palaus, ingenuè fateor, non capio

125 Neqoe istius sententiæ Doctoris favere existimo *canon. Non vos*, in quo Pelagius Papa, hoc tantùm de Schismaticis dicere, ex textus inspectione probatur. Quisquis ergo ab Apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est: & contra vniversalem Ecclesiam Altare conatur erigere. Sed quid de talibus, insertus in Calcedonensi Synodo Canon, constituat, gloria vestra consideret: vbi post alia sic dicit. Quia à communione seipsum suspendit, & collectam facit, & Altare constituit, & noluerit vocanti Episcopo consentire, & noluerit eidem acquiescere, neque obedire primo, & secundo vocanti, hunc omnino damnari, nec vnquam, vel orationem mereri, nec recipere eum posse honorem. Si enim permanserit, turbas faciens, & seditiones Ecclesiæ, per exteram potestatem tanquam seditiosum comprimi. Hactenus ibi, & ad rem nostram nihil ampliùs. Sed adnotentur obsecro dictiones: *per exteram potestatem comprimi*: quibus quidem ductus, & recensendis ex *canone De liguribus*, consultò dixi, contrarium colligi, meo videri, ex canonibus à Palao redditis.

126 In canone tandem *de liguribus*, idẽ Papa Pelagius, totus est in decernendo ad sæculi potestates expectare, Episcopos Schismatiquos coërcere, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia. De potestate autem Ecclesiastica, nihil omninò decernit, nisi quod excommunicet, & damnet. Canonem, provt in Decreto exscriptum reperi, ad amussim reddo. De Liguribus, atque Veneticis. & Hystriis Episcopis, quid dicam? quod idonea est excellentia vestra. (Narsiæ Patritium alloquitur) & ratione & potestate reprimere, & dimittis eos in contemptum Apostolicarum Sedium, de sua rusticitate gloriari: cum si qoid eos de iudicio vniversalis Synodi, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, fortè movebat: ad Sedem Apostolicam (quomodò semper factum est) electis aliquibus de suis, qui dare, & accipere rationem possent dirigere debuerunt: & non clausis oculis Corpus Christi Dei nostri, hoc est sanctam Ecclesiam lacerare. Nolite ergo dubitare, huiusmodi homines principali, vel iodiciali authoritate comprimere: quia regulæ Patrum hoc specialiter constiruerunt, vt si qua Ecclesiastici officij persona, cui subiectus est restiterit, vel seorsum collegerit, aut aliud Altare erexerit, seu Schisma fecerit, iste excommunicetur, atque damnetur. Quòd si fortè & hoc contempserit, & permanserit divisiones, & Schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce de quo animus vester fortè timidus est, ne persequi videaris, de Patrum vobis authoritate hæc breviter dirigenda curavi: cum mille alia exempta, & constitutiones sint, quibus evidenter ostenditur, & agnoscitur, vt facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dura custodia per publicas potestates, debeant coërceri. Hæc omnia Pelagius Papa præfatus. In quibus demonstrare videtur ad Principes, Potestates, & Iudices sæculares, spectare, comprimere, & coërcere Schismaticos, etiam Ecclesiasticos, quoties Principes, & Iudices Ecclesiæ gladio excommunicationis, aut alia spirituali, seu Ecclesiastica sententia, & iudicio efficere neutiquam prævalent. Sed nostrum Hispaniarum Doctorem maximum, & inter interpretes sacrorum Canonum facilè Principem, D. Isid. Hispalensem audiamus.

127 Principes sæculi nonnumquam intra Ecclesiam potestatis adepræ culmina tenent, vt per eandem potestatem, disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpè per Regnum terrenum, cœleste Regnum proficit: vt qoi intra Ecclesiam positi contra fidem, & disciplinam

nam

nam agunt, rigore Principum conterantur: ipsámque disciplinam, quam vtilitas Ecclesiæ exercere non prævalet ceruicibus superborum potestas principalis imponat: & vt venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiatur. Cognoscant Principes sæculi, se Deo debere esse reddituros rationem propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax, & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit committendam. Hucusque Pater meus D. Isidorus *in can. Principes, 23. quæst. 5.*

128 Decima sexta pœna Schismaticorum, est sepulturæ Ecclesiasticæ priuatio, vti ostendimus in principio huius Disquisitionis.

SVBDIVISIO VNICA.

Dubiolum pro praxi discutitur.

BREVIARIVM.

Ecclesia.

De occultis non iudicat Ecclesia, nec occulta punit, num. 129.

Schisma.

In opere externo separationis, sufficienter perficitur Schisma, n. 130. *&* 131.

Internus animus seiunctionis, licet non constituat Schisma; illud tamen aggrauat n. 131.

Schismaticus.

Qui internè tantùm Schismaticus est, Schismaticorum pœnam nullam incurrit, n. 129.

Incurrit omnes illas Schismaticus merè externus, n. 130. *&* 131.

129 Dubitari hîc potest, an recensitæ pœnæ latæ sint contra Schismaticos, qui interni tantum sint, & non externi; aut contra externos solùm; vel potius contra internos, & externos simul? quod est inquirere, an dictæ comprehendant pœnæ eos, qui solùm interni sunt, aut externi Schismatici; an verò comprehendant eos solùm, qui interni sunt, & externi schismatici. Cui dubitationi respondeo: *primò* Schismaticos, qui internè tantùm tales sunt, nulli ex redditis pœnis esse adscriptos. Ratio fundamentalis est, quia omnes dictæ pœnæ inflictæ ab Ecclesia sunt, vt ex dictis manifestè apparet: sed Ecclesia non punit delicta, quæ interna tantùm sunt, nec de occultis vllis iudicat, vti latiùs alibi: ergo nullam, ex recensitis infligit Ecclesia pœnis contra Schismaticos purè internos.

130 Secundò respondeo, Schismaticos externos; etiamsi interni tales non sint, subiectos esse, & adstrictos omnibus, & singulis suprà recensitis pœnis. Et probatur, quia Schisma in opere externo sufficienter perficitur, esto desit internus animus seiunctionis ab vnitate Ecclesiæ: ergo omnibus, & singulis pœnis dictis, ab Ecclesia contra veros Schismaticos statutis, addicti dubio procul sunt, qui externæ tantùm ab Ecclesiæ recesserunt vnitate.

131 vtraque istius Dubioli responsio, fulcitur maximè, authoritate Doctorum, quos *suprà n. 59.* recensui. Qui licet de excommunicationis pœna, doctrinam ibi redditam tradant; eandem, me iudice, de omni, & singuli aliâ pœna tradere debent, cum illorum fundamentum, æquè respectu cuiuslibet alterius militet pœnæ, ac respectu excommunicationis, militare recognoscunt. Videlicet, Schisma per actum internum non perfici, sed bene per externam seiunctionem ab vnitate Ecclesiæ consummari, esto intentio desit interna. Vnde tertio respondetur, Schismaticum internum pariter, & externum, pœnas omnes præfatas à fortiori incurrere. Quia internus animus seiunctionis externam scissionem, & separationem in qua Schisma perficitur, non tollit, nec minuit quidem, imò potiùs illius grauitatem adauget, sicut è contra, actus externus Hæresis, internum errorem intellectus aggrauat: ergo Schismaticus, qui internus simul & externus est talis, omnes, & singulas, contra Schismaticos à Iure statutas pœnas incurrit.

DVBIVM VIII.

Quinam Schismaticorum Receptatores, Defensores, & Fautores sint, & quibus puniantur pœnis?

BREVIARIVM.

Defensor.

Schismatici Defensor est, qui personam in Schismatis causa defendit, vel ipsum Schisma, n. 5.

Defensor Schismatici non est, qui aliquem defendit in causa iusta litis, aut in aliis extra Schisma delictis, num. 5.

Defensor Schismatici, ob Schismatis causam, multiplex: remissiuè, num. 6.

Qui inquisitum vt Schismaticum, defendit sciens talem non esse, non est in conscientia foro, Schismatici defensor; sed in externo, Defensor iudicabitur, num. 7.

Excommunicatio.

Excommunicationi Bullæ Cœnæ non subiacent Defensores, Fautores, & Receptatores Schismaticorum, num. 13.

Excommunicantur tamen à Paulo IV. n. 14.

Fauor.

Impenditur fauor, facto, emissione, & verbo, num. 9.

Fautor.

Fautor Schismatici est, qui in Schismatis causa illi quouismodo fauorem impendit. n. 8.

Fautoris pœnas non incurrit in conscientiæ foro, qui Schismatico, quâ tali non fauet, sed quâ consanguineo; in externo autem Fautor in plurimum indicatur, num. 9.

In dubio præsumitur exhibuisse Schismatico fauorem; quâ propinquo, non quâ Schismatico, n. 9.

Fauet omissione, Schismatico, qui cum authoritate, quâ fungitur contra Schismaticum procedere teneatur, ea omittit facere, quæ ex officio facere tenetur, num. 10.

Fauet verbo, multipliciter; aliqui recensentur modi, num. 11.

Facto etiam multipliciter fauet: & quomodo, n. 12.

Pœna.

Eisdem subiacent pœnis Defensores, Fautores, & Receptatores Schismaticorum, ac ipsi Schismatici, vna excepta excom. Bullæ Cœnæ, num. 13. *& seqq.*

Receptator.

Receptator Schismatici quis sit describitur, n.1.

*Ille in foro conscientiæ Receptator est Schismatici & pœnas incurrit, qui qua talem illum receptat, non qua propinquum, &c.*n.2.

In foro tamen externo Receptator iudicabitur, qui propinquum receperit, n.2

In dubio an receperit Schismaticum, qua talem, aut qua propinquum, hoc secundum est præsumendum, num.2.9.

Receptator non est Schismatici, nec pœnas incurrit, qui metu grauis mali illum receptat, n.3.

Neque qui ex ignorantia, n.3.

An præsumatur ignorantia in receptante: & an ad illum onus illam probandi incumbat, remissiuè, num.3.

Receptator est, & vt talis punitur, qui semel receptauit, num.4.

HVius dubij resolutione breuiter me expediam; ei tamen sufficienter satisfaciam, si ex his quæ de Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus Hæreticorum suprà in propriis dubiis dixi, nonnulla recenseam. Præmoneo in primis, in præsentiarum, de Schismaticorum, qui simul Hæretici non sint, nos agere Receptatoribus, Defensoribus & Fautoribus. Casu enim, quo Schismatici sint, simul Hæretici, dubium non est, quin de illorum complicibus dici omnino debeat, quòd de Hæreticorum, Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus. Dubio igitur proposito, per has qua sequenter libuit respondere conclusiones.

CONCLVSIO I.

1 REceptatores Schismaticorum illi sunt, qui scienter Schismaticos ob Schismatis causam fugientes, & se abscondentes, hospitio recipiunt, vel in Domibus suis, vel in agro, vel in ciuitate, vel in alio quouis loco, ne à Iudicibus capiantur, neve Schismaticorum pœnas luant. Hæc conclusio constat ex dictis *dubio 3. huius disquisitionis, num.*1.*& seq.*

2 Vt quis Schismatici Receptator dicatur, & sit ac pœnas Receptatoris incurrat, necesse est vt Schismaticum, qua tale est recipiat. Quia si eum recipiat quia propinquus, affinis, aut amicus sibi est, non est Schismatici Receptator in foro conscientiæ. Quod consultò addo; quia in foro externo, aliter iudicari solet. In dubio autem, an qui Schismaticum, vt consanguineum; an vero vt Schismaticum receperit, præsumendum est eum vt consanguineum receptasse, iuxta doctrinam Sousæ *dicto dub.* 3. *num.*8. redditam.

3 Qui metu alicuius mali grauis Schismaticum receptat, pœnas Iuris neutiquam incurrit, ob ea, quæ in simili *dub.*3.*num.*9. dixi de receptatoribus Hæreticorum. Neque dictis adstrictus est pœnis, qui ex ignorãtia Schismaticum receptat, vti, *n.*10. ostendi. An vero præsumatur in receptante ignorantia, & an ad receptantem ignorantiam probandi spectet obligatio, *ibidem* dictum reliquimus, cum aliis, quæ huic dubio, & non quidem incongruè adaptari possunt. Ea lubens hîc recensere omitto, ne eadem sine necessitate, & inutiliter transcribere videar.

4 Vt autem quis Receptator Schismatici dicatur, & pœnas incurrat, sufficit semel eum recepisse, iuxta dicta *dub.*3.*num.*2.

CONCLVSIO. II.

5 DEfensores Schismaticorum illi sunt, quoad præsens dubium, qui Schismaticorum personas defendunt, ob Schismatis causam.

Notanter dixi: *quoad præsens dubium*: quia tripliciter potest quis Schismatici esse defensor, vt in simili de Defensoribus Hæreticorum, *dub.* 4. *huius disquisitionis num.*1. dixi. *Primò* si Schisma defendat Schismatici. Secundò, si Schismatici personam, ob Schismatis causam defendat. *Tertiò* si Schismaticum defendat in causa iusta litis, aut in criminibus aliis extra Schisma; aut ne ab aliquo lædatur priuato, extra litem. Et quidem, si primo accipiatur modo, Defensor Schismatici, & ipse Schismaticus formaliter est: & sic de illo nequit procedere nostrum præsens dubium. Neque si tertio, ob ea, quæ *dicto dub.*4. *num.*5. dicta sunt. Vnde restat vt procedat de Defensore in secunda acceptione, prout scilicet Schismatici Defensor est ob causam Schismatis.

6 Multis autem modis contingere potest, vt quis defensor sit Schismatici, adhuc ob Schismatis causam. Quos vtique lector, colligere bene valebit, ex dictis *eodem dubio* 4. *num.*7. & ideo, ne ipsi oneri sim, eos recensere lubens omitto.

7 Vnum tamen hîc aduertere, operæ pretium duxi, quòd si quis illum defendat, quem Iustitiæ ministri, vt Schismaticum quærunt, innocentem illum esse sciens, Schismatici defensorem in foro non esse poli, & in eo pœnas non incurrere: in foro tamen foti aliter dicendum esse, quia vterque præsumitur reus.

CONCLVSIO. III.

8 FAutores Schismaticorum illi sunt, qui eis in causa Schismatis quouis modo fauorem præstant, ita in simili de Hæreticorum Fautoribus, docent Sousa, Azorius Graffis, Palaus, Nauarrus Leander, Scortia, cum aliis quos *dubio* 5. allegaui.

9 Fauor Schismatico tripliciter impendi contingere potest, *Omissione, Verbo, & Facto.* Quocirca in simili de Hæreticorum Fautoribus, nonnulla scitu necessaria *dub.*5. *num.*2. *& seqq.* dixi, vbi adnotaui, quòd ad incurrendas Fautorum pœnas debeat fieri, impendique fauor Schismatico formaliter, & qua tali; non autem vti consanguineo, affini, aut amico, &c. Tunc enim in foro saltem conscientiæ, Fautor Schismatici non erit, nec Fautori pœnis erit addictus; secus autem in contentioso foro eueniet, eo quòd præsumatur in plurimum fauorem fecisse formaliter Schismatico impensum. *In plurimum* consultò dixi, quia aliquando præsumitur ex circunstantiis, non qua Schismatico fuisse, sed qua consanguineo. v. g. impensum: & in dubio, sic præsumi debere, non semel diximus.

10 *Omissione* fauent Schismatico, qui cum ex officio, publica administratione, & authoritate, qua funguntur contra Schismaticum procedere teneantur, ea omittunt facere, ad quæ ex tali officio, administratione, ex authoritate tenentur. Plura de hoc puncto diximus *dub.*5. *à num.*16. *vsque ad num.* 39. *inclusiuè*, quæ licèt de Hæreticorum Fautoribus dicta sint, Fautoribus Schismaticorum adaptari possunt, & debent.

11 *Verbo*, multiplicitet impenditur fauor Schismatico, videlicet cum quis scienter Schismaticum

excusat.

excusat, aut eius excessum. Quando eum Laudat. Quando illum commendat, & pro illo preces ne puniatur fundit. Quando consilium illi præstat, vt euadat incolumis è Iudicis, aut ministrorum manibus: & quando ei viam fugiendi docet, aut modum. Quando Schismaticum instruit ad se falsò defendendum, veritatem celando, aut falsitatem dicendo. Quando illum falsis rationibus, aut testibus falsis, de Iudicis manibus liberat. Quando satellites Schismaticum capere volunt, & quis tunc clamat, vt se defendat, aut fugiat. Quando denique Schismatico reuelat accusatorem, denuntiatores, testes, & alia huiusmodi, quorum notitia, iustam euadat sententiam, verbo ei fauet iuxta ea, quæ in simili diximus *dicto dub. 5. à n. 41. vsque ad num. 46.*

12 *Facto* tandem multipliciter etiam fauor Schismatico impenditur. Quando scilicet quis illum dimittit, vel eruit è carcere, aut è ministrorum manibus, ne ob Schisma puniatur. Quando illum occultat ne a ministris Iustitiæ capiatur. Quando ei procurat aliquid per quod liberetur, & id ei ministrat. Quando illum comitatur, & visitat. Quando ei alimenta, pecuniam, aut aliquid aliud simile subministrat. Quando processum in eum formatum, & illius acta rumpit, falsificat. Quando Iudicem, aut alium ministrorum quoquomodo corrumpit, vt illum liberet. Quando ei beneficia, dignitates Ciuiles, vel Ecclesiasticas, aut honores confert, vel munera, dona vera mittit. Quando illum veneratur, vel adorat, aut communionem ab eo recipit, aut associatur, & visit. De quibus omnibus, ac de aliis latè *in reddicto dub. 5. à num. 47. vsque ad 63.*

CONCLVSIO IV.

13 Receptatores; Defensores, & Fautores Schismaticorum eisdem, quibus ipsi Schismatici; plectuntur pœnis, vna excepta excommunicatione scilicet Bullæ in Cœna Domini.

14 Conclusio ista, quoad secundam eius partem, liberantem defensores, Receptatores, & Fautores Schismaticorum; à pœna excommunicationis, contra ipsos Schismaticos, in Bulla Cœnæ Domini lata, defenditur à P. Ioanne Baptista Lezana, *in Summa quæst. Regular. tom. 2. part. 3. verbo, Bulla Cœna, num. 9. in fine*, cum Bonacia, *de legibus, & præceptis Decalogi, disp. 3. quæst. 4. punct. vltim. §. obserua quarto*, Antonius de Sousa, *in Aphorismis Inquisitorum, lib. 1. cap. 20. n. 17.* Seipsum allegans *in dict. Bull. disp. 19. n. 6. & 7.* & Sanchez, *in Decalogum, tom. 1. lib. 1. cap. 36. n. 16.* Castrus Palaus, *part. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. n. 8.* & Ioannes Bapt. Scortia *in select. Summorum Pontificum Constitutiones, Theoremate 410. in fine*; cum Suarez, *t. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 14.* Alterio, *lib. 5. d. 2. cap. 9.* *Et* solidissimum quidem huius fundamentum est, quia in Bulla Cœnæ, licet exprimantur Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum, minimè exprimuntur Schismaticorum Receptatores, Defensores, & Fautores. In odiosis autem, & pœnalibus, dispositio, vltra verborum proprietatem extendi neutiquam debet, aut potest quidem: cum hoc tamen stat, quòd dicti ligentur excommunicatione à Paulo IV. lata in constit. mox citanda, vt tenent Lezana, cum Bonacina, *vbi proximè*. Palaus, *n. 8.* Scortia, modo recensendus.

15 Quoad priorem autem Conclusionis partem; tenet illam Ioannes Baptista Scortia, *in selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theoremate 184. pag. mihi 236.* De quibus, ita ibi fatur, scilicet de Receptatoribus, Fautoribus, Defensoribus, & sequacibus Schismaticorum. Quantum etiam ad Fautores, Defensores, & sequaces Schismaticorum, §. 3. (scilicet Bullæ Pauli Quarti, *Cum ex Apostolatus*) sunt etiam excommunicati, & pari pœna cum ipsis Schismaticis puniendi; vt etiam fit contra Fautores Hæreticorum, vt docet etiam Nicolaus II. *in cap. In nomine Domini, distí. 23.* Verbis illis. *Sed ab omni Ecclesiastico gradu in quocumque fuerat prius, sine retractatione deponatur, cui quisquis adhæserit, vel qualemcumque tanquam Pontifici reuerentiam exhibuerit, aut in aliquo eum Defendere præsumpserit, pari sententia sit mancipatus.* Et Cyprianus, *1. quæst. 1. cap. 20. §. quare. Qui* (inquit) *Hæreticis, & Schismaticis patrocinantur, censura diuina in eorum probantur facinore, & pœnis non solum duces, & authores, sed etiam participes destinari, nisi se à malorum communione separauerint.* Et post multa ostendens omnes omnino cum authoribus (& *Fautoribus* addit textus) supplicio coniungi; qui fuerint eorum peccato contaminati.

Item *24. quæst. 1. cap. Didicimus; & cap. vnico de Schismate, lib. 6. §. Omnem personam præsentem, & futuram: Fautores (ait) Schismaticorum excommunicamus, reseruata Papa absolutione, & priuantur prælaturis, dignitate, statu, honoribus.* Idemque docet Decianus *tract. crim. lib. 5. cap. 65. & 67. n. 2.* Hostiensis, *cap. 1. de Schismaticis*, Abbas *ibidem, n. 2.* Angelus, *verbo Schisma, n. 1.* Syluester, *eodem, n. 5.* Menochius, *lib. 5. præsumpt. 6. n. 25.* vbi, & hos docet esse vehementer suspectos de Hæresi, ideò, vt Hæretici, & Fautores eorum sunt excommunicati, & puniuntur pœnis, de quibus alibi diximus, ita Schismatici, & eorum Fautores. 16

Hæc omnia P. Scortia, allegato *Theoremate, pag. mihi 263.* Circa quæ aliqua aduertere libuit. *Primum*, quòd Canon, quem recenset *In nomine Domini*, editus est à Nicolao Papa in sexta Synodo Generali Lateranensi, celebrata mense Aprilis, *de Anno 1059.* Vt testatur, ex Baronio, Spondanus *in illius compendio eodem Anno, num. 11.* Et ex ipsomet Canone constat, in principio illius. 17

Secundum, quòd adnoto est, Canonem quem ex D. recenset Cypriano Scortia, non vigesimum, *causa prima, quæstionis prima esse*, sed septuagesimum, qui quidem incipit. *Si quis:* 17

Tertium, quòd Canon *Didicimus* ab eodem authore redditus, ex eodem D. Cypriano à Gratiano nostro desumptus, vbi sic sanctus Doctor fatur. Inuenimus in tali facinore; non solùm duces, & authores, sed etiam participes, pœnis destinari, nisi à communione malorum se separauerint, præcipiente Domino per Moysem, & dicente: Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum: & nolite tangere de omnibus, quæ sunt eorum, ne simul pereatis in peccatis eorum, & quòd comminatus per Moysem Dominus fuerat, impleuit: vt quisque, qui se à Chore, Dathan, & Abyron non separasset, pœnas statim pro impia communicatione persolueret. Quo exemplo ostenditur, & probatur, obnoxios omnes culpæ, & pœnæ, futuros, qui se Schismaticis contra præpositos, & Sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint: sicut etiam per Oseæ Prophetam, Spiritus Sanctus testatur, & dicit: Sacrificia eorum tanquam pœnis luctus: & omnes, qui 19

» qui manducant ea, contaminabuntur, docens, &
» ostendens, omnes omnino cum authoribus suis
» supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccatis
» contaminati. Hucusque Cyprianus, Magno rescribens, rel. tus *in dicto Canone, Didiscimus, el.3. causa 24. quæst.1.*

DVBIVM IX.

Quis sub Papani nomine, veniat in Disquisitione?

BREVIARIVM.

Apollo.

In loco Celphos templum in quo veneraretur habebat, ad quem de magna orbis parte Gentiles pro responsis recurrebant, n.3.

Eius responsa, pro magna parte, certa inueniebantur. num.3.

Reelzebub.

Maximæ potestatis Iudæi esse putabant. Ideo Princeps Demoniorum ab eis appellatur, n.3.

Dei.

Multos Deorum modos Gentiles diuidebant, Iouem *scilicet potentissimum omnium.* Apollinem, *siue* Phœbum, *sapientissimum, & Deorum Principem appellabant*, n.3.

Ethnici.

Cum ethnicis communionem non habent Catholici, num.1.

Ethnicus per nomen Gentilis exponitur, n.1.

Gens.

Nomen collectiuum est, & significat personarum pluralitatem inuicem congregatam, idem est, ac plurium collectio personarum, n.6.

Accipitur aliquando pro bona, aliquando pro mala multorum vnione vel congregatione, n.6.

Gentilis.

Gentilis, quos Paganos vocamus, sunt, qui falsorum Deorum cultores se exhibent, n.23.

Gentiles, omnes illos S.Scriptura appellat, qui Iudæi non erant, n.4.5.6.

Gentes dicebantur, quasi sine Rege viuentes, n.6.

Gentes, significat omnes mundi peccatores, & iniquos, qui legi Dei, non subiiciuntur, à veris filiis Israël, id est à viris sanctis separantur, & Idola vitiorum venerantur, n. 6.

Paganus.

Vocatur Paganus, qui falsorum Deorum cultor est, num.2.

Sub Pagani nomine veniunt Ethnici, Gentiles, & omnes, qui Christi militiam non sequuntur, n.1. *& seqq.*

1 RÉspondeo, sub nomine Pagani, intelligi Gentilem, Ethnicum, & eum omnem, qui Christi militiam non sequitur, qui extra Dei Ecclesiam existit. Ita Passeratius *in Dictionario, verbo Pagani, & verbo Ethnicus.* Ibi enim ex D.Hieronymo, & aliis Ecclesiasticis Scriptoribus docet, Paganos dici, qui non sub Christi vexillo militant: & appellari Ethnicos; hic autem, vocem *Ethnicus*, per vocem *Gentilis* exponit. Quocirca Concilium Eliberinum sub Syluestro Papa I. *Canone* 39. à nostro Petro Crespetio, *in splendore veritatis orthodoxæ Fidei verbo Gentiles*, recen-

sito, ait, Gentiles si in infirmitate desiderauerint »
sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua par- »
te honesta vita, placuit eis manum imponi, & fie- »
ri Christianos. Et Clemens I. *lib. 2. Constitut.* »
*Apostolicarum cap.*43. Ethnici spem vitæ non »
amiserunt, si per pœnitentiam incredulitatem, »
abiecerint. Quare vti publicanum, & Ethnicum »
habeat illum, qui de opere malo correptus, pœ- »
nitentiam agere recusat, & Ethnici, si postea do- »
lere, & ab errore redire vellent, eos in Eccle- »
siam recipimus, vt verbum audiant: non tamen »
communionem habemus cum eis: quousque re- »
cepto Baptismi sigillo, initiati sint. Hactenus Bea- »
tus Clemens. »

2 D. etiam Augustinus, *tom.1. lib.2. Retractationum, pag. mihi 25. columna 1. in fine*, in eadem fuit sententia. Ita vtique ibi. Intereà Roma Gothorum irruptione agentium sub Rege Alarico, atque impetu magnæ cladis euersa est. Cuius euersionem Deorum falsorum, multorúmque cultores, quorum vsitato nomine Paganos vocamus in Christianam Religionem referre conantes, solito acerbiùs, & amariùs Deum verum blasphemare cæperunt: & paulò inferiùs, sanctus sic prosequitur Doctor. Quorum quinque primi (libri scilicet sui de ciuitate Dei) eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, vt ad hoc multorum Deorum cultum, quos Pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur. Hactenus ibi. *Et tom. 3. lib. vnico, de opere Monachorum pag. 296. colum. 2.* in hæc prorumpit. Quos vtique non nisi Gentiles, quos Paganos dicimus, vult intelligi. Quos loci, Stipponensis Præsul, Apostolum, 1. *Corinth. vers.* 18. interpretatur.

3 Paganus igitur, & Gentilis est qui falsorum Deorum cultor est; & multorum quidem, vti Augustinus semel, & iterum docet, loco Retractationum reddito. Cuius rationem Alphonsus Tostatus tradit *in 4. part. Mathæi, cap. 12. quæst. 63. in fine* versic. *Dicendum.* Quia scilicet Gentiles, multos modos Deorum diuidunt, quorum vnum potentissimum, & alium sapientissimum constituunt. Sed libuit tanti Doctoris recensere verba. Dicendum igitur, quòd Iudæi expresserunt Reelzebub, non propter contumeliam, sed propter potestatem: quia iste erat Demon quem maximæ potestatis Iudæi esse putabant. Huius origo est, quia Gentiles diuiserunt multos modos Deorum: quendam enim potentissimum ponunt, scilicet Iouem: alium verò sapientissimum omnium, scilicet, Apollinem, siue Phœbum: & ideò ad ipsum recurrebant, pro responsis Gentiles de magna parte orbis ad Templum suum in loco Delphos. Et quia responsa huius pro magna parte certa inueniebantur, venerabantur eum Gentiles super omnes Deos, nam potentiam Iouis non experiebantur; sapientiam autem Appollinis, ex ipsis rebus comprobabant. Hunc igitur Principem Deorum plurimi appellabant, sed quem Gentiles Deorum Principem dicunt, Iudæi, Demoniorum Principem appellant, quia omnes Dij Gentium Demonia *Psalm.* 95. Hucusque Abulensis, exponens dictum illud Pharisæorum, *Mathæi.* 12. *vers.* 24. Hic non eiicit Demones, nisi in Beelzebub Principe Demoniorum.

4 Consultò dixi, sub nomine Pagani, & Gentilis, eum omnem in nostra venire disquisitione, qui extra Dei existit Ecclesiam, qui verum Deum non veneratur: quia illos Sacra Scriptura appellat Gentiles, qui non erant Iudæi, nam Iudæi collati

lati ad cæteros, erant valdè pauci: & ideò cæteri, quia plurimi erant, vocantur Gentiles. Doctrina Tostati præfati est, *Mathæi tom. 5. pag. 200. column. 1. B. & in indice*, verbo *Gentes, & Gentiles*, cui consonat noster Venerabilis Beda, *lib. 4. cap. 54. in Lucam, cap. 12. vers. 32* ibi *Nolito timere pusillus grex*. Quæ vtique seruatoris nostri verba, ad Discipulos suos, & in eis, ad totam suam Ecclesiam dicta, sic interpretatur. Videlicet.

5 Pusillum gregem electorum, vel ob compara-
» tionem maioris numeri, reproborum, vel potius
» ob humilitatis deuotionem nominat: quia vide-
» licet Ecclesiam suam quantalibet numerositate
» iam dilatatam, tamen vsque ad finem mundi, hu-
» militate vult crescere. Consonat inquam, in quan-
» tum Fidelium congregationem, in minori constituit numero, collatione ad infideles, Paganos, scilicet, Gentiles, & Ethnicos facta. Consonat & noster Petrus Berchorius, *in Dictionario Morali, tom. 3. verbo Gens*, vbi ita fatur: Gentes enim fuerunt omnes illæ nationes dictæ, quæ erant per vniuersum mundum præter filios Israël.

6 Hæc Doctor recensitus, qui plura congerit loco reddito, pro Ethymologia, & expositione vocis, *Gens*: & pro diuisione rei per eam significatæ in hæc itaque prorumpit. Nota, quòd *gens* est, nomen collectiuum sicut *Populus*: significat enim personarum pluralitatem inuicem congregatam. Vnde *Gens*, idem est, quòd *Natio, Generatio, Populus*, & plurium personarum collectio; & accipitur, vt communiter, vel pro bona, vel pro mala vnione, & congregatione: Gens igitur in bono signat bonam concordiam, & vnitatem: & sic intelligitur illud *Esai* 2. Non leuabit gens contra gentem gladium. Et illud *Ioann.* 3. congregabo omnes gentes, &c. in malo signat malam amicitiam, & societatem: & sic accipitur 1. *Math.* 5. congregatæ sunt gentes aduersus Israël: Gentes enim fuerunt omnes ille nationes dictæ, quæ erant per vniuersum mundum præter filios Israël: & ideò dicebantur gentes, quasi sine Rege viuentes. Et sic gentes poterunt significare omnes mundi peccatores, & iniquos qui legi Dei non subiiciuntur, qui à filiis Israël, id est à viris Sanctis separantur, & distinguuntur: qui etiam idolis, id est diuersis vitiis supponuntur, subiugantur. Quia sicut dicitur in Psalmo simulacha gentium argentum, & aurum, & multo inferiùs ait idem Berchorius. *Sed si vis*, adhuc potes notare, quòd sub nomine gentis; possunt intelligi, vniuersi mali gentes, & peccatores. Vnde nota, quòd per gentes intelliguntur illi, qui habent crudelitatem, & nequitiam; diuersitatem & discordiam, aduersitatem, & miseriam. Hæc omnia Doctor præfatus.

DVBIVM X.

Quis sub Iudæi nomine inquisitione intelligatur?

BREVIARIVM.

Triplex Iudæorum genus inuenio. Aliud est eorum; qui legem antiquam per Moysi manum traditam a pueritia sua professi sunt, & adhuc profitentur post nouæ legis Euangelicæ promulgationem, & sine intermissione quidem illam amplectantur. Aliud eorum est, qui postquam veterem Moysi legem professi, nouam admissi sunt; tandem Euangelica, in totum aut in parte derelicta, ad Moysaicam rediuerunt. Tertium tandem Iudæorum genus est eorum, qui postquàm Moysaicæ legis professionem derelinquerunt, & Euangelicam sunt amplexati, istam neutiquam deposuisse probabiliter creditur. Quia vtique Iudæorum distinctione præmissa, dubio proposito, subdistinctis conclusionibus, respondere libuit. 1

CONCLVSIO I.

Certum omnino, & indubitatum est disquisitionem nostram procedere respectu Iudæorum secundi generis, eorum scilicet, qui Fide Catholica semel suscepta, ad legem Moysaicam, siue in totum, siue in parte, transierint 2

Hæc conclusio ex dictis *dub.primò.&* 6. demonstratur. Quia, qui fidem Catholicam iam susceptam in parte derelinquit, Hæreticus est; & qui omnino illam negat, Apostata à fide est, sed Hæreticus, & Apostata à fide, in disquisitione nostra priuante Ecclesiastica sepultura comprehenduntur: ergo quoad eandem priuationem, in disquisitione etiam comprehenduntur, qui à fide Catholica semel suscepta, ad Moysaicam legem in totum, aut in parte transierint.

CONCLVSIO II.

3 IVdæi etiam primi generis à Sepultura Ecclesiastica excludi indubitanter assero.

Hæc Conclusio probatur. Quia his, quibus viuis communicare non possumus, nec mortuis communicare valemus, sed Iudæis, de quibus in prima acceptione, communicare non possumus viuis: ergo nec mortuis; ac per consequens, eos Ecclesiasticæ sepulturæ tradere minimè valemus. Maior est pluries à sacris Canonibus Canonizata. *Can. Sanè, 24. q. 2. el 3. cap. ex parte, el 11. de sepulturis. cap. A, nobis el 28. de sententia excommunicationis.*

Minorem probat noster Rabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, *in libro prætitulato, Contra perfidos Iudæos, n. 3.* ex illo Ioannis, *Epist. 2. vers. 10. & 11.* Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec *Aue ei* dixeritis. Qui enim dicit illi *Aue*, communicat operibus eius malignis. Quæ vtique Apostolica verba intelligi debere non solùm de Hæreticis, sed etiam de Iudæis, ita exponit Magnus recensitus Doctor dicens: quòd licet nonnulli tantummodò de Hæreticis, qui ab Ecclesia recesserunt, & Christi Fidej contraria docent, dictum putent: nos tamen vigilanter considerare debemus, quòd nullam exceptionem fecerit Apostolus, sed generaliter de omnibus doctrinam Christi respuentibus dixerit: siquis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, & cætera.

4 Hæc ibi, & immediatè *n. 4.* subiungit Moguntanus Archipræsul: si quis autem illud nobis opponit, quòd iste sermo veniendis quòd dictum est: si quis venit ad vos, propriè quodammodu de falsis Doctoribus in scripturis poni soleat, de quibus & Dominus dicit; Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecùs autem sunt lupi rapaces: & iterum: omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones: legat librum Beati Augustini, contra quinque hæreses prætitulatom; id est, Paganorum, Iudæorum, Manichæorum, Sabellianorum, Arianorum; & euidenter agnoscet, Iudæos, falsos esse Doctores, & inter cæteros Hæreticos deputari; & idcirco, in omni colloquio, atque conuictu, concessu, vel processu, vel osculo (per quæ plurimi eis adulantur) tãquàm Hæreticos esse cauendos, imò & peiores Hæreticis: sicut eos Ecclesia Catholica esse iudicat, quæ in diebus Dominicæ Passionis, post Hæreticos, & Schismaticos, & prope Paganos pro eis orat: hoc modo patenter ostendens, eos & peiores esse Hæreticis, & proximos Paganis. Quid videlicet proprium esse solet Hæreticorum, de Domino Iesu Christo Dei Filio, quædam vera, quædam falsa sentire; proprium autem Iudæorum, cuncta de illo falsa credere: dum illum & Deum nullo modo esse credunt, & hominem tantùm communis naturæ, id est ex viro, & fœmina procreatum adhuc suspicantur venturum. Quòd verò vnum Deum conditorem omnium confitentur, etiam idolorum cultores negare non solent.

Hucusque ibi. *Numero* autem 5. nullo interpo- 5
sito, in sequentia prorumpit. Vnde & præfatus venerabilis Doctor (scilicet Augustinus *libro de vera Religione cap. 5.*) quatuor ordines errantium hominum omnimodè cauendos in Christiana Religione commendat, & inculcat, dicens: Neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda Religio est; sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, Orthodoxi nominantur: idest integritatis custodes, & recta sectantes. Vbi etiam ostendens, & docens, quòd his quatuor generibus hominum tam cautè, & piè vtendum sit Ecclesiæ Dei, vt ex his non solùm non deprauetur, sed etiam proficiat, & enitescat in melius, subiungit, dicens (*cap. 6.*) Hæc enim Ecclesia Dei Catholica, per totum orbem validè, latéque diffusa omnibus errantibus vtitur ad prouectus suos, & ad eorum correctionem cum euigilare voluerint. Vtitur enim gentibus, ad materiam operationis suæ; Hæreticis, ad probationem doctrinæ suæ; Schismaticis, ad documentum stabilitatis suæ; Iudæis, ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo inuitat; alios excludit; alios relinquit; alios antecedit; omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem: siue illi formandi sint adhuc, siue reformandi, siue recolligendi, siue admittendi.

Hactenus Rabanus *num. 5.* reddito, vbi alia 6
D. Augustini authoritate *ex eodem libro, de vera Religione, cap. 7.* recensita, pro eodem argumento faciente, sic *num. 6.* fatur. Iuxta hæc verba sancti Doctoris, & Patris, repudiandi sunt isti omnes (in quibus, & cum quibus etiam Iudæi) & ita tantummodo eisdem vtendum Ecclesiæ Dei, vt ipsa proficiat, vt illi corrigantur, vt ex eorum comparatione pulchrescat, non ex eorum (quod absit) participatione sordescat. Tanquàm hostes enim Dei, & inimicis crucis Christi vitandi sunt, de quibus ipse Dominus Christus dicit: qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit: quàm attentè autem istorum consortia fugienda sint, Beatus Ioannes Apostolus, non solùm verbis (vt suprà posuimus) sed etiam exemplis edocuit: sicut Beatus Irenæus, Ecclesiæ Lugdunẽsis antiquissimus Pontifex, & Martyr Gloriosus, in libris suis, de se ipso & de Beato Policarpo discipulo eius scribit, dicens (*libro 3. capite 3. aduersus Hæreses*): Policarpus, qui non solùm ab Apostolis eruditus est, & conuersatus cum his, qui Dominum viderant, sed & ab ipsis Apostolis ordinatus est Smyrnæorum Ecclesiæ Episcopus: quem nos quoque in prima ætate, nostra vidimus (diu etenim permansit, in vita, & longæua ætate perdurans nobilis viuendo, sed & moriendo nobilior extitit: quippe qui vitam Martyrio terminauit; & sunt etiam nunc qui audierunt ab ipso quòd Ioannes Discipulus Domini apud Ephesum cum balneis lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerynthum, exiluisset continuò, & discessisset, non lotus dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cerynthus labat veritatis inimicus. Idem etiã Polycarpus Marcioni aliquãdo cum occurrisset, dicenti sibi: Agnoscis nos: respõdit: Agnosco primogenitũ Sathanæ. Tanta tunc Apostoli, atque eorum Discipuli in

Religio

Religione cautela vtebantur, vt ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui à veritate deuiauerunt, haberc patcrentur.

7 Ad hæc si forte aliquis dicit, Cerynthum Hæreticum fuisse, non Iudæum, nouerit temporibus Apostolorum non fuisse Hæreticos, nisi ex Iudæis, ac Samaritanis, sicut fuerunt Simon,& Menander, Ebion, & Nicolaus. Et ex erroribus suprà dicti Cerynthi cognoscat, quòd omnia sint Iudaica, quæ astruebat. Prædicabat Dominum nostrum Iesum Christum, purum fuisse hominem, nec resurrexisse: & circunc idi carne oportere. Post resurrectionem, terrenum dicebat futurum esse Regnum Christi in Iesuralem: & homines in carne iterum concupiscentiis, & vitiis subiectam conuersationem habituros: & legales festiuitates rursum celebrandas: & hostias carnales iterum iugulandas.

8 Omnia suprà reddita, magnus Doctor. Rabanus, quæ lubens ad amussim exscribere duxi, vt efficaciùs demonstretur probata veritas propositionis nostræ, asserentis non licere Catholicis, communicare Iudæis viuis: his scilicet, qui lege noua nondum admissa, veterem obseruant. Traditur enim à Rabano non solùm doctrina Patrum, sed etiam Discipulorum Apostolorum, eorumdémque Apostolorum, imò & Christi Domini, omninodè interdicens Fidelibus communicare eis, quibus à veritate Fidei Christianæ deuiare contigerit, qui Christi doctrinam respuerint. Et pariter illam exemplis Apostoli Iohannis, & Polycarpi Martyris, Rabanus illustrat.

CONCLVSIO. III.

9 IVdæi, qui postquam Baptismum, & legem Euangelicam susceperunt, non ad Iudaismum redierunt, Ecclesiastico sepulchro, ratione saltem sui originis, priuati non existunt.

Hæc Conclusio probatur. Quia quibus communicamus viuis, communicare possumus mortuis: itaenim ait vrbanus Papa, *in can. Sane, el* 3.24.q.2. Constat ergo, quibus viuis communicamus, mortuis quoque communicare possumus. Sed sic est, quòd viuis communicamus Fidelibus Christianis ex Iudæis originem trahentibus; imò & communicare eis debemus. Quia *omnis, qui credit in illum* (scilicet in Dominum Iesum,) *non confundetur.* Ita testante Apostolo Paulo, *ad Romanos, cap.* 10. *vers.* 11. Cuius testimonium, sic Hugo Cardinalis exponit. Vel non conturbabitur, sed honorabitur. Et satis quidem benè, iuxta illud 1. *Petri cap.* 20. vobis autem honor, credentibus. Conturbarentur autem,& non honorarentur Iudæi, qui lege antiqua derelicta, nouam sectarentur, si eis reliqui Christiani, intra eandem Ecclesiam Catholicam existentes non communicarent; vt ex se patet. Quia cum ex eodem Paulo, *vbi proximè, vers.* 12. non sit distinctio Iudæi.& Græci, in Fide scilicet, seu quantum ad Fidem, vti Hugo præfatus interpretatur. Et idem Paulus *ad Galatas, cap.* 3. *à vers.* 26. ait. Omnes enim filij dei estis per Fidem, quæ est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo Baptizati estis, Christũ induistis. Non est Iudæus, neque Græcus: non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu. Hactenus Apostolus. Et Sà ibi *n.*28. Non est, &c. quasi diceret. Nulla est distinctio personarum, sed omnes in Christo vnum sunt, Græcus, id est Gentilis. Ita ille; ipse Doctor gentium *ad Colossenses, c.* 3. *vers.* 11. asserit. Vbi non est Gentilis,& Iudæus circumcisio,& præputium, Barbarus, & Scyta, seruus & liber: sed omnia, & in omnibus Christus, & *ibi* Sà, Omnia, scilicet vnum sunt in Christo, Christus, scilicet est, qui eos in se vnit. D. Hieronymus, *in epistola ad celantiam* inquit, prout recenset Simanca, *in canonicis institutionibus, tit.* 46. *de pœnis, n.* 68. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: seruum, & nobilem de moribus pronunciat; summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Hæc Hieronymus. Accinit Chrisostomus, *serm.* 2. *in epistolam ad Romanos.* Vbi Fidei nobilitas quæritur, ibi nemo Barbarus, nemo Græcus, aduena nemo, nemo ciuis, sed in eandem simul omnes ascenderunt dignitatis excellentiam. Hactenus ibi. *Sermone autem* 14. ait. Nobilitas nostra ex fide est. Ex quibus omnibus, ac singulis, apertum est, quòd si Fidelibus ex Iudæis assumptis, Fideles ex Græcis, seu ex Gentilibus, non communicarent tanquàm eiusdem mistici corporis Ecclesiæ membris, esset distinctio personarum; & magno illo mœrore,& dedecore afficerentur: ergo non solùm possumus, sed debemus communicare fidelibus ex Iudæis iam mortuis, tradendo illos Ecclesiasticæ sepulturæ,& suffragia, ac honores eis dando, quæ reliquis defunctis Catholicis exhibemus. Illis enim sicut istis, sic promissit Christus, *Math.* 10. Qui me cõfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo, Qui in Cœlis est. Hoc est: ego faciam eum amicum meum, & Hæredem. Hugo hæc, Interlinealis autem, id est perducam ad confessionem Patris. Venite benedicti patris mei. Et Rabanus, confitebitur apud patrem: habebit enim per Filium accessum ad Patrem.

DVBIVM XI.

Vtrum Fidelium Christianorum, infantes Filij, nondum Baptizati sub infidelium nomine veniant?

BREVIARIVM.

Cathecumenus.

Habetur pro Fidele, n.12.

Sepelitur in loco sacro, n.12.

Communicare.

Communicare possumus mortuis, quibus viuis communicauimus, aut communicare potuimus; sed communicare non possumus mortuis, quibus viuis non potuimus communicare, n.5.

Iis, qui extra Ecclesiæ gremium sunt, communicare non possumus, neque in cibi sumptiones, n.5.

Dubium.

In omni dubio standum est pro possessione, quæ erat ante dubium, n.10.

Iure dubio neminem priuare intendit Ecclesia, nisi indirectè, num.10.

Dubia proprietas, cedit certæ, n.11.

Fœtus.

In vtero matris clausus pars vteri censetur, n.2.

Mortua matre si de vita dubitetur prolis in ventre inclusæ, scindenda est mater, vt extrahatur, num.4.

Sepultura.

Sepeliendus est simul cum matre fideli fœtus in ventre mortuus, & non extractus, num. 1. 4.

Sepeliendi non sunt in loco sacro, & Ecclesiastico more fidelium filij nondum Baptizati, n. 3. 4. 5. 6.

Secus illi de quibus dubitatur, an sint Baptizati, num. 7. *& seqq.*

PRocedit dubium propositum, in casu disquisitionis nostræ, quoad effectum scilicet, vt sepeliri nequeant in loco sacro, seu ritu Ecclesiastico seruato. Et huic æquiualet. An Fidelium filij infantes, qui sacrum baptisma non susceperint, bene valeant more Ecclesiastico, & sepultura Ecclesiastica tumulari: quæ quidem difficultas in duplici potest, debetque infantium statu procedere. Primus enim est quando huiusmodi infantes, fidelium filij, in vteribus matrum clausi decedunt, simul cum matribus. Secundus verò, quando extra materna claustra mortui reperiuntur, siue extracti mortui fuerint; siue viui exierint, & postea decesserint. Iuxta quem duplicem statum, difficultati respondere libuit, duplici conclusione sequenti.

CONCLVSIO I.

1 INfantes, fidelium Christianorum filij, in ventre matris simul cum ipsa mortui, cum ipsa simul sepeliri, & tumulari valent. Hãc tenent Glossa *in cap. Ecclesiam, in qua, el 1. & 26. in ordine, verbo, celebrare, de consecratione dist.* 1. Pax Iordanus, *volum.* 1. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 119. Bonacina, *tom.* 1. *quæst.* 4. *de Matrimonio, punct.* 19. *num.* 24. Leander à Sanctissimo Sacramento, *to.* 5. *tract.* 5. *de Violatione Ecclesiæ, disput.* 1. *quæst.* 38. Ægidius Coninch, *tom.* 1. *de Sacramentis, quæst.* 83. *artic.* 3. *dub.* 1. *num.* 233. Ludouicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 23. *disput.* 3. *sect.* 3. *num.* 72. Diuus Antoninus, *tertia parte Summæ maioris, tit.* 10. *capite* 5. 6. 9. *in fine* Thomas Delbene, *de Immunitate Ecclesiastica, part.* 1. *cap.* 2. *dubitat.* 2. *sect.* 6. Noster Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disputat.* 23. *quæsito* 11. *num.* 4. Ferdinandus Castrus Palaus, *part.* 2. *tract.* 11. *punct.* 1. *num.* 1. Æligius Bassæus, *tom.* 1. *verbo Sacrilegium I. num.* 6. *&* 7. Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom.* 2. *part.* 3. *verbo Ecclesia, numer.* 12. Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 72 *versic. Noto II.* Iacobus Gordonus *in Theologia Morali, tom.* 1. *lib.* 6. *quæst* 9. *cap.* 4. *num.* 15. Venniglia, *in Praxi rerum notabilium, annotat* 52. §. *vnico num.* 21. *pag.* 474.

Et ratio conclusionis nostræ, à tot doctissimis viris probata, est quia fœtus in vtero matris clausus, pars ipsius materni censetur vteri: Vnde, tanquam pars, simul cum toto sepeliri debet.

CONCLVSIO II.

3 INfantes, filij Christianorum fidelium, extra matrum claustra mortui absque Sacramento Baptismi inuenti, sepeliri neutiquam queunt in Sepultura Ecclesiastica, aut Ecclesiastico ritu. Istam tenent conclusionem recensiti, & alij quàm plurimi Doctores. Franciscus Maria Samuellius *in sua praxi de Sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controu.* 4. *conclus.* 5. *& conclus.* 12. vbi ita fatur. Omnis homo non Baptizatus caret sepulturâ, siue adultus sit, siue puer. Et concordant communiter Scribentes. Libuit D. Antonini, pro hac, & præcedenti Conclusione, ad amussim verba reddere. In hæc itaque, *loco proximo citato*, prorumpit.

Mulier prægnans si ipsa mortua certum est & 4
prolem, quam habet in vtero mortuam sepeliendam esse cum ea. Sed si dubitatur de vita prolis scindenda est, & separandus fœtus, & si mortuus inuenietur, tunc extra locum sacrum fœtus reconditur secundùm Hostiensem. Hæc Florentinus Præsul, menti tenenda.

Probatur conclusio, *Primò*. Quia non possu- 5
mus communicare mortuo, cui non communicauimus, aut non potuimus communicare viuo. Ait enim Vrbanus Papa, *in Canone Sanè, el* 3. *causa* 24. *quæst.* 2. Inter cæteros quippe nostræ Fidei Patres, Leo Papa, Doctor egregius: Quibus viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Constat ergo, quibus viuis (vt ex opposito loquamur) communicamus, mortuis quoque communicare possumus. Hæc Vrbanus. Cuius sententia confirmata reperitur *in cap. Ex parte, el* 11. *de Sepulturis: & in cap. A nobis, el* 28. *de Sententia excommunicationis*. Vbi Innocentius Papa Tertius istius Decretalis Author, ita decernit. Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & viuo. Et addit: cum & si communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset: sed infantibus non Baptizatis, viuis non communicauimus, nec communicare quidem potuimus, aut possemus si vixissent, Baptismo non suscepto: ergo nec mortuis eis in sepultura Ecclesiastica communicare possumus: ergo huiusmodi infantes Ecclesiastica existunt sepultura priuati. Minor probatur *ex can. illi, el* 103. *causa* 6. *quæst.* 1. vbi sic Fabianus Papa Illi, qui illa peccata perpetrant de quibus Apostolus ait: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur: valdè cauendi sunt Similiter & illi, de quibus ipse ait: cum huiuscemodi hominibus nec cibum sumere: quia infamia sunt notati antequam Sacerdotali auctoritate sanentur, & in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ redintegrentur: quia qui extra nos sunt, nobiscum communicare non possunt. Hactenus Fabianus. Cum igitur infantes nondum Baptizati, Ecclesiæ gremio adscripti neutiquam fuerint, & inde extra nos sint: eis communicare nullatenus põssumus.

Secundò probatur Conclusio, ex Rituali Ro- 6
mano Pauli Papæ quinti, *in Rubrica de exequiis titulo: quibus non licet dare Ecclesiasticam Sepulturam*: vbi pluribus recensitis, quibus Sepultura dari non liceat, sic de pueris non Baptizatis habetur. *Infantibus mortuis absque Baptismo.*

Difficultas duplex hîc, non spernenda occurrit. 7
Prima est; An pueri de quibus dubitatur, an sint Baptizati, sepeliri queant Ecclesiastico ritu, & in sepultura Ecclesiastica? *Secunda* est, An & Cathecumini in sepulchro Ecclesiastico licitè tumulari valeant? vtraque breuiter affirmatiuè resoluitur.

Quod infantes dubiè Baptizati licitè valeant in 8
sepulchro Ecclesiastico tumulari, docet Pater Samuellius *vbi suprà, Conclus* 13. vbi sic ait. Pueri de quibus dubitatur, an sint Baptizati, & in secundina inuoluti morientes, in loco sacro sepeliri debent. Et paucis interiectis, addit, & dicti pueri fuerunt Baptizati in forma, aut materia. Ita ibi, *& controu.* 7. *concl.* 1. in hæc prorumpit verba. Infans in mortis periculo, seu articulo manens, & fuit in vmbilico, vel per capilos Baptizatus, cũ alibi adhiberi

non

non possit baptismus, in his, & similibus casibus cum baptizatus censeatur, non est proindè sepulturâ privandus. Hactenus redditus Author.

9 Antoninus similiter Diana *par.4. tr.3. resol.69.* cum Homobono *in Consultationibus casuum conscientia, volum.2. part.7. respons.67.* asserit baptizatum baptismo dubio, non Ecclesiastica sepulturâ privandum, sive dubium sit in conferente, sive in suscipiente, sive in materia, aut forma: cum eodem etiam Homobono, ac cum Martino Bonacina *de Contractibus, disput.3. q.21. punct 2.* asserit ipse Diana, infantem secundina iodutum baptizatum, in loco sacro esse sepeliendum. Quorum sententiam, insignis Doctor, noster Ioannes Caramuël *in Theologia Morali, lib.3. cap.1. disp.1. coroll.48. n.1399.* impugnat ex rigore Iuris; & ex Ecclesiæ propugnat benignitate. Tanti Magistri, libuit verba, ad vnguem reddere. Sic itaque fatur.

10 In omni dubio standum pro possessione, quæ erat ante dubium: atqui ante baptismum dobium, erat peccati original s possessio: ergò censendus est ille infans non baptizatus; censendus peccato originali infectus; censendus Ecclesiæ non incorporatus. Hæc quidem de rigore Iuris: at Ecclesia neminem vult privare, nequidem Iure dubio, nisi indirectè, hoc est manutenendo alterius filij ius directum; Hic non agitur contra alterum Ecclesiæ filium: ergo propter ius dubium in loco sacro sepeliendus est.

11 Confirmatur à simili, in materia civili, proprietas dubia certæ cedit; at videmus multos permitti adire possessionem dubiam cum nemo reclamat, cum certum est nequidem dubiam habere. Hactenus Dominus Ioannes Caramuël, qui ex his ductus, hoc efficit corollarium. Cum dubitatur, an puer sit baptizatus, si stâremus puræ rationi, & Iuri rigido non debet sepeliri in loco sacro: at considerata Ecclesiæ benignitate, debet, adeòque semper debet. Ita ille.

12 Secundæ difficultatis resolutionem, afferentem Cathecumenos, licitè bene posse, in Sepulchro Ecclesiastico, titu Ecclesiastico tumulari, tenet præfatos Franciscus Maria Samuëllius *controv. 4. & conclus. 13. reddita* vbi brevem tradit hanc rationem. Quia scilicet pro Fidelibus habentur Cathecumeni: ita enim fatur. Pueri, de quibus dubitatur, an sint baptizati & in secundina involuti morientes, in loco sacro sepeliri debent, sicut etiã Cathecumeni, qui iam pro Fidelibus habentur.

DVBIVM XII.

Quænam sint pœnæ cóntra Hæreticos, eorum Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores ac contra Apostatas à Fide Catholica, à iure inflictæ?

§. I.

De Excommunicatione, prima Hæreticorum pœna.

BREVIARIVM.

Apostata à Fide.

Excommunicationi subest Papæ reservata, n. 9. 16.

Credentes Hæreticorum.

Excommunicationis pœna plectuntur, à n. 1. ad 10.

Papæ reservate, ibid.

Defensores Hæreticorum.

Pœnæ excommunicationis subiacent, à n. 1.

Reservatur Papæ, ibid.

Excommunicatio.

Lata est contra Hæreticos, &c. à n. 1. ad 10.

Contra tenentes, imprimentes, &c. eorum libros, o.8. & 9.

Est reservata Papæ, n. 10.

Fautores Hæreticorum.

Papa excommunicationis, inflicta est Fautoribus, à n.1. ad 10.

Est reservata, ibid.

Libri.

Libros Hæreticorum tenentes, &c. excommunicantur, n.8. 9.

Reservatur Papæ, n. 10.

Receptatores.

Hæreticorum Receptatores, eisdem pœnis, quibus Hæretici puniuntur, à n.1. ad 10.

Schismatici.

Excommunicationem incurrunt, n.9.

Papæ reservatum, n.10.

Contra omnes in titulo dubij contentos, easdem invenio statutas in Iure pœnas, vel adnotavi in propriis eorum dubiis. Quænam autem illæ sint, in præsenti occurrit discutiendum: quod consultò elegi; ne eadem sæpè inutiliter repeterem.

1 Prima pœna est excommunicatio lata: ita docent Beccanus *tract. de Virtutib. Theologicis, c.15. q.2.* Barbosa *in cap. Sicut, nu.1. el 8. de Hæreticis* cum pluribus, quos pro more recenset suo Ioan. Baptist. Ventriglia *in Praxi rerum notabilium, annotat. 2. §.3. num.33.* Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæst. Regularium tom.2. part.3. verbo Hæresis, à nu.6.* Thomas Delbene *de Parlam. dub.4. subsect. 31. ex coroll. 7. subcoroll. 3. n.2.* Villalob. *in Summ. part.1. tract. 17. difficult.20. à n. 2. & par.2. tract.1. diffic.11. nu.1.* Bassæus *tom.1. verbo Excommunicatio VI. n.1.* Laymanus *lib.2. tra.1. cap.1 ex n.3. & 5.* Syrus *in Thesauro, lib.3. cap.5. n.8. cap.5. n.1. & seqq.* Azotius *part.1. lib.5. c.10. versic. In hac, & lib. 8. cap.10. quæst. 1. cap.13. quæst.3.* Machadus *tomo 1. lib. 2. par.2. tract.2. docum.4. n.1.*

2 Et probatur primò *ex cap. Ad abolendum* el 9. de Hæreticis, in quo Lucius Papa III. sic contra Hæreticos decernit. Vniversos, qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat: & generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesiastica, vel singuli Episcopi per Diœceses suas cum consilio Clericorum, vel Clerici ipsi Sede vacante cum consilio, (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, Hæreticos iudicaverlot: vinculo perpetui anathematis innodamus.

3 Probatur secundò *ex cap.13. eiusdem tituli*: vbi Concilium Generale Lateranense, sub Innocentio Papa III. sequentia statuit. Excommunicamus itaque, & anathematizamus omnem Hæresim, extollentem se adversus hanc Sanctam,

Orthodoxam, & Catholicam Fidem, quam superiùs exposuimus: condemnantes Hæreticos vniversos, quibuscumque nominibus censeantur: facies quidem diversas habentes, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum, & infrà. Credentes præterea, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere.

4 *In cap. Excommunicamus el 14. eiusdem tituli:* Gregorij IX. ita decernitur. Excommunicamus, & anathematizamus vniversos Hæreticos Catharos, Patarenus, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosephos, Arnaldistas, Speronistas, & alios, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vnitare conveniunt in idipsum.

5 Tertiò probatur ex rextu *in cap. Noverit el 49. de Sent. Excomm.* in quo Honorius Papa III, hanc protulit. Excommunicamus omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocumque nomine censeantur: & Fautores, & Receptatores, & Defensores eorum.

6 Ex Constitutione Nicolaï Papa III. incipit: *Noveris vniversitas vestra la* 2. apud Angelum Cherubinum *in Bullario magno tom.* 1. *pag. mihi* 181. probatur quartò. Sic enim ait. Noverit vniversitas vestra, qood nos excommunicamus, & anathematizamus vniversos Hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnalditas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Hæc in principio Constitutionis præfatæ, & *in* §. 3. quæ sequuntur videlicet. Credentes autem eorum erroribus, similiter Hæreticos iudicamus *in* §. *Autem* 4. sic statuit. Item Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere.

7 Quintò probatur ex Bulla Iulij Secundi, incipit, *Consueverunt*, Kal. Martij, Anni 1511. edita, *la* 25. apud Bullarium Cherubini *tomo* 1. vbi sic, §. 1. Nos igitur vetustum, & solemnem hunc morem sequentes (exercendi scilicet arma iustitiæ per ministerium Apostolatus in die Cœnæ Domini ad retinendam Christianæ Religionis puritatem, & vnitatem: Processum vtique fulminando, Bullam Cœnæ dictum:) excommunicamus, & anathematizamos ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli, ac nostra, omnes Hæreticos, Gazaros, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Arnaldistas, Speronistas, Passagenos, Widephistas, seu Vssitas, Fratricellos de opinione nuncupatos, & quoscumque alios Hæreticos, quocumque nomine censeantur: ac omnes Fautores, Receptatores, & Defensores eorundem.

8 Paulus Papa III. idibus Aprilis, de anno 1536. similem Bullam Cœnæ edidit *la* 10. *eiusdem primi voluminis Bullary Cherubini*, pariter incipientem, *consueverunt. In qua*, & §. *Eius* 1. eosdem, quos Iulius II. excommunicat, & anathematizat, expressis eorum nominibus, provt suprà: & addit: Necnon per fœlicis recordationis Leonem Papam X. Prædecessorem nostrum superioris armis damnatum, impiam, & abominabilem Martini Lutheri hæresim sequentos, ipsisque Martino quominùs puniri possit, quomodolibet faventes, & quoslibet alios Hæreticos quocumque nomine censeantur, ac omnes Fautores, & Receptatores, librosque ipsius Martini, aut quorumvis aliorum eiusdē sectæ sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ quomolibet legentes, aut in suis domibus tenentes, imprimentes aut quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore. Et generaliter quoslibet Defensores eorundem. Hactenus Paulus Papa.

Probatur septimò ex Bulla edita à Paulo Papa Quinto, sexto idus Aprilis, anno 1610. incipit: *Pastoralis*, apud *tom.* 3. *Bullar. Cherubini la* 63. in qua ita §. 1. excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra quocumque Hussitas Vviclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Vgonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant, ac eis Credentes, eorumque Receptatores, Fautores, & generaliter quoslibet illorum Defensores, ac eorundem libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec-non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Hucvsque Paulus Papa V. 9

Similem huic Constitutionem ediderunt Gregorius Papa XIII. *tom.* 2. *Bullarij la* 81. huius Pontificis, *pag. mihi* 462. Vrbanus VIII. *to.* 4. *la* 62. *pag.* 115. & alij, qui absolutionem sibi, & Sedi Apostolicæ reservarunt sub hoc tenore. Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus; nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, nec-non Laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij Decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque scripturâ in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum. Ita Iulius II. §. 3. Paulus III. §. 19. & adamussim Gregorio XIII. §. 25. Paulus V. & Vrbanus VIII. *paragrapho* 22. 10

***

§. II.

§. II.

De infamia, secunda pœna Hæreticorum.

BREVIARIVM.

Acceptio personarum.

In rebus Fidei non est, seu differentia, inter magnos, & parvos, nobiles, & ignobiles, n.11.

Confiscatio.

Bona Hæreticorum confiscantur, n.15.

Hæretici.

Banniuntur: diffidantur: eorum Bona applicantur Fisco, & eorum filij hæreditate privantur, numero 15.

Infamia.

Pœna infamiæ inflicta est Hæreticis, eorum Credentibus, Defensoribus, Fautoribus, Receptatoribus, n.11. & seqq.

Nobilis.

In Hæresim incidens, infamis, & vilis efficitur; & pœnis plebeiorum punitur, n.11.

11 Secunda pœna Hæreticis, & aliis suprà recensitis inflicta, est infamia, quam ipso facto incurrunt, si postquam illorum quilibet fuerit excommunicatione notatus, satisfacere intra annum contempserit: docent Ioannes Calderinus *tract. de forma procedendi contra de Hæresi inquisitos Rubrica, de pœnis Hæreticorum, filiorum, & nepotum eorum, nu.*2. Lezana *verbo Hæresis, nu.* 6. Barbosa *in cap. Excommunicamus, nu.* 24. *el* 1. & 13. *de Hæreticis*: Ioannes Bapt. Ventriglia *in praxi rerum notabilium, annot.* 2. §. 3. *num.*19. Granadus *controv.*1. *de Fide, tract.*5. *disp.*15. *n.*7. Gordnnus *in Theologia Morali, tom.*2. *lib.* 6. *qu.*12. *cap.*26. *versic. Tertia*: Thomas Delbene *de Parlamentis, dub.* 4. *subsect.* 31. *ex corollario* 7. *subcorollario* 3. *n.* 4. Sousa *in Aphorismus Inquisitorum, lit.*3. *c.*7. *n.*3. Anton. Diana *par.* 4. *tract.*7. *resolut* 1. Glossa *in cap. Excommunicamus, verbo Credentes, el* 13. *de Hæreticis*: Azotius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.*13. *qu.* 7. Machadus *Enel perfecto Confesor, y cura de Almas*: *tom.*1. *lib.*2. *par.*2. *tract.*2. *docum.*5. *n.*9. Iacobus Simancas *de Catholicis institutionibus tit.* 46. *de Pœnis, à nn.* 66. & *n.*68. sic ait: Cæterum nobilis in Hæresim incidens, infamis, & vilis erit, & plebeiorum pœna puniendus: nec enim vlla differentia est in rebus Fidei, & Religionis inter magnos, & parvos; inter nobiles, & ignobiles. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi.

12 Probatur primò ex Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III. relato *in cap. Excommunicamus el* 13. *de Hæreticis*, sic §. *Credentes*, statuente. Credentes præterea, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum, excommunicationi decernimus subiacere: Firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infrà annum, ex tunc, ipso iure, sit factus infamis.

13 Secundò probatur ex Constitutione Nicolai Papæ III. *Noverit universitas, la* 2. *huius Pontificis, tom.* 1. *Bullarij Magni, cuius* §. 4. talis est. Item Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc, ipso iure sit factus infamis.

Tertiò *ex can. Infames el* 117. *caus.* 6. *quæst.*1. ibi: Et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos: scilicet infames esse declarat Stephanus Papa Hylario rescribens *ep.*1. *cap.* 1. 14

Pro hac eadem pœna recenset Machadus legem *Patarenorum*, in qua sic Imperator statuit. Catharos, Patharenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcissos, Passaginos, Iosepinos, Cummunelos, Veraninos, & Ortholenos, cum illis de aqua nigra & omnes Hæreticos vtriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, vt bona talium confiscentur, nec ad eos vlteriùs revertantur, ita quod filij eorum ad successionem pervenire non possint, cum longè sit gravius æternam, quàm temporalem offendere maiestatem. Hactenus lex præfata, quam recenset Calderinus *dicta Rubrica, de Pœnis Hæreticorum*, &c. 15

§. III.

De pœna privationis vocis activæ, & passivæ inflicta Hæreticis, &c.

BREVIARIVM.

Beneficia.

Beneficiis privantur, & dignitatibus Hæretici, eorum Credentes, Defensores, Fautores, & Receptatores, & Filij, & Nepotes eorum, n.20.

Credentes.

Hæreticorum Credentes, & eorum descendentes vsque ad secundam progeniem, non admittuntur ad consilia, electiones, honores, & officia, num.16. & seqq.

Defensores.

Hæreticorum Defensores, & vsque ad 2. progeniem descendentes, non admittuntur ad consilia, electiones, honores, officia, à n.16.

Exprimere.

Qui vnum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere, quod tacet, n.19.

Fautores.

Hæreticorum Fautores, & descendentes vsque ad 2. progeniem, non admittuntur ad consilia, electiones, honores, officia. à n. 16.

Hæretici.

Et eius descendentes vsque ad 2. progeniem beneficiis & dignitatibus privantur, n.20.

Et non admittuntur ad consilia, electiones, honores, & officia, à n.16.

Tertia pœna, quam supradicti incurrunt, est vt non admittantur ad publica officia, seu ad consilia, nec ad eligendos alios ad huiusmodi: ita Sousa *locis redditis*: Diana, *vbi proximè versic. Quarta*: Glossa *in cap. Excommunicamus*, §. *Credentes, el* 2. *de Hæreticis*: Villalobos *in Summ. par.* 2. 16

part.2.tract.1.difficult.11.n.2. Glossa *in cap. Quicumque, verbo Publicum el 2. de Hæreticis in 6.* (vti exponit officium publicum dicens. Vt iudicatus, Notariatus, & his similia) Azorius *part.1. lib.8. cap.13.q.3.* Machadus *dicto docum.5.n.3.* Simanc. *dicto tit.46. de Pænis, n.57. & 58. ac 61.62.* Ioan. Calderinus *vbi proximè, n. 4.* Ioan. Bapt. Lezana *tom.2. Summæ, quæstion. Regularium, part.3. verbo Hæresis, num. 6. & seqq.* August. Barbosa *in dicto cap. Excommunicamus, nu. 25. 26.* Navarr. *tom.2. consil. lib.5. tit. de Hæreticis, cons.18. n.2.* Ventrig. *d. annot.2. §. 3. n.22.*

17 Probatur primò *ex capite Excommunicamus, §. Credentes el 13. de Hæret.* vbi sic Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi admittatur.

18 Secundò probatur *ex textu in cap. Quicumque, §. Hæretici el 2. de Hæret. in 6.* vbi Alexander Papa IV. ita decernit. Hæretici autem, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores eorum... ad nullum... seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum remanere.

19 Probatur tertiò *ex cap. Statutum el 15. eiusdem tituli, & libri*, vbi Bonifacius Papa VIII. sic decrevit. Statutum fœlicis recordationis Innocentij, & Alexandri prædecessorum nostrorum, ne videlicet Hæretici, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores eorum... ad aliquod publicum officium admittantur, &c. In sequentibus præfatus Pontifex declarat dictorum prædecessorum statutum, quoad filios, & descendentes Hæreticorum, Credentium, &c. nihil innovans, quoad ipsos Hæreticos, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores eorum, ac per necessarium, consequens, illud, quoad istos confirmat. Quia, qui vnum exprimit, & aliud tacet, (in qualibet dispositione) censetur excludere (videlicet ab illa dispositione) quod tacet.

20 Quartò probatur *ex cap. Vt commissi el 12. de Hæreticis in 6.* vbi ita Bonifacius VIII. Inquisitoribus concedit. Privandi prætereà, vel privatos nunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis... Et officiis publicis, ac honoribus quibuscumque, eosdem Hæreticos, Credentes, Receptatores, & Defensores ipsorum, eorumque filios, & nepotes, plenam concedimus facultatem.

21 Quintò *ex l. Commissi vobis cælitus, vers. Cætum*, ibi: Eorundem Hæreticorum Receptatorum, Fautorum, & Advocatorum suorum, hæredes, & posteros, vsque ad secundam progeniem beneficiis cunctis temporalibus, publicis officijs, & honoribus Imperiali auctoritate privantes.

§. IV.

De multiplici pœna inflicta Hæreticis.

BREVIARIVM.

Hæreticus.

Hæreticus civitatis defensor creari non potest; nec Miles esse; nec ad gradum Doctoris promoveri: excluditur ab omni actu legitimo: & omnia per illum facta nulla sunt, n.22.

22 QVarta pœna à Iure Hæreticis inflicta est, vt defensores civitatum creari nequeant: ita Barbosa *in cap. Excommunicamus, n.26. el 1. & 13. de Hæreticis, ex lege Iubemus, Cod. de Episcopali audientia*: & addit ibi Barbosa. Nec item possunt esse milites, vt constat *ex l. Quicumque, §. Nullum, Cod. de Hæreticis*: & aliis adductis *in tract. crimin.* per Decianum *lib.6. cap.43. nu.4.* & Sanctarell. *eod. tract. cap.25. n. 11.* Nec possunt gradus Doctoratus adipisci, addit vlteriùs ipse Barbosa. Quod non possint esse Milites, docet etiam Ioan. Bapt. Ventriglia *in Praxi rerum notabilium, annot.2. §.3. nu.23.* cum quo *n. 46. & 47.* asserit, Hæreticum excludi ab omni actu legitimo per constitutionem *exurge Domine*, Leonis X. *de Anno* 1520. & quod omnia acta per Hæreticum facta sunt nulla. De his omnibus, & aliis, Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.3. cap.7.*

§. V.

De pœna intestabilitatis.

BREVIARIVM.

Testamentum.

Testare non valent Apostatæ à Fide Hæretici, eorum Credentes, Defensores, Fautores, Receptatores, n.23. & seqq.

QVinta pœna contra prædictos constituta, est, vt intestabiles fiant. Docent Glossa *in cap. Excommunicamus, verbo Credentes*: Sousa *vbi proximè* Thomas Delbene, *de Parlamentis, dub. 4. subsect.31. ex coroll. 7. subcoroll.3. num.6.* Gregorius Sayrus *in Thesauro, seu de Censur. lib.2. cap.9. num.6.* Villalobos *tom.2. tract.1. diffic. 11. concl.2.* Bassæus *tom.1. verbo Testamentum, nu.6. versic. Septimò*: cum Molina *disput.* 138. Filliucio *tract.34. cap.7. n.157.* Leonardus Lessios *de Instit. lib.2. cap.19. dub.4. n.39.* Azorius *par. 1. libro 8. cap.13. in princ.* Machadus *docum.5 allegato n.11.* Simanca *dicto tit. 46. num.55.* Gabriel Vasquez *Opusculo, de Testam. cap.9 §.4. dub.1.* ibi. Secundò, etiam est quod si quis donaverit causa mortis, illa bona sint confiscanda, eo quod habeant veluti naturam Legatorum: Barbosa *in cap. Excommunicamus, nu.28. el 1. & 3. de Hæret.* cum Bursat. *consil.283. nu.1.* Roj s *sing.61. n 2.* Spino *in Speculo testamentorum, gloss. 12. rub. nu. 42.* Gregor. Lopez *l. 7. verb. Catholicos, tit:7. partit.6. & l.2. verbo De su*[illegible]*os, tit.26. partit.7.* Peña *in Director. Inquisit. par.2. comm.9.* Sanchez *in Decalog. lib.2. cap.24. a n.1.* Ricciul. *de Iure personarum, c. 28. à principio*: Farinacio *de Hæresi, quæst.9. nu. 84.* & Sanctarello *eod. tract. cap. 15. nu.1.* & addit Barbosa, cum Mench. *Illustrium cap.102. num.5.* hoc esse speciale in excommunicato propter Hæresim, cum quilibet alius habeat vtriusque testamenti factionem. 23

Probatur primò *ex textu in cap. Excommunicamus, §. Credentes, citato*: cuius verba paulò inferiùs reddam. 24

Secundò probatur *ex Constitutione* Nicolaï III. *sæpè recensita, §. 7.* ita statuente. Sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem. 25

Tertiò ex *cap. Cum secundum leges, el 19. de Hæret. in 6.* præfata infertur imposita pœna, cum ibi bona Hæreticorum confiscentur. De quo infrà redibit sermo, cum de confiscatione illorum egerimus. 26

Quartò

27 Quartò probare intendit Baſſæus *ex cap. Felicis, de Pœnis, libro 6.* ſed immeritò quidem, quia ibi Bonifacius Papa VIII. ſolùm agit de pœnis infligendis in ſequentibus, percutientibus, aut capientibus Cardinales, illos occidentibus, & aliis horum criminum reis, & eorum deſcendentibus,

28 Quintò, id probat noſter Sayrus *loco proximè recenſito, ex Authent. Credentes Codice de Hæreticis.*

§. VI.

De inhabilitate ad ſucceſſionem Hæreditatis.

BREVIARIVM.

Hæreditas.

Hæredes inſtitui non poſſunt, nec legatarij, Apoſtatæ a Fide, Hæretici, eorum Credentes, Deſenſores, Fautores, Receptatores, a n.29.

29 SExta pœna prædictis inflicta eſt, vt ad ſucceſſionem non accedant hæreditatis: ita Gloſſa *in cap. Excommunicamus, verbo Credentes:* Souſa, & Delbene, *locis vltimo redditis:* Baſſæus *tomo 1. verbo Hæredes, hæreditas, num.* 10. in hæc prorumpens verba. Inter eos, qui hæredes, vel legatarij inſtitui iure non poſſunt, numerantur Hæretici, & Apoſtatæ, eorúmque Credentes, Receptatores, Defenſores, & Fautores, ſi intra annum non pœnituerint; hinc hæredes Catholici poſſunt tales hæredes excludere, & ſi impediantur, vti adverſus eos occulta compenſatione, quia, Ius non habent. Hactenus ille: Vaſquez, *loco citato, dubio* 2. *num.* 122. Simanca, *tit.* 9. *num.* 124. *ex lege* 4. *titul.* 3. *parte* 6. *l. finali, tit.* 7. legum Regiarum *& ex Novella* 114. *de Samaritanis*, & recenſet Nevſanum, *conſil.* 73. & Quemadam, *quæſt.* 18. Leſſius *dicto lib.* 2. *cap.* 19. *dubitat.* 5. *num.* 50. Barboſa, *vbi proximè, num.* 34. *& ſeqq.* limitat tamen *num.* 33. hanc, & præcedentem pœnam, Hæretico reconciliato, nam per reconciliationem nanciſcitur vtramque teſtamenti factionem, quæ ſibi ſuffragatur, vt in futurum poſſit teſtari, & hæredes inſtitui: ita ille cum Sanchez *in Decalog. lib.*2. *cap.*14. *num.*40. & Ricciul. *de Iure perſonarum, cap.* 27. *num.*27.

Limitat ſecundò, in legato alimentorum, cuius Hæreticus capax eſt, quamvis cæterum relictorum ſit incapax: vti Bos *titulo de publicat. bonorum, num.* 72. Borgnin *tract. de vſufructu, numero* 238. Sordus *de aliment. titulo* 9. *quæſt.* 33. *num.* 7. 8. *&* 9. Sanchez *nu.* 41. Molina, *tract.*2. *diſput.* 154. *colum.* 2. *verſ. De Iure:* Sanctarello *tract. de Hæreſi, cap.* 15. *num.* 7. Ricciulus *dicto cap.*27. *num.*19. Machadus, *loco citato, num.* 13. vbi ita fatur. Finalmente, que dan tambien los Hæreges privados del Drecho de ſuceder, aſſi ab inteſtato, como ex teſtamento, de qualquiera donacion entre vivos. Hæc ille, *ex leg. Manichæos, §.* 1. *in fine, ex leg. Arianí, §. Cunctis, Cod. de Hæreticis.*

30 Statuitur hæc pœna in ſæpè recenſito *capite Excommunicamus, §. Credentes, de Hæreticis,* vbi ſic Concilium Generale Lateranenſe. Sit etiam inteſtabilis, vt nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat.

Statuitur etiam à Nicolao Papa III. in prææallegata Conſtitutione, *Noverit univerſitas veſtra, §. octavo:* ſub his, quæ ſequuntur verbis. Nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. 31

§. VII.

De ſeptima pœna inflicta Hæreticis.

BREVIARIVM.

Actor, Agere.

Apoſtata à fide, Hæreticus, eius Credens, Defenſor, Fautor, & Receptator in nullo negotio poteſt contra alium agere; debet tamen ei reſpondere, num. 32.

SEptima contra eoſdem infligitur pœna hæc, vt in nullo negotio teneatur quis eis reſpondere; ipſi verò aliis reſpondere coguntur: tenent Gloſſa citata *in cap. Excommunicamus, verbo Credentes,* Souſa *locis ſuprà recenſitis,* Simanca *tit.*46. *num.*57. ibi: nec audiendi ſunt in iudicio, ſi quid velint exigere Ioan. Bapt. Ventriglia *in Praxi rerum notabilium annot.* 2. *§.* 3. *num.*23. cum Farin. *tract. de Hæreſi, q.*189. *n.* 43. 32

Definitur *in capite Excommunicamus, §. Credentes, el* 23. *de Hæreticis*, ſub iſto verborum tenore: videlicet. Nullus prætereà ipſi ſuper quocunque negotio, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur, ſub eiſdemmet verbis ſtatuitur etiam iſta pœna à Nicolao Papa III. *in conſtitutione Noverit, citata* 5. Non. Martij. Anno 1280. 33

§. VIII.

De octava pœna privationis Iuriſdictionis inflicta Apoſtatis à Fide, Hæreticis, eorum Credentibus, &c.

BREVIARIVM.

Dominium.

Omni Dominio privati ſunt Apoſtatæ à Fide, Hæretici, &c. n.34.

Iuriſdictio.

Privantur omni Iuriſdictione Apoſtatæ, Hæretici, &c. n.34. 35.

OCtava pœna eſt, vt ſi præfati Iudices extiterint, nullæ ad eos perferantur cauſæ, & ſententiæ ab eis latæ, firmitatem nullam, aut robur obtineant: Gloſſa, & Souſa *locis citatis*, illa, *verb. Sit etiam inteſtabilis*, ibi: iſti enim (vt hîc patet) à quolibet actu legitimo repelluntur. Souſa verò, ibi: Omni actu legitimo privantur. Villalobos; *tom.*2. *tract.*1. *diffic.*11. *concl.* 2. ibi: Yes inhabil para las honrras... ni debe tener officio ni lugar honrrado. Simanca *de Cathol. Inſtitut. tit.*46. *n.*58. in hæc prorumpens, Hæretici Iudices eſſe non poſſunt, quia infames ſunt, & excommunicati, & omni Dominio, ac Iuriſdictione privati *cap. vlt. de Hæret. lib.*6. *l. vltima, Cod. de Iudæis, l.*2, *tit.*2. 34

K libro

libro legum novellarum Theodosij: hæc ille Azorius *part.1. lib.8. cap.13. q.3.* Barbosa *in cap. Excommunicamus, n.35 el 1. & 13. de Haret.* cum Ioan. Andrea, *n.15.* Hostiensi, *n.* 19. & Socin. *num.*19. omnes *in dicto cap.* & cum Deciano *tract. crimin. lib.3. cap.43. n.3. & cap.51. nu.* 79. Ricciul. *de Iure person. lib.5. cap. 20. n. 9. versic. Sicuti,* Sanctarello *tract. de Haresi, cap.25. n.11. in medio:* & addit Barbosa, cum eisdem Ricciul. & Sanctarel. *locis recensitis*, cum Maranta *de Ordine iud. par.4. distinct.*16. Rojas *singul.*88. *n.*3. processum coram Iudice Hæretico agitatum nullum esse pro iure: Ventriglia *d. n.* 23. cum Farin. *de Hæres. q.* 189. *num.* 49.

35 Hæc statuitur pœna in Concilio Generali Lateranensi, relato in sæpè sæpius repetito textu *in cap. Excommunicamus*, §. *Credentes el* 13. *de Hæreticis*, ibi: Quod si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Idem statutum, & sub eisdem omninò verbis, Nicolaüs Papa III. fecit in non semel recensita constitutione, *Noverit universitas vestra la 2. tom.1. Bullary magni Cherubini, pag. mihi* 181. §.10.

§. IX.

De pœna inflicta Advocatis Hæreticis, &c.

BREVIARIVM.

Advocati.

Advocati qui esse nequeant, n.36.
Ab advocati officio, & à patrocinio excluduntur Apostata à Fide, Haretici, eorum Credentes, &c. n.36. 37.

36 Nona, qua supradicti, puniuntur pœna est, quod si advocati fuerint, & causarum Patroni, eorum patrocinium nullatenus admittatur: ita docent Glossa *in dictum cap. Excommunicamus, verb. Credentes:* Ventriglia *vbi proximè*, cum Farinac. *n.*50. Ioan. Azorius *Instit. Moral. part.1. lib.8. cap.13. q.3.* Bassæus *tom.1. verb. Advocatus, sub n.* 1. vbi adnumerans plures, qui ab Advocati repelluntur officio, ex Iuris Canonici dispositione, ait: item cæci, infideles, excommunicati, infames, Hæretici, &c. Simanca *tit.46. allegato, n.*61. vbi reddit hanc potissimam rationem. Sunt enim (inquit) infames, & excommunicati, & nullum cum eis commercium debet esse Catholicis, *cap. Nulla officia, 54. distinct. cap. Infames, 6. quæst.1. cap. Alieni, 2. q.* 7. Hæc Pacensis Episcopus *loco reddito*, vbi allegat Brunum *libro 5. de Hæreticis, cap.* 9. Augustinus Barbosa *in cap. Excommunicamus, num. 26. el 1. & 13. de Hæreticis*, ex eo, & ex Authentica, *Credentes*, & recenset Sanctarell. *de Hæresi, cap. 25. n.11.* & Ricciul. *de Iure person. lib.5. cap.20. n.11. & 13.*

37 Hac pœna plectuntur Hæretici, & alij in dubij titulo recensiti *in capite Excommunicamus*, §. *Credentes*, & in Constitutione reddita Nicolaï Papæ, §.11. sub eodem tenore, videlicet. Si fuerit Advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur.

* * *

§. X.

De pœna, qua puniuntur Scribæ Apostatæ, &c.

BREVIARIVM.

Notarius.

Instrumenta per Hæreticum Notarium confecta, nulla sunt, n. 38. & seqq.
Notarius ad fidem rediens, exercere valet officium. num. 38.

Decima infligitur prædictis pœna si Scribæ, Tabellionésve fuerint, scripturæ per illos confectæ, nullam penitùs authoritatem habeant, & eidem damnationi subiiciantur, cui earum Authores: docent Glossa, *in cap. Excommunicamus, verbo Credentes:* citata, Azorius *par. 1. libro 8. cap. 13. quæst.* 3. Glossa *in capite Fraternitatis, verbo eodem in casus figuratione*, & *verbo Celestinus*, mox recensendum: Simanca, *num.*61. modo reddito Augustin. Barbosa, *in cap. Excommunicamus, num.* 37. cum Hostiensi, *ibi, num.* 10. Henricus, *num.* 10. Abbas *antiqua num.* 2. Ancharano, *num.* 3. Ioanne Andrea, *num.* 15. & Socinus, *num.* 39. Sed adnotat Barbosa eum Rojas *singul.* 98. *numero* 2. & Secacia, *de Iudic. cap.38. num.* 19. hanc pœnam esse intelligendam de instrumentis factis à Tabellionibus, postquam in Hæresim lapsi sint. Si verò ad Fidem redierint (addit) poterunt officium Notarij exercere, vt ex Riminal. Iuniore *consil.* 185. advertit Sanctarellus, *loco proximè citato.* 38

Hæc constituitur pœna à Concilio Lateranensi *in dicto capite Excommunicamus*, §. *Credentes*, & à Nicolao Tertio *in constitutione Noverit, allegata*, §. 12. sub iis, quæ sequuntur verbis. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius sint momenti, sed cum Authore damnato damnentur. Et vtrobique additur, & in similibus idem præcipimus observari. 39

Tandem priùs statuerat noster Gregorius Magnus pœnam *libro 7. Registri, epistola 47. indictio.* 2. Ad Anastasium Antiochenum Missa, & refertur, *capite 4. de Hæreticis:* quod sic lego. Fraternitati tuæ; & infrà: cum Celestinus, atque Pelagius in Ephesina Synodo sint damnati quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur Authores. Hæc Gregorius Papa I. Patriarchæ præfato rescribens, & non Gregorius Nonus, vt Mendosæ in aliquibus Codicibus adnotatur. 40

Et meritò scripturæ per Hæreticos, & alios supradictos confectæ fidem non habent authenticam, quia qualis, Author fuerit, talis eius opera præsumuntur, vti benè Glossa huius capitis *in casus formatione*.

* * *

§. XI.

§. XI.

De pœna privationis officij Procuratoris, &c.

BREVIARIVM.

Procurator.

Hæreticus nequit officium habere Procuratoris neque eius Defensor, Fautor, &c. n. 41.

41 VNdecima pœna est, vt Hæretici, & alij, de quibus in præsenti dubio, Procuratores esse nequeant: ita Azorius *d. quæst.* 3. Bassæus *tom.* 1. *verb. Procurator, n.*5. ibi: Non potest esse Procurator, furiosus, nec infamis, surdus, mutus, accusatus de crimine, servus excommunicatus, &c. Glossa *in cap. Excommunicamus, verb. Sit etiam intestabilis el* 15. *de Hæreticis*, quatenus dicit: isti enim (vt hîc patet) à quolibet actu legitimo repelluntur: Ioannes Calderinus *vbi supra* ibi: privantur honoribus, & officiis publicis: Simanca *de Catholicis institutionibus, tit.* 46. *de Pœnis, n.*61. vbi ita ait: Ad hæc Hæretici. Advocati, Tabelliones, aut Procuratores esse non queunt, nec omninò aliquod publicum officium gerere: sunt enim infames, & excommunicati, & nullum cum eis commercium debet esse Catholicis.

42 Hæc dubio procul, pœna infligitur à Concilio Lateranensi, & à Nicolao III. in his verbis, suprà recensitis: *& in similibus idem, præcipimus observari.*

§. XII.

De eo quod testificari non possint Apostatæ, Hæretici, &c.

BREVIARIVM.

Actor, Agere.

Apostata, Hæreticus, eius Defensor, &c. in nullo negotio potest agere in Iudicio, n.43.

Excommunicatio.

Excommunicati ab omnibus iudiciariis actis repelluntur, n.43.

Testis.

Nequit esse Hæreticus, Apostata, &c. nisi in causa Fidei contra alios Hæreticos, n.43.44.

43 DVodecima pœna præfatis inflicta, est vt testes esse non possint, & ad testimonia non admittantur: ita Bassæus *verbo Testis nn.* 1. *versic. Quinto*: cum Laymano *lib.*3. *tract.*6. *cap.* 4. Symanca *loco proximè reddito n.* 57. vbi sic ait: Hinc & illud est, quod Hæretici repelluntur, ab accusatione, ac testimonio, & ab omnibus iudiciorum actis, & omninò ab omni actione, nec audiendi sunt in iudicio si quid velint exigere: quia excommunicati sunt, & iuribus atque actionibus ipso iure privati: ita & Barbosa *in cap. In nomine, nu.* 13. *el* 2. *de Testibus, & attestat.* cum Rebuffo *tract. de reprobatione testium, num.* 226. Menochio *consil.*149. *n.*26. & Farin. *in Praxi criminali. q.*56. *n.*206. Glossa *in cap. Excommunicamus, verb. Credentes el* 1. *&* 13. *de Hæret.* & ibi Babosa *nu.* 27. cum Sanctarello *de Hæresi, cap.*52. *n.*11. *propè fin.* Ant. Sousa *in Aphor. Inquisit. lib.* 1. *cap.*22. *nu.*13. *cap.*23. *n.*25. *cap.*24. *n.*9. *& cap.*25. *n.*16. Testes tamen esse possunt, in Fidei causa, contra alios Hæreticos. Barbosa *in cap. Contra Christianos, n.*7. *el* 13. *de Hæret. lib.*6. & latiùs *in cap. In fidei favorem el* 5. *eod. tit. & lib.* Granad. *contr.* 1. *de Fide, tract.*15. *disp.*15. *n.*7.

Fundatur hæc iuris pœna *in cap. Fraternitati* 44
tna, & cap. Excommunicamus, §. *Credentes*, vbi expressè statuitur sub hoc verborum tenore: *Nec ad testimonium admittatur*: sub eodem infligitur à Nicolao III. *in Constitutione allegata*, §.6. *in can. Constituimus el* 109. *causa* 3. *q.* 5.

§. XIII.

De eo, quod emancipare nequeant Hæretici, &c.

BREVIARIVM.

Emancipatio.

Si filij, aut subditi per Apostatam, aut Hæreticum, &c. emancipentur, emancipatio nulla est, n.45. 46.

Eo ipso, quo Pater, aut Superior in Apostasiam, &c. incidant, filij, & subditi, sui Iuris efficiuntur, num. 45. 46.

TErtia decima pœna contra prædictos statuta 45
Hæreticos est, vt emancipatio filiorum, vel subditorum per eos facta, nulla existat: docent Glossa *in cap. Quicumque, verbo Desierint*, mox citandum: Thomas Delbene *de Parlamentis, dubio* 4. *subsect.*31. *excorollar.* 7. *subcorollario* 3. *numero* 7. Ioannes Bapsista Lezana *tomo* 2. *part.*3. *verb. Hæresis, nn.* 6. ibi: privationem patriæ potestatis in filios: Simanca *vbi proximè, nu.* 74. ibi: nam propter Hæresim patris, efficiuntur filij sui iuris, quod etiam docet Barbosa *in cap. Absolutos, n.*13. *&* 16. *& finale de Hæret.* vbi plures, de more Doctores allegat.

Alexander Papa IV. hanc statuit pœnam *in* 46
cap. Quicumque, §. *Illorum el* 2. *de Hæret. lib.* 6. in hæc prorumpens verba. Illorum autem filiorum emancipationem, quorum parentes post emancipationem, etiam huiusmodi apparuerit ante ipsam, à via veritatis, ad Hæreticæ superstitionis invicem declinasse, nullius volumus esse momenti, velut factam de hominibus sui iuris: cum dignum sit, vt propter tanti atrocitatem delicti, filij esse in parentum Hæreticorum desierint potestate. Hactenus Alexander, Nicol. III. *in const. Noveris la* 2. *tom.* 1. *Bullar. pag.*181. §.21. sic decernit. Illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem huiusmodi ad invium superstitionis Hæreticæ à via declinasse constiterit veritatis.

§. XIV.

A quavis obligatione absolvuntur debitores Hareticorum, &c.

BREVIARIVM.

Custodes.

Artium custodes liberantur à iuramento fidelitatis Domino Haretico promisso, n.48.

Debitum coniugale.

Solvere non tenetur vxor, viro Haretico, n. 47.

Debitum Fidelitatis.

Debito fidelitatis, & omni alio, quo in Haresim lapsis quis tenetur, absolvitur, n. 47.

Depositarius.

Rem depositam reddere non tenetur deponenti in Haresim lapso, sed fisco petenti, n.48.

Filius.

Sui Iuris efficitur per Patris Haresim, n.47.

Obligatio.

Omni obligationi Iuramenti, pactionis, &c. qua quilibet Haretico obstringitur, liber manet, & absolutus, ob illius Haresim, n.47.

Servi.

Per Domini Haresim, à Dominio eius liberantur, num. 48.

Solutio.

Qui aliquid alicui solvere debet certa die, etiam sub iuramento in pœnam non incidit, aut culpam, si non solvit postquam creditor est in Haresim lapsus num. 47.

Testamentum.

Testare non potest Hareticus pro filio impubere, nec illum heredem substituere, n.47.

Vassalli.

Liberantur à Fidelitate Domino promissa, per lapsum eius in haresim, n.48.

47 QVarta decima pœna, cui Hæretici obstringuntur, est vt omnes, qui eis aliqua obligatione ius iurandi, sive fidelitatis, sive obsequij, sive alterius pactionis, & promissionis obstringuntur, ab ea omninò liberi maneant, & absoluti ita tenent Glossa *in cap. final. de Haret. in casus figuratione, verb. Absolutos, & verb. Aliquo pacto*: Machadus *tom.2. lib.2. par.2. tr. 2. docum.5. n.* 8. Simanca *d. tit.46. n.73.* Caldetinus *tract. de modo procedendi contra inquisitos, de Haresi, n.5.* & Azorius *par.1. lib.* 8. *cap.13. in princ.* vnde filij (addit Doctor iste) sui iuris efficiuntur, & proindè pater Hæreticus non potest pro filio impubere testari, nec eum hæredem substituere: Catholica vxor Hæretico viro debitum reddere non cogitur *cap. vlt. de Haret. cap. Compelluntur, cap. De illa, de Divort.* Hæc Azor. Glossa autem allegata *verbo Aliquo pacto*, sic infert. Ergo si sub pœna aliquis tenetur eis aliquid solvere certa die, licet non solvat, non incidit in pœnam: & eodem modo, si per iuramentum, quod est verum: quia in illa obligatione, & iuramento tacitè subintelligitur: si talis permanserit, cui communicare liceat 22.*q.*2. *Ne quis arbitretur, ff. de solut. cum quis*, 1. *respons. supra de iureiurando, Quemadmodum: & supra eod. Excommunicamus, §. Credentes.* Hucvsque Bernardi Glossa. Accinit Ventriglia *in Praxi rerum notabilium, annot.2. §.3. n.24. & seqq.*

Statuitur hæc pœna Hæreticis à Gregorio Papa IX. *in cap.16. & final. de Haretticis*, sub ista verborum seriè: videlicet. Absolutos se noverint à debito fidelitatis hominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in Hæresim, aliquo pacto quacumque firmitate vallato, tenebantur adstricti. Ex hac Gregoriana Decretali, plura Simanca *loco citato* infert. Quod is apud quem Hæreticus quippiam deposuerat, non teneatur post manifestam Hæresim depositam rem illi reddere; sed Fisco petenti. Quod custodes arcium, & vassalli, liberati sint à iuramento, quo Domino fidelitatem promiserant. Quod vxor Catholica Hæretico viro debitū reddere non teneatur. Et quod Hæreticus sit privatus Dominio naturali, quod habet in filios: nam propter patris Hæresim, sui iuris efficiuntur filij. Dominio etiam civili, quod habet in servos: quia ab eo servi propter Domini Hæresim liberantur. Et tandem quod sit Dominio privatus politico infert; ab eo scilicet, quod rerum Domini habent in subiectos. Accinit Barbosa *in dicto cap. Absolutos final. de Hareticis*, vbi cum pluribus, quos recenset Doctoribus, quod Simanca docet. Quod filij statim desinant esse sub potestate Patris, Naldus *verb. Haresis, n.* 1. 48

Pro hac pœna allegat, Machadus, *legem Ariani, Cod. de Hareticis*: executioni tradidit hanc pœnam Innoc. IV. *in cap. Ad Apostolica, el 2. de re Iudic. lib.* 6.

§. XV.

De pœna carceris perpetui, Hareticis conversis inflicta.

BREVIARIVM.

Credentes.

Hareticorum Credentes, Haretici etiam sunt, numero 49.

Hæretici.

Ad pœnitentiam redeuntes, perpetuo carceri mancipantur, n.49. & seqq.

Simonia.

Simonia haresis dicitur, n.54.

Simoniaci recipientes, & recepti ad Religionem per simoniam de suo Monasterio expellantur in locum arctioris Regula ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudendi, sive viri, sive fœmina, numero 50. 52.

Simoniace ordinatus, degradatur, & in Monasterio sub perenni pœnitentia retruditur, n. 51.52.

QVinta decima pœna, cui supradicti subiecti existunt Hæretici, est vt redeuntes ad pœnitentiam, perpetuò mancipentur carceri: Gloss. *in cap. Sicut*, mox allegandum, *verbo Deprehensi: & in cap. Excommunicamus, verbo Potestatibus, el 13. de Hareticis*: Barbosa *in cap. Excommunicamus, num. 7. el 2. & 15. de Hareticis*: vbi ait, quod hæc pœna gravissima reputatur, & capituli æqualis habetur, & propterea indicenda non est, nisi pro enormi delicto: ita ille cum Bernardo, Salzedo *in Practica cap.*139. Menochio *de Arbit. lib.1. q* 89. Eman. Roderiq. *tom. qq. Regular. q.22. art.* 4. 49

Hac

Hac plectuntur pœna à Gregorio Papa Nono *in cap. Sicut, §. final. el 14. de Hæreticis*, in hæc prorumpens verba. Videlicet. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, Hæreticos similiter iudicamus. Hactenus Gregorius, in Decretali reddita.

50 Eadem statuitur pœna ab Innocentio Papa Tertio, in Concilio Generali lateranensi relato, *in cap. Quoniam, el 40. de simonia*, contra regulares vtriusque sexus recipientes, in Monachos, Fratres, aut Sorores, per simoniam, & etiam contra ipsos receptos. Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit (ait Innocentius) vt vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu, volentes huiusmodi paliare vitium: ne id de cœtero fiat, penitus prohibemus: statuentes, vt quæcumque de cœtero talem commiserint prauitatem, tam recipiens, quàm recepta, siue sit subdita, siue Prælata, sine spe restitutionis de suo Monasterio expellatur, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam retrudenda. Et infrà, paucis interiectis addit: Hoc etiam circa Monachos, & alios Regulares decernimus obseruandum. Ita Conciliare Decretum: hîc aduertere oportet clausulam sine pretio, per quam certe non prohibetur receptio Elemosynæ, quæ vulgo dicitur dote: Hæc enim permittitur à S. Congregatione, vti videbimus *disq. 6. dub. 23. num. 12. & 36.*

51 Cui consunat Canon, *Reperiuntur causa 1. quæst. 1. el. 107.* in quo D. Ambrosius sic. Quòd si aliquis extiterit, qui accuset; ille qui hunc ordinem inunctum fuerat datione lucratus, & suscepto honoris gradu priuetur, & in Monasterio sub perenni pœnitentia retrudatur.

52 Quæ quidem Decreta ideò sunt sub prædicta pœna facta, vti obseruat Bernardi glossa *in dictum caput. Quoniam, verbò Perpetuam, & in cap. Sicut, verbò Deprehensi*, quia Simonia dicitur Hæresis, *can. Sed licet, caus. 6. quæst. 1.* & Simoniaci censentur Hæretici, ibidem & *can. Reperiuntur*, citatus.

§. XVI.

Traduntur Brachio Sæculari Hæretici &c.

BREVIARIVM.

Hæretici.

Hæretici à Iudice damnati Ecclesiastico, brachio traduntur sæculari, iuxta ciuiles puniendi leges; num. 53. 54.

55 DEcima Sexta, qua plectuntur supradicti pœna, est vt per Iudices Ecclesiasticos damnati, sæculari tradantur brachio iuxta ciuiles leges puniendo. Ita Ioann. Calderinus, *tract. de Hæreticis, cap. 18. num. 8.* Barbosa, *in cap. Excommunicamus, num. 1. el 15. de Hæreticis*. Cum Abbantiq. Innocentio, Zabarella, Ioanne Andræa Anamia Hostiens, Butrio, Anchar, Panormitano, Felino; Mar. Socin. Viuiano, *in Rationali lib. 5. Iuris Pontificy pag. 82.* Alagona, *in compendio Iuris Canonici pag. 684.* & Ximenez *in concordi p. 1. & 2.* Ioannes Bapt. Venttiglia *in Praxi rerum notabilium, annotat 2. 6. 3. num. 4.* Cum Gloss. *in cap. Ad abolendam, verbo Secundò statuit, & verbò Si verò, & verbo Relinquatur.*

Ita deffinitur à Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio Papa Tertio, & eius refertur Decretum *in cap. Excommunicamus, §. Damnati, el 13. de Hæreticis*, vbi sic lego. Damnati verò (scilicet de Hæresi) præsentibus sæcularibus Potestatibus, aut eorum Balliuis relinquantur animaduersione debita puniendi. Decernitur etiam à Gregorio Papa Nono *in cap. Excommunicamus el 2. & 15. dicti tituli*. Sub hoc tenore Damnati verò per Ecclesiam, sæculari iudicio relinquatur, animaduersione debita puniendi. 54

§. XVII.

Iure cohabitandi cum coniungibus & debitum exigendi priuantur Hæretici.

BREVIARIVM.

Cohabitatio.

Iure cohabitationis cum coniungibus priuantur Hæretici, num. 55.

Debitum coniugale.

Iure exigendi debitum coniugale priuantur Hæretici, etiam post reconciliationem, n. 55.

Post reconciliationem potest illud exigere; sine violentia tamen, n. 55.

Diuortium.

Propria ex authoritate potest vxor vti diuortio, statim ac eius vir Hæreticus per sententiam declaratur, num. 55.

Si ad Fidem vir redierit post sententiam, potest vxor, si vult ad eum accedere, sed non tenetur, nisi ab eo discesserit propria ex authoritate; n. 55.

DEcima septima Hæreticorum pœna est, vt si publicè Damnati reconcilientur, remanent priuati iure cohabitandi cum coniugibus suis, & debitum ab eis coniugale petendi. Docent Axorius, *parte 1. institut. moral. lib. 8. cap. 17. versiculo Sed illud*, Diana, *part. 6. tract. 7. resolut. 25.* cum Hurtado de Mendoxa, *de Fide, volum. 1. disp. 76. sect. 7. §. 206. & 207.* Bauny, *tract. 12. de obligation. coniug. q. 2.* Tragoso, Henriquez, Layman, Sanctarelso, Fagundez, Filliucio, & Pontio, *de Matrimonio, lib. 9. cap. 22. num. 3.* Ægidius Coninchus *de Censuris, disp. 35. dub. 4. num. 24.* Thomas Sanchez, *de Matrimonio, tom. 3. lib. 10. disp. 15. num. 9. & 19.* Barbosa, *in cap. de illa, num. 4. el 6. de diuortiis*, cum Castro *de iusta Hæreticorum punitione, lib. 2. cap. 7.* Couarr. *de Sponsal. part. 2. cap. 7. §. 5. num. 5.* & alio Barbosa, *in Aubric. ff. Sol. matrim. p. 2. num. 21. & 22.* Noster Iacobus de Graffis *in decisionib. aureis, q. 1. lib. 2. cap. 84. num. 16. pag. mihi 244.* Consultò diximus: *Si publicè damnati*: quia data sententia Iudicis Ecclesiastici, qua declaretur aliquem esse Hæreticum, eo ipso erit integrum eius vxori, omnino diuertere, absque alia separationis sententia. Et non retenetur ampliùs redire ad eum, etiam redeuntem ad fidem, secus si propria ex authoritate discesserit. Ita Graffis, & Aug. Barbosa, cum Castro, & Couarr. Notentur verba: *erit integrum eius vxori*; & *non tenetur ampliùs redire ad eum*, ex quibus fit, licere vxorem redire, si velit; In quo casu licebit & viro debitum petere in conscientiæ foro, dummodo violentia in exactione non vtatur. 55

§. XVIII.

Proscribuntur, & relegantur Haeretici, &c.

BREVIARIVM.

Exilium.

Exilio mancipantur perpetuo Heretici, &c. numer. 56.

56 Decima Octaua poena Haereticis Credentibus, Receptatoribus, & Fautoribus eorum inflicta, est, proscriptio, relegatio, seu in exilium perpetuum missio. Ita docet Ioannes Azotius, *Institutionum Moralium, parte* 1. *lib.*8. *capite* 15. *quaest.*9. *colum. mihi* 877. cum Zanchioo, *tract. de Hereticis, cap.*17. *num.*4.

§. XIX.

Infligitur bonorum amissio, publicatio, Haereticis, &c.

BREVIARIVM.

Bona.

Hereticorum, &c. bona amittuntur, n. 51. *& seqq.*
Si Clerici illi fuerint, applicantur Ecclesiis, a quibus stipendia acceperunt, n. 59.

Clericus.

In heresim lapsus, degradatus à suis ordinibus, brachio traditur seculari puniendus, n. 59.

Confiscatio.

Quecumque Heretici bona, mobilia, immobilia & se mouentia confiscantur, n. 57. 58. 60.
Confiscationem non euadunt per poenitentiam Heretici, num. 57.
Possunt tamen eius bona ex misericordia principis, cui sunt acquisita, condonari, n. 57. 58.
Ad confiscationem bonorum Heretici, procedi potest post eius mortem, infra 40. *annos, sed non postea*, num. 57.

Exhaeredatio.

Hereticorum, Credentium, &c. & reorum criminis lesae Maiestatis filij, exheredantur, n. 58.

Laesae Maiestatis Crimen.

Diuina, & humana Maiestatis Lesa crimen perpetrantis & eorum filij, amisso infligitur bonorum omnium, 58.

57 Decima nona poena, & confiscatio, & amissio bonorum, eorum publicatio. Machadus, *tom.*1. *lib.*2. *part.*2. *tract.*2. *docum.*5. *num.*6. in haec prorumpens. Delas poenas temporales disquestas contra los Hereges, la primera es confiscacion de los bienes todos. Vporque los hereges como agenos dela vida eterna temen mas la perdida de los bienes temporales, que la de los eternos assi los Emperadores, y Reyes Catholicos, como los Pontifices por varios Decretos tienen dispuesta esta pena contra ellos. Haec ille, & prius Ioannes Andreas, *in Summario capitis cum secundum, el* 19. *de Hereticis, lib.* 6. & ibi Glossa, *verbo Ipso iure*, Simanca, *de Catholicis institutionibus tit.*9. *de bonis Hereticorum, num.* 7. *col. mihi* 19. Gabriel Vasquez *tom.*2. *in* 1, 2. *disputat.* 169. *cap.*1. *num.*2. *iuncto* 1. Azorius, *part.*1. *lib.*5. *cap.*7. *quaest.*8. Thomas Delbene, *de Parlamentis dub.* 4. *subsect.* 31. *ex corollario* 7. *subcorollario* 3. *num.* 5. Becanus, *tr. de virtutib. Theolog. cap.*15. *q.*5. cum Valentia, *tom.*3. *q.*11. *punct.*3. Barbosa, *in cap. Vrgentis an.* 1. *el.* 10. *de Hereticis* (vbi *num.*24. notat, quòd Haereticus per poenitentiam non euadit poenam confiscationis bonorum; ex misericordia tamen Principis, cui sunt acquisita, bene posse Haeretico poenitenti condonari, vti ex Italiae generali condonantur consuetudine. *Et in cap. Accusatus, num.*32. *el.*8. *de Hereticis, lib.* 6. quòd infra quadraginta annos post Haeretici mortem procedi potest etiam ad confiscationem bonorum, & non postea. Quae omnia plurium fulcit Doctorum authoritate). Nauarr. *tom.*2. *consilior lib.* 5. *tit. de Hereticis, consil.*18. *n.*2. Ioannes Bapt. Ventriglia, *in Praxi rerum notabilium, annotatione* 2. §. 3. *n.*28. Granadus, *controu.*1. *de Fide tract.* 15. *disput.* 5. Gordonus, *in Theolog. Morali, tom.*2. *lib.*6. *q.*12. *cap.*26. *num.*73. Bona omnia confiscari Haeretico, mobilia, immobilia, & se mouentia, iura quoque, & actiones, & iura sepulchrorum, vti ait Simanca, *ex cap. Cum secundum, de Hereticis, lib.* 6. *l. bonorum, & l. mouentium de verborum significatione l.*1. §. *interdum, ff. de suis & legitimis heredibus.* Haec poena afficit, & credentes, & Fautores Haereticorum, Apostotas & Schismaticos, Ventriglia *dicta num.* 78.

58 Infligitur Haereticis ista poena, imò & eorum filiis ab Innocentio Papa Tertio *in cap. Vrgentis, el* 10. *de Hereticis*, vbi in hanc prorumpit sententiam. Videlicet, in terris verò temporali nostrae iurisdictioni subiectis, bona Haereticorum statuimus publicari: & in aliis idem praecipimus fieri per Potestates, & Principes saeculares: quos ad id exequendum (si forte negligentes extiterint) per censuram Ecclesiasticam appelatione remota compelli volumus, & mandamus. Nec ad eos bona eorum vlteriùs reuertantur, nisi eis ad correuertentibus, & ab negantibus Haereticorum consortium, misereri aliquis voluerit: vt temporalis saltem poena corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cum enim secundùm legitimas sanctiones, reis laesae maiestatis punitis capite, bona confiscentur eorũ, filiis suis vita solummodo ex misericordia conseruata: quanta magis qui aberrantes in Fide Domini Dei Filium Iesum Christum offendunt: à capite nostro, quòd est Christus, Ecclesiastica debent districtione praecidi, & bonis temporalibus spoliari; cum longe sit grauius aeternam, quàm temporalem laedere Maiestatem. Nec huiusmodi seueritatis censuram, orthodoxorum exhaeredatio filiorum quasi cuiusdam miserationis praetextus, debet vllatenus impedire: cum in multis casibus (etiam secundùm diuinum iudicium) filij pro patribus temporaliter puniantur: & iuxta canonicas sanctiones, quandoque feratur vltio, non solùm in auctores scelerum, sed etiam, in progeniem damnatorum.

Haec omnia Innocentius Tertius in Decretali praefata, qui etiam in Concilio lateranensi eandem contra Haereticos edidit Constitutionem, relatam in cap. *Excommunicamus*, §. *Damnati, el* 13. *de Hereticis*, sub hoc tenore. Damnati verò, praesentibus saecularibus potestatibus, aut eorum balliuis relinquantur animaduersione debita puniendi: Clericis priùs à suis ordinibus degradatis: ita quòd bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur; si verò Clerici applicentur Ecclesiis

„ Ecclesiis à quibus stipendia receperint. Hacte-
„ nus Consiliare Decretum.

Bonifacius etiam Octauus, *in cap. cum secundum, § aut rerum, el 19. de Hæreticis lib. 6.* sic sta-
„ tuit. Roma Hæreticorum (qui grauiùs, horribi-
„ liùs, ac detestabiliùs, quàm prædicti delinquunt)
„ ipso iure, de Fratrum nostrorum consilio decerni-
„ mus confiscata.

§. XX.

Degradationis pœna plectuntur Clerici Hæretici.

BREVIARIVM.

Degradatio.

Degradatio realis, quibus vocatis fieri debeat ab Epistola, num. 61.

Degradationis Realis pœnam incurrit Clericus in Hæresim incidens, pertinax, vel relapsus. n. 61.

Hæreticus.

Degradatus, iudici sæculari traditur puniendus, num. 61.

61 Vigesima pœna contra Clericos Hæreticos, statuta, est degradatio. Sic enim Gregorius Papa Nonus, *in cap. Excommunicamus el 1. & 15. de Hæreticis*, decreuit. Damnati verò per Ecclesiam, sæculari iudicio relinquantur animaduersione debita puniendi, Clericis, priùs à suis Ordinibus degradatis. Simanca *tit. 46. num. 69.* ait: quod si Clericus in Hæresim incidat, & pertinax sit, relapsus, vel impœnitens degradandus est, & Iudici sæculari relinquendus. Tunc autem realis degradatio, siue resecratio fieri debet ab Episcopo loci Ordinario conuocatis Abbatibus, aliisque Prælatis, & Religiosis, ac Doctis viris. Hæc Pacensis, Barbosa, *indict. cap. Excommunicamus, n. 1.* cum pluribus, quos recenset.

§. XXI.

Deponuntur Hæretici Clerici ab officio, & beneficio.

BREVIARIVM.

Depositio.

Apostatis Hæreticis, &c. infligitur ab omni beneficio, dignitate, & officio, n. 62. 63.

62 Vigesima prima pœna contra Hæreticos Clericos, est, ab omni officio, & beneficio depositio. Ita tenent Glossa, *in cap. Excommunicamus, el 1. & 13. de Hæreticis*, verbo, *Credentes*, Lezana, *tom. 1. verbo Hæresis, num. 8.* Machadus, *Enel perfecto Confessor, y cura de Almas, tom. 1. lib. 2. part. 2. tract. 2. documento 5. num. 4.* Bassæus *verbo, Beneficium, VII. n. 3.* Ventriglia, *mox citandus.*

63 Infligitur hæc pœna, *in cap. Excommunicamus recensito*, 3. *Credentes*, per hæc verba: si verò
„ Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio de-
„ ponatur: vt in quo maior est culpa, grauior exer-
„ ceatur vindicta. Beneficia per Hæresis crimen vacantia Sedi Apostolicæ reseruatura Pio V. in Bulla 29. & Gregorio XIII. in Bulla 66. apud Cherubinum, *tom. 2. pag. 212. & 446.* imò à qualibet dignitate etiam Imperiali, & Papali deponi debet Hæreticus. *cap. Ad Apostolica, el 2. de sent. & re indicata*, iuncta Glossa, *verbo, Hæresis, lib. 6.*

§. XXII.

Pœna inhabilitatis, ad officia, & beneficia plectuntur Hæretici, vsque ad 2. generationem.

BREVIARIVM.

Beneficia.

Ad nullum beneficium, aut officium admittuntur Hæretici, & eorum descendentes, vsque ad secundam generationem, n. 64.

Limitatur hæc pœna in Hæreticis pœnitentibus: & in linea fœminea ad 1. tantùm extenditur generationem, n. 66.

Inhabiles redduntur ad illa, & alia obtinenda, n. 68.

Inquisitores.

Facultatem habent priuandi, & declarandi beneficiis, dignitatibus, & officiis, Hæreticos, &c. numer. 67.

Ordinarius.

Diœcesanus, & eius vicarius facultatem habent priuandi Beneficiis &c. Hæreticos &c. & eos declarandi, num. 67.

Vigesima secunda pœna inflicta Hæreticis, 64
Credentibus, Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus eorum est, vt tam ipsi, quàm eorum filij vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, aut officium admitti queant; si secus autem actum fuerit, irritum erit, & inane. Docent Bassæus, *verbo Beneficium VII. n. 3.* Machadus, *vbi proximè n. 3.* Ioan. Bapt. Ventriglia; *in Praxi rerum notabilium, annotat. 2. §. 3. n. 2.* Azorius, *part. lib. 8. cap. 13. quæst. 8.* Delbene, *de Parlamentis, dub. 4. subsect. 31. excorollario 7. subcorollar. 3. n. 8.*

Statuitur, hæc pœna ab Alexandro Papa IV. 65
in cap. Quicumque, el 2. de Hæreticis, lib. 6. sub hoc tenore. Hæretici autem, Credentes, Receptato- „
res, Defensores, & Fautores eorum, ipsorúmque „
filij vsque ad secundam generationem ad nullum „
Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum „
admittantur. Quòd si secus actum fuerit, decer- „
nimus irritum & inane. „

Hanc Decretalem declarauit Bonifacius octa- 66
uus, *cap. 15. eod. tit. & libro* dicens, Statutum fe- „
licis recordationis Innocentij, & Alexandri præ- „
decessorum nostrorum; ne videlicet Hæretici, „
Credentes, Receptatores, Defensores, & Fauto- „
res eorum ipsorúmque filij vsque ad secundam ge- „
nerationem, ad aliquod beneficium Ecclesiasti- „
cum, seu publicum officium admittantur; quòd „
si secus actum fuerit, sit irritum; & inane. Pri- „
mum, & secundum gradum, per paternam lineam „
comprehendere declaramus; per maternam verò, „
ad primum duntaxat volumus hoc extendi. Hoc „
sanè de filiis, & nepotibus Hæreticorum Creden- „
tium, & aliorum huiusmodi, qui tales esse, vel „
tales etiam decessisse probantur, intelligendum „
esse videtur; non autem illorum, quos emanda- „
tos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ „
vnitati, & pro culpa huiusmodi ad mandatum „
Ecclesiæ pœnitentiam recepisse quàm ipsi vel iam „
perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius in- „
sistunt;

sistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem. Hæc omnia Bonifacij Constitutio.

67 Ipse Bonifacius *in cap. Vt commissi, §. Priuandi, el 12. dicti tituli, & libri*, Inquisitoribus prout sequitur, concessit. Priuandi præterea, vel priuatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis, de Diœcesanorum, vel eis absentibus, vicariorum suorum concilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuscúmque, eosdem Hæreticos Credentes, Receptatores, & Defensores ipsorum, eorumque filios, & nepotes plenam concedimus facultatem.

68 Istam, & immediatè præcedentem statuit pœnam Nicolaus III. *in constitutione sua*, apud Cherubinum, *tom. 1. Bullarij, pag. mihi* 181. incipit, *Nouerit vniuersitas vestra*, §. 21. dicens. Hæretici autem, & Receptatores, Defensores, & Fautores eorum, ipsorúmque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium admittantur; quòd si secus actum fuerit decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficiis acquisitis: volentes vt tales & habitis perpetuò careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur. Edidit hanc Constitutionem, 5. *Non Martij de Anno* 1280. sui Pontificatus, Tertiò, post Alexandrum quidem Quartum, & ante Bonifacium Octauum.

§. XXIII.

Irregularitate Laborant Hæretici.

BREVIARIVM.

Abiurare.

Debent abiurare Hæreses, & Hæresiarchas qui ad Ecclesiam reuertuntur de illorum sectis. n.71.

Irregularitas.

Rebaptizatus irregularitatem contrahit indipensabilem, 71.

Irregularitatis permittitur dispensatio, dummodo irregularis rebaptizatus non sit, n.71.

Irregularis, Beneficij incapax est, n.69.

Irregularitatem incurrunt Hæretici, n.69.

An autem soli Hæretici publici, an autem etiam secreti, controuersum est, n.69.

69 Vigesima tertia pœna inflicta, irregularitas est. Docent noster Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 1. disp. 5. quæsito 22. num.* 52 Lezana, *verbo Hæresis num.* 8. *& verbò Irregularitas, num.* 61. Bassæus, *tom. 1. verbo Hæresis n.* 19. *versic. Secunda, & verbo Irregularitas X. num.* 1. noster Iacobus Graffis, *in decisionib. aureis part. 1. lib. 4. cap. 27. num.* 64. Michadus, *vbi suprà, documento 5. num. 1.* Castrus Palaus, *tom. 1. tract. 4. disp. 4. puncto. 5. num. 2.* dicens. Distinguendum censeo de Hæresi occulta, vel publica: si Hæresis publica sit, certum est Hæreticam irregularem esse, ac proinde incapacem beneficiorum Ecclesiasticorum, si dispensatus non sit; si autem Hæresis occulta fuit, cum probabile sit ex illa non oriri irregularitatem, etiam censeo probabile, neque inhabilitatem ad beneficia obtinenda oriri. Bassæus auté, quòd etiamsi Hæresis sit occulta, irregularitatem incurri docet, dũmodo exterius sit prolata.

70 Pœna ista infligitur *in canone, Si qui Presbyteri, el 1. causa 1. quæst. 7.* ex D. Cypriano, ad Stephanum, desumpto, vbi sic habetur. Si qui Presbyteri, & Diaconi in Ecclesia Catholica priùs ordinati fuerint, & postmodum, perfidi, & rebelles extiterint, contra Ecclesiam, vel apud Hæreticos à Pseudo Episcopis, & Antichristis, contra Christi dispositionem, profana ordinatione promoti sunt, & contra Altare, atque diuinum verbum sacrificia foris falsa, & sacrilega offerre conati sunt: eos quoque hac conditione suscipi conuenit, cum reuertuntur, vt communicent laicis, & satis habeant, quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint: nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerunt.

In canone Saluberrimum, el 21. ead. causa & quæstione, ex Epistola Cyrili ad Maximum, Antiochenum Diaconum Missa, desumpto, hæc irregularitatis pœna etiam infligitur, & dispensatio permittitur, dummodo rebaptizati non fuerint: vel ad subuersionem Fidei Hæreticis non adhæserint, vti interpretatur ibi Glossa, verba igitur Cyrili, huiusmodi sunt. Saluberrimum enim, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue Presbyteri, siue Diaconi, siue Subdiaconi, aut cuiuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videre volunt, atque ad Catholicam Fidem, quam pridem amiserant, rursum reuerti ambiunt, priùs errores suos, & ipsos authores erroris à se damnatos sine ambiguitate fateantur: & sensibus prauis etiam peremptis, nulla desperandi supersit occasio: nec vllum membrum talium possit societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obuiare, circa quos etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, vt in magno habeant beneficio, si adempta, sibi omni spe promotionis, in quo inueniuntur ordine, stabilitate maneant perpetua; si tamen iterata vnctione non fuerint maculati. Hactenus in canone illo. 71

Hæc eadem pœna statuitur etiam extra *in cap. Quicumque, el 2. in cap. Statutum, el 15. de Hæreticis, lib. 6. & in Constitutione, Nouerit vniuersitas vestra*: quorum tenores, ad pœnam præcedentem probandam, modò recensui.

§. XXIV.

Immunitate Ecclesiæ priuantur Hæretici.

BREVIARIVM.

Assassini.

Immunitate Ecclesiæ non gaudent, n.74.

Exceptio.

Vbi crimen non excipitur, nec persona delinquentis excipitur, num.78.

immunitas Ecclesiæ.

Hæreticus non gaudet immunitate in casu Hæresis, num.73. 74. 75.

Secus in aliis a num.76.

Immunitatem Ecclesiis Hispaniæ concessit Gundemirus Gothorum Rex, excepit tamen ab ea Hæreticos, latrones, Proditores, n.73.

Immunitate Ecclesiæ, qui non gaudeant, ex Gregorij XIV. constit. n.74.

Lex immunitate priuans Ecclesiastica formaliter intelligi debet, ita vt priuet ob delictum in ea expressum, & non ob alia, n.76.

Opinio.

Quæ Ecclesiæ fauet opinio, probabilis, omni alia contraria relicta, sequi debet, n.77.

Vigesima

72 Vigesima quarta pœna inflicta est, vt immunitate non gaudeant Ecclesiæ Hæretici ad eam confugientes. Hanc tenet Iacobus Simanca, *in Institutionibus Catholicis, tit. 46. de pœnis, n. 65.* vbi allegat D. Augustinum, *Epist.* 28. Ad D. Hieronymum, Gonsalum, *de Haret. prauit. quæst.* 11. Hyppolitum, *in l. ex Senatus consulto, ff. ad legem Corneliam, de sicariis* Boherium, *decis.* 110. Remigium de Gonni, *de immunitate Ecclesiarum, fallentia* 18. Couarruuiam, *lib. 2. resolution. cap. vlt.* Petrum Medina, *lib. de Memorabilibus Hispania, cap.* 18. quibus addit Delbene, *de immunitate, tom. 2. cap. 16. dub. 10. sect. 4. n. 5.* Oldradum, *consil.* 54. Nauarru. *cap. 25. num.* 20. Clarum, *§. fin. quæst.* 30. Peregrinum, *cap. 8. numer.* 13. Gambacurtam, *lib. 7. cap. 3. num.* 6. Tannerum, 2. 2. *disput. 15. quæst. 8. dub. 1. num.* 16. Bobadilla; *tom. 1. lib. 2. cap. 14. num.* 54. Gigantem, *de crimine Læsæ Maiest. lib. 3. quæst. 93. numer.* 18. Curtellium, *quæst.* 29. Decianum, *tract. crimin. lib. 6. cap. 26. num.* 4. Sarpum, *de Iure Asylorum, cap. 5. fol.* 60. & Ambrosinum *de immunitate cap. 8. numer.* 9. Tenet, & Barbosa *in cap. Inter alia, numer. 51. el 6. de Immunit. Eccles.* cum Sayto, *Claui, Regia, libro 9. cap.* 15. Bonacina, *de legib. disput. 3. quæst. 7. §. 3. num.* 3. Diana, *part. 1. tract. 1. de immunit. resol.* 29. & pluribus aliis. Et videndos recenset Simanca, Abulensem Præsulem, Alphonsum, Tostatum, *exodi 22. quæst. 16. & Iosue, 20. quæst. 3. cum seq.* Catell. Cottam, *in memorabilibus verbo, Asylum,* Alciatum, *lib. 3. præsumptionem, cap.* 33. & *lib. 7.* Parergon. *cap.* 6. & Corasium *l. 5. Miscelana, cap.* 23.

73 Pro sua sententia formanda, præter allegationem doctorum, quos ex eo recensuimus allegat legem vnam Hispaniæ, & duas canonicas, in hæc, quæ sequuntur, prorumpens verba. Quamobrem (inquit Simanca) Gundemirus Gothorum Rex, qui hanc immunitatem Hispaniarum Ecclesiis ante nongentos annos concessit, tria hominum genera excepisse dicitur: scilicet latrones, proditores, & Hæreticos: vt in eius vita, Petrus Medina mentorat. *cap. vltimo de immunitate Ecclesiarum: cap. 1. de Homicidio.* Hæc Pacensis Episcopus, vulgo de Badajoz.

74 Et quidem in Hæresis casu, sine controuersia, recepta esse debet sententia præfata. Quia Gregorius Papa XIV. *in Bulla cum aliàs, la* 7. apud Bullarium magnum Cherubini, *tom. 2. pag. mihi* 708. inter alios casus, & crimina expresse excipit. §. 3. Hæresis crimen: ibi aut assassinij, vel Hæresis, aut Læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiasticæ non suffragetur. Et Ioannes Papa XXI. aliàs XXII. *anno* 1316. in sua t. Constitutione apud præfatum Bullarium, *tom. 1. pag.* 261. quæ incipit, *ex parte vestra*, Inquisitoribus Franciæ sic ait, per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra illos, quos de huiusmodi Hæretica prauitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter suspectos esse vobis constiterit, accusatos etiam de labe prædicta, conuersos quoque Iudæos, & postmodum patenter, vel verisimilibus indiciis apostatantes à Fide, iuxta qualitatem delicti exequamini libere officij vestri debitum, ac si ad Ecclesias, & loca prædicta, minimè confugissent.

75 In aliis tamen criminibus, à Gregorio non exceptis, probabilior sententia tenet Hæreticum immunitate gaudere Ecclesiarum. Ita prædictus Thomas Delbene, *vbi proximè*, cum Suarez, *tract. 1. de Religione, cap. 1. num.* 13. Ludouico Correa, *in relectione de immunitate, parte 3. numer.* 3. Villalobos *in Summa, tom. 2. tract. 39. difficul. 7. num.* 10. Farinacio, *in appendice de immunitate cap. 13. num.* 170. Mar. Italia *lib. 1. cap. 5. §. 6. num.* 7. Trullench, *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. num.* 2. Portellio, *in Dubiis regular. verbo Ecclesia immunitas num.* 10. & Bonacina, *disput. 3. de primo Decalogi præcepto, quæst. 7. §.* 3. Syluester, *in Sum. part. 2. verbo immunitas III. num. 3. quæst. 3. versic. Secundum.* Azorius, *Parte 2. lib. 9. cap. 9. colum mihi* 1025. *versic. Quid de Pagano.* Sousa, *in Aphorismis Inquisitorum, lib. 2. cap. 26. num. 28. iuncto, num.* 27. ibi: in casibus in quibus ab Inquisitoribus puniri possunt. Diana, *loco reddito* cum Portel. *in dubiis regular. loco citato*, & aliis Ausonius Hoctinot, *verbo eodem num.* 24. Castrus Palaus, *operis moralis part. 1. tract. 11. de immunitate, disputatio. Vnica punct. 7. num. 4. pag. mihi* 130. Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstion. Regularium, tom. 2. part 3. verbo, Immunitas Ecclesiarum num. 3. pag.* 314. pro hac allegatur sententia a Delbene, sed nihil de ea eo loci loqui, ex inspectione didici

Probatur tamen, quia respectu aliorum delictorum crimen Hæresis per accidens se habet. Ergo impedire hoc non potest immunitatem, quam obtinet delinquens, ne ob alia delicta ab Ecclesia extrahatur.

Deinde, Lex priuans immunitate Hæreticum, 76 formaliter intelligenda est, ita vt illum, prout Hæreticus est priuet, non prout homicida, ut alterius criminis reus; aliàs qui in Ecclesia delinqueret, immunitate esset priuatus, non solùm quoad delictum illud, sed quoad quælibet alia. Quod vtique communi Doctorum sententiæ opponi, nemo est, qui nesciat.

Rursus. Sententia hæc probabilis est: ergo se- 77 qui debet. Patet consequentia: quia quotiescumque duæ sunt opiniones probabiles, quæ Ecclesiæ fauent, sequi debet: vti bene docent Gratianus *in Disceptationib. forens. cap. 88. num. 6. & cap. 131. n.* 2. Pacianus, *respons. 7. n.* 123. Hondeus, *concil. 3. n. 24. lib. 1.* & Spetellus, *decis. 91. num.* 29. prout recensentur à Thoma Delbene, *loco reddito num.* 4. & sequuntur quidem.

Tandem, quia vbi crimen exceptum non est, 78 neutiqeam adest fundamentum vt personam excipiamus delinquentem. Ergo excipere illam, nec possumus, nec debemus, exceptio enim huiusmodi, gratis, imò & temere fieret.

§. XXVI.

Priuantur officio Clerici, & Religiosi, Sacramenta, aut Sepulturam Hæreticis ministrantes, vel eleemosynas eorum percipientes.

BREVIARIVM.

Excommunicatio.

Quicumque Hæreticos Ecclesiastica tradunt sepultura excommunicantur, & absolui nequeunt, donec publice eos propriis manibus extumulent, & proiiciant, num. 81.

Hæretici.

Clerici, & Religiosi Sacramenta ministrantes Hæ-

reticis, &c. sepelientes eos, aut eleemosynas eorum recipientes, suis priuantur officiis, nec restitui debent absque speciali Papæ indulto, n.80.81.

Oblationes.

Clericus, & Religiosus eleemosynas, aut oblationes ab Heretico recipiens, priuatur officio, ad quòd nisi ex Papæ indulto admitti nequit, n.80.81.

Sacramenta.

Qui Heretico ministrat, officio priuatur, à n.79.

Sepultura.

Perpetuo caret sepultura locus, ubi Hereticus fuit tumulatus, n.81.

Qui Hereticum tumulauit Clericus, aut Religiosus, officio priuatur, n.79.

79 Vigesima Quinta pœna est, vt neque Clerici, neque Religiosi Sacramenta queant Hæreticis ministrare; nec eos Ecclesiasticæ tradere Sepulturæ, nec oblationes quidem, aut eleemosynas eorum percipere; alioquin à suo priuentur officio. Et idem est de Receptatoribus, Defensoribus, & Fautoribus Hæreticorum. Docet ita Glossa in cap. Excommunicamus, § Sanè el 13. de Hæreticis, verbo eod. Et fit manifestum ex Iuribus, modo recensendis, vti ea inspicienti constabit.

80 Expressè statuitur hæc pœna in dicto cap. Excommunicamus, sub his, quæ sequuntur verbis. „ Sanè Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere Sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant: alioquin suo priuentur officio, ad quòd nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia illa in Diœcesi, non seruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare.

81 Nicolaus etiam Papa Tertius in Constitutione Noverit vniuersitas vestra, la 2. Apud Bullarium Magnum Angeli Cherubini pag. mihi 181. §. 18. sic statuit. Videlicet. Item Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta; nec eleemosynas, aut oblationes eorum recipiant; similiter Hospitalarij, aut contemplarij, aut quilibet Regulares; alioquin suo priuentur officio ad quòd nunquam restituantur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint Ecclesiasticæ tradere Sepulturæ, vsque ad satisfactionem Idoneam, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat sepultura. Hactenus Nicolaus Papa.

§. XXVI.

Plures simul Iudices procedere contra Hæreticos possunt.

BREVIARIUM.

Hæreticus.

Tenetur contra se edere libros, & priuationes ad intentionem accusatoris confirmandam, n.82.

De eo, plures simul cognoscere possunt Iudices seorsim, vsque ad sententiam exclusiuè, n.85.

Inquisitores.

Episcopi, & inquisitores, in causis Fidei, omni carnali amore, odio, vel timore ac cuiuslibet commodi temporalis affectione procedere debent, numer. 84.

Possunt seorsim contra Hæreticos vsque ad sententiam exclusiuè procedere, n.83. 84.85.

Iudex.

Plures Iudices simul de eadem causa Hæresis cognoscere queunt, vsque ad sententiam tamen exclusiuè, num.85.

Vigesima sexta pœna est, vt eodem tempore plures, ac diuersi Iudices contra Hæreticos procedere bene queant. Docet Simanca, de Catholicis institutionibus, tit. 46. num.64. vbi in hæc prorumpit: Item illud in odium, & pœnam Hæreticorum constitutum est, vt eodem tempore contra eundem Hæreticum plures ac diuersi Iudices procedere possint: & vt Hæreticus teneatur contra se ipsum edere libros, & probationes ad confirmandam intentionem accusatoris, cap. Per hoc, de Hæreticis lib.6. Clement.1. & extrauag. Ex eo, eiusdem tituli Ponzoni, de Lamiis. num.74. Ludouic. Gomez, in cap. Dispendia, de Rescriptis, lib. 6. num. 18. Interpretes, in cap. cum pa. ati, de Appellationibus, Iacoba, tit.2. Concil. artic.5. Almaynus, de suprema potestate, laica quæst. 3. cap. 8. de libris edendis Glossa, & Philippus Francus, in cap. Ut commissi, de Hæreticis lib. 6 Purpuratus, in l. vltima Cod. de edendo, Nicolaus Arelata, de Hæreticis, notabili 21. Hæc omnia ad amussim ex Iacobo Simanca, Pacensi Episcope, exscripsi. 82

Præfatam pœnam expressè statutam inuenio, in iuribus à Simanca allegatis, In capite enim, Per hoc, el 17. de Hæreticis, ita decernit Bonifacius Papa Octauus. Verùm vt dictum inquisitionis negotium, efficaciùs, meliùs vtiliúsque procedat: concedimus, quòd per Episcopos ipsos, & per Inquisitores de facto eodem inquiri valeat communiter, vel diuisim. 83

Concilium etiam Generale Viennense sub Clemente Papa V. in reddita Clementina, sic decreuit. Propter quod ad Dei gloriam, & augmentum eiusdem Fidei, vt negotium Inquisitionis huiusmodi, eo prosperetur fœliciùs, quo deinceps eiusdem labis in dago solemniùs, diligentiùs, & cautiùs peragetur: ipsum tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuslibet commodi temporalis affectione semotis) decernimus exerceri: Sic quòd quilibet de prædictis, sine alio, citare possit, & arrestare, siue capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum: super quo ipsius Conscientiam oneramus: nec non inquirere contra illos, de quibus pro huiusmodi negotio, secundùm Deum, & iustitiam vident expedire. 84

Benedictus tandem XI. in recensita extrauagante, Ex eo, Inquisitoribus consulentibus, ita rescribit. Consultationi vestræ breuiter respondemus; quòd quando vtrique procedunt seiunctim (Episcopi scilicet, & Inquisitores iuxta Decretalem Bonifacij Octaui, quam declarat,) sibi debent in fine tantùm dum nihil restat agendum, nisi quòd solùm sententia promulgetur, communicare processus. 85

§. XXVII.

§. XXVII.

Mortis Supplicium patitur relapsus, & Hæresim abiurare nollens.

BREVIARIVM.

Abiuratio.

Abiurare Hæresim nolentibus Hæreticis mortis infligitur pœna, num.76.87.

Ignis.

Pœnam ignis meretur Hæreticus, n.88.89.

Iudex.

Iudices sæculares in causa Hæresis incompetentes sunt, nisi postquam eorum brachio ab Ecclesiastico traduntur delinquentes, aut eorum auxilium imploratur, n.87.

86 VIgesima Septima pœna Hæreticis inflicta relapsis, aut hæresim abiurare nolentibus, mortis supplicium est. Docent Thomas Delbene, *de Parlamentis*, *dub.4. subsect.* 31. *excorollario 7. subcorollario* 5. *num.* 9. Ioannes Axorius, *part.1. institutionum Moralium, lib.8. cap.13. versic. vltima pœna*, Machadus, *enel perfecto Confessor y Cura de almas, tom.1. lib.2. part.2. tract.2. Documento 5. num.10.* Diana, *parte 4. tract. 7. resolut.1. versiculo. Et vltima, & resolut.14. vers. Noto etiam & resol.15. per totam* Ausonius Noctinot, illius Compendiator, *verbo Abiurare n.40. & verbo Hæresis, num.* 20. Martinus Becanus, *part. 3. Theologia Scholastica tract. 1. de virtutibus Theologicis, de Fide, cap.15. quæst.* 6. Glossa, *in cap. Excommunicamus el.2. & 15. de Hæreticis, verbo Puniendi*, Barbosa, *ibi, num.*3. cum Couar. *lib.2. Variarum, cap.* 10. *num.* 10. Antonio Gomez, *tom.3. variarum, cap.2. num.*1. Petro Gregorio, *Syntagmatum iuris, lib. 3. cap. 8. num.*20. Afflicto, *in Constitut. Regni, tit. de Hæreticis, rubrica* 1. *num.* 36. Castro, *de Iusta Hæreticorum punitione, lib.1. cap.9. & lib.2. cap.* 12. Valentia, *2.2. disp.1. quæst.* 11. *punct.*3. Menochio, *de Arbitror. casu* 374. *num.*1. Turriano, *de Fide, disputat.* 56. *dub.* 1. Suarez, *eodem tract. disputat.* 23. *sectione.* 1. & Sanctarel. *de Hæresi, cap.27. num.*3. Iacobus Simanca, *de Catholicis Institutionibus titulo* 46. *num.* 42. *pag. mihi* 219. Arnaldus Albertinus, *tract. de Agnoscendis assertionibus Catholicis, & Hæreticis quæst.* 34. *num.* 51. *pag. mihi* 245. quo loci decisionem Rotæ 876. incipientem, *Accusatus de Hæresi*, de eadem pœna loquente, ac statuente, interpretatur.

87 Hanc pœnam infligi testantur Diana, & alij Doctores à Iure Ciuili, *in lege Manichæos lege Ariani, & lege, quicumque Cod. de Hæreticis.* Allegant etiam non pauca Iura Canonica videlicet *caput. Sicut ait el* 8. *cap. Ad abolendam el* 9. *cap. Excommunicamus, el* 1. *&* 13. *de Hæreticis, caput. Super eo, el 4. & cap. Vt commissi*, 12. *eodem tit. lib.* 6. Sed in nullo quidem illorum; pœnam præfatam mortis, ab vllo Summorum Pontificium expresse statutam inuenio. Quòd ad Summum enim in dictis Apostolicis Decretalibus deffinitum lego, est, quòd Hæreticus, nisi abiurata Hæresi, & satisfactione exhibita confestim ad Fidem confugerit Orthodoxam, sæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus, pro qualitate facinoris vltionem. Verba sunt Lucij Papæ Tertij, *in dicto cap. Ad abolendam*, & similibus vtuntur alij præfatorum Canonum Conditores.

Notanter dixi, *expressè statutam*: implicite tamen statui dictam pœnam, in multis ex recensitis iuribus, dicendum censeo: Cum, propter Authoritatem Doctorum id asserentium. Tum propter verba illa: *debitam recepturus vltionem.* In quibus sufficienter conceditur sæculari Iudici facultas Hæreticum puniendi, pro facinoris qualitate. Tum tandem, quia sæculares Iudices incompetentes, sunt in causa Hæresis, ita vt nequeant, nisi in subsidium Ecclesiasticorum, aliquid contra Hæreticos agere. Cum igitur, postquam hos ab Ecclesiasticis Iudicibus puniendos suscipiunt, eos strangulent, dici debet hoc punitionis genus Iudices sæculares, authoritate exercere Ecclesiastica.

Et quidem non solùm pœnam mortis meretur 88
Hæreticus, sed ignem. Machadus, *enel perfecto Confesor, y Cura de Almas, n.1. citato*, Becanus, *vbi proximè*, Iacobus Simanca, *à n.* 45. Barbosa, *in cap. Excommunicamus modo recensitum num.*4. vbi ita fatur. Et ex generali omnium consuetudine impij Hæretici comburi solent, postquam priùs strangulantur, nisi pertinaces sint, quia tunc viui comburendi sunt, vt testantur Couar. *dicto n.*10, (scilicet *lib.2. variar. cap.*10) Postquam alios 18. allegat graues Doctores.

Sed libuit Simancam, antiquissimæ huius con- 89
suetudinis testimonia referentem, recensere. In hæc enim verba, *num.* 47. prorumpit. videlicet. Quamobrem antiquissima est pœna ignis aduersus impios, & Hæreticos, vt ex actis Chalcedonensis Concilij satis constare potest, illic enim Episcopus Alexandrinus dixisse traditur: *Si* Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne. Anatolium quoque Hæreticum igni viuum combusserunt vt Nicephorus prodidit, *lib.* 18. *Ecclesiastica historia, cap.*4. Gregorius quoque, *lib.*1. *Dialogorum*, refert, Basilium magnum, Romæ fuisse combustum, & rem gestam laudat... & Basilius Hæreticus communi suffragio combustus fuit, sicut Zonotas retulit in imperio Alexij communi. Albij quo Hæretici iam olim viui Cremati sunt, quemadmodum Paulus, æmilius *lib.6. de rebus Francorum* retulit. Item Constitutionibus Siculis cauetur, vt viui Hæretici in conspectu populi comburantur, flammarum commissi iudicio. Quod legibus quoque Hispanis constitutum, & consuetudine iam pridem receptum est. Hactenus Pacensis Præsul.

§. XXVIII.

Post mortem Hæretici, contra illum Iudicialiter procedi potest.

BREVIARIVM.

Accusatio.

Accusari possunt Hæretici post eorum mortem, vt eorũ memoria damnetur, & bona cõfiscentur, n.90.

Infra quòd tempus post Hæretici mortem accusari possit, num.93.

Qui sint in hoc casu citandi, n.94.

Accusari etiam potest, post mortem, qui crimen Læsæ Maiestatis commisit, n.91.92.

Delicta.

Omnia extinguuntur delicta per mortem, exceptis criminibus Hæresis, & Læsæ Maiestatis, n.91.92.

VLtima tandem Hæreticis inflicta pœna est, vt 90
post eorũ mortem accusari possint, vt eorum

memoria-damnetur, & bona publicētur. Ita noster Gregorius Sayrus, *in Thesauro, seu tract. de censuris, lib.2.cap.9.* Castrus Palaus, *part.1.tract.4.disp. 8. punct.16.§.4. num.1. & 16.* Diana, *part.4.tract. 7.resolut.28.* cum Sanctarello, *de Haresi, cap.26. num.12.* Noctinot. *verbo, Hareticorum pœna n.24.* Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis, part.1.*
91 *lib.2.cap. 11. n. 12.* Simanca, *de Catholicis Institutionibus tit.9. num.189.*

Etsi enim omnia crimina, committentis morte extinguantur, vti ait Palaus, *ex l.defuncto, ff.de publicis iudiciis, l.1.* cum aliis *Cod. Si reus, vel accusator mortuus fuerit. l.Pupillum §.In heredem ff.de Regulis Iuris, l.Ex iudiciorum in fine ff.de Accusationibus. l. 1. Cod. Ne ex delicto defunctorum, can. Quorumdam, el 14. 24. dist. ex* Conc. Toletano. Et ibi Glossa, *verbo Non potest. can. de Communione, el 1.24. quæst.2. can. Quicumque, el 37. causa 11. quæst.3,* Glossa, *in cap. Si ij verbo Finita, el 2. Vt lite pendente, in 6.* & constat ex aliis iuribus; non tamen extinguitur hoc crimen, sicut nec crimen Læsæ Maiestatis humanæ, *ex l. vltima Cod. ad legem Iuliam* & expresse, *in l. Manicheos, §.3. versiculo, In mortem, Cod. de Hereticis,* ibi. In mortem quoque inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immeritò & hîc subire debet tale iudicium. Et docent de crimine Læsæ Maiest. Pa-
92 laus, & Ioan. Andreas *in Glossa margin. ad cap. Accusatus,* mox citandum, Graffis.

Id etiam à Sacris Canonibus est expresse definitum. In prima actione, Quintæ Synodi, relata, *in canone, Sane profertur, el 6. & final. 24. quæst. 2.* vbi plures Hæretici post mortem condemnati recensentur, *in cap. Si quis Episcopus, el 5. de Hæreticis,* vbi Glossa *verbo, Post mortem, cap. Accusa-*
93 *tus, §. In eo vero, el 8.* & ibi Glossa, *verbo, Post mortem, eod. tit. lib.6.*

Sed quæri potest, quo tempore præscribatur nec contra defunctum Hæreticum procedi queat? Respondet Palaus, *num.18.* probabilius esse, solo quadriennio præscribi, tam quoad effectum damnationis memoriæ, quàm quoad confiscationem bonorum. Alij, quoad hunc effectum, distinguunt; aut veniunt Fisco sæculari applicanda, aut Ecclesiastico: si sæculari, quinquennio præscribi; si Ecclesiastico, 40. annos requiri. Ita Graffis, *num. 12.* Diana verò cum aliis docet, quòd nec contra Fiscum sæcularem præscribatur in hoc casu nisi 40. annorum spatio. Quia quoad præscriptionem bonorum Hæreticorum, iuri *capitis finalis, de Præscriptionibus, in 6.* standum est, non autem ciuili, Gloss. *in dict. c. 8. verbo, Post mortem,* Dianæ consonat. Quoad damnationem verò memoriæ, & statuæ combustionem, nullo tempore præscribi, docent Graffis, *dicto num.12.* cum Ioanne Monacho, Diana, *versic. Verum,* cum Pegna, *in Directorio Inquisitor. part.3. comment. 92.* Couarruuia, *in 4. Decret. part.2. cap. 6. num. 16.* & Sanchez, *in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 42.* Iacobus Simanca *de Catholicis Institutionibus tit. 18. num. 14.* cum Felyno, *in cap. cum nobis, de Præscriptionibus,* & Bruno, *lib. 5. de Hæreticis cap. 17.* Sausa *in Aphorismis Inquisitorum, lib.2. cap.50. num.1.* cum Pa-
94 ramo *de Origine Inquisitionis, lib.3. quæst. 4. tit. de ordine Iud. Sancti officij, num.83.*

Quandò tamen contra Hæreticum defunctum procedendum est, debent citari eius filij, hæredes, & generaliter omnes, qui eum defendere voluerint. Sousa, *num. 12.* Simanca, *num.16.* Palaus, *numer. 7.* Diana, *versic. Notandum est.*

DVBIVM XIII.

An pœna, contra Hæreticos, Credentes, Receptatores, Fautores, & Defensores eorum, ac contra Apostatas statute, ipso Facto incurrantur, nulla sententia, saltem criminis declaratoria, præcedente? & in plurimum est inquirere; *An rei in conscientiæ foro obstricti dictis pœnis, ante dictam sententiam, maneant.*

§. I.

Præmittuntur nonnulla, quæ supponi debent.

BREVIARIVM.

Pœnæ.

Considerantur vel secundùm se, vel secundùm causam illam inferentis, num. 1.

In triplici est differentia, spiritualis, corporalis, & pecuniaria, num. 1.

Pœna ex parte causæ illam inferentis, triplex est: legalis, quæ lege decernitur; Iudicialis, quæ à Iudice in causa particulari infligitur; & conuentionalis, quæ contrahentium partium consensu statuitur, num. 1.

Pœna legalis strictiùs est interpretanda, quàm Iudicialis, & conuentionalis, n. 2.

Legalis in Pœnalibus, non extenditur à casu, pro quo statuta est, ad alium, etiamsi in illo sit maior ratio, aut malitia, n. 2.

Nisi illæ res sint parificatæ communiter in Iure, & non in aliquibus solùm casibus, & est eadem ratio expressa, vel indubitatè præsumpta, seu quando vnica reddi potest, n. 3.

Pœna legalis in fauorabilibus extenditur ab vno ad alium casum, quando vterque in iure æquiparatur, num. 3.

Pœna legalis alicui delicto inflicta, non contrahitur ex conatu, neque ex actu delicto proximo, nisi in lege exprimatur, sed ex delicto perfectè patrato, num. 4.

Pœna, alia positiua, & alia priuatiua, illa requirit actiuam executionem, seu actionem; ista in sola passione. vel priuatione consistit. Vtraque declaratur exemplis, n. 5.

Pœna à lege humana inflicta tam positiua, quàm priuatiua, an obliget delinquentem in conscientia ante omnem Iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam, controuertitur, à n. 6.

PRo exacta intelligentia difficultatis propositæ, & illius dilucidatione, operæ pretium duxi, nonnulla scitu necessaria præmittere, ac supponere.

Primò suppono, pœnam stare dupliciter: pri- 1
mò, *secundùm se*: secundò, *ex parte causæ* ipsam pœnam inferentis. Pœna *secundùm se* in triplex genus diuiditur. *Primum est* spiritualis pœnæ genus, vt increpatio, censura Ecclesiastica: ex-

communicatio scilicet, suspensio, & interdictum. Huius etiam generis est infamia, & depositio. *Secundum* genus est pœnæ corporalis, v.g. ieiunij, Abstinentiæ, verberum, servitutis, exilij, publicationis bonorum, mortis, detruncationis. *Tertium* tandem genus est pœnæ pecuniariæ, quæ infertur aliquando pro iniuria personæ illata, aut loco; aliquando pro satisfactione damni illati; & aliquando ad criminis, quod in solius Dei est iniuriam, saltem per modum eleemosynæ, punitionem. De quibus omnibus Æligius Bassæus, *verbo Pœn.2, n.3.* cum Filliucio *tract.21. cap.11.nu.421. & 422.* Sylvester *verbo eodem, q.2.* vbi ex vtroque Iure, prout solet, singula probat.

Ex parte causæ pœnam inferentis, triplex etiam est pœnæ genus. Primum genus est, *pœna legalis* quæ scilicet lege decernitur propter crimen, seu culpam. Secundum est, *pœna Iudicialis*, illius videlicet, quam Iudex in causa particulari imperat. Tertium genus est, *pœna Conventualis*, quæ partium contrahentium consensu statuitur, ab eo solvenda, quæ à contractu recesserit, vel in mora fuerit culpabili adimplendi contractus, vel solvendi debiti. Inter quæ pœnarum genera, hoc est discrimen, quod pœna *legalis* strictiùs est interpretanda, quàm *Iudicialis*, & *Conventualis*: ita Bassæus *num. 4.* cum Sanchez *in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 22. n. 25.* & Laymano, *lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 12.*

2 Suppono *secundò*; pœnam *legalem* in pœnalibus, non extendi à casu, pro quo statuta est, ad alium casum, etiamsi eadem videatur ratio in vno, ac in alio: docent Emanuël Sà *in Aphorism. verbo Pœna, num. 8.* Diana *part. 1. tract. 10. de Legibus, resol. 26.* cum Salas *eod tract. de Legibus, tract. 14. disp. 21. sect. 13. nu. 29. in fine*, & Portellio *in Additionibus ad dubia Regular. verbo Lex, nu. 13.* sic eo loci fante. Iuxta communiorem sententiam numquam pœna vnius legis, & vnius casus est tendenda ad casum alium, etiamsi in hoc secundo casu, concurrat eadem ratio, vel maior ratio, seu maior malitia ipsius actus. Pro eodem allegat etiam Diana, Ioannem Valerum *in Differentiis vtriusque fori, verbo Lex different. 5. num. 2.* & Bonacinam *de Legibus, disp. 1. q. 1. punct. 8. n. 23.* recensentem nostrum Greg. Sayr. Suarez, & alios. Quibus addo Auson. Noctinot. *Lex quomodo interpretanda.*

3 Non reticeam tamen Sylvestrum *verbo Pœna, quæst. 4.* quem sequitur Bassæus, *eod. verb. num. 5.* & Thomas Sanchez *tom. 1. de Matrimon. lib. 3. disp. 42. n. 4.* & alios, asserentes, quod non solùm in favorabilibus, pœna in vno casu à Iure inflicta in alio censeatur, quando illi duo casus in iure æquiparantur; sed etiam in odiosis, quando illi casus, seu res in iure sunt parificatæ communiter, & est eadem ratio expressa, vel indubitatè præsumpta, seu quando vnica reddi potest; tunc enim inquiunt, statutum in vno, extenditur ad aliud, etiam pœnalibus: vide infrà *num. 14.* Quando autem res illæ non sunt communiter parificatæ, sed in aliquibus solùm casibus, tunc non extendi asserunt, sicut nec quando ratio non est expressa, vel indubitatè præsumpta.

4 *Tertiò* suppono, pœnam à Iure alicui inflictam delicto, locum non habere, nisi delictum perficiatur. Vnde non incurrit quis pœnam ex conatu, neque ex actu quidem, qui fit delicto proximos, nisi simul ipse sub eadem probibeatur pœna: ita Anton. Naldus *verb. Lex num. 11. & verbo Pœna, nu. 29. & 23.* Barbosa *in cap. Hac constitutione, n. 21. el 15. & final. de Officio, & potestate Iudicis delegati*: Emanuël Roderiquez *tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 65. artic. 20. versic. Circa quod*, Bassæus *verbo Pœna, nu. 6.* Sanchez *de Matrimonio, tom. 3. lib. 10. disp. 4. n. 12.* ibi: Quartò, quia vetiùs est, statutum puniens in termino non censeri punire in via. Quod docent Decius, *l. si fugitivi, nu. 48. Cod. de servis fugit*: Iason *l. 2. in fine, ff. de Iurisdictione omnium iudicum*: & ibi. Tandem probatur consummato hæc sententia. Quia pœna delicto consummato imposita, ad tentationem producenda non est, *leg. Sæpè ita, in fine, ff. de verborum significatione*: Hactenus Sanchez, ita etiam docent Sà, *verbo Pœna, num. 12.* Lezana *tomo 2. Summa quæstionum Regularium, part. 4. verbo Pœna, n. 6.* Navarrus *lib. 5. Conciliorum, tit. de Sent. Excomm. consil. 18. nu. 3. & consil. 20 n. 3.* Sylvester *verbo Pœna, q. 5.* Panormitan. *in c. 1. n. 13. de eo, qui mittitur in possessionem.*

Suppono *quarto*, pœnam distingui in eam, quæ 5 aliquam requirit activam executionem, qualis est solutio pecuniæ, exilium, deportatio (quæ est exilium perpetuum) fustigatio, occisio, &c. & in eam, quæ non requirit actionem, seu activam executionem, sed in sola passione, vel privatione consistit: qualis est pœna inhabilitatis, privationis vocis activæ, censuræ, excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Istarum pœnarum prima, positiva pœna dicitur; secunda verò privativa: Amicus *tom. 5. disp. 5. sect. 11. n. 253.*

Vltimo suppono controversum esse inter Do- 6 ctores, an lex humana possit subditos obligare ad vtramque pœnam positivam, & privativam, ante sententiam Iudicis, subeundam: Caïetanus enim docet *2. 2. q. 62. art. 3.* non posse obligare ad subeundam pœnam positivam, quia lex pœnalis, quà talis, non obligat delinquentem ad pœnam infligendam, sed tantùm ad tolerandam. Posse tamen obligare ad subeundam pœnam privativam, ante Iudicis sententiam, asserit absolutè.

Sotus autem *lib. 1. de Iust. & Iure qu. 3. art. 6.* 7 licet Caietano concordet, quoad priorem partem suæ resolutionis, quia pertinet ad officium, Iudicis, ait, pœnam infligere, & nemo est contra seipsum Iudex; quoad secundam verò partem cum Caïetano convenit, & partim disconvenit. Convenit in hoc, quod lex obligare possit ad subeundam pœnam aliquam, quæ in sola passione consistat v. g. pœnam excommunicationis, & similes spirituales, ante Iudicis sententiam: quia per excommunicationem v. g. non privatur subditus aliquibus bonis propriis, sed communibus totius Ecclesiæ, quibus per legem absque sententia privari potest. Discrepat tamen, quatenus docet aliquam pœnam, quæ in sola passione, vel privatione consistit, non posse obligare ante Iudicis sententiam. Exemplum ponit in pœna privationis vocis activæ, in electione Cathedratici, perpetuæ mansionis in carcere, & abstinentiæ ab omni cibo, & potu: & probat. Quia si lex humana posset aliquem iustè obligare, vt ipso facto damnetur ad perpetuos carceres, vel ad perpetuam abstinentiam, sequeretur illum, non posse fugere è carcere, vel aliquid comedere, & bibere, quod est absurdum.

Tertia sententia docet, legem humanam posse 8 obligare ante Iudicis sententiam, non solùm ad culpam, sed etiam ad pœnam subeundam, sive illa positiva sit; sive privativa. Hanc tenent Al-

phonsus à Castro *libro* 2. *de lege pœnali*, *cap*.5. Antonius de Corduba, *lib*.1. *quæst*. 36. Navarrus *in Manuali*, *cap*.23. *num*.67. & *cap*. 25. *num*.117. Covarruvias 2. *part. de Matrimonio cap*. 6. §. 8. *num*. 10. & *seq*. prout recensent, & sequuntur Gabriel Vasquez 1. 2. *D.Thom. tom*. 2. *disp*.168. *cap*. 2. Becanus *tract*.3. *de legibus*, *cap*. 7. *quæst*. 3. *à num*. 4. Aliter tamen refert tut ab Azorio *part*. 1. *lib*. 5. *cap*. 7. *in princ*. Castrensis opinio. Ea enim (inquit) dicit, quandocumque lex continet pœnam ipso facto, vel ipso iure factam, ita obligationem inducit; vt eam pœnam reus persolvere cogatur in foro conscientiæ, etiam ante vllam criminis declarationem, & condemnationem, ita vt criminosus statim in pœnam ipsam incurrat; at verò quando lex pœnam non latam ipso facto, vel ipso iure, sed dumtaxat continet inferendam post criminis condemnationem, reus in foro conscientiæ ante Iudicis sententiam eam pœnam non contrahit, ita vt sibi in se infligere nullo iure compellatur, nec ipsam solvere debeat.

Ita recenset Azorius Alphonsi à Castro sententiam *d. lib*. 2. *cap*.8. pro qua etiam reddit Tiraquellum *in l. Si vnquam*, *Cod. de revocandis donationibus*, *nu*. 265. Abbatem *in cap. Dilecti*, *de Arbitris*: Felinum *in cap*.1. *de Constitutionibus*, & alios.

In tanta istorum Doctorum, & aliorum quidem plurium opinandi varietate, quæ mihi, in præsenti pœnarum materia, magis arrident, sequentibus, exponere propositionibus libuit.

§. II.

De obligatione legis humanæ in conscientiæ foro, quoad culpam, & pœnam subeundam.

BREVIARIVM.

Pœna.

Privata Iuris non quæsiti; & alicuius quæsiti Iuris, potest obligare in conscientiæ foro ante omnem sententiam, etiam criminis declaratoriam, n. 9.

PROPOSITIO I.

9 Lex humana tam civilis, quàm Canonica potest obligare in conscientia, non solùm ad culpam, sed etiam ad subeundam ipso facto, seu ipso iure pœnam, ante omnem sententiam, illam infligentem, aut illam esse incursam, quæ à lege est inflicta, declarantem: si pœna privativa sit, iuris saltem non quæsiti, imò & alicuius quæsiti Iuris, quæ in sola privatione consistit, & quæ nullam executionem requirit.

Hanc docent Ioannes Ægidius Trullench, *tom*.2. *in Decalog. lib*.8. *cap*.1. *dub*.10. *n*.1. Caietanus 2. 2. *q*.62. *art*.3. *versic. Ad hoc dicitur*, ibi: Pœna autem in executione non exigens agere, communiter infligi potest à Iure, vel Iudice. Lessius, *de Iust. lib*.2. *cap*.29. *dub*.8. *nu*. 63. ibi: nisi apertè constet illam fuisse Legislatoris mentem: Gabr. Vasquez 1.2. *disp*.168. *cap*.2. *n*. 7. Azorius *part*.1. *Instit. Moral. lib*.5. *cap*.7. *q*.1. *versic. quartò arguit*: & *versic. Quod igitur*, ibi: Secundò, quando sunt leges, &c. Martin. Becanus *tract*.3. *de Legibus*, *cap*. 7. *conf*. 3. Castrus Palaus *tom*. 1. *tract*.3. *de Legibus*, *disput*. 2. *punct*.2. *n*. 7. Naldus *in Summa*, *verb. Beneficium*, *n*.41. *verbo Lex*, *n*.26. & *verb. Pœna*, *n*.19. 21. & 27. Balsæus *verbo Pœna*, *n*.7. Lezana *in Summa quæstion. Regul. tom*. 1. *par*.1. *cap*.8. *n*. 33. & *cap*.10. *num*. 29. 30. & 31. Sanchez *tomo* 3. *de Matrimonio*, *lib*.9. *disput*.30. *num*. 2.

Iura recensentur plura, propositionem firmantia, in variis materiis.

BREVIARIVM.

Abbas.

Abbas, & alij Prælati Regulares, non habentes curam animarum Sæcularium, per seipsos exercendam, non arctantur pœnis Tridenti, contra non residentes inflictis, n. 14.

Affinitas.

Non contrahitur, nisi in coitu tam fœmina, quàm vir copulam compleant per vtriusque seminationem, n. 32.

Alienatio.

Interdicitur alienatio quæcumque rerum Ecclesiasticarum, sub diversis adnumeratis pœnis, n. 33.

Nulla alienatio fieri potest sine expressa S. Congreg. Concilij licentia, n. 34.

Beneficium.

Beneficium, Dignitatem, personatum, aut officium obtinens incompatibile cum alio iam possesso, statim ac illius possessionem apprehenderit, vel per eum omni dolo, & fraude cessantibus, quominùs illam apprehendat, primum dimittere tenetur in manibus eorum ad quos illud conferre pertinuerit, sub pœnis privationis vtriusque, & inhabilitatis ad alia obtinenda, & ad sacros Ordines suscipiendos, ipso facto incurrendis, n. 21.

Parrochiale beneficium obtinere non potest qui 25. *ætatis non tetigerit annum*, n. 18.

Beneficium Parrochiale retinere non potest absque vlla monitione præmissa; qui intra annum ad Sacerdotium promotus non fuit, n. 18.

Canonici.

Voce activa in Capitulo privantur Canonici, si Subdiaconi saltem non sint, & si infra annum post ademptam possessionem, se promovere non fecerint ad Ordines, quos exigit eorum dignitas, personatus, officium, vel præbenda, n. 15. 16.

Debitum coniugale.

Qui scienter rem habet cum sanguinea, aut affine, & è contra ipso facto amittit ius petendi debitum coniugale; non tamen si ignoranter, n. 23. 24. 28. & 29.

Debitum exigere non potest, qui incestum commiserit cum consanguinea alterius vxoris iam defunctæ, num. 27.

Probabile est ob auctoritatem DD. id docentium, inhabilitatem ad petendum debitum, non incurrere habentem rem cum consanguinea, n. 30. 31.

Dictio scienter.

Omnem excludit ignorantiam, n. 25.

Episcopus.

Si intra tres menses non consecretur, in mora sua pœnam ante omnem declarationem Iudicis, in conscientia tenetur fructus restituere. Et posteà si intra alios tres menses consecrari neglexerit, est ipso iure Episcopatu privatus, n. 11. & 12.

Non licet Episcopo procedere ad executionem pœnæ privationis vocis, inflictæ Canonicis, &c. non

pro

promotis ad Ordines, nisi servata Tridentini solemnitate, n.16.

Examen.

Examinatores præficiendorum Ecclesiis Parochialibus, Simoniam incurrunt quidquam prorsus recipiendo, occasione examinis, ante, vel post ipsum, etiamsi gratis detur, n.17.

Debent dimittere omnia beneficia quomodocumque obtenta ante examen ab ipsis factum: quibus non dimissis absolvi nequeunt, n.17.

Incurrunt etiam inhabilitatem ad alia beneficia in posterum obtinenda, n.17.

Post declarationem tamen criminis, n.36.

Excommunicatio.

Excommunicationem non incurrit, qui aliquid facit, quod habeat annexam talem, vel talem culpam, si illam nescit: v. g. si lata sit excommunicatio, contra incestum committentem, & quis rem habeat cum filia, nesciens esse filiam, excommunicationem non contrahit. n.24.

Horæ Canonicæ.

Qui horas non persolvit Canonicas post 6. menses beneficium habens Curatum, aut simplex, præstimonium, aut portionem, fructus non facit suos, sed eos restituere tenetur fabricæ beneficij, aut pauperibus, ante omnem sententiam etiam criminis declaratoriam: integros illi diei correspondentes, si omnes horas: dimidiam partem, si Matutinum: qui verò cæteras, aliam dimidiam: & qui unam horam, sextam partem, n.19.20.& 36.

Graviter peccat, qui à die obtenti beneficij horas non persolvit, n.20.

Qui pensionem, fructus, aut aliàs res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur si B. Mariæ non recitat Officium, n.20.

Impedimentum.

Nullum impedimentum sequitur ex coïtu, si copula non completur per viri, & fœminæ seminationem, num.32.

Ipso facto, absque ulla declaratione impedimentum ad contrahendum matrimonium incurrunt incestuosi: dirimens, ad contrahendum cum incestuosa, n.22.23. & 25.

Impediens ad contrahendum cum alia, n. 27.

Impedimentum, seu inhabilitas ad contrahendum matrimonium obligat in conscientia ex Tridentino, ante omnem Iudicis sententiam, n.10.

Impedimento criminis, perpetuò inhabiles ipso facto redduntur ad contrahendum, qui uxores interficiunt, ut concubinas ducant, vel sub promissione futuri coniugij cum illis rem habent; vel alter eorum in mortem uxorum fuerint Machinati, numero 22.

Incestus.

Est consanguineorum, vel affinium abusus: & incestuosi, qui consanguineis. vel affinibus abutuntur, num.28.

Incestum non commisit Iudas quando cognovit suam nurum Thamar, quia nurum esse suam nesciebat, num. 24.

Inhabilitas.

Non incurritur ante Iudicis declarationem, n.36.

Interpretatio.

Pœnæ interpretatio, benigna esse debet, n.16.

Irregularitas.

Irregularitatem fortè non evadit qui aliquid facit; quod annexam habet talem culpam, esto illam nesciat. Quia irregularitas sequitur factum; & non requirit culpam, n.24.

Lex.

Obligat ad pœnam ante omnem Iudicis declarationem, quæ alias frustratoria, & inutilis redderetur, num.22.

Peccatum.

Non est peccatum, quod non est voluntarium, numero 24.

Pœna.

Non est ipso facto inflicta, quando non exprimitur his verbis: ipso iure, ipso facto: vel, nulla præcedente sententia, n.16.

Plures sunt pœnæ, quæ impediunt ius adquirendum, & in utroque foro obligant ante omnem sententiam: quia cum respublica domina sit bonorum suorum, potest nolle ea donare ijs, qui leges eius non observant, n.18.21.

Pœna inflicta contra recipientes aliquid in Curia pro gratia, & iustitia, non incurritur nisi post criminis declarationem, n.36.

Pœnæ spirituales, excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas, ipso facto incurruntur ante omnem criminis declarationem, n.38.

Privatio.

Beneficiorum, Dignitatum, Officiorum, & vocis activæ, & passivæ non incurritur pœna, nisi post criminis declarationem, n.36.

Residentia.

Archiepiscopi Episcopi Patriarchæ, Primates, & Parochi restituere tenentur ipso facto in conscientia fructus, ante omnem sententiam, in Ecclesiis suis non residentes, & peccant mortaliter, n. 12. 13. 14.18.& 36.

Simonia.

Simoniam committunt examinatores, & examinandi, seu examinandi per cuiusvis muneris dationem, & receptionem etiam gratuitam, n. 17.

Simonia confidentiali commissa, collatio Monasterij, Ecclesiæ, & beneficij recepti; ipso iure, & ante criminis declarationem nulla est, & ad Papam reservata. Et recipiens non facit fructus suos: & si Cardinalis, aut Episcopus incurrit interdictum ingressus Ecclesiæ: reliqui vero, excommunicationem Papæ reservatam, n.35.36.37.

Voluntarium.

Quod non est cognitum, non est voluntarium, numero 24.

ET probatur inductione ex pluribus iuribus, id expressè decernentibus. I. Conc. Tridentinum, *sess.* 24. *can.* 4. sic definit. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit: ergo Ecclesia potest per suam legem facere personas inhabiles ad matrimonium ante Iudicis sententiam: ergo obligare potest ad pœnam, quæ in privatione consistit, eo ipso, & ipso iure subeundam ante Iudicis sententiam ita Becanus *d q. 3. concl.* 1. 10

II. Idem Concilium *sess.* 23. *de Reformat. cap.* 2. sic decernit contra Episcopos morosos in consecratione suscipienda, Ecclesiis Cathedralibus, seu superioribus, quocumque nomine, ac titulo præfecti, etiamsi S. R. E. Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses, non susceperint, ad fructum perceptorum restitutionem teneantur: si intra totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint privati. Hæc ibi: Hæc pœna ante omnem obligat sententiam; vide Lessium *de Iust. lib.* 2. *cap.* 34 *dub.* 19. *n.* 99. & Palaum *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *pun.* 2. *num.* 7. 11

num. 7. Azotium *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 3. vbi ita fatur: At verò sæpè fructus... debet restituere... sed etiam beneficium ipsum deponere ante vllam Iudicis sententiam, quoniam non privatur beneficio ob criminis pœnam, sed ob ipsum factum, & beneficium consecutus est ea tacita conditione, &c.

12 III. *In cap.* 1. *eiusdem sessionis, versic. Si quis autem*, contra Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.

13 Hactenus Conciliare Decretum ad amussim recensitum à dictione, *statuit*. Quod quidem Castrus Palaus *d. n.* 7. vbi docet obligare pœnam in eo inflictam ante omnem sententiam: & illud exponit de Beneficiariis non residentibus in suis Ecclesiis. Et meritò, non quia Concilij dispositio immediatè aliis, quam Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, & quocumque nomine, & titulo præfectos, afficiat, sed quia illius mens, ex capitis illius exordio, facilè deprehenditur, veluti ex proœmio voluisse scilicet in Decreto comprehendere omnes curam habentes animarum.

14 Tum etiam, quia licet pœna non extendatur de vno casu ad alium, vt docet Navarrus *tom* 1. *consilior. lib.* 1. *tit. de Bigamis, consil.* 1. *num.* 2. *versic. tertio, ex l. Interpretatione, ff. de Pœnis, & c. Pœna, de Pœnit. dist.* 1. *& tom.* 2. *lib.* 5. *tit. de Privileg. consil.* 25. *n.* 4. ex dictis Iuribus, & *ex l. Si præses, ff. de Pœn.* fallit tamen in viginti duobus casibus, quos ipse Doctor in dictum *cap. Pœna*, recenset, quorum primus est, vt etiam procedat cum eadem omninò ratio militat in alio casu, quæ militat in expresso in lege pœnali. Quòd probat (inquit) *cap. Constitutionem, de Regul. lib* 6. quatenùs extendit, *cap. Non solum* præcedens disponens de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus ad Fratres, Augustinianos, & Carmelitas, in quibus erat omninò ratio, quæ in Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, vt in ipso *cap. Constitutionem*, exprimitur: & hoc tenet Ioannes Imolen. *in d. cap.* 1. *de tempore ordinandorum, lib.* 6. quem Dominicus, & Francus *ibid.* referunt, & sequuntur. Hæc omnia Doctor Navarrus, & alij passim idem tenent. De quorum numero est Tamburin. *de Iure Abbat. tom.* 10. *disp.* 14. *qu.* 17. *num.* 3. vbi inquisito, an Abbates, & Prælati Regulares non residentes in suis Ecclesiis, & Monasteriis, ligentur, & subsint pœnis à prædicto Concilio Tridentino contra Episcopos, & Prælatos positis? Respondet, illos hisce pœnis non arctari, nisi habeant curam animarum sæcularium, per ipsosmet administrandam; quia de huiusmodi cura loquitur Concilium, vt respondit S. Congregatio illustrissimorum Cardinalium, teste Lessio *de Iustit lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 29. *n.* 161. At Regulares Prælatus in administratione, & cura suorum subditorum Regularium, relinquit propriis statutis, & suorum Superiorum ordinationibus, quas omnes profectò determinatis pœnis Abbates, & Prælatos non residentes, credibile est afficere. Hæc Tamburinus.

Sed eadem omninò militat ratio, pro Decreto reddito in Parochialia Beneficia habentibus, ac in præfectis Ecclesiis Patriarchalibus, &c. nimirum obligatio pascendi oves, prædicatione, exemplo, & Sacramentorum administratione, &c. Ergo pœna à Tridentino inflicta præfatis Ecclesiarum Patriarchalium, &c. inflicta intelligitur Beneficiariis Curatis. Minor patet ex eodem Concilij capite, & *ex cap. Licet canon, el* 14. *de electione in* 6.

IV. Idem Concilium *sess.* 22. *de Reformat.* 15
cap. 4. innovat Clementinam *Vt ij, la* 2. *de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.* In qua sic habetur. Statuimus, vt nullus de cætero in huiusmodi Ecclesiis (Cathedralibus scilicet, vel Collegiatis Sæcularibus, vel Regularibus) vocem in Capitulo habeat (etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus Ordine, fuerit constitutus. Illi verò, qui dignitates, personatus, officia, vel præbendas, quibus certi Ordines sunt annexi, pacificè, nunc obtinent, in eisdem Ecclesiis, vel obtinuerint in futurum: nisi (iusto impedimento, cessante) ad huiusmodi Ordines, se promoveri fecerint intra annum, ex tunc donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant earundem. Sed hæc pœna non est iure inflicta, quamvis Palaus *dicto tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 2. *nu.* 7. inter ipso iure inflictas recenseat; addit tamen, satis probabile esse requiri sententiam, quia privantur (inquit) iure quæsito.

Dicor. Cum, quia ita docet Augustinus Bar- 16
bosa *in dictum caput Concilij, & in tract. de Canonicis, cap.* 16. *n.* 20. & addit, non licere Episcopo ad huiusmodi privationem procedere absque solemnitate à Concilio requisita: tum etiam, quia pœna non est ipso iure, vel ipso facto imposita, & inflicta, quando in iure, lege aut statuto apertè id non demonstratur, per recensita verba: v. g. sit ipso iure, aut ipso facto privatus: vel nulla præcedente sententia, &c. Apertis itaque verbis, lex id debet exprimere, Azotius *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 1. *versic. Quartò arguit.* Amicus *tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 11. *n.* 249. In pœnis enim benignior interpretatio præferri debet. Regula *In Pœnis la* 49. *de Regul. Iuris, lib.* 6. vbi ita habetur. In pœnis benignior est interpretatio habenda. Quæ quidem, vti advertit Glossa *verbo In pœnis*, sumpta est ex *l. Factum cuique, §. In pœnalibus, ff. de Regulis Iuris, la* 198.

V. In eodem Sacro Concilio *sess.* 24. *de* 17
Reformatione, sic statuitur. Caveántque (examinatores scilicet deputati ad perficiendum, examen cum Episcopo, aut eius Vicario Generali, præficiendorum Ecclesiis Parochialibus) ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante, nec post accipiant; alioqui simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alij dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quocumque modo etiam anteà obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Hæc Tridentinum *de Reform. cap.* 18. *dicta sess.* 24. vbi duplicem infligit pœnam: vnam dimissionis beneficiorum; alteram inhabilitatis ad alia de novo obtinenda. Propositio nostra, saltem respectu istius procedit, quæ nulla indiget ad sui executionem actione. Probabile tamen est respectu vtriusque requiri sententiam iuxta dicenda *num.* 64. Quæ quidem pœna dimissionis beneficiorum, examinatoribus infligitur, etiamsi quid gratis, & liberaliter eis

detur,

detur, & ad captandam benevolentiam, & etiamsi res modica sit, & levis momenti, nam hîc prohibetur quidquam prorsùs accipi: ita resolvit Barbosa *in dictum caput, num.* 116. *& de Officio, & potest. Parochi, part. cap.* 2. *num.* 80. cum Garcia *de Beneficiis, part.* 9. *cap.* 2. *num.* 390. Aloysio Riccio *in Praxi, part.* 4. *resolut.* 76. *num.* 7. & Bonacina *de Simonia, quæst.* 7. *punct.* 2. *differentia* 1. *num.* 5. *vers. Ex quibus:* Posse tamen Episcopum aliquid de suo his examinatoribus concedere, titulo præmij, vel stipendij, aut sustentationis, tenet ipse Barbosa, *hîc, n.* 115, cum Garcia *d. cap.* 2. *n.* 379. & Bonacina, *vbi proximè, n.*6.

18 VI. *In capite Licet canon, el* 14. *de Electione, & electi potestate in* 6. sic Gregorius Papa X. in Concilio Generali Lugdunensi contra promotos ad Parochiales Ecclesias statuit: videlicet. Decernentes, collationes de Parochialibus Ecclesijs ijs, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cætero faciendas, omninò carere. Is etiam, qui ad huiusmodi regimen assumetur, vt gregis sibi crediti diligentius curam gerere possit, in Parochiali Ecclesia, cuius Rector extiterit, residere personaliter teneatur. Et intra annum à sibi Commissi regiminis tempore enumerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa (nulla etiam præmissa monitione) sit præsentis Constitutionis authoritate privatus. Hæc omnia Lugdunense Concilium: vide Lessium *de Iust. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 9. *n.* 100. Bassæum *par.* 1. *verbo Pœna, num.* 7. *& verbo Beneficium III. num.* 4. Palaum *tomo* 1. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 2. *numero* 7. vbi docet, quod plures sont pœnæ, quæ impediunt ios acquirendum, & ante omnem sententiam contrahuntur: quia respublica cum Domina sit bonorum suorum, iustissimè potest nolle ea donare his, qui leges eius non observant: sic recipiens beneficium Parochiale sine Sacerdotio (verba sunt Palaï) si intra annum non ordinetur sua culpa, illud dimittere obligatur *ex cap. Licet canon, de elect. in* 6. Hæc ille. Quod pœna huius capitis secum trahat executionem nulla expectata sententia docet prætardictos Navarr. *tom.* 2. *consil. lib.* 5. *tit. de Raptor. consil.* 3. *num.* 5.

29 VII. Concilium Generale Lateranense, sub Leone X. *canone* 9. sub hoc tenore, beneficiorum fructibus privavit eos, qui canonicas non citaverint horas. Statuimus, & Ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum Cura, vel sine Cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis, officij, & temporis: sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Hæc conciliaris Constitutio, innovata est, & explicata à Pio Papa V. 12. *Kal. Octob. Anno* 1571. *in Constitutione, ex proximo, la* 131. *apud Angelum Cherubinum in Bullario Magno novissimo, pag. mihi* 344. io qua sic §. 1. decernit, videlicet.

20 Nos huic rei evidentiùs, atque expressiùs providere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur, qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat. Tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructúsque, & distributiones forte aliter assignatas, sola præsentia iuxta statutam, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucri fecisse prætendat etiam præter fructuum, & distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales, portiones, & qualiacumque alia beneficia etiam nullum omninò servitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter conveniri. At quicumque pensionem, fructus, aut aliàs res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendam officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerúmque ipsarum amissioni obnoxium.

Hucusque Pius Papa V. Pro cuius Constitut, & exactiori eius intelligentia videatur Stephanus Quaranta *in Summa Bullary, verbo Hora Canonica, pagina mihi* 373. & Ioannes Baptista Scottia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Epitome* 116. *Theoremata* 315. *& sequentibus, vsque ad* 322. *inclusivè:* & Becanus, *tract.* 3. *de Legibus, cap.* 7. *quæst.* 3. *conclus.* 2. vbi resolvit dictum Leonis Decretum, debere quemliber, non recitantem, exequi, pœnam restitutionis fructuum sibi infligendo ante omnem sententiam: vide illum, & Palaum *par.* 1. *tract.* 3. *disput.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. docentes non facere fructus suos, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos detinere non posse. Quia sub hac tacita conditione: *si horas persolverint:* illis dati sunt.

VIII. Bonifacius Papa VIII. *in cap. Cum singula officia, §. Statuentes, el* 32. *de Prebendis, & dignitatibus, libro* 6. ita decernit. Statuentes, 21
vt quicumque ipsorum Prioratum, vel Ecclesiam talem obtinens, alium receperit: primum, quo sit ipso iure privatus, statim omninò dimittere teneatur, per eum, ad quem pertinuerit liberè alteri conferendum. Quod nisi fecerit, ex tunc, eo ipso efficiatur ineligibilis, & tanquam ambitiosus, ab vtroque penitùs repellatur. Hæc ibi, vbi satis apertè statuitur, quod consequens secundum beneficium incompatibile cum primo, ipso iure redditur illo privatus, & ineligibilis: videantur Castrus Palaus *tomo* 1. *tract.* 3, *disput.* 2. *punct.* 2. *num.* 7. *in fine:* vbi resoluit; nullam requiri declarationem, ad hoc vt de facto sit privatus beneficio priùs obtento, & ineligibilis factos. Quia cum Ecclesia, & Respublica Domini sit bonorum suorum, iustissimè potest nolle ea donare his, qui leges eius non observant. Et quia sub hac tacita conditione, beneficium iam obtentum illis est concessum: & Lessius *de Iustitia, libro* 2. *cap.* 34. *dubit.* 9. *num.* 140. vbi benè advertit multò distinctiùs idem fuisse statutum *in Extravag. Execrabilis, eodem titulo, inter communes la* 4. ibi enim Ioannes vigesimus-secundus: ita decernit. Videlicet.

Qui verò deinceps receperint dignitatem, vel personatum, seu officium, aut aliud beneficium Curam animarum habens, annexam, si

antea simile beneficium obtineant, illud quo ipso iure (postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, & fraude cessantibus, quominùs habeant steterit) priuati noscuntur, absque moræ dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debent pari modo; alioqui, ex tunc sint ipso iure, secundo priuati, & nedum ad sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcomque aliud Ecclesiasticum beneficium, inhabiles reputentur. Hactenus Ioannes Papa XXII.

22 IX. *In canone Si quis viuente el 5. causa 31. quæst. 1.* ex Concilio Triburiensi desumpto *in cap. Super hoc el 3. de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium*, ab Alexandro Papa III. *& in cap. Significasti el 6. eod. tit.* ab Innocentio Papa III. statuitur inhabilitas perpetua ad contrahendum matrimonium, imposita coniugi, qui vxorem interfecit, vt concubinam ducat, vel sub promissione futuri coniugij cum illa rem habeat: vel alter eorum in mortem vxoris fuerit machinatus. Canon præfatus ibi. nisi fortè idem vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat occidisse notetur. Alexander, ibi: Taliter respondemus, quòd si adultera eit in mortem vxoris aliquid machinata, siue fidem dedit siue non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundùm Canones ab eius consortio prohibetur: & hæc prohibitio perpetuò est seruanda: ita ille. Innocentius autem sic. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi alter eorum in mortem vxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea viuente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum Iudices matrimonium supradictum.

De hac inhabilitate, vulgò *impedimentum criminis* dicta, certum est, de facto ante omnem criminis declarationem, contrahi: ita Palaus, *parte 1. tract. 3. disput. 11. punct. 2. num. 7. in fine:* Amicus *tomo 5. disput. 5. sect. 11. nn. 250.* vbi fatur. Nulla lex debet esse frustratoria, sed vtilis, & efficax ad suum finem consequendum. Igitur quando illa redditur inutilis, & frustratoria nisi pœna incurratur ante Iudicis sententiam, certum signum est, reum obligare ad eam subeundam ante Iudicis sententiam. Sic lex inhabilitans personam ad matrimonium cum aliqua, ob commissum cum ea adulterium, nisi hæc lex statim ipso facto personam ad tale matrimonium contrahendum incapacem redderet, esset inutilis, & frustratoria: quia posset ante Iudicis sententiam reus validè cum huiusmodi fœmina contrahere: & tunc lex non posset irritum reddere matrimonium. Hactenus Amicus: videantur Bassæus, *verbo Matrimonium VII. à numero* 38. Sanchez, *tomo 2. de Matrimonio, disputat. 78. à numero* 1. & omnes de hoc sancto agentes Sacramento.

23 X. Coniuges incestuosam affinitatem, aut cognationem contrahentes, ipso iure debiti coniugalis petendi facultate priuantur: & inhabiles redduntor ad contrahendum: *in cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam vxoris, vel sponsæ*, sic decernitur. Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vnquam habere potest vxorem: nec filiastra, nec ille vllo vnquam tempore, aliis se poterunt matrimonio copulare; ita Decretalis illa. Notetur dictio, *Scienter.* Vnde qui ignorans consanguinitatem, cum consanguinea vxoris rem habet, pœnas not exigendi debitum, & inhabilitatis ad matrimonium contrahendum non incurrit: ita Glossa, *verbo Scienter, ex canone In lectum, 34. quæst. 2.* Abbas, *in dictum caput Si quis, num. 3.* vbi in hæc prorumpit. Sentiunt tamen Doctores hîc, quòd ex copula ignorantes habita oritur affinitas, *vt in cap. Discretionem, infrà eodem;* non tamen talis copula est punibilis respectu ignorantis. Vnde non priuaretur facultate exigendi debitum, nec inhabilitaretur ad contrahendum matrimonium. Pro quo vide bonum textum, *in cap. 1. in lectum, 34. quæst. 2.* & facit *capite Inebriauerunt, 15. quæstione 1. in fine:* Glossa, *ibi:* tenet Matrimonium. Et hoc probatur, *infrà eodem capite Transmisse, & in fine:* Glossa. Hactenus noster Panormitanus. Cui consonat noster etiam Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis, parte 1. libro 2. cap. 81. numero 2. & 4.*

Et quod non sit inflicta pœna, contrahenti, cum ignorantia cognationis, incestum, apertè docet Caietanus, *1. 2. quæst. 76. articulo 3. in dubio, circa primum modum*, vbi inquirit, An Iudas cum cognouit Thamar, quàm nesciebat, esse nurum suam, sit totaliter excusatus ab incestus vitio, sciens actum illum esse fornicationem, sed incestum ignorans? & respondet, quod taliter est excusatus ab incestu, licet non à fornicatione, quam voluntariè committebat. Iudas igitur (ait Cardinalis doctissimus) non peccauit peccato incestus, sed fornicationis: etsi fuisset lata sententia contra incestum committentes, non incurrisset illam, quia excommunicatio supponit illam culpam; secus autem fortè esset de irregularitate, si fuisset annexa, quia sequitur factum, & non requirit culpam. Et hoc ratione probatur, quia peccatum adeò est voluntarium, secundùm Augustinum, quod si voluntarium non est, peccatum non est. Quantum ergo actus ille peccati non totaliter excusatus, habet de voluntario: ac per hoc scito, quoniam voluntarium oportet esse cognitum, tantùm habet de peccato: sed quantum ad hoc non est proprius effectus ignorantiæ, sed scientiæ potius. Quantum verò habet de inuoluntario, tantùm habet error non peccati: hoc autem est, quod propriè ex ignorantia fit. Hucusque Eminentissimus Caietanus: idem Bassæus, *verbo Incestus, n. 6.* 24

Pœnam præfatam priuationis facultatis exigendi debitum coniugale annexam ipso iure esse, & ipso facto nulla expectata Iudicis sententia, etiam criminis declaratoria peccato incestus, perpetrato scienter cum consanguineo, aut consanguinea consortis præhabiri, omnium Doctorum, tam Canonistarum, quàm Theologorum consensu etiam firmatur: Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disput. 2. punct. 2. num. 9.* Graffis, *modo citatus:* Sanchez *de Matrimonio, tom. 3. disp. 30. numero 1.* cum pluribus, quos pro more cumulat suo. Abbas *dicto cap. Si quis, num. 2.* Sylvester, *verbo Luxuria quæst. 4. in principio:* Bassæus *dicto num. 6.* Naldus *verbo Incestus, numero 3.* Lessius, *de Iustitia, libro 4. cap. 3. dubitat. 11. numero 81.* vbi benè aduertit post Tridentinum *sess. 24. de Reformatione Matrimonij, cap. 4.* 25

cap. 4. impedimentum, quo adstricti sint incestuosi circa exactionem, vel petitionem coniugalis debiti, locum habere in primo, & secundo gradu affinitatis tantùm. Sic enim decernit ibi Tridentina Synodus: videlicet.

26 Præterea sancta Synodus, eisdem, & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gradu coniunguntur, restringit: in vlterioribus verò gradibus statuit, huiusmodi affinitatem matrimonium postea contractum, non dirimere. Hactenus Conciliare Decretum.

27 Advertit etiam Lessius, impedimentum ad contrahendum cum aliis ipso iure, incestuosis inflictum, in recensito *cap. Si quis, & cap. Transmissa, el 4. eodem titulo, de eo, qui cognovit consanguineam vxoris*, non esse dirimens, sed impediens tantùm. Quod quidem apertis decernitur verbis, à Cælestino Papa III. *in dicto cap. Transmissa*: vbi sic ait. Transmissæ nobis tuæ literæ demonstrarunt, quod quidam vxore sua defuncta, filiam eius privignam videlicet propriam, copula carnali cognovit: postmodum aliam accipiens in vxorem, cum privigna publicè, tanquam canis ad vomitum rediens, illicitam rem committere non expavit. Quia verò super his consilium requisisti, præsenti pagina respondemus, quod legitimæ vxori cohabitans, & necessaria subministrans, non cognoscat eam quamdiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus: & tunc ad ipsam non sine gravi cordis dolore, accedat: qui etiam pro incestu, & adulterio donec cum ea permanserit iuxta moderamen tui arbitrij pœnitentiam agens, postmodum si supervixerit ei, perpetuò sine spe coniugij permanebit. Hucusque Celestinus Papa.

28 Quòd autem facultatem debitum coniugale exigendi, ipso iure sit privatus, incestuosus cum propria consanguinea, docet Sanchez *tomo* 3. *de Matrimonio, lib.* 9. *disputat.* 30. *num.* 1. cum Soto *in* 4. *distinct.* 32. *quæst.* 1. *art.* 1. *conclus.* 3. Henriquez *lib.* 11. *de Matrimonij, cap.* 11. *num.* 11. Petro de Ledesma *de Matrimonio qu.* 56. *art.* 3. *dub.* 6. §. *His nihil obstantibus*: & Ludovico Lopez *par.* 1. *Instruct. cap.* 80. §. *Sed connumerare*: Abbas *in dicto cap. Si quis, num.* 2. & benè probat *ex canon. Lex illa, el* 36. *quæst.* 1. vbi sic Gelasius Papa incestum describit. Incestus, est consanguineorum, vel affinium abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis, vel affinibus suis abutuntur. Hactenus Gelasius. Navarrus *in Manuali, cap.* 22. *de Sacramentis, num.* 74. & 75. cum Præposito *in cap.* 1. & 2. *de eo, qui cognovit consanguineam vxoris* Angelo *verbo Incestus*, §. 3. & probat *ex canon. Si duo*, 35. *quæst.* 6. & ibi Glossa *ex can. fin. eadem causa quæst.* 8. *ex can. de incestis, eadem quæst.* 3. *ex canon. Si quis cum matre; & filia eiusdem causa, & quæst. ex can. Qui propinquam*, vbi Fatianus Papa ita ait. Qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, & separantur, non licebit eis quandiù vivunt, aliàs vxores sibi coniungio sociare: tum etiam probat, quia ratio, quæ ex contextu multorum *can.* 35. *causæ* colligitur, quare multò plus insistitur in eis ad declarandum incestuosum cum affine non debere contrahere, quàm incestuosum cum sanguinea, videtur esse, quia de illo plus poterat dubitari, quàm de hoc: tum denique, quia id stylus Curiæ servat, dum dispensando vt consanguinei, qui se incestu polluerunt contrahant inter se matrimonium, apponit clausulam, vt superstes sine spe coniugij maneat. Hæc omnia Navarrus.

Idem etiam probatur ex dictis suprà *num.* 3. & 14. quia scilicet pœna legis locum habet in aliis casibus, quàm in expresso in ipsa lege, si in eis eadem omninò ratio militat, ac militat in lege expresso. Cum igitur in incestu perpetrato cum propria consanguinea, eadem, & maior ratio militet, ac militat incestu cum vxoris consanguinea admisso prohibitio petendi debitum inflicta incestuoso cum affine inflicta erit; incestuoso cum propria consanguinea. 29

Nec valet dicere hanc pœnam, inductam non esse, ob criminis gravitatem, sed ob iniuriam, quæ fit matrimonio, per coitum cum cognata coniugis. Vnde in incestu cum consanguinea, non est maior, nec eadem quidem ratio, ac est in incesto cum affine, seu cum consanguinea vxoris. Ac per consequens inhabilitas, seu privatio facultatis petendi debitum inflicta incestuoso cum affine, locum non habebit cum incestuoso cum propria consanguinea. Non inquam valet, quia vti ait Navarrus, *loco citato*, incestus cum affine, nullo præcedente matrimonio, idem facit. Canon enim *Si quis cum duabus* 35. *quæstione* 2. habet, quod cum duabus sororibus fornicatus, non debet contrahere, etiam cum alia, nisi quædam, concurrant, ob quæ dispensetur, vt ibi etiam ait Glossa, *verbo Pœnitentiam*. 30

Contraria sententia etiam probabilis est, ob authoritatem Doctorum illam sequentium. De quorum numero sunt Bassæus, *verbo Incestus numero* 7. cum D. Thom. *in* 4. *distin.* 34. *quæst.* 1. *articulo vltimo*: Lessius *de Iust. libro* 4. *cap.* 3. *dubitat.* 11. *numero* 82. cum Toleto *libro* 5. *capite* 12. Divus Antoninus *parte* 3. *Summæ maioris, titulo* 1. *capite* 16. §. 4. cum Richardo, *in* 4. *distinct.* 34. 31

Et probant: tum, quia eis videtur nullo iure id caveri, cum *capite* 1. 2. & 4. *de Eo, qui cognovit consanguineam vxoris*, solum agant de incestu cum affine: & pœnæ extendi non debeant vltra casus in Iure expressos. Tum ob id, quod modo obieci, videlicet, quod non videatur prohibita debiti coniugalis petitio ob gravitatem delicti incestus, sed ob iniuriam, quæ matrimonio irrogatur. Sed huic fundamento, ad satietatem est iam responsum, sicut & primo.

Duo hic, vt scias velim. *Primum*, quod affinitas non contrahitur nisi in coitu tam fœmina, quàm vir compleant copulam per vtriusque seminationem. Sive enim cum consanguinea propria, sive cum vxoris consanguinea rem quis habeat, & completè quidem ex parte sua si fœmina tamen non seminat nullum ex huiusmodi coitu impedimentum sequitur, & sic, absque vlla dispensatione, debitum coniugale exigere benè queit: Bassæus, *verbo Incestus, numero* 6. cum Præposito 3. *parte de Matrimonio dub.* 9. *numero* 81. & Sanchez *libro* 7. *de Matrimonio, disput.* 83. qui tamen ibi non loquitur in terminis nostris de affinitate contrahenda, sed de bigamia; Diana *parte* 4. *tract.* 2. *resolutio.* 43. expressè de affinitate nobiscum tenet, cum Hurtado, *tract. de Matrimonio*, 32

disput.20. *difficult*.1.*n*.5. recensente Innocentium, & Lopez. D. Antoninus *in Summa*, *part*.3. *tit*.1. *cap*.11. Secundum, quod in impedimentis, quæ matrimonio superveniunt, dispensate aliqui possunt. De quo latè in Appendice huius dubij, à *num*. 121.

33 XI. In Extravaganti *Ambitiosa*, vnica *de Rebus Ecclesiæ non alien.* Paulus Papa II. alienationem rerum Ecclesiasticarum sub his pœnis ipso prohibuit. Si quis autem, contra huius nostræ prohibitionis seriem, de bonis, & rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit: alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi, nullius omniò sint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorúmque piorum quorumlibet inconsultò Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitare, ingressus Ecclesiæ sit penitùs interdictus. Et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseveraverit indurato: lapsis mensibus eisdem, regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus, sit eo ipso suspensos. Inferiores verò Prælati, commendatarij, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, alijsque Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus, & Regularibus beneficijs, quorum res, & bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant: illáque absque declaratione aliqua, vacare censeantur: possintque per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint, liberè, de Iure conferri; nisi aliàs dispositioni Apostolicæ Sedis, sint specialiter, aut generaliter reservata. Nihilominùs alienatæ res, & bona huiusmodi, ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè revertantur.

Hucvsque Paulina Constitutio. De cuius pœnis videantur Pellizzarius *in Manuali Regularium tom*.1. *tract*. 6. *cap*. 8. *num*. 1. Lezana *tom*. 1. *Sum. quæst. Regular. tom*. 1. *part*. 1. *cap*.10. *num*. 1. *& tom*.2. *verbo Alienare*, *n*. 3. Quaranta *in Sum. Bullar. verbo Alienare*: Palaus *tom*. 1. *tract*. 3. *disput*. 2. *punct*. 2. *nu*. 10. vbi cum Suarez *lib*. 5. *de Legibus*, *cap*. 8. *n*. 14. allegante Caietanum, Navarrum, & Cordubam, docet, ad vacationem beneficiorum, in vindictæ Extravagantis, opus non esse sententia criminis declaratoria.

34 Quæ quidem Paulinæ poenæ, innovatæ sunt, & adauctæ per Sacram Congregationem Concilij in Decreto, Vrbani Papæ VIII. iussu edito, *7. die mensis Septembris, de Anno* 1624. quod exscribunt Lezana, *n*. 2. *dictà cap*. 10. *& verbo Alienare*, *n*. 4. Pellizz. *num*. 3. Bonacina *de alienat. quæst. vnica punct*. 1. *n*. 8.

Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosiorum mobilium alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem infeudum, vel emphyteusim, prætetquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto, absque alia declaratione, incurrant. Sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate. Pœnis nihilominùs Apostolicarum Constitutionum, & præsertim felicis recordationis Pauli II. quæ incipit, *Ambitiosa*, in suo robore permansuris. Alienationes verò, & pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascumque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis suæ auctoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit. Hactenus Decretum.

XII. Pius Papa IV. in Constitutione, *Romanum Pontificem la* 85. apud Angelum Cherubinum *tom*. 2. *Bullarij magni novissimi pag. mihi* 119. statuit Ecclesias, Monasteria, & beneficia in confidentia recepta, in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs in huiusmodi confidentiam iure prohibitam, cuiusvis personæ contemplatione, vel intuitu, quóvis modo recepta, illorum liberam collocationem, & dispositionem Sedi Apostolicæ literarum illarum tenore esse reservatam, & ipso iure à die receprionis eorundem, vacavisse, & vacare. Et cardinales, seu quosvis alios, à prima die receptionis beneficiorum huiusmodi, citra fructus, redditus, & proventus earundem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum beneficiorum, ac pensiones prædictas indebitè percipere, suósque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos, omnes, & singulos ad Cameram eandem devolutos fuisse, & esse, illaque deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem in vtroque foro teneri, & ad id oportunis Iuris remedijs compelli debere, auctoritate Apostolica decrevit, & declaravit. 35

Et insuper vniversis, & singulis, tam Cardinalibus, etiam Episcopis, quàm Prælatis, & Clericis, ac aliis, ne deinceps, vllo vnquam tempore, aliquas Ecclesias, Monasteria, Dignitates, vel alia beneficia, etiam de Iure patronatus existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, seu accessus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reservationum sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere præsumant, Cardinalibus, & aliis Prælatis, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interdicti ingressus Ecclesiæ, reliquis verò sub maioris excommunicationis latæ sententiæ pœna, per contra facientes eo ipso incurrenda, à qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolvi non possint, districtiùs inhibet.

De huius constitutionis intelligentia, videantur Ioannes Baptista Scortia *in selecta Summorum Pontificum Constitutiones Theorem. lib*. 201. 202. *&* 203 Quaranta *in Summa Bullarij, verbo Simonia, pag. mihi* 599. *& seqq.* vbi multa scitu digna reddit. Palaus *tom*. 1. *tract*. 3. *disp*. 2. *punct*. 2. *num*. 10. *versic. Tertiò*: cum Suarez *de Legibus, lib*. 5. *cap*. 8. *n*. 16. Quod autem illa obliget in conscientia delinquentes ante omnem sententiam condemnatoriam, aut criminis declaratoriam quoad indebitam perceptionem fructuum, redditium, proventuum, 36

uentuum, ac pensionum, ex eadem met Constitutione; sicut quoad eorum restitutionem, euidens mihi est, & docere debet Palaus, consequenter ad ea, quæ *num.*7. dixerat. Videlicet: Beneficiarios non residentes, & horas Canonicas non persoluentes fructus, non facere suos, nec tuta conscientia illos posse retinere in vim Tridentini, & Lateranensis Conciliorum, alia declaratione non sequuta. Et quòd pariter obliget quoad priuationem beneficiorum obtentorum per Simoniam, docent apud eundem Palaum, Nauarrus, *in Manuali, cap.*23.*num.*110. & Suarez, *de legibus, lib.*5.*cap.*8. *n.*16. retractans suam sententiam, quam docuerat *tom.*1.*de Religione, lib.*4. *cap.*45. *versic. Nota decimò, in fine.* Ipse tamen Palaus, quoad priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad alia, sentit non contrahi pœnam huius constitutionis, sicut nec pœnam inflictam per Bonifacium, confirmatam per Gregorium XIII. contra recipientes aliquid in Curia pro gratia, & iustitia, nec pœnam Tridentini, *sess.*24. *cap.*18. *de Reformatione*, contra examinatores lata, ante declarationem patrati delicti. Quia dispositio Conciliaris (& idem ait de aliis modo recensitis) intelligitur, vt absolui non possint, nisi dimissis beneficiis: subintelligitur (inquit) si fuerit eorum crimen declaratum. Sic Salas, *de legib. disp.*15. *sect.*2. *num.*31. Lessius, *lib.*2. *de Iustit. cap.*35. *dub.*26. *num.*147. *&* 148.

Et quoad inhabilitatem non incurrendam, consonant Sanchez, *in Sum. tom.*1. *lib.* 2. *cap.*39. *n.*32. cum Nauarro, Molina, & Martino Ledesma, Patres Villalobos, *in Sum. tom.*1. *tract.* 2. *difficult.* 25. *n.*3. & Portell, *in dubiis Regular*, asserentes, pœnam inhabilitatis, non incurri ante Iudicis sententiam: quorum opinionem referunt, & probabilem iudicant Diana, *part.*4. *tract.*4. *resol.* 26. Noctinot *in compend. verbo Pœna num.*3. igitur si aliquis (inquit Diana) faciat actum, cui imposita est inhabilitas, ad officia, & beneficia, non tenetur ante Iudicis sententiam subire dictam pœnam: & ita posset illud officium, vel beneficium acceptare, vel iam obtentum non relinquere. Et ideò Sotus, *de Iust. lib.*4. *quæst.* 6. *art.* 34. docet Scholasticos in Academiis, qui violantes præceptum, vel statutum illarum incurrerunt inhabilitatem (priuationem scilicet vocis actiuæ) posse dare suffragium in electione ad Cathedram, si delictum sit occultum, quia indictam inhabilitatem non incurrunt, nisi post Iudicis sententiam. Hactenus Diana, qui *part.*1. *tract.*10. *resol.*24. pro hac Soti sententia, recenset Graniadum, 1.2. *conuers.*7. *tract.* 3. *part.*1. *disp.* 13. *sect.* 2. *n.*15. Ledesman *in Sum. quæst.*19. *art.* 2. Sousam, *in Bullam de Largitione munerum* §. 9. & Molinam *de Iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.*96. *num.*8.

57 Plura statuit Pius V. in Constitutione *intolerabilis, la* 85. in Bullario nouissimo *tom.*2. *pag. mihi* 282. contra eosdem Simoniacos confidentiarios. Et præfatam Pij quarti in primis, innouat Constitutionem. Quam etiam interpretatur Quaranta *vbi proximè.*

58 Denique, sæpè sæpius infliguntur ipso facto, & ipso Iure pœnæ excommunicationis, suspensionis, ac interdicti, & irregularitatis quidem. Hæc vtique in Iure solùm Canonico; illæ autem passim, non solùm à Iure ipso, sed etiam ab homine, vt omnibus notum est. Quæ quidem pœnæ in foro obligant conscientiæ, & contrahuntur statim, ac commissum est crimen, ob quòd infliguntur, nulla quidem sententia condemnatoria, aut declaratoria criminis prærequisita. Concordat Doctorum omnium sententia, Castrus Palaus, *in Sum. Mor. part.*1. *tract.*3. *disp.* 2. *punct.*2. *num.*1. cum Soto, *de Iust. lib.*1. *quæst.*6. *art.*6. *concl.*2. Salas, *de legibus disp.*15. *sect.* 2. *num.* 29. *versic. Inhabilitas*, vbi plures recenset, & cum Suarez *de legibus cap.*5. idem Palaus, *num.*5. Thomas Sanchez, *de Matrimonio tom.*3. *lib.*9. *de debito coniugali, disp.*30. *num.*1. *&* 2. Azorius, *Instit. Moral, part.*1. *lib.*5. *cap.* 7. *versic. Verùm contra*, *col. mihi* 430. cum Castro, *de lege Pœnali*, *lib.* 2. *cap.*8. Beccanus, *tract.*3. *de legibus cap.* 7. *quæst.* 3. *conclus.*1. Diana, *part.*4. *tract.*4. *resol.* 26. *versic. At his non obstantibus*, Antonius Maldus; *in Summa, verbo Pœna num.* 27. Nauarrus, *tom.*2. *Conciliorum, lib.*5. *tit. de Raptoribus, concil.*3. *num.*5. Syluester, *verbo, Pœna quæst.*15. Caietanus, 22. *q.*62. *art.*3. *versic. In articulo, & versic. Ad hoc* Æligius Bassæus, *tom.*2. *verbo Pœna n.*2. Peyrinus, *de Prileg. Constit.*6. *Iuly II. n.*20. Amicus, *tom.*5. *disp.*5. *sect.*11. *num.*2. §. 252. Omnium sententia est. Et ratio præcipua huius est, quia ita est vsu, & praxi Ecclesiæ receptum; satis quidem opportunè, & prouidè: quia ad rectum Ecclesiæ regimen spectabat, vt ipsamet Ecclesia, quæ spiritualem intendit subditorum suorum profectum, pœnas haberet aliquas, quibus illos à facinoribus quantumcumque occultis perpetrandis, arceret. Videatur Caietanus, 2.2. *q.*62. *art.*3. *versic. In articulo, & versic. Ad hoc*, vtrobique sententiam præfatam tenet, sed rationem hanc, minus receptam, vti videbimus, reddit. Quia scilicet non exigit pœna excommunicationis, & censurarum lata à Iure, actionem Iudicis. Tenet etiam Sà, *verbo Pœna, num.*1. Tamburin, *tom.*4. *de Iure abbatissarum, disp.* 19. *quæst.*3. *n.*1. qui vltra, *praxim*, addit, supponi à Concilio Trident. *sess.*24. *cap.*6. concedente facultatem absoluendi à casibus occultis reseruatis.

§. III.

BREVIARIVM.

Cibus.

A cibo abstinere nemo obligari potest in pœnam delictorum, etiam ex Iudicis sententia, n.45.

Potest tamen si velit, data sententia, n.61.

Crudelitas.

Non solùm exercetur quando plus tormenti alicui datur, sed etiam quando exceditur, in modo tormenti, num.46.

Fames.

Tempore famis, licitum est panem habenti vita propria necessarium, alteri dare, ne pereat, n.59.

Feudum.

Feudi Dominus, qui scit feudatarium in commissum cecidisse, & non petit, censetur gratis illud remittere, n.67.

Fugere.

Reus certo sciens, quòd morte sit plectendus, potest à carcere non fugere, esto possit fugere, n.60.

Incendium.

Grassante incendio, si non adsit alia euadendi via, potest quis è sublimi per fenestram se dimittere cum certo vitæ periculo, n.58.

Potest quis in incendio, vt alium à morte liberet, propriam vitam, mortis periculo exponere, n.59.

Iustitia.

Est ad alterum, non autem ad se ipsum, n.45.

Legatarius.

Qui non petit ab herede legatum, illud remittere præsumitur, n.67.

Membrum.

Nemo tenetur sibi membrum amputare in delicti pœnam, etiam ex Iudicis sententia, 46.

Miles.

Potest ad euertendam turrem hostilem, aut occidendos hostes in tormentarium puluerem ignem iniicere, & illum incendere, etsi certum sit, momento temporis se obruendum, & dissipandum, n.52.

Possunt Milites, & socij nauales cum Hæreticis, & Turcis prælio nauali fortiter dimicantes, cum iam vident nauem in hostium potestatem venturam, & ipsos ab inimicis occidendos, vel aliàs grauis adsit causa, communi consensu, ignem pulueri tormentario iniicere, vel se mari committere, maximè si natare sciant, n.54.55.

Possunt cum vitæ periculo, turres, & mœnia hostilia suffodere, num.53.

Tenentur non deserere stationes suas, etiamsi moraliter certi sint se occidendos, n.51.

Potest in bello cum propria vitæ periculo alteri, vt fugiat equum dare, n.59.

Mors.

Potest quis licitè sibi, & aliis mortem desiderare, & eam modo legitimo procurare n.60.

Naufragium.

In naufragio potest quis desilire in mare, aut in flumen, vt saluet proximum, n.55.59.

Potest quis alteri tabulam permittere nondum à se occupatam, imò & occupatam & se vndis committere, etiamsi desit euadendi spes, n.56.59.

Qui prior tabulam occupauit, alterum ad illam admittere non tenetur, sed potest impedire, nisi vtrique sufficiat. Si simul tamen illam occuparunt, sorte est dirimendum si neuter cedere velit, n.57.

Occisio.

Ad vitam Principis conseruandam, imò & amici, potest quis se obiicere telo, n.59.

Pro iniustè ad mortem condemnato, potest quis se occidendum offerre, n.59.

Potest quis frigoris tempore vestem, quam habet, cum propria vitæ periculo alteri dare, ne pereat, numer.59.

Occidere se ipsum, aut Patrem nemo queit, etiam ex legis, aut sententiæ præscripto à, n.44.ad 48.

Venenum sumere, nemo in pœnam delicti, etiam ex Iudicis precepto sumere queit, n.45.47.

Violentas manus sibi inferre, nemini licet, etiam in pœnam delicti ex Iudicis sententia, n.46.48.

Venam sibi scindere, vt sanguinem emittat, & sic paulatim vitam amittat, non licere, etiam ex Iudicis sententia, alij aiunt, alij negant, n.47.

Se grauiter verberare, aut cum infamia nemo tenetur in pœnam delicti, etiam ex legis præscripto, aut sententia, num.48.

Reus iustè ad mortem condemnatus, si innocens non sit, aliquas in se tenetur exequi actiones conducentes ad sui occisionem, sed remotè tamen. v.g. ad furcam & tabulatum proficiscere, scalam ascendere, collum præparare, manus apponere, laqueum sibi applicando, &c. n.50.

Opinio.

Non est ab opinione communi DD. facilè in rebus practicis recedendum, n.44.

Pœna.

Dari possunt leges, & præcepta ipso facto obligantia in foro conscientiæ ad subeundam pœnam inflictam, requirentem actionem ad sui executionem nulla expectata sententia, etiam criminis declaratoria, & illam in se ipsum exequendam: quam scilicet aliquis secundùm rectam rationem sibi infligere possit a num.39.*ad* 42.

Plures adnumerentur a n.49.*ad* 52.

Multæ sunt pœnæ, quas sibi quis infligere nequit, nisi rectam violando rationem, n.43.

Non paucæ recensentur à n.44.*ad* 48.

Tirannicè, barbaricè, crudeliter, & inhumanè obligabitur quis ad huiusmodi pœnas exequendas in se ipsum in foro conscientiæ, n.63.64.65.

Pœnam verberationis sibi inflictam per sententiam, quam nequeat per appellationem, aut aliud iuris remedium infirmare, tenetur reus in conscientia, in se ipsum exequi, n.62.

Pœnam carceris duri, aut tristis, vt ibi reus male tractetur, sustinere in conscientia non tenetur, sed fugere queit, n.63.

Pœnam diuturni exilij terræ insalubris, Reus in conscientiæ foro subire non tenetur, sed fugere queit, num.63.

Triremium pœnam pro longo tempore, in conscientia non tenetur subire reus, sed fugere bene valet, num.63.

Pœnam actionis nimis molestæ non tenetur Reus in se ipsum exequi in conscientia, n.63.

Pœnam pecuniariam in se ipsam exequi in conscientia tenetur, qui ad executionem fuit condemnatus sententia vltima à qua appellari non liceat, aut si infirmari illa nequeat alio Iuris remedio, n.64.

Pœnam pecuniariam exequi tenetur post sententiam declaratoriam criminis, cui est ipso Iure inflicta, à qua appellari non liceat, n. 64.

Pœnam pecuniariam, qua aliquis per sententiam plectitur, vltro soluere tenetur in conscientia antequam petatur, n.65.66.

Praxis tamen, & vsus habet, vt non teneatur pœnam soluere, nisi petatur ab eo, Cui est soluenda: interim enim, si condemnationem iste scit præsumitur condonare illam, n.67.

Pœna conuentionalis, & qualibet alia legis præscribi potest post condemnationem, si à parte interessente non petatur spatio 30. annorum. Quia præsumitur illam remittere, n.67.

PROPOSITIO II.

DAri possunt leges obligantes ipso iure, & 39
ipso facto in foro conscientiæ, ad subeundam pœnam inflictam, requirentem actionem ad sui executionem, nulla expectata sententia condamnatoria, aut criminis quidem commissi declaratoria, & illam in se ipsum exequendam, quam aliquis secundùm rectam rationem possit sibi infligere. Hanc positionem docent Martinus Becanus, *tract.3. de legibus, cap.7. de lege pœnali, quæst.3. conclus.* 2. Ioannes Azorius, *Institution. Moral. part.1. lib.5. cap.8. quæst.6.* Palaus, *in Summa, part.1. tract.3. disp.2. punct.4. à num.3.* Antoninus Diana, *part.5. tract.6. resol.79.* cum Salas, *de legibus, disp.15. sect.7. num.*88. & Francisco Suarez, *eod. tractatu, lib.5. cap.10. num.16.*

Et probat Leonis X. in Concilio Generali La-
teranensi facta Cōstitutio, in qua sic habetur. Sta- 40
tuimus, vt quilibet habens beneficium cum Cura, vel sine Cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis officij, & temporis sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum,

vel

vel pauperum eleemosynas erogare tenetur. Hæc Conciliare Decretum, quod confirmauit Pius Papa V. & declarauit, per Constitutionem suam, *Ex proximo:* quæ pro vlteriori nostræ positionis probatione deseruit.

41 Nec valet dicere, hanc Leoninam, & Pianam pœnam, in sola inhabilitate ad percipiendos consistere fructus; non autem in vera spoliatione fructuum iam perceptorum: ac proinde non esse pœnam positiuam, quæ executionem postulet, de qua præsens procedit propositio, sed priuatiuam; de qua dictum est in prima propositione.

Non tamen valet, quia pœna præfata, non solùm est priuatiua ex eo, quòd inhabilis Beneficiarius efficiatur ad perceptionem fructuum; sed etiam est positiua, vti bene obseruat Becanus, *in fine reconsita quæstionis.* Quod ex eo demonstratur, quia eisdem iuribus additur, vt fructus iam perceptos teneatur officium non persoluens, in fabricam, vel in pauperes erogare. Consonat Pellizzarius, *tom. 2. part. 2. tit. 10. cap. 8. n. 53.*

42 Alias recensent leges, tam Ciuiles, quàm Canonicas, quæ obligant delinquentes ad pœnam soluendam ante sententiam Iudicis, Couarruuia, *2. part. de Matrimonio, cap. 6. §. 8. n. 10.* & alphonsus de Castro, *de lege pœnali, cap. 1.* apud Becanum, *loco citato, num. 6. in principio.*

43 Consultò in propositione addidi: *quam aliquis secundùm rectam rationem possit sibi infligere.* Quia aliquæ sunt pœnæ, quas sibi quis infligere nequit nisi rectam violando rationem, & lex, aut Iudex obligans ad illas sponte subeundas, & in se ipsos exequendas, tyrannicè, & barbaricè procederet. Vnde multi deciduntur casus.

44 I. Si pœna sit de morte subeunda, reus condemnari nequit; ad mortem sibi ipsi inferendam: esset enim huiusmodi Lex, aut sententia tyrannica, & iniqua, ac Barbara & propterea nemo ea teneretur. Azorius, *quæst. 6. citata.* Castrus Palaus, *num. 2.* cum Suarez, *dicto lib. 5. cap. 7. ad finem, & cap. 10. num. 12.* & Bonacina, *de legibus, disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. n. 29.* Antoninus Diana, *dicta resolut. 79. versic. Notandum est,* cum Salas *vbi suprà, num. 82. & 85.* & cum Suarez, *cap. 10. n. 14.* Noster Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis, part. 1. lib. 2. cap. 11. num. 40. fol: mihi 303. cum Soto, de Iustit. & Iure, lib. 1. quæst. 6. art. 6. conclus. 5.* Gabriel Vazquez, *tom. 2. in 1. 2. D. Thomæ, disp. 83. cap. 3. num. 50.* Caietanus, *2. 2. q. 69. art. 3. versic. Ad septimam dubitationem, & vers. Ad cuius euidentiam.* Busembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 1. in princ.* ibi Absque diuina authoritate non licere se ipsum directè, & ex intentione occidere. *Et resolut. 3.* ibi: licet positiuè se ipsum perimere non possit, etiamsi à Iudice id committatur. Ita ille cum Card. Lugo, *d. 10. de Iust. sect. 1. num. 38.* Granadus, *2. 2. tom. 2. contr. 3. de Charit. tr. 6. disp. 2. sect. 3. n. 8.* cum D. August. *lib. 1. de ciuit. Dei cap. 27.* dicente: *manifestum est id nunquam licere.* Inferre scilicet sibi mortem. Leonardus Lessius, *de Iustitia, lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 26.* vbi reddita sententia Francisci Victoria, *relectione de Homicidio, num. 30.* Aragonis, *2. 2. quæst. 9. art. 4.* & Cordubæ, *lib. 1. q. 36.* pro qua etiam refertur Bonacina, *disp. 2. de restitut. quæst. vlt. punct. 5. num. 3.* Sà *verbo, Iudicialis actus, num. 54.* quem quidem titulum in eius Aphorismorum codice non inueni, eius tamen placitum legi *verbo, De Reo, sub. num. 12. in addit. Victoria de Homicidio* sic ait. Verùm mihi placet contraria sententia; tum quia communis Doctorum, à qua in rebus practicis non facile recedendum: tum; quia sicut nemo est idoneus executor sententiæ mortis in parentem, ob reuerentiam illi, qui est principium vitæ, debitam, & ob naturalem, coniunctionem, ita multo minus in se ipsum: est enim actio directè pugnans cum inclinatione communis naturæ: nulla enim res seipsum, vllo casu perimere intendit. Hactenus Leonardus, Lessius, Gordonus, mox, numero sequente recensendus. Amicus, *tom. 5. disput. 5. sect. 11. num. 253.* Caramuelem vide, *pag. 463.*

II. Neque condemnari quis queit, & obliga- 45
ri venenum sumere, vel à cibo ablato abstinere. Palaus, *dicto num. 12.* cum Suarez, *lib. 5. citato, cap. 7. num. 13. & cap. 10. num. 14.* Salas, *disp. 15. sect. 7. num. 82. & 86.* & cum Valerio Reginaldo, *lib. 13. num. 288.* Diana, *vbi proximè,* Graffis, *dicto num. 40.* ibi: secus autem si pœna esset corporis afflictiua, vt mortis, vel corporalis læsionis. Caietanus, *loco proximè reddito:* ibi. Quemadmodum enim non licet damnare aliquem, vt se ipsum confodiat, ita neque quòd se ipsum mergat, aut veneno occidat. Quia sententia debet esse de actu iustitiæ. Non est autem actus iustitiæ se ipsum occidere. Tum, quia actus iustitiæ est ad alterum, & non ad se ipsum. Tum, quia est contra ius naturæ, & Caritatem, vt in quæstione de homicidio actum est. Hucusque Caietanus ibi. *Et vers. Ad octauam,* ait. Ad octauam dubitationem dicunt quidam, quod non tenetur comedere, sed potest tanquam patienter sufferens sententiam absque cibo expectare mortem. Sed hoc non est verum, quia nec priuata, nec publica authoritate potest quis se ipsum licitè occidere. Constat autem quòd nolle vti alimento habito, est occidere se ipsum non minùs, quàm se ipsum gladio transuerberare. Vnde dicendum est, quod tenetur comedere, vt ius naturæ seruet. Hæc Cardinalis. Vazquez, *vbi suprà num. 21.* vbi ait: quin hæc etiam genera mortis aliquid habent crudelitatis, & inhumanitatis, propter modum exequendi pœnam in se ipsum. Azorius, *quæst. 6. recensita,* cuius verba modo exscribam. Diana, *part. 5. tr. 4. resol. 40.* Idem Azorius. *part. 3. lib. 2. cap. 3. q. 9.* Naldus, *verbo Mors, num. 4.* cum Salon, *tom. 1. fol. 481. quæst. 70. art. 4. controu.* & communi sententia. Gordonus, *in Theologia Morali, to. 1. lib. 5. quæst. 4. §. 2. num. 3. capitis 1.* Id autem, quod Caietanus ait, non licere à cibo habito abstinere, quia se occidere est; ab aliis non admittitur vti videbimus, *num. 89.*

III. Neque condemnari vllus potest, vt pœ- 46
nam subeat, sibi aliquod corporis membrum amputando. Quia huiusmodi Lex, aut sententia tyrannica, & iniqua esset: ac proinde nemo ea teneretur. Ita Azorius, *quæst. 6. & 9. citatis* & non obscurè Vazquez, *num. 19.* ibi: ipsa namque natura abhorret violentas sibi manus inferre: quia hoc tam genus pœnæ, quàm inhumanitatis, & crudelitatis apparet. Adde, quod cum hæ pœnæ ab aliis inferri possint, idque magis videatur humanis moribus conueniens, crudele genus esset pœnæ, aliquem ad hoc adigere, vt manus sibi violentas inferret. Nam Crudelitas, quæ teste *S. Tho. 2. 2. quæst. illa 159. art. 57.* excedit modum in tormentis, & pœnis, non solùm accidit ex eo, quòd plus tormenti, alicui detur; sed ex modo inusitato, & insolenti, qualis est, vt quis sibi violentas manus infligat. Hæc omnia Vazquez,

Castrus

Castrus Palaus expressè, *dicto num.* 2. & Graffis, *num.* 40. *allegato* ibi: Vel corporalis læsionis. Et hæc, quidem sententia, doctrinæ Caiet ni modo redditæ accinit, qui expressè id docet *versic. Ad cuius evidentiam*, ibi. Non enim damnatur aliquis, vt se occidat, mutilet, torqueat, &c. Busembaum, *vbi proximè, responsione* 2. Allegat Lessium, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 14. sed immeritò, quia *num.* 101. ait. Sed probabilius, & verius videtur etiam tunc licere (quando scilicet abscisio prouenit ex alterius imperio) vt quando tyrannus, vel Iudex hoc imperaret. Amicus, *tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 11. *n.* 253.

47 IV. Condemnari item nequit vllus ad scindendum sibi venam, & sanguinem eiiciendum, vt sic sensim, & paulatim vitam amittat, vti de Seneca fertur Philopho. Docet Azorius, *quæst.* 6. *sæpe allegata*, vbi proposita quæstione, an condemnati ad id quis queat? ita illam resoluit. Respondeo meo quidem iudicio, id genus pœnæ esse iniquum, & barbaricæ immanitati proximum. Nec aliter videtur sentiendum esse de lege, aut sententia, qua quis condemnaretur ad venenum sponte, ac per se epotandum. Hæc Azorius. Idem, *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 9. Eandem sententiam, licet non ita expressè, seu in terminis, tenent Doctores suprà allegati, & expressè Diana, *part.* 5. *tract.* 4. *resolu.* 40.

Non reticeam tamen Vazquez, *disput. citata, cap.* 4. *num.* 25. in hæc prorumpentem. Adderem etiã posse aliquem eligere pœnam mortis abscindendo sibi venam, vt emisso sanguine moriatur, aut etiam bibendo venenum, si venenum hac ratione acerbiorem aliam mortem vitet: sic enim pœna hæc nihil videtur habere inhumanum. Hoc tamen intelligerem si optio illi detur à Principe, vel à legitimo Iudice, qui potestatẽ habet puniendi, non autem si à tyranno detur: hic enim cum non habeat talem potestatem, non potest eo facultatem concedere in se ipsum. Ea etiam, quæ diximus, intelligenda sunt de eo, qui iuste, & sine falsa præsumptione damnatur ad mortem. Hactenus Vazquez.

48 V. Vt se quis torqueat, aut verberet grauiter, condemnari rursus nequit. Tenet Caietanus, *dicto versic. Ad cuius evidentiam*, in verbis paulo superiùs recensitis. Castrus Palaus, *vbi suprà, n.* 2. vbi ita fatur. Secundò credo etiam certum, delinquentem, neque legem, neque per sententiam condemnatoriam obligari posse ad pœnam mortis, mutilationis, verberationis grauis, & infamis sibi inferendam. Quia bono communi non expedit delinquenti, hanc obligationem ita grauem imponere, vt ipse sui ipsius vindex sit, sufficienter enim fit satis bono communi, & pœnæ debitæ pro delicto, si cum ab alio imponitur, patienter sustineat. Ita Suarez, *lib.* 5. (scilicet, *de legibus*) *cap.* 7. *ad finem, & cap.* 10. *num.* 12. Vazquez, *disp.* 173. Bonacina, *disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 29. Graffis, 1. *part. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 40. Hucvsque Palaus Amicus, *tom.* 5. *disp.* 5. *sect.* 11. *numer.* 253. vbi ait. Aliæ (scilicet pœnæ) requirunt actionem distinctæ personæ à delinquente, vt licitè exerceri possint, vt pœna mortis, & mutilationis, vel saltem vt sine crudelitate, & nimia acerbitate executioni mandari, vt pœna confiscationis omnium honorum.

49 E contra verò, dari bene queunt leges, sententiæ, & præcepta Superiorum, quibus obligatus in conscientia maneat reus, ad subeundam pœnam inflictam, & illam in se ipsum exequendam, nulla alia sententia condemnatoria, aut criminis declaratoria expectata, si huiusmodi executio rectæ rationi, grauiter tamen, non aduersetur. Pro cuius dilucidatione, alios casus decidere, operæ pretium duxi.

50 I. Tenetur reus condemnatus, ad locum, pro vltimo supplicio, destinatum, ad patibulum v.g. furcam, aut tabulatum, vulgo *Cadahalso* proficisci: scalam ascendere, colum præparare: manus apponere, & alias actiones efficere similes, quæ ab alio iustitiæ ministro non ita commodè fieri valeant. Docent Castrus Palaus, *part.* 1. *tract.* 3. *de lege pœnali, disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 3. cum nostro Gregorio Sayro *in Claui Regia, lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 41. Soto, *de Iure, lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. *conclus.* 1. Couarruuia, 2. *part.* 4. *cap.* 6. §. 8. *num.* 10. Aragone, 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Salas, *de legibus, disp.* 15. *sect.* 7. *num.* 82. Bonacina, *eod. tract. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 23. & Francisco Suarez, *de legibus lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 14. testante de communi opinione. Antoninus Diana, *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 79. *& part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 40. ex Sylujo Vazquez, *l.* 2. *tom.* 1. *disp.* 175. *cap.* 4. *num.* 24. *&* 27. vbi ita fatur de innocente damnato ad mortem, secundùm allegata, & probata: non poterit in se talem exequi pœnam, quia neque posset abscindere sibi venam, aut directè ad mortem cooperari: nam qui conscius est se non mereri talem pœnam non poterit sibi violentas manus inferre, sicut nec posset Iudex si conscius esset. Licet tamen cooperari per accidens, non directè ad mortem ascendendo spontè scalam, aut laqueum sibi applicando: quia vbi non est remedium euadendi periculum melius est alacriter subire mortem, quam inuitum trahi ad supplicium. Hæc ille.

Et ratio est, quia licet hæc sit aliqua cooperatio ad mortem propriam; quia tamen hæc cooperatio remota censetur; imò & actiones recensitæ, ex se indifferentes sint, & mortem non inducentis & aliis ex capitibus honestantur: cum Superioris præcepto: tum etiam, adstantium exemplo, qui quidem, si reum ire violenter viderent, procul dubio crederent impatienter illum supplicium subire, & iustitiæ resistere, ideò actiones præfatæ à reu ipso, in semetipsum exequutæ, rationi rectæ non aduersantur, ac per consequens, tenetur in conscientia reus pœnam illam, non solùm pati, sed in se ipsum inferre. Nihil enim habet crudelitatis, & inhumanitatis. Quod quidem demonstratur exemplis quàm plurimis, in quibus licet, quando iusta causa subest aliquid facere vel omittere, vnde certo scitur securutus interitus proprius indirectè, vt communis fert. Doctorum opinio, eo ducti fundamento, quod non sit prohitum homini, ne vitam suam vnquam exponat periculis, aut conetur eam semper illæsam seruare; sed tantùm ne ex intentione illam quasi exosam, odio habitam, auferat: & ne absque causa illam exponat, aut conseruare omittat: tunc enim ex intentione vitam propriam, perdere censetur. Bassæus, *tom.* 1. *verbo, Homicidium, I. num.* 7. cum Sayro, *in Claui Regia, lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 19. *& seq.* Bonacina, *de restit. disp.* 2. *q. vlt. sect.* 1. *punct.* 5. *num.* 4. *& seq.* Toleto, *lib.* 5. *cap.* 6. Syluio, 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. Maldeto, 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. Petro Nauarra *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 73. 82. *& seq.* Marchancio, *in decalog. cap.* 5. *quæst.* 8. *ca'u.* 4. Roderiquez 2 1. *p. Sum. cap.* 137. *num.* 1. *&* 2. Sà, *verbo, Homicidium*, & Lessio *dicto lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 17. *& seq.*

In

51 In primis enim potest, & tenetur Miles non deserere stationem suam, sed in ea potius persistere etiamsi moraliter certus sit se occidendum. Ita docet Hermannus Busembaum *in Medulla Theologia lib.3. tr.4. de 5. & 6. Decalogi præcepto, cap.1. dub.1.* casu.1. cum Cardinali de Lugo, *disp.10. de Iustitia quæst.1.* Leonardus Lessius, *eodem tractatu, lib.2. cap.9. dub.6. num.27.* Diana, *part.5. tr.4. resolut. 31.* Æligius Bassæus, *tom. 1. verbo Homicidium, I. num.7.* ait posse, sed non teneri. Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, tom.1. lib.5. q.4. cap.1. §.2. num.4.*

52 *Secundò*, potest Miles ad euertendam turrim hostilem, aut ad hostes occidendos in puluerem tormentarium ignem iniicere, illum incendere, & si certum sit se momento temporis obruendum, dissipandum. Docent Bussembaum, *vbi proximè*: Lessius, *dicto cap.9. num.32.* cum Lopez, *part.1. cap. 65. in fin.* Antoninus Diana, *part.5. tract.4. resol.31.* cum Maldero, *2.2. tract.3. cap.1. dubit. 19.* & Molfesio, *in Sum. tom. 1. tract. 11. cap. 19. num. 156.* & ratio est, quia huiusmodi propriè non se interimit, sed ignis impetus, vel rurris ruina, quibus iusta ex causa se exponit, illum interimit. Et sacræ Scripturæ illustratur exemplis. Eleazarus enim, elephantem interfecit, à quo sciebat se opprimendum: ob quod quidem heroicum facinus, 1. *Machabeeorum, cap. 6.* valde à D. Ambrosio, *lib. 1. officiorum, cap.40.* Laudatur dicente. Itaque cadens bestia oppressit eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi! Primò, vt mortem non timeret: deinde vt circunfusis legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecta Clypeo vtraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret, ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu: cuius ruina inclusus, magis quàm oppressus, suo est sepultus triumpho. Hactenus Mediolanensis Archipræsul. Similiter Sampsom *Iudicum cap. 16.* vt hostes interficeret populi sui, domum cuius ruina est & ipse obrutus, euertit. Qui quidem inter alios insignes Heroes, & Sanctos, iuxta Cardinalem de Hugone ibi, recensetur ab Apostolo, *Ad Hebreos cap. 11. à versic. 32.* & quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij. &c. Hæc, & alia Paulus Apostolus.

53 *Tertio*, potest Miles cum mortis periculo turres, & mœnia hostilia suffodere. Ita Lessius, *num. 34.* Idem docere debent Authores numero præcedenti allegati, ob identitatem rationis; eadem enim omnino, in vtroque militat, dubio procul, casu: euertere namque mœnia cum vitæ periculo, per suffossionem, aut per iniectionem ignis in puluerem tormentarium, periude est in sui occisionis casu.

54 *Quartò*, possunt Milites, & socij nauales cum Hæreticis aut Turcis prælio nauali fortiter dimicantes, cum iam vident nauem in hostium potestatem venturam, communi consensu ignem puluert tormentario iniicere, ne ipsi, & nauis in hostium, deueniant potestatem. Et ratio est, quia non intendunt sui interitū, sed ne hostes naui cum publico graui damno potiantur. Docent Lessius, *n.34. citato.* Bassæus, *dicto n.7.* Bussembaum, *loco reddito*

& penes Dianam, *part.5. tr.4. resol.26.* Marchantius, *in resolut. Pastoral. Decalogi præcepta, cap.5. quæst. 8. ca n 4.* ipse tamen Diana id negat fieri posse, nisi necessario nostri occidendi essent ab inimicis; secus autem si in captiuos redigendi. Et recenset Syluium, *2.2. quæst. 64. art.5. ad 4.* docentem id esse illicitum, si in naui manetent: quia id esset directè se velle occidere. Sed si grauis adsit causa, licite id fieri posse censeo: qui aliud est me certo periturum scire, si ignem puluerí iniicio pulmentario; aliud vero me directè intetimere velle, si ignem iniicio: sicut contigit Eleazaro, & Sampsoni, qui ex eximiis suis recensitis facinoribus, se laudabiles exhibuerunt.

55 Addit Lessius, quòd in prædicto casu, possunt se mari committere, vt se ipsi (si qua ratione possint) morte certissimæ ab hoste inferendæ eripiant. Si enim quis potest desilere in mare, vt saluet amicum cur non vt euadat hostis crudelitatem? Sic ille, cuius sententia maximè locum habet, si illi qui se mari committunt, natare sciant.

56 *Quintò*, In Naufragio potest quis alteri tabulam permittere nondum à se occupatam, imò occupatam, & se vndis committere. Bussembaum, *vbi suprà*, cum Toleto, & Lopez, *part.1. cap.65.* Lessius, *dicto cap. 9. num.31.* cum Victoria *in relectione de Homicidio, num. 26.* ac Petro Nauarra, *lib.2. de restit. cap.3. num.73.* ex quibus addit hoc verum, & si non sit euadendi spes. Diana, *part. 5. tract. 4. resol. 28. versic. Sed quia & resol. 42.* cum Nauarra, *num. 66. & 67.* Maldero, *2.2. tr.3. cap.1. dub.19.* Azorius, *part.3. lib.2. cap.3. quæst.5.* vbi idem docet in similibus casibus. Bassæus, *dicto num.7.* Gordonus, *in Theologia Morali to.1. lib.5. quæst.4. cap.1. §.1. num.4.* Et ratio est quià hoc non est directè se interimere, sed ob officium Charitatis in proximum, se periculo exponere, vt ab vndis corporis, pondere vincatur.

57 Aduertit hic Lessius, cum qui prior tabulam, aut simile aliud occupauit alterum admittere ad illam non teneri, sed posse impedire nisi vtrique sufficiat; si autem simul occuparunt sorte dirimendum, nisi alter alteri cedere velit. Quod vtrique intelligo in casu, quo vtrique res non sufficeret.

58 *Sextò*, grassante incendio, si non suppetat alia ratio tam horrendæ mortis euadendæ, potest quis se è sublimi per fenestram dimittere, etiam cum certo vitæ periculo. Quia non intendit se interimere, sed fuga euadere durum illud tormentum, & mortem: quod & irrationabilia animantia, naturæ instinctu modis similibus se nituntur saluare. Bussembaum, *loco citato*. cum Fillincio, *tract.29. cap. 4. quæst.5.* & Laymano, *cap.1. num. 3.* ac Cardin. de Lugo, *disp.10. sect.1.* Lessius *vbi sæpe, num.35.*

59 *Septimò*, Potest quis se obiicere telo ad vitam, & corpus Principis saluandum, aut amici quidem. Et si amicus sit ad mortem iniustè condemnatus, potest se pro illo occidendum offerre. Ita Bussembaum, Lessius, *num.30.* cum Toleto, Bassæus, *num.7.* Gordonus, *dicto n. 4.* ibi: sic potest aliquis telo se obiicere pro vita Principis, aut alteri cedere panem in fame, tabulámve in naufragio. Azotius, *part.3. lib.2. c.3. quæst.3.* in hæc prorumpens. Tertiò quæritur. An liceat vitam ponere pro alio proximo extraneo? Respondeo esse licitum: quia licitū est vitam ponere pro defendendo proximo à morte, vel pro eo conseruando, ne pereat fame, vel frigore, vel igne, vel aquis obru-

tus. Ita ibi *& quæst.* 5. inquirit, An in fame licitum sit habenti panem vitæ necessarium alteri dare ne pereat? similiter in bello, equum, quem habet alteri dare vt fugiat? Item in itinere per media frigora, vel niues vestem, quam habet, alteri porrigere, & omnia hæc cum vitæ propriæ periculo? & resoluit probabiliorem esse sententiam asserentem, omnia recensita licere: quia id non est directè se occidere, sed non tueri se cum possit: at non tueri se, cum possit licitum est quando id fit propter bonum amici (verba Azorij sunt) siquidem etiam pro rebus nostris conseruandis, aliquando vitam periculo ponimus. Accinit in, omnibus Diana, *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 28. *in fine.* Caspensis, *tom.* 2. *tract.* 18. *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 17. ibi primò: exponendo vitam suam periculo propter rationabilem causam.

Quocirca Lessius, *num.* 29. versic. *Quartò* ait: si duo in extrema necessitate constituti sint, potest alter alteri cedere panem quem habet, quo vitam tueri poterat, & sinere se mori. Habet enim iustam causam non comedendi, officium Charitatis in proximum. Victoria, *n.* 26. suprà. Toletus *lib.* 5. *cap.* 6. D. alij. Ita ille & Bassæus, *num.* 7.

60 *Octauò*, Potest reus, & si certò sciat se morte plectendum, ex carcere non fugere. Ita Bussembaum, *dicto dub.* 1. *casu.* 3. Bassæus *num.* 7. Escobar, *in Theologia morali*, *tract.* 1. *examine* 7. *cap.* 2. *numer.* 11. Gordonus, *in Theologia Morali*, *loco citato.* Diana, *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 31. & Lessius, *de Iustitia lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 28. qui in probationem recensent plurium Martyrum exempla: & addunt quòd possit malefactor Zelo iustitiæ, & exempli publici se offerre iudici puniendum, vt docet (inquiunt) Petrus Nauarra, *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 73. Quia ob iustam causam potest aliquis desiderare mortem, & eam procurare legitimo modo, sicut alteri, ita & sibi sic illi.

61 *Nonò*, Potest reus, condemnatus ad mortem per famem, abstinere à cibo clanculum oblato. Ita Bassæus, *tom.* 1. *verbo, Homicidium* 1. *n.* 7. Azorius, *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 6. cum Angelo, *verbo Fugere. n.* 1. Diana, *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 31. *& resol.* 41. cum Maiore, *in* 4. *distint.* 15. *q.* 22. Henrico, *quodlibet* 5. *q.* 31. Maldero, 2. 2. *tr.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. & Soto, *de iustitia, lib.* 5. *q.* 6. *art.* 4. Lessius, *dicto n.* 29. cum Lopez, *cap.* 36. *Instruct.* Caspensis, *vbi proximè, n.* 15. *in fine.* Et ratio est, quia, qui non comedit, nihil positiuè infert ad mortem, sed solùm permittit calore interno vitam absumi. Et solùm omittit conseruare illam contra præceptum affirmatiuum illam conseruandi quòd quidem sicut alia affirmatiua, omitti potest licitè ob bonum finem. *D. Th.* 22. *q.* 69. *art.* 4. *ad* 2. dicenti: sicut etiam si aliquis sit condemnatus, vt fame moriatur, non peccat si cibum sibi occultè ministratum sumat: quia non sumere, esset se ipsum occidere: respondet Azorius, quod loquatur de eò, qui non edit absque vlla bona ratione, & fine. In hoc autem casu supponitur reum abstinere à cibo ob bonum finem, nempe vt se iustæ conformet sententiæ. Sed his ommissis, ad casus in quibus teneatur reus in se exequi sententiam redeamus.

Casus, quos *à num.* 51. dilucidaui, alium etiam opportunissimum locum sibi in præsenti tractatu poterunt vendicare: disquisit. scilicet octauam de Suicidis; illos tamen hic exponere libuit, & non incongruè quidem ad illustrandam doctrinam in præcedentibus traditam numeris.

62 II. Tenetur reus in se ipsum exequi pœnam verberationis, exilij, aut Carceris diuturni, si ad executionem cõdemnetur sententiâ vltimâ, quam appellatione, vel alio Iuris remedio infirmare nequeat. Ita Vazquez, *disp.* 173. *c.* 3. *num.* 16. *&* 18. *& disp.* 174. *c.* 1. *n.* 5. *&* 10. Castrus Palaus, *part.* 1. *tr.* 3. *disp.* 2. *punct.* 4. *n.* 4. & Diana, *part.* 3. *tr.* 6. *resol.* 79. cum Tiraquello plures allegante, *in l. Vnquam, Cod. de Reuocandis donationbus, verbo, Reuertatur n.* 291. Salas, *de legibus disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 32. Nauarro, *in Manuali, cap.* 23. *n.* 66. Gregorio Sayro, *in Claui Regia, lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 4. Bonacina, *disput.* 1. *de legibus, qu.* 1. *punct.* 7. §. 12. *num.* 33. & Suarez, *lib.* 5. *de legibus, c.* 10. *à n.* 5. plures recensente. Azorius, *part.* 1. *lib.* 5. *c.* 8. *q.* 6. *ad finem colum. mihi* 440. Et ratio est, quia hæc pœna ex se non est crudelis, & inhumana & sententia, quæ pœnam non inhumanam infligat si non fundatur in falsa præsumptione, iusta est. Iustæ autem sententiæ, aut præcepto patendum est. Docet etiam Graffis, *part.* 1. *decision. aurear. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 4. *de pœna peregrinationis, exilij & perpetui carceris.*

36 Hæc tamen sententia, quam communem pronuncians, Palaus, & Diana, ab his limitatur Doctoribus, ita vt aliter dicendum sit, si carcere sit durus, & tristis, aut ibi reus male tractetur, quia in hoc casu sentiunt cum Suarez, *n.* 16. quod non sit obligatus ibi persistere; sed quod bene fugere queat. Idem sentiunt si quis ad exilium terræ insalubris damnetur, ad triremes pro longo tempore, & ad quamlibet aliam actionem nimis molestam. Et ratio est, quia leges, & præcepta humana, debent esse; sed humanum non est, sed potius inhumanum crudele, & barbarum, vt obligetur quis ad exequendum in se ipsum pœnam adeo molestam: ergo non tenetur illam reus sibi infligere.

64 III. Tenetur reus in se ipsum exequi pœnam pecuniariam si ad executionem condemnetur sententia vltima, à qua appellare non liceat, aut si infirmari illa nequeat alio Iuris remedio. Et idem est dicendum post declarationem delicti, cui pœna illa ipso iure est inflicta, à qua declaratione, vt præfertur, nequeat appellari. Ita Castrus Palaus, *n.* 6. cum Bonacina, *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 30. Salas, *eodem tractatu disp.* 15. *sect.* 7. *n.* 82. *& n.* 106. Suarez, *lib.* 4. *de legibus c.* 7. *n.* 7. Iacobus de Graffis, *l.* 2. *c.* 11. *n.* 40. ibi. Posset tamen eorum opinio procedere, quando Iudex reum condemnaret ad soluendum, vel aliquid faciendum, quod non pertineat ad corporalem læsionẽ. Gabr. Vasq. *to.* 2. *in* 12. D. Th. *disp.* 173. *c.* 3. *n.* 16. *&* 17. vbi ita fatur.

65 Similiter, si pœna pecuniaria aliquis plectatur, non potest expectare, vt pecunia vi ab eo extorqueatur, aut petatur, sed ipse vltrò eam debet offerre, nec poterit tuta conscientia pecuniam celare, si habeat vnde pœnam soluere possit: & in hoc mihi non probatur sententia Couarruuiæ, qui sentit, adhuc post sententiá, pœnam pecuniariam non debere, nisi iterum petatur. Ratio vero huius sententiæ est, quia hoc vtrumq; genus pœnæ, (loquitur de hac pecuniaria pœna, & de exilio) ex genere suo non est inhumanũ, vt satis patet. Hactenus Vazquez, *n.* 16. *& n.* 17. pro vt sequitur. Videlicet.

66 Si pœna pecuniaria sit moderata, & contemperata grauitati delicti, & reo per sententiam fuerit imposita, nulla ratione reus excusari poterit. Porrò requiri nouam petitionẽ pecuniæ post sententiam, vt eam soluere debeat, non video, qua ratione probari possit. Nam sententia habet vim præcepti: ergo reus ei statim parere debet, si habet conditiones, quas diximus; quod enim iterũ à Ministris Iudicis, vel ab ipso Iudice petatur, non habet tantam vim, quantã habet sentẽtia pro tribunali, cum

senten

sententia habeat vim præcepti, petitio autem illa secundùm se non habeat, nisi quatenus innititur sententiæ latæ pro tribunali.

67 Fateor tamen, aliquando reum sententia non teneri ad pœnæ pecuniariæ solutionem quando ille, cui pœna applicatur, sciens, & prudens, conticet, etiam non petit. Sic enim tacitè eam remittere videtur; hoc tamen non prouenit ex eo, quòd necessarium sit, iterum peti post sententiam, vt reus ad solutionem pœnæ teneatur. Hucusque Vazquez, cui Palaus consonat, *dicto tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 3. *num.* 5. *& punct.* 4. *num.* 6. allegans Salas, *de legibus, disp.* 15. *sect.* 3. *num.* 52. Reginaldum *lib.* 13. *num.* 283. & Bonacinam, alios referentem, *disp.* 1. *de legibus, quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 30. Priori enim loco ait Palaus. Imò addendum existimo cum Rebusso, *in Procemio Constit. Regal. Gloss.* 1. *n.* 47. hanc pœnam (loquitur de conuentionali, ad quam sentit sententiam Iudicis requiri) & quamlibet aliam legis præscribi posse post condemnationem, si à parte interessente non petatur spatio 30. *annorum*; quia credere potest debitor, creditorem nolle iure suo vti, sed gratis remittere: sicut contingit in hærede a quo legatarius non petit legatum & in Domino, qui scit feudatarium cecidisse in commissum & non petit. Hæc ibi. Et posteriori loco, quæ sequuntur. Requiritur tamen, vt petatur ab eo, cui est soluenda (pœna scilicet reo à Iudice per sententiam inflicta:) quia ita habet praxis, & vsus communis. Quare dum non petitur, retinere eam potes, & sufficienter præsumere tibi condonari. Hæc Castrus Palaus.

§. IV.

BREVIARIVM.

Dubium.

Axioma illud: in dubio standum est pro custodia legis: *exponitur*, num. 70.

Lex.

Pro lege dubia quoad pœna executionem, non solum faciant verba legis, sed etiam DD. placita, numer. 70.

Pœna.

Pœnam inflictam Iure, aut lege, ipso facto, si actionem requirat ad sui executionem, nemo in se ipsum exequi tenetur, in conscientia, ante sententiam criminis declaratoriam, post citationem: & à sententia appellari potest; etiamsi aliud in lege exprimi videatur, n. 68. 70.

PROPOSITIO. III.

68 POenam à Iure eo ipso inflictam, aut à lege, nemo in se ipsum exequi tenetur si actionem requirat ad sui executionem, sed expectare licitè bene quæit sententiam Iudicis, criminis saltem declaratoriam, etiamsi aliud in lege ipsa exprimi videatur. Hanc tenet Iacobus Simanca, Pacensis Episcopus, *de Catholicis institutionibus, tit.* 9. *de bonis Hæreticorum, num.* 249. cum Conrado, *de contractib. quæst.* 7. *conclus.* 2. Francisco Victoria, *relect. de Indis*, Felino, Decio, & cæteris, *in cap.* 1. *de Constitutionibus.* Gabriele, *in* 4. *s.* 1. *dist.* 15. *quæst.* 4. Driedone, *lib.* 1. *de libertate Christia. cap.* 2. *artic.* 3. Corne, *consilio* 119. *lib.* 2. Felino, *in cap. Audiuimus, de Simonia*, Adriano, Quodlibeto. 6. *art.* 1. & aliis relatis à Castro, *de lege pœnali, lib.* 2. *cap.* 9. Iacobus de Graffis, *in Decis. aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 41. Syluester, *verbo Hæresis*, 1. *quæst.* 8. *num.* 12. *& verbo Pœna, quæst.* 25. *post principium*, cum Bart. *in l.* 1. *de vsu fen.* & Archidiacono, *in cap. felicis, de Pœnis, in* 6. Antoninus Diana, *part.* 3. *tract.* 17. *resol.* 47. cum Villalobos; *in Sum. tract.* 2. *difficult.* 26. *numer.* 2. Malfesio *in Sum. tom.* 1. *tract.* 9. *cap.* 9. *numer.* 35. Lorca, *tom.* 2. *in* 2. *disput.* 24. *de legibus.* Suarez, *eod. tract. lib.* 5. *cap.* 5. *& seq.* Ioanne de la Cruz, *in directorio conscientiæ part.* 1. *in princ. dub.* 3. *de legibus*, Ioannes Baptista Scortia, *Theoremate* 382. cum Nicolao Milite, *verbo Intrusus*, Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 56. Ludouico Lopez, *part.* 1. *Instruct. cap.* 296. Ioanne Valero, *verbo, Pœna different.* 26. & aliis. Pelizzarius, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 10. Vazquez, *tom.* 2. *in* 2. 2. *disp.* 170. *cap.* 4. *num.* 24. Moronus, *in censum responsis, responso* 48. *num.* 7. Bassæus, *tom.* 2. *verbo Pœna, num.* 2. cum aliis, Lessius, *de Iustitia lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 26. *num.* 147. Antoninus Diana, *part.* 1. *tract.* 10. *resol.* 13. *& part.* 3. *tract.* 2. *res* 66. cum Laymano, *in Theologia Morali, tract.* 4. *cap.* 15. *num.* 3. & aliis penes ipsum & cum Maldero, 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *membro* 4. & communi Doctorum, Ioannes Baptista Ventriglia, *in praxi notabilium rerum, annotatione de insordescentia in excommunicatione per annum ad textum in cap. Cum contumacia, de Hæreticis in* 6. *annotat.* 2. §. 3. *num.* 27. cum Farinacio, *de Hæresi, quæst.* 189. Ausonius Noctinot, *verbo Pœna, numer.* 2. cum Molina, *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 95. *num.* 14. Naldus, *verbo, eodem, num.* 19. *&* 27. *& verbo Lex num.* 26. Nauarrus, *tom.* 1, *consiliorum lib.* 3. *tit. de testamentis, consil.* 7. *num.* 4. ex Glossa communiter recepta, *in cap. Fraternitas*, 12. *quæst.* 2. *& tom.* 2. *lib.* 5. *tit. de Raptoribus consil.* 3. *num.* 5. *& tit. de Iniuriis, & damno dato, consil.* 5. *num.* 1. Castrus Palaus, *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 10. *versic. Tertiò in fine*, cum Conatriuuia, *de Sponsalibus part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 3. Molina, *vbi proximè, disp.* 96. *pag.* 590. & cum Salas, *de legibus, disp.* 15. *sectio.* 2. *num.* 31. Emanuel Sà, *verbo, Pœna num.* 1. Noster Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disp.* 6. *quæsito* 1. *num.* 16. *& seq.* cum Rota *in Beneuentana Vicariæ* 18. *Iunij*, 1617. coram Cardinale Sacrato, ex Socino Iuniore, post alios, quos allegat. *Consil.* 130. *num.* 29. *versic. Si vero dicimus, volum.* 5. quem sequuta est Rota, *in Forolinien, de Mensguanis* 30. *octobr.* 1602. coram Pennia, *la* 186. *post. volum.* 2. *consiliorum*, Idem Tamb. *de iure Abbatissarum, dis.* 19. *quæst.* 3. *n.* 5. Azorius, *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 1. *&* 8. *q.* 2. *&* 3. *ac* 4. Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 8. *numer.* 33. *& cap.* 10. *n.* 30. *&* 31. cum Sanchez, *in Decalogum, lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 65. Sousa, *in Bullam Clementis octaui, de Largitione munerum, num.* 102. Peyrino, *tom.* 1. *priuilegiorum Minimorum, in constitut.* 6. *Iulij secundi, num.* 19. & cum Bonacina, *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 9. *& de contractibus, disp.* 3. *q.* 8. *punct. vlt.* idem Lezana, *to.* 2. *p.* 4. *verbo, Pœna Ecclesiastica, n.* 8. *&* 10. cum Granado, 1. 2. *contron.* 7. *tr.* 3. Castellino, *de electio. Canonica, Preludio* 1. §. 6. *n.* 20. & dicto Peyrino, *tom.* 1. *de subdito quæst.* 2. *cap.* 2. §. 11. *& aliis* Augustinus Barbosa, *in cap. Siquis, n.* 6. *el* 2. *& final, de præscriptionibus, in cap. Pro humani, num.* 2. *el* 1. *de Homicidio, in can. Fraternitas, numer.* 4. *el* 11. *causa* 12. *quæstio* 2. vbi recenset Panormitanum in

proœmio Decretal. Rex pacificus num.6. in cap. Dilecti, num.12. de Arbitr. & in cap. Suam, num.3. 3. de pœnis, & in cap. Raynaldus, num.25. de Testamentis. Tiraquellum, *in l. Si vnquam*, verbo, *Reuertatur, num.281. cum seqq. Cod. de reuocandis donationibus*, Fortum Garsiam, *tract. de vltimo fine, illat. 18. num. 208.* Sotum, *de Iust. lib. 1. q. 6. art. 6.* Castrum, *de lege pœnali, cap. 9. lib. 2. pag. 412.* Decianum, *tract. crimin. tom. 1. lib. 2. cap. 12. à num. 11.* Cordubam, *in quæstionario, lib. 1. quæst. 36.* Nauarrum, *in Manuali cap. 23. num. 66. & 67.* Antonium Gomezium, *in l. 1. Tauri, num. 4. & tom. 3. variarium, cap. 2. num. 5. cap. 14. num. 3. lib. 7.* Antonium Grabti, *communium, tit. de Criminal. conclus. 12.* Penniam, *in Directorio Inquisitorum, part. 3. Schol. 151. versic. Sed cum ex benignitate* Menchacam, *illustr. lib. 1. cap. 7. à numer. 17.* Ioannem Gutiettez, *Canonicar. lib. 1. capite 1. num. 23. & Practicar. lib. 2. quæst. 180. numer. 2.* Cenedum, *ad Decretum, collectan. 2. num. 3.* Menochium, *remed. 5. recuper. num. 68. cum sequentibus, & de arbitr. casu 220.* Farinacium, *q. 10. numer. 70. Praxis Criminal.* Cald. Peteiram, *in l. si Curatorem, verbo Sua facilitate, num. 29. Cod. de in integrum restitutione minorum.* Et Gonzalez, *ad regulam 8. Cancellaria Gloss. 15. num. 150.* Tenet etiam Sanchez, *tom. 2. de Matrimonio disp. 91. num. 2. pag. mihi 322. & tom. 3. lib. 9. disput. 30. pag. 245.* Stephanus Quatanta, *in Sum. Bullary, verbo, Alienatio rerum Ecclesia, num. 49. pag. 40.* Caietanus, *2. 2. quæst. 62. art. 3. versic. Ad dubium. Et versic. & per hac patet. Et* videtur expressa D. Thomæ ibidem in corpore, ibi: sed quantum ad culpam, adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad Iudicem. Et ideò antequam sit condemnatus per Iudicem, non tenetur restituere plus quàm accepit: sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere. Hactenus Angelicus Doctor.

69 Fallit tamen propositio nostra, in pœna à testatore adiecta, quæ statim ac incurritur debetur in vtroque foro, nulla expectata sententia: quia potiùs habet rationem conditionis, sub qua, & non aliter testator voluit disponere, quod facere queit, *per l. ab eo Cod. de fidei commissis, quam pœna.* Et ita Docent Moronus, & Sà, *locis citatis.* Diana, *part. 1. tract. 10. res. 23.* Sanchez, *dicta disp. 91. num. 2.* Palaus, *num. 3. versic. Tertiò:* Vazquez, *tom. 2. in 1. 2. disp. 173. cap. 1. num. 2.* cum Nauarro *in Manuali, cap. 23. num. 67.* Caietano *in Summa, verbo Pœna*, cum Abbate, & Glossa *in capite Raynaldus, de Testamentis.*

70 Hanc propositionem inter Doctores, vti vidimus, communissimam, & in genere prolatam, ad maiorem dubij propositi dilucidationem, in speciæ, ad particulares diuersorum criminum pœnas, operæ pretium duxi illam, istarum cuilibet adaptare, accommodare, adaptè collocare, in sequentes distribuendo assertiones. In quibus omnibus verum tenet quod in propositione addidi, videlicet veram illam esse: *& si aliud in lege ipsa exprimi videatur.* Quam vtique Clausulam consultò apposui, quia quamuis dicat textus incurri pœnam, absque vlla declaratione, intelligi ille debet, de declaratione pœnæ. Vnde adhuc declaratio criminis patrati, ad executionem pœnæ, pro vtroque desiderabitur foro, conscientiæ scilicet, & externo, vti recensendi tradunt Doctores. Quorum placitum, tanti æstimandum venit, vt Doctissimus Franciscus Amicus, *in cursu Theologico, tom. 5. disput. 5. sect. 11. num. 249.* in sequentia prorumpat verba. Nec obstat axioma, quòd *in dubio, standum est pro custodia legis:* nam illud intellige, vel de legibus non pœnalibus, vel quando nullo modo Lex seruaretur. In casu autem nostro, Lex non negligitur, sed solùm seruanda proponitur Iuris ordine seruato. Porrò dubiam legem, quoad pœnæ executionem ipso facto incurrendam, non solùm faciunt verba ipsa legis, sed etiam varia Doctorum placita. Vnde in fauorem rei, licitum erit sequi opinionem minus probabilem. Hac omnia Amicus.

§. V.

Dubium resoluitur.

B R E V I A R I V M.

Alienatio.

Res Ecclesia alienantibus Prælatis inferioribus, & Rectoribus Ecclesiarum, priuatio beneficiorum ipso facto est inflicta: quo non obstante requiritur sententia criminis declaratoria, citata parte num. 71. 72. 73.

Assassini.

Inflicta est ipso facto Assassinus priuatio beneficiorum, & officiorum: quo non obstante requiritur sententia criminis declaratoria, citata parte, num. 71. 72.

Clausura.

Monialibus à Monasteriis egressis, nisi ex causa magni incendij, infirmitatis lepræ, aut Epidimia, & Prælatis licentiam exeundi concedentibus, ac eas comitantibus, & earum Receptatoribus pœna priuationis dignitatum, officiorum, & administrationum inflicta est ipso facto; quo non obstante requiritur sententia criminis declaratoria, partibus citatis, n. 71. 72. 75.

Monasteria Regularium virorum ingredi possunt imperatrices, Regina, earum Filia, ac Ancilla, de more eas associantes, n. 81.

Omnes etiam mulieres ingredi possunt ad Claustra, Capitulum, & alia loca interna Regularia, quando in eis Missa, aut alia diuina celebrantur, quando processiones fiunt, aut Fideles tumulantur, & quando suffragia pro eis fiunt: quando concionatur: quando lotio pedum fit in die Iouis Sancti: & quando propter concursum populi commodè ingredi, & egredi non potest per principalem Ecclesia portam, n. 82. 85.

Post finitum officium, intra Monasterium, per breue temporis spatium, licitè possunt permanere, quadam curiositate officinas visitando, num. 86.

Non possunt fieri processiones extraordinaria, vt illarum occasione ingredi possint mulieres Monasteria, num. 63.

Mulier virorum Monasterium ingrediens quando ei licet, etiamsi malo fine ingrediatur, pœnas constitutionum Apostolicarum non incurrit: sicut nec vir in Monasterium Monialium; & sicut nec receptatores. Quia Ecclesia non iudicat de intentione, vt pote occulta, numer. 84.

Regularibus prohibetur ne præsumant mulieres intra Monasteria admittere, aut mittere, sub pœna suspensionis à diuinis, excommunicatio-

nis

nis Papæ reservata, & privationis Officiorum, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia, ipso facto inflicta Prælatis, Monachis, Canonicis, & Fratribus eorundem Monasteriorum, numer. 71. 72. 78.

Pœna inhabilitatis obligat in conscientia ante criminis declarationem, sicut excommunicationis, & suspensionis pœna; secus pœna privationis, quæ requirit citationem, & sententiam criminis declaratoriam. n. 71. 72. 78.

Clerici.

Omnes Regulares, & Seculares, etiam prima tonsura tantum initiati, beneficium aliquod, pensionem, vel aliquod aliud emolumentum Ecclesiasticum percipientes, Tonsuram, & habitum Clericalem talarem, & si milites sint, suæ Militiæ habitum proprium non gestantes, peccant mortaliter, & privantur ipso facto omnibus quibuscumque Dignitatibus, Beneficiis, Canonicatibus, Præbendis, Administrationibus, Officiis, Proventibus, & quibuscumque rebus & iuribus Ecclesiasticis; Non tamen ante declarationem criminis, per Iudicem factam, dimittere tenentur dignitatem, &c. numero 87.

Confirmatio.

Adeò necessaria est electis ad dignitatem, ante omnem, seu quamcunque illius administrationem in spiritualibus, aut in temporalibus, per se, vel per alium, sub quocumque nomine, aut colore, vt qui præsumpserit quomodocumque administrare, eo ipso, iure per electionem acquisito, privatus existat, n. 100.

Requiritur tamen sententia declaratoria super facto, n. 71. 72. & 101.

Contractus.

Per Hæreticum facti, ante sententiam criminis declaratoriam, validi sunt, n. 97.

Irritari tamen possunt post sententiam declaratoriam criminis, n. 117.

Dictio.

Exercere, *aut* exercens *multiplicationem actuum importat: non enim sufficit, quod actus vna, aut altera vice fiat*, n. 77.

Dictio præsumere: *dolum significat*, n. 79.

Vnde lex pœnam infligens aliquid facere præsumenti, non afficit id bona fide facientem, per oblivionem, inadvertentiam, aut ignorantiam, n. 76.

Et contra facientem, non sufficit declarare, aut docere de facto; sed doceri, & declarari debet de qualitate: scilicet de dolo, & malitia, n. 101.

Dictiones Toties Quoties: *in Privilegiis, & facultatibus contenta, discretum, & prudentem vsum significant*, n. 83.

Dubium.

In dubiis, sensus communis prudentum, & piorum attendi debet, n. 86.

Dubium.

Ecclesia non iudicat de occultis, n. 112.

Electio.

Electus ante confirmationem, nullam in Spiritualibus, aut temporalibus per se, aut per alium, administrationem facere queit, n. 100.

Excommunicatio.

Papæ reservata, lata est, ipso facto, contra Mulieres Monasteria Religiosorum cum præsumptione ingredientes, & contra Religiosos illas introducentes, aut admittentes: & contra viros Monasteria Monialium pariter ingredientes, & contra Moniales illos introducentes, & admittentes. Illa non incurritur, si bona adsit fides, n. 78. 79.

Habitus.

Clericalem habitum non gestans, peccat mortaliter, privatur dignitate, beneficiis, &c. n. 87.

Hæreticus.

Ipso facto privatur bonis possessis à die patrati criminis. Sed ante sententiam criminis declaratoriam, illa Fisco tradere non tenetur, & alienationes per eum factæ validæ sunt, n. 97.

Invalidari tamen possunt post criminis declarationem, 117.

Horæ Canonicæ.

Non peccat mortaliter, qui solitus est, benè, & integrum Officium divinum persolvere, si semel, aut iterum per oblivionem Horas omittit, n. 79.

Interdictum.

Qui habet privilegium interessendi divinis interdicti tempore, habet illud pro his, quibus de more associatur, n. 81.

Iuramenta.

Stulta iuramenta, nullius valoris sunt apud Deum, num. 86.

Largitio munerum.

Religiosis omnibus, & singulis vtriusque sexus prohibita est, sub pœna privationis cuiuscumque dignitatis, &c. & inhabilitatis ad similia, & privationis vocis activæ, & passivæ, & quod possit contra eos procedi tanquam reos criminis furti, & simoniæ, ipso facto incurrenda, n. 88.

Ante criminis tamen sententiam declaratoriam non tenetur largitor in seipsum dictas exequi pœnas, n. 71. 72. 91. 92.

Munus autem recipiens, cuiuscumque ordinis, status, aut conditionis sit, illum non facit suum, & restituere tenetur ipso facto, in vtroque foro Congregationi, aut Monasterio, de cuius bonis facta est largitio, & si non de bonis Monasterij; aut totius, Congregationis, Monasterio in quo largitor professionem emisit. Congregatio autem, & Monasterium condonare non potest, num. 89. 92. & 96.

Lectio. Legere.

Constitutiones Apostolicæ contra largitores munerum, legi præcipiuntur quotannis in publica mensa Regularium, mense Ianuarij, aut in Congregatione, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ Prælatis localibus inflicta; sed non incurritur ante sententiam criminis declaratoriam, n. 90.

Lex.

Lex, tam divina, quam humana, non obligat ad eius observantiam, ita vt observans in humanus videatur, & rusticus, n. 68.

Peccatum.

Mortale peccatum non committit, qui ex oblivione, inadvertentia, vel ignorantia facit, aut omittit, id ad quod faciendum, vel omittendum tenebatur, num. 79.

Pœna.

Iuxta commune axioma, pœna non debetur, ante sententiam, saltem criminis declaratoriam, numero 98.

Præcepta.

Non obligant ad eorum observantiam, ita vt observans, inhumanus, & rusticus videatur, numero 68.

Prædo.

Manu tenendus est prædo in possessione, dum de principali cognoscitur, n. 91.

Privilegia.

Privilegio alicui concesso, gaudent, ex more illi associantes, n. 81.

Religiosus.

Lapsus in crimen, cui ipso facto inflicta est pœna privationis Dignitatis, Officij, &c. non tenetur ab exercitio abstinere illius, donec per sententiam criminis declaratoriam, ipso citato condemnetur, n.71. 72.75.

Restitutio.

Restitutioni obnoxius, qui non restituit statim ac commodè potest, tot peccata committit, quot sunt actus intensionis, & voluntatis retinendi alienum, moraliter interrupti, n.92.

Simonia.

Simoniam confidentialem circa beneficia committentibus inflicta est pœna privationis beneficiorum, ipso facto, & inhabilitatis. Requiritur tamen sententia criminis declaratoria, n.71. 72. 73.98.

Sodomia.

Sodomiam exercentibus, tam Secularibus, quàm Regularibus pœna privationis omnis privilegij Clericalis Dignitatis officij, &c. inflicta est ipso facto; requirit tamen pro vtroque foro sententiam criminis declaratoriam, citato delinquente, n.71. 72. & 77.

Tonsura.

Ecclesiasticus Tonsura non gestans, peccat mortaliter, & privatur beneficiis, Dignitate, &c. numero 87.

Vota.

Nullius valoris apud Deum sunt vota stulta, numero 86.

CONCLVSIO I.

71 POena privationis Beneficij, Officij, Gradus, aut Administrationis, ipso iure inflicta, non obligat delinquentem, nec in foro quidem conscientiæ, antequam iudicem declaretur crimen commisisse, cui imposita illa est. Hanc tenent Naldus, *Verbo lex num.*26.& *Verbo Pœna, num.*19. Palaus *part.*1. *tract.*3. *disp.*2. *punct.* 1. *num.*10. *versic. tertio.* cum Couarruuia, 2. *part. de Sponsalibus, cap.*6. §.8. *num.*8. Molina, *de Iust. tom.*1. *tract.* 2. *disp.*96. *pag.*590. Sanchez, *tom.*2. *Oper. Mor. lib.* 6. *cap.*15. *num.*65. cum Nauarro, *in Bullam Greg.* 13. *de datis, & promissis pro institia, vel g a. in* 1. *edit. num.*41. & *in* 2. *num.*44 & cum Molina, *tom.* 1. *de Iust.* 1. *disp citata, col.*2. *versic. duo obseruа.* Barbosa, *de potest. episc. allegat.*57. *num* 37. & 38. *ac* 228. Granadus, *de Fide, controu.* 1. *tract.*15. *disp.* 25. *num.*7. Peytinus, *de Privilegiis const.*6. *Iuly II. num.*19. Ventiglia, *de clausura Monialium, annotat.* 5. §.1. *num.*24. Gabriel Vasquez, *tom.*1. *in* 1.2. *disp.*168. *num.*25. *in cap.*4. Azorius, *part.* 1. *lib.*5. *cap.*8. *quæst.*2. & 3. Lezana, *tom.*1. *part.*1. *cap.*8. *nu.*33. & *cap.* 20. *num.*30. cum Soto *lib.*1. *de Iust. quæst.* 6. *art.*6. *ad* 4. Abbas Tamburinus *tom.* 4. *de Iure Abbatissarum, disp.*19. *quæsito.* 3. *num.*5. Sà, *verbo Pœna, n.*1. *in fin.* Noctinot *verbo Pœna, n.*2. cum Valero *verb. eod. differ.*20. *nu.*4. Diana *part.*2. *tract.*17. *resol.*47. *versic. Ex his:* vbi addit Prælatum Regularem incidentem in casum privationis ipso facto, prælaturæ etiamsi palam constet de crimine, non incurrere dictam pœnam donec per Superiorem declaretur, & consequenter tuta conscientia, in eo manere posse, nec licere subditis illum expellere à Gubernatione: ita ille cum Valero *in differentijs vtriusque fori, verbo Pœna, differ.*20. *&c.* Lezana *tom.*1. *part.*1. *cap.*10. *n.*31. testatur se ita consuli vidisse, etiam à Pœnitentiariis Ecclesiæ S. Petri, quos circa hoc ipsemet consuluit: & recenset pro nostra sententia Sousam *in exposit. Motus proprij Clem.* 8. *de Largitio. munerum, num.*102. Peyrinum 1. *Privileg. Minimor. in const.* 6. *Iulij II. n.*19. & Bonacinam *disp.*1. *qu.*1. *punct.*7. §.2. *n.*9. & *de contractib. disput.*3. *quæst.*8. *punct. vlt.*

72 Et quoad privationem officiorum, & beneficiorum, in vim capitis, *Pro humani,* 1. *de Homicidio, lib.* 6. vbi hæc pœna Assassinis infligitur, assertionem tenent: Palaus *d. n.* 10. *versic. Sed adversus:* Vasquez *num.* 23. cum Soto *vbi proximè, ad* 8. Babosa *in dictum caput. Pro humani, nu.* 22. vbi ita fatur: ex his verbis (textus scilicet, ibi: & postquam probabiliùs Argumentis:) colligunt Doctores communiter, quod vbi pœna ipso iure est imposita in casu contraventionis, debet super dicta contraventione præcedere sententia Iudicis declaratoria facti, causa cognita, & sic parte citata, vt per Ioan. Andream, Archidiaconum, & alios *in præsenti:* Felinus *in cap. Cum non ab homine, n.*9. & 10. *de Iudic.* & *in cap. Rodulphus, n.* 35. *de Rescriptis:* Gramat. *dec.*105. *num.*60. Magon. Florent. *dec.*16. *nu.*33. Hieron. Gabr. *consil.* 88. *n.*23. *lib.*1. & *cons.* 67. *n.*17. *lib.*2. *Afflict. dec.*97. *n.*2. & 3. & fuit dictum in Romana de Arroniis, 15. *Ianvarij* 1614. coram Vbaldo, impressa per Farinacium *dec.*555. *n.*8. *part.*1. *recen.* Hactenus Barbosa.

73 Quoad privationem etiam beneficiorum, inflictam a Pio IV. committentibus simoniam confidentialem circa beneficia, in Bulla quæ incipit, *Romanum Pontificem,* ex scripta à Quaranta *in Summa Bullarij, verbo Simonia, pag.* 594. & ab Angelo Cherubino *tom.* 2. *Bullar. la* 85. tenet assertionem Lessius *de Iust. lib.*2. *cap.*35. *dubit.*26. *n.*147. *versic. Adverte tamen:* Vasquez *disp.* 168. *cap.*4. *n.*24. vbi agit de Bulla Pij V. *Intolerabilis,* per quam innovavit præfatam Pij V. Castrus Palaus, *par.*1. *tr.*3. *disp.*2. *punct.*2. *n.*8.

74 Illam tenent, quoad pœnam privationis beneficiorum inflictam à Paulo II. in Extravagante, *Ambitiosa, de reb. Ecclesiæ non alienandis,* Prælatis inferioribus, & Rectoribus Ecclesiarum, bona suorum beneficiorum contra illius dispositionem alienantibus: Castrus Palaus *dicta par.*1. *tract.* 3. *disput.*2. *punct.*2. *n.*10. *versic. Secundò adduitur:* Diana *par.*2. *tract.*17. *resol.* 47. *versic. Ex his,* & *par.*3. *tract.*2. *resol.* 66. cum Henriquez, & cum Navarro *in Manuali, cap.*27. *nu.*110. & Sanchez *in Summ. Oper. Moral. tom.*1. *lib.*2. *cap.*22. *n.*20. & penes cum alij Noctinot *verbo Pœna, n.* 2. Pro hac sententia allegat Azorius *par.*1. *lib.*5. *cap.* 7. *qu.* 6. Covartuviam *de Matrim. par.*2. *cap.*6. §.8. *num.*10. tenet Graffis *part.* 1. *decis. lib.*2. *cap.*11. *num.*41.

75 Quoad privationem item dignitatum, officiorum, & administrationum inflictam à Pio V. in Bulla, incipit. *Decori,* Monialibus à Monasteriis egressis, nisi ex causa magni incendij, infirmitatis Lepræ, aut Epidimiæ, & Prælatis illis licentiam exeundi concedentibus, necnon eas committentibus, & receptoribus earum, tenet Tamburinus, *tom.*4. *de Iure Abbatissarum, disp.*19. *qu.*3. *num.*5. vbi cum Suarez *lib.*5. *de Legib. cap.*8. *num.*16. & Merolla *tom.*1. *disp.*1. *Theolog. Moral. cap.*2. *difficult.* 10. & aliis Doctoribus penes eos docet, Religiosum in similem culpam lapsum, non debere dimittere vsum sui officij, si infamiam timeat, sed quærere debere modo occulto, & secreto, dispensationem, & propter inhabilitatem contractam

non

non posse novi officij onus suscipere: idem tenent penes Sanchez *tom. 2. in Decalog. lib. 6. cap. 17. n. 39.* Sayrus *in Clavi Regia, lib. 3. cap. 10. nu. 39.* Sorbus *in Compend. privil. Mendic. verbo Ingressus Monasteriorum Monialium, n. 10.* & Roderiquez: non reticebo tamen Pellizzarium *tom. 2. tract. 7. cap. 6. n. 12.* docentem posse illod suscipere, dummodò omni vtatur diligentia ad declinandam talem electionem: dicendo, v. g. in communi, se non esse idoneum; manifestando proprio Prælato impedimentū (si illud valdè infamatorium non sit) ne electionem confirmet; etsi nihil horum sufficiat quamprimùm dispensationem impedimenti, & novam confirmationem in officio: idque in secreto. Ita ille cum Suarez *disput. 13. de Censur. sect. 1. nu. 31.* Portellio *de dubijs Regular. verbo Officia Ordinis, nu. 7.* & aliis communiter. Sanchez autem vbi proximè absolutè docet ad incurrendam hanc pœnam requiri Iudicis sententiam. *Sic nu. 39.* quod & docuit *eod. lib. cap. 15. n. 65.* cum Navarro *in motum proprium Greg. XIII. de datis & promissis pro iustitia, vel gra. in edit. 1. n. 41. in 2. n. 44.* Molina *de Iust. tom. 1. disput. 96. col. 2. versic. Duo observa,* & Sousa *in Bull. Clem. 8. de largitione muner. n. 102.*

76 Assertionem, quoad privationem Beneficiorum, à sacra Tridentina Synodo inflictam, *sess. 24. c. 18. de Reform.* contra examinatores, & examinatos, dantes, & recipientes, aliquid occasione examinis, pro beneficio Parochiali obtinendo, tenent Lessios *de Iust. lib. 2. cap. 35. dubit. 26. num. 148. versic. Tertiò:* Palaus *par. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 2. num. 10. versic. Tertiò:* cum Salas *de legib. disp. 15. sect. 2. n. 31.*

77 Pius Papa V. in Constitutione, *Horrendum illud scelus, la 72.* Apud Bullarium novissimum Angeli Cherubini, *tom. 2. pag. mihi 267. §. 3.* Sodomiam exercentes, omni privilegio Clericali, omníque officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, illius Canonis auctoritate privavit, sive illi Sæculares sint, sive Regulares. Quæ vtique pœna, dubio procul, tatæ sententiæ est, & ipso Iure inflicta; nihilominùs tamen, ante Iudicis sententiam criminis declaratoriam, non obligat in conscientia delinquentem ad illam in seipsum exequendam: ita docet Diana, *part. 2. tr. 17. resol. 47. versic. Sed hæc sententia:* cum nostro Sayro, *de Censf. lib. 7. cap. 12. n. 24.* Homobono *de Examine Eccles. par. 1. tract. 11. cap. 12. quæst. 26.* Avila *de Censur. par. 7. disput. 4. dub. 7. concl. 7.* Henriquez *lib. 4. cap. 5. nu. 1.* in Gloss. *lit. F,* Homobono de bonis, *in examine Theologico, part. 1. tract. 5. c. 8. q. 15.* Flotono *de casibus reserv. part. 2. casu 7. §. 1. n. 8.* Bonacina *de Matrimonio, q. 4. punct. 11. n. 2.* Finello *de casibus reserv casu 9. nu. 6.* Fanardo *in direct. par. 2. præcept. sect. 4. num. 22.* & Filliucio, *tom. 1. tract. 17. n. 127.* Auforius Noctinot, *verbo Pœna, nu. 2.* cum Molina *tract. 2. disp. 95. num. 14.* Thomas Sanchez *de Matrimonio, tom. 2. lib. 7. disp. 46. n. 18.* cum dicto Henriquez, *loco citato,* Roderiquez *in Summa tom. 1. edition. 2. cap. 210. nu. 2.* & Vega *in Sum. tom. 1. cap. 102. casu 2. ad fin.* Iacobus de Graffis *in dec. aureis, lib. 2. cap. 90. de vitio Sodomitico, n. 5.* Pellizzar. *tom. 2. tract. 7. cap. 6. n. 8.*

Probabile valdè est, hanc non afficere pœnam vna, aut altera vice istud delictum perpetrantem; Quia verbum *Exercentes*, multiplicationem importat actuum, & ita docet Lezana *tom. 1. par. 1. cap. 10. nu. 8.* cum Navarro *in Manuali, cap. 27. num. 249.* Pellizzarius, *vbi proximè.*

78 Idem Pontifex Pius in Constitutione *Regularium personarum la 20. dicti Bullary, to. 2. pag. 198. §. 4.* sic prohibet Regularibus, ne Mulieres intra Monasteria mittant: aut admittant, propria scilicet, aut aliena, vti exponit Pellizzarius *tomo 2. Manualis, tract. 7. cap. 6. n. 71.* ipsis verò Monasteriorum, & Conventuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus, quocumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, sive Mendicantibus, sive non Mendicantibus, sub privationis officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum, ad illa, & alia omnia, & suspensionis à divinis, ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœnis ne eas introducere, admittereve præsumant: ita in Constitutione habetur illa, immediatè post excommunicationem Pontifici Summo reservatam, contra mulieres ingredientes Monasteria, latam, §. 3. cuius quidem pœnas Religiosis inflictas, egere sententia vt rei eas in se exequi teneantur, vt oblige: t in conscientia, absolutè docet Diana *par. 2. tract. 17. resol. 67. versic. Ex his,* cum Roderiquez *in explicatione dictæ Piana Constitutionis, nu. 32. & par. 3. tract. 2. resol. 66.* Thomas Sanchez *tom. 1. Oper. Moral. lib. 6. c. 17. nu. 39. pag. 240.* Auforius Noctinot *verb. Ingredi Monasteria, n. 6. & verb. Pœna, nu. 2.* Iacobus de Graffis *in decis. aureis, venetiis editis anno 1596. par. 1. li. 4. cap. 23. n. 12.* quoad beneficia adepta, respectu quorum requiritur (inquit) sententia declaratoria; licet respectu inhabilitatis contrarium teneat. Et vtrumque ex doctrina probat Innocentij *in cap. Cum nostris, de concessione præbendæ,* vbi collatio facta homicidæ, vel aliàs irregulari, est ipso iure nulla, licet per homicidium, & irregularitatem non perdantur ipso iure beneficia prius adepta. Verba Iacobi præfati sunt.

Gregorius Papa XIII. in Constitutione, *vbi gratia la 28. pag. 393. dicti secundi voluminis Bullary novissimi,* easdem pœnas, *paragrap. 3.* infligit eisdem Religiosis, Superioribus, & subditis, Abbatissis, & Religiosis fœminis viros, aut mulieres respectivè introducentes, vel admittentes intra Monasteria, & addit excommunicationem ipso facto incurrendam, Summo Pontifici reservatam.

79 Aliqua hîc advertere libuit. *Primum* est, nullam pœnam ex inflictis in hac duplici Constitutione, Piana, & Gregoriana, in conscientia obligare eos, qui bona fide contra illas mulieres, aut homines respectivè introducunt, aut admittunt; sed illos duntaxat, qui introducere, seu admittere præsumunt. Dictio enim *præsumunt*, à Pio apposita, dolum significat: lex autem pœnam infligens, aliquid facere præsumenti, non comprehendit facientem bona fide, & sine dolo, per oblivionem, inadvertentiam, vel ignorantiam, vti benè docet Emanuel, *tom. 1. quæst. Regularium, q. 48. art. 1. & dixi in quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi vnitarum, par. 4. q. 1. sect. 4. §. 1. n. 11.* cum pluribus Doctoribus, quos ibi recensui. Et licet Gregorius dictionem illam apponere omiserit, idem de pœnis suæ Constitutionis dici debere, ac si apposuisset, docet prædictus Emanuel Roderiquez. Arbitratur enim eos, qui tot circumstantiis culpam diminuentibus legem transgrediuntur, venialiter tantùm delinquere; siquidem huiusmodi culpa parū habuit voluntarij; imò & quasi ex ignorantia processisse videtur; sicut non peccat

peccat mortaliter (inquir) qui solitos benè, & integrum divinum officium persolvere, per oblivionem semel non recitavit. Dictis consonat Pellizzarius *in Manuali Regul.to.2. tract.7. cap.6. num.*14.17.

Eandem doctrinam sequitor Ioannes Baptista Scortia *in select.u Summorum Pontificum Constitutiones, Theorem.*235. *versic. Porrò*, vbi de mulieribus ingredientibus Monasteria virorum, ait: requiritur tamen, vt fiat ex præsumptione; vnde si quæ ex ignorantia, incogitantia, aut simplicitate ingrederetur, non esset censenda excommunicata, ex Navarro, & Roderico, & aliis. Et de Regularibus admittentibus illas, ait, nisi sit ex incogitantia, aut oblivione, vel ignorantia, iuxta doctrinam communem Cardinalis *in Clem.*1. *de Privileg. q.*39.

80 *Secundum*, quod advertere duxi est, pœnas suspensionis, & excommunicationis in Piana, & Gregoriana inflictas, in conscientiæ foto, ante omnem incurri sententiam, iuxta ea, quæ suprà, *n.*58. cum Diana, & pluribus aliis dixi: & secundum ibi dicta, intelligendus hîc venit Doctor iste, (& eius compendiator Ausonius) dum absolutè docet, pœnas Religiosis inflictas egere sententia: & quod obligent dictæ pœnæ ante declarationem, docet præter allegatos *nu.*38. Ventriglia *de clausi. Monalium, annot.*5. §.1. cum Suarez *tom.*4. *de Religione, lib.*1. *cap.*7. *in fine*: Sayro *in Clavi Regia, lib.*3. *cap.* 9. *n.*30. Tiraquello *in l. Si vnquam, num.*401.

81 *Tertiò* adnoto, in Constitutionibus redditis, comprehendi mulieres omnes, cuiuscumque status, gradus, & conditionis existant, exceptis tantùm Imperatricibus, Reginis, & earum filiabus: ita Emanuël *dicta q.* 48. *art.*1. *versic. Circa quam:* Scortia *vbi proximè, theorem.*234. *versic. Prohibet:* cum eodem Roderiquez, ac Ioanne de Lactuz *lib.*1. *de statu Relig. cap.*5. *dub.*1. *concl.*1. & refert vterque declarationem S. Congregationis Concilij Tridentini, factam P. Fratri Andreæ Amadeo Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, ex Alphonso de Casarubio *in Addition. ad Compendium Mendicantium pag.*146. addit Scortia, quod quando Reginæ, Imperatrices, aut earum ingrediuntur filiæ, liceat ancillis earum, ex more associantibus, simul ingredi, iuxta Panormitani Abbatis doctrinam, dicentis *tit. de Privil. nu.*7. privilegium concessum alicui favere etiam eius socijs, vt patet, inquit, in illo, qui tempore interdicti potest interesse divinis cum de more associantibus: accinit P. Amicus *in Cursu Theologico, tom.*5. *disp.*29. *sect.*3.*n.*32.

82 *Quartò* adverto, Constitutionibus præfatis, mulieribus non præcludi aditum accedendi cum aliis fidelibus, ad Monasteria, & loca regularia, ac illorum claustra, quando in eis Missæ, & alia divina Officia celebrantur, ac quando processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt: ita declaravit idem Pius V. *anno* 1569. *die* 27. *Iunij*: mentem suam fuisse in Constitutione *Regularium personarum*, condenda. Et liberè id concessit. Et similiter, quod quando divinum verbum in Ecclesijs Monasteriorum, & Regularium locorum huiusmodi proponitur, vel propter aliā quamcumque causam, est tantus concursus populi, quod commodè ingredi, & egredi per principalem Ecclesiæ portam non possint, concessit, & concedit eodem vivæ vocis oraculo, vt dictæ mulieres vnà cum aliis sæcularibus personis possint ingredi, & egredi per portam claustri Monasteriorum, & Regularium locorum huiusmodi, dummodò recto tramite ad portam, qua de Monasterio exitur, accedant. Verba sunt concessionis ab Emanuële exscriptæ, *q.*48. *citata, art.*3. cuius meminit Scortia *versic. Idémque declaravit*: & addit *in fine.* Quod etiam docet Ioannes de Cruce, *loco citato, concl.*3.

Quatuor advertit Roderiquez circa hanc Pianæ declarationem. *Primum*, non posse Prælatos 83
mandare, vt aliqua fiat processio extraordinaria, vt, illius occasione, possint dicta loca intrare mulieres. Quia licet benè mandare id posse videatur ex illo: *Quod Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus*: Quia tamen Pij V. meus in sua declaratione, fuit tantùm scrupulos removere, & illud concedere, quod recta dictat ratio, non autem dare relaxationis incentivos, libertatem, & abusus, sicut in simili probat Corduba *in suo quæstionario, lib.*3. *q.*35. *proposit.*3. *par.*473. ideò dicendum est extraordinariam illam processionem, fieri neutiquam licere, quia contra Pontificis declarantis, & concedentis intentionem fieret. Et confirmat Emanuël: quia quando Papa concedit aliquid faciendum, toties, quoties, censetur concedere discretum, & prudentem vsum: vti ait Michaël de Palacios, *in* 4. *distinct.* 20. *disputat.* 3. *pag.* 433.

Secundò advertit Emanuël, quod si mulieres 84
ingrediantur ad divina præfata, aut recipiantur quidem ad malum finem, non incurrent pœnas dictarum Constitutionum ingredientes, nec recipientes, quia Ecclesia non iudicat de occultis, de intentione. Vnde licet excommunicet Clerici percussorem, non tamen excommunicat illum, qui voluit percutere.

Tertiò advertit posse mulieres in vim declarationis præhabitæ ingredi Claustra, aut Capitulum, quando ibi fit concio, aut latio pedum in die Iovis Sancti, vel aliquod Officium divinum. 85

Quartò denique, quod non ita statim finitis dictis Officiis divinis sint è Monasterio eiiciendæ mulieres, ne possint ibi per breve spatium temporis permanere. Sed moraliter est hoc intelligendum, & practicandum, vti in simili de viro Monasterium Monialium cum legitima ingressu licentia, dicit idem Roderiquez *quæst.* 47. *art.* 11. in hæc protumpens. Et in humanis Constitutionibus non debemus literæ nimis adhærere; imò standum est consuetudini aliàs non culpabili, & non vitiosæ, neque peccato faventi. Vnde dictæ sententiæ non debent punctualiter, & metaphysicè intelligi, ita vt ingredientes Monasteria, aut egressæ Moniales ab his statim finitis negotiis sine vlla mora teneantur regredi in ea, aut egredi ab his. Hæ enim res morales non consistunt in indivisibili; imò earum latitudo, debet arbitrio prudentium remitti, provt in simili tradit Palatius *in* 4. *distinct.* 20. *disput.* 3. *concl.* 8. & in rebus dubijs, sensus communis prudentium, & piorum debet attendi, provt latè tradit Corduva, *lib.*3. *qq. q.* 13. *pag.*206. *reg.*4. Et neque Deus, neque Ecclesia in suis præceptis prætendunt obligare ad eorum observantiam, ita vt observans videatur inv rbanus, & rusticus. Vnde vota, & iuramenta stulta, nullius apud Deum sunt valoris, provt tradit idem Corduva cum communi. Ex quibus in proposito idem videtur asserendum, 86

quod

quod non punctualiter finitis negotiis debent tegtedi tecta via intrantes in dictam clausuram. (Monialium scilicet, de ea enim ibi agit) possunt enim ibi aliquantulum permanere quadam curiositate, officinas circunspiciendo, dummodò absit corrupta aliqua intentio. Nam si corrupta intentione illud fecerint, non excusarem eos à peccato, ptovt affirmat Collector, *tit. ingredi Monasteria.* Hæc omnia Emanuël.

87 Sixtus Papa V. in Constitutione. *Cum sacrosanctam Dei Ecclesiam la* 92. Bullarij Angeli Cherubini, *tomo* 2. *pag. mihi* 658. omnibus Clericis Sæcularibus, & Regularibus, etiamsi prima tonsura tantùm sint initiati, si aliquod beneficium, pensionem, aut aliquod aliud emolumentum Ecclesiasticum percipiant, districtè præcipit gestare tonsuram, & habitum Clericalem talarem; etsi milites âli sint, babitum suæ militiæ proprium. Et præter alias pœnas (verba sunt Constitutionis Sixtianæ) contra eos inflictas, etiam quibuscumque Dignitatibus, Administrationibus, Officijs, Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficiis, etiam simplicibus, & præstimoniis, per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel aliàs pro tempore obtentis, nec-non pensionibus, & fructibus, ac prædiis, bonisque Ecclesiasticis huiusmodi, quocumque modo eis reservatis, vel reservandis, omnique iure sibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie, ex certa nostra scientia: déque Apostolicæ potestatis plenitudine privamus, ac sine vlla alia monitione, citatione, Iudicis decreto, ac ministerio ipso facto privatos declaramus, ac tam beneficia ipsa per privationem huiusmodi vacare, & liberè aliis conferti posse, quam etiam pensiones, cassatas, extinctas esse, & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reservationes cessare, & quemquam vlterius ad illorum solutionem minimè teneri, & cætera.

Qua tamen, aliàs clarissima dispositione non obstante, non tenentur in conscientia habitum, & tonsuram non gestantes, ante declarationem criminis per Iudicem factam, dimittere Dignitatem, Administrationem, Officium, Beneficium, aut Præbendam, & cætera: vti tradunt Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 47. *versic. Ex his*: Ausonius Noctinot *in illius Compendio, verbo Pœna*, *numero* 2. Ioannes Baptista Scortia *in Select. Summorum Pontificum Constitutiones, Theoremate* 382. *versiculo Quid si addatur*, *pagina mihi* 567.

88 Clemens Papa VIII. *in Constitutione. Religiosæ Congregationes*, *la* 82. apud Bullarium Cherubini, *tomo* 3. *pagina* 35. largitionem munerum Regularibus omnibus, vtriusque sexus interdixit. Et §. 8. sic eis præceptum violantibus pœnas inflixit. Quod si quis ex prædictis Regularibus vtriusque sexus, cuiuscumque gradus, Ordinis, ac Dignitatis, ac vbilibet locorum existent, coniunctim cum cæteris, seu divisim nostrarum huiusmodi prohibitionum, transgressor fuerit, statuimus, vt omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis eo ipso privatus, ac ad alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda, absque vllo superioris decreto, aut ministerio ipso facto incurrat: inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat: & præterea privationem vocis activæ, & passivæ, nec-non vltra huiusmodi pœnas, etiam contra furti, & simoniæ, criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.

Ita ibi: contra munerum largitores statuit, 89 contra illorum receptores, sic §. 7. præcedente. Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis, Laicus aliàs, quam vt superiùs dictum est, vel Clericus Secularis, & Regularis, quocumque honore, præeminentia, nobilitate, aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Vice-protector. Loci Ordinarius, Prælatus Generalis, Provincialis, aut Monasterij, Domus, vel loci cuiuslibet Superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri vtriuslibet sexus; quicquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant. Quod si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocumque officio fungente, Capitulo, vel Congregatione, sive ab vniverso Ordine, & Religione quicquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant. Vtrum ipso facto absque aliqua monitione, Iudicis decreto, sententia, aut declaratione, ad illius restitutionem omnino in vtroque foro teneantur: adeò vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus, non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cuius bonis facta est largitio, vel si non de eis bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Congregationis, Conventus, vel vniversi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, patret communi mensæ, aut massæ, cuius nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita vt nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel vt in pauperes eroget, concedere quoquomodo possit.

Hæc omnia Clementina præfata, quæ partim moderata, partim confirmata fuit ab Vrbano Papa VIII. *Anno* 1640. in Bulla, *Nuper*, *la* 158. *tomo* 4. *Bullarij Cherubini pagina mihi* 221. & præcepit sub pœna privationis Officij, & vocis activæ, ac passivæ, Superioribus localibus cuiuscumque Conventus, Monasterij, Domus, & Collegij Regularis ipso iure incurrenda, vt efficiant in perpetuum singulis annis, mensæ Ianvario, vt in publica Congregatione, vel in publica mensa, tam præfata Clementina, quàm eius moderatio, & innovatio legantur. Quæ quidem pœna non obligat in conscientia nec incurritur nisi post sententiam Iudicis criminis declaratoriam, iuxta ea, quæ Peyrinus docet *tomo primo de subdito*, *quæstione secunda*, *capite secundo*, *paragrapho decimo-primò*, *conclusione tertia*, *pagina mihi* 181. omninò videndus; 89

91 De cuius quidem Clementinæ pœnis, absolutè docent Diana *part. 2. tract. 17. resolut. 47. versic. Ex his, & par. 3. tract. 2. resol. 66.* cum Sousa *in illius explicat. num.* 102. & cum Molfesio *in Summa, tom. 1. tract. 9. cap. 9. num.* 35. Ausonius Noctinot *in illius Summa, verbo Pœna, num.* 2. neminem illas incurrere, nisi post Iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam. ac proindè non teneri illa in seipsum in conscientia exequi ante dictam declarationem. Quod etiam docet Naldus *verbo Religiosus, num.* 37. prout infert Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo 2. part. 2. tract. 10. cap. 8. nu.* 35. eo ductus, quia metus etiam detentor, ac prædo manu teneri debeat in possessione, dum de principali cognoscitur. Sic recenset Pellizzarius Naldum; sed in eius volumine, edito Brixiæ *anno* 1621. quod habeo, nihil tale dicit; dicet tamen in alia editione, quam Pellizzarius viderit.

92 Sed quia pœnæ dictæ Clementinæ omninò diversæ rationis sunt, illæ scilicet, quæ recipientibus munera infliguntur §. 7. ab his quibus eorum largitores plectuntur, distinctione nobis vtendum est. Loquendo enim de pœnis largitoribus munerum inflictis, vera est præfata sententia Dianæ, & aliorum, quos reddidi, quam in terminis tenet idem Pellizzarius *vbi proximè*: Sanchez, *tomo 2. Oper. Moral. lib. 6. cap. 15. num.* 65. cum Sousa *in dictam Clementinam, numero* 102. Ioannes Baptista Scortia *Theoremate* 399. iuxta doctrinam suprà traditam, *numero* 68. & sequentibus, quam vti vidimus ipse sequitur *Theoremate* 382. ac in præsenti: & vtrobique plures recenset sectatores; inter quos reddit Magistrum Domini, cum Bannez *secunda secunda quæst. 62. art. 3. dubio* 2. & Valentiam, 1. 2. *disp. 7. q. 5. punct. 6. & 2. 2. disp. 1. quæst. 12. punct.* 2.

Loquendo verò de pœnis, contra recipientes à Regularibus munera, latis, dicendum nobis est, debere receptatores huiusmodi, in foro conscientiæ, & nulla expectata, super criminis perpetratione, sententia, aut declaratione, illas in seipsos exequi. Et ratio fundamentalis est, Quia eo ipso quod res donatas suas non faciunt, eas tenetur statim restituere: cum res aliena semper pro domino suo interpellet, & restitutioni maneat obnoxia. Et si non restituit statim ac commodè potest, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis, & voluntatis retinendi alienum, moraliter interrupti, iuxta ea, quæ tradunt Bassæus, *tomo 1. verbo Restitutio IV. §. 4. numero* 15. Naldus, *verbo Restituere, numero* 1. & alij communiter. Et in specie nostri casus, ita docent Pellizzarius, *dicto numero 53. in fine*: & Scortia *Theoremate* 398. & in similibus docent Beccanus, *tract. 3. de Legibus, capite 7. quæst. 3. conclus.* 2. & Castrus Palaus *part. 1. tract. 3. disputat. 2. punct. 2. numero* 7. vbi distinguit pœnas privativas. Aliæ enim inquit sunt, quæ impediunt translationem, dominij seu iuris acquirendi; aliæ verò, quæ privant Iure quæsito, seu incepto possideri, & hæ vltimæ sunt propriæ pœnæ, advertit ipse cum Sanchez *tomo 3. de Matrim. disp. 53. num.* 8.

Sed libuit Castri Palaï doctrinam ad amussim recensere, quia ad multorum casum decisionem multum deservit. Si de pœnis (inquit)
93

quæ impediunt ius acquirendum, loquamur, dicendum est secundò, plures esse in Iure, tam Canonico, quàm civili, quæ absque Iudicis sententia contrahuntur. Cum enim Respublica suorum bonorum domina sit, iustissimè potest nolle ea donare his, qui leges eius non observant. Sic recipiens beneficium Parochiale, sine Sacerdotio, si intra annum non ordinetur sua culpa, illud dimittere obligatur *ex capite Licet canon, de electione in* 6. ibi: si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione sit præsenti constitutionis auctoritate privatus.

Idem dicendum est de Episcopis, qui intra 94
sex menses à confirmatione sua non consecrantur. Privantur enim Episcopatibus adeptis, quia sub hac tacita conditione illis sunt concessi; Habetur in Tridentino, *sessio. 23. capite 2. de Reformatione*, idem est de beneficiariis non residentibus in suis Ecclesijs, qui pro rata absentiæ fructus non faciunt suos, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non sequuta, illos detinere non possunt, vt habetur in Tridentino, *sess 23. capite 1. de Reformatione.* Idem de Beneficiariis non recitantibus horas Canonicas: nam ex motu proprio Pij V. incipiente, *Ex proximo Lateranensi Concilio*, Romæ edito *Anno* 1571. 12. *Kalendas Octobris*, & refertur à Navarro *capite 25. numero* 122. non faciunt fructus suos, sed tenentur pro rata illos restituere, si acceperint: quia sub conditione illis dati sunt.

Item *sessione 22. capite 4. de Reformatione* 95
privantur Canonici voce activa in Capitulo, si in sacris non existant. Et in Clementina *Vt ij qui, de Ætate, & qualitate*, privantur Præbendati voce activa in Capitulo, si intra annum non receperint Ordinem suis præbendis annexum. Hoc tamen dubium est, si adsit in sacris. Existimo enim esse satis probabile, requiri sententiam, quia privantur iure quæsito.

Item consequentes secundum beneficium incompatibile cum primo, ipso iure illo privan- 96
tur, & redduntur ineligibiles, si non dimiserint (primum scilicet) *ex cap. Cum singula, de Præbendis in* 6. & ibi glossa. Et idem est de inhabilitate ad Matrimonium imposita coniugi, qui vxorem interficit, vt concubinam ducat, vel sub promissione futuri coniugij cum illa rem habeat: *ex cap. 1. cap. Super eo, cap. Significasti, de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* Hactenus Doctus Palaus: satis quidem opportunè ad probandum, recipientes à Regularibus dona, teneri in conscientia ad restitutionem, ante omnem sententiam, & declarationem. Pro absolvendis verò Largitoribus munerum ab obligatione in seipsos exequendi pœnas ipsis inflictas, vsque ad criminis declarationem, non minùs faciunt, quæ idem tradit Doctor, *numero 8. immediatè sequenti.* Videlicet.

Verùm si de pœnis privantibus iure quæsito
loquamur, dicendum est tertiò, satis probabile 97
esse, ferè nullam esse pœnam, quæ Iudicis sententiam non requirat ad sui plenam executionem, quantumvis lex dicat, *ipso facto, vel ante declarationem.* Quia semper debet intelligi ante declarationem pœnæ; & non ante declarationem delicti.

delicti. Moveor, quia in pœnis semper est benignior interpretatio facienda. *Regula, in pœnis, de Regulis Iuris in 6.* Præterea, quia Hæretici privantur ipso iure bonis possessis à die commissi criminis, *ex cap. Cum secundum leges, de Hæreticis in 6.* & tamen non tenentur bona Fisco tradere, & contractus, & alienationes factæ ab ipsis, validæ sunt, vt communis tenet sententia: ergo benè infertur pœnam non integrè incurri.

98 Item Simoniaci spoliantur beneficiis obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda, ex Tridentino, *sess. 24. cap. 18. de Reformatione*, & ex Constitutione Pij IV. adversus committentes Simoniam; & tamen non obligantur renunciare beneficijs; aliàs obligarentur sæpè ad manifestandum seipsos, vel ad patiendam gravem necessitatem: ergo signum est privationem tituli non esse delicto annexam, aliàs privato non liceret Sacramenta ministrare, & alia iura & munia, quæ ratione beneficij conceduntur, exercere, neque fructus beneficij recipere: ergo in his pœnis privantibus iure quæsito, expectanda est sententia declaratoria criminis vt integrè incurratur. Sic Emanuël Sà *verbo Lex, nu. 11.* Perez *lib. 2. Ordination. regu tit. 9. l. 2.* Covarruvia, *2. par. Sponsalium, cap. 6. §. 8. num. 8. & 10.* Vasquez *de Legibus, disput. 178. cap. 4. num. 25.* Castro *lib. 2. de Iust. Hæreticorum punit, cap. 9.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 29. dub. 8. cap. 34. dubio 34. & cap. 35. dub. 26. & 27.* Salas *de Legibus, disp. 15. à num. 46.* Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disput. 53. à num. 5. & sequentibus & lib. 7. disput. 89. num. 11.* vbi dicit, communissimum Doctorum Axioma esse, pœnam non debeti ante Iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis.

Imò quamvis textus dicant, incurri absque

99 alia declaratione, intelligi debent de declaratione pœnæ. Vnde adhuc desiderabitur declaratio criminis facti, per Iudicis sententiam, vt sustinet verior opinio, quam refert Covarruvia, *4. Decret. 2. par. cap. 6. §. 8. num. 10. versic. Tertio*: atque in strictioribus legis verbis, docent hoc ipsum Azevedo, *lib. 5. recopilat. tit. 11. leg. 5. num. 11. & ibi*: Matienzo, *glossa 1. num. 4.* cum enim illa lex dicat hæc verba: por ese mismo hecho, sin preceder á ello, ni para ello otro conocimiento de causa, ni otra sentencia, ni declaracion alguna, ayan perdido las mercadurias: dicunt adhuc requiri sententiam. Quare Molina, *tom. 2. de Iust. tract. 2. dispur. 96. fol. 591.* docet exigi verba Legislatoris luce clariora explicantia ipsius mentem esse, nullam desiderari sententiam. Hæc Sanchez. Et advertendum est ex eius sententia *libro 3. de Matrimonio, disputatione 53. in fine*: illam dici pœnam, quæ est privatio Iuris quæsiti, seu incipientis; non acquirendi.

Dixi ferè nullam esse pœnam, vt exciperem pœnam, qua coniuges incestuosi privantur debiti petitione, nulla expectata Iudicis sententia, etiam declaratoria criminis: vt testatur de communi sententia Sanchez *libro 9. de Matrimonio, disput. 30. num. 2.* Quia in hac pœna, sicut in pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis, praxis, & vsus obtinuit ligari delinquentes nulla expectata sententia. Hucusque Pater Palaus.

Gregorius Papa X. in Concilio Generali Lugdunensi, relatus *in capite Avaritiæ el 5. de electione, & electi potestate, lib. 6.* sic statuit. Cum itaque non sit malitiis hominum indulgendum, Nos latiùs providere volentes, hac Generali Constitutione sancimus: vt nullus de cætero administrationem dignitatis (ad quam electus est) priusquam celebrata de ipso electio confirmetur: sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore in spiritualibus, vel temporalibus, per se, vel per alium, pro parte, vel in totum, gerere, vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui secùs fecerint, iure (si quod eis per electionem quæsitum fuerit) decernentes eo ipso privatos. 100

Circa quam Decretalem ita Ascanius Tamburinus fatur *de Iure Abbatum, tomo 1. disputat. 6. quæsito 1. à num. 16.* Notandum tamen, quod licet textus *in dicto cap. Avaritia*, sit Canon latæ, non autem ferendæ sententiæ, Glossa *ibi, verbo Privatos*, Crescent. *dicta decis. 6. sub n. 15. & 20. de Iure patronatus*, nihilominus vt pœnæ in eo inditæ sit locus, est necessaria declaratio Iudicis super facto, vt fuit resolutum *in superius allegata Beneventana Vicariæ 18. Iunij 1617. coram Cardinali Sacrato*; licet enim pœna ex aliquo facto, vel non facto ipso iure inducatur, nihilominùs ad effectum vt sit locus huiusmodi pœnæ, requiritur declaratio Iudiciaria super facto: Socin. Iun. post alios, quos allegat *consilio 130. num. 29. versic. Si vero dicimus, volum. 3.* quem sequuta est Rota *in causa Foroliuien. de Monsignanis, 30. Octob. 1602. coram Pennia quæ est decis. 186. post 2. volum. Consiliorum Farinacij*. Quod præcipuè procedit, quando non sufficit solùm factum, sed requiritur qualitas: quia tunc declaratio Iudicialis debet comprehendere vtrumque, & non sufficit docere de facto, nisi etiam doceatur de qualitate, quæ est fundamentum dispositionis. Paris. *consil. 152. numero 5. libro 4.* Ceph. *consil. 256. in finem.* Socin. Iun. *22. numero 10. libro 1.* Tiraquellus *de Retract. lign. §. 8. gloss. 7. in fine.* Et fuit decretum per Rotam *in Romana pensionis domus 11. Martij 1613. coram Cardin. Sacrato.* At textus *in dicto capite Avaritiæ*, non contentatur sola intrusione, sed requirit etiam temeritatem, vt supradictum est; & decidit Rota *in dicta Beneventana Vicaria coram Cardinale Sacrato.* Hucvsque Abbas Tamburinus. 101

BREVIARIUM.

Electio.

Potestate eligendi privantur multi, ipso facto, ob crimen commissum, n. 103.

Requiritur tamen sententia criminis declaratoria, num. 104.

Electio tamen est ipso facto nulla, si censura ligati sint electores, vel electi, etiamsi occulta sit censura, n. 104.

Inhabilitas.

Pœna inhabilitatis ad beneficia, dignitates, administrationes, officia, & ad vocem activam, & passivam

- *uam, non obligat in conſcientia ante ſententiam criminis declaratoriam*, n.102.103.

CONCLVSIO II.

102 POena inhabilitatis ad beneficia, dignitates, adminiſtrationes, ad vocem activam, & paſſivam, non obligat in conſcientia delinquentem, antequam declaretur per ſententiam, crimen perpetraſſe, cui adiecta eſt.

Hanc tenent Tamburinus *de Iure Abbatiſſarum tom.4. diſp.19. quæſt.3. n.3. & 5.* Vaſquez *in 1.2. tom.1. diſp.168. cap.4. num.26.* Thomas Sanchez *tom.2. Oper. Moral. lib.6. cap.15. n.65. & cap.17. num.39. tom.3. de Matrimonio, lib. 9. diſput.30.* cum Navarro *in Extravagantem Gregorij XIII. de datis pro iuſtitia, in prima editione, num. 41. in vltima, num.44.* & Molina *de Iuſtitia, tom.2. tract.2. diſput.96. pag.590.* Caſtrus Palaus *part.1. tract.3. diſput.2. punct.2. num.10. verſic. Tertiò: & verſic. Quartò, & verſic. Verum:* Lezana *in Summa quæſtionum Regularium, tom.1. part.1. cap.10. nu.30. & 31. & tom.2. part.4. verbo Pœna, num.* 10. cum Granado, Caſtallino, & Peyrinis, *locis ſuprà, num. 68. allegatis.* Antoninus Diana *part.4. tr.4. reſol.* 26. recenſet pro hac ſententia Sanchez *to.1. Oper. Moral. lib.2. cap. 39. nu.32.* & penes eum Navarrum, Molinam, & Martinum Ledeſma. Villalobos *in Summa tom.1. tract.2. diffic.25. n.3.* Portellum *in dubiis Regular. verbo Inhabilitas, n.3.* & Sotum *de Iuſt. lib. 4. q.6. art.34.* & ait: Si quis hanc opinionem ſequi vellet, ego eum non damnarem. Habet enim pro ſe graves Doctores, & rationes ſatis probabiles. Ita Diana.

103 Ex his, quæ Doctores redditi tradunt, libuit, quæ Palaus *vbi proximè*, docet, recenſere. Quartò obiici poteſt pœna inhabilitationis vocis activæ, & paſſivæ ad aliquam Cathedram, Officium, vel Beneficium; ſæpè enim ob crimen commiſſum privatur quis poteſtate eligendi, *cap. Cum inter, de electione, cap.1. de Poſtulat. Prælatorum, cap. Cum iniunctis, de electione, cap. Quia diverſitatem, de conceſſione præbendæ, cap. fin. de Exceſſibus Prælatorum, cap. vnico, §.1. Ne Sede vacante in 6.* & in multis vniverſitatibus fiunt ipſo iure inhabiles ad Cathedras obtinendas, qui aliquos ſuffragatores corruperint, vel cum aliis competitoribus pactum fecerint de ceſſione facienda oppoſitione, vt ipſi etiam viciſſim in alia oppoſitione cedant. Item quia ipſi corrupti inhabiles, nulla expectata ſententia fiunt: quod conſtat ex ſtatutis huius Salmalticenſis Vniverſitatis, *tit.33. à num.4. & ſeqq. præcipuè* 20.21.22. & de vniverſitate Complutenſi, teſtatur Vaſquez 1.2. *diſputat.* 168. *capite* 6. Suarez *lib. 5. capite 9. à numero* 7.

104 Verùm ſupradicti textus non ſatis probant; concedo enim privationem, quæ incurritur per cenſuras, hanc vim habere; ſecùs verò privationem, quæ ratione delicti imponitur. Et ſupradicti textus, de ligatis cenſura loquuntur. Item debet cenſura eſſe denunciata, vt non ſolùm vſu, ſed etiam poteſtate eligendi quis privetur; at ſi cenſura eligendum adſtringit, etiamſi occulta ſit, reddit eius electionem paſſivam nullam *ex cap. Poſtulaſti, in princ. de Clerico excommunicato miniſtrante:* ſolùm *cap. Cum in cunctis, de Electione*, poteſt ingerere difficultatem, quia ibi privantur Canonici poteſtate eligendi, ſi eligant ſcienter indignum. Sed non habemus efficax argumentum ad negandum requiri priùs ſententiam declaratoriam criminis; imò potius nobis favet communis Regula de pœnis, quæ temperandæ ſunt, quoad fieri poſſit. Cum autem hæc ſit propria pœna, quia privat iure quæſito, ſcilicet poteſtate iam habita prius eligendi, cenſeo ſatis probabile requiri ſententiam declaratoriam criminis. Et idem cenſeo de ſupradictis ſtatutis vniverſitatum privantibus voce activa, & paſſiva ad aliquam electionem. Nam licet dicant, *ipſo facto inhabiles ſint*, debent tamen temperari, facta per iudicem declaratione: tenet hanc ſententiam Sotus *lib.1. de Iuſtitia, quæſt.6. art. 6. ad 4. & lib. 4. quæſt.6. art. 3. ad finem:* Ledeſma *2. part.4. quæſt.18. art.2. concluſ.3.* Emanuël Sà, *verbo Lex, num.11. & verbo Pœna, num.1.* in vtraque editione: Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrimonio, diſput. 30. num.1. & lib.2. in Decalogum, cap. 22. num. 19. & 20.* Molina *tom.1. de Iuſtitia, tract.2. diſput.99. pag.591.* Hæc omnia Palaus.

BREVIARIVM.

Bona.

Pœna amiſſionis bonorum, ſeu illius confiſcatio, non obligat in conſcientia reum ante criminis declarationem, per Iudicis ſententiam, n.105. *& quare,* n.106.

Sententia.

Criminis declaratoria ſententia, ab eo ferri debet, qui pœnam tollit contra delinquentes, n.107.

CONCLVSIO III.

POena amiſſionis bonorum, & illorum confiſcatio, ante ſententiam declaratoriam criminis pro quo inflicta eſt, non incurritur in conſcientiæ foro, nec tenetur quis delinquens in ſe, ante huiuſmodi exequi declarationem. 105

Tenent hanc aſſertionem Simanca, *de Inſtitutionibus Catholicis, tit.9. num.126. 157. & ſequen. præcipuè* 170.173.174. 211. *& ſequentibus vſque ad num.251. incluſivè*, prolixè quidem, ſed eruditiſſimè, doctiſſimè. Ioannes Baptiſta Ventriglia *in praxi rerum notabilium in annotatione de inſordeſcentia in excommunicatione per annum, annotat. 2. §.3. num.* 28. cum Farinacio *de Hæret. quæſt.* 190. *num.3. 4. & 5.* Baſſæus *tom.2. verbo Pœna, nu. 2.* cum Sylvio 1.2. *quæſt.96. art.4. quæſit.9. concl.2. & 4.* & Trullench *in Decalog. lib.8. tom. 2. cap.5. dubio* 10. *num.* 2. Azotius *in Inſtitut. Moral. par.1. lib.5. cap.7. quæſt.1. verſic. Verum columna mihi* 430. *verſic. Quartò, verſic. Ad argumenta, & q.3. ac cap.8. quæſt. 4.* cum Covarruvia, *loco mox reddendo, num.* 10. vbi allegat Adrianum, Caietanum, & Decium: Amicus *tomo 5. diſputat. 5. ſect.11. num.2.51.* Beccanus *tract. de Legib. cap.7. quæſt.4. concl.1. & 2.* Barboſa, *in cap. Pro humani num.16. & 22. el 1. de Homicidio, lib.6.* (eundem allegat Baſſæus *de poteſt. Epiſcopi, allegat. 57. num.228.* Sed immeritò, quia ibi neutiquam de hac agit pœna Barboſa, ſed de eo, quòd vacet ipſo iure beneficium, propter Hæreſis crimen.) Antoninus Diana, *part.2. tract.17. reſol. 67. verſic. Ex his, ad finem.* cum Sanchez, *in opere morali, tom.1. lib.2. cap.20. num.7.* Doctores 33. allegante.

legante. Et cum Sanctarello, *tract. de Hereſi, cap. 2. dub. 1. num. 6.* Noctiuot. *verbo, Pœna, num. 2.* Emanuel Sà *eodem verbo num. 1.* cum Salone, *2. 2. quæſt. 62. art. 3.* Molina, *de Iuſt. diſp. 95.* Couarruuia, *in 4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 8.* & Nauarro, *in Manuali, cap. 25. num. 118.* Gabriel Vazquez, *tom. 2. in 1. 2. D. Thomæ, diſp. 170. cap. 4. num. 24.* Caſtrus Palaus, *part. 1. tract. 3. diſp. 2. punct. 2.* Leonardus Leſſius, *de Iuſtitia, lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64. verſic. Simili modo.* Antonius Souſa, *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib. 3. cap. 20. num. 7.* Thomas Delbene, *de Parlamentis, dub. 4. ſubſect. 31. ſub Corollar. 3. num. 6.*

106 Ratio aurem iſtius, & præcedentium duarum aſſertionum eſt, quia leges, conſtitutiones, ſtatuta, & præcepta infligentia pœnas, in præcedentibus recenſitas, ſic ſunt, vt præfertur, intellecta, admiſſa: ita vt ſententia, vel declaratio, quam excludunt, intelligi debeat, de ſententia, aut declaratione circa pœnam ſubeundam, non verò circa crimen admiſſum declarandum. Quia ſemper declaratio, aut ſententia deſiderantur, de hoc, quod Petrus v. g. hoc, aut illud ſcelus, patrauerit, vt ſubire teneatur pœnas, tale crimen admittenti, inflictas. Et ad dictam declarationem, citatio partis præcedere debet, vti docet Barboſa, *in cap. Pro humani, num. 22. el 1. de Homicidio lib. 6.* cum aliis, quos *num. 72.* recenſuit. Palaus, *vbi proximè num. 12.* cum Iulio Claro, *in Pract. §. fin. quæſt. 31. num. 3. verſic. Item adde.* Cardinale Tuſcho, *verbo, Declaratio, concluſ. 98.* & Proſpero Farinacio *2. p. fragment. crimin. num. 167. & num. 168.* cum plutibus docente, dari ab hac declaratione appellationem.

107 Dubium, non ſpernendum, hîc occurrit diſcutiendum. Quis valeat ſententiam, aut declarationem, circa patratum crimen, proferre, vt pœna ei inflicta executioni inflicta debeat demandari? A quo me breuiter expediam, recenſendo Franciſcum Pellizzarium, *in Manuali Regularium, to. 2. part. 1. tract. 7. cap. 6. num. 11. pag. mihi* 159. in hæc prorumpentem verba. Difficultas eſt, cuius Iudicis ſit ferre ſententiam in caſu, quo Regulares commiſerint delictum, ſub præfatis pœnis pohibitum. Reſpond. id ſpectare ad illum ipſum, qui tulit pœnam: adeoque ſi ea lata eſt in aliqua Conſtitutione Pontificia, ſpectare ad Papam; ſi in aliquo Decreto ſacræ Congregationis, ad ipſam ſacram Congregationem, ſi in Conſtitutionibus Ordinis, ad Prælatos Regulares, & quidem etiam locales, ſaltem de iure communi.

Ratio reſponſionis eſt, quod illius eſt declarare pœnam fuiſſe incurſam, cuius eſt eam imponere. Alioqui facultas imponendi pœnam, eſſet fruſtranea, ac inutilis: præſertim attenta probabilitate ſententiæ, *quæſtione præcedente relata,* quod hæ pœnæ Eccleſiaſticæ non incurrantur, niſi poſt Iudicis ſententiam. Sic enim non rarò euitatur pœna incurſa, ſi alius ab eo, qui illam tulit deberet declarare ipſam fuiſſe incurſam, eo parum curante eiuſmodi declarationem; cùm alias Iudex, qui eam pœnam tulit, præſumi poſſit futurus diligentior in facienda ea declaratione, tanquam de re concernente ipſius Iuriſdictionem. Hactenus P. Pellizzarius.

BREVIARIVM.

Excommunicatio.

Excommunicationis pœna Apoſtatis à Fide, Hæreticis, &c. inflicta, nulla alia declaratione indiget criminis, vt in conſcientia obliget. n. 108.

Irregularitas.

In *conſcientia obligat Apoſtatas à Fide, Hæreticis, &c. ante ſententiam criminis declaratoriam,* numer. 108.

CONCLVSIO IV.

EXcommunicationis, & irregularitatis pœna Hæreticis, eorum Credentibus, Receptatoribus Fautoribus, & Defenſoribus eorum, ac Apoſtaris à Fide inflicta per varia Iura *dub. 12. à n. 1. vſque ad 10. & num. 69. & ſequentibus,* recenſita, nulla alia ſententia, aut declaratione quidem, etiam criminis patrati, indiget, vt horum criminum reos, ſtatim ac ea reſpectiuè admiſerint, in conſcientiæ obliget foro. 108

Hæc concluſio communiter ab omnibus Doctoribus admittitur. Omnes enim docent, vti ſuprà *num.* 38. vidimus, quod pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis in foro conſcientiæ obligant, & contrahuntur ſtatim, ac committitur delictum, cui ſunt additæ, nulla ſententia condemnatoria, aut criminis patrati declaratoria deſiderata. Quia ſcilicet ex parte vna, ſunt huiuſmodi pœnæ ipſo facto inflictæ; & ex altera, praxis Eccleſiæ, & omnium vſus obtinuit, vt ſtatim obligent delinquentes. Videantur Doctores *vbi proximè* allegati.

BREVIARIVM.

Infamia.

Infamia facti ſtatim contrahitur ab Apoſtatis, &c. ante ſententiam Iudicis criminis declaratoriam, ſecus infamia Iuris, n. 109.

CONCLVSIO V.

INfamiæ pœnæ, qua Hæretici, Credentes, Receptatores, Defenſores, Fautores, & Apoſtatæ à Fide ipſo iure plectuntur, de qua *dub. 12. n. 11. & 4. ſequentibus* egimus, non incurritur ab illis ante ſententiam declaratoriam criminis. 109

Tenent hanc concluſionem Palaus, *tom. 1. tr. 3. diſp. 2. punct. 16. num. 2.* cum Suarez, *de legibus, lib. 5. cap. 6. num. 17. & ſeq.* & Salas, *eod. tract. diſp. 15. ſect. 6. num. 77. ad finem* Vazquez, *tom. 2. in 1. 2. diſp. 173. cap. 1. num. 5. pag. mihi* 132. Lezana. *tom. 2. part. 3. verbo, Hæreſis, num. 6.* cum Sanchez, *tom. 1. operum moral. lib. 2. cap. 26. à num. 1.* Auguſtinus Barboſa, *in cap. Excommunicamus §. Credentes. num. 24. el 1. & 13. de Hæreticis,* cum Farinacio, *de Hæreſi quæſt. 189. num. 56.* Sanctarello *eodem tract. cap. 25. num. 10. in medio,* Thomas Delbene, *de Parlamentis, dub. 4. ſubſect. 31. ex corollario. 7. ſubcorollario. 3. num. 4. pag. mihi* 88. Anton. Souſa *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib. 3. cap. 7. num. 3. cum Penna 1. part. Directorij, commento 4.* Azorius, *Inſtitut. moral. part. 1. lib. 8. cap. 13. quæſt. 7. verſic. Sed verius eſt,* cum Dyno, *in cap. Infamibus, de regulis in 6.* & Abbate, *in cap. Teſtimonium de Teſtibus, & ex cap. Exceptionem, de Exceptionibus.* Et colligitur, ait Azorius, *ex*

cap.1. de his, qui notantur infamia. Adnotant tamen Azorius, & Sousa, quòd si crimen Hæretici, Credentium, &c. notorium fuerit per euidentiam facti, de facto ante sententiam, seu criminis declarationem, infamiam facti contrahunt istorum criminum rei, non autem iuris infamiam, de qua in iuribus allegatis, *dicto dub. 12. à n. 11.*

BREVIARIVM.

Excommunicatio.

Communicatione priuat forensi, ita vt excommunicatus non possit esse aduocatus, Actor, &c. num. 111.

Alij excommunicationis recensentur effectus, n. 111.

Hæretici.

Multis pœnis plectuntur Hæretici, Credentes, &c. illas tamen in neutro incurrunt foro ante sententiam criminis declaratoriam, n. 110. & 11.

Testamentum.

Non potest excommunicatus testamentum facere licitè, num. 111.

CONCLVSIO VI.

110 Pœnæ, quibus plectuntur Hæretici, &c. vt non admittantur ad publica officia ad consilia, & electiones aliorum; neque ad ciuitatum defensores, ad Milites, ad gradum Doctoratus, non incurruntur ab eis, nisi post criminis declarationem. Et idem de pœnis, vt intestabiles sint, & ad Hæreditatis successionem non accedant. Vt nullus in aliquo negotio eis respondere teneatur. Vt si Iudices sint, nullæ ad eos causæ deferantur: & sententiæ ab eis latæ, nullæ sint. Et pœnæ Aduocatis, Notariis, Scribis, seu Tabellionibus, Procuratoribus, & Testibus inflictæ, de quibus omnibus dubio egimus 12. *à num. 16. vsque ad* 43. Similiter reos neutiquam afficiunt ante criminis declarationem. Idem dicimus de pœna, circa nullitatem, emancipationis filiorum, vel subditorum, de qua *num* 45. de pœna, ratione cuius, omnes qui aliqua obligatione erga prædictos obstringuntur, liberi omnino, & absoluti ab ea maneant. De qua *num.* 47.

Hanc conclusionem, ex his, quæ Doctores, in præcedentibus allegatis, tradunt, colligo. Docent enim communiter, his plecti pœnis Hæreticos, Credentes, & omnes alios suprà recensitos, qua excommunicatos; qua infames; sed ex neutro capite, possunt præfati, ante sententiam criminis declaratoriam, pœnas in conclusione nostra expressas incurrere: ergo illas minimè ante dictam incurrunt declarationem. Minor quoad secundam partem manet probata in præcedente 5. assertione, quoad primam partem patet. Quia excommunicatus non denunciatus, seu declaratus extrauagante, *Ad euitanda scandala*, licet positiuè non admittatur ad publica officia, ad consilia, ad vocem actiuam, seu ad electiones aliorum: ad Defensores ciuitatum; ad Milites; ad gradum Doctoratus: ad testamentum condendum: ad hæreditatis successionem: ad agendum, & defendendum se & alios in iudicio: ad omnes Iudicis functiones, & Tabellionatus: ad testimonium ferendum; toleratur tamen & ad prædicta admittitur, & ad omnem denique communionem ciuilem: & nullam amittit potestatem, Dominium, aut Iurisdictionem, quoad valorem actuum.

Quocirca Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 7. de censuris, cap. 2. de Excommunicatione, dub. 3. num.* 6. sic de eius effectibus loquens ait. Priuat communicatione forensi. 111
Vnde excommunicatus nequit esse Iudex, Aduocatus, Procurator (licet pro semetipso respondere possit ipse Coninh, præpositus Diana, *part. 5. tract. 9. resolut.* 111.) Actor, tabellio, Testis, &c. ita vt contra excommunicatum, etiam toleratum semper possit reus excipere. Quòd si non faciat, nec Iudex eum repellat, validè eius acta erunt, si sit toleratus; secus est de Iudice non tolerato, cum sit priuatus Iurisdictione. Vide Layman *cap.* 2. Dianam, *part. 5. tract. 9. resolut.* 112. 113. Non potest etiam esse Tutor, aut Curator. Diana, *part. 5. tract. 9. resolut.* 115. ex Sylue stro. Neque testamenti executor. Diana, *part.* 8. *tract. 9. resolut.* 2. ex Carp. &c. contra Sanchez, Lugum, &c. Si tamen non fiat oppositio, validè exequitur 16. Nec potest ipse testare licitè, & si faciat validè, etiam cum excommunicatum instituit hæredem. Suarez, Villalobos, Mercer &c. cum Diana, *loc. cit. resolut.* 129. Denique contractus omnes ab eo facti (& si sint illiciti, & ratione eorum non detur actio in foro externo durante executione) valent, nisi fiant ab eo vt persona publica, vel Ministro ratione muneris vel Beneficij: quia tunc expectant, ad Iurisdictionem, quæ suspensa est. Diana, *part. 5. tract. 9. resolut.* 128. & Coninh, Filliucio, Merce. & aliis. Hæc omnia Bussembaum.

Accinit Axorius, *part. 1. Institut. moral. lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 1. ibi. Alij aiunt, nunc post Concilium Constanciense prædictas pœnas intelligi tantùm de Hæretico expressim denunciato, aut notorio Clerici percussore: hunc enim solùm modo deuitari oportet, vt sæpe iam dixi. Idem *quæst. 2. & quæst.* 7. vbi concludit. Valent tamen, quæ faciunt Hæretici quandiu in publico munere, & officio tolerantur *ex cap. Nonne*, 8. *quæst.* 4. Sylu. verbo, *Excommunicatio.* 3. *versic.* 10. *&* 11. Voluit enim Ecclesia vt valerent. Hæc Azorius. Palaus, *tom. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 2. num.* 11. ibi. Item debet censura esse denunciata, vt non solùm vsu, sed etiam potestate eligendi quis priuetur.

BREVIARIVM.

Lex.

Iuxta lex, accommodata esse debet humanæ fragilitati, num. 112.

Lex nimia seueritate obseruata bonis, & malis, est damnosa, num. 113.

Legislator si vellet suam legem absque epillia obseruari, & exclusis circunstantiis, imprudens, & crudelis esset, num. 113.

Papa.

In omnibus rationabiliter procedit: & suas leges moderare consueuit, si finem ex iis intentum prouenire non perspicit, n. 113.

Non præsumitur leges suas cum toto litteræ rigore obseruari, si ex tali rigore intolerabiles reddantur, num. 113.

Pœna.

Perpetui carceris: traditionis brachio sæculari: priuationis cohabitationis coniugalis: exilij perpetui: degradationis: non admissionis ad beneficia, &c. & mortis: delinquentes non obligat ante sententiam, num. 112.

CONCLV

CONCLVSIO. VII.

112 Poenæ carceris perpetui, traditionis brachio sæculari, priuationis cohabitationis coniugalis, exilijque perpetui, degradationis, depositionis; pœna etiam non admissionis ad beneficia, vel officia; & pœna capitalis, seu mortis. De quibus, *dub.* 12. *num.* 49. 53. 55. & 56. 61. 62. 64. & 86. non obligant in conscientia reos ante sententiam.

Hæc conclusio patet ex 3. propositione *suprà num.* 68. vbi cum penè innumeris dixi Doctoribus, neminem in se exequi tenere pœnam à iure inflictam, si actionem requirat, ad sui plenam executionem: quæ quidem, dubio procul, desideratur, pro harum pœnarum executione completa: & ratio est, quia leges istas pœnas infligentes, sic sunt communi consuetudine, & virorum scientia, & conscientia præditorum, vsu receptæ, ac intellectæ. Et meritò quidem, quia si homines pœnam exequi in semetipsos deberent, nimis durum id esset, & inhumanum, & huiusmodi leges, humanæ imbecillitati accommodatæ neutiquam essent, vti bene notant Noctinot, *verbo Pœna, num.* 2. Lezana, *tom.* 1. *Summa quæstionum Regularium, part.* 1. *cap.* 10. *num.* 30. Leges autem humanæ faciles, ac humanæ fragilitati accommodatæ esse debent. Ipse Lezana, *ibidem*, & Laurentius de Peyrinis, *de Priuilegiis tom.* 1. *Constitut.* 2. *Clementis Octaui, num.* 1. *pag. mihi* 304. in hæc, quæ sequuntur, protumpens.

113 Noto 3. quòd leges iustæ nimia seueritate, & asperitate obseruatæ, sunt damnosæ, non minus bonis, quàm malis, cum pauci admodum sint, quibus quandoque illas suadentibus vrgentibus occasionibus præuaricare non oporteat; vnde qui legislator vellet eas absque epikeia, & exclusis circumstantiis, obseruari, approbare videtur Stoicorum dogma, omnia peccata æqualia esse contentium. Præterquam quòd, vel imprudens, vel crudelis notam non effugeret. Primùm, si legem à se latam vt intolerabilem corrigere teneretur; secundùm si videns damnum; quòd sequitur ex literali legis obseruatione, vellet nihilominus illam de toto rigore obseruari. Quæ tamen, quia de mente Pontificum, qui in omnibus rationabiliter procedunt, quique suas leges moderare consueuerunt, si ex iis speratum, & intentum finem prouenire non perspiciunt, præsumenda non sunt; ideò neque præsumendum est, quòd velint statuta pro reformatione Religionum inducta, cum toto rigore literæ obseruari, si ex tali obseruatione intolerabilia reddantur. Hactenus Pater Laurentius de Peyrinis. Videatur à nobis dicta *in hoc dubio à num.* 72. *ad num.* 76. & *n.* 90. & 91.

BREVIARIVM.

Hæretici.

Pœnam inflictam Hæreticis, &c. vt immunitate non gaudeant Ecclesiæ, in nullo foro tenentur in se ipsos exequi ante sententiam criminis declaratoriam, num. 114.

Immunitas Ecclesiastica.

Quoad locum, est priuilegium Ecclesiæ concessum, vt ibi existentes, tuti sint à laica potestate, & delinquentes ad illum confugientes locum, per vim extrahi nequeant, n. 114.

CONCLVSIO VIII.

Poena 24. Hæreticis, & aliis recensitis, inflicta est vt immunitate non gaudeant Ecclesiæ, de qua *dub.* 12. *à num.* 72. egimus, eos afficere nequit, ita vt illam in se ipsos exequi teneantur ante Iudis declaratoriam. Ducor, quia immunitas Ecclesiæ, priuilegium est Ecclesiæ, & locis sacris concessum, vt rei ad eos confugientes non possint extrahi per vim, vti describitur ab Ausonio Noctinot *in compendio Dianæ, verbo immunitas Ecclesiarum, quoad loca num.* 1. Lezana, *tom.* 2. *part.* 3. *verbo eodem, & num.* 1. ab Eligio Bassæo, *tom.* 1. *verbo Immunitas, num.* 1. dicente, Immunitas Ecclesiastica quoad locum est exemptio, seu priuilegium Ecclesiæ, seu Templo concessum, vt ibi existentes tuti sint à laica potestate, & delinquentes ad illa loca confugientes per vim extrahi non possint. Sed extrahi se per vim quis non tenetur; imò nec moraliter quoit, non valet, non potest: nemo enim à semeptipso vim patitur. Ergo Hæretici, Credentes, Receptatores, &c. non tenentur, in conscientia, pœnam priuationis immunitatis in se ipsos exequi ante Iudicis declarationem. 114

BREVIARIVM.

Beneficium.

Beneficio, ipso iure priuatus, illud in alterius fauorem resignare non potest; secus illo priuandus à Iudice ob delictum, n. 118.

Priuatus ipso iure beneficio, an faciat fructus suos, ante sententiam criminis declaratoriam, numer. 117. 118.

Lex.

Pœnalis, Lex, alia, quæ ipso facto pœnam statuit; alia, qua pœnam à Iudice ferendam determinat, num. 16.

Pœna per primam inflicta, contrahitur, ante Indicis sententiam condemnatoriam; non autem ante sententiam criminis declaratoriam. Per secundam verò inflicta, non contrahitur, ante vtramque sententiam declaratoriam, & condemnatoriam, num. 116.

Omnes actus contra primam legem facti, irritandi veniunt, post criminis declarationem, si irritabiles sunt; actus vero contra secundam, non irritantur nisi post tres sententias, vltra criminis declaratoriam, num. 117.

In vim prioris legis, conueniri possunt Hæredes, ad pœnam realem persoluendam, quam legis violator iam defunctus debebat; secus in vim secundæ, num. 119.

Lex prior, quantum est ex se priuat delinquentes bonis, sub conditione tamen, quod delictum declaretur: vnde solum indiget Iudicis declaratoria, num. 119.

Restitutio.

Beneficio, ipso iure priuatus, restituere tenetur fructus post criminis tantum declarationem, n. 117.

Item, quicumque bona Hæretici possideat, post patratum crimen, restituere illa debet Fisco, post criminis declarationem, num. 117.

CONCLVSIO IX.

Poenæ tandem 25. de eo, quod neque Clerici, neque Religiosi Sacramenta queant Hæreticis administrare, eos Ecclesiastico more tumulare; 115

aut

aut ab eis oblationes, vel eleemosynas percipere: & 26. de eo. vt eodem tempore, plures contra Hæreticos procedere queant Iudices: & vltima, de eo, quod Hæretici post eorum mortem, accusati valeant, & damnari: de quibus *dub.* 12. *n.* 79. 82. *&* 90. non incurruntur ante criminis declarationem, ita vt rei ipsi, illas in se exsequi teneantur, in conscientiæ foro.

Hæc assertio patet, quia actiones, quæ erga Hæreticos, &c. fieri prohibentur in pœnis redditis, non ab ipsis reis, sed ab aliis fieri, ac exerceri prohibentur. Ergo Hæretici Credentes, & alij, de quibus dubium inquirit, non tenentur, in foro conscientiæ, præfatas pœnas, in se ipsos ante sententiam exequi, criminis declaratoriam. Imò nec dictæ contrahuntur pœnæ, ita vt ab aliis, in reos, absque præuia criminis declaratione, exequi valeant. Quia huiusmodi rei, nisi eorum declaretur crimen, tolerantur. Quòd tamen addo, quoad Sacramentorum administrationem, & oblationem, vel eleemosynarum perceptionem saltem, iuxta ea, quæ *assertione* diximus 6. & quoad tumulationem quidem, vt in plurium, cum periculum sit in mora.

116 Pro perfecta præsentis dubij resolutione, operæpretium duxi aduertere, ex dictis non sequi frustra in legibus pœnalibus apponi, verba illa *eo ipso: ipso iure*, vel *absque alia declaratione*: etiamsi, vti diximus, pœna commisso delicto non contrahatur ante Iudicis sententiam. Licet enim videatur, nullum esse discrimen, inter legem statuentem pœnam modo reddito, & legem pœnam à Iudice ferendam statuentem; maxima tamen inter vtramque inuenitur differentia. *Primò*, quia lex pœnam *eo ipso: ipso iure*: vel *absque alia declaratione* infligens, non indiget condemnatoria Iudicis sententia, vt pœna incurratur; indiget tamen sententia criminis patrati declaratoria. Lex autem pœnam à Iudice ferendam statuens, vt contrahatur ista, indiget vtraque sententia declaratoria scilicet criminis, & pœnæ condemnatoria, vti bene docet Castrus Palaus, *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 13.

117 *Secundò*, quia data lege, pœnam, *ipso iure*, statuente, omnes actus, qui post illius promulgationem fiunt, & post commissum crimen, veniunt irritandi, si irritabiles sint. Vnde ipso iure priuatus officio, beneficio, aut bonis, ob crimen aliquod, post sententiam criminis declaratoriam tenetur Fisco petenti restituere fructus: & si alienauerit, rescindi potest contractu, si in Fisci damnum fuerit ille celebratus, quia res cum suo onere transit. Ita Palaus, *vbi proximè*, cui consonat Azorius, *par.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 3. vbi postquam dixit, posse Clericum ob crimen, ipso iure beneficio Ecclesiastico priuatum, illud tuta conscientia, ante condemnationem criminis retinere, sic inquirit, & resoluit. Si tamen quæras, An Clericus ob crimen aliquod, vel factum, ipso iure priuatus, beneficij fructus faciat suos: Quidam aiunt sibi tunc fructus acquirere, eo quòd possessio bonæ fidei sine vero titulo dat fructus possessori. Dicendum tamen arbitror, eum fructus non facere suos, vt alibi fusiùs disputabo: nam fructus beneficiorum sine titulo non acquiruntur: & sicut hoc locum habet, quum initio titulus non acquiritur: ita etiam vim habet cum ob crimen, vel ob factum titulus ad non titulum reducitur. Hactenus Azorius.

181 Consonat, & Antonius Naldus, *verbo beneficium Ecclesiasticum*, *num* 24. vbi ita fatur. Beneficiarius priuandus beneficio ob delictum cui imminet pœna priuationis, antequam per sententiam, imò per tres sententias conformes priuetur, potest illud resignare in fauorem alterius: hæc enim est vna differentia, quam Doctores communiter constituunt inter priuationem per sententiam & inter priuationem ipso iure. Priuatus vero ipso iure tenetur fructus perceptos restituere. De quare Glossa *in cap.* 2. *verbo Finita*, *Vt lite pendente*, *lib.* 6. Gomez, *in regulam de annali*, *quæst.* 3. *in princ.* Felinus, *in cap.* 1. *num.* 42. *de Constitutionibus* Couarruuia, *in Clementinam*, *Si furiosus*, 2. *part.* §. 3. *num.* 6. *&* 7. Parisius, *de resignatione*, *lib.* 3. *quæst.* 6. & Molina, *vbi suprà* (scilicet *tract.* 2. *de Iust. disp.* 96.)

Tertiò, differunt Lex, *quæ ipso Iure* pœnam statuit, & quæ à Iudice ferendam determinat in hoc quòd in vim prioris legis, possunt conueniri hæredes, ad pœnam realem persoluendam, quam legis violator, iam defunctus, debebat, eo quòd res transit cum suo onere reale; in vim autem legis pœnam à Iudice ferendam statuentis, hæredes defuncti illius violatoris, ad pœnam persoluendam, quam testator debebat, conueniri nequeunt. Ita Palaus, *loco allegato*, vbi concludit dicens. Ratio omnium est, quia Lex quæ pœnam imponit ipso facto, priuat quantum est de se delinquentes bonis, sub conditione tamen, quòd delictum declaretur: quare non indiget, vt Iudex sententiam ferat de priuatione, sed de declaratione delicti. At Lex, quæ imponit pœnam ferendam, non priuat, sed remittit Iudici, vt priuet: ergo est clara differentia inter vnam, & aliam legem, & ita explicat, & pluribus exornat Salas, *disp.* 15. *de legibus*, *sect.* 3. *sub num.* 47. Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum cap.* 22. *num.* 28. Bonacina, *disp.* 1. *de legibus quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 8. Vazquez, *disp.* 170. *cap.* 4. Molina, *tom.* 1. *de Iust. tract.* 2. *disp.* 95. Graffis, 1. *part. decis. lib.* 2. *cap.* 51. *num.* 26. *&* 29. *& seq.* Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 56. *num.* 2. *lit. N*, *in com.* Sayrus, *in Claui regia*, *lib.* 3. *cap.* 9. Antonius Gomez, *variarum cap. vlt. n.* 8. Hucusque Castrus Palaus. 119

§. VI.

Appendix pro pœna priuationis debiti coniugalis.

BREVIARIVM.

Abbas.

Potest hodie Abbas, nostra congregationis & Casinensis dispensare cum incestuosis, n. 121.

Absoluere.

Prælati nostra Congregationis, & quatuor confessarij, ab ipsis ad id disputati & ad libitum reuocandi, quoscumque fideles, ab omnibus peccatis, & ab omnibus censuris, & pœnis, à Iure, vel ab homine latis in genere, præterquam Sedi Apostolicæ reseruatis, absoluere possunt, in Monasteriis tamen, & Ecclesiis nostris, præterea peccata, de quibus dicta Sedes esset meritò consulenda, aut de quibus ipsis Confessariis, ad Ordinarios videbitur recurrendum, num. 121. 122.

Locum habet hæc facultas tam in paruis, quàm in magnis Monasteriis, à num. 134. ad 139.

Axioma

INter pœnas ipso facto à Iure inflictas, recensuimus à *num.* 23. priuationem Iuris, petendi coniugale debitum, ob incestum cum consanguinea commissum, aut affine: quæ cum (sicut ipsum crimen) frequentissima sit, libuit de opportuna, & communi absolutione, seu dispensatione disserere. Reducitur ad duplicem facultatem, Episcopi, scilicet, & Regularium, quam duplici dilucidabo assertione.

ASSERTIO I.

EPiscopus dispensare potest in impedimentis, 120
quæ matrimonio superueniunt, & debiti impediunt petitionem, siue hoc impedimentum sit cognationis spiritualis, siue affinitatis. Ita Sanchez *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disput.* 12. *quæst.* 2. *cum* 27. *Autboribus.* Bassæus, *vbi proximè, num.* 7. cum Valentia, *tom.* 4. *disput.* 10. *quæst.* 15. *punct.* 5. & Filliucio, *tract.* 10. *num.* 308. *part.* 2. Emanuel Sà, *verbo Debitum, num.* 12. Graffis, *in decis. aureis lib.* 2. *cap.* 81. *numer.* 2. cum Paludano *in* 4. *distinct.* 34. *quæst.* 1. *artic.* 2. & communi omnium DD. contra Couarruuiam. Quam quidem potestatem habere Episcopum, non in rigore Iuris, sed vigore praxis, & consuetudinis præscriptæ, docent Bassæus, & Sanchez. Castrus Palaus, *tom.* 5. *tract.* 28. *disput.* 3. *punct.* 4. §.6. *num.* 5. cum Henriquez, *lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 6. & Layman.

ASSERTIO II.

PRælati nostræ Congregationis, & Monachi ab 121
ipsis deputati, dispensare bene hodie queunt, cum incestuoso rem cum consanguinea suæ vxoris habente, & cum incestuosa à consanguineo, sui viri cognita, ex concessione Eugenij Papæ IV. *pridie Kalendas Iuly* 1436. *el* 9. *priuilegio nostri Bullary authentici, fol.* 53. ibi: "quoties oportuerit, absoluere, ab omnibus, & singulis peccatis præterquam Sedi Apostolicæ duntaxat reseruatis, necnon à quibuscumque suspensionum, & interdicti sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à Iure vel ab homine latas satisfactione iniuncta, incurrisse quomodolibet

„censebuntur : *insuper*, & vota omnia permuta-„re, ac in omnibus & singulis casibus, etiam Or-„dinariis, aut per Synodales, seu Prouinciales „constitutiones reseruatis, cum eis dispensare: „praeterea censuras, poenas, vota, & casus, de „quibus esset meritò Sedes Apostolica consulen-„da... de speciali dono gratiae, in fauorem obse-„uantiae regularis, licentiam elargimur. Eisdem concedit idem Pontifex *eod. die, Mense, & Anno, in priuilegio*. 15. *fol*. 47. *num*. 18. quòd liceat eis absolutionis beneficium impendere ab omnibus peccatis, & dispensare super omnes casus, praeter ea peccata, & eos casus, de quibus ipsis Confessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recurrendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica meritò consulenda.

122 Haec duo priuilegia concessit Eugenius Congregationi Casinensi, & per diuersa aliorum D. Petri successorum, praecipuè Iulij II. diplomata, ad nostram sunt Hispanam extensa, & communicata, Congregationem; quae tamen gratia sibi immediatè à Sede Apostolica in hac parte facta, minimè caret, sed specialem, & ab eodemmet Summo Praesule acceptam recognoscit *in priuilegio* 44. *dicti Bullary*, datam 3. *Nonas Ianuarij*, 1438. vbi concedit Praelatis nostris localibus, & tribus, vel quatuor Monachis Presbyteris ad hoc per dictos Praelatos, Ordinarios scilicet, vel Praesidentes, deputandis, & ad eorum nutum remouendis, seu reuocandis, quorumcumque vtriusque sexus fidelium, ad Monasteria, seu ipsorum Ecclesias, aut in ipsis quacumque ex causa pro tempore confluentium, commorantium, siue existentium cuiuscumque gradus existant, Confessiones diligenter audire, necnon ipsos à quibusuis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis suis, in omnibus, & singulis casibus, etiam Episcopo reseruatis absoluere: necnon ab omnibus, singulis Ecclesiasticis censuris, sententiis, & poenis fulminationibus, excommunicationum, suspensionum & interdicti à Iure, vel ab homine prolatis, contractis in genere tantùm, satisfactione, vel mandato de satisfaciendo, si personae huiusmodi ad id habiles fuerint praemissis, etiam absoluere, ac eos habilitare in praedictis casibus, poenitentiásque eis salutares iniungere, Eucharistiae Sacramentum conferre, ac cum eis, & eorum quolibet dispensare super votis, etiam Episcopo reseruatis, & ea commutare in alia pietatis opera, toties, quoties deuotioni praedictorum videbitur expedire, authoritate Apostolica, liberè, & licitè possint, & valeant.

123 Hucusque priuilegium praefatum, per signaturam simplicem expeditum, quod tunc contingit, vti ait Bruno Chassaing, in opere, *Priuilegia Regularium, tr*. 1. *c*. 1. *proposit*. 2. *in principio*, quando Papa subscribit alicui scripturae, per se, aut per suum delegatum, sine sigillo. Et distinguitur à viuae vocis Oraculo, à Breui, & à Bulla, iuxta ea, qua ibi Bruno praefatus aduertit. Quod adnotare libuit, ne quis falso existimet dictum, & similia priuilegia, neutiquam modò subsistere, post reuocationem Oraculorum factam à Sanctiss. Gregorio XV. *anno* 1622. *in Bulla, Romanus Pontifex la* 27. *apud Angelum Cherubinum, in nouissimo Bullario pag. mihi* 424. *Tertij voluminis*. & ab Vrbano Octauo *anno* 1631. *in Bulla Alias felicis recordationis, la* 121. *tom*. 4. *pag*. 181.

124 Et licet in redditis priuilegiis expressè nostris Praelatis, & Confessariis ab ipsis ad id specialiter *deputatis*, facultas non fiat praefata cum incestuosis dispensandi, citra omne dubium, ista illis, saltem in vltimo recensito conceditur. Ita declarante Iulio Papa II. *Quarto Kalendas Augusti, de Anno* 1504. & de eius expresso mandato, Ludouico Cardinale, & Poenitentiario illius, vti apparet ex eius literis, sigillo Poenitentiariae munitis, & in nostro Bullario Authentico habentur *fol*. 150. & est priuilegium. 74. in quo, postquam Eminentissimus ille Dominus, recensuit facultatem nostris Praelatis Abbatibus, & eorum Praesidentibus, ac Confessariis factam, à quibusuis peccatis, criminibus, excessibus, enormitatibus, & delictis, in omnibus, & singulis casibus, etiam Episcopo reseruatis absoluendi, ac ab omnibus, & singulis sententiis, censuris, & poenis, fulminationibus excommunicationum, suspensionum, & interdicti, à Iure, vel ab homine prolatis, contractis, in genere tantùm satisfactione, vel mandato de satisfaciendo praemissis etiam absoluendi, ac eos inhabilitandi in praedictis casibus, &c. subiungit.

125 Nos igitur authoritate Domini nostri Papae, cuius poenitentiariae curam gerimus, & de eius speciali, & expresso mandato super hoc viuae vocis Oraculo nobis facto, vt tam vigore concessionis Apostolicae praedictae, quàm verborum huiusmodi in illa appositorum, vos & pro tempore existentes dictorum Monasteriorum, Abbates, Priores, Praesidentes, & Monachi praedicti coniugatos huiusmodi, qui post contractum Matrimonium, consanguineas vxorum suarum cognouerunt, vel vxores, quae à consanguineis virorum suorum se carnaliter cognosci permiserunt à talibus excessibus absoluere, & eis salutarem poenitentiam iniungere, necnon cum eis, & eorum quolibet, vt non obstante affinitate superueniente, debitum coniugale reddere, & exigere valeant, dispensare liberè, & licitè possitis, & valeatis, ac possint, & valeant perpetuò declaramus: in contrarium non obstantibus quibuscumque.

126 Ita in praefatis literis. Cuius quidem meminit declarationis Thom. Sanchez, *tom*. 3. *de Matrimonio lib*. 8. *disput*. 16. *num*. 8. quam dicit factam cõcessioni Martini V. à Iulio II. cum Eugenij IV. dicere deberet. Nullum enim priuilegium, cum huiusmodi facultate, nobis à Martino V. concessum inuenio. Sed quicquid de auctore sit Priuilegij, vnum pro certo asserit Sanchez, quod scilicet Religiosi Mendicantes, si viri docti, & approbari sine ab Ordinario, iuxta formam Tridentini, possunt, ex Prouincialis commissione, dispensare in foro conscientiae ad petendum debitum, cum iis coniugibus, qui inter se affinitatem contraxere, vigore praefatae declarationis Iulij II. Idem nouissimè docent Lezana, *in Summa quaestionum Regularium, tom*. 2. *part*. 3. *verbo Affinitas, pag. mihi* 25. *num*. 4. & 5. quem recenset, & sequitur Bassaeus, *verbo incestus, versic. Vltimò*. vterque tamen, non de Prouincialis, sed de Praelati localis loquuntur commissione, & meliùs quidem, ac priuilegio conformius.

127 Adnotant tamen Doctores, nonnullas conditiones in vsu istius priuilegij ex necessitate seruandas esse. I. Quòd Confessarius dispensare valens cum incestuosis, non est qualiscumque approbatus ad Confessiones, sed specialiter ad dispensandum cum huiusmodi deputatus. Lezana, & Bassaeus.

128 II. Quòd deputatio debeat à Praelato fieri Ordinario,

ordinatio, seu à Præsidente Monasterij. Constat ex Priuilegio Eugenij IV. & ex declaratione Iulij II. & docent Bassæus, & Lezana *n*. 5.

129 III. Quòd mortuo, aut amoto Prælato & Præsidente designante, non valeat designatus confessarius cum incestuosis dispensare, eo quod designatio est ad nutum Prælati reuocabilis, vt constat ex priuilegio. Per mortem autem, & amotionem Abbatis, vel Præsidentis, & per amotionem, cessat eius voluntas: ergo & ita intermiris, docent Bassæus, & Lezana, *dicto numer*. 5. Qui *verbo*, *Gratia*, *num*. 9. probat gratiam alicui factam ad beneplacitum concedentis, vel ad eius arbitrium, seu donec voluerit morte concedentis finiri: quia per mortem desinit beneplacitum: voluntas, arbitrium, aut velle hominis. Quod prius docuerant Nauarrus, *tom*. 2. *Consil. lib*. 5. *tit. de Priuil giis. Consil*. 3. *ex cap. Si gratiosè*, *el* 5. *de rescriptis*, *lib*. 6. & *ex l*. 4. *ff. locati*, & *conducti* Sanchez, *tom*. 3. *de Matrimonio lib*. 8. *disput*. 28. *numer*. 49. *pag. mihi* 156. & Antonius Naldus *verbo*, *Gratia*, *num*. 6. Qui tamen docent secùs dicendum, quando gratia conceditur ad beneplacitum Sedis, Dignitatis, vel Officij. Quando enim talis Sedes, Dignitas, aut Officium fuerint perpetua, vt sunt Sedes Apostolica (verbis vtor Lezanæ) Officia, & Dignitates Religionum, quæ reputantur eadem in successore, tunc gratia ad beneplacitum ipsorum concessa, erit perpetua, nisi à successore reuocetur, *cap Si gratiosè* relato, Sanchez *suprà*, Naldus *suprà num*. 6.

130 Hactenus Pater Lezana, cuius, & Bassæi bona venia, eorum sententiam non amplector, quoad præfatam tertiam conditionem, eiusdem Lezanæ doctrina, modo recensita ductus, quando designans, proprium nutum, beneplacitum, vel arbitrium non exprimit, sed absolutè designat, sine temporis limitatione, aut pro tempore determinato, vnius anni, v. g. naturalis, vel Ecclesiastici, vti in nostra contingit Hispana congregatione; iuxta cuius praxim, Abbates quotannis, feria secunda primæ hebdomadæ Quadragesimalis, Confessarios designant pro conuentibus suis, & Confessarios pro sæcularibus: quos *Confessores de Reja* Vulgo appellamus, & qui hac vtuntur dispensandi cum incestuosis facultate, & absoluendi à reseruatis eosdem sæculares; non autem qui pro Conuentibus. Et omnium illorum designatio, etiamsi Abbates aut Præsidentes designantes moriantur, aut amoueantur, perseuerat, donec successores, in simili die sequentis Quadragesimæ, aut in alio sibi bene viso, nouam faciunt aliorum designationem Confessariorum, per quam sine dubio prior cessat, si denuo quatuor à prioribus distincti designentur pro ctate: quia non est eis vltra quatuor designandi facultas concessa: & etiamsi hunc numerum in nouissima non compleant designatione, prima nulla remanebit quoad omnes, si quoad eos, qui pro vltima defuerint, aliquos ex illa expresse non selegerint Prælati ex quibus sit, tegulatiter Prælatos nostros designationem Confessariorum, pro absolutione, & dispensatione sæcularium, ad proprios nutus, & voluntates neutiquam facere, sed ad sedis, officij, & dignitatis beneplacitum quæ per mortem, aut amotionem Prælati non expirant, sed perpetua sunt, iuxta ea, quæ Naldus *numer*. 6. *recensito*, docet, & elatius Lezana, cuius verba recensui.

IV. Conditio est, vt dispensatio fiat in Sacramento Confessionis, & non extra. Ita in vim priuilegij redditi. Docent Bassæus, *verbo*, *incestus*, *numer*. 8. *in fine*. & Lezana *verbo*, *Affinitas*, *num*. 5. *in fine*. Mihi tamen magis probatur extra Sacramentum dispensari bene posse, ob ea, quæ latè trado *dubio* 14. *de absolutione ab Heresi à num*. 93. *ad num*. 100. 131

V. Conditio est, vt dispensare non valeant Prælati, & Confessarij ab ipsis deputati, extra Domos suas, & Ecclesias. Et dicto docent Priuilegio Bassæus, *vbi proximè*, & Lezana *num*. 6. 132

VI. Addit Lezana *num*. 6. conditionem, quæ omnibus dispensationibus communis est: videlicet, quòd causa adsit dispensandi; videtur autem (inquit) sufficiens esse, si coniux ille cum quo facienda est dispensatio, iuuenis sit, nec possit se abstinere à petitione debiti. 133

Limitat Lezana *num*. 5. numerum Confessariorum ad dispensandum cum incestuosis deputandorum, vt numerus trium, aut quatuor designatus (inquit) à Cardinale debeat respectiuè ad Monasteria intelligi, ita vt in magnis celebrioribus Monasteriis, possint designari tres, aut quatuor; in minoribus autem Conuentibus, non nisi vnus, vel duo. Sed hæc mihi displicet limitatio. Tum, quia Cardinalis in suprà exscriptis literis, numeri trium, aut quatuor Monachorum fecit mentionem, priuilegium Eugenij Quarti recensendo: in quo, vti ex contextu illius manifestè constat, non attenditur quòd Monasterium S. Benedicti Vallisoletani magnum, & celeberrimum sit, (cui immediatè priuilegium fuit concessum) sed quòd quàm plures de Regno, ac loco Vallisoleti prædicto, necnon de diuersis mundi partibus, singularis causa deuotionis, Christi fideles ad dictum Monasterium confluant, propter Monachorum illius regularem obseruantiam; propter quam idem, & alia priuilegia dicti Monasterij, ad omnia alia parua, sicut ad magna eiusdem Congregationis Monasteria fuerunt extensa, absque vlla prorsus distinctione, vel limitatione, & præcipuè priuilegium Eugenij præfatum, vti in eisdem Cardinalis literis refertur. Cum igitur ad Monasterium S. Benedicti Hispalensis v. g. quòd non adeò magnum est, quàm plures de Regno, ac loco Hispalensi: necnon de diuersis mundi partibus, causa deuotionis, confluant; idem Confessariorum numerus, qui dispensare valeant cum incestuosis, absque vllo prorsus fundamento, Hispalensi denegabitur Monasterio. 134

Tum etiam quia in priuilegiis Principum quando in eorum verbis nulla est ambiguitas, vel dubietas, non habet locum interpretatio. Idem Lezana, *tom*. 2. *part*. 4. *verbo*, *Priuilegia Regularium*, *numer*. 8. *ex l. ille*, *aut ille*, *ff. de legatis*, 3. Azorio, *tom*. 1. *lib*. 5. *cap*. 25. & Tamburino, *de Iure Abbatum*, *tom*. 1. *disput*. 16. *quæst*. 5. sed in nostro priuilegio nulla est quoad numerum Confessariorum, ambiguitas, aut dubietas: ergo male ab eodem Lezana interpretatur, numerum Confessariorum restringendo, minorando, ad non numerum ad vnitatem vtique redigendo. 135

Tum tertiò quia priuilegium datum in fauorem causæ piæ, & Religiosæ, qualis est causa Religionum, quantumuis Iuri communi, contrarium sit, latè explicari debet. Ipse Lezana, *vbi proximè*, *num*. 9. & *tom*. 4. *consiliorum in Appen-* 136

*nagio, dub.7. num.*138. *ad calcem operis* cum Alexandro Calcanet. Et Aucharano, apud Barbosam, *de Iure Ecclesiastico, lib.2.cap.*13. *num.*46. & M.nochio, *de præsumptionibus lib. 6. præsump.* 84. *num.*18. idem Lezana, *consulto* 40. *num.*102. cum Syluestro, *verbo, Priuilegium, quæst.* 3. Tiraquello *de Priuilegiis piæ causæ, priuileg.* 126. & Suarez, *de legibus, lib.*8. *cap.*27. *num.*7. dicente, summa enim ratio est, quæ pro Religione facit, vt dicitur *in l. Sunt personæ, ff. de Religiosis, & sumptibus funerum.* Sed priuilegium, de quo in præsenti datum est in fauorem causæ piæ, & religiosæ, intuitu scilicet singularis deuotionis, quo Christi fideles ad Monasteria nostra, propter Monachorum regularem obseruantiam, confluebant: ergo in sententia eiusdem Lezanæ, & aliorum Doctorum latè debet explicari: ergo minus bene illud explicat ipse, numerum confessariorum in illo expresso, ad minorem, seu ad nullum quidem, pro minoribus Monasteriis restringendo.

Quartò, quia priuilegium non vni personæ,
137 sed toti Communitati in perpetuum concessum, æquatur legi, publico Iuris corpori insertæ. quæ l. tam habet interpretationem. Ipse Lezana, *eisdem num.*9. & 102. cum Sanchez, *tom.*3. *de Matrim. lib.* 8. *disput.* 1. Henriquez, *lib.* 7. *cap.* 22. *num.*3. Coninch. *part.*3. *tom.*2. *disput.*33. *dub.*2. *num.*16. & Laymann, *lib.*1. *tract.*4. *cap.*23. *num.*5. Sed nostrum præfatum priuilegium, non vni personæ sed toti Communitati in perpetuum est concessum: ergo in eiusdem Lezanæ sententiæ, legi in corpore Iuris insertæ, æquatur, & vt tale, latè debet interpretari.

Quintò, in P. Lezana sententia, *eodem num.*9.
138 Quoties priuilegium ex vna parte derogat Iuri communi, & ex alia censetur necessarium communi bono Reipublicæ, latè est interpretandum: quòd procedit, (inquit) in priuilegiis Religiosorum: ergo idem debebat ipse Author, de nostro hoc dicere priuilegio.

Sextò, denique, quia plura refert Lezana pri-
139 uilegia *num.* 10. Religionibus concessa, ex quibus habetur, quòd dubia ipsorum, dubietate orta, ex ambiguitate verborum, & ex Iuristarum interpretatione, in fauorem Regularium sint intelligenda: sed Alexander Papa VI. simile nostræ Religioni priuilegium concessit *Kalendis Aprilis, de Anno* 1501. penes Bullarium nostrum authenticum *el* 21. *fol.* 59. ergo etiamsi nostrum Eugenianum priuilegium verbis ambiguis concederent facultatem circa numerum Confessariorum designandum, late illud deberet P. Lezana, intelligere.

Vnum hîc aduertere operæ pretium duxi, quòd
140 licet sint reuocata priuilegia Minoribus concessa à P. Innocentio Octauo, & Pio Quintò ad dispensandum cum incestuosis, recensita à Casarubio, Roderiquez, Miranda, Portello, Sanchez, & Ioanne de la Cruz, penes Lezanam; *verbo Affinitas, num.* 4. & alios, vti asserunt idem Lezana, *Ibidem*, Bassæus *verbo, incestus, numer.*8. Diana, *part.* 6. *tract.* 8. *resol.* 32. Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 3. *numer.* 274. in vim Constitutionum Gregorij XV. & Vrbani Octaui, viuæ vocis Oracula reuocantium, qualia illa Innocentij, & Pij extiterunt; non tamen est nostrum præfatum priuilegium reuocatum, *vti numer.* 36. diximus, & docent Lezana, Bassæus, & Pellizzarius, *locis proximè citatis.* Et Pellizzarius addit, ita etiam sentire Eminentissimum Cardinalem de Lugo, in litteris (inquit) ad me rescriptis, de hoc interrogatus. Docet & Bruno Cassaing, *in tomo priuilegia Regularium. Tract.* 5. *cap.* 5. *proposit.* 3. *pag. mihi* 247. Diana, *vbi proximè* ibi enim in casu contingenti, confessarium Regularium ad Lezanam, pro capienda remittit resolutione. Noctinot, *in eius Compendio, verbo Incestus, numer.*3.

Ratio autem ea, est quia vti suprà diximus,
concessio facta fuit ab Eugenio Quarto per Bul- 141
lata duo priuilegia, de quibus *num.* 121. & per aliud in forma simplicis signaturæ expeditum, *num.*122. redditum, in quibus omnibus facultas nostris conceditur dispensandi in pœnis, & casibus, &c. in eisque includitur facultas cum incestuosis dispensandi ad effectum debitum coniugale exigendi, ita Iulio Secundo *num.* 125. declarante. Sed Gregorius XV. nec Vrbanus Octauus, concessiones factàs per Bullas, nec per simplicem quidem signaturam reuocauit, in Bullis *Romanus Pontifex de anno* 1622. *& aliàs felicis recordationis, de anno* 1631. sed tantùm per viuæ vocis Oracula, vti ex illatum constat contextu, qui certè concessionis modus distinctus, ac diuersus ab illis probatur, non solùm à Chassains: *tract.* 1. *cap.*1. *proposit.* 2. *citat.* sed à Bassæo, *verbo Priuilegium* 1. *num.* 8. *dubit.* 1. cum Portello, *in dubiis Regularium, verbo, Viua vocis Oracula, num.* 1. & Bordono, *resolut.* 3. *quæst.* 1. Lezarta, *verbo Oracula viua vocis, num.* 4. Pellizzarius, *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 2. & constat ex Bulla Gregorij XIII. *ex benigna la* 1. *in Bullario Roderiquez, num.* 145. *recensenda.* Ergo præfata concessio non est à Gregorio, neque ab Vrbano reuocata.

Nec valet dicere Iulium Secundum, facultatem
dictam, viuæ vocis Oraculo dedisse, vt constat 142
*suprà num.*125. Non inquam valet, quia Iulius nihil concessit, sed ore tenus mandauit Pœnitario vt concessionem iam ab Eugenio Quarto factam, declararet comprehendere facultatem cum incestuosis dispensandi; declaratio autem facultatis iam antea factæ, non est facultatē illam facere, sed quomòdo facta fuerit, explicat; Qui enim declarat, nihil noui agit, Gloss. *in cap. Per tuas, verbo De nouo el* 5. *de Donationinibus,* Chassaing. *Priuileg. Regularium tr.*1. *cap.*6. *proposit.*6. & qui declarat legem non mutat naturam, aut essentiam dispositionis. Idem Bruno Cassaing, *ibidem* iuxta Rolandum à Valle, *consil.* 15. *num.* 27. *volum.* 30. Decium, *cons.*8. *num.*311. *lib.* 9. Menochium, *cons.* 331. *num.* 100. & multò minus dici queit concessio gratiæ, & Priuilegij prædictum Iulij Secundi mandatum. Imò etiam dato (ait Lezana, *vbi proximè*) quod illud indultum de quo ibi fit mentio, fuerit viuæ vocis Oraculum, nihilominus ipsum in se formaliter, vt ita dicam, non est viuæ vocis Oraculum, sed rescriptum quoddam, vel Breue Summi 16. Pœnitentiarij, auctoritate Apostolica editum. Manet ergo in sua vi, & ipso vti poterunt, tam prædicti Monachi, quàm quicumque alij Regulares, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum illis. Hactenus Doctus Lezana.

Imò & ego addo, quòd etiam dato, quòd præ-
fatum indultum, viuæ vocis Oraculū fuerit, vsque 143
ad Pij Quinti tempora post annum 1567. est priulegium Bullatum. Nam iste Pontifex in Bulla etsi *Mendicantium Ordines,* 17. *Kalend. Iulij illius anni,*

anni, Ordinibus Mendicantibus confirmavit privilegia per dictum Eugenium IV. & alios Pontifices, ac per seipsum concessa, etiam vivæ vocis Oraculo, in genere, vel in specie, quæ expressè Decretis Concilij Tridentini non contrariantur: & ... novo illa concessit: *& 8. Kalend. Septembris eiusdem anni* 1567. eandem Bullam, & omnia in ea contenta extendit ad meam Congregationem Vallisoletanam, & de novo ea, illi concessit, per suam Bullam in Archivo Conventus mei Hyrachensis, & penes me authenticam existentem. Privilegia autem vivæ vocis Oraculo concessa, & postea per Bullam innovata, & confirmata, non revocantur per Greg. XV. aut Vrbanum VIII. quia per Bullam aut Breve definiunt esse Oracula, vti *in disquisitione de Iure Prioris annexi*, *num.* 34. dixi cum Lezana *tom.* 2. *par.* 4. *verbo Oracula vivæ vocis*, *num.* 7. & penes cum Peyrin *s tom.* 3. *privilegior. Minimorum c.* 12. *num.* 1. *in additam ad Vrbani VIII. Constitutionem*, quem etiam recenset, & sequi bene posse quemlibet, innuit Pellizzarius *tom* 1. *tr.* 5. *cap.* 8. *n.* 127. *& tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 10. *cap.* 10. *num.* 76. *versic. Caterum.*

144 Nec obstat si quis dicat, Pianam Bullam, *etsi Mendicantium Ordines*, esse à Greg. XIII. revocatam, & consequenter, revocatam etiam esse extensionem illius, ab eodem Pio V. ad nostram factam Vallisoletanam Benedictam Congregationem. Cum, quia falsum est, fuisse revocatam Bullam illam, *etsi Mendicantium*, vti bene docent Samuëlius *in praxi de Sepultur is, præludio* 2. *num.* 8. *& præludio* 5. *à num.* 1. cum Peyrinis *to.* 2. *privil. const.* 7. *Pij V.* §. 1. *nu.* 2. Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 14. *nu.* 8. Thoma à Iesu *de Procur. omni. gent. salv. and. lib.* 12. *cap.* 8. Llamas, *Method. cap.* 7. §. 6 Navarr. *in Manuali Romæ edito, c.* 27. Bruno Chassaing *in tomo, Privilegia Regularium, tract.* 1. *cap.* 5. *propofit.* 6. *pag. mihi* 50. cum Doctoribus modo recensitis, & cum Emannële Roderiquez *in Additionibus ad Summam tom.* 4. *c.* 105. & in Bullam Cruciatam §. 5. *num.* 26. Sorbo *in Compendio Privilegiorum Mendicantium*, *verbo Processiones*, §. *An teneantur, & verbo Interdictum III.* citante Medinam, Portellum, *part.* 1. *c.* 16. *num.* 6 Cokier 2.2. *quæst.* 123. & Augustinum de Bellis *in suo libello, idiomate Hispanico*, sedente Vrbano Papa VIII. impresso, cui titulus *Allegationes en Derecho*, firmiter, & absque vlla dubitatione asserentem prædictam Bullam Pij V. in præsentiarum, firmam, & illibatam subsistere. Quod diversis Bruno, rationibus ibi probat quas ne diutius immorer, lubens recensere omitto: Lezana, *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 16. *& tom.* 4. *consultò* 40. *n.* 33.

Tum etiam non obstat, quia dato, & non concesso, quod Bulla *In tanta* Greg. XIII. edita
145 *Kalend. Martij* 1573. *la* 9. apud Cherubinum *tom.* 2. *pag.* 370. vim habuisset revocandi Pianam, *etsi Mendicantium*; postea illam idem Gregorius in Bulla *Ex benigna* 21. *Martij, de Anno* 1575. cum aliis confirmavit, in favorem Patrum Minorum, quæ etsi in Bullario Magno Cherubini desit, adest tamen, & authentica quidem in Bullario Emanuëlis Roderiquez *la* 1. in qua sic habetur: præmissa, ac omnia & singula alia privilegia, immunitates exemptiones, libertates, prærogativ s favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus, eidem Fratrum Minorum regularis Observantiæ, ac sanctæ Claræ, & de Pœnitentiæ tertio Ordinibus, etiam in Congregatione, sub trium votorum substantialium professione, & eorundem Superiorum Ordinis Minorum regularis Observantiæ huiusmodi, obedientiæ d gentibus; ipsorúmque Superiorum Fratribus, Monialibus Sororibus, ac vtriusque sexus, et aliis singularibus personis, necnon Monasteriis, Domibus, Ecclesijs, & locis quibuscumque in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam *vivæ vocis Oraculo*, vt præfertur, aut aliàs, tam præfatos, ac quoscumque alios Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam, quam Imperatores, Reges, & alios Principes, sub quacumque forma, & expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec noncum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus... dicta authoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quatenus sunt in vsu, & sacris Canonibus, & Decretis sacri Concilij Tridentini, non adversentur, approbamus, & innovamus, perpetuámque roboris firmitatem obtinere, & firmiter observari, &c. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, Super Cath. dram, &c. Privilegiis quoque indultis, & cæteris Apostolicis etiam in forma Brevis, per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. I ... etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. prædictos, ac etiam Pium V. & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos, & Sedem eandem, etiam motu proprio, ac scientiæ, & plenitudine potestatis similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativ s, etiam privilegiorum eorundem revocativis, &c. Quibus omnibus hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus. Hæc & alia Gregorius.

Tum tandem, quia per revocationem privilegij vni concessi, non censetur revocata extensio 146
eiusdem privilegij alteri facta, nisi id in revocatione expressè habeatur. Ita docent Fagundez *in quintum Ecclesiæ præceptum, lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 12. *pag. mihi* 801. *ex cap. Nuper, de Decimis*, & *ibi* Abbas *num.* 2. Lezana *tom.* 2. *part.* 4. *verbo Privilegia Regularium, num.* 14. cum Ioanne de Cruce *in Epitome, de Statu Religion. lib.* 2. *cap.* 4. *concl.* 3. Portello *in Dubiis Regularium*, *verbo Privilegij communicatio, num.* 22. Suarez *de Legibus, lib.* 8. *cap.* 16. *num.* 17. & Sanchez *in consiliis moralib. c.* 9. *dub.* 9. *n.* 2. Et ratio est, quia per communicationem, privilegia, propria illius fiunt, cui communicantur, maximè si denuò illi in ipsa communicatione conceduntur, vti in nostro casu contingit, extensionis scilicet Bullæ, *etsi Mendicantium* ad nostram Congregationem Hispanam factæ: de quo *numero* diximus 143. vnde ex revocatione privilegij, quoad vnum, si duo illo gaudent, non sequitur, quod sit revocatum quoad alterum. Regula enim est Canonici Iuris interpretis communissima, teste Fagundez *vbi proximè*, quod quando duo sunt pariter privilegiati, remoto privilegio quoad vnum, non removetur quoad alterū; nisi de illo expressa mentio fiat. Quam *ex dicto cap. Nuper deducunt*, ibi: *& hoc etiam volumus extendi ad alios Religiosos simile privilegium habentes.* Et meritò quidem, quia remotio illa odiosa

P 3 est

est; odia autem restringenda sunt, & non ampliamda.

147 Ex iam dictis fit, posse hodie Regulares dispensare cum dictis incestuosis, non solùm in vim concessionis Eugenianæ, nostris factæ, authoritate Iulij II. declaratæ; sed quod magis est, in vim Oraculorum Innocentij VIII. ac Pij V. de quibus *numero* 140. Quia vtrumque oraculum saltem semel est iam privilegium Bullatum, per Bullam de Gregorij XIII. incipit illa *ex benigna*; nuper est recensita, sed non ab eodem Pio V. siquidem ipsius Oraculum fuit factum 27. *die Aprilis, de Anno* 1569. vti refertur ab Emanuële Roderiquez in Bullario, ad calcem Bullarum Pij præfati, inter Oracula ab eo facta Cardinali Carbello *el* 9. confirmatio autem Oraculorum per eum facta fuit *anno* 1567. & Bonifacij Oraculum, ante diem 5. *idus Octobris* 1303. in quo decessit Confirmatio igitur Oraculorum, per ipsummet Pium Pijssimum facta, solùm Bonifacij comprehendit Oraculum. Vtrumque tamen Gregoriana innovatio. Sed de hac pœna, incestuosis inflicta, sit pro nostro instituto satis.

DVBIVM XIV. incidens.

Quis absolvere valeat Hæretico, Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores illorum, Apostatas à Fide, ac Schismaticos, ab excommunicatione ab eis, quæ talibus incursa? idem inquiritur de absolutione legentium retinentium, & imprimentium Libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes.

§. I.

Præsupponuntur aliqua in præsentiarum necessaria.

BREVIARIVM.

Absolutio.

Ab excommunicatione non reservata à Iure, vel ab homine per sententiam generalem lata, potest quilibet absolvere, qui potest à peccato mortali, num. 4. 6.

Potest absolvi ab excommunicatione maiori extra confessionem etiam ab eo, cui committitur in ordine ad absolutionem à peccatis, nu. 5. & à n. 93. ad 100.

Absolvi possunt Hæretici, &c. ab Episcopo & Inquisitore separatim, n. 7.

Ab Hæresi, & omni alio crimine purè interne, & mentali absolvere quilibet potest, qui à mortali culpa absolvere potest, n. 9.

Axioma.

Omnia concessa intelliguntur, nisi prohibita in certis casibus inveniantur, n. 4.

Lex si aliud voluisset, expressisset, n. 3.

De occultis per se, seu purè internis, & mentalibus, nec Ecclesia, nec alia humana potestas cognoscit, aut iudicat, n. 8.

Bulla Cœnæ.

Non est à Iure, sed ab homine; non tamen exspirat morte Papæ illius conditoris, n. 2.

Vltimo publicata valet, & nulla ex præcedentibus. num. 3.

Recensetur eius tenor, n. 9 10. & 11.

Excommunicatio.

A iure, & ab homine excommunicati existunt Apostatæ à fide, Hæretici, &c. n. 2.

Excommunicatio, alia à Iure, quæ semper durat alia ab homine, quæ solùm dum vivit in dignitate, qui eam tulit, n. 2.

Excommunicatio Bullæ in Cœna Domini, durat vsque ad alterius publicationem, n. 2.

Excommunicationes latæ, contra Apostatas à fide, Hæreticos, &c. extra Bullam Cœnæ reservatæ non sunt, n. 4.

Facultas.

Potest quis facultate sibi facta, quoad aliquid vti, & nolle ea vti in totum, n. 5.

Occultum.

De occultis per se, seu de purè internis, & mentalibus, nulla humana potestas cognoscit, aut iudicat, num. 8.

Reservatio.

Nullum purè, internum, mentale, & occultum per se comprehendit reservatio, n. 8.

PRo huius dubij resolutione, aliqua supponere operæpretium duxi, vt illa clarior evadat, & ista difficultas satis celebris, ea, qua fas est, dilucidatione discutiatur. Et *primò* libuit supponere, Hæreticos, & alios in titulo dubij recensitos, per varias Summorum Pontificum Constitutiones, tam in corpore Iuris Canonici insertas, quàm extra illud vagantes, fuisse, sententiæ excommunicationis maioris latæ, suppositos, vti in præcedentibus dubiis huius dispositionis demonstravimus, præcipuè *dubio* 12. *à numero* 2. *vsque ad* 10.

Secundò suppono, aliquas ex dictis sententiis excommunicationis, latas esse à Iure, alias ab homine. Inter quas hæc est differentia, quod latæ à Iure in perpetuum durant; quæ verò ab homine non solùm dum ipse vixit, vel in Pontificatu perseveravit, quod commune est omni excommunicationi latæ ab homine, iuxta ea, quæ tradit Palaus, *tom.* 6. *de censuris, disput.* 2. *punct.* 2. *num.* 4. cum Glossa *in cap. A nobis, verbo Non nisi subditis, de Sent. Excomm.* & Abbate Panormitano *ibi*, sed quousque alia similis excommunicationis sententia publicata fuerit ab eodem Pontifice, vel eius successore. Quod vtique decidere incœpit Pius Papa V. in Bulla Cœnæ, vti adnotat Anton. Naldus *in Summa, verbo Bulla Cœna, numero* 1. quem illius secuti sunt successores. Ita enim ait Vrbanus VIII. in Bulla *anno* 1627. *publicata, Kalendis Aprilis la* 62. apud Cherubini Bullarium *tom.* 4. *pag. mihi* 115. §. 21. volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suósque effectus omninò sortiri. Hæc Vrbanus.

Ex quibus convincitur, sententias omnes in Bullis Cœnæ contentas, & ipsas Bullas nullam vim iam habere, vna tantùm excepta, quæ vltimo fuit

fuit publicata. Bulla enim Cœnæ non est lata à Iure, sed ab homine, ex quo solùm dum in Pontificatu eius Author perseveravit, durare potuit: & ex voluntate eiusdem Authoris, ad Summum durat quovsque alia similis fiat, aut publicetur. Si enim aliud voluisset; expressisset, *cap. Ad audientiam*, §. *Mandamus*, *de Decimis*: vbi Gloss. *verbo Intelligeremus*, ait, Argum. Quod à forma verborum sine certa scientia, non est recedendum, 31. *distinct. Omninò*; *ff. de Legatis* 3. *Non aliter*, 31. *quæst.* 1. §. *Quomodo virginibus*, *Codice de cadu. tollendis*, *lege vnic.* §. *Si verò*, *de Consecrat. distin.* 4. *Si quis Presbyter*; *de Translat. inter corporalia*, *Cod. de Peculio eius qui libertatem meruit*, *l. vnic.* 18. *q.* 1. *Si enim V. Cum verò dicit*, *ego dico*, *non Dominus*. Glossa etiam *in cap. Cum æterni*, *verb. Officij*, *el* 1. *de sent. & re iudicata*, ex Hostiensi.

4 *Tertiò* suppono, excommunicationes contra Hæreticos, & alios in titulo recensitos latas, præter eam, quæ in Bulla Cœnæ ferri consuevit, non fuisse vlli Superiori reservatas, vti ex ipsis Iuribus eas infligentibus, *& dub.* 2. redditis, manifestè apparet. Vnde quilibet Confessarius à peccato lethali absolvere potens, potuit semper absolvere, suppositos excommunicationibus, extra Bullam Cœnæ, latis. Quia quando excommunicatio lata est à iure per sententiam generalem; & nemini est reservata, potest ab illa absolvere quicumque absolvere queit à peccatis mortalibus; vti docet Æligius Bassæus *tom.* 1. *verbo Excommunicatio V. nu.* 2. Hermannus Bussembaum *in Medulla Theologiæ lib.* 7. *de Censuris*, *cap.* 1. *dub.* 5. *in principio*: Noctinot *verbo Absolvere à censuris*, *num.* 42. cum Cornejo *in* 3. *par. tract.* 5. *disp.* 11. *dub.* 1. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 5. cum eodem Cornejo, cum Præposito *in* 3. *part. quæst.* 1. *de Censuris in communi*, *dub.* 14. *num.* 91. Turriano *eodem tractatu lib.* 2. *disput.* 19. *dub.* 6. Villalobos, *in Summa tom.* 1. *tract.* 18. *difficult.* 18. *num.* 8. Moscoso *in Summa*, *tract.* 16. *cap.* 7. *num.* 4. Tannero *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 6. *num.* 115. Fillucio *tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 9. *num.* 283. Hurtado Complutensi, & alijs penes ipsum; *de Excommunicatione*, *disp.* 15. *difficul.* 2. *num.* 6. Et ratio est, quia vti ait idem Diana *resolut.* 4. *versic. Nec valet*, Ex quo Superior, à quo imposita est communicatio eam non reservavit, videtur absolutionem commisisse quicumque facultatem habenti. Et satis benè hæc consonat ratio, iuris Canonici dispositioni; iuxta quàm, omnia intelliguntur concessa, nisi prohibita in certis casibus inveniantur, *cap. Nuper*, §. *In secundò*, *& ibi* Glossa *verbo Non retinuit*, *de Sent. Excomm.* Glossa *in canone Consuluisti el* 20. *causa* 2. *quæst.* 4. *verbo Superstitiosa*, Barbosa *de potest. Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 33. *n.* 16. Glossa *in cap. Excommunicamus*, *verbo Apostolica speciali el* 1. *&* 13. *de Hæret.* Noctinot *verb. Missam applicare*, *n.* 4.

5 Et observat ex eodem Hurtado Diana *dicta resolut.* 5. quod absolutio ab Excommunicatione maiori non solùm ab Episcopo potest fieri extra confessionem, sed etiam à proprio Parocho, & à Confessario Ordinario, etiamsi prædictis remittatur ad absolutionem à peccatis, seu in ordine ad eam: quia potest quis vti potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle vti ea in totum, vt etiam diximus, *diffic.* 5. *de absolutione ab excommunicatione facta virtute Bullæ cruciatæ, aut alterius similis privilegij*: ita Hurtado, prout recenset Diana, sed de hoc latiùs infrà, *numero* 93. *& sequentibus*.

Dixi *numero* 4. *quando excommunicatio lata est* (à iure) *per sententiam generalem*: quia huiusmodi sunt excommunicationes, de quibus in difficultate præsenti: & quia communior, & vniversalior est sententia; asserens posse ab his absolvere excommunicationibus, potentem à peccato mortali absolvere, quam ea, quæ docet posse, & istum absolvere, ab excommunicatione lata generaliter ab homine; non autem id dixi animo huic opinioni, in vllo, dissentiendi; quam tenet Bassæus *dicto n.* 2. Diana *allegata resolut.* 4. *versic. Sed ego puto*: cum Cornejo *in* 3. *part. tract.* 15. *de Excommunicatione*, *disp.* 12. *dub.* 3. Sà *verbo Absolutio ab excommunicatione*, *num.* 15. Conink *de Censur. disp.* 14. *dub.* 16. *n.* 257. Avila *de Censuris*, *par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub* 8. Henriquez *lib.* 13. *c.* 28. *n.* 5. Layman *tract.* 5. *par.* 1. *c.* 7. *nu.* 3. & Hurtado *de Excom. disp.* 15. *diffic.* 6. *n.* 21. 6

Suppono *quartò* dubium nostrum non procedere de absolutione Hæreticorum, &c. in foro contentioso; in hoc enim, posse Inquisitorem, & Episcopum separatim absolutoriam proferre sententiam, probabiliùs videri in rigore iuris, ait Antonius Sousa *in Aphorismis Inquisit. lib.* 2. *c.* 37. *n.* 2. tutius tamen est (ait) vt simul eam proferant; Eymerico 3. *par. Directorij rubrica de primo modo, terminandi processum*, *n.* 141. *& dicta* 3. *part. q.* 48. vbi Pesia *comment.* 97. sed procedit de absolutione excommunicationis in foro animæ; & conscientiæ. 7

Quintò suppono, nec procedere dubium de absolutione in foro conscientiæ, quando crimen est occultum per se, seu purè internum: tunc enim Sacerdos quilibet potens à mortalibus absolvere, potest & ab Hæresi, & ab omni alio crimine purè interno absolvere. Quia nullum purè mentale peccatum est reservatum, nec censura affectum, cum de illis nulla humana potestas cognoscat, aut iudicet *can. Erubescant*; *el* 11. 32. *distinct.* & ibi Glossa *verbo Secretorum*, *can. Consuluisti el* 20. *causa* 2. *qu.* 4. *can. Si omnia*, & Glossa *verb. eodem el* 7. *causa* 6. *qu.* 1. *can. Christiana*, & ibi Glossa *verbo Conquiescit el final. caus.* 32. *q.* 5. *cap. Sicut*; *el* 2. *&* 33. *de Simonia*: D. Antoninus *in Summa*, *par.* 3. *tit.* 25. *de Excommun. cap.* 4. *fol. mihi* 217. Graffis *in decis. aureis*, *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. cum Alph. de Castro *de iusta Hæreticorum punitione lib.* 2. *cap.* 18. Soto *in* 4. *distinct.* 22. *qu.* 2. *art.* 3. & Covarr. 3. *in reg. peccatum*, *in primo*, *n.* 7. *secunda parte*, Trullench *in Bull. Cruciatæ*, *lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 7. *nu.* 4. Bassæus *tom.* 1. *verb. Hæresis*, *num.* 18. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 40. *num.* 13. cum Caiet. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. & Navar. *in cap. Cogitationis*, *de Pœnitent. distinct.* 1. *num.* 21. *versic. Tertiò infertur*. 8

Sextò suppono, Bullam Cœnæ iam publicari solitam sub hoc tenore, Summo Pontifici huiusmodi reservare absolutionem: videlicet. 9

Cæterùm à prædictis sententiis nullus per „
alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in „
mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi „
de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo „
cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu „
quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque „
Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis „
Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum „
Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori „
dignitate prædictis, ipsisque Ordinibus, & eorum „

Mors

Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum. Hactenus Vrbanus Papa VIII. in præallegata sua Bulla §.22. qui sic §.23. contra alias absolventes decernit.

10 Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laquearis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, graviùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, provt expedire noverimus, processuri. Et infrà addit sub §. 24.

11 Non obstantibus Privilegiis, indulgentiis, indultis, & literis Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscumque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi vt præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis Provinciis, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis huiusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominùs includantur in eis, se iuvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Huc vsque Vrbanus, & alij Pontifices in Bullis Cœnæ.

§. II.

Expenduntur dictiones aliquæ in Constitutionibus Apostolicis apponi solitæ.

BREVIARIVM.

Ætas.

Impuberis debitoris hæreditarij ætas, non impedit, quominus debitum ab eo exigatur, n. 13.

Dictio. Audeo. Audere. Præsumptio.

Prætextus.

Prætextus, *regulariter fictam causam significat, & non veram, estque velamen; quo quis se movere simulat ad aliquid faciendum, cum tamen alia causa moveatur*, n. 12.

Aliquando Prætextus, *veram significat causam*, num. 13.

Dictio Præsumptio, *excludit oblivionem, incogitantiam, animi simplicitatem, & negligentiam*, num. 14.

Excludit ignorantiam etiam crassam, quæ non sit ingens temeritas, n. 15. 16. & 17.

Excludit & ignorantiam omnem, n. 18.

Etiam affectatam, n. 19. 20.

Dictio Audeo, *vel audere, temeritatem importat, dolum, & præsumptionem*, n. 16. 17.

Excommunicatio.

Excomunicationem Clementina Religiosi, non incurrunt Regulares Viaticum, & Extremam Vnctionem ministrantes ex ignorantia, putantes id sibi licere, vel bona fide, aut ex ratihabitione, rationabiliter præsumpta, n. 14. 15. 16. & 17.

Ignorantia.

Affectata, scientiæ æquiparatur, n. 20.

Voluntarium auget, & culpam non minuit, num. 19. & 20.

Illegitimi.

Filij eorum, qui inire præsumpserint coniugia clandestina, vel interdicta in prohibito gradu, illegitimi sunt, n. 20.

Lis.

Lis finita, instaurari non debet ob instrumentum de novo repertum, n. 13.

Pœna.

Pœnam inflictam scienter operanti, non incurrit operans cum ignorantia affectata, esto ista scientiæ comparetur, n. 20.

Sententia.

Semel lata retractari non debet ob privilegium, aut instrumentum de novo repertum, n. 13.

Temeritas.

Ingens temeritas adest, quando delinquens vehementem habet suspicionem de operis malitia, numero 16.

Transactio.

Iam facta rescindi, iura non patiuntur ratione instrumenti post reperti, n. 13.

Circa quorum dispositiones, duo advertere libuit, pro exacta illarum, & similium intelligentia. *Primum* est, dictionem illam *prætextu* regulariter locum non habere quando adest vera causa, sed quando falsa, ita vt vox *prætextus*, fictam causam significet, & non veram. Prætextus enim, velamen est, quo aliquis se moveri simulat ad aliquid faciendum, cum tamen alia ex causa moveatur: ita exponunt dictam vocem Azor. *part. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 12. quæst. 1. versic. Vnum est, colum. mihi* 461. Franciscus Pellizzar. *in Manuali Regular. tom. 2. par. 1. tract. 7. cap. 3. num. 120. pag. 93.* Calepinus Passeratis *in Diction. verbo Prætextum*, sic inquiens. Prætextum, i, vel Prætextus, us. Falsa causa, Simulatio.... Hispanè, Socolor, Cobertura, Villalobos *in Summa tom. 1. tract. 9. difficult. 61. num. 5.* cum Sousa *in Bulla Cœnæ, cap. 23. disp. 10. n. 7. concl. 3.* & Gonzalez *in Regulam 8. Cancellariæ, gloss. 57. num. 2.* quos allegat, & sequitur Bruno Chassaing *in volumine Privilegia Regularium, tract. 3. c. 3. propos. 9. pag. 153.* Iuxta quam quidem expositionem, Bullæ Cœnæ dispositio, veris facultatibus, ac privilegiis absolvendi à casibus in ea contentis neutiquam derogat, sed solùm quando dictæ facultates, ac privilegia, quæ verè non sunt concessa, simulantur, finguntur. 12

Consultò

13 Consultò dixi: *regulariter*: quia aliquando vox, *Prætextu*, etiam veram causam significat vti Barbosa *in cap. Ecclesiæ, num.27. el 10. de Constitutionibus*: Azorius *vbi proximè*, sub his verbis docet. Sanè hoc nomine, *sub prætextu*, Canones, & Leges significant etiam verã causam, non simulatam, & fictam, aut quæ tantùm figuram causæ, & speciem offert, *leg. Sub prætextu, Cod. de Transactionibus*, habetur sub prætextu instrumenti post reperti transactionem finitam rescindi intra non patiuntur. Quæ lex confirmatur *in cap. Inter Monasterium, de sententia, & re iudicata*, vbi dicitur: cum de novo ... instrumentorum prætextu, lites nou à bcant instaurari: *& in cap. Subortæ, eodem titulo*, dicitur: Prætextu privilegij de novo reperti, non debet sententia retractari. Profectò his in locis, non solùm instrumentum, aut privilegium fictum, & simulatum, sed etiam verum, & certum, quod post repertum est, nomine *sub prætextu* significatur: & quod *in l. Sub prætextu; Cod. de Transactionibus*, legimus *sub prætextu* instrumenti post reperti *in leg. Imperatores, ff. de re iudicata*, dicitur sub obtentu novorum instrumentorum restitui negotia minimè oportere. At reuera hæc Lex locum habet in instrumentis veris, & certis denuò repertis, ex quibus negotia expedita, & finita retractari non debent; ergo etiam hoc nomen *sub obtentu*, quo vsus est Gel. *libro 10. noct. Atticæ, cap. 22.* in Iure, sive civili, sive Canonico continet causam veram, & certam, non solùm simulatam, & fictam, *& lege Sub prætextu, Cod. de Hæreditariis actionibus*, decernitur sub prætextu ætatis pupilli debitoris hæreditarij, creditorum exactionem, differri non posse: ergo ætas impuberis debitoris hæreditarij, petitionem debiti non impedit, aut differt in tempus pubertatis. Hæc omnia Azorius.

14 *Secundum*, quod lubens adverto est dictionem, *Præsumptio*, oblivionem, incogitantiam, & animi simplicitatem excludere ac negligentiam, ita vt non dicantur præsumere contra legem, qui ex oblivione illius, ex in cogitantia, simplicitate, aut negligentia contra illius dispositionem operatur: vti docent Roderiquez *tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 47. art. 2. versic. Respondeo*, ex Novar. *in Expositione extravagantis Gregory XIII.* incipit *vbi gratia, & indulta, la* 82. apud Bullarium novissimum Cherubini *tom. 2. pag.* 393. Laurentius de Peyrinis *de Privileg. tom. 1. constit. 6. Iuly 11. num. 16.* Thomas Sanchez *in Decalogum, tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 96. pag. mihi* 231. cum eodem Navarro *comment. 4. de Regularibus, n. 62. notab. 7.* Francisco Suarez *in 3. partem D. Thom. tom. 5. de Censur. disput. 22. sect. 6. n. 14.* & Sorbo, *in Compendio privilegiorum Mendicantium, verbo Ingressus Monasteriorum Monialium* Pellizzari *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 6. cap. 1. n. 9.* Petrus Binsfeldius *in Enchirid. Theologiæ Pastoralis, par. 5. cap. 3. in fine*: ego ipse cum aliis pluribus *dub. 13. num. 107. & in qq. Pastoralibus loco ibi reddito.*

15 Excludit etiam ignorantiam, etiam culpabilem, ita vt cum ista operans, facere non præsumat. Lezana *tom. 3. in Mare magn. Eremit. S. Aug.* §. 53. *n. 154. & tom. 1. cap. 10. nu. 33.* cum Caiet. *in Sum. verb. Excommunicatio, cap. 81.* & Navarr. *in Manuali cap. 27. num. 24. & in cap. Statuimus, n. 62.* ex quibus hanc reddit rationem. Quia verbum *præsumptionis* significat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam. Tertiò idem tenet ipsemet Lezana *tom. 2. Summa quæstion. Regular. par. 3. verb. Eucharistia, quoad Regulares, num. 3. in fin.* cum Navarro *in Manuali, cap. 27. num. 102.* ac Fagundez *in 3. Ecclesiæ præcept. lib. 3. cap. 2. a. 14.* qui tamen ibi, hoc solùm inquit, loquens *de Clement. Religiosi, de privileg.* vt tamen hæc Censura à Religiosis incurratur, necesse est primò, vt hæc administratio ex præsumptione fiat: nam illam non incurrunt illi Religiosi, qui ex ignorantia id faciunt, existimantes id sibi licere; vel bona fide, aut ex ratihabitione, probabiliter præsumpta, vt docet Suarius *d. tom. 3. disput. 72. sect. 2. §. Sed inquires*, citaro: Caietanus, & Henriquez, & Navarr. *locis proximè allegatis*, & Ledesma *2. 4. q. 33. art. tertio.* Sotus *in 4. distin. 13. q. 1. art. 3.* & Cardinalis *d. Clem. Religiosi.* Hanc enim vim habent verba illa Clementinæ *Religiosi, &c. qui præsumpserint.* Hactenus Fagundez, vbi non includit, nec excludit culpabilem ignorantiam.

16 Illam tamen excludit Marc. Vidal *in Arca Vitali, tit. de Euchar. num. 39. pag. mihi* 164. ibi: vel cum ignorantia etiam crassa, vel bona fide, Sanch. *de Matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n. 38.* vbi ita fatur. Quia non verè dicitur præsumens ignorantia culpabili, & crassa efficiens: *& loco proximè allegato in Decalogum*, sic ait. Sed parum dicunt: nam quamvis ignorantia esset crassa, excusaret ab hac Cẽsura, quia quoties Textus vtitur *verb. Præsumẽr*, excusar ignorantia, quantumcumque crassa, nisi adeò crassa esset, vt meritò diceretur ingens temeritas. Pezrin. *vbi suprà* in hæc prorumpit. Quare non solùm inadvertentia, oblivio, negligentia, sed etiam ignorantia quantumvis crassa, dummodò non sit ingens temeritas, eas excusabit, quia *verbum Audere*, temeritatem petit, & præsumptionẽ. Hæc ille loquens de præfata Gregor. *vbi gratia.* Accinit Franc. Pellizz. *vbi proximè*, & addit tunc præsumi ingentem temeritatem adesse, quando delinquens vehementem suspicionem haberet de malitia operis, contra quod Cẽsura lata est: Excludit & Diana *par. 3. tr. 5. resol. 13.* cum Basil. Pontio *de Matrim. lib. 10. cap. 6. n. 10.* Curiel. *1. 2. q. 76. art. 4. dub. 4.* Henriq. *lib. 13. c. 33. n. 3.* Avila *de Censu. par. 2. c. 6. disp. 10. dub. 6.* Molina *tr. 5. disp. 7. n. 13.*

Ratio tamen, quam tradit Sanchez *num. 39.* ad limitationem, quam ipse, & Peyrinos de ignorantia adeò crassa, vt sit ingens temeritas, hæc est. 17
Quia re vera illi dicerentur, in dolo esse. Ignorantia enim crassissima, quę importaret (ait) latissimam culpam, dolo æquiparatur. Anton. *c. 2. n. 9. de Constitut.* Et idem docet quando infligitur ausu temerario facienti, ac quando facere præsumenti infingitur. Quia omnia hæc verba dolum, petũt, & ideò perindè est, ac scienter facere. Ita Pater Sanchez: cui consonat Vidal *d. nu. 39.* dicens. Respondetur secundò, excommunicationem Clementinæ, esse contra præsumentes, quod idem est, ac contra scientes, & audentes ausu temerario ministrare Eucharistiam sine facultate. Et quod requiratur, dolus, ad incurrendam Censuram inflictam facienti cum præsumptione, docet noster Abb. Tambur. *tom. 4. de Iure Abbatiss. disp. 22. qu. 1. a. 7.* in terminis dictæ Gregorij Constitutionis, *vbi gratia*, & Constit. Pij V. *Monialium statui.*

Alij tamen volunt absolutè, laborantem ignorantia crassa, sive Iuris sit, sive facti, non incurrere 18
excommunicationes latas, contra facere præsumentes (vel contra scienter facientes, addit Diana, *mox citandus*) ita Doctores citati *numero* 14. Vidal *vbi proximè*, Antonin. Diana *parte 3. tract. 6. resol. 7.*

resolut. 7. versic. Notandum est, cum Metolla *in disputationibus Theologicis, disput. 1. cap. 2. dub. 6. num.* 232. plures alios Doctores recensente: & cum Anguiano *to. 2. de Legibus, libro 4. controv. 4. num.* 18. ac Bonacina *in Bullam Cœnæ, tomo 3. disput. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 9.* Petrus Binsfeldius *in Enchirid. part. 5. cap. 3. in fine*: Vidal, *de Censuris inquisit. 3. à num. 21. pagina mihi* 88. cum Sayro *lib. 3. Thesauri, cap. 25. num.* 8. Navar. *in Manual. cap. 27. num.* 141. Vivaldo *in explicat. Bullæ Cœnæ, num. 17. §. De facto præsumpserint*: Vgolino *de Censuris, in explicat. illius Clem. octavi*: Duardo *in Bulla Cœnæ, libro 2. quæst. 36. canone* 1. Suarez *de Censuris, disput. 4. sect. 10. numero 2. & 3.* Bonacina *eodem tract. disp. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 4. & 5. & disput. 1. quæst. 2. punct. 2. num.* 12. Graffis 1. *parte decis. libro 1. cap. 13. numero 94. fol. mihi* 34. cum Card. *in Clement. 1. de privil. quæst.* 38. Sanchez *de Matrim. tom. 3. lib. 9. disp. 32. n.* 38. cum pluribus.

19 Imò addunt non pauci gravissimi Doctores, ignorantiam affectatam excusare ab incurrendis censuris scientiam, ac præsumptionem exigentibus. Ita docet Diana *ubi proximè, versic. Sed non minus*: cum Filliucio *tom. 2. tract. 22. cap. 6. n.* 205. Bonacina *de Censuris, disput. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 9.* Duardo *in Bulla Cœnæ, libro 2. quæst. 36. num. 3.* & aliis. Dianæ opinionem approbare videtur P. Pellizzarius *dicto num. 9.* & addit cum Bonacina *de Censuris, disputat. 1. quæst. 1. punct. 1. num.* 11. procedere hanc sententiam, etiam quando operatur quis cum ignorantia affectata. Idem addit Noctinos *verbo Ignorantia, numero* 7. cum Ghilino *verbo Excommunicatio, num.* 21. & Cælestino *in Compend. tract. 3. cap. 5. num.* 5. idem & Vidal *de Censuris, à num.* 38. quum vide. Quam opinionem (inquit Diana) tuetur Sanchez se retractans *in Summa, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num.* 38. Dixerat enim iste Author *de Matrimonio, loco allegato, num.* 40. Affectata ignorantia... nunquam excusat ab his pœnis scientiam, ac præsumptionem exigentibus, quia tantùm abest, vt ignorantia hac in voluntarium actum efficiat, culpámque minuat, quæ in casu sunt, vt ignorantia à pœnis eximat; quin potiùs voluntarium, culpámque augeat: cum directè, & per se eligatur, teste D. Thom. 1. 2. *q. 6. art. 4. corp.*

20 Sed tanti Doctoris veniâ, ex eo, quod ex ignorantia affectata voluntarium augeatur, & culpa, non sequitur, quod pœnam, à lege pœnali inflictam, eadem ignorantia causet; aut quod in causa sit, vt pœnæ huiusmodi incurratur, eo modo, quo in voluntarium, & defectus, aut diminutio culpæ in causa sunt, vt à pœnis eximatur, qui contra legem pœnas infligentem operatur. Non enim propter augmentum voluntarij, & culpæ, extendere licet verba legis pœnalis vltra proprium significatum. Vnde data lege, hanc, vel illam pœnam scienter operanti infligente, illam minimè incurreret, qui id ex ignorantia faceret affectata, quamvis ignorantia affectata scientiæ æquiparetur *in cap. Eos, qui el 2. de temporibus ordinationum in* 6. ibi: scienter, seu affectata ignorantia: vbi Glossa *verb. Affectata*, ita fatur. Æquipollent ergo scientia, & affectata ignorantia: *& in cap. Cum inhibitio, §. Si quis, el 3. de Clandestina desponsatione*, ibi: Si quis verò huiusmodi clandestina, vel interdicta coniugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter soboles de tali coniunctione suscepta, prorsùs illegitima censeatur, de parentum ignorantia, nullum habitura subsidium: cum illi taliter contrahendo, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur. Hæc in Decretali illa.

§. III.

Plura de ignorantia dilucidantur.

BREVIARIVM.

Ignorantia.

Ignorantia seu inscitia, dividitur primò ratione notitia, seu scientia, cuius est privatio, in ignorantias prava dispositionis; negationis, & privationis, num. 21.

Ignorantia prava dispositionis contingit, quando quis habet in intellectu errorem veritati contrarium, num. 21.

Ignorantia negationis contingit, quando quis non habet, nec habere potest notitiam rationis, n. 21.

Ignorantia privationis contingis, quando quis notitia caret alicuius rei, quam nosse potest, & tenetur, numero 21.

Dividitur secundò ignorantia ratione rei obiecta, in ignorantiam Iuris, in facti ignorantiam; & in ignorantiam pœna, n. 22.

Ignorantia Iuris datur, quando lex, preceptum, aut prohibitio nescitur, n. 22.

Ignorantia facti datur, quando adest scientia, & notitia Iuris, seu Legis, sed factum, quod in ea prohibetur, nescitur, n. 23.

Ignorantia pœna datur, quando nescitur talem esse pœnam, contra taliter delinquentem, n. 24.

Ignorantia iuris dividitur eo modo, quo ipsum ius, cuius est nescientia, in ignorantiam Iuris divini positivi; iuris divini scripti; Iuris naturalis; Iuris Canonici; Iuris Civilis; & Iuris municipalis, seu particularis, n. 25.

Ignorantia facti dividitur in ignorantiam proprii, & alieni facti. Prima contingit, quando nescio me Horas summo mane persolvisse: secunda, quando nescio Petrum testamentum condidisse, n. 26.

Ignorantia tam iuris, quàm facti, dividitur tertiò ex respectu, & ordine ad voluntatem, in invincibilem, qua probabilis etiam dicitur, inculpabilis, & iusta: & in vincibilem, qua & improbabilis, culpabilis, & iniusta dicitur, n. 27.

Ignorantia invincibilis contingit, quando is, qui inscitia laborat, adhibita sufficienti diligentia iuxta negotij qualitatem, ad illam vincendam, aut non potest illam vincere, aut si potest, non debet, n. 27. 78. & 29.

Exemplis illustratur, n. 27.

Ignorantia vincibilis est, que adhibita sufficienti diligentia vinci potest, & debet, n. 28. & 29.

Ignorantia invincibilis est involuntaria, quia vinci non potest, aut si potest; non tamen tenetur, numero 29.

Ignorantia vincibilis voluntaria est, quia potest, & tenetur vinci, n. 29.

Ignorantia, vt vincibilis sit, non sufficit, vt ego obligatus sim advertere, si de facto non adverteam: seu non sufficit me esse obligatum ex Officio, nisi aliqua cognitio, dubitatio, vel scrupulus adsit de tali obligatione, numero 32. & 33.

Ignorantia

Ignorantia vincibilis includit scientiam, aut notitiam confusam, vel dubiam præcepti. Cuius malitia in eo consistit, quod ignoranter peccans, noluerit examinare dubitationem, aut notitiam confusam, quam habet de præcepto, n. 34.

Ignorantia vincibilis dividitur quartò, in affectatam, & crassam, seu supinam. Illa contingit, quando de industria quis præceptum ignorare eligit, vt liberiùs peccet, n. 35.

Ignorantia crassa, quæ ex desidia, & pigritia nascitur, & supina etiam dicitur, tunc contingit, quando quis negligenter se gerit in his sciendis, quæ nosse tenetur, & potest, sive nullam, sive modicam adhibeat diligentiam, n. 36.

Dividitur quintò ignorantia ratione peccati, quod patratur, in Antecedentem, Comitantem, & Consequentem. Antecedens contingit quando quis si rem sciret, non peccaret. Et hæc est invincibilis ignorantia, quia antecedit voluntatem ex ignorantia peccantem, & est causa peccati, n. 37.

Ignorantia comitans non est causa, nec effectus peccati, & contingit quando quis peccando, se peccare ignorat; peccaret tamen etiamsi non ignoraret, vt si inimicum quis occidat nesciens esse inimicum; occideret nihilominus, si sciret, n. 38.

Ignorantia consequens est, quæ tanquam effectus ex peccato nascitur, & in quam quis sua incedit culpa. Talis contingit in ebrio, adulterium; aut homicidium ignoranter perpetrante, n. 39.

Ignorantia crassa, seu supina, & affectata sunt consequentes ignorantiæ, quia consequuntur voluntatem negligentem scire quod potest, & tenetur, numero 39.

Peccatum.

Mortale peccatum nullum datur in voluntatis consensu, nisi præcedat cogitatio aliqua; & consideratio expressa, & actualis malitia moralis, vel periculi; vel expressa dubitatio, seu scrupulus, numero 33.

21 VT dicta, à minus Doctis, satis benè percipiantur, explicare libuit ignorantiæ species, & in quo earum quælibet consistat; breviter tamen, vt minori cum digressione, ad Dubij resolutionem accedamus. Ignorantia igitur, seu inscitia dividitur primo ratione notitiæ, seu scientiæ, cuius est privatio, in ignorantias, *pravæ dispositionis, negationis, & privationis.* Prima contingit, quando quis habet in intellectu errorem veritati contrarium. Tunc enim, quia non solùm ignorat, sed etiam errat, dicitur esse *pravè dispositus:* hoc est, malè affectus. Ignorantia *negationis* contingit, quando quis non habet notitiam rationis, nec tamen habere eam potest, aut debet. Quæ quidem infantibus, & in perpetuo amentibus existit. Ignorantia tandem *privationis* tunc contingit, quando quis notitia caret alicuius rei, quam nosse potest, ac tenetur. Quia privatio est alicuius formæ absentia in subiecto, quod potest, aut debet illam formam habere. Ita Azorius *par. 1. lib. 1. cap. 12. q. 1. versic. Primò.*

22 Dividitur secundò in ignorantiam *Iuris*; in ignorantiam *facti*; & in ignorantiam *pœnæ*. Ignorantia *Iuris* tunc datur, quando præceptum, aut prohibitio nescitur. Bassæus *tom. 1. verbo Ignorantia, num. 1.* Noctinot *verbo Ignorantia, num. 1.* vbi ponit exemplum in eo, qui comedit carnes in die veneris, nesciens id esse prohibitum ab Ecclesia: Azorius *part. 1. lib. 1. cap. 12. q. 1. versic. Secundò:* ait, vt si Titius contractum ineat cum minore, cum prodigo, vel furioso, ignorans cum huiusmodi, & similibus se non posse contractum inire; est ignorantia Iuris. Pari modo si ignorem me habere ius succedendi in bonis Titij cognati mei; est ignorantia Iuris. Item si ignorem consortium excommunicati esse devitandum, est ignorantia Iuris.

Ignorantia *facti* datur, quando adest scientia, & notitia Iuris, seu Legis, sed factum, quod in illa prohibetur Lege, nescitur. Bassæus *dicta num. 1.* Noctinot *num. 1.* qui exemplificat in eo, qui comedit carnes die veneris, sciens quidem id prohiberi, sed nesciens esse diem veneris. Azorius, ait: si verò cum huiusmodi contrahat, ignorans solùm se contrahere cum minore; cum prodigo, cum furioso, est ignorantia facti. Et in exemplo successionis ait. Si verò solùm ignorem Titium esse meum cognatum, est ignorantia facti. Et in alio excommunicationis, dicit. Si verò tantùm ignorem Titium esse excommunicatione affectum, est ignorantia facti. 23

Ignorantia *pœnæ* datur, quando nescitur talem pœnam esse contra taliter delinquentem latam. Bassæus *num. 1.* Diana *parte 3. tract. 5. resol. 13. in princ. & par. 4. tract. 2. resol. 36. vers. Verùm, & resol. 85.* Conink *de Censur. disp. 18. dub. 4. concl. 2.* Noctinot *verbo Ignorantia. n. 7.* 24

Ignorantia *Iuris* dividitur eo modò, quo ipsum ius. Alia est ignorantia Iuris divini positivi, hoc est Iuris divini scripti, sive positi, & dati, Alia Iuris Naturalis. Alia Iuris humani Civilis. Alia Iuris humani Canonici. Alia humani Iuris particularis, aut municipalis. Azotius, *dicto versiculò Secundò:* 25

Ignorantia *facti* dividitur, in ignorantiam facti proprij, & alieni. Ignorantia facti proprij est, si ignorem v. g. me summo mane Officium persolvisse divinum, Horas Canonicas legisse, Recitasse. Facti alieni ignorantia est, si ignorem Titium testamentum condidisse; vel primò fuisse natum. Azorius *loco reddito*, vbi aduotat præcedentes ignorantiæ divisiones, ratione rei obiectæ, quæ ignoratur fieri. 26

Dividitur ignorantia *Tertiò*, tam Iuris, quàm facti ex respectu, & ordine ad voluntatem, in invincibilem, quæ & probabilis etiam dicitur, & inculpabilis, & iusta; & in vincibilem, & improbabilem, ac culpabilem. Ignorantia invincibilis, & probabilis, ac inculpabilis contingit, quando is, qui inscitia laborat adhibita diligentia sufficienti iuxta negotij qualitatem ad illam vincendam, aut non potest illam vincere, depellere; aut si potest quidem, non tamen debet. Azorius, *vbi suprà, versic. Tertiò,* vbi ponit vnum, & alterum huius rei exemplum. *Primum* in eo, qui die Dominica, tempore quo Parochus dies festos, & ieiunia populo indicere solet, adivit: & quia Parochus illa non indixit, Petrus verbi gratia, qui Ecclesiam adivit, illa ignoravit invincibiliter quidem, probabiliter, & absque propria culpa: quia fecit diligentiam sufficientem, in tali negotio fieri solitam. *Secundum* apponit exemplum in eo, qui cum dubitaret, num vsurarius esset contractus, quem cum alio inibat, de ea re viros probos, pios, & Doctos consuluit, an esset vsurarius contractus: & responsum accepit vsurarium illum non esse, cum tamen revera esset. Ignorantia ista invincibilis etiam fuit, probabilis, & inculpabilis in consulente, quia illam à se repel- 27

lere nequivit, cum fecerit diligentiam sufficientem, iuxta negotij qualitatem.

28 Ignorantia vincibilis, improbabilis, & culpabilis est, ac iniusta, quæ adhibito studio diligenti, vinci, superari, depelli, & abiici potest, & debet Azorius *dicto versic. Tertiò*, Nočtinot *verbo Ignorantia, n. 3*.

29 Consultò diximus de ignorantia invincibili: *aut non debet*: de vincibili: *& debet*. Quia non sufficit illam me posse eiicere, depellere, vincere; nisi etiam de ea depellenda teneat. Vt benè advertit Azorius, ex quo benè ipse infert, vt ignorantia invincibilis, sit involuntaria, quia deponi non potest, aut non debet; è contra verò, vt vincibilis voluntaria sit, quia potest, & debet deponi.

30 Sed difficultas magna est, & satis inter Doctores controversa, An vt ignorantia vincibilis dicatur, sufficiat me esse obligatum advertere, si de facto non advertam? affirmant Iacobus Gordonus, *tom. 1. Theologiæ moralis, lib. 1. quæst. 8. cap. 10. num. 37. versic. Est altera, colum. 77.* quam probatè ait D. Thom. *1. 2. qu. 53. art. 8.* docens satis esse, quod fuerit in potestate operantis advertere, licet ex negligentia id non fecerit. Idem ait, habet Adrianus *quodlibet. 7. art. 1. in corpore, & ad 1.* Gerson *Alphabeto 33. lit. H*, & Navarrus passim *in Manuali*: & multi recensiores cum Suarez *in Materia de inconsiderantione, quæ vocatur ignorantia electionis, seu oblivio*. qualis est, cum homo non advertit actu ad ea, quæ res ipsa quasi habitu continet. Pro eadem parte affirmante recenset Diana *part. 4. tract. 4. resol. 36.* Valentiam *tom. 2. disput. 6. quæst. 6. punct. 1.* Zumelem *1. 2. q. 6. art. 3. disp. 1. dist. 4.* & Cuticlem *ibid. dub. 3. §. 3.*

31 Negativam autem sententiam tenet *ibi* Diana, cum Salas *1. 2. tract. 13. disp. 8. sect. vltim. n. 87.* Sanchez *in Decalogum, lib. 1. cap. 16. n. 21.* Portel, *in dubijs Regularum, verbo Ignorantia, num. 11.* Alvarez *1. 2. q. 74. art. 8. disp. 144. n. 6.* Conink *de Actibus supernaturalibus, disputat. 14. dub. 11. num. 122.* Gregorio Sayro *in Clavi Regia libro 2. cap. 9. num. 20.* Reginaldo *tom. 1. lib. 11. cap. 3. num. 32.* Tannero *1. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. nu. 17.* & cum Paulo Layman *in Theologia morali, lib. 1. tr. 2. cap. 4. num. 6.* tenet & Gabriel Vasquez *tom. 1. in 1. 2. disput. 107. cap. 3. pag. mihi 507.* cum Alexandro, D. Bonaventura, Alberto, Gersone, D. Antonino, Petro de Tarantasia, Angelo Sylvestro, Caietano, Armilla, Conrado, Almaino, Angesto, Nidero, Petro Soto, Corduva, Paludano, Gabriele, & cum D. Thoma, quorum Doctorum loca recenset Vasquez, sed ea hic reddere lubens omitto, ne diutiùs, quam par est immorer. Tenet etiam hanc sententiam negativam Castrus Palaus, *tom. 1. tract. 2. disp. 15. n. 5. versic. Mihi tamen*: vbi ita fatur.

32 Mihi tamen magis probatur ad ignorantiam vincibilem, & culpabilem non sufficere te ex statu, vel officio obligatum esse, nisi aliqua cognitio, dubitatio, vel scrupulus fit de tali obligatione, quia vsque talis dubitatio sit, voluntaria esse non potest illius advertentiæ omissio: prima ergo cognitio, qua voluntas moveri debet, necessaria est, non libera. Hæc Palaus. Quocirca Diana, sententiam hanc probans, ait. Et ratio est, quia si nunquam in mentem venit cogitare, aut suspicari de operis malitia, tunc homo non operatur malum deliberatè, cum fieri non possit, vt voluntas in malum peccati consentiat, nisi intellectus illud cognoscat: ergo, &c. Vnde ex his deducitur sano modo intelligenda iura, ac Doctores dum dicunt esse par, scire, & debere scire: nam intelligenda sunt quando adfuit aliqua actualis plena, & sufficiens ad mortale advertentia ad malitiam, eiúsque periculum, seu dubium, aut scrupulus: quia dum hæc actualis advertentia non adfuit, non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam: aut non est plenè, ita vt ad mortale peccatum sufficiat. Hactenus Diana.

Eadem omnmò, ex Doctoribus, quos suprà ex eo allegavi, Doctissimus Vasquez docet, in hæc prorumpens. Omnes ergo, quos statim allegabo in hoc vnum conspirant, vt nullum sit mortale peccatum in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua præcesserit, & consideratio expressa, quam vocant actualem, malitiæ moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio, seu scrupulus. Itaque vt quis peccet mortaliter, debet considerare, vel dubitare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse periculum malitiæ illius, vel scrupulum saltem aliquem habere; quod si nihil horum præcesserit, in considerantiam censeri omnino naturalem, & consensum, quantumvis longo tempore duret, non esse mortale peccatum. Hæc omnia Vasquez, *loco citato*, vbi rationem à priori reddit ex D. Thom. *1. 2. q. 14. art. 6.* 33

Et docet, quod quantumvis de commoditate rei, vel de vtilitate temporali consultemus, non adest principium deliberandi de malitia ipsa morali rei, quandiù non se offert nobis cogitatio aliqua circa malitiam, vel circa periculum illius, aut dubitatio aliqua, vel scrupulus. Quia sunt (inquit) res diversi generis. Et sicut consultatio de re aliqua secundùm commoditatem in negotio, verbi gratia, literario, non est principium consultandi de ea in negotio belli, aut in alio alterius Ordinis, nisi circa quodlibet negotium diversum se offerat prima aliqua naturalis cogitatio; ita etiam consultatio de vtilitate, & commoditate temporali alicuius rei, non est principium consultandi de malitia, & bonitate morali: quia est res diversi generis. Quare, vt quis de illa consultare queat, necesse est illi occurrere aliquam naturalem cogitationem, vel dubitationem circa illam, & inde valeat consultationem exordiri.

Dicet fortasse aliquis: ergo omittens præceptum, semper omittit ex scientia illius, & non ex ignorantia: ergo numquam datur peccatum ex ignorantia. 34

Respondet Palaus, distinguendo primum consequens. Omittit præceptum ex scientia illius clara, & distincta, nego consequentiam; ex scientia illius confusa, vel dubia, consequentiam concedo. Quia ignorantia vincibilis huic cognitioni confusæ, & dubiæ non opponitur, imò potius illam requirit. Et negat secundam consequentiam: quia malitia ignorantiæ vincibilis in eo consistit, quod noluerit præceptum, omittens, illam dubitationem, & cognitionem confusam de præcepto examinare.

Et certè Doctrinam, quam sequimur, Gordonus *vbi suprà* etiam admittit: ait enim: Potest verò hæc inconsideratio esse voluntaria, vel inuoluntaria provt fuerit voluntas negligens, vel diligens in applicando intellectum ad considerandum, quod potest, & debet circa obiectum cognitum,

gnitum, quod hîc notandum est. Ita ille.

35 Sed redeundo ad ignorantiæ diuisiones: illa, quæ vincibilis, improbabilis, culpabilis, & iniusta, diuiditur quartò in affectatam, & crassam. Ignorantia *affectata* est, cum quis de industria, & vltro aliquid ignorate vult, ne si illud sciat, ab agendo, quòd vult, impediatur, vel retardetur. Seu quòd idem est, cum quis præceptum ignorare eligit, vt liberiùs peccet. Bassæus, *verbo ignorantia num.* 4. Noctinot, *eidem verbo, & numero*, Azorius, *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 12. *quæst.* 1. *versic. Quartò*, qui exemplificat doctrinam in eo, qui scire nollet, ieiuniorum tempora, aut dies festos, vt liberiùs edendo ventri indulgeret, aut Missæ sacrum omitteret.

36 Ignorantia *crassa*, sic dicta, quia ex desidia nascitur: qui enim crassi sunt, & pingues, desides, & pigri esse solent. Quæ & *supina* etiam dicitur pari ratione, quia, qui supini iacent, & dormiunt, nihil curant. Hæc igitur ignorantia *crassa*, & *supina* tunc contingit, quando qnis negligenter se gerit in sciendis iis, quæ nosse tenetur, & potest, siue nullam siue modicam diligentiam adhibeat. Bassæus, Noctinot, & Azorius, qui benè *vbi proximè* aduertit, ignorantiam affectatam directè, & expresse esse ab ignorante volitam; crassam verò, indirectè, & implicitè.

37 Quintò diuiditur ignorantia ratione peccati, quod patratur, in ignorantiam *antecedentem* peccatum; in *comitantem* peccatum; & in *consequentem* peccatum, quòd committitur. Ignorantia *antecedens* contingit, quando quis, si rem sciret, non peccaret; & ideò delinquit, quia rem ignorat. Et antecedens dicitur, qnia peccatum, quod admittitur antecedit; aut quia antecedit voluntatem, ex ignorantia peccantem. Et meritò antecedere dicitur peccatum, quia est causa peccati: cum quis illud non perpetraret si notitiam rei haberet. Exemplum sit in nautæ absentia, qua data perit nauis, aliàs non peritura, si nauta non abfuisset. Ita Aaorius, *vbi proximè verbo Quintò*. De hac ignorantia inquit Bassæus, *num.* 5. Antecedens dicitur illa, quæ est probabilis, & inuincibilis, qua non posita, actus malus non fieret.

38 Ignorantia *comitans* contingit quando quis peccando, se peccare ignorat, peccaret tamen etiamsi non ignoraret. Vnde hæc ignorantia non est causa, neque effectus peccati, quod admittitur. Exemplum est in eo, qui inimicum occidit, nesciens esse inimicum; occideret nihilominus si sciret. Azorius, & Bassæus, *locis redditis*.

39 Ignorantia *Consequens* est, quæ tamquam effectus ex peccato nascitur. Huiusmodi est ignorantia illa, in quam quis culpa incidit sua, ex ebrietate, furore, aut amẽtia. Ebrij enim, furiosi, & amentes, ex ignorantia operantur homicidia, adulteria, & alia peccata. Vel secundò dicitur ignorantia *consequens*, quia consequitur actum voluntatis, negligentiam vtique directè, & expresse, vel indirectè, & implicitè volitam, quæ quouismodo voluntaria est, culpabilis, & peccaminosa. Ita Azorius, & Bassæus. Vnde ignorantiæ *affectata*, & *crassa* sunt *consequentes*, quia consequuntur voluntatem negligentem scire, quod potest, & tenetur.

His igitur suppositis, & præmissis, pro dubij principalis resolutione, nonnullas libuit proferre conclusiones.

§. IV.

De facultate simplicis Sacerdotis in mortis articulo.

BREVIARIVM.

Absolutio.

In mortis articulo quilibet Sacerdos potest absoluere ab excommunicatione Hæreticos, &c. n. 40.

Ab omni excommunicatione Papæ reseruata potest simplex Sacerdos quemlibet in mortis articulo periculo probabili, & necessario adeundo existentem absoluere, v. g. in bello, periculosa nauigatione, in primo partu: imò in quolibet iam proximo partu; & remigrantes, n. 40. 41.

Etiamsi adsint Parochus, & Superior reseruans, numer. 42.

Et etiamsi sit excommunicatus, Hæreticus, &c. numer. 43. 44. 45. 46.

Per illud, necessariò adeundo, *excluduntur, qui periculum subeunt in ludo hastarum, taurorum agitatione, &c.* n. 41.

Articulus.

Mortis Articulus, & periculum, pro eodem reputantur in iure, n. 41.

CONCLVSIO I.

IN articulo mortis, quilibet simplex Sacerdos absoluere potest ab excommunicatione contracta ab Hæreticis, Credentibus, Defensoribus, & Fautoribus illorum, ab Apostatis & Schismaticis, & libros eorum Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, scienter legentibus, aut retinentibus, imprimentibus, & quomodolibet defendentibus, ex quauis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore. 40

Hanc conclusionem tenet Lessius, *tract. de excommunicatione cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 48. Syluester, *verbo, Absolutio* 1. *num.* 10. Abbas, *in cap. A nobis num.* 10. *el* 2. & 28. *de Sent. excomm.* Delbene, *de Parlamentis dub.* 4. *sect.* 19. *subsect.* 3. *Corollar.* 5. *num.* 2. & 6. Trullench. *in Bullam Cruciata lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *numer.* 6. Palans, *part.* 1. *tract.* 4. *disput.* 4. *punct.* 3. §. 5. *num.* 1. Bassæus, *tom.* 1. *verbo, Hæresis num.* 18. *versic. Septimò.* Antonius Sousas, *in relectione, de censuris Bulla cœnæ, cap.* 23. *disp.* 100. *num.* 5. & *in Aphorismis inquisitorum, lib.* 3. *cap.* 4. *numer.* 1. cum Rojas *de Hæreticis, part.* 2. *num.* 320. *assert.* 38. Penna, *in Directorio, part.* 2. *commento* 25. *versic. Quod si quis dicat.* Sanchez, *in Decalogum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. & cum Farinacio, *de Hæret. quæst.* 192. §. 4. *num.* 64. Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib.* 7. *de censuris, capit.* 1. *dub.* 5. *versic. Dixi I.* Diana, *part.* 1. *tract.* 5. *resol.* 5. & *parte* 5. *tract.* 9. *resol.* 67. cum Villalobos, *in Summa, tom.* 1. *tract.* 27. *claus.* 1. §. 2. *num.* 7. Barbosa, *de potest. Episcopi, part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 81. Coriolano, *de casibus reseruatis, part.* 1. *sect.* 2. *artic.* 16. *num.* 7. & 8. Conrado, *in Respons. cas. conscientiæ part.* 1. *quæst.* 12. Ludouico de Sanjuan, *in Summa, part.* 1. *tract. de Pœnit. quæst.* 6. *art.* 6. *dub.* 4. Ioanne Valero, *in differentiis vtriusque fori, verbo, Excommunicatio, different.* 23. *num.* 1. Angles, *in* 4. *tom.* 2. *quæst. de Confessione, art. de ministr. diffic. in articulo mortis.* Ierola, *in praxi, de Pœnitentia,*

cap.15. num. 4. Finellio, *de casib. reseruat. cap.7. in fine*, Comitolo, *in Respons. moral. lib.1. quæst.22. num.2.* Petro Ledesma *in Summa, tom.1. tract. de Sacram. Pœnitem. cap.14. diffic.2. fol.* 301. & cum Nauarro, Rodeiquez, Henriquez, & Vegha, Ausonius Noctinot, *verbo Absoluere à censuris, num.70.* Emanuel Sà, *verbo Absolutio num.3.* Lezana, *tom.2. part.3. verbo Absolutio, num.13.* Caspensis, *tom.2. tract. 25. disp.2. sect. 12. num.139.* Gloss. *in cap. Alma Mater, verbo Articulum, el 24. & finale de Sent. excommunicat. lib.6. & in cap. Eos qui. el 21. eod. tit. & lib. verbo Eos qui*, vbi ita fatur. Nota primò, quod constitutus in periculo mortis potest absolui à sententia Canonis, vel hominis, & à simplici Sacerdote: etiamsi absolutio sit reseruata Romano Pontifici. Nam in reseruatis Apostolicæ sedi, excipitur periculum mortis. Et in periculo mortis potest quis absolui à simplici Sacerdote à quacumque excommunicatione.

41 Procedit Conclusio nostra etiam in probabili mortis periculo, quale est prælium, periculosa nauigatio, primus partus, & quilibet alius mulieris, quæ in præcedentibus probabile mortis subiuit periculum. Hanc tenent ampliationem Lessius, *in Actuario, verbo Absolutio, casu 2. n.5.* Barbosa, *de potest. Episcopi allegat. 25. num.* 81. cum Couar. *in cap. Alma mater part. 1. §. 11. num.8.* Viualdo, *in Candelab. aureo titu. de Absolutione, num.60.* Reginaldo, *lib.1. num.59.* Nugno, *in addit. quæst.8. art.6. dub.6.* Paulo Santor. *de casibus Papalibus, ac Episcopalibus, à num.138.* Beneu, *in Praxi de Pœnit. cap.15. quæst.7.* Bonacina, *de Censur. disp. 1. quæst.31 punct. 3. num. 4.* Rodcriq. *in Bullam Cruciat. §. 9. dub. 3.* Coriolano, *de casib. reseru. part.1. sect.2. art. 16. an.2.* Valero, *in different. vtriusq. fori, differt.23. in fine* & Molfesio, *in Sum. tract.7. cap. 15. num. 77.* Gabriel Vazquex, *tom.4. in p.3. D. Thom. quæst.93. art.1. dub.5.* Trullench, *dict. num.6.* Palaus, *part.1. tract.4. disp. 4. punct.3. §.5. num.2.* Lezana, *tom.2. verbo Bulla Cruciata, num.23. & verbo Bulla Cœna num.53.* Conclusionem nostram extendunt ad remigrantes apud Dianam, *part.11. tract. 3. resol. 2.* Ioannes Henriquez, *in quæst. mor. sect.5. part.1. num.1.* Duardus, *in Bullam Cœnæ lib.3. §.2. quæst.2. num.6. & 15.* & ad mulierem grauidam, partui vicinam, licet aliàs peperisset, & fuisset experta se non periclitari in partu, nec pati notabilem difficultatem, Inojosa, *in Directorio vers. Circa absolutionem à peccati fol.306.* Ampliationem etiam tenet Delbene, *de immunitate Eccles. part. 2. capit. 14. sect.3. num.10.* cum Panormitano *in cap. Quod in re, de Pœnit. & remis.* Nauarro, *in Manu. cap.26. n.31.* Syluestro, *verbo Confessor. 1. quæst.6. dicto 7.* Henriquex, *lib.6. cap.9. & 11.* Auila, *de Censur. part.5. disp.4. sect.1. dub.5.* Molina, *de Iust. tr.3. disp.63. num. 6.* Cardin. Lugo, *de Pœnit. disp.18. num.21.* & Sanchez, *to.1. in Decalog. lib.2. cap.13. num.7.* Pax Iordanus, *de Re sacra lib.3. tit.4. de Sacram. Pœnit. num.24.* Sà, *num.3.* Sousa, *dict. cap.2. num. 2.* cum Sanchez, *loco citato, & in Bullam Cœna dicto cap.23. disp.99. à num. 3.* Diana, *dicta resol.67.* asserens contra Sotum, Canum, & alios nullum in præsentia ponendum esse discrimen inter articulum, & periculum mortis, quantum attinet ad hanc, quàm tractamus absolutionem, dummodo tale sit periculum, quod necessariò adeundum sit, & ex quo verisimili coniectura sequatur mors. Addit, *necessariò adeundum*, vt excludat periculum in Ludo hastarum, taurorum agitatione, & similibus. Et ait hanc sententiam sic explicatam esse Communem. Ampliationem etiam tenent. Noctinot. *num.* 70. Bassæus, *verbo Absolutio, num.31.* Caspensis, *dicto num.139.* Ægidius Trullench. *in Bullam Cruciat, lib.1. §.7. c.2. dub.4. num.4.* Suarez, *tom.4. in 3. part. disp. 26. sect.4. num.3.* Et probatur *ex Can. Si quis suadente 17. q.4.* vbi posita reseruatione, excipitur periculum mortis: & in *cap. Non dubium, de Sent. excomm.* facta mentione exceptionis illius, dicitur esse in articulo mortis. Ex quibus apertè colligitur (ait) hæc duo in Iure confundi, & pro eodem reputari. Probàtque *ex cap. Eos qui, de Sent. excomm. in 6.* in cuius contextu, nunc periculum, nunc articulux mortis appellatur. Idem in Glossa.

42 Procedit similiter conclusio in casu, quo Confessarius approbatus, imò & Parochus, aut quilibet alius adsit Superior. Ampliationem istam tenent Diana, *resol.67. citata, & 1. part. tract.5. resolut. 5.* cum omnibus illis Doctoribus, quos suprà *num.39.* ex eo recensui à Villalobos scilicet, vsque ad Vegham. Ausonius Noctinot, *num. 7.* Caspensis, *vbi proximè.* Leonardus Lessius, *in Actuario, verbo, Absolutio, casu 2. num.6. & 7. pag. mihi* 139. Laurent. de Peyrinis, *tom.2. de Prælato, quæst.1. cap.4. §.4. num.87.* cum Nauarro, *lib.5. Consilior. de Pœnit. & remiss. consil. 32. numer.2.* Reginaldo, *in Praxi lib.1. num.61. versic. Quinimò.* Sayro, *in decisionib. lib.5. tit. 22. decis.21* & Coriolano, *loco allegato num.6. versic. Nihilominus*, Emanuel Sà, *verbo Absolutio num. 3.* Barbosa, *de post. Episcopi alleg.25. n.79.* cum Sayro, *in floribus decision. tit. de Pœnit. decis.21.* & aliis pluribus. Delbene, *de Parlamentis, sect. 19. subsect. 32. corollar. 5. num. 2.* cum pluribus, quos vide, Bassæus, *tom.1. verbo Hæresis num.18. versic. Septimò* cum aliis, quos vide.

43 Procedit tertiò Conclusio, etiam in casu, quo simplex Sacerdos, excommunicatur, suspensus, interdictus, irregularis, aut Hæreticus sit. Quam ampliationem tenent Diana, *ad calcem 3. partis in Additionibus, resolut. 12.* cum Philipo de la Cruz *in Thesau. Eccles. tract.1. §.12. numer.4. dicente*: y es doctrina de Syluestro, Fr. Petro de ledesma, Fray Iuan de la Crux, y otros, los qualex dizen, que qualquiera sie Baptizado, aunque sea lego, y aun Herege, puede absoluer delas censuras. Dixelo Fray Iuan de la Cruz, en dos palabras. In articulo mortis vir Baptizatus, etiam Laicus, & si sit Hæreticus, & præcisus absoluit ab excommunicatione. A algunos ha espantado esto: y nose porque: porque doctrina es comun. Hæc ex præfato, Philipo, Antoninus Diana: qui *part. 5. tract.3. resol.77.* eundem recenset Philipum de la Cruz, enel Norte de Confessores, *tract.1. §.1.* idem ibi docentem, *& tr.9. resol.7.* allegat Ioannem de Lacrux *in Directorio conscientiæ, part. 2. de excommunication. dub.5. Conclus.1.* sic, vt suprà refertur famem. Syluestrum, *verbo Absolutio* 8. *& 9.* Angelum, *verbo, Absolutio* 1. & Ledesman *cap.8. de excommunicat. dub.4.* etiam allegat. Ausonius Noctinot, *verbo, Absoluere à censuris, n.75.* Lessius, *tract. de excomm. cap.7. dub.3. n.8. versic. de Clerico.* Ibi Hæreticus Sacerdos in eo casu potest absoluere à peccatis. Iuncto versic. *Respondeo* ibi: in Articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere ab omni excommunicatione. Thomas Delbene, *de immunit, Eccles. tom.2. cap.14. dub.18. sect.3. n.19.* Leander, *part.4. tr.2. disp.17. q.5.* plures pro hac recenset sententia.

Conclu

Conclusio nostra cū suis ampliationibus probatur efficaciſſimè ex Sacra Tridentina Synodo, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. aſſerente, pariter ac decernente in hunc, qui ſequitur modum. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinæ authoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Veruntamen, piè admodum, ne hac occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſint. Hactenus Conciliare Decretum. Quod expendens Leſſius, *dicto verbo, Abſolutio, caſu* 2. *num.* 6. in hæc prorumpit.

45 Neque poteſt dici Concilium intelligi, *nullam in articulo mortis eſſe reſeruationem*, niſi videlicet, poſſit haberi aliquis, qui Iure Ordinario, vel delegato poſſit ab illis abſoluere: quia violenta eſt hæc reſtrictio, & contra vim verborum. nam dicit abſolutè, *in articulo mortis nullam eſſe reſeruationem: & ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes tunc poſſe abſoluere ab omnibus caſibus, & cenſuris*. Vbi Concilium non limitat, quando non adeſt ſuperior, vel alius habens poteſtatem, ſed generaliter indulget, vt omnes poſſint, ne quis infirmus ob reſeruationem pereat. Hæc doctiſſimus Leonardus.

46 Eandem interpretationem, in noſtro vulgari, fecit idiomate, Magiſter Petrus de Ledeſma in Salmantina Vniuerſitate, toto orbe celeberrima, Sacræ Theologiæ Moderator ſupremus, dum *in Summa, tom.* 1. *tract. de Sacramento Pœnitentiæ, cap.* 14. *difficult.* 2 in hunc modum à Diana, *part.* 1. *tract.* 5. *reſol.* 5. exſcriptum, & probatum fallus eſt. Et derecho Eccleſiaſtico no pone excepcion ninguna, ſino tan ſolamente dice, que qualquiera Sacerdote puede abſoluer à qualquier penitente, de qualesquier peccados y cenſuras. Luego enel articulo de la muerte, qualquier Sacerdote puede confeſſar, aunque eſte preſente el proprio Parocho, o otro que tenga Iuridicion ſubdelegada.

§. V.

De facultate Clerici non Presbyteri in Articulo mortis, & periculo.

BREVIARIVM.

Abſolutio.

Quilibet Clericus, etiam prima tonſura initiatus, ab omni excommunicatione, etiam Papa reſeruata, poteſt in articulo, & periculo mortis abſoluere, abſente Sacerdote, n. 47.

Non tamen ex Iuris authoritate; ſed ex benignitate Eccleſiæ rationabiliter præſumpta, n. 48.

CONCLVSIO II.

47 Non ſolùm Sacerdotes ſimplices, ſed quilibet Clericus, prima tantùm tonſura initiatus, abſoluere bene queit Hæreticos, & quoſlibet alios, ab excommunicatione quacumque, in articulo mortis conſtitutos (& idem eſt in illius periculo ex dictis *num.* 41.) in abſentia tamen, & defectu Sacerdotis.

Hanc Concluſionem tenent Caſpenſis, *tom.* 2. *tract.* 25. *diſp.* 2. *ſect.* 12. *num.* 140. Gloſſ. *in cap. Paſtoralis, verbo Præterquam in mortis articulo* el 11. *de offic. Iudic. Ordinary*. Philipus de Lacrux, *in Theſaur. Eccleſ. tract.* 1. §. 12. *num.* 4. relatus à Diana, *part.* 3. *in addit. reſol.* 11. Trullench. *in Bullam Cruciatæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 62. *dub.* 19. *numer.* 6. Rojas, *de Hæret. part.* 2. *num.* 310. *aſſert.* 38. Penna, 1. *part. Directorij, Comment.* 25. *verſic. Quod ſi quis dicat.* Thomas Sanchez, *oper. mor. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. quos recenſet, & ſequitur. Souſa, *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 1. & ſe ipſum allegat, *in Bullam Cœnæ, cap.* 23. *diſp.* 100. *n.* 5. & Farinacium, *de Hæret. quæſt.* 191. §. 4. *num.* 61. Ioannes Baptiſta Lezana, *in Summa quæſtionum Regularium, tom.* 1. *part.* 3. *verbo Abſolutio num.* 13. pro hac ſententia, quam probabilem pronuntiat, cum contrariam probabiliorem iudicet, recenſet Cornexum, *de Cenſuris diſp.* 11. *dub.* 3. illam pariter probabilem pronuntiantem, Probabilem etiam eam iudicat apud Auſonium Noctinot, *verbo Abſoluere à cenſuris num.* 74. Præpoſitus, *in* 3. *p. quæſt.* 1. *dub.* 14. *num.* 97. & apud Caſpenſem, *vbi proximè* Sanchez, *in Decalogum tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 13. & huius quidem ſententiæ veritas, ſeu probabilitas, ſaltem ex ſequenti Concluſione 3. clariùs eluceſſet.

Hæc Concluſio non fundatur in aliquo Textu, ſicut præcedens in Tridentino ſtabilitur, ſed in ſola piæ Matris Eccleſiæ benignitate, nolentis vllum de ſuis perire filiis, & in tanta illorum neceſſitate volentis illis ſubuenire, delegando Iuriſdictionem, ab ipſa dependentem, cuilibet ſubiecto iuriſdictionis Eccleſiaſticæ capaci: qualis eſt, in omnium ſententia, quilibet prima tonſura initiatus. 48

§. VI.

De Facultate Laici in Clerici abſentia, pro mortis periculo.

BREVIARIVM.

Abſolutio.

Quilibet Laicus abſente, aut nolente Sacerdote, vel Clerico, abſoluere poteſt ab omnibus cenſuris quantumuis reſeruatis, in articulo, aut periculo mortis, n. 49. 57. *& ſeqq.*

Poteſt & mulier. n. 4. *& tenetur*. 50.

Cui fundamento innitatur hac antiquiſſima ſententia, explicatur, n. 83.

Abſoluere tenetur Confeſſarius, contra propriam opinionem, pœnitentem contrariam ſequentem, numer. 50.

CONCLVSIO III.

Clerico, ſeu prima tonſura initiato, abſente, aut nolente conſtitutum in articulo, aut periculo mortis à Cenſuris abſoluere, poteſt illum abſoluere quilibet merè Laicus à dictis Cenſuris, licitè quidem, ac validè, ex Summi Pontificis pia voluntate rationabiliter præſumpta. 49

Hanc tenent Syluester, *verbo Abſolutio* 1. *n.* 8. Ludouicus Caſpenſis, *tom.* 1. *tract.* 15. *diſput.* 2. *ſect.* 12. *num.* 140. *pag.* 651. Gloſſa, *in cap. Paſtoralis verbo, Præterquam in mortis articulo, el* 11. *de officio Iudicis Ordinarij* & Gloſſ. *in cap. A nobis, verbo Non potuerit el* 2. *&* 28. *de Sententia excommunicationis*, Barboſa, *in dict. cap. A, nobis n.* 17.

cum Nauarro, *in Manuali, cap.26. num. 26. & in cap.1. num. 84. de Pœnitentia distinct.6.* Couarruuias, *in cap. Alma mater part.1.§.11. num.9.* Ioanne Baptista Costa *de remed. subsid. remed. 127. n.34.* & pluribus alijs apud Cenedum, *ad Decretum, collectam 42 numer.3.* & Bonacina, *de Sacramentis, disp.5. quæst.7. punct.1. num.* Abbas Panormitanus *dicto cap. A nobis num.10.* vbi approbat dictas duas Glossas, & commendat quoad absolutionem excommunicationum, reprobat tamen, quoad absolutionem à peccatis, quia scilicet Laicus non habet claues Ecclesiæ. Refert Leander, *p.1. de Sacramentis tract.5. disp.11. quæst.7.* pro nostra Conclusione. Tabienam, *verbo Absolutio num.8.* Bartholomæum de Ledesma, *de excommunicatione dub.4.* & Margaritam Confess. *fol. 139.* Quibus addit, *part.4. tract.2. disp.11. quæst.5.* Bauny, *tr.1. de Censuris in communi quæst.8. & 9.* & exptessiùs, *tra. 2. de absolnente ab excommunicatione, disp.3. quæst. 30. pag. 160.* Ægius Trullench, *in Cruciatam, lib.1. §.7. cap. 2. dub.5. num. 7. & in Decalogum, lib.1. cap.3. dubio.7. num.9.* nobiscum sentit, & allegat Henriquez, *lib.6. de Pœnitentia cap. 9. num. 3. & lib. 13. de excommunicatione cap. 27. num.4.* Pellizzarius, *in Manuali Regular. tom.2. part.1. tract.7. cap.2. n.39.* Paulus Borgasius, Referendarius Apostolicus Pauli III. *de irregularitate, part. 6. tit. de Absolutione ab excommunicatione, num.7. 9. & 12. pag. mihi 386.* Delbene, *de Parlamentis, dub.4. sect. 19. subsect.32. corollar. 5. in Appendice num. 1. pag. 127. & de Immunit. part. 2. cap.14. dub. 18. sect.1. num. 4.* ait probabilem esse sententiam asserentem validè, & licitè Laicum, & etiam fœminam esse ministros absolutionis à Censura, in articulo mortis. Et Ioan. de Soria Buitron, *in Epilogo Summarum, part.2. tr.1. sect.2. disp.1.* circa absolutionem à Censuris, *versic. In articulo mortis pag. mihi 351.* Dicit probabile esse Laicum posse in articulo mortis absoluere ab iis. Antoninus Diana, *part.3. tract.4. resolut. 133. in additionibus resol.12. & part. 5. tract.3. resol.77.* probabilem illam indicat quod viros, cum Auila, *de Censuris, part.2. cap.7. disp.1. dub. 2.* & Layman, *lib.7. tract.5. part.2. cap.6. num.2.* & illam tueri asserit Ioannem Valerum *in differentiis vtriusque fori, verbo Absolutio, differentia 13. n.2.* plures allegantem pro ea doctores. Quibus addit Diana Ioannem de Lacruz, *in Directorio, part.2. de excommunicatione, dub.4. Concl.1.* Petrum Ledesmam, *in Summa, tom.1. de excommunicat. c.8. dub.4.* Ioannem Sancium, *in selectis disputationibus, dispnt. 44. num.7.* Ragucium, *in Lucerna Parochorum de Absolutione, quæst. 124.* Alterum Ledesmam, *part.4. quæst. 26. articul.1.* Philipum de la Cruz, *in Thesaur. Eccles. tr.1. §.12. n.4.* (verbo, *eius num. 43. exscripsi*) *& in Norte de Confessores tract. 5. 1.* vbi hanc tradit rationem. La razon, aunque breue es, que el Clerigo de prima tonsura puede absoluer de la descomunion: y assi por la misma razon ha de poder qualquier Baptizado. Porque estando en derecho diuino ambos son capazes de tal Iudicion, como es cierto, que al de prima tonsura no se lede facultad para absoluer al descomulgado per ella, que no siendo Orden, nole prouiene de ella. Passi hemos de concederlo general en que pueden absoluer en tal casu de tales des communiones todos los fieles, siendo Baptizados, aunque sean hæreges. Addit & Marchinum (Diana) *in suis commentariis de bello diuino, seu de peste, part.3. cap.12. num. 3. & seq.* Denique D. Antoninus, *tom.2. Sum. tit.17. cap.4. excart. Sacramum, de Consecrat. distinct.4.*

Imò Thomas Sanchez, *dicto lib. 2. in Decalogum, cap.12. num. 13.* & Marchinus, *vbi proximè,* quos allegant, & sequuntur Caspensis, *dicto numer. 140.* & Diana, *dicta resolut.77.* ac Noctinots *verbo Absoluere à Censuris num. 75.* addunt non solùm licere Laicis in absentia, aot nolentia Clericorum, absoluere in articulo, seu periculo mortis, Censuris innodatos, sed ad id teneri, quia sententia nostra hoc asserens, probabilis est. Sed libuit Marchinum, pro vt Diana ad amussim recensere, de quo ita ait. Vbi, (*scilicet loco proximè reddito*) probat, non solùm licere sequi hanc sententiam, cum sit probabilis, sed etiam teneri omnes illam sequi. Quia cum ista absolutio lata à non Sacerdote, vel a Laico, non possit nocere, sed valdè prodesse morituro, vt in loco sacro sepeliri, atque communibus Ecclesiæ suffragiis gaudere possit, Charitas Christiana postulat, vt data probabilitate huius sententiæ, non illum in tanto periculo, & necessitate spirituali deseram absque vllo meo incommodo. Et reuera, si Ecclesia pro articulo mortis confert Iurisdictionem absoluendi à Censuris, & peccatis cuilibet capaci talis Iurisdictionis, hoc enim postulat Ecclesiæ benignitas, & fauor animarum: sed Laicus est capax Iurisdictionis absoluendi à Censuris, si Papa velit eam illi demandare, quòd à nemine negatur. Ergo conijciendum est illam eidem demandasse, atque hanc esse piam illius mentem, ne excommunicatus priuetur post mortem communibus Ecclesiæ precibus, suffragiis, atque Missæ sacrificio. Hactenus Marchinus apud Dianam. Consonat Vazquez, *tom.4. in 3. part. quæst.91. art.2. dub.1. num.38.* dicens. Vltimo hoe vellem admonere, meo iudicio, licitum non esse negare absolutionem in tali tempore, etiam ei, qui oppositam sententiam sequitur, & de eo, qui negaret, dicè posse, reum esse animarum. Quia cum opposita sententia speculatiuè non amplius habeat quàm probabilitatem, & meo iudicio minorem, potest qui illam sequitur absque peccato impendere absolutionem: si ergo potest, quare hoc præsidio priuare debet Ægrotum: sicut quamuis aliquis haberet oppositam opinionem contra pœnitentem, ne ipsum absolueret, & illi faueret opposita cum qua absolui possit in extrema necessitate, impium esset ei negare absolutionem propter propriam opinionem. Quod verò extra illam teneatur iam diximus 1.1. *disp.62. cap. 7.* Hactenus Vazquez. Vnde tam Laici, quàm fœminæ in casu Conclusionis, tenentur absoluere.

§. VII.

Refertur, & impugnatur Manrique.

BREVIARIVM.

Abbatissa.

Non habet Prælationem Ordinariam, sed quasi ex commissione, num.61.

Quædam specialia Abbatissæ conceduntur, n.65.

Ablatiuus Absolutus.

In plurimum conditionem importat; aliquando tamen modum connotat ad aliquid licitè faciendum ex lege æquitatis tantùm, n. 96.

Absolutio.

Ab excommunicatione absoluere possunt Laici, & Fœminæ.

Fœmina.

Quia in statu subiectionis est, dominari in virum, nec docere potest. Vnde incapax est potestatis Ecclesiasticæ Clauium, & Prelatiæ, ex facultate tamen Papa capax est alicuius vsus clauium, non Ordinis, sed Iurisdictionis, n.62. *& seq.*

Vbi de aliis facultatibus.

Forma.

Ommissio formæ, in quacumque minima parte, actum vitiat, n.95.

Forus.

Triplex est: Contentiosus, seu externus; Pœnitentialis, seu Sacramentalis, & quasi pœnitentialis, qui medius est inter vtrumque, & dicitur forus conscientiæ, & quoad Deum, n.98.99.100.

Forus conscientiæ, licet coram aliquibus exerceatur, non desinit esse forus interior, & conscientiæ: nam fit sine strepitu iudicij & sine præiudicio tertij, & Fisci, num.99.

Facultas concessa pro foro conscientiæ exequi potest per neu Sacerdotem, si aliud in concessione non exprimatur; concessa verò pro foro pænitentiæ, nequit nisi per Sacerdotem exequi, n.100.113.

Indulgentiæ.

Illas conferre possunt Laici, & fœmina ex Papa concessione. Vide V. Facultas.

Cruciata indulgentias potest Laicus moribundo applicare in Sacerdotis absentia, iuxta sententiam probabilem, num.105.108.

Ad indulgentias applicandas, non requiritur vt ille, cui applicanda sint id petat, sed sufficit interpretatiua voluntas illas consequendi, n.105.

Sufficienter applicantur, si applicans dicat: concedo, & applico tibi omnes, quas possum concedere, & applicare indulgentias virtute tuarum Bullarum, *num.*106.

Extra mortis articulum indulgentias applicans, debet esse Sacerdos ab Ordinario approbatus, iuxta Cruciatæ dispositionem, n.107.

*In mortis articulo, quilibet Sacerdos illas applicare potest, quia est pro illo, verus Confessarius,*n.108.

Indulgentias concedens, & illas applicans, ex se potest esse non Sacerdos, n.108.

Extra mortis articulum, aut periculum applicare nequeunt absenti, quia in Confessione applicari debent, num.109.

*In mortis articulo, possunt, in casu raro absenti applicari,*n.109.

Laïci.

*Quas facultates possint à Papa recipere. V.*Facultas.

Lex.

*Omnimodam habet obligandi vim ex sola Legislatoris voluntate, ita vt vox, aut scriptura tantùm ad voluntatis interueniat intimationem, & quod scribatur, per accidens est ad naturã legis,*n.86.89.

Moralia.

In re morali, & practica, communis, vel plurium Doctorum authoribus, magni est habenda, n.82.

Opinio.

Papa sciens adesse opinionem in rebus Fidei, *& morum, & non illam improbans, illam approbare censetur,* num.83.

Oracula.

Quæ vocis Oraculo conceduntur, perinde est, ac si per Bullam concederentur, num.87.

Panormitanus.

*Abbas Panormitanus, quo floruerit tempore,*n.83.

Papa.

*Sciens adesse opinionem in rebus Fidei, & morum, & illam non improbans, illã censetur, approbare,*n.83.

Diuersis modis, & literis, extra Concilia, & Ius commune, suam explicat voluntatem, & præcepta intimat. Per Breue, Bullam Oraculum, signaturam, &c. quæ omnia re ipsa, vnum sunt, n.87.

Peccatum.

Omne peccatum, voluntarium est, n.97.

Non remittitur inuito, n.97.

Peregrinus.

Absolutionem, & communionem annuam suscipere potest à Parocho in cuius Parochia pro tempore commoratur: saltem si licentiam habeat peregrinandi, & si in fraudem sui Parochi non peregrinetur, ea sola de causa, vt alieno cõfiteatur, n.84.

Pietas.

Deus æquitate iustus est, abundantior tamen creditur miseratione pius, n.77.78.

Ille verè filialem affectum, & pietatem exhibet, quã paternam æmulatur pietatem, n.77.

Pietas nobis à Deo quærenda per postulationem, & imitationem, n.78.

Priuilegium.

Lex priuata est Priuilegium, n.86.

Suum integrè sortitur effectum, quoad actum valorem, in foro conscientiæ saltem ex sola Principis voluntate, quomodocumque cognita, n.86.87.

Propositio.

Propositiones Hereticæ, Heresi proximæ Heresim sapientes, erroneæ, errori proximæ, & impiæ, quænam sint, vide verbo Doctrina.

Rescriptum.

Eandem vim habet Papa Rescriptum, ac alia quæuis dispositio, num.87.

Signatura.

*Simplex signatura idem operatur, ac Bulla,*n.87.

Theologus.

Censura, & diffinitio doctrinalis, & magistralis in rebus Fidei, ad Theologos spectat, non ad Canonistas, num.57.

Michaël Ferro Manrique nouissimè *in differentiis, & concordiis vtriusque fori quæst.* 5. 51 contra nostram insurgit sententiam, dicens opportunius foret, quòd Papa præciperet expurgari Glossam, & DD. asserentes, & concedentes illam absolutionem.... & in his expurgatoriis à S. Officij Tribunali emanatis, bonum esset; si talis doctrina vt falsa, & non recepta totaliter deleretur. Hæc *n.*10. *Et n.*6. de ea ait esse falsam: nam opinio quæ nec Canone, Lege aut Concilio probatur, imò nec ratione, à parte falsa est, & adhuc Hæresi, & errori proxima, & impia in absolutione à Censuris, & Hæretica in absolutione à peccatis. Ita illa. Et probare id intendit.

I. Quia ad concedendam hanc Iurisdictionem Laïco: aut Canon expressus, aut Lex Apostolica, aut Concilium expressum erat ostendendum.

II. Quia Laïcus in spiritualibus, etiam in mortis articulo nihil agere potest, nisi quod expressè concessum est illi in iure.

III. Quia ideò simplici Sacerdoti datur facultas absoluendi in mortis articulo, eo quod absolutio ab excommunicatione debet præcedere absolutionem à peccatis; sed Laïcus ab his absoluere nequit: ergo nec ab illo.

IV. Quia destructo consequenti destruitur antecedens, & prohibito consequenti, prohibetur omne antecedens per quod peruenitur ad illud. Cum ergo tanquam Hæreticum prohibitum sit Laïcis absoluere à peccatis, & ad hanc absolutionem perueniri non possit nisi præuia absolutione à Censuris, prohibitum illis erit absoluere à Censuris etiam in mortis articulo.

V. Quia

V. Quia ad potestatem absoluendi à Censura requiritur capacitas in absoluente, hoc est, quod non sit merè Laicus, & quod habeat Iurisdictionem ex Officio, aut ex commissione.

52 Sed Ferri Manriquez Censura, qua nostram sententiam, *in hac tertia Conclusione prolatam*, nota inurit falsitatis, & expurgationis, ac damnationis dignæ, tanquam errori proximam, & Hæresi, nimis rigida, & ferrea saltem apparet. Quod certè facilè erit demonstrare. Pro quo scire oportet, quænam sit *propositio Hæretica*, & quænam sit, & dicatur *erronea*. Si enim propositio, & doctrina in nostra Conclusione prolata, Hæresi, aut errori, & eorum doctrinæ proxima non fuerit, aut nec affinis quidem fuerit demonstrata, euidenter Censura ferri, Ferrea, nimis rigida, & vlteriori nota digna conuincetur.

53 Doctrina igitur, seu propositio *Hæretica* illa tantùm in rigore est, quæ directè, & immediatè, aut indirectè, & mediatè saltem contradicit alicui veritati à Deo reuelatæ, & quam propositionem de Fide appellamus vti docent Theologi, Iacobus Granadus, 2. 2. *controuers.* 1. *De Fide, tract.* 15. *disp.* 4. *num.* 2. Luisius de Torres, *Selectarum disputationum, part.* 1. *disput.* 30. *dub.* 1. *versic. Hæretica dici solet.* Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, tom.* 2. *lib.* 6. *quæst.* 12. *cap.* 18. *num.* 46. *&* *cap.* 21. *num.* 56. *&* 57. Arnaldus Albertinus, *tract. de Agnoscendis assertionibus, Catholicis, & Hæreticis, quæst.* 5. *numer.* 4. *fol.* 13. *quæst.* 6. *num.* 1. *fol.* 15. Antonius Sousa, *in Aphorismis Inquisitorum lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 7. *&* 8. in hæc prorumpens. Propositio directè, principaliter & immediatè Hæretica est illa, quæ contrariatur veritati fidei directè, principaliter & immediatè reuelatæ Videndus S. Thom. 1. *part. q.* 32. *art.* 4. *&* 22. *quæst.* 2. *artic.* 5. *&* *quæst.* 11. *artic.* 1. *&* 2. *&* 1. *ad Corinth. capit.* 11. *Lect.* 3. Suarez, *num.* 10. (*de fide* scilicet, *disp.* 19. *sect.* 2.) Propositio indirectè secundario, & mediatè Hæretica illa dicitur, quæ aduersatur veritati Fidei indirectè secundario, & mediatè reuelatæ, & quæ continetur in primo reuelato, tanquam pars illius. S.Thom. & Suarez *citatis locis.* Hucusque Sousa, cui, & recensitis aliis Doctoribus, passim reliqui consonant.

54 *Erronea* autem propositio, & doctrina, in rigore Theologico illa est, quæ contrariatur conclusioni euidenter deductæ ex principiis Fidei, seu à Deo reuelatis. Ita Gordonus, *dicto cap.* 21. *num.* 58. Turrianus, *dicto dub.* 1. *versic. Item Canus*, ex communi sententia Granadus, *vbi proximè, num.* 5. Antonius Sousa, *numer.* 9. dicens. Secundus gradus est propositionis erroneæ, nimirum; quæ opponitur veritati certæ Theologica certitudine, non attingente veritatem Fidei, & habetur per consequentiam claram ex veritate reuelata, in qua continetur tanquam aliquid distinctum. Canus, *lib.* 12. *de Locis, cap.* 10. Bannez, 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Suarez, *citato loco, n.* 14.

55 Doctrina, *Hæresi proxima*, potest dici illa, quæ aduersatur veritati Catholicæ, & vniuersali, quam vniuersa Ecclesia tenet, & certitudinem Fidei non attingit. Ita Sousa, *num.* 9. cum Cano, *cap.* 10. Bannez, *art.* 2. *&* *Hæresim sapiens* propositio est illa, ex qua aliis principiis assumptis, sequitur Hæresis, quando illa principia non sunt omninò certa, sunt tamen in Ecclesia fere certa, aut quando illatio non est euidens. Vel propositio *sapiens Hæresim* est illa, quæ in sensu proprio Hæretica est, in methaphorico verò ab errore liberatur. Vel est illa, quæ ex quibusdam circunstantiis, ex parte asserentis; aut ex temporum calamitate saporem quendam habet Hæresis, vel suspitionis iudicio prudentum. Canus, *dicto cap.* 10. Albertinus, *dicta quæst.* 6. *num.* 1. Suarez, *num.* 17. Bannez, *citato loco.* Hæc Sousa, *numer.* 10. Accinit Granadus, *num.* 9. Turrianus, *versiculo Alia dicitur propositio.* Gordonus, *quæst.* 21. *num.* 59.

Doctrina *errori proxima*, est illa, quæ contrariatur Conclusioni probabilissimè ex Fidei principiis deductæ. Docent Turrianus, *versic. Item*, Canus, Gordonus, *num.* 58. versic. *Quamuis.* 56

Doctrina, & propositio *impia* est, quæ opponitur pietati, quatenus filiali pietas affectu colit Patrem Deum, & consequenter Sanctos, & sacram Scripturam. Ita Sousa, *in Aphorismis Inquisitorum, lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 22. illa etiam est, quæ opponitur pietati, secundùm quod impedit, & tollit pietatem erga proximos, & obedientiam Deo debitam in obseruatione præceptorum. Sousa, *eodem loco*, Albertinus, *quæst.* 6. *citato, n.* 12. *fol. mihi* 17.

Ex quibus communissimis principiis apud probos, Scholasticos, & Morales Theologos Doctores receptis (ad hos enim, & non ad Canonistas pertinet diffinitio magistralis, seu doctrinalis, & Censura assertionum in rebus Fidei, vt probat Albertinus, *de agnoscendis assertionibus Catholicis, & Hæreticis, quæst.* 10. *num.* 6. *& seqq.* secutus Occham, & Ioannem Gerson, illum quidem *In Dialogo, lib.* 1. *per totum*; istum verò, *In* 2. *part. in oratione quadam recommendatitia*: sic demonstro propositionem, & doctrinam dictæ Conclusionis tertiæ asserentis, posse Laicum validè, & licitè, ex Summi Pontificis pià voluntate, rationabiliter præsumpta moribundum à Censuris Absoluere, absente, aut nolente Clerico absolutionem impendere, non esse Hæresi, & errori proximam, vti vult Michaël Ferri Manriquez, nec sapere quidem errorem, & Hæresim; nec tandem impiam esse. Quod omne, seorsim libuit, claritatis gratia, ostendere. 57

Illa propositio Hæresi est proxima, quæ opponitur veritati Catholicæ, & vniuersali, quam vniuersalis tenet Ecclesia, & Fidei non attingit certitudinem: sed nostra Conclusio non opponitur veritati Catholicæ, & vniuersali, quam tenet Ecclesia vniuersalis: ergo non est Hæresi proxima. Maior vt principium habetur. Consequentia, ex præmissis legitimè infertur. Minor autem probatur, *primò*, efficaciter, euidenter. Conclusionem nostrã tenẽt Doctores omnes, quos allegaui. *n.* 49. & plures alij, pij quidem, & de Ecclesia Catholica, & vniuersali bene meriti, inter quos Sanctum retuli Antoninum: ergo Conclusio nostra, & tot, tantorúmque Doctorum, non opponitur veritati Catholicæ, quam tenet vniuersalis Ecclesia. 58

Probatur *secundò*, minor propositio. Communissima sententia est inter Catholicos doctos, & pios, Summum Pontificem posse Laicis concedere facultatem ad excommunicationis sententiam ferendam, imò & fœminis illam posse concedere, quàm plurimi docent Doctores: & consequenter potest eisdem ad absoluendum ab excommunicatione, priuilegium concedere. Quia quanta desideratur potestas ab absoluendum, tanta requiritur ad excommunicandum. Istæ enim facultates pari passu ambulant, *vt in capite, Verbum de Pœnit. dist.* 1. verba sunt Borgasij, *de irregularitate, p.* 6. *Rubrica de delegatione absolutionis, num.* 6. 59

num. 6. pag. mihi 403. & quòd possit concedere facultatem ad absoluendum ab excommunicatione, expressè docet Barbosa, *locis mox citandis*, Syluester, *verbo Absolutio*, *num.* 8. ex Panormitano *in C. A, nobis el 2. de sent. excomm.* & Glossa ibi, *& in cap. Pastoralis*, *de Officio* Ordinarij.

60 Quod possit Laicis viris facultatem ad excommunicandum concedere Pontifex, docent disertis verbis, Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disput. 14. quæsito 15. prope finem. versic. Item potest Regi* qui est penultimus ante titulum *Quoad Religiosos, quæ in Iure, Summo Pontifici reseruata reperiuntur. Et tom. 4. de Iure Abbatissarum disput. 32. quæsito. 4. num. 2.* vbi ita fatur Imò ex S. Gregorio, *lib. 2. Epistolarum*, 45. habetur, Laico delegari posse facultatem suspendendi, excommunicandi, &c. Et hæc dicta sint propter amplitudinem potestatis Summi Pontificis: quod & videntur affirmare, Paludanus, *loco citato*. Nauarrus, *lib. 5. Consiliorum tit. de sententia excommunicationis Consil.* 73. Vgolinus, quem refert, & sequitur Suarez, *loco citato, disp. 2. sect. 3. num. 7.* Salas, *de legibus, quæst. 95. disp. 8. tract. 19. num.* 94. vbi ex professo tractat. Hactenus Tamburinus. Item Nauarrus *eodem titulo, Consil. 1.* Antonius Naldus, *in Summa. verbo excommunicatio num. 4.* Petrus Ledesma, *in Summa, part. 1 de la des communion, cap. 8. duda 4. Concl. 2.* cum Angelo, *verbo Absolutio 1. §. 17.* Gregorius Sayrus, *in Thesauro, seu tomo de Censuris, lib. 1. capit. 5. numer. 15. & sequentibus*, cum pluribus quos recenset. Paulus Layman, *tract. 5. part. 1. cap. 3. numer. 4.* cum Paludano, *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1.* Soto, *etiam in 4. disti. 20. quæst. 1. art. 4. circa 4. argumentum.* Petrus Comeso, *to. 2. in 3. partem D. Thom. tract. 5. de Censuris, disp. 2. dub. 3. num. 4.* pro nostra sententia Henriquez recenset, & alios. Ioannes Sancius, *in selectis disput. 44. num. 7.* cum Sanchez, *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 13. num. 13.* Francisco Suarez, *tom. 5 in 3. part. D. Thom. de Censuris disp. 7. sect. 7. num. 4.* plures referente Ledesma, *2. part. 4. q. 26. art. 1. versic. Sed hæsitabis.* Ragucio, *in Lucerna Parochorum, de absolutione, quæst. 124. fol. 337.* & Valero *in differentiis vtriusque fori, verbo Absolutio, num. 16. different. 13.* Ægius Trullench. *tom. 1. lib. 1. in Decalogum, cap. 3. dub. 7. num. 9.* Vega, *in Summa, cap. de Absolutione, cas. 33.* cum Armilla, *verbo Absolutio num. 39.* Felino, & Ledesma, *difficult. 14.* Glossa, *in Canone, Præter verbo Ducibus, 32. distinct.* & ibi Barbosa, *num. 4.* Glossa, *in can. Bene quidem, verbo Laico.* & ibi Barbosa, *num. 4. distinct. 96.* cum Ioanne Andrea, & Gemin. *in cap. 2. de Præbendis, lib. 6.* Abbate, *in cap. Ecclesia sancta Maria num. 5. de Constitutionibus, & in cap. Sacrosancta numer. 3. de election.* Claro, *§. fin. quæst. 41. num. 8.* Perez, *ad librum octauum Ordination. pag.* 98. & Belleto, *disquisitionib. Clericor. part. 1. tit. de Fauore Clericorum personali §. 1. num. 34. in principio.* Idem Barbosa, *in can. Menam, num. 1. causa 2. quæst. 5.* cum Archidiano, & Turrecremata, *in dictos Canones, Præter, & Bene quidem.* Rolando, *Consil. 23. num. 2. vol. 2.* Decian. *tract. crimin. lib. 4. c. 9. num. 42.* Couarruuia, *Practica cap. 31. numer. 4.* Garcia, *de Nobilitate, Glossa 9. à num. 32.* Bassæus, *tom. 1. verbo Excommunicatio II. numer. 1.* Leonardus Lessius, *opusculo de excommunicatione cap. 3. dub. 2. in fine.* Antonius de Escorbar, *in Theologia morali, tract. 4. de Censuris, examine 1. cap. 2. num. 9. & volum. 9. Theol. moral.* quod est, *de Censuris, lib. 50. sect. 1. cap. 2. num. 7.* quod nondum lucem vidit quando hoc scribo in Lugdunum tamen est transmissum, vt ibi primò edatur. Et addit *cap. 5. num.* 51. posse Laicum ab excommunicatione ex priuilegio absoluere. Barbosa, *in cap. Decernimus, num. 6. el 2. de Iudicis.* cum Belleto, *vbi proximè*, & Gemin. *in cap. licet, el. 2. de Præbendis lib. 6.* & Ioanne Andrea ibid. Iacobus de Graffis, *part. 1. decisionum aurear. lib. 4. cap. 5. num. 1.* ex Canone. *Menam, 2. caus. quæst. 5. cap. Decernimus de Iudiciis* ex Gloss. *in can. Lector. distinct.* 33. in Can. *Benè quidem distinct.* 96. & in Canone, *Peruenit distinct.* 95. in Can. *Adrianus distinct.* 63. ex Abbate, & Henrico, *in dictum cap. Decernimus, de Iudiciis.* Innocentio, *in cap. Quanto, de consuetudine*, & ex Gloss. *in cap. Ad nostram de Hæreticis.* Quibus in locis habetur (verba sunt Iacobi præfati) quod potest Papa, per suum priuilegium Laico concedere Iura spiritualia, scilicet, vt possit excommunicare, beneficia conferre, &c. Cuius rationem tetigit idem Author, *cap. 4. num. 9.* dicens. Et ratio est, quia potestas excommunicandi pertinet non ad forum interius pœnitentiæ, vbi agitur de peccatis etiam occultissimis, sed ad Iurisdictionem fori exterioris. Et addit *in editione Veneta de anno* 1596. Ex quo fit, vt quemadmodum ad conferendas Indulgentias non requiritur Character Ordinis, ita nec ad excommunicandum. Hæc meus Graffis. Syluester, *verbo Excommunicatio I. num. 6. in medio*, ibi. Nec Laicus, nisi ex Delegatione Summi Pontificis, qui tunc potest, *dicto §. Verum.*

Quòd etiam possit Pontifex Summus facultatem ad excommunicandum fœminis concedere 61
docent Antonius Escobar, & Mendoza, *in Theologia morali, tract. 4. cap. 2. num. 9. examinis 1. de Censuris in communi:* quia Censura (inquit) Ordinis potestati, nullo necessariò vinculo copulatur. Idem Doctor, *loco suprà allegato, cap. 5. num.* 51. posse & ab excommunicatione absoluere fœminam ex priuilegio addit. Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom. 2. part. 2. tract. 10. cap. 10. numer.* 126. Nauarrus, *tom. 2. Consilior. lib. 5. tit. de Sent. excommunicat. Consil. 1.* Naldus, *verbo Excommunicatio num.* 4. Lessius, *opusc. de excommu. cap. 3. dub. 2. num. 14. versic. Laicus, & mulier.* Bassæus, *tom. 1. verbo Excommunicatio II. num. 1.* ibi. Hinc deducitur fœminam non posse excommunicare.... nisi ex dispensatione Summi Pontificis. Tamburinus, *tom. 4. de Iure Abbatissarum disput. 32. quæst.* 4. in hæc prorumpens. Tum quia nullo Iure diuino prohibitum videtur, vt Summus Pontifex pro sua suprema potestate possit mulier delegare potestatem ferendi leges, sicut non videtur prohibitum posse committi potestatem excommunicandi habenti Iurisdictionem Ecclesiasticam, licet non habeat claues ex Gloss. *in cap. Prætor, distinct.* 32. & Villalobos. *part. 1. Summa, tract. 16. difficult... n. 11.* Hæc Abbas præfatus. Thomas Delbene, *de parlamentis, dubit. 4. subsect. 32. in Appendice ad Corollarium. 5. num. 2. & de Immunit. Eccles. part. 2. capit. 14. dubit. 18. sect. 1. numer.* 4. fatetur Ecclesiam committere posse fœminæ potestatem ad absoluendum à Censura excommunicationis.

Et Bonacina *tom. 1. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num.* 4. 62
probabilem nostram sententiam pronunciat: & reddit rationem. Quia non est contra ius divinum

vel

vel naturale, Summum Pontificem posse huiusmodi facultatem concedere: ergo non est improbabile fœminam posse de potestate Summi Pontificis absoluta ferre censuras. Antecedens probare possumus, quia licet fœmina, eo quod in statu subiectionis sit, iuxta Apostolum 1. *ad Timoth. cap. 2. versic.* 11. dicentem: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Et *versic.* 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; sed esse in silentio. Et ideò potestatis Ecclesiasticæ clavium dignitati Prælatitiæ annexæ, ex qua posteà ordinaria emanat Iurisdictio vti benè Tamburinus, *vbi proximè quæsit.* 1. *num.* 1. & passim alij, incapax sit; ex commissione tamen Pontificis Summi, capax est alicuius vsus clavium; non Ordinis quidem, quia de iure divino incapax est fæmineus sexus eorum, quæ Ordinis sunt; sed Iurisdictionis. D. Thom. *in* 4. *distinct.* 19. *qu.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. *ad* 4. dicens: Mulier nec Ordinis, nec Iurisdictionis clavem habet; committitur autem ei aliquis clavium vsus. Et *distinct.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. ait: Abbatissæ non habent Prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione propter periculum cohabitationis virorum.

Consonat Borgasius *de Irregularitate in Rubrica de dispensatione Archidiaconum, num.* 4. *de qua in* 3. *part. pag.* 85. vbi ita fatur. Ad illud obiectum, quod non habet claves, concedo; sed dico, quod excommunicare, & absolvere, non est principalis vsus clavium; sed solvere, & ligare in foro Pœnitentiali: quod tantùm Sacerdotibus convenit; secundarium autem vsum, qui est excommunicare, vel absolvere, possunt habere etiam qui non sunt Sacerdotes, dummodò habeant Iurisdictionem. Ita ille Argum. plurium Iurium.

63 Referunt, & sequuntur Angelicum Doctorem Sylvester *verbo Abbatissa, n.* 1. & 3. Panormitan. *in cap. Dilecta, n.* 2. & 5. *et* 12. *de maioritate, & obedientia*, vbi prolixè Barbosa, *n.* 2. & 3. & plures de more cumulat gravissimos Doctores: ipse Barbosa *in can. Præter hoc, n.* 4. & 5. & 6. *dist.* 32. in simili de Laico, eandem sequitur D. Thom. doctrinam, in sequentia prorumpens.

64 Notatur ad hoc, quod Papa potest mero Laico delegare causas spirituales, ac certis casibus ei concedere iura spiritualia, hoc est, vt possit excommunicare, beneficia conferre, ab excommunicationis vinculo absolvere, & similia, vt per Bero *in quæst. familiar. quæst.* 7. Petrum Lausin. *in tract. de Privil. Doctor. part.* 2. §. 18. Covarr. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 11. *num.* 3. Navarr. *in Manuali, cap.* 27. *num.* 6. *& consil.* 1. *de Senten. Excommun. in nobis, & in princ. de Pœnit. dist.* 7. *num.* 83. Henriquez *in Summ. lib.* 13. *de Excomm. cap.* 24. *in princ. lit. B*, Carol de Graff. *de effect. Cleric. effect.* 1. *n.* 30. vbi cum Anastasio Getmon, *de Sacrorum Immun. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 12. id limitat, quando delegatio esset generalis de omnibus causis spiritualibus. Quod etiam limitatur, vt non possit Papa merè Laico delegare causas Ordinibus annexas, veluti, quod Missam dicat, vti à peccatis absolvat, vel Ordines conferat, de quo Glossa *verbo Concedimus, in cap. Pervenit,* 95. *dist.* Covarr. *lib.* 1. *variarum, cap.* 10. *num.* 4. Metl. *in Empor. Iuris, part.* 1. *tit.* 5. *de Iurisdict. qu.* 22. *n.* 9. Hucusque Barbosa. Cuius vltima limitatio nota est, quia de Iure divino annexæ sunt Sacerdotio, & nulla humana potentia dispensare illud valet.

Eandem etiam limitationem addendam esse potestati Papæ, quoad potestatem, & delegationem fæminis fiendam, eodem Iure, & potiori quidem in dubium est. Quia (vti Innocentius Papa III. ait *in cap. Nova quædam, et* 10. *de Pœniten. & Remission.*) licet Beatissima Virgo Maria, dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniversis, non tamen illi, sed istis Dominus Claves regni Cœlorum commisit. Quantò minùs easdem Claves poterit Domini Vicarius reliquis fæminis, Apostolis in sexu, dignitate, & excellentia inferioribus committere? Pax Iordanus *tom.* 1. *de re Sacra, lib.* 5. *tit.* 4. *n.* 22. & 37. spiritualia quædam Abbatissæ concedit, sed non quæ Ordinis sunt. Paulus Layman *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 3. *n.* 4. Bartholomæus à S. Fausto *in Thesaur. Religiosorum, lib.* 6. *quæst.* 89. & 90. 65

66 Et in hoc sensu intelligi debet Borgasius *de Irregul. par.* 6. *de Excomm. tit. de eo, qui possit excommunicare, regul.* 7. *pag.* 350. vbi ita fatur. Septima regula est, quod Laicus non possit excommunicare. Verificatur *in cap. Benè quidem, versic. Maximus Episcopus*, 26. *dist.* & paucis interiectis. Et in hac nullam invenio fallentiam in corpore Iuris; licet benè reperiam, quod Papa potest Laico committere excommunicationem, vt dicit Glossa *in cap. Præter hoc, in* §. *Verùm, in verbo Ducibus*, 32. *dist.* Et idem dixit Ioannes Andreas *in cap.* 2. *de Præbend. in* 6. *in sua Glossa, in verbo Laico:* & Glossa *in cap. Benè quidem, suprà alleg.* 16. *dist.* & Glossa *in cap. Pervenit, Septima, qu.* 1. & 35. *qu.* 5. *ad Sedem.* Et similiter cognitionem cuiuscumque causæ spiritualis, vt not. *in cap. Decernimus, de Iudic. & in cap. Cum contingat, de arbit.* & Gloss. *in cap.* 1. 93. *dist. & in cap. Mennam,* 2. *q.* 4. vbi ex commissione Papæ Laicus recipit purgationem Episcopi, sive ab Episcopo. Et idem dicit Glossa *in dicto cap. Præter,* §. *Verùm,* 32. *distinct.*... Videtur tamen textus apertus probans, quod Laici possint excommunicare, & anathematizare *in cap. Si quis pecunia*, 79. *distinct.* & ibi Glossa *in verbo Laicus* in prima sui parte, quam Abbas Siculus... dicit esse mirabilem, probans, quod Laici possunt anathematizare. Hæc, & alia satis ad rem nostram, tradit *loco reddito*, Borgasius, quæ brevitati consulens, lubens recensere omitto.

Ad secundam probationem minoris propositionis redeamus. Communissima sententia est inter Catholicos, & pios Doctores, plures admodum numero, posse Summum Pontificem merè Laicis, & fœminis quidem, independenter ab articulo mortis, facultatem concedere ad excommunicandum, & ad absolvendum ab excommunicatione: ergo conclusio nostra, quæ cum pluribus probatæ vitæ Doctoribus Catholicis asserit, posse Laicum, ex pia Summi Pontificis voluntate, rationabiliter præsumpta absolvere à Censuris constitutum in mortis articulo, absente, aut nolente Clerico absolvere, non opponitur veritati Catholicæ, & vniversali, quam tenet vniversalis Ecclesia. Antecedens ex dictis *num.* 60. & *seqq.* manet latè probatum, prolixè demonstratum. Consequentia verò necessariò ex illo infertur. Quia implicat dari, non solùm plures Doctores Catholicos, & pios, nec vnum quidem, oppositum veritati Catholicæ, quam teneat vniversalis Ecclesia sententiam; eo enim, quo aliquis Catholicus dissentiat, veritas Catholica, & vniversalis non est; etsi hæc vniversalis est, & 67

R 3 Catho-

Catholica, qui dissentit, Catholicus neutiquam erit: ergo si plures Catholici eximia virtute, & doctrina prædiri, nobiscum docent, posse Papam de plenitudine potestatis Apostolicæ, Laicis potestatem concedere ad absolvendum ab excommunicatione, & præsumi illam de facto concedere pro articulo, aut periculo mortis in Clerici absentia, vel nolentia, illorum, & nostra doctrina, veritati Catholicæ, & vniversali, quam tenet vniversalis Ecclesia non opponitur. Et per consequens, hæresi proxima non est, vt sine fundamento asserit Ferro Manrique.

68 Quod nec errori proxima illa sit, sic contra eundem Doctorem palam ostendo. Illa est doctrina errori proxima, quæ contrariatur Conclusioni, ex fidei principiis, probabilissimè deductæ. Sed doctrina tertiæ nostræ Conclusionis, non est huiusmodi: ergo errori proxima non est. Maior cum consequentia patet. Illa enim principium est in hac, quæ discutitur, materia: hæc autem legitimè ex vtraque infertur præmissa. Minor etiam inconcussè manet, quandiu adversarius, Conclusionem ex fidei principiis probabilissimè deductam, & nostræ contrariam, non ostendit: quam vtique ostendere nequibit vllibi.

69 Sed dicet Michaël Ferro Manrique. De fide est, nullum præter Sacerdotem posse à peccatis absolvere, ita sacro Concilio Tridentino definiente, *sess. 14. cap. 6. & can. 10.* vbi de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, & de absolutione in eodem foro, declarat Sancta Synodus, falsas esse, & à veritate Evangelij penitùs alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, Sacerdotes, Clavium ministerium perniciosè extendunt: putantes verba illa Domini: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata, & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in cœlo. Et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscuè, contra institutionem huius Sacramenti, ita fuisse dicta, vt quivis potestatem habeat remittendi peccata.* Hæc in dicto capite, & ferè eadem in canone. Ex quo fidei principio, probabilissimè deducitur nequire Laicum, & multò minus fœminam, à censura excommunicationis absolvere, etiam in periculo, aut articulo quidem mortis. Quia destructo consequenti, destruitur antecedens, & prohibito consequenti, omne antecedens per quod ad illud pervenitur, prohibetur; sed absolutio ab excommunicatione est antecedens, per quod ad absolutionem à peccatis pervenitur, ita vt ab ijs absolvi quis nequeat, etiam in mortis articulo, nisi prævia absolutione ab excommunicatione, & ob hanc causam Tridentinum *sess. 14. citata cap. 7.* ne aliquis pereat, omnem aufert reservationem, & omnibus, & solis Sacerdotibus facultatem concedit ad absolvendum à quibusvis peccatis, & Censuris: ergo destructa, quoad Laicos, & fœminas, facultate absolvendi à peccatis, quæ est consequens, destructa manet, quoad eosdem, facultas absolvendi à Censuris, quæ est antecedens, per quod ad illam pervenitur.

70 At si hæc obiectio vllam vim haberet, æquè probaret, convinceret, nec Clericum quidem, etiam Ordine Sacro Diaconatus initiatum valere vnquam ab excommunicationis absolvere vinculo, authoritate delegata, aut propria, & Ordinaria, contra omnium Theologorum, & vtriusque Iurisperitorum inconcussam sententiam, & totius Ecclesiæ praxim: cùm, quia ad absolutionem à peccatis, ita incapax est Diaconus, ex prædicto Fidei principio, sicut Laicus, & fœmina: tum, quia sicut absolutio ab excommunicatione per Diaconum facta, non est antecedens ad absolutionem à peccatis, ita nec absolutio Laici, aut fœminæ, ab excommunicatione, ad idem consequens, antecedens erit.

Addo, absolutionem ab excommunicatione, plures sortiri effectos, vnum ab alio independentem, seu necessariam cum illo connexionem non habentem. Sicut enim excommunicationis effectus sunt: Privatio communium Ecclesiæ suffragiorum; Privatio participationis passivæ Sacramentorum; Privatio participationis activæ Sacramentorum; Privatio divinorum Officiorum, & Sacrarum rerum; inhabilitas ad beneficia, eorúmque fructus; Privatio Iurisdictionis Ecclesiasticæ; Privatio civilis communicationis, videlicet in contractibus, testamentis, & quotidiano conuictu; & Priuatio communicationis in actionibus Iuris ciuilis: De quibus omnibus Æligius Bassæus *tom. 1. verbo Excommunicatio III.* cum pluribus, & alij passim Doctores, & isti necessariam inter se connexionem non habent, ita tot, & tam independentes sunt effectus absolutionis ab eadem excommunicatione. Vnde separari benè queunt, Praxi Summorum Pontificum id quotidie in diplomatibus suis in illa clausula demonstrante: *eos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, &c.* sic in nostro casu, absolvunt Laici, & fœminæ in articulo existentes mortis, non ad effectum absolutionis peccatorum; sed ad effectus sepulturæ Ecclesiasticæ, & participationis Suffragiorum Ecclesiæ. 71

Quod tandem nostræ conclusionis doctrina, Hæresim non sapiat, probo. Illa doctrina Hæresim sapit, ex qua, & ex aliis principiis non omninò certis, sed ab Ecclesia proferè certis habitis, Hæresis sequitur, aut quando illatio evidens non est. Vel quando in sensu proprio Hæretica est; in metaphorico verò ab errore liberatur. Vel tandem Hæresim sapit doctrina, quæ ex circunstantiis, ex parte docentis, aut ex calamitate temporum, iudicio prudentum, quendam Hæresis, vel suspicionis saltem saporem habet; sed doctrina in conclusione nostra tradita non est huiusmodi: ergo non est Hæresim sapiens. Maior, principium est, & fundamentum supra iactum. Consequentia legitimè infertur ex præmissis. Minor autem inductione probatur. 72

I. Nullum principium est in Ecclesia ferè certum, ex quo, & ex doctrina conclusionis nostræ Hæresis sequatur: ergo dicta doctrina Hæresim non sapit, secundùm primum modum explicandi doctrinam sapientem Hæresim. Consequentia legitima est. Antecedens autem probatur. Si vllum esset huiusmodi principium, illud esset, quod ex Ferro Manrique *num. 68.* reddidi, & nostræ obicei Conclusioni. Non illud, vti in solutione ostendi: ergo nullum. 73

II. Nostræ tertiæ conclusionis doctrina in sensu proprio Hæretica non est: ergo non est Hæresim sapiens, iuxta secundùm modum explicandà 74

di doctrinam sapientem Hæresim. Consequentia benè infertur. Antecedens probo. Doctrina Hæretica illa tantùm est in rigore, quæ contradicit alicui veritati à Deo revelatæ, id est, quæ in propria verborum forma, & expressè habetur in sacra Scriptura, veteris, aut novi testamenti; in traditione Ecclesiæ; in declaratione Concilij Generalis; in declaratione Summi Pontificis, in iis, quæ ad fidem spectant; & tandem, quæ alicui speciali personæ ita proponitur credenda, vt non dubitet esse à Deo revelatam: de quibus Granadus *tom.3. in 2.2. D. Thom. controv. 1. de Fide, tract. 15. disput. 4. num. 3.* Lambertinus *tract. de agnoscendis assertionibus Catholicis, & Hæreticis, quæst. 6. num. 1.* iuncta *quæst. 5. num. 2. versic. Primus gradus, num. 5. versic. Tertius gradus, num. 6. versic. Quartus gradus, n. 9. versic. Vnde quarta, nu. 11. versic. Quintus gradus:* & passim Doctores alij. Sed doctrina nostræ conclusionis non contradicit veritati expressè, & in propria verborum forma contentæ in sacra Scriptura, in traditione Ecclesiæ; in Declaratione Concilij Generalis, aut Pontificis Summi, aut in revelatione privatæ personæ facta, de qua constat fuisse à Deo revelatam: ergo dicta doctrina non est in proprio sensu Hæretica.

75 III. Probatur minor, iuxta tertium modum explicandi doctrinam sapientem Hæresim. Circumstantia personarum, nostram docentium Conclusionem, quorum non paucos allegavi, *num. 49. & 50.* ob Dei misericordiam, prudentium iudicio, occasionem quam minimæ suspicionis circa Hæresim, minimè præbet: sunt enim omnes Religiosissimi, Fidem Catholicam summa semper observantia coluerunt, & colunt; aliqui, è vivis, cum sanctitatis opinione, & fama non vulgari decesserunt, & denique non deest, qui ab Ecclesia, quæ in hac materia errori non subest, inter Cœlestes Cives adnumeretur. Calamitas nec temporum Sapientes, vel Prudentes hactenus, ob eandem divinam allexit misericordiam, ad sentiendum saporem, fumumve suspicionis Hæresis, in assentienti Conclusioni nostræ: ergo nullo ex capite, doctrina in tertia nostra Conclusione tradita Hæresim sapit, aut fumum quidem illius habere dignoscitur.

76 Quod nostra, & opinio, quam in præfata Conclusione tertia sequimur, impia non sit, facilè est demonstrare. Quia illa doctrina impia est, quæ opponitur pietati, quatenus pietas filiali affectu colit Patrem Deum, & Sanctos, ac sacram Scripturam: & quæ opponitur pietati, secundùm quod impedit pietatem erga proximos, & obedientiam Deo debitam in observatione præceptorum; sed doctrina, quam sequitur nollo ex recensitis modis opponitur pietati: ergo impia non est, Maior, principium est; consequentia legitimè infertur. Minor verò probatur inductione.

77 In primis doctrina præfata filiali affectui, quo pietas Deum tanquam Patrem colit, & consequenter Sanctos, veluti ei amicissimos, & simul cum eo regnantes, nihil omninò detrahit; imò potius obsequium gratissimum præstat: Quia ille verè filialem affectum exhibet, & pietatem, qui paternam æmulatur pietatem, imitatur illius miserationem, de quo noster Gregorius Magnus *in lib. 1. Regum, lib. 2. cap. 4.* in illa verba: *& ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat:* sic fatur. Omnipotens enim Deus, etsi æquitate iustus est, abũdantior tamen creditur miseratione pius. Vnde & per Prophetam dicitur: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Hinc est id, quod per Ionam Prophetam Ninivitis minas subversionis protulit, & tamen pœnam evertendæ civitatis pœnitentibus indulsit.

78 Hæc & alia Gregorius *colum. mihi 230.* Noster etiam Bernardus, Mellifluus Doctor *to. 3. serm. 16. in cant. num. 4. pag. 22.* ita de eodem Deo Patre nostro loquitur. Pater sanè non metuitur, cum Pater sit. Patris enim est misereri semper, & parcere: *& tom. 2. serm. 16. de diversis, num. 4. pag. 205.* ait: Ab illo autem rerum omnium Domino pietas quærenda est. Et quidem non solùm per postulationem, sed per imitationem etiam. Illa enim Apostoli verba *1. Corinth. 12. versic. 31.* Æmulamini autem charismata meliora: sic exponit Emanuël Sà, id est, studiosè sectamini, seu expetite. Si igitur pietas Patris nostri Dei in miserendo semper abundantiùs elucescit, & nos filij eius illam æmulari debemus, quando absolvi ab excommunicatione moribundum per Laïcum, aut fœminam, in absentia Clerici, vel nolentia licere docemus filiali affectui, quo ex pietate Deum tanquam Patrem debemus colere, nihil omninò detrahimus, imò verius servitium debitum persolvimus, gratissimum Deo præstamus obsequium, cum illum, & eius pietatem imitemur. In extrema namque necessitate sunt, & miseria, qui excommunicati decedunt, cum pia mater Ecclesia pro eis fundere nequeat preces; nec Sacrificia offerre. Vnde etsi in Dei gratia obierint, cum debito tamen subeundi purgatorij pœnas, moras in illis trahent plures, quàm si ante mortem, ab excommunicatione fuissent absoluti.

79 Nec detrahimus quidquam affectui, quo sacram colere Scripturam debemus, cum in ea nihil prorsùs reperiatur, cui nostræ Conclusionis opponatur doctrina: ergo nec ex hac parte dici queit impia, sæpè reperita doctrina.

80 Ex alio capite *secundùm quod opinio pietatem erga proximum impedit*, quam sequimur, tantùm abest vt impia dici debeat, vt potius piissima appellari & publicè nominari mereatur. Non enim pietatem, & misericordiam erga proximum nostra impedit opinio, impendit imò, & expendit, miseriam maximam patienti: illam efflagitanti, in Censuræ absolutione.

81 Nec tandem dici potest impia doctrina, quam sequimur, ex eo quod obedientiam Deo debitam in observatione præceptorum impediat. Nullius enim adimpletioni opponitur: ergo observationem præceptorum non impedit; ac per consequens ex hoc capite, impia illa minimè erit.

82 Ex iam dictis fit manifestum, doctrinam nostram non esse falsam, vti vult Michaël Ferro Manrique, sed veram, & receptam, & omnium dignissimam plausu. Quia non contrariatur vlli veritati Catholicæ, & vniversali, quam teneat vniversalis Ecclesia, neque opponitur Conclusioni, ex fidei principijs probabilissimè deductæ: neque vllo pacto Hæresim sapit, aut impietatem, sed pietatem maximam præ se fert: & tuetur denique à quàmpluribus Doctoribus Classicis, doctissimis, piis, sanctis: ergo non est falsa, sed vera, & recepta, & omnium plausu dignissima. Tantorum enim virorum authoritas, in re morali, magni est habenda, vti Antonius Escobar de Mendoza ait, *tom. 8. Theologia moralis, de virtutibus Theologicis, lib. 47. sect. 2. problem. 104. num. 447.* Conink *de Sacram. disp. 8. n. 107. circa fin.* Maximè in practicis

ἀicis Sà *verbo Dereo sub*, *n.*12. Roderiquez *to.*1. *qq. Regular. q.*47.*art.*11.

Restat nunc ad ea, quæ in contrarium ex Michaele Ferro Manrique *num.* 51. retuli, respondere. Ad primum dico, opinionem, quam sequimur, non indigere ad concedendum Laico, & fœminæ facultatem ad absolvendum ab excommunicatione in articulo mortis constitutum, absente Clerico, aut nolente illum absolvere, Lege, Canone, aut Cócilio expresso, cum nulli innitatur istorum ad huiusmodi concessionem, sed voluntati potiùs rationabiliter præsumptæ communis fidelium Patris, Pontificis Summi, nolentis viscera misericordiæ claudere filiis in extremis constitutis, extremè illa indigentibus, illam ab eo petentibus, efflagitantibus: potentísque præfatam facultatem concedendo, eos à tanta, & summa miseria eripere: & scientis pariter adesse opinionem, quam sequimur cum pluribus magni nominis Doctoribus, & non illam improbantis. In rebus quidem fidei, & morum, maximè ita gravibus, non est verò simile Summum Ecclesiæ Pastorem permittere pasci oves Christi doctrina, quæ sana non sit, per curricula aliquorum annorum, & multò minùs per integra sæcula, quæ certè, & plura quidem præcesserunt. Divus enim Antoninus, vti ex Bulla Canonizationis eius constat, ad Cœlum migravit sextò nonas Maij *anni* 1459. incipit dicta Constitutio, *Rationi congruit la* 1. Clementis VII. apud primum Tomum Bullarij Cherubini, *pag. mihi* 636. Noster Abbas Panormitanus *anno* 1418. in studio Parmensi quæstionem septimam sui Quæstionarij publicè disputavit, vti ipsemet in illius fine testatur *fol. mihi* 241. Authores, sive Author Glossarum *in cap. Pastoralis el* 11. *de Officio Iudicis Ordinarij*, *& in cap. A nobis el* 2. *&* 28. *de Sent. Excommun.* multò antè dictum scripsit Panormitanum, cum ipsas recenseat, & commendet ipsemet Glossas *in dicto c. A nobis*, *n.*10.

84 Nostram exornat solutionem illuminatus Moronus *in suis centum responsis*, *responso* 94. *nu.* 22. 24. *&* 25.*pag. mihi* 431. vbi de Iurisdictione ad absolvendum à peccatis disserens, resolvit posse illam acquiri ex tacito consensu, scientis, & potentis illam concedere. Sic enim ait. Noto 2. Aliquando ex consuetudine acquiri iurisdictionem: tacito enim consensu videtur dari facultas, vt patet in Parochis, quibus Episcopi nullum Sacerdotem ad confitendum videntur præscribere: Sà *verbo Confessor*, *num.*1. & Suarez *disput.*27.*sect.*3. *num.*2. *&* 4. extendit ad omnes Sacerdotes: idem eodem modo videtur concessum peregrinis, vt possint confiteri Parochis, & Parochorum Vicariis in quorum parœcijs pro tempore commorantur: Sylvester *verbo Confessor*, 1. *quæst.*11. qui limitat ad eos, qui habent licentiam peregrinandi: Sot. *dist.* 18. *quæst.*4. *art.*2. *ad* 1. *obiectionem*: Caietan. tamen in *Summ. verb. Absolutio ex parte absolventis*, §. *Licentia dupliciter*, dicit hoc ab Eugenio IV. etiam pro Confessione, & Communione annua statutum esse. Subdit tamen Conink *disp.*8.*dub.*8. *num.*6. *in fine*, hoc verum esse, nisi fiat in fraudem legis: ea videlicet sola de causa, vt possint aliis confiteri.

85 Noto tertiò. Consuetudinem non dare iurisdictionem quando vsurpatur insciis illis, qui eam dare possunt: quia nemo potest accipere Iurisdictionem, nisi aliquis eam validè det, maximè in his casibus, in quibus est potiùs præscriptio, quàm consuetudo, & ista facultas acquiritur potiùs ex consensu illius, ad quem spectat dare, quàm ex actuum frequentatione, qui numquam sunt sufficientes inducere consuetudinem, sine tali consensu, cum sine illo semper sint invalidi. Hucusque Moronus.

Ad secundùm respondeo assumptum negando: 86
quia quæ de iure divino ad Ecclesiasticos Ministros non pertinent, esto spiritualia sint, benè per Laicos fieri queunt, non solùm in articulo mortis, & tempore necessitatis, sed in quolibet alio, si voluntas expressa, aut tacita saltem, vel rationabiliter præsumpta Summi Pontificis interveniat. Papa enim potest Laico delegare causas civiles, criminales, & spirituales; vti docet Glossa *in cap. Decernimus*, *verbo Non præsumant*, *el* 1. *de Iudiciis*: vbi Barbosa *ad finem*: cum Covarruvia *in cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 2. *nu.* 3. Navarro *in Manuali*, *cap.*27. *num.*6. *princip. de Pænit. distinct.*7. *n.*83. *& consil.*1. *de Sent. Excommunicationis*, *in nova editione*, & cum Henriquez *in Summ. lib.*13. *de Excommun. cap.*24. *in princ. lit. B*, Paulus Borgasius *de Irregul. par.*6. *regul.* 7. *num.*3. *pag. mihi* 350. Iacobus de Graffis *in decis. aur. part.*1. *lib.*4. *cap.*5. *num.*1. & alij passim Doctores Theologi, & sacrorum Canonum expositores. Quod autem dictas deleget causas per Bullam, Breve, Rescriptum, Signaturam, per vivæ vocis Oraculum, aut per tacitum consensum, perindè est, & eandem omninò, quoad actuum valorem, habebit potestatem delegatus, ac si eadem potestas ei fuisset expressè concessa in Canone Concilij Generalis, aut in Canone, seu Decretali in iuris corpore inserta. Et ratio fundamentalis est, quia sicut lex omnimodam habet vim obligandi ex sola Legislatoris voluntate, ita vt vox, aut Scriptura tantùm deserviat ad voluntatis intimationem, vti apertè docet Gabriel Vasquez *in* 1. 2. *D.Thom. tom.*2. *disp.*150. *cap.*3.*num.*21. ibi: Imò essentialiter ratio legis positivæ, in ratione præcepti sita est; atqui nullus intelligitur præcipere sine illa insinuatione, sicut neque orare sine sola voluntate, sine expressione intellectus: *&. disp.*155.*c.*2. *n.*17. vbi de lege divina loquens ait: ille enim (Deus scilicet) cum sit dominus animæ, & spiritus, imperium suum potest ad ipsum hominem derivare sine vlla exteriori promulgatione: & absque illa veram vim legis habebit. Hæc Doctor ille. Ferdinandus Castrus Palaus *part.* 1. *Operis moral. tract.*3. *disp.* 1. *punct.* 7. & communiter Doctores: ita & privilegium, quod privata lex est, suum sortitur effectum, ex sola Principis voluntate, quomodocumque cognita, quoad actuum saltem valorem in foro conscientiæ.

Quocirca Bruno Chassaing *in Privilegiis Regularium*, *tract.*1.*cap.*1.*proposit.*2. in hæc prorumpit: videlicet. 87

Diversis, variisque literis, & modis extra Concilia, & Ius commune suam voluntatem, sua præcepta Christianis populis Romanus Pontifex explicat. Vel enim ore tenus aliquid decernit, aut præcipit, & hoc vocatur vivæ vocis Oraculum; vel privata signatura, subscribendo alicui scripturæ, per se, aut per suum Delegatum sine sigillo: & hoc signatura simplex appellatur; vel per literas publicas Secretarij sui syngrapho subscripta, & annulo Piscatoris munitas: & illa scriptura vocatur Breve; & si sit responsum Pontificis, vocatur etiam rescriptum; vel per literas sub plumbo expeditas: & tunc hæ literæ, Bullæ nuncu-

nuncupantur. Potest tamen Bulla, Breve, & Signatura nomine rescripti, quasi rectè scripti nuncupari, vt communiter fit: quæ omnia, & plura alia Romani Pontificis edicta in re quidem vnum sunt; nomine autem, & solemnitate, ac etiam in foro externo differunt; licet aliquando pro eodem sumantur.

88 Hæc ille: quibus suppositis, hanc suam, & nostram propositionem: quæcumque Decreta à Papa emanata, sive sint Bullæ, sive Brevia, Rescripta, vivæ vocis Oracula signaturæ, & alia huiusmodi, quocumque nomine nuncupentur extra Concilia, & Ius commune vagantia, eadem vi pollent, ac Canones in dictis Concilijs, & Iure insertis: sic probat. Primò ex *canone Si Romanorum*, 19. *distin.* vbi post multa, ita Nicolaus Papa vniversis Episcopis, & Archiepiscopis Galliæ, Decretali Epistola scribit. Videlicet.

89 His itaque divina favente gratia prælibatis, ostendimus, nullam esse differentiam, inter illa Decreta, quæ in corpore Canonum habentur, Sedis Apostolicæ Præsulum, & ea, quæ præ multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur: cum omnia, & omnium prædecessorum suorum Decretalia Constituta, atque Decretales Epistolas, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Vrbe Romana dederunt, fore venerabiliter suscipiendas, & custodiendas, eximios Præsules, Leonem scilicet, & Gelasium, mandasse probavimus. Hæc Nicolaï Decretalis decisio: pro qua firmanda, sequêtem Chassaing ex ipso reddit rationem. Quoniam sicut sacra Scriptura eandem vim legis, ac Decretum in corpore Iuris insertum, quoad illam Scripturam declarat, licet illa in eodem corpore non inseratur: sic leges Pontificiæ eandem vim habebunt ex Decretis præcedentibus, licet in illo non sint insertæ. Et meritò (prosequitur Pater Bruno:) quod enim aliqua lex in corpore Iuris, vel Concilijs inseratur, vel per Bullam, aut Breve expediatur, aut scribatur, per accidens est ad naturam legis; alioquin Lex Christi dictata, & non scripta ante mortem suam, & traditiones, non fuissent Leges, & Canones.

90 Quapropter optimè Pontifex Leo IV. *in parte* 5. *Decreti*, *capite* 35. loquens vniversaliter de omnibus à Papa emanatis, quæ diversis nominibus vocantur; videlicet *Dogmata*, *mandata*, *Sanctiones*, *interdicta*, *vel Decreta*, illa omnia paris efficaciæ, & virtutis declarat. Et hæc dicta sint pro foro interno. Nam aliter iudicandum est in foro externo: præponderat enim Ius commune Concilijs; Concilia Bullis; Bullæ Brevibus; & Brevia Signaturis; Signaturæ autem vivæ vocis Oraculis. Imò hæc duo vltima in pluribus locis vix locum habent, sicut nec etiam Brevia.

91 Hactenus Chassaing, qui secundò probat propositionem ex *canone* 2. *distinct.* 19. *allegata.* In quo sic Agatho Papa definit. Sic omnes Sanctiones Apostolicæ Sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius divina voce Petri firmatæ. Et Peyrinus, *de Privil. tom.*1. *ad Constit.*7. *Iulij II. num.*1. adhuc vrget dicens. Noto 1. quod vivæ vocis Oracula eandem vim habent, quàm aliæ Constitutiones Papales, vt colligitur apertè *ex cap. Institutionis*, 25. *qu.* 2. *& ex Clem. Dudum*, §. *Nos enim*, *de Sepulturis*, vbi Gloss. versu. *verbo.* Innoc. *in cap. Constitutus*, *de Rescriptis*, *num.*2. Felinus *consil.*6. *nu.* 1. & multa ad id Congerit Anguiano *tract. de Legibus*, *lib.*1. *cont.*9. *à num.* 9. & hoc tam in iudicio, quàm extra illud, vt constat. *ex Constitut.* 22. *Iulij II.* apud Rodrig. *in Bullario pag.*277. §.2. Hæc Peyrinus.

Ad tertium, nego ideò dari simplici Sacerdoti facultatem absolvendi in mortis articulo ab excommunicatione, quia huiusmodi absolutio debeat præcedere absolutionem à peccatis. Probabilissima enim opinio asserit, posse Sacerdotem simul absolvere à peccatis, & à Censuris, per hæc verba: *Ego te absolvo*: modo iisdem verbis intendat à Censuris, & à peccatis absolvere. Pro illa allegat Bassæus *tom.*1. *verb. Absolutio*, *nu.*19. Navarrum *de Pœnit. distinct.* 6. *cap.* 1. Sotum *in* 4. *distin.*14. *q.*1. *art.*3. Henriquez *lib.* 4. *cap.*11. *n.*3. *lit. X*, & Filliucium *tract.*11. *n.*328. illam sequitur Pellizxatius *in Manuali Regularium*, *tom.*2. *par.*1. *tract.*7. *cap.*1. *num.*113. *pag. mihi* 24. Ioan. Bapt. Lezana *tom.*2. *part.*3. *verbo Absolutio*, *num.*2. cum Bonacina *de Censur. disput.*1. *q.* 3. *punct.*5. Carol. Malletus *in Theologia morali*, *par.*1. *de Sacramentis*, *Melleatione* 11. *Bractea* 12. *pag.* 111. Benedictus Remigius *in Manuali Confessariorum*, *tr.*5. *cap.*5. *num.*9. Ægidius Coninch *de Censuris Ecclesiasticis*, *disput.*14. *dub.*5. *num.*31. vbi refert Sotum *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.*1. *art.* 1. sentientem, hoc solùm habere locum quando alicui ita mors imminet, vt non possit priùs ab excommunicatione, quàm à peccatis absolvi. Imò ipse Ægidius à se ipso ait. In alijs tamen casibus potest hæc necessitas esse frequens, vt quando aliquis incurrit excommunicationem reservatam, & occurrit gravis necessitas communicandi ad evitandam gravem infamiam; aut scandalum; tunc enim potest alicui confiteri habenti iurisdictionem in alia peccata mortalia, & ab his absolvi manente excommunicatione, à qua confessarius non potest absolvere vt dixi, *disput.* 8. *numero* 107. Hæc Coninch: In casu tamen, quod simul absolutio à peccatis, & à Censuris impendatur absolutio Censuræ prior est; natura, absolutione à peccatis, vti Lezana, Bassæus, Pellizzarius, & alij aiunt. In quo salvatur prioritas quam exigit Ferro Manrique. Imò & Divus Thom. *in Addition. quæstion.* 24. *art.* 1. *ad* 2. 92

Data tamen asserta causali; & non concessa, nihil ex illa contra nostram infertur conclusionem. Quia ex ea non probatur, non posse concedi facultatem ad absolvendum à Censura, nisi in ordine ad absolvendum à peccatis, quod vtique probari debebatur, vt vim aliquam haberet assumptum. Id enim improbabile est. Cum, quia *vti suprà*, *num.* 7. diximus, plures sunt effectus absolutiones ab excommunicatione, vnus ab alio separabilis. Tum, quia sæpè vidimus absolutionem ab excommunicatione in scriptis à superioribus obtineri, sine peccatorum absolutione. Tum etiam, quia sine ista, quotidiè impenditur illa à confessariis, in foro conscientiæ, & non in Sacramentali pœnitentiæ. Tum tandem, quia id benè fieri posse, communissima Doctorum tradit opinio. Lezana *tom.*2. *verbo Absolutio*, *nu.*6. Bussembaum, & alij mox citandi. Et omnium istorum est fundamentalis ratio, quia absolutio à Censuris non pendet à peccatis (verba Marci Vidal *in Arca vitali*, *tit. de Iurisdictione*, *inquisit.* 2. *numero* 44. *pag.* 265. reddo) cum sint quid essentialiter diversum: nam sunt pœnæ speciales 93

inflictæ propter peccata; ideò quamvis hæc absolvi non possint extra pœnitentiæ Sacramentum, vt est certum de fide; attamen illæ, nempè Censuræ possunt absolvi, & id est frequentissimum in Dei Ecclesia. Hæc ille, cuius doctrina illustratur ex D. Antonino *in Summa, part. 3. tit. 24. capite 77. paulò ante finem:* dicente. Vnde & Beatus Thomas de forma absolutionis dicit, quod absolutio ab excommunicatione, non est Sacramentalis, sed magis consequens iudiciariam Iurisdictionem.

94 Ex quo addit Vidal, quod licet quandoque in Privilegiis Pontificiis concedentibus facultatem absolvendi à Censuris reservatis, cum clausula, vt Confessarij absolvere valeant *audita priùs Confessione*, non ideò necessariò requiritur Confessio Sacramentalis. Cui consonant Bussembaum *in Medulla Theologiæ, libro 7. cap. 1. dubio 2. in fine:* Diana *parte 5. tract. 9. resol. 5.* cum Hurtado Complutensi *de Excommunicatione, disput. 15. difficult. 2. num. 7.* dicente, quod absolutio ab excommunicatione, non solùm ab Episcopo potest fieri, extra Confessionem, sed etiam à proprio Parocho, & à Confessario ordinario, etiamsi prædictis remittatur ad absolutionem à peccatis, seu in ordine ad illam, quia potest quis vti potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle vti ea in totum, vt etiam dicimus *disp. 15. de absolutione ab excommunicatione, facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius privilegij.* Hæc Hurtado, quem etiam recenset, & sequitur Noctinot *verbo Absolutio à Censuris, numero* 81. Tenet eandem sententiam Sanchez *de Matrimonio, tom. 3. lib. 8. disput. 16. num.* 11. cum multis neotericis Doctoribus, quos suppressis nominibus allegat. Ægidius Coninch, *disp. 14. de Excommunicatione, dub. 16. nu.* 152. *pag. mihi* 505. Et ratio potissima est, quia cum Censura culpa non sit, sed potius pœna pro culpa inflicta, eius absolutio non habet connexionem vllam cum Sacramento Pœnitentiæ, & cum absolutione, quæ in eo impenditur; à culpis scilicet & peccatis.

95 Nec valet dicere, ablativum illud absolutum; *audita Confessione:* conditionem importare. Sanchez *vbi proximè*, ex *l. A testatore, ff. de conditionibus, & demonstrationibus, &c.* & conditio formam importat. Pellizzarius *tract. 8. cap. 3. n. 258. versic. Noto 5.* ex *leg. Qui hæredi, & l. Mævius, ff. eodem tit.* omissio autem formæ in quacumque minima parte, vitiat actum, *ex l. 1. in fine, ff. de Ventre inspiciendo:* Pellizzarius, *ibid.* & vtrumque cum aliis Sanchez *lib. 3. de Matrim. disput. 5. num. 2.* & ad omnia videtur referri, quæ in dispositione continentur. Regula enim est, vt clausula in vna parte dispositionis posita, sive in principio, sive in medio, sive in fine tandem illius existat, ad omnia in dispositione contenta referri censeatur, iuxta Textum *in capite Secundò requiris*, vbi communiter Doctores, *el 41. de Appellationibus:* ibi enim Cœlestinus Papa III. ita decernit. Nihil enim interest, vtrum inhibeatur primò, an secundò in medio, an in fine, cum (sicut vtriusque Iuris argumenta nos docent) ea, quæ in principio, ad medium, & ad finem: illa verò, quæ in medio, ad finem, atque principium sæpè referri contingat. Non inquam valet, quia regula ista vera est, quando eadem est ratio omnium, quæ in dispositione continentur; fallit tamen, quando ratio eadem in omnibus non militat, vt benè idem Sanchez, cum Menochio *de Præsumptionibus, lib. 4. præsumptione* 181. *num. 2.* quàm plures allegante Doctores: ipse Sanchez *disput. 22. lib. 6.* cum Decio *in dicto cap. Secundò:* Barth. Iason. Roma. Alexand. Socin. Capicio, Alciato, Bologneto, Navarrus, *tomo 2. Consilior. lib. 5. tit. de Simonia, cons. 92. num. 4. pag. mihi* 314. Lezana *tomo 2. parte 3. verbo Clausula, num. 4. qui num. 5.* & Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 108. n. 3.* cum Alexand. de Nevo *in cap. Laudabilem, de Frigidis, & maleficiatis:* ex Glossa *in cap. Perpetuò, verbo Sic scilicet, vnico de Postulatione. lib. 6.* advertunt, quod vbi fit divisio per paragraphum vel versiculum, clausula posita in vno paragrapho, vel versiculo, non refertur ad alium paragraphum, vel versiculum. Idem advertit Moronus *responso 99. nu. 6. pag.* 543.

96 Fatemur igitur ablativum absolutum importare conditionem, qua non impleta, invalidè quis vtetur facultate sibi facta in diplomate Pontificio: licet non semper: cum non rarò solùm connotet modum ad aliquid licitè faciendum ex lege æquitatis tantùm, vti observat doctus Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 2. parte 1. tract. 8. cap. 3. num. 50. pagina mihi* 269. ex Bonacina *de Sacramentis, disputat. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 18. & aliis neotericis Doctoribus à se consultis.* Et posito exemplo in approbato ad audiendas Confessiones, sub hoc tenore: *Concedimus tibi facultatem audiendi quoscumque accedentes; de licentia tamen Rectorum:* resolvit posse huiusmodi Confessarium in eorum Ecclesijs Confessiones audire, non petita Rectorum licentia. Quia in dicta clausula Sacerdos, vt præfertur approbatus, modo dicto, solùm fit certior de modo, quem debet, saltem ex æquitate servare, etiamsi ab Episcopo non admoneretur, non tamen ei iniungitur conditio sine qua non concedatur audiendi facultas. Eandem approbat observationem idem Pellizzarius *cap. Allegato, n. 250. versic. Noto 5. sup. recens.* vbi rursùs Bonac. allegat *disp. 3. de Sacram. qu. 7. p. 4. §. 1. n. 18. versic. Aly.*

97 Negamus tamen eandem militare rationem, in facultate facta ad absolvendum à Censuris, ac ad absolvendum à peccatis. Quia absolutio ab istis, necessariò prærequirit, ex Christi institutione, Confessionem Sacramentalem; secus verò absolutio à Censuris. Vnde ista impertiri valet absenti, nescienti, imò & nolenti, vt communis fert Doctorum opinio; illa verò minimè: Divus Thoma, *in Addition. ad 3. part. quæstione 24. articulo 2. in corpore,* ita ait. Respondeò dicendum, quod malum culpæ, & pœnæ in hoc differunt, quod culpæ principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est; pœnæ autem principium quandóque extra nos est: non enim requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria, imò est magis de ratione pœnæ, quod sit contra voluntatem. Et ideò sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito, sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita & invitus ab ea absolvi poterit. Hactenus Doctor Angelicus. Quare dispositio Privilegiorum Pontificum concedentium facultatem ad absolvendum cum clausula recensita, accommodatè intelligi debet, ita vt singula singulis respondeant, secundùm naturam rei subiectæ, ita vt absolutio à peccatis,

requirat

requirat antecedentem peccatorum confessionem, non autem absolutio tantùm à censuris, vti in terminis docet Vidal *vbi supra, num.* 45. *pag.* 266. cum Laymano *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 21. Quæ vtique interpretatio coincidit cum alia eiusdem Marci Vidal, post Ægidium Coninch, *vbi suprà*, dicentem, quod quando in Bulla additur, *audita Confessione*: respectivè est intelligendum respectu potestatis absolvendi ab omnibus peccatis, quæ simul cum alia facultate solet concedi. Verba sunt Ægidij, quam quidem verissimam doctrinam sequitur Sanchez *dicto lib.* 8. *de Matrim. disput.* 16. *num.* 11. Bullam exponendo, in qua cum dicta clausula: *Confessionibus diligenter auditis*: conceditur facultas ad absolvendum à peccatis, & ad commutandum vota: *& disp.* 34 *n* 29.

98 Addit Vidal, quod quando hæc facultas datur pro foro conscientiæ, non intelligitur, quod illa exerceri nequeat, nisi in foro Sacramentali, sed quod non valeat pro foro externo. Et meritò quidem, quia optimè Sanchez, ait, *tomo* 3. *de Matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 29. quem Navarrum *in Summa cap.* 27. *num.* 41. *& lib.* 5. *Consilior. tit. de Privileg. consil.* 11. *n.* 2. *in* 2. *edit.* Sà *verb. Excommunicatio, n.* 1. & Emanuëlem Roderiquez *tom.* 1. *qq. Regular. q.* 61. *art.* 10. sequitur Palaus *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 15. *n.* 6. aliud importat conscientiæ forum, aliud pœnitentiæ forum. Hoc enim est solùm forum Sacramentale. Illud autem tantùm, vt distinguitur contra forum exterius: quod optimè significat Præpositus *cap. Præterea, el* 2. *num* 6. *de Sponsal.* dicens triplex esse forum, quoddam contentiosum, quoddam pœnitentiale, aliud verò quasi pœnitentiale, quod est medium inter hæc. Quam fori divisionem exornant Leonardus Lessius *in Actuario, verbo Absolutio, casu* 8. *nu.* 17. dicens. Potestas absolvendi à censuris non est ita Mendicantibus Religiosis concessa, vt non possint interdum vti extra Sacramentum Pœnitentiæ. Neque enim absolvere in foro interiori, idem est, quod absolvere in foro pœnitentiæ, sed absolvere ita vt non habeat necessariò vim in foro externo si lis moveatur: vt docet Emanuël Sà, & multi recentiores apud Henriquez *libro de Indulgentiis, c.* 13. *n.* 2. & Victoria, Peña, Barthol. Medina, & alij. Hæc Lessius. Peyrinus *de Privil. tom.* 1. *ad Constitutionem Pyrri* §. 8. *num.* 43. *pag.* 9. in hæc prorumpens, videlicet.

99 Adverte etiam, quod illa verba *in foro conscientiæ*, significant, quod habens potestatem absolvendi aliquem in foro conscientiæ, vtitur illa potestate in salutem animarum, vt dicta absolutio valeat coram Deo, & non coram Ecclesia. Et licet, si hæc absolutio detur coram aliquibus, non per hoc desinit esse in foro conscientiæ: nam fit sine strepitu Iudicij, & sine præiudicio tertij, seu Fisci. Operatur autem huiusmodi absolutio, vt ita absolutus possit licitè coram Deo celebrare absque eo quod irregularitatem aliquam coram ipso Deo incurrat, & quod omnes actus ab ipso exerciti, validi sint; quoad naturam & substantiam ipsorum, licet in foro exteriori aliter iudicabuntur. Hactenus Peyrinus *loco allegato*; *& in Formulario Prælatorum Regularium, lit. B, cap.* 9. *pag.* 546: vbi loquens de Absolutione, & Dispensatione impertiendis in vim commissionis summi Pœnitentiarij, ita fatur. Noto, quod non est necessè, quod prædicta absolutio, & dispensatio fiat in foro Pœnitentiæ, audita scilicet confessione Sacramentali, sed sufficit, quod fiat in foro conscientiæ, quatenus hoc forum distinguitur à foro exteriori, & publico. Hæc ille, professione quidem Regulari, Minimus; literaria autem, Magnus.

100 Dictis consonant Bruno Chassaing *in privilegiis Regularium, tract.* 3. *cap.* 3. *proposit.* 1. cum Covarruvia *in cap. Alma mater, part.* 2. §. 4. *num.* 6. Sylvestro *verbo Absolutio, qu.* 1. *nu.* 3. Navarro *in Manuali, cap.* 27. *n.* 14. & Miranda *in Manuali tomo* ... *quæst.* 46. *art.* 7. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regularium, tom.* 2. *par.* 3. *verb. Absolutio, num.* 6. Emanuël Roderiquez *tomo* 1. *qq. Regul. quæst.* 61. *art.* 10. vbi addit. Scito etiam, quod aliud est privilegium concessum in foro conscientiæ tantùm, & aliud in foro pœnitentiæ. Nam id, quod conceditur in foro conscientiæ tantùm, potest fieri à Sacerdotibus, & à non Sacerdotibus, & sic potest fieri extra Sacramentum. Id verò, quod conceditur in foro pœnitentiæ, solis Confessoribus Sacerdotibus conceditur: & sic non potest fieri extra Sacramentum, prout tradunt Sylvester *tit. Absolutio* 1. §. 1. *part.* 3. Navarrus *cap.* 27. *n.* 41. & paucis interiectis, ait. Verùm est tamen, quod absolutio in foro conscientiæ, si præcipiatur vt fiat à Sacerdotibus Confessoribus, minimè potest fieri ab his, qui Sacerdotes non sunt. Addo ego. Et Confessores. Quia facultas delegati exerceri nequit, nisi iuxta delegantis voluntatem, vti benè Lezana *vbi proximè* cum Suarez *de Censuris, disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 36. & Filliucio *tract.* 11. *c.* 9. *q.* 8. *n.* 194.

101 Ad quartum Michaëlis Ferro Manrique assumptum, ex iam dictis, respondetur, non habere necessariam connexionem absolutionem Censurarum, cum absolutione peccatorum: & multò minus talem, vt necessariò ista semper illam debeat sequi. Vnde, distinguo antecedens; destructo consequenti, destruitur antecedens, & prohibito consequenti, prohibetur antecedens: quando posito antecedente sequitur necessariò, & infallibiliter consequens, concedo antecedens; quando non ita sequitur, nego antecedens. Vnde non benè infertur. Prohibitum est Laicis à peccatis absolvere: ergo prohibitum est illis absolvere à Censuris. Quia licet in plurimum absolutio à Censuris, antecedat absolutionem à peccatis, non semper ista ad illam necessariò, & infallibiliter sequitur: ad alios enim fines diversos valdè obtineri illa queir, vti latè demonstravimus.

102 Ad vltimum respondetur, admittendo, ad potestatem absolvendi à Censuris, requiri capacitatem in absolvente; nego tamen hanc consistere in hoc quod merè Laicus non sit; sed in hoc quod capax sit Iurisdictionis, saltem ex delegatione Apostolica, & quod illam habeat. Cum igitur Laicus, imò & fœmina, capax sit Delegatione Apostolica, ita vt ei committere possit Summus Ecclesiæ Præsul Iurisdictionem, & potestatem ad spiritualia, benè ex eadem poterit ab excommunicatione absolvere.

103 Et hæc dicta sufficiant, pro propugnanda doctrina nostræ tertiæ Conclusionis, & pro impugnanda censura, quà à Michaële Ferro Manrique infligitur, quâque ei ignominiam inurere intendit; sed contrarium evenire, docti sciunt. Diluitur enim ignominia ab adversario intenta, maculámque non parvam sibi inurere; nefas sit dubitare. Ad ferendum enim iudicium de qualitate, vel censura propositionum (verba doctissimi Luisij Turriani *in selectis disputationibus*

Theologicus, *part*.1. *disput*.30. *dub*. 1. *versic. Notandum*, reddo) necessaria est maxima notitia, non solùm propositionis, de qua agitur, sed Authorum, qui de ea vel cursim, vel ex instituto susceperunt disputationem. Iacobus etiam Gordonus *in* 2. *tomo suæ Theologiæ Moralis universæ*, *lib*.6. *quæst*.12.*cap*. 21. *num*.59: *in fine*: ita fatur. Quia in re Theologorum etiam prudentia requiritur, ne propensiores sint ad interponendam sine fundamento Censuram. Nam etiam temerarium est, Censuram temeritatis tribuere sine fundamento alicui propositioni. Meretur enim hæc malè Censurantis propositio, suam etiam Censuram. Sic ille.

104 Ferdinandum tandem Castrum Palaum *part*. 1. *Operis moralis*, *tract*.4. *de Fide*, *illique contrariis*, *disput*.3.*de Hæresi*,*& Apostasia à Fide*, *punct*.1.*n*.9. amussim libuit recensere. Adverto tamen eum Suarez *num*.21. (*de Fide* scilicet, *disp*.19.*sect*.2.) non solùm errare posse circa propositionem, sed etiam circa illius Censuram. Quare si propositionem de Fide, vel Theologicam, vel à Doctoribus receptam, dicas esse erroneam, vel falsam, vel scandalosam, vel temerariam: errorem committis, vel Hæresim sapis, vel temerarius existentis, ac si de facto propositionem negares. Quia virtualiter illam negas, & insuper contra rationem nota infami illam inuris. Quocirca, si aliquam sententiam in Scholis probabilem, tu improbabilem iudicares sine fundamento evidenti, temerarius existeres; quia communi sensui Doctorum adversarij iudicantium, sententiam illam probabilem esse. Vnde in qualificandis aliorum opinionibus, prudentia maximè opus est. Hucusque doctissimus ille Theologus.

DIVISIO.

De Indulgentiarum applicatione.

105 NOn incongruè hîc adnotare libuit, Laïcum posse in articulo mortis constituto, in absentia Sacerdotis, Bullæ Cruciatæ indulgentias applicare, iuxta probabilem sententiam, quam tradunt Ægidius Trullenk *in dicta Bulla expositione lib*.1. §.7.*cap*. 2. *dub*. 19. *num*.6. *in fine*: cum Navarro *de Indulgentiis*, *notabili* 30. *num*. 9. & Valero *in differentiis vtriusque fori*, quem recenset etiam, & sequitur Diana *part*.1. *tract*.11. *de Bulla Cruciata*, *resolut*.106. *in fine*, *part*.3. *tract*.4. *de Sacramentis*, *resolut*.133. *& in Additionibus*, *resolut*.12. locus, quem ex Valero allegat, est *differentia* 13.*num*.2. *vol*.3. *in verbo Absolutio*, Fundatur hæc sententia, non in Iure, in Bulla, vel in rigore Theologico; sed authoritati innititur Doctorum, & Ecclesiæ pietati.

Pro applicatione autem indulgentiarum aliqua ex Trullench advertere libet. I. non requiri vt ille, cui applicandæ sunt, id petat, aut designet Confessarium in particulari, sed sufficere interpretativam voluntatem consequendi illas: Ita *numero* 5.*&* 7. cum Henriquez *libro* 3. *de Pœnitentia*, *cap*.9. *num*. 4. & Navarro *dicto notabili* 30. *num*. 12.

106 II. Sufficienter applicare indulgentias, si applicans dicat: *Concedo tibi*, *& applico omnes*, *quas possum concedere*, *& applicare indulgentias virtute Bullarum tuarum*: Trullench *eodem*, *n*. 5. *in fine*.

III. Quod indulgentias extra articulum mortis applicans, debet esse Sacerdos ab Ordinario approbatus. Docet *num*. 6. eum Henriquez *libro* 7. *de Indulgentiis*, *cap*. 9. *num*. 6. *lit*. *A*, ex verbis Bullæ Cruciatæ: vt possit eligere Confessarium ab Ordinario approbatum, qui eum à reservatis absolvat, & plenariam indulgentiam, & remissionem obtineat. 107

IV. Quod in articulo mortis, potest indulgentias quilibet Sacerdos applicare, quia est verè Confessarius, & habet ab Ecclesia Iurisdictionem. Ita *num*. 6. Trullench. cum communi Doctorum. Et quod in Sacerdotis absentia Clericus, & in istius defectu, Laïcus benè eas applicare queat, vti dictum est: quia absolutio, & remissio pœnæ, quæ per indulgentias fit, non est absolutio à peccatis, nec ab ea dependet. Vnde indulgentias concedens, aut eas executioni mandans, non requiritur vt sit Sacerdos. Sic *ibidem* cum Navarro *vbi suprà*, *num*. 8. *versic*. *Quartò dico*: & D. Th. *in* 4. *distinct*. 20. & communi Doctorum sententia. 108

V. Quod extra articulum mortis applicari nequeant indulgentiæ nisi præsenti; quia extra dictum articulum applicari debent in Confessione, quæ fieri inter absentes nequit; in articulo autem videtur posse applicari absenti (ait) in casu tarò v.g. si Sacerdos dum Sacramentum Vnctionis ægroto iam iam morienti ministravit, & in absentia recordatur indulgentiam ei non applicuisse, nec potest ægrotum adire, poterit absens ei indulgentias applicare. Ducitur: quia si hæ possunt extra Confessionem infirmo applicari, qui nullum dedit contritionis signum; nec hæc applicatio à Sacramentali absolutione dependet, aut à petitione illius, cui fieri debeat, mirari quis non debet, quod absenti in tali casu fiat, sicut absolutio impenditur à Censuris. Ita Trullench *n*. 7. 109

Et cum hoc fundamentum leve non sit, suum placitum, & opinionem satis enunciat assertivè Ægidius Trullench. & non tantùm dubitativè, examinativè, licet hoc verbo *videtur*, vtatur. Quod consultò advetto, ob ea, quæ Ioannes Antonius de Saura *in voto Platonis*, *præludio* 1. §. *Primò*, sub his verbis ait. Quoties Doctores suam mentem exprimunt per verbum *videtur*, nihil enunciant assertivè, sed dubitativè, aut examinativè tantùm proponunt, vt ait Cano *lib*.8. *de locis cap*. 5. & suadetur ex Glossa 2. *ff*. *de Pactis*, *l*. *Si chyrographum*, *l*. *Qui testament*. *in fin*. *ff*. *de Probationibus*. 110

§. VIII.

De Facultate Dominorum Inquisitorum.

BREVIARIVM.

Absolutio.

Episcopus Diœcesanus, *& Inquisitores*, *de Iure abiurata Hæresi*, *& satisfactione iniuncta*, *absolvere possunt pœnitentes Hæreticos*, *&c*. n.111.

Non solùm Consistorium Inquisitorum, *sed eorum quilibet absolvere possunt*, *in foro externo*, *& in foro conscientiæ per se*, *& per alios*, *Hæreticos*, *&c*. *si non sint ad forum iudiciale delati*, numero 112.

Imò Consistorio non competit absolutio in foro conscientiæ

ſcientiæ, ſed cuilibet Inquiſitori, etiamnon Sacerdoti, num. 113.

Quando abſoluunt iudicialiter Inquiſitores, abſoluunt etiam in foro conſcientiæ, num. 112.

Sententia negans Inquiſitoribus facultatem abſoluendi in foro conſcientiæ Hæreticum, probabilior ab aliquibus iudicatur, n. 112. *verſ. Sententiam.*

Abſolutio data Hæretico fictè conuerſo, nulla eſt in vtroque foro, num. 118.

Hæreticus, qui ſcienter aliquas faſſus eſt hæreſes, & alias tacuit, ab expreſſis tantùm manet abſolutus in foro externo; ſi tamen bona fide aliàs tacuit. v.g. quia earum non meminit, ab omnibus eſt abſolutus, num. 119.

Hæreticus qui ſcienter tacuit actus externos alicuius momenti, quos circa Hæreſim exercuit Confeſſam, ab eis non manet abſolutus; ſecus ſi parui ſint momenti, num. 120.

Qui aliquas hæreſes faſſus eſt, & ſcienter tacuit alias occultas per accidens, abſolui poteſt ab earum excommunicatione, ab eo, qui abſoluere valet Hæreticos occultos per ſe, n. 121.

Si cognita cauſa Hæreſis tribunal Inquiſitorum iudicialiter Pœnitentiam Hæretico non imponat, hunc poteſt Confeſſario remittere, vt illum, audita eius Sacramentali Confeſſione, ab Hæreſi abſoluat: quod diuiſim illi facere nequeunt, numer. 122.

Excommunicatio.

Excommunicatus, etiam Hæreticus, non data de præſenti, copia Confeſſoris, qui abſoluere illum queat, poteſt ad vitandum infamiam, vel ſcandalum, ſi timeatur, elicere contritionis actum, & celebrare. Et ſi non exiſtimat, ſe perfectam habere contritionem, confiteatur, & à Confeſſario, iuxta probabilem, abſoluatur opinionem, n. 114.

Pro excommunicatis verò pœnitentibus, per quos non ſtat, quominus abſoluantur, offerri poſſe ſecreto orationis, & Sacrificia, omnino licitè, docent aliqui, num. 116. 117.

Hæreticus.

Hæretici, Apoſtatæ, &c. à quibus abſolui valeant, vide Abſolutio.

Inquiſitores.

Quomodo Hæreticos abſoluant: Vide Abſolutio.

Lex.

Obligare nequeunt contra Charitatem Leges, n. 117.

CONCLVSIO IV.

111 INquiſitores contra Hæreticam prauitatem ab Apoſtolica Sede deputati, & Epiſcopi Diœceſani Hæreticos pœnitentes abſoluere poſſunt ex iuris communis diſpoſitione. Docet Didacus Simanca, Pacenſis Epiſcopus, *de Catholicis inſtitutionibus, tit. 3. de Abſolutione, num. 1.* quoad Epiſcopum quidem, Lucius Papa Tertius id decreuit, *in cap. Ad abolendam, el 9. de Hæreticis*, ibi: niſi continuò poſt deprehenſionem erroris, ad Fidei Catholicæ vnitatem ſponte recurrere, & errorem ſuum ad arbitrium Epiſcopi regionis illius publicè conſenſerit abiurare, & ſatisfactionem congruam exhibere. Et quoad Inquiſitores, Clemens Papa Quartus, *in c. Vt officium, el 11. de Hæreticis, lib. 6.* vbi ſub initium, ita decreuit. Si verò aliquis ex prædictis, Hæretica labe primitùs abiurata, redire voluerit ad Eccleſiæ vnitatem: ei iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium impendatis, & iniungatis eidem, quod iniungi talibus conſueuit. Allegat Simanca *caput; Cum inferior; de maioritate, & obedientia, & cap. Excommunicamus, de Hæreticis*; ſed in illis, aut eorum aliquos ac de re, nihil prorſus lege, niſi in Gloſſa *dicti cap. Excommunicamus, §. Sane, verbo, Apoſtolica ſpeciali, el 1. & 13. de Hæreticis.* Vbi ita fatur. Et licet Epiſcopus ipſum reſtituere ad officum ſuum non poſſit, tamen reconciliare poteſt ipſum Eccleſiæ, Non reticeam tamen Palaum, *tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 2. num. 1.* dictum caput, *Vt officium*, de abſolutione in foro externo interpretantem Barboſa, *de Poteſt. Epiſcopi allegat. 40. num. 26.* refert Conſtitutionem Clementis VII. incipit *cum ſicut*, concedentem Inquiſitoribus, & eorum commiſſariis facultatem abſoluendi extra iudicialiter Hæreticos, Lutetanos occultos, & non Inquiſitos per Ordinarium, aut per alium iudicem, & omnes alios Hæreticos, Fautores, Defenſores, & Receptatores eorum, Apoſtatas, corúmque libros tenentes, aut legentes. Et ait referri extrauagantem iſtam in fine Directorij Inquiſitorum.

Docet & Antonius Souſa *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib. 3. cap. 4. num. 3.* vbi in hæc prorumpit. Rebus, non ſolùm prout de iure, ſed prout nunc ſtantibus, ſi articulus mortis, aut probabile mortis periculum non ſit ita proximum, vt ſtatim mors ſequatur, ſed ferè certum, quod mors differetur tempore ſufficienti ad recurrendum ad Inquiſitorem, vel Epiſcopum, vbi Inquiſitor non inuenitur, non eſt Hæreticus abſoluendus, niſi habita facultate ab Inquiſitore, vel Epiſcopo. Simanca, *Catholic. tit. 3. num. 3.* Conr. *4. decret. 1. p. §. 11. num. 8. fin.* Sanchez, dicto *cap. 13. (ſcilicet in Decalog. tom. 1. lib. 2.) num. 3.* Hæc Souſa. Expreſſiùs & *num. 11.* vbi ait. Excommunicatos in cauſa Hæreſis, aut ſuſpicionis illius, non delati ad forum iudiciale, poſſunt Inquiſitores per ſe, vel per alios, ſimul, vel quilibet eorum abſoluere in foro conſcientiæ. Idem poſſunt Commiſſarij Inquiſitorum per ſe. Graffis, *in 10. deciſ. lib. 2. c. 9. num. 5.* Viualdus, *in Candelabro, in edict. anni* 1602. *1. p. tit. 11. num. 15.* Eymericus, *3. parte Direct. num. 61.* quos & alios refert Sanchez, *dict. cap. 12. num. 1. & ſeqq.* Hactenus Souſa. Sed Graffis ſaltem, quem legi de commiſſariis nihil dicit; docet tamen de Inquiſitoribus. Idem Souſa *num. 12.* ait: Non ſolùm Conſiſtorium Inquiſitorum, ſed quilibet illorum poteſt hanc facultatem delegare. Sanchez, *dic. cap. 12. num. 5.* ipſe Souſa *num. 10.* ait. Quando Inquiſitores iudicialiter abſoluunt Hæreticos, ſimul etiam abſoluunt eos in foro conſcientiæ. Idem circa excommunicatos propter ſuſpicionem Hæreſis. Eymericus, *3. part. Directorij, num. 56.* vbi Penna, *commento 22. & quæſt. 122.* vbi idem Penna, *comment. 171.* Sanchez, *d. lib. 2. cap. 12. num. 1.* Farinacius, *d. §. 4. num. 54.* ita Souſa Diana, *part. 1. tract. 5. reſolut. 3.* ſic dicens de Inquiſitoribus. Reſpondeo, Dominos Inquiſitores habere facultatem abſoluendi ab Hæreſi, non ſolùm in foro externo; ſed in foro conſcientiæ; & præcipuè Inquiſitores Hiſpaniæ. Et ita docent, (ait) Campegius, Rodriquez, Toletus Gutierez, Paramus, Bannez, Henriquez, & Graffis, apud Riccium, *part. 2. deciſ. 579.* & Sanchez, *in Summ. tom. 1. lib. 2. cap. 12. num. 3. & ſeqq.* Homo bonus, *de exam. Eccleſ. part. 2. tract. 11. cap. 6. quæſt. 11.* Puteanus, *2. 2. D. Thom. quæſt. 11. art. 4. dub. 2.* Lorichius, *in Theſauro, verbo Hæreticus, §. 12.* Villalobos, *in Summa, tom. 2. tract. 1. difficult. 12. n. 6.* Freitas, *in addit. ad tractatum de Confeſſario ſollicitante.* Rodericus Acugna, *quæſt. 21. num. 18.* 112

Garcias, *de Beneficiis, tom.2.part.11.cap.10.n.121.* idem Diana, *part.4. tract. 8.resol.35.* cum eisdem Doctoribus, & cum Philipo de la Cruz, *in Thesauro Ecclesiæ, tract.1.§.6. num.1. in fine*, & Martino Bonacina, *in Bullam Cœnæ, tom.3. disput.1. quæst.21. punct.1.num.5.* Ausonius Noctinoi, *verbo, Absoluere ab Hæresi, nnmer.* 31. cum eodem Cruz, §. 16. *num.* 1. Trullench, *in Bullam Cruciatæ, lib.1. §.7.cap. 2. dub. 7. num.* 6. cum Azorio, *tom.1.lib.8. cap.12.et 18.* & aliis. Bassæus, *tom. 1. verbo Hæresis, numer.* 18. *versic. Tertiò.* Nauarrus *tom.2. Concilior. lib. 5. tit.de Priuilegiis, consil. 11. num. 1.* Chassaing, *de Priuilegiis Regularium, tract. 3. cap.3. proposit.1. versic. His suppositis, in fine.*

Sententiam nostram probabilem iudicat nouissimè Anton. Escobar, & Mendoza, *tom.8. Theologiæ moralis, de virtutibus Theologicis, lib.47.sect. 2. problemate 105. num.481.* nondum edito, probabiliorem tamen pronuntiat sententiam docentem non posse Inquisitores absoluere Hæreticos in foro conscientiæ. Quia non possunt (inquit) ex vi muneris, neque ex aliquo priuilegio, neque ex consuetudine. Non ex munere. Quia munus Inquisitorum est, delicta inquirere, & iudicialiter punire: sunt enim Iudices in foro externo constituti. Ergo ex vi muneris nequeunt in foro absoluere conscientiæ. Non ex priuilegio. Quia nullum aliud refertur, nisi contentum in Bulla Clementis VII. anno 1530.edita, incipit: *Cum sicut*, & refertur à Pegna, *in fine Directorij.* In qua licet detur Inquisitoribus, & eorum commissariis facultas absoluendi occultos Hæreticos, ab vllo Iudice prius extra iudicialiter non inquisitos; non tamen loquitur de omnibus Inquisitoribus, sed solùm de Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum in Lombardia residentibus, & illo tempore præsentibus. Et concesso, ad omnes extendi, non loquitur de absolutione fori conscientiæ, sed externi: quia non committit facultatem absoluendi, nisi præstito iuramento, & Hæresi abiurata. Quæ conditiones pro foro conscientiæ, & interno, non videbantur necessariæ. Ita Sanchez, *lib.2. in Decalogum cap. 12. nnmer.3*, Farinacius, *de Hæresi, quæst.192. num.54.* Palaus, *de Fide tract. 4. disp.4. punct.3. §.2. n.3.* Suarez, *de Fide, disput.21. sect.4. num.13.* Garcia, *de Beneficiis, part.11.c.10.n.121.* Barbosa, *de potest. Episcopi, allegat.* 40. *num.*28. Hæc omnia Pater Escobar, qui alteram partem, de consuetudine, quam ad intentum assumpsit suum, non probat, sed omittit omnino. Probabiliorem etiam prius pronunciauerat Granadus, *in 2. 2. D.Thom.tom.3. controuers.1.de Fide, tr.15. disput. 14. sect. 3.* cum Eymetico *in Directorio Inquisitor. 3. part. num.59.* cum eisdem duobus fundamentis, quibus Escobar, ex Francisco Suarez, desumptis. Et addit Pennam, *in 3. part. Directorij, comment. 12. addit. ad numer.61.* fateri Bullam Clementis VII solùm Inquisitoribus facultatem in externo tribuere foro.

113 Et adnotat Diana, *dicta resolut.3.* quod hæc facultas absoluendi ab Hæresi, competit cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio. Quod & adnotant (ait) Villalobos *vbi proximè, num.7.* & Freitas, *vbi suprà, num.15.* & alij; Et etiam adnotat cum Homobono, *loco citato tract. 12.capit.2. quæst. 4.* non requiri in Inquisitore ad hanc absolutionem in foro conscientiæ, & ad illius delegationem impertiendam, Sacerdotalem Ordinem. Quia talis facultas non est illi concessa in Ordine ad Confessionem Sacramentalem, neque tanquam quid Ordini annexum, sed Officio. Noctinot, *num.92.* idem tenet.

Idem Diana, *resolutione* 4. sequenti, inquirit 114 Quid facere debeat Hæreticus occultus, qui absolutionem ab Episcopo, vel Inquisitore obtinere non potuit? Et resoluit sic. Mittat Romam ad maiorem Pœnitentiarium: & interim dum talis expectatur facultas, obseruet ea, quæ de occulto excommunicato, non data de præsenti Confessoris copia, tradunt Nauarrus, *in Manuali, capit.27. num.259.* & Henriquez, *lib. 6.cap.15. num. 7.* & ita docet Freitas, *in Addit. ad tract. de Confess. sollicit.* Acugna, *quæst.21. num.* 81. Potest igitur, in tali casu, Hæreticus occultus, ratione infamiæ, vel scandali, si timeantur, dum Sacerdos est, celebrare; si autem Laïcus, Eucharistiam sumere, eliciendo prius actum contritionis: & si non existimat se contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confessario absoluatur, ex doctrina probabili, quam docet Reginaldus, *in Praxi, tom.1. lib.8. cap.7. num.87.* & alij, quos citat Sancius, *in Selectis, disput.32. num.11.* quidquid alij contradicant, cum Sancio, *loco citato.*

Sed aliqui plus addunt, (attendat Lector) etiam 115 seclusо scandalo, & periculo grauis infamiæ, supra dictum Hæreticum occultum, procurantem pro viribus absolutionem; sed propter paupertatem, aliudve legitimum impedimentum non valentem Romam adire, vel mittere, neque ab Episcopo, vel Inquisitore absolutionem obtinere, si verè pœniteat, & contritus sit, posse interim Missam celebrare, & Eucharistiam sumere, si Laïcus est; si, vt diximus, scandali, & infamiæ timor adesset. & ita docet nouissimè Fagundez, *de Preceptis Ecclesiæ, tract.1. lib.3. cap.12. num. 12.* cum sapientissimo sene Martino Nauarro, aduersus Franciscum Suarez, *in 3. partem tom.5. disp.9. sect.3. num. 7.* Quod est valdè notandum: & rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio sit probabilis, iudicent viri docti. Mihi enim non placet. Hucusque Pater Antonius Diana.

Sed ni fallor, Fagundez, loco à Diana allegato, 116 *iuncto num. 6. pag. mihi* 177. quod Diana recenset, nequaquam docet, sed quod excommunicatos, verè pœnitentes, & per quos non stat, quominus absoluantur, & participes esse communium Ecclesiæ suffragiorum, & nullum esse peccatum, nec etiam veniale, sed licitum omnino esse secluso scandalo, pro eis suffragia, & sacrificia offerre, & orationes, quæ nomine totius Ecclesiæ fiunt, applicare, & Missas dici. Quia tamen ordinariè, ac regulariter scandalum sequitur, si ea applicatio publicè fiat, nominando eos in ipsis Missis, & officiis, & suffragiis Ecclesiasticis; ideò ad tollendum scandalum oportebit, vel secreto fiat, & in intentione. Et huius opinionis est expressè Nauarrus, communis Magister, *in Manuali latino, cap.27. num.18.* Hæc ibi Fagundez: & *in allegato num. 11.* quæ sequuntur Lego.

Ad id, quod Suarez addit, inde sequi esse etiam 117 huiusmodi excommunicatum verè pœnitentem, participem Sacramentorum Ecclesiæ; quod nemo concedit, quia est ingens absurdum; totum libenter concedimus cum Nauarro, nostro in hac re patrono, *num.36. allegato.* Et negamus esse absurdum; imò contrarium dicere, videtur absurdum. Quia Ecclesiæ leges obligare non possunt contra Charitatem. Et nullæ sunt, si contra illam velint obligare. Tota enim Ecclesia fundata est in

in visceribus Charitatis Christi. Et certè contra Charitatem esse videtur, velle Ecclesiam priuare innocentem filium communione, & participatione suorum suffragiorum, & Sacramentorum, saltem occultè acceptorum, cum tanto detrimento spirituali, vt prudenter, & sine affectione animi in contrarium propensa, consideranti patebit. Quare hæc opinio semper mihi visa fuit commodior, & conscientiis fauorabilior: & ideò teneatur. Hæc omnia Doctor Fagundez, *dicto num.* 12. & nihil amplius.

118 Nonnulla addit Anton. Sousa, *dicto lib.* 3. *Aphorismorum Inquisitorum, cap.* 4. *à num.* 14. pro absolutione Hæreticorum, à Dominis Inquisitoribus data. *Primum est*, quod absolutio data ab eis inualida est in vtroque foro, si Hæreticus fictè conuertitur: ita vt postea resipiscens, noua egeat absolutione. Ita ille cum Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *p. de Censuris, disp.* 7. *sect.* 7. *num.* 12. & Sanchez, *to.* 1. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 8.

119 *Secundum*: quod Hæreticus ab ipsis Dominis absolutus, qui aliquas fassus est Hæreses, & alias tacuit, ab illis tantùm, quas expressit manet absolutus; si tamen alias bona fide tacuit, vtpote, quia non earum meminit: quia tunc ab omnibus manet absolutus. Sic ille cum Sanchez, *dicto cap.* 12. *num.* 9.

120 *Tertium*: Quod quando Hæreticus scienter tacuit aliquos actus externos, quos circa Hæresim Confessam exercuit, si actus sunt alicuius momenti, ab iis, quos tacuit non manet absolutus; secus, si parui sint momenti. Ita cum Sanchez, *dicto num.* 9. & Auila, *de Censur. part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 2. *dubit.* 3.

121 *Quartum*: quod si fassus est aliquas Hæreses, & alias occultas data opera tacuit, potest ab excommunicatione propter eas contracta, ab eo absolui, qui Hæreticum occultum absoluere queit. Sic Sousa, cum Sanchez, *n.* 9. *allegato*, & *cap.* 11. *num.* 21.

122 Idem Sousa, *num.* 13. ait, quod cognita causa Hæresis, si non imponatur iudicialiter pœnitentia, possunt Inquisitores simul, non verò diuisim committere Hæreticum Confessario, vt illum, Sacramentali eius Confessione audita, absoluat ab Hæresi. Allegat Sanchez, *dicto cap.* 12. *num.* 6. & Bannez, 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *post tertium argumentum, contra Conclusionem secundam.*

§. IX.

De Facultate Confessariorum in vim Cruciatæ.

BREVIARIVM.

Absolutio.

Quilibet ab Ordinario approbatus, semel in vita, & semel in mortis articulo, ab omni crimine, etiam in Bulla Cœnæ contento, Hæresi tantum formali excepta, virtute Cruciatæ, absoluere potest, num. 123. 104.

Absolutus à casibus reseruatis, & à Censuris per Cruciatam, aut per aliam reseruantis facultatem, in mortis articulo, aut alias, Superiori se præsentare non tenetur, à num. 125. *ad* 129.

Absolutus ab omni Excommunicatione, ab alio quam à reseruante illam, siue in articulo mortis, siue in casu legitimi impedimenti Superiorem adeundi, cessante impedimento, aut morte, tenetur se præsentare Superiori, sub pœna reincidentiæ in similem excommunicationem (non tamen vitandam:) non vt absoluatur, sed vt illius obediat mandatis. Et illum absoluens, tenetur ab eo exigere iuramentum, se Superiori præsentandi, num. 125. 126. 129. 130. 131.

Limita in casu, quo absoluatur ab habente reseruantis facultatem, num. 132. 133.

Bulla Cruciatæ.

Quid operetur Clausula: in articulo mortis: *in Bulla apposita*, num. 127. 130.

Circa facultatem absoluendi, per Cruciatam concessam, vide verbo Absolutio.

Dictio.

Quicumque, ita vniuersalis est, vt omnia includat, etiam improprios casus, & personas omnes, & nihil excludat, num. 124.

Exceptio.

Firmat regulam in contrarium, in non exceptis, numer. 124.

Lex.

Quod Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, num. 124.

Priuilegium.

Principis priuilegium latè est interpretandum, præcipuè cum lata interpretatio proprietatem non excedit verborum, num. 124.

CONCLVSIO V.

Qvilibet Confessarius, ex approbatis ab Ordinario, virtute Cruciatæ electus, absoluere potest semel in vita, ab omni crimine (Hæresi tantùm excepta,) & ab omni Censura ob illud incursa, & semel in articulo mortis. 123

Hanc Conclusionem tenet Anton. de Escorbar, *in Theolog. mor. tract.* 1. *de legibus Examine* 17. *cap.* 6. *num.* 55. Lezana, *tom.* 2. *verbo, Bulla Cruciatæ, numer.* 23. Leanderasmo *part.* 4. *tract.* 2. *de excommunic. disp.* 17. *quæst.* 81. cum Ludouico à Cruce, *disp.* 1. *in Cruciat. cap.* 20. *dub.* 4. *num.* 8. Trullench, *in dictam Bullam, lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. *dub.* 8. *num.* 4. *pag. mihi* 599. Pro illa recenset Diana, *part.* 1. *tract.* 5. *resolut.* 7. Henriquez, *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 2. Portell. *in addition. ad dubia Regularia, verbo, libri prohibiti, num.* 14. Sanchez, *in Decalogum, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. Duardum, *in Bullam Cœnæ lib.* 3. §. 2. *quæst.* 8. & *quæst.* 11. *num.* 47. Farinacium, *de Hæresi, quæst.* 180. *num* 8. Acostam, *in Bullam Cruciatæ, quæst.* 63. *Conclus.* 4. Suarez, *tract. de Fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 11. & alios, asserentes posse ab omni crimine contento in primo Canone Bullæ Cœnæ, virtute Bullæ Cruciatæ absoluere; dummodo reus, errorem non habuerit in intellectu, circa res Fidei Catholicæ, & sic Hæresim formalem admiserit. Nam licet delicta Hæresim sapientia omnia illa sint, non tamen sunt Hæreses formaliter, Cruciata autem solam Hæresim excipit. Quod enim priuilegium, quod Lex priuata est, non distinguit, nec nos distinguere debemus. c. *Ad audientiam*, el 12. *de Decimis*; ibi: nam si intelligeremus tantummodo de noualibus, vbi ponimus de laboribus, de noualibus poneremus. Vbi Glossa, *verbo Intelligeremus*, ait, argum. Quod à forma verborum, sine certa scientia, non est recedendum. 31. *distinct. Omnino. ff. de legat.* 3. *Non aliter.* Et 31. *quæst.* 1. §. *Quomodo Virginibus. Cod. de Caducis tollendis l. vnicu* §. *si verò*, & de Consecrat. *distinct.* 4. *si quis Presbyter*, & *suprà de Translatione* 124

Translatioa. inter corporalia. & Cod. de Peculio eius, qui libertatem meruit, l. vnica. 28. *quaest.* 1. Sic enim verf. Cum verò dicit, ego dico, non Dominus. Hactenus Glossa ait. Eo maximè, quia vti bene Castrus Palaus ait, *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 4. *num.* 1. beneficium Principis latè est interpretandum, præcipuè cum eius latè interpretatio non excedit proprietatem verborum. Sed interpretatio Bullæ Cruciatæ, in nostra Conclusione contenta, quod scilicet virtute illius possit quis absolui semel in vita, & semel in articulo mortis à quolibet approbato Confessario, ab omnibus casibus contentis in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta Hæresi formaliter sumpta, non excedit proprietatem verborum præfatæ Cruciatæ, sed potius proprietati conformari verborum, ex ipsiusmet Bullæ tenore demonstratur: ait enim sic *in* nostro vulgari. Item paraque con mas puridad, y limpieza de sus consciencias, puedan hazer oracion, concede su Santidad à todos los suso dichos, que puedan elegir por Confessora qualquier Presbytero, secular, o Regular, de los aprouados por el Ordinario, el qual los pueda absoluer vna vez en la vida, y otra enel articulo de la muerte, de qualesquier peccados, y Censura, Runque sean delos reseruados, y reseruadas ala Sede Apostolica, y delos declarados enla Bulla in Cœna Domini, excepto del crimen, y delicto de la Heregia. In quibus vtique verbis illa præcipuè pro nobis, & pro veritate nostræ sententiæ adnotanda veniunt. Videlicet: *de qualesquier peccados &c. & excepto del crimen, &c.* Prima enim vniuersitatem implicant. Dictio enim: *quicumque:* vti benè notat Lezana, *tom.* 3. *in Mare magnum Seruitarum, circa* §. 42. *num.* 137. *pag. mihi* 322. Valdè vniuersalis est, omnia includens, & nihil excludens, vt *in l. A procuratore, Codice, Mandati. Et in capite, Solita, de Maioritate, & obedientia* notat Glossa, *verbo, Quicumque, in cap. Quicumque, de Sententia excommunicationis, in* 6. Tiraquellus, *de Retract. lig.* §. 1. *Glossa* 2. *num.* 20. Menochius, *Consil.* 600. *num.* 5. *& consil.* 1129. *num.* 28. Mandosius, *in Regul.* 17. *Cancellar. quaest.* 8. *num.* 2. *& regula.* 21. *quaest.* 5. *n.* 2. & Sanctarellus, *variarum resolut. quaest.* 2. *num.* 21 Adeo (addit Lezana) vt propter suam generalitatem extendatur etiam ad impropriós casus, vt tradunt Abbas, *consil.* 3. *dub.* 3. & alij, quos refert, & sequitur Sanctarellus, *suprà, quaest.* 48. *num.* 29. & extendatur ad omnes casus, & personas, vt per Menochium *de praesumptionibus, lib.* 4. *praesump.* 198. *num.* 21. Farinacius 3. *in Praxi criminali, part.* 4. *consil.* 65. *num.* 8. tradit Barbosa, *tract. de Dictionibus, dictione* 317. *n.* 12. Hactenus Lezana. Dictio etiam: *excepto:* nostræ sententiæ plurimum fauet, illam fulcit. Quia exceptio firmat regulam in contrarium, in non exceptis, *ex can. Dominus, el* 6. 32. *quaest.* 7. & ibi Glossa, *verbo eod.* ita fatur. Item est hic argumentum quod qui vnam causam excipit, intelligerit omnes alias inclusisse *ff. de Euictionibus, l. Qui libertatis.* Ego latè est priuilegium Bullæ Cruciatæ interpretandum, ita vt in vim illius quisque illo fruens, eligere Confessarium, à quo absoluatur semel in vita, & semel in mortis articulo ab omnibus peccatis, & Censuris, quantumuis reseruatis Sedi Apostolicæ, etiam in primo Bullæ Cœnæ Canone contentis, vno tantùm Hæresis crimine excepto.

115 Quod si quis petat. Quare Summus Pontifex excipiat pro absolutione moribundo virtute Cruciatæ impertienda, crimen Hæresis, si verum est, vti ostensum reliquimus Conclusione 1. 2. & 3. Quod quilibet Sacerdos, imò & quicumque Clericus, & tandem Laicus, absoluere queat à Censuris quemlibet, illis aliàs reseruatis, nimodatum, etiam Hæresis reum? Dico ideò Hæresis scelus Bullæ conditorem excepisse, quia voluit, vt absolutus à tanto facinore in articulo mortis, si non obierit, se Summo Pontifice teneatur, præsentare; non vt iterum absoluatur; quia iam est absolutus, sed vt mandatis eius obediat. Sub hoc enim onere impenditur absolutio in articulo mortis existenti, vt si superuixerit, se teneatur præsentare Summo Præsuli, vt mandatis eius obediat.

Quod vtique commune est omnibus in articulo illo, aut in casu impedimenti legitimi adeundi. Superiorem, à Censuris reseruatis cuilibet superiori absolutis ab alio, quàm à Superiore, vel ab habente ad id priuilegium, sub pœna reincidentiæ in excommunicationem eiusdem naturæ, licet non similiter vitandam, si prior vitanda erat, (vti aduertit Thom. Delbene, *de immunit. part.* 2. *cap.* 14. *dub.* 18. *sect.* 3. *numer.* 15.) ita decernente Bonifacio Papa octauo, *in cap. Eos, qui, el* 22. *de sententia excommunicationis, lib.* 6. & à Benedicto Papa XII. *in extrauag. inter cunctas, la* 1. *de Priuilegiis.* ibi. Quod si forsan, antequam ab eo, qui potestatem habet absolui possint, mors tabiû conficeri volentium verisimiliter timeatur: etiam in prædictis casibus, sæpe fati Fratres eos confiteri volentes audiant, ipsisque beneficium absolutionis impendant; sed subeant iuramentum, quod liberati, se suis, Episcopis excommunicatoribus præsentabunt: excommunicantium super his pro quibus ab eis excommunicati erant, & Episcoporum pro peccato huiusmodi pariturí mandatis. Hæc Benedictus in reddita Constitutione. 115

Consultò dixi, *vel ab habente ad id priuilegium.* Quia si ab habente priuilegium absoluendi à reseruatis, vt per Bullam Cruciatæ Confessario approbato conceditur ad omnia crimina, Hæresi excepta, quis absoluatur, eoram Superiore reseruante comparere non tenetur: siue tunc primo, scilicet in articulo mortis absoluatur, siue antea, ob vrgentem necessitatem, fuerit absolutus. Ratio fundamentalis huius est, quia in tantum quis comparere tenetur, in quantum fuit absolutus à non habente aliàs facultatem. Sed Confessarius priuilegiatus haber facultatem absoluendi, ita vt integrè succedat nomine Superioris reseruantis; aliàs priuilegium nullius fere vtilitatis esset. Ergo qui à Confessario priuilegiato qui tali per Cruciatam, aut aliàs, absolutus est, comparere ante Superiorem reseruantem non tenetur.

Et ita docet Castrus Palus, *part.* 1. *tr.* 4. *disp.* 4. *punct.* 3. §. 5. *num.* 22. *& fin.* cum Sanchez, *in* Decalogum, *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 31. & 32. Henriquez, *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 1, *in comment. litt. G.* Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *p. D. Thom. de Pœnit. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 6. Bonacina, *disp.* 1. *de Censuris, quaest.* 3. *punct.* 3. *n.* 13. & 15. & cum aliis. Ioannes Ægidius Trullench, in expositione Bullæ Cruciatæ, *lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 12. allegat Medinam, *lib.* 2. *Summæ, cap.* 12. *fol.* 237. *pag.* 2. Roderiquez, in eandem Bullam, §. 9. *num.* 44. *in additionib.* dictum Henriquez, *loco recensito cap.* 9. *num.* 2. *litt. N. & lib.* 13. *cap.* 29. *num.* 3. Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quaestionum Regularium, tom.* 2. *part.* 3. *verbo, Bulla Cruciata num.* 23. cum Ludouico à Cruz *in exposit. Bullæ disp.* 1. *cap.* 3. *dub.* 14.

Sed

129 Sed libuit Verba Ægidij recensere præfati. His (inquit) explicatis, quòd specialiter operatur Bulla, est. *Primò*, quod absolutus ab excommunicatione reseruata in articulo, vel periculo mortis, vel semel in vita, post absolutionem non tenetur se repræsentare reseruatori. Ita tenent Medina, &c. Quia Bullæ absolutio absoluta est, & non ad reincidentiam, vt infrà dicetur. Et priuilegium in hoc consistit, vt absolutus ratione istius, si conualescat, non teneatur se præsentare, ad quod aliàs tenetur, qui præcise rationè articuli, vel mortis periculi ab excommunicatione reseruata absoluitur. Excipienda tamen est absolutio Hæretici interni, & ex externi simul, præstita in mortis articulo habenti Bullam. Quia Bulla nihil circa eam concedit, vt infrà dicetur *dub.7.* perinde est, ac si Bulla careret: & tantùm ratione articuli mortis absolueretur, & manet integra Iuris communis dispositio, Sanchez *lib.2.c.13.n.4.* Sanctius, *in suis Selectis, disp.12. num.5.* Quare iniungendi ei, vt si euaserit, se præsentet. Hucusque Trullenc.

130 Ex quibus habemus particulam *in articulo mortis*, in Bulla Cruciatæ appositam, non esse superfluam, vti bene Lezana, *vbi proximè* aduertit. Etsi enim quilibet Sacerdos etiam simplex in articulo mortis absoluere bene queat ab omnibus peccatis, & Censuris, quantumuis reseruationi obnoxiis; nihilominus sic absolutus, si conualescat, se præsentare Superiori tenetur reseruanti, ex dispositione iurium, suprà allegatorum *in cap. Eos, qui, & extrauag. Inter cunctas*; excommunicatus verò in vim Bullæ, non ita.

131 Habemus etiam, particulam, *excepto el crimen de la Heregia*, satis prouidè fuisse in eadem appositam Bulla, ad demonstrandum, eadem nullatenus vti Bulla Confessarium, quoad illius absolutionem, neque in vita, neque in mortis articulo. Vnde edocere voluit, absolutos ob impedimentum quodlibet, aut mortis articulum ab Hæresis scelere, cessante illo, teneri sistere se, vt præfertur, Summo Pontifici, sui copiam facere, se præsentem exhibere, vt mandatis eius obediat.

132 Hanc tamen obligationem comparandi sic absolutus, bene quibit euadere, si denuò ab Inquisitore, aut ab alio ad id facultatem habente absoluatur. Ducor, quia absolutio prior, non impedit, quominus Hæresis reus, nouam absolutionem absolutam, ab illo obtinere valeat, qui eam præstare absolutam queat. Et ita docet Thomas Delbene, *de Parlamentis, dub.44. sub sect.32. corollar.5. n.5. pag. mihi 126. & de immunitate, cap.14. dub.18. sect.3. n.15.* cum Henriq. *lib.6.c.10. num.3. in Glossa litt. G.* Bonacina, *de Censuris, disp.1. q.5. num.15.* & aliis. Eandem sententiam tenet Trullench, *dicto n.12.* cum Henriquez, *loco à Delbene allegato n.5.* & cum Sanchez, *tom.1. in Decalogum. lib.2.c.13. n.32.* in hæc, quæ sequuntur prorumpens.

133 Qui carens Bulla Cruciata absolutus à reseruatis (excepta Hæresi externa) cum prædicto se præsentandi onere, potest accepta Bulla, aut tempore Iubilei concedentis eius casus absolutionem, præsentari se Confessori, vt iterum ratione Bullæ vel Iubilei, absque eo onere absoluatur, ac si absolutus prius nō esset; & ita prædicta se præsentandi obligatio cessabit. Ratio est, quia hoc onus obligat in quantum hic vti vult ea absolutione, impensa ratione necessitatis; at jam non ea vtitur, sed ea absolutione virtute priuilegij Bullæ eam absolutionem absque prædicto onere concedentis. Non enim prior absolutio præstita impedire potest, quin hic possit nouam absolutionem virtute priuilegiis obtinere.

§. X.

De Dominorum Episcoporum Diœcesanorum potestate.

BREVIARIVM.

Absolutio.

Ab Heresi, & ab aliis in Bulla Cœna contentis, si notoria non sint, vel ad forum deducta contentiosum, absoluere possunt Episcopi à n.134. ad 159.

Absolui possunt Episcopi ab Heresi, & ab aliis contentis in Bulla Cœna & occultis, per Confessarium ab ipsis electum, n.137.

Apostoli.

Æqualem à Christo Iurisdictionem in vniuersum obtinuerunt orbem; restringibilem tamen à D.Petro illius Vicario, n.143.

D.Petrus limitauit Apostolis Iurisdictionem immediatè à Christo susceptam, eos ad singulas destinando prouincias, n.143.

Axioma.

Erubescimus, cum sine Lege, aut ratione loquimur, n.138.

Bulla Cœnæ.

Bulla Cœnæ, & Concil. Trident. bene conciliari possunt, ad effectum vt istud per illam non derogetur, num.141.142.153.

Solùm prohibet ista Bulla absolutionem Heresis, &c. quando publica sunt, nō quãdo occulta. n.141.153.

Non derogat Bulla Cœnæ Bulla Cruciata in aliquo illius priuilegio, n.145.153.

Nec derogat Inquisitorum priuilegiis, n. 147.153.

Antiquis Episcoporũ non derogat priuilegiis, n.149.

Nonnulla recensentur in fauorem Bulla Cœna, pro reuocatione Tridentini Concilij, sess.24.c.6. n.152.

Satis tamen fit eis à n.133. *ad* 59.

Bulla Cruciatæ.

Per modum onerosi contractus conceditur, n. 146.

Est priuilegium personale, n.145.

Non derogat vllo huius Bulla priuilegio Bulla Cœna, n.145.153.

Concilium.

Generali Concilio non derogatur, nisi de illo mentio fiat expressa in derogatione, n.140.153.

Tridentini authoritas, maxima apud Pontifices Summos est, num.140.

Tridentinum, nouum Constituit Ius commune, n.145.

Ei non derogatur per Bullã Cœna, n.141.142.153.

S.Congregatio.

Responsa authentica S.Congregationis, magna sunt authoritatis; non tamen auferunt probabilitatem contraria sententia, n.156.

Doctores.

In rebus moralibus, plurium Doctorum authoritas, magni est habenda, n.82.158.

Credendum Authoribus non est, quantumuis magna sint authoritatis si sine Lege, aut ratione loquantur, num.138.

In explicandis Iuribus, magnam habent authoritatem, in Iure certè fundatam, n.141.

Episcopi.

Episcoporum authoritas, quoad absolutionem ab Heresi, & ab aliis reseruatis, & quoad dispensationes à Tridentino eis concessas recensetur. n.139.

An censeantur, solùm reseruata tempore celebrationis Concilij, cõprehendere, explicatur, §.13. n.209.

Episcopi, in sententia probabili, eandem omnino de Iure diuino habent in propria Diœcesi iurisdictio-

CONCLVSIO VI.

EPiscopi adhuc stante Bulla, quae quotannis die 154
Cœnae Domini publicatur, absoluere validè, & licitè, saltem in conscientiae foro, in suis dioecesibus, possunt Haereticos, & omnes alios in primo praefatae Bullae Canone, & in titulo istius Dubij contentos, dummodo notorij illorum criminum rei non sint.

Notorios voco illos, qui ita delinquunt, vt eo- 155
rum crimẽ nulla tergiuersatione celari queat, quia illud ferè omnium oculis, pateat vel per euidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam delinquentis Confessionem, in iudicio factam. Quando enim crimen aliquo ex his tribus modis non ita patet, vt aliqua tergiuersatione celari non possit, occultum illud dicitur, quoad praesens. Ita intelligunt Tridentinum, *sess. 24. c. 6.* Barbosa, *in collectanea ad dictum caput, n. 29.* cum Nauarro, *in Manu. c. 27. n. 254. in fine.* Sorbo, *in Compend. Mendic. in resolut. materia absolutionis, pag. 48.* Roch. *de Visitat. verbo, occultum* Toleto *lib. 1. c. 89. n. 5.* Viualdo *in Candelabro aureo, tit. de Irregularit. n. 315.* Vega *p. 1. c. 49. casu. 16.* Lal. Zech. *de casib. Episc. reseru. casu vlt. n. 1. & de irregularit. cas. 1.* Gutiettez, *lib. 1. Canonic. qq. c. 1.* Zerola, *in Praxi Episc. part. 1. verbo, irregularitas, §. 1.* Piasec. *in simili praxi, p. 1. c. 1. num. 56.* Suarez, *to. 4. in 3. p. disp. 3. sect. 2. num. 2. & to. 5. disp. 41. sect. 2. num. 6.* Sayro, *de Censuris, lib. 4. c. 17. n. 21. & lib. 7. cap. 13. n. 12.* Mar. Alter. *eodem tract. tom. 2. disp. 8. de Suspensione cap. 3. versic. Secundò notandum,* Auila, *de Censur part. 2. c. 7. disp. 1. dub. 12. concl. 2. & part. 7. disp. 10. dub. 6.* Molina, *de Iustit. tract. 3. dispu. 79. numer. 8.* Comitolo, *in Respons. moral. lib. 6. q. 44. n. 2.* Vgolino, *de Offic. epist. c. 57. n. 5.* Riccio *in praxi rerum foro Eccles. decis. 523. in 1. edit. & 450. in 2.* Reginaldo, *lib. 30. tr. 2. n. 30.* Bonacina, *de Censur. disp. 1. q. 3. punct. 2. n. 1.* Bonon. *de elect. dub. 71. à n. 7.* Vechis, *in praxi de Nouitiis, d. 9. dub. 16. n. 3.* Alzedo, *in Praxi Episc. part. 2. c. 6. n. 12.* & aliis Emanuel Sà, *verbo Episcopus, n. 55.* Azorius, *par. 1. lib. 8. cap. 10. q. 9.* Fagundez, *in 2. precept. Eccles. lib. 8. cap. 8. n. 13.* Chassaing, *de Priuilegiis Regular. tr. 3. c. 3. propos. 1. in fine.* Lessius, *opusc. de excommunicat. cap. 7. dub. 3. versic. Notandum est.*

Conclusionem nostram tenent Emanuel Rode- 156
riquez, *in Summa, tom. 1. cap. 130. num. 3. & to. 1. quaestion. Regular. quaest. 20. art. 10. & in expositione in Bullam Cruciata. §. 9. n. 70.* cum Henriquez, *de Sacramento Poenitentiae, lib. 3. cap. 3.* & Gutierrez, *in quaestionibus Canonicis.* Bassæus, *tom. 1. verbo Haeresis num. 18. versic. Secundò,* cum Portel, *verbo Episcopus num. 1.* Crusers, *in Regulam Sancti Francisci cap. 7. lect. 11.* Puteano, *2. 2. q. 11. ar. 4. dub. 2.* & Paulo Layman, *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.* addente posse absoluere in regionibus Septentrionalibus etiam ab Haeresi manifesta, propter frequentiam casuum, & difficultatem àdeundi Papam. Tenet etiam Candidus, *tom. 1. disquisitionum Moral. de Asolutione disp. 3. art. 28. dub. vnico.* Peyrinus, *tom. 1. priuileg. ad constitut.* Pyrrhi, *num. 44.* cum Aluino, *de potest. Abbat. &c. c. 27. n. 4.* Carolus Malletus, *in Theolog. Morali. to. 1. de Sacramentis, Malleatione 25. Bractea 41. pag. 265.* Fagundez, *in secundum Ecclesiae praeceptum, lib. 8. c. 8. n. 32. pag. mihi 522.* cum Henriquez, *lib. 6. de Poenit. cap. 14. num. 7.* Bannez, *2. 2. quaest. 11. art. 4. dubitat. 2. post conclus. 1. versic. & siquis.* Gutierr. *vbi proximè libro 1. capite 13. editione vltima.*

ad

ad finem. Aragone, *2.2.quæst.11.art.3.col.10.versic. Sed dubium est.* Emanuel Sà, *verbo Episcopus, num.37.* pro sua, & nostra recensetur sententia à Patre Fagundez, sed immeritò, quia nihil de illius materia *ibi*, & quia contrariam sequitur *verbo, Absolutio, num.4. & eodem verbo, Episcopus nn.27. & 34.* Nostram etiam tenent Pax Iordanus, *tom.1. de Re sacra, lib.3. tit.4. num.65. 66. & 70.* Nauarrus, *lib.1. consiliorum, tit. de Constitutionibus, cons.1. num.88. & lib.5. tit. de Priuilegiis, consil.11. nu.1.* Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologia, lib.7. cap.1. dub.5.* Didacus Antonius Frances, de Vrrutigoyti, *in Pastorali interno, tract.1. quæst.2. num.19. & seqq.* Iacobus Granado, *2.2. controuers.1. de Fide, tract.15. sect.20. num.10.* cum Lorca, *2.2. quæst.11. art.4. disp.45.* quem recenset Diana, *part.1. tract.5. resolut.2. & part.4. tract.4. resol.239.* & simul reddit, Fernandez, *in examine part.4. cap.7. §.1. num.5.* Sousam, *in Bullam Cœnæ, cap.23. disp.100. concl.3. num.7.* Nugnum, *tom.2. in addit. ad 3. part. quæst.8. art.5. dub.10. in fine,* Ledesmam, *in Summa, tom.2. tract.1. cap.6. concl.10. diffic.7.* Henriquez; *loco vltimò recensito in Glossa litt. M. & lib.13. cap.27. num.5. litt. Q.* Gomezium, *in Bullam Cruciatæ, Clausula 10. num.44. in fine.* Vegam, *in Summa, tom.2. c.125. casu 11.* LLamas, *in Summa, part.3. cap.1. §. vlt. in fine.* Ietolam, *in praxi Episcop. part.2. verbo, Absolutio §.8. & 18. versic. Hæreticum, §.4.* Iacobus Simancas, *de Catholicis institutionibus tit.3. num.3. pag. mihi 8.* Leander, à Sanctissimo Sacramento, *part.4. tract.2. disp.17. §.2. quæst.41.45. & 46.* cum Auila, *de Censuris part.2. cap.7. dub.6. disp.1.* Bonacina, *de Censuris, disp.1. quæst.3. punct.2.* Barry, *tract.2. disp.3. de absoluente, quæst.21.* Hurtado, *disp.15. de excommunication. difficult.3. versic. Deinde Episcopis.* Castrus Palaus, *part.1. tr.4. disp.4. punct.3. §.1. n.1.* Becanus, *part.3. tr.1. de virtutibus Theologicis, c.15. q.1. concl.4.* Pellizzarius, *tr.8. cap.3. n.72. pag. mihi 275. to.2. Manualis Regularium.* Refert Roderiquez, *dicta q.20. ar.10.* pro nostra sententia, ex Henriquez, illam tenuisse multos Iurisperitos, & Theologos, Medinam, Pennam, Gallum, Sanctium Episcopum Segobiensem, Guerrerum Granatensem Archiepiscopum, Blanchium Compostellanum Archipræsulem. Qui Reuerendissimi Præsules magnam (inquit) habent in hoc authoritatem, tum propter singularem eorum doctrinam, & sanctitatem: tum, quia vt Patres Ecclesiæ, interfuerunt Concilio Tridentino. Refert etiam Moyam, & Solis primarios Salmanticenses Cathedrarũ moderatores: & quod Cardinalis Caraffa nomine Sacræ Congregationis Cardinalium, ita rescripsit ad Christoph. Vela Burgensem Archiepiscopum. Idem Caraffa, eodem nominè ita etiam respondit Comitolo ipso testante, apud Leandrum *dicta quæst 46.*

137 Nostram sententiam tenet Noster Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum, to.2. d.14. q.15. n.8.*, vbi recensito decreto S. Concilij Tridentini, mox exscribendo, sic reddit ex Coriolano, *de casibus reseruatis, p.1. sect.1. ar.23. num.1.* declarationem Sacræ Congregationis super Concilium, in dictum decretum. Videlicet, An Episcopo in aliquod horum delictorum, de quibus hoc capite prælapso, liceat ad se absoluendum proprium Confessarium deputare, cum eadé authoritate, quam ipse possit ex eodem capite in sibi subditos exercere: & responsum fuit. Sacra Cógregatio censuit, id Episcopis licere.

138 Probabilem pronunciant nostram sententiam, Lessius, *opusc. de Excommunicat. c.7. dub.3. versic. Vtrum autem.* Escobar, *to.8. de virtutibus Theologicis lib.47. sect.2. problemate 104. n.477.* licet contrariam longe probabiliorem iudicet, Præcipuum fundamentum, quo moueor (ad oppositam scilicet sequendam) est tantorum virorum authoritas, qui in re morali magni est habenda. Ita ille, cum tamen nouem tantùm pro sua recenseat Doctores: Ioannes Sanctius, *in selectis d.50. n.32.* penes Dianam, *part.1. tr.5. resolut.2. ipse* Diana *p.4. tr.4. resolut.239.* in hæc prorumpens. Nihilominus valdè probabile est, adhuc perseuerare potestatem à Tridentino concessam Episcopis. Sic sentiunt Nauarrus.... & multi alij. Sanchezque tandem fatetur, rationes pro hac sententia vrgere, & authoritate Doctorum reddi videri probabilissimam. Hactenus Diana, Pronunciat & Sousa *in Aphorismis inquisitorum, lib.3. c.4. n.5.* Satis probata manet Conclusio per principia extrinseca: authoritates scilicet Doctorũ: multorũ admodum, & grauissimorum, qui post celebrationem Tridentini, & multarum Bullarum in die Cœnæ promulgationem, vni post alios, vsque ad præsens, laudabiliter ex professo de hac difficultate scripserunt. Sed licet vti Peyrinus ait, *tom.3. de priuilegiis, in additament. ad Constit. Pyrrhi, c.1. n.10. in fine.* Doctoribus quantumuis magnæ authoritatis credendum non est, si sine lege, aut ratione loquantur, vti ait Archidiaconus *in c. Nolite timere, 11. q.3.* erubescibile enim est aliquid dicere & per legem non probare, vt multis probat (ait) Paulus Rosellus, *in Floribus legum, verbo erubescimus,* & Vgolinus, *de Censuris Pontifici reseruatis, p.3. c.1. vers. Etiam prætex. n.3. sub. §. contrariã. pag.479.* Erubescimus (inquit) cum sine ratione loquimur. §. *Consideremus, in Authentico, de Triente, & semisse*; quia tamen à nobis hîc recensiti Doctores legi, & rationibus vtuntur efficacibus, magna eis fides adhiberi debet. Eorum igitur vestigiis inhærendo, lege propugnemus suam, & nostram sententiam, intrinsecis fulciamus principiis, rationibus fortificemus.

Sed vt Conclusio nostra lege probetur, supponendum est Tridentini Concilij Decretum *sess.24. c.6.* sub sequenti editum tenore. 139 Liceat Episcopis, in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in Hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum. Hactenus Conciliare Decretum. Quo supposito, ex lege est probata sententia nostra: rationibus illam roboremus. Ex his ergo:

Probatur *primò* Conclusio, in Bulla Cœnæ, dum priuilegiis, facultatibus, & indultis derogatur, præfati Concilij Tridentini, & eius Decreti expressa mentio non fit; ergo illi neutiquam per Bullam huiusmodi derogatur. Antecedens ex ipsomet Bullæ textu suprà *n.9.* reddito, manifestè conuincitur. Consequentia verò probatur. Decreto Concilij Generalis, propter eius grauitatem, non intelligitur derogatum, nisi de eo mentio specialis in derogatione fiat. Palaus, *to.6. tr.3. disp.3. punct.2. n.3. pag.157.* Diana, *p.2. tr. de collocutione Ex resol.21.* cum Th. Hurtado, *variar, tom.2.*

tract.5.cap. 4. §. 2. *num.* 30. Moneta, *de commut. vltim. volunt. cap.* 7. *à num.*277. Couarr. *variar. lib.*4.*cap.* 16. *num.* 6. Gutierrez *in l. Nemo potest, de legat.* 1. *num.* 173. Henriquez, *lib.* 1. *de indulgentiis cap.* 26.*num.* 16. Viualdo, *in Candelabro part.* 3. *cap.* 12. *num.* 14. & Vincentio candido Magistro S.Palatij *tom.* 1. *disquisit. Moral. disp.*3. *art.*28. Thomas Sanchez, de Matrim.*lib.*3.*disp.*26. *num.*7. cum Felino, in dict. *c.Nonnulli, numer.*3. Archidiacono, *in c.de Constitut.in* 6. Selua, *de Benefic. part.* 3. *quæst.* 11. *num.* 31. Paris. *Cons.*2. *num.*30. *lib.*2. Nauarr. *in Man.cap.*27. *num.* 265. Iacobat. *lib.* 5. *de Conciliis à* 18. Alaba, *de Conciliis part.*1.*cap.*2. Couar.4.*Decret.*2.*part.cap.*8.§.9. *n.*6. dicente totum mundum hoc amplecti. Mandos. *Regul.* 19. *Cancell. quæst.*16.*n.*12. Molina *de Iust.tom.*1.*tr.*2.*disp.*173. Gratian. *Reg.*291. *nu.*4. Menochio, *cons.*294. *num.* 11. & 12. *volum.*3. & aliis, quos ibi recenset. Conc.Lateran.*In cap.Nonnulli el* 28. *de rescriptis* ibi vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem. Et Gloss. *verbo, Fecerint mentionem.* Alexander, III. in *cap. Eam te el* 4.*de ætate, & qualitate* ibi: nec aliqua occasione, vel etiam litterarum nostra non obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus, & ætate, Concilij (Lateranensis scilicet, *in cap. cum in cunctis, §. inferiora*) non congruant institutis. Et Henerius III. *in cap.Ex parte tua, el* 3.*de capellis Monachorum*, ibi cum autem id obuiet Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio est in litteris ante dictis, breuiter respondemus, quod huiusmodi litteras ab Apostolica Sede nō credimus emanasse. Et Glossa, *verbo De quo nulla mentio.* Imò in litteris Pontificiis derogantibus, priuilegiis ab eadem Sede concessis, mentio istorum debet fieri, vt eis derogari censeatur. Ita præfatus Alexander III.*in cap.cum Ordinem, el* 6.*de rescriptis*, cum Ordinem Cistertiensem professi: & infrà. Si contra vos super decimis, vel aliis, quæ Ordini vestro specialiter Sedes Apostolica indulsit, non facta mentione Cistertiensis Ordinis, litteræ fuerint à Sede Apostolica impetratæ, per eas minimè teneamini respondere. Sed Concilium Tridentinum Generale est, & eius Decreta tantos æstimarunt Summi Pontifices, qui post illud Ecclesiæ præfuerunt, vt pro vitidi illorum obseruantia Sacram erexerint Congregationem Cardinalium: & in confirmationibus Priuilegiorum, Clausulam apposuerint hanc: quatenus Decretis Concilij Tridentini non aduersentur. Ergo cum Concilium præfatum tam disertè faciat Episcopis facultatem absoluendi ab Hæresi occulta, &c. non est credendum eam fuisse reuocatam virtute Bullæ Cœnæ maximè cum conciliari cum ea queat.

141 Quod conciliari bene valeant Decretum Concilij ante dictum, & Bulla Cœnæ, ostenditur. *Primò*, ex quàm plurimorum Doctorum sententia affirmantiū istam illi non derogari. Doctores enim magnam in explicando Iure authoritatem habent. Cum enim (inquit Palaus, *to.*1.*tr.*3.*d.*5.*p.* 3. §.2. *n.*1.) Lex sæpè ambiguitatem in sua significatione contineat, neque Legislator de facile consuli potest, necessarium erat, vt Doctoribus daretur facultas hanc interpretationem faciendi, *l.vnica, Cod.de Professoribus.l.*1.*ff de origine Iuris l.*1.*ff.Si certum petatur l. Si negotium ff. de priuilegiis creditorum.* Et colligitur satis ex *cap.* 2. *de Priuilegiis in* 6.*& ex proœmio.Decret.*6.*& Clement.In fine* & aliis in locis. Hæc Palaus. Lezana, *tom.*2.*verbo leges Regularium n.*31.*in fine*, cum Suarez, *de legibus, lib.*6.*c.*1. & Bonacina, *eod.tr.disp.*1.*quæst.*1.*punct.*8.*n.*2.*&* 3.

Secundò, quia rectè dici potest, præfatam Bullam 142
Cœnæ, solùm interdicere Hæresis, & aliorum criminum absolutionem, quando publica illa sunt; in Decreto autem Concilij Tridentini solùm conceditur absolutio de occultis facinoribus. Cum igitur Iuris correctio vitari debeat *c.*29.*de Electione, in* 6. vbi *ita* Bonifacius VIII. *Cum expediat concordare Iura Iuribus, & eorum correctiones (si sustineri valeant) euitari.* Glossa, *verbo, Sustineri*, allegat. *l. Si quando, Cod. de inofficioso Testam.* Lezana, *verbo. Leges Regularium nu.*40. allegat. *l.vlt.Cod.de Appellationibus. Præcipimus.* Marcus Vitalis *in Area Vitali, in indico vtriusque Iuris textuum, axiomatū, & sententiarum, verbo Lex* & Castrus Palaus, *vbi proximè*, §.3.*num.*13. vbi satis bene, & ad rem nostram ait quod Lex nunquam censetur derogata alia Lege, nisi Lex derogans priori sit omnino contraria. Et Sanchez, mox allegandus, ait, quod Lex posterior, & indistinctè loquens, limitāda est per specialem antiquiorem, & iuxta illam intelligenda, nisi expressis verbis illi contradicat *l.sed & posteriores, ff. de Legibus.* ibi; posteriores Leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint. Qua ratione Glossa, *in l.Sciendum*, infra citanda, *verbo Non compelli.* Et ibi Barth.*in princ.n.*1. Iason. *n.*4. idem Bart.*in l. Omnes populi, quæst.* 3.*ff. de Iust. & Iure* Bald.*authent. Offeratur, n.*12.*in princ. Cod.de litis contestat.* Abbas, *consil.*24.*n.*1.*versic. Secundò principaliter, vol.* 2. Decius, *ff. de regulis Iuris Reg.* 80. *n.*11.*& Reg.*90.*n.*12. Nauarrus, *can. Placuit, de pænit.dist.*6.*n.*148.*& in Manuali, c.*27.*n.*260. Huic innitentes Doctrinæ, asserunt authenticam *Offeratur* citatam, multo posteriorem, restringi per dictam legem. Sciendū antiquiorem, quia correctio Legis (inquit) Palaus, vitanda est quoad fieri potest: & addit, quòd hæc Doctrina adeò vera est, vt etiamsi posterior Lex habeat Clausulam, *Non obstante*, (qualis vtique in Bulla reperitur Cœnæ, & exscripta quidem suprà *n.*11.) ex illa non intelligatur prior derogata, nisi quatenus posteriori est contraria. Quare, si per aliquam limitationem, vel distinctionem possit prior Lex specialis sustineri, retinenda est. Ita Palaus, cum Sanchez, de *Matrim.to.*1.*lib.*2. *d.*24.*n.*6.*q.*2 *pag.mihi* 145. *ex authent. de Successione ab intest. in princ.* cum Glossa ibi, *verbo vacantibus.* Bart. super *extrauag. Ad reprimendum, §.Non obstantibus n.*6.*& in leg. Sciendum, n.*2.*ff.Qui satisdare cogantur.* vbi Iason, *n.*4. & ipse Iason, *in l.*1.*n.*9.*ff. Soluto Matrimonio quemadmodum Dos petatur.* Barbosa, *in proœmio Decretalium n.*45.*&* 46. Peyrinos, *de Priuilegiis to.*3. *cap.*1. *num.* 8. *in fine.*

Probatur *Secundò*, supponendo in probabili 143
sententia asserente Episcopos eandem omnino de Iure diuino, in propria Diœcesi habere iurisdictionem, ac habet pro vniuersa Ecclesia Papa, vti docent Franciscus victoria, *in relectione* 2. *de potestate Papæ, & Ecclesia, q.*2.*n.*28. Sotus, in 4.*d.*21. *q.*1.*ar.*4. Miranda, *in Manuali prælatorum, tom.* 2. *q.*2.*ar.*1.*concl.* Henriquez, *lib.*3.*de Pœnitentia, c.*14. *n.*7. Michaël de Medina, *disp.*6. Corduua *in Sum. q.*12.*proposit.*2. Barbosa, *de potestate Episcopi, p.*1. *tit.*1.*cap.n.*8. & penes Dianam, *p.*12.*tract.de consecratione Episcoporum, resolut.*75.*versic.Verùm*, Alfonsus de Castro, *lib.*2. *de iusta Hæreticorum punitione, c.*24. Petrus Soto, *lect.*5.*de Confessione*, Ioannes Maior, *in* 4.*dist.*17.*q.*7. Dominicus Soto, *de iustitia & Iure, lib.*1.*q.*1.*a.*4. Ertius, *in* 4, *dist.*24.§.25. & Vazquez, *disceptat*, 240. *can.*4.*n.*45. quam ipse

Diana

Diana *versic. Quid ego sentiam*, probabilem pronunciat. Et ratio sententiæ est, quia Episcopi Apostolorum successores sunt. Gloss. *in cap. Abbates, in Summa el 3. de Privilegiis, lib. 6.* Apostoli autem à Christo Domino in vniversum Orbem æqualem obtinuerunt iurisdictionem, vt latè probat Caiet. *tom. 1. Opusc. de Authoritate Papæ, & Conciliorum, cap. 3. & 4.* vbi etiam probat ex D. Thom. super verbis D. Pauli *1. ad Corinth. c. 12. versu 28. Et quosdam quidem posuit: Deus in Ecclesia, primum Apostolos*: regimen Ecclesiæ, & iurisdictionem immediatè accepisse omnes Apostolos à Christo. Illam tamen acceperunt Apostoli, & accipiunt Episcopi à D. Petro, & Successoribus eius Summis Pontificibus, Vicarijs Christi restringibilem. Vnde D. Petrus illam à Christo susceptam iurisdictionem, aliis limitavit Apostolis, singulos ad singulas destinando Provincias: & eius in Summo Pontificatu Successores, Diœceses, Episcopis distribuendo: & quosdam casus Sedi suæ reservando.

144 Probatur igitur conclusio, Lex Tridentini Concilij in dicta *sess. 24. cap. 6.* contenta, est correctoria Iuris communis antiquioris, auferens restrictionem, & limitationem in eo factam, respectu iurisdictionis Episcoporum, & illam in ea parte ad suum primævum statum, quem habebat antecedenter ad restrictionem, reducens, vti inquiunt, Abbas Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 2. disput. 14. quæsit. 15. num. 8. versic. Ita supradicta*: Petrus Ledesma *in Summa, tom. 2. tr. 1. cap. 6. diffic. 7. conclus.* 10. Henriquez *lib. 3. de Pœnitentia, cap. 14. num. 7.* ob quam rationem non dicitur à Iure communi exorbitans. Sed Lex non exorbitans à Iure communi, sed correctoria eius, maximè si in Iure communi posteriori contineatur, vt est hæc Tridentina de qua loquimur, non strictè, sed cum ampliatione est intelligenda, Molina *de Primogenitura, lib. 3. cap. 4. num. 25.* Gutierrez *de iuramento confirmatorio, cap. 51. num. 8.* Navarrus *cap. 1. de Pœnitentia, distinct. 6. §. Laboret, & in Manuali, cap. 27. nu. 261. iuxta vnam editionem*: & *num. 264. iuxta aliam*, Antonius Gomez *tom. 3. Variarum resolutionum cap. 5. n. 11.* Covarruvias *lib. 3. Variarum, cap. 6. n. 14.* Glossa *in cap. Statutum, verbo Numerandum el 3. de Prabendis, lib. 6.* ibi. *Item per hanc reditur ad ius commune.* Extendenda est igitur, vt de facili ad suam naturam redeat, *35. distinct. Ab exordio, ff. de Pactis, l. Si vnus*: ergo dicta Lex Tridentini Concilij non strictè, sed cum ampliatione est intelligenda: ergo in nulla venit revocatione, nisi fiat de ipsa expressa mentio; aliàs non latè, sed strictè vsurparetur.

145 *Tertiò* probatur conclusio. Bulla Cœnæ non derogat Bullæ Cruciatæ, aut vllo eius privilegio, vti vt certissimum docet Ægidius Trullench *in expositione dictæ Cruciatæ, lib. 1. §. 1. dub. 13. n. 2.* cum Navarro *de Indulgentiis, notab. 33. nu. 2.* Roderiquez *in Bullam, §. 9. n. 69.* Henriquez *lib. 7. cap. 21. n. 2.* Villalobos *in Summa, tract. 27. clausula 4. num. 11.* & Ludovico à Cruce *in Cruciatam disput. 1. cap. 10. dub. 4. & 5.* docent & Fagundez *in secundum Ecclesiæ præceptum, lib. 8. cap. 8. n. 32. in fine*: Diana *part. 1. tract. 11. resol. 96.* cum Fernandez *in exam. Theologiæ Moralis, part. 3. cap. 9. sect. 11. & cap. 19. num. 5.* Duardo *in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. quæst. 11. num. 41.* & Thoma Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 27.* Præfatus Navarrus *tom. 2. Consilior. lib. 5. tit. de Privilegiis, consil. 11. num. 1.* Antonius de Escobar *in Theologia Morali, tract. 1. Examine 17. cap. 4. n. 21.* Ausonius Noctinot *verbo Bulla Cruciata, quoad alia, nu. 93.* ergo multò minus Decreto derogat Concilij Tridentini concedenti Episcopo facultatem absolvendi à casibus occultis ipsius Bullæ, & etiam ab Hæresi. Consequentia patet, quia Decretum illud vim Iuris communis habet; Bulla autem Cruciatæ privilegium personarum singularium est. Ad revocationem autem Iuris communis ampliùs requiritur, quàm ad revocationem privilegij, maximè singularibus personis concessi: ergo si Bulla Cœnæ, Bullæ non derogat Cruciatæ, à fortiori nec Tridentini Concilij Generalis derogabit Decreto.

Nec valet dicere Cruciatam non revocari per Bullam Cœnæ, quia Cruciata per viam contractus onerosi concessa existit. Non inquam valet, quia ex hac causa revocabilis est per clausulam Bullæ Cœnæ: non obstantibus privilegiis.... ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis. 146

Quartò probatur. Privilegia Inquisitoribus contra Hæreticam pravitatem concessa per Summos Pontifices, Bulla non revocat Cœnæ, cum tamen eis facultas à maiore data non sit, quàm Episcopis: cum data fuerit à solo Papa Inquisitoribus: Episcopis autem à Papa, & toto Concilio Generali (vti benè ponderat Navarrus *in recensito consilio 11. de privilegiis*) non obstante quod Inquisitores, & eorum privilegia non magis excipiantur in clausula revocatoria privilegiorum, & facultatum absolvendi, in Bulla Cœnæ contenta, quàm Episcopi, & eorum facultas; ergo nec revocat facultatem factam Episcopis. 147

Quintò probatur. Bulla Cœnæ posterior est Concilij Tridentini Decreto, & indistinctè loquitur, ac generaliter. Sed Lex posterior generaliter, & indistinctè loquens limitanda est per legem antiquam, quando antiquior illi contradicit (omninò scilicet, quamvis in posteriori adsit clausula: *Non obstante lege contraria*: Fagundez *in 2. Eccl. præcept. lib. 8. cap. 8. num. 32.* Faciunt Iura, & Doctores allegati, *num. 142.* Palaus *part. 1. tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 3. num. 14.* vbi hanc Regulam tradidit, vt semper Lex nova debeat secundùm antiquam interpretari *ex l. Non est novum, & l. Sed & posteriores, ff. de Legibus, l. 1. §. Lex Falcidia, ff. ad Legem Falcidiam*: vbi Alexand. *num. 7.* & Glossa notabilis *in l. Sciendum in gloss. 1. ff. qui satis dare cogantur*: & tradit Menoch. *casu 499. n. 22.* & Centuria 6. *casu 502. num. 67. versic. Et quidem hac opinio*: Marcus Vitalis *in indice vtriusque Iuris textuum, axiomatum, & sententiarum, verbo Lex, ad calcem Arcæ Vitalis*, ita ait. Lex specialis non revocatur per generalem posteriorem, sed potiùs generalis limitanda est per specialem, & iuxta illam intelligenda, nisi expressè ei, (omninò scilicet) contradicat Glossa *in Authentico Offeratur, Cod. de litis contestatione, l. Sed & posteriores, ff. de Legibus.* Sic ille. Idem ait, *tit. de Casibus reservatis num. 74. & tit. de Iurisdictione, num. 81.* ex communi sententia Iuristarum *in cap. 1. de Rescriptis,* testante Suarez *de Legibus, lib. 6. cap. 17. num. 13.* & ex Regula Iuris in 6. *Generi per speciem derogatur.* Quam cum Glossa ibi, & DD. intelligit, etiamsi species antecedat *cap. Quamvis tibi, de Prebendis in 6. & cap. 1. de Constitutionibus, lib. 6.* Naldus *verbo Lex, num. 18.* vbi ait. Lex posterior generaliter loquens, & indistinctè, limitanda est 148

per ſpecialem antiquiorem, & iuxta illam intelligenda: etiamſi in lege nova adſit clauſula, non obſtante alia contraria, &c. Hæc enim intelligitur de lege contraria, quæ non poſſit cum hac ſubſiſtere per aliquam limitationem, vel diſtinctioné: ita Nald. Quocirca Palaus *vbi proximè punct.* 2. §. 1. *n.* 9. ait. Dixi poſteriorem legem abrogare priorē, dummodò priori contraria ſit; nam ſi aliquo modo excuſari poteſt contrarietas, legum correctio, quoad fieri poſſit vitanda eſt: *ex l. vlt. Cod. de Appellation.* & *l.* 1. *Cod. de inofficioſis dotibus*: & *ex cap. Cum expediat, de Electiōn. in* 6. & *ex cap. Cum dilectus, de Conſuetudine*, & tradit Bart. *l. Si conſtante, ff. Soluto Matrimonio, num.* 39. & pluribus relatis, Tiraquel. *in præfat. num.* 62. Ita ille Vrrutigoyti *in Foro interno, tract.* 4. *quæſt.* 2. *nu.* 2. Laurentius de Peyrinis *tom.* 3. *de Privilegiis, cap.* 1. *num.* 8. *in fin.* ibi. Quod tam verùm eſt, quod licet in poſteriori lege appoſita ſit clauſula derogatoria, non tamen intelligitur abrogari prior, ſi poſſunt diſtinctione concordari: Gloſſa *in Clem.* 1. *de Præbendis*, de Federic. *de interpretat. Iur. par.* 2. *num.* 113. nam correctio legis, quantum fieri poteſt, vitanda eſt: *cap. Cum dilectus, de Conſuetud.* (*el* 8. ſcilicet, ibi: cæterùm cum ſupradictum ſtatutum, ita ſanè poſſit intelligi, quod per illud nec Iuri communi, nec privilegio derogetur, &c.) *cap. Si Papa, de Privilegiis in* 6. Hæc Laurentius: ergo Bulla Cœnæ per Tridentinum Decretum limitanda eſt, ita vt clauſula derogatoria in illa appoſita, Epiſcopos, & facultatem per illud eis attributa, vel potius reſtituta, minimè comprehendat.

149 Probatur *ſextò* noſtra Concluſio, ex duplici Declaratione, ſeu reſponſione facta, nomine Sacræ Congregationis Concilij, per Cardinalem Caraffa: altera, ad D. Chriſtophorum Vela, Burgenſem Archipræſulem, quam Emanuël Roderiquez refert *tom.* 1. *quæſtion. Regularium, quæſt.* 20. *art.* 10. Altera verò ad Comitolum, de qua ipſemet teſtatur Comitolus, apud Leandrum *tom.* 4. *de Cenſuris, tract.* 2. *diſput.* 17. §. 2. *quæſt.* 46. & ex declaratione Pij V. relata à Vivaldo *in editione noviori, part.* 1. *tit.* 11. *de abſolutione Sacramentis, num.* 13. penes eundem Leandrum. Declaratio vtraque, & reſponſio hoc vnum continet, quod nihil per Bullam Cœnæ derogatum ſit antiquis Epiſcoporum privilegiis, vel facultatibus.

150 *Septimò* probatur. Opinio probabilis tribuit Iuriſdictionem, etiamſi opinio illa fortè ſit falſa: v. g. ſi probabile ſit, talem abſolvere poſſe à reſervatis, vel à Cenſuris; Matrimonio aſſiſtere; excommunicare; Confeſſarium eligere; privilegium revocatum non eſſe; & ſimilia: & ille, ex hac operetur opinione, valida ſunt acta, ſupplente defectum Eccleſia, ſi fortè ſubſit defectus: Ita Thomas Delbene *de Parlamen. dubit.* 4 *ſubſect.* 32. *coroll.* 2. *num.* 2. *pag. mihi* 113. cum Henriquez *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 14. *n.* 3. & 4. Thom. Sanchez *tom.* 1. *de Matrim. lib.* 3. *diſput.* 22. *n.* 65. vbi eundem allegat Henriquez, non *lib.* 2. ſed 5. & reddit rationem. Quia eſt communis error, titulúſque præſumptus, collatus à legitimo Superiore, & defectum illum Iuriſdictionis, Miniſtri, aut licentiæ, poteſt ius humanum ſupplere: ita & Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 1. *diſput.* 2. *de Conſcientia opinante, punct.* 5. *nu.* 9. dicens. Quia quando adeſt probabilis opinio abſolvendi à reſervatis, à Cenſuris, aſſiſtendi Matrimonio, nullo morali periculo ſe exponit miniſter irritum faciendi Sacramentum. Quia licet ex privilegio Iuriſdictionem non habeat, habet tamen ex tacito conſenſu Eccleſiæ, & ratihabitione de præſenti, ſupplente Iuriſdictionem, ne tot actus irriti ſint. Ita docuit Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. diſput.* 26. *ſect.* 6. *n.* 7. & *ſeqq.* Leſſius *lib.* 2. *de Iuſt. cap.* 29. *dub.* 8. *n.* 68. Villalobos 1. *tom. Summa, tract.* 1. *diffic.* 13. *n.* 5. *in fine*: Henriquez *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 14. *num.* 3. & 4. *in com. lit. G*, Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio, diſput.* 22. *num.* 65. & *in Summ. lib.* 1. *in Decalog. cap.* 9. *num.* 35. Baſilius de Leon *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 19. *num.* 8. & *cap.* 20. *n.* 7. Ægidius *de Sacram. diſput.* 8. *dub.* 3. *concl.* 6. *nu* 22. & *dub.* 6. *num.* 47. Bonacina *de Sacramentis, diſput.* 5. *quæſt.* 7. §. 4. *n.* 4. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 227. Omnes enim ij, & alij affirmant, operantem ex opinione probabili ſe habere Iuriſdictionem, illam habere certiſſimam, ſicut habet, qui ex errore vulgi, & titulo præſumpto operaretur; ac proinde nullo periculo morali irritandi Sacramentum exponi. Huc vſque ad amuſſim Doctus Palaus. Eandem tenent ſententiam Trullench *in expoſit. Bulla Cruciatæ, lib.* 1. §. 1. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 28. cum aliquibus ex ſupra allegatis, & cum aliis, quos Sanctius *in Selectis, diſp.* 44. *num.* 3. *verſic. Alia verò res, in fine*, recenſet Diana *part.* 2. *tract.* 13. *de Opinione probabili, reſol.* 2. *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 4. cum Maldero *in* 1. 2. *D. Thom. q.* 19. *art.* 5. *diſp.* 86. Bonacina *in Decalogum, diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 9. *num.* 19. & alijs. Auſonius Noctinot *verbo Opinio probabilis, num.* 8. Buſſembaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *verſic. Reſpondeo, & verſic. In adminiſtratione* Et maiori cum expreſſione *lib.* 6. *tract.* 4. *de Pœnit. cap.* 2. *dub.* 3. *de Iuriſdictione Confeſſarij, verſic. Peccat, qui abſolvit.* Lezana *tom.* 2. *Summa quæſtionum Regularium part.* 4. *verbo Opinio Regularibus tenenda, num.* 8. *propè finem.* Qui idem docuerat *part.* 3. *verb. Confeſſio, num.* 3. paulò poſt medium, vbi addit. Quod eſt valdè notandum pro Regularibus, quando ſunt opiniones diverſæ circa valorem privilegiorum, quæ habent ad abſolvendum. Marcus Vitalis *in Arca Vitali, tit. de Opinione probabili, num.* 49. *pag. mihi* 396. Pellizzarius *in Manuali Regularium tom* 2. *part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 96. *pag.* 280. Peyrinus *tom.* 3. *de Privil. cap.* 1. *nu.* 10. quatenus dicit. Quintò, illa opinio eſt eligenda, quæ eſt favorabilis, & magis benigna, & propter quàm res valet, & non perit *l. In obſcura voluntate, l. Quoties dubia, de Regulis Iuris, cap. Si vir, de cognatione ſpirituali, cap.* 1. *eod. tit. c. final. de re iudicata*: illa autem opinio eſt magis benigna, quæ favet iuramento, matrimonio, libertati, teſtamento, Religione, ſive reo. Vide Ioannem Andream *in cap.* 1. *ad finem de Summa Trinitate*, & Hoſtienſem *in d. cap. Si vir.* Hactenus Peyrin. ergo cum opinio quam ſequimur in Concluſione, probabilis admodum valdè ſit, animabus multum favorabilis, & magis benigna, & quæ reo, & eius libertati favet, Iuriſdictionem tribuet Epiſcopis ad abſolvendum ab Hæreſi, & omnibus aliis delictis, in primo Canone Bullæ Cœnæ contentis, eſto per illam fuerit ab eis ablata, quod firmiter, & ſine hæſitatione, authoritati quàm plurimorum Doctorum, & rationibus redditis innixi, in præcedentibus negavimus.

Circa id quod ex Palao retuli, errorem vulgi, 15
ſeu communem, Iuriſdictionem conferre, ſi titulus adſit præſumptus, addo, ſufficere errorem communem abſque titulo præſumpto, ſeu colorato,

tato, ad illam confetendam. Ita Diana *part..11. tract. 2. resol. 69.* cum Basilio Pontio *de Matrim. lib. 5. cap. 10. num. 7.* Bordono *in consil. reg. tom. 1. resol. 86. n. 50.* Sylvio *in resolut. variis, verbo Matrimonium 11.* Leandro *de Sacramentis, tomo 1. tract. 5. disp. 11. quæst. 102.* Hurtado *in variis resol. tom. 2. tract. 12. cap. 1. resol. 7. num. 2018.* Hermano Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib. 6. tr. 4. cap. 2. dub. 3. nn. 8.* Possentio *in recollect. quæstion. Moral. cap. Miscellan pro Regularibus, n. 17.* Longho *in Tabul. Sacram. tabula 2. cap. 59. n. 19.* Cutello *in Addit. ad pract. 4. Mancini, dub. 29.* & Pellizzario *in Manual. Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. num. 62.* ipsum Dianam citantibus. Quibus ipsemet addit Bardi *in Bullam Cruciatæ part. 2. tract. 5. cap. 1. sect. 12. nn. 157.* Sanctium *in Select. disput. 44. num. 3.* Molfesium *in Summ. tom. 1. tr. 7. cap. 13. nn. 21.* Machadum *del perfetto Confessario, tom. 1. lib. 1. part. 2. tract. 1. docum. 8. n. 2.* Palaum *tom. 5. disp. 2. punct. 13. §. 10. num. 9.* Bossium *de casibus singularibus conscientia casu 225.* & Genuen. *in praxi, cap. 59.*

152 Doctores contrariæ sententiæ, nostræ sectatoribus obiicere aliqua solent. *Primum* Bullam ipsam Cœnæ disertis verbis negantem facultatem absolvendi ab illius casibus; etiam virtute clausulæ Concilij Generalis. *Secundum* Pium V. Gregorium XIII. & Clementem VIII. auferentes facultatem Episcopis concessam, per Tridentini Concilij Decretum, ad absolvendum ab Hæresi. *Tertium*, sæpè pronunciatum in Generalis Inquisitionis Prætorio Romano non posse iam Episcopos ab Hæresi absolvere occulta. *Quartum*, duo responsa S. Congregationis Cardinalium, ipsius Concilij Tridentini interpretum, in quibus declaratur, ablatum Episcopis fuisse facultatem, eis per Tridentinum factam ad præfatam Hæresis absolutionem.

153 Sed ad primum, quod obiicitur, in supradictis fit satis. Cùm, quia tanto Concilio non derogatur vnquam, propter tantam eius authoritatem, qua in Catholica gaudet Ecclesia, nisi in derogatione, expressa illius mentio fiat: tum, quia cùm correctio Iuris vitari debeat, & Iura Iuribus concordari, & benè salvetur dispositio Bullæ Cœnæ, si intelligatur derogatio in illa contenta, circa facultatem absolvendi ab Hæresi publica, seu notoria, absque eo quod intelligatur de facultate in novissimo, & tanto Iure Concilij Tridentini Episcopis facta, imò potius restituta, quàm de Iure divino habebant, ad absolvendum ab Hæresi occulta, de illa, non autem de ista intelligi debet Bulla Cœnæ derogatio.

154 Tum etiam, quia si Bulla Cœnæ, Bullæ Cruciatæ & privilegijs Inquisitoribus concessis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, contra Hæreticam pravitatem, non derogat cum eisdem tam perspicuis, & disertis verbis, ipsis Confessarijs, Cruciata vtentibus, & Inquisitoribus absolutionem à casibus in ea contentis interdicat, qua ratione Episcopis interdicit, qua ratione dici poterit, quod deroget facultati, quam de Iure divino, & humano habent Confessariorum Principes, & Summi Pontificis Fratres (sic enim Episcopos ipse vocat, quasi sibi æquales, vti observat Barbosa *ad Proœmium Decretalium, num. 12. & de Officio, & potestate Episcopi, part. 1. cap. 2. num. 11.* vtrobique, cum Felino *in dict. Proœm. Decret. num. 1.* Decio *in cap. Cum venerabilis, num. 2. de Exceptionibus*, & Cosm. *in Pragmat. tit. de Nomine Cardinalium*, Glossa, *Cardinales*. Et quidem Fratres eos appellare Papam in literis Sedis Apostolicæ consuetudo obtinet. Vti expressè testatur Innocentius Papa III. *in cap. Quam gravi el 6. de crimine falsi.* Fratrem, etiam & Coepiscopum, D. nostrum Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum, non semel in suis rescriptis nominavit Paschalis Papa: vt videte est *lib. 3. Epistolarum ipsius Sancti Doctoris, Epist. 44. Epist. 45. & Epist. 74.* & Gregorius Magnus *lib. 2. Registri Epistol. 45.* ait. Ex gestis, quæ ad nos fraternitas tua direxit, inventum est Andream Fratrem, & Coepiscopum nostrum habuisse sine dubio concubinam. In *Epistol. 24. 25. 26. & 27.* & passim alibi. Nomen vtique Coepiscopus æqualitatem, seu quasi æqualitate in Episcopali Dignitate significat) & qui ordinaria pollent Iurisdictione, ad procedendum contra Hæreticos, & alios in primo Bullæ Cœnæ Canone contenti? nulla certè.

Tum tandem, quia Lex Concilij Tridentini 155 prior est, & specialis respectu concessionis, seu restitutionis facultatis Episcopis factæ, ad absolvendum ab omnibus occultis casibus, etiam Hæresis; Lex verò Bullæ Cœnæ generalis est, & posterior, vnde illi derogare nequit vt communissima sententia apud Navarrum *lib. 1. Consil. tit. de Officio delegati, cons. 3. n. 6.* Tiraquellus *tract. de Præscriptionibus, gloss. 11.* per totam Salas *de Legib. disput. 14. n. 129.* Imò è contra Generi per speciem derogatur: Regula est Iuris *la 34. lib. 6.* nec limitare quidem illam potest; imò potius ab illa debet limitari.

Ad secundum, & quartum respondetur, non 156 constare authenticè de ablatione facultatis absolvendi ab Hæresi, à Concilio Tridentino Episcopis concessæ, per Pium V. Gregorium XIII. & Clementem VIII. facta, nec de duobus Sacræ Congregationis responsis: & quidem si responsa huiusmodi authentica monstrarentur, magnæ authoritatis esset, non tamen sufficerent ad tollendam nostræ sententiæ probabilitatem, vti ait Granadus, loco mox citando. Præterquàm, quod contra huiusmodi responsa, alia duo eiusdem Sacræ Congregationis responsa in nostræ Conclusionis, ac sententiæ probationem produximus: Granadus *controv. 1. de Fide, tract. 15. disput. 14. sect. 2. nu. 12. in fine*: & probatur à Diana *part. 4. tr. 4. resol. 139.* sic ad quartum nobis obiectum respondet: videlicet.

Ad tertium respondetur, id pronunciatum esse, 157 in hoc gravissimo, & sanctissimo Tribunali secundùm oppositam sententiam, quæ probabilissima est; sed quoniam nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum est contrariam reputare etiam valdè probabilem, sicut & multi alij reputarunt. Hactenus Pater Granadus, qui præter Dianam, probatur à Leandro *tom. 4. tract. 2. disput. 17. §. 2. q. 46. in fine.*

Quod si quis petat, an prædicta facultas com- 158 petat Episcopis electis, & confirmatis nondum tamen consecratis? Respondeo quod sic. Ducor ratione, & plurium Doctorum authoritate. Ratio est. Quia Episcopis, eo ipso, quo electi, & confirmati sint, omnia, quæ iurisdictionis sunt Episcopalis, competunt: sed facultas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ, & ab Hæresi ad iurisdictionem Episcopalem pertinet, ex dispositione Concilij Tridentini, sæpè repetita *sess. 24. capite 6.* ergo competit Episcopis confirmatis. Maior expressè definitur *in capite Transmissam*, ad

ad finem, el 15. *de Electione*: vbi Glossa, *verbo De talibus.*

Authoritas est, Thomæ Sanchez *de Matrim.*
159 *tom.*3. *lib.* 8. *disp.*2. *nu.*11. qui pro nobis recenset Cenedum *collect.*4. *ad Decretales, num.*3. Manuëlem Roderiq. *tom.*1. *qq. Regular. quæst.* 61. *art.* 9. (*versic. Nec simile est, pag. mihi* 355.) & Franciscum Suarez mox citandum. Vincentij Candidi *tom.*1. *disquis. Moralium, disquis.*3. *art.*25. *dub.*3. Vrrutigoyti *in Pastorali*, *tract.*1. *quæst.*4 *num.* 1. Castri Palai *tom.*1. *tract.*4. *disput.* 4. *punct.*3. §.1. *pag.*412. Barbosa *de potest. Episcopi, par.*2. *alleg.*39. *num.* 2. *pag.*331. cum Suarez *de Censuris, disp.*41. *sect.*2. *nu.*7. Gutierrez *de Matrim. cap.*49. *à n.*16. Mario Alterio *tom.* 2. *disput.*8. *de Suspens. cap.* 3. *versic. Tertiò notandum*: & Riccio *in Praxi aurea, & quotidiana, resol.*136. Dianæ *par.*7. *tr.*2. *resol.*1. & aliorum, quos recenset; sed adnotat Vrrutigoyti indigere ad exercitium Bullis Apostolicis, sine quibus exercere nequit *ex Extravag. Iniunctæ, de Election. vers. Quod autem, inter communes.*

§. XI.

De Facultate Capituli, Sede vacante.

BREVIARIVM.

Capitulum, Sede vacante.

Potest absolvere ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, & dispensare in vim Tridentini, si occulti sint, & non deducti ad forum contentiosum, num. 160. 161. & 162.

Succedit Episcopo, in his, quæ ei competunt iure speciali ordinario; non in eo, quæ iure speciali delegato, n. 160. 161.

Delegatio.

Quoties tanquam Delegato potestas, licet in perpetuum, concedatur dignitati, aut officio, delegata est, non ordinaria, n. 161.

Ordinaria potestas.

Ordinaria est, non delegata potestas in perpetuum Dignitati, aut Officio concessa, n. 160.

Dummodò tamen expressè tanquam delegato non concedatur, num. 161.

CONCLVSIO VII.

160 Capitulum, Sede vacante, absolvere benè potest ab omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis, etiam ab Hæresi, si occulti illi sint.

Hanc conclusionem tenet Pater Vincentius Candidus Romanæ, & vniversalis Inquisitionis Qualificator, & in Alma Vrbe, Papæ Pœnitentiarius *tom.*1. *Disquisitionum moralium, disquisit.*3. *de Absolutione, art.*25. *dubit.*1. vbi ita fatur. Dico primò, hanc facultatem (absolvendi scilicet, & dispensandi circa omnes casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, Episcopis concessam virtute Concilij Tridentini *sess.*24. *cap.*6.) transire in Capitulum, Sede vacante, veriùs dici potest: quia quamvis hæc potestas iure speciali Concilij Tridentini competat Episcopis, & Capitulum non succedat in his, quæ competunt iure speciali Delegato, seu ex commissione; secus si competunt de iure speciali ordinario: sed hæc potestas competat Episcopis iure ordinario speciali, quia potestas competens non personæ, sed dignitate, vel officio perpetuo, est ordinaria, vt docet benè Sylvester *verbo Delegatus, quæst.*4. *dicto* 1. quem sequitur Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.*40. *a.*24.

Tum, quia in eo Decreto Concilij Triden- 16
tini non dicitur vt id competat Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ, in quo eventu licet potestas competat officio in perpetuum, est Delegata, vt communiter asserunt Doctores cum Glossa *cap. fin. de Hæreticis*: tum, quia non asserit Concilium, & authoritate Apostolica dispenserit Episcopi, quæ verba etiam denotāt authoritatem Delegatam. Poterit ergo Capitulum, Sede vacante, exercere omnia, quæ in eo decreto competunt Episcopis, cum in omnibus ferè, vice Episcopi fungantur: sic Aragon 2.2. *quæst.*88. *art.* 12. *concl.*5. Roderiquez *qq. Regularium tom.*1. *qu.*81. *art.* 9. Sanchez *lib.*2. *Oper. moral. cap.*1. *n.*4. Hæc omnia Magister Candidus.

Tenet etiam dictus Sanchez *de Matrim. lib.* 8. 16
*tom.*3. *disput.*8. *num.*10. cum Cenedo *collect.*4. *ad Decretales, a.*3. Henriquez *lib.*14. *de Irregularitate cap.*18. *n.* 2. & *cap.*20. *nu.*1. & *lib. de Pœnitentiā, cap.*6. *num.*1. Aragone 2.2. *quæst.* 88. *art.*12. *col.*7. *concl.* 5. *fol.*1042. Peyrinos *tom.* 1. *de Privileg. ad Constit. Pyrrhi, n.*46. cum Beja, 4. *part. casuum, casu* 27. *vers. Tum etiam, quia si non*: Barbosa *de potest. Episcopi allegat.*39. *n.*16. & *collect. ad Concilium Trident. sess.*24. *cap.*6. *n.*4. cum Henriquez *lib.* 6. *cap.*16. §. 1. & *lib.*14. *cap.*20. §.1. Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. disput.*30. *sect.*2. *n.* 4. Beja *dicta par.*4. *casu* 37. *vers. Tandem nullus*: Sayro in Clavi Regia, *lib.*6. *cap.*11. *num.*84. Riccio *in collect. decision. part.*3. *collect.*721. *versic. Tertiò dubitatur, & in praxi rerum fori Eccl. decis.*533. *in* 1. *edit. & in* 2. *resol.*466. *ac in praxi aurea, resol.*118. *num.* 5. Plascen. *in Praxi Episc. par.*2. *cap.*1. *nu.*16. Garc. *de Benefic. par.*7. *cap.*11. *n.*23. & *par.*5. *cap.*7. *n.*41. Novarius *in singulari Canon. concl.* 2. *nu.* 3. Sellio *in Select. Canon. cap.*49. *n.*3. Emanuël *tom.*1. *qq. Regular. qu.* 61. *art.*9. *versic. Nec simile*, & *versic. Nec his obstat.*

§. XII.

De potestate habentium Iurisdictionem quasi Episcopalem, & Diœcesim.

BREVIARIVM.

Abbas.

Abbates, & alij Prælati habentes propriam Diœcesim, sola ab Episcopo consecratione differunt, num. 163.

Approbant Confessarios pro suis Diœcesibus, numero 163.

Absolvere possunt, & dispensare, in vim Tridentini, sess. 24. cap. 6. *à casibus Bullæ Cœnæ occultis, & non deductis ad forum contentiosum*, n. 163. 164.

CONCLVSIO VIII.

Abbates, & alij Prælati Iurisdictionem quasi 163
Episcopalem, & Diœcesim, propriam habentes, absolvere possunt ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ occultis, Hæresi non excepta.

Istam

Istam concusionem tenet Candidus, *loco proximè citato dubio* 2. in hæc prorumpens. Dico secundò, ea potestas (de qua scilicet in Decreto Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6.) competit Abbatibus, & aliis Prælatis habentibus Iurisdictionem Episcopalem, & Diœcesim nulli Episcopo subiectam. Quia hi in sua Diœcesi plenam Iurisdictionem Episcoporum habent, & ab illis sola consecratione differunt, & Confessarios pro suis Diœcesibus approbant; cum tamen id esse Episcoporum statuatur in Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 15. *de Reformatione.* Hanc sententiam tenent Roderiquez *Summa part.* 2. *cap.* 10. *num.* 6. Sayrus *lib.* 6. *Clavis, cap.* 11. *n.* 83. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disput.* 2. *num.* 12. Quamvis Suarez *tom.* 4. *in* 3. *par. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 6. & alij negent. Hæc Candidus.

Sanchez vbi proximè, pro se, & nobis allegat
164 Henriquez *lib.* 14. *de Irregularitate, cap.* 18. *nu.* 2. *in Comment. lit. P,* & *lib.* 6. *de Pœnitentia, cap.* 18. *num.* 1. Conclusionem etiam tenent Roderiquez *tom.* 1. *qq. Regular. quæst.* 61. *art.* 9. ait; sed de illis quidem ibi nihil dicit, qui Prælati Regularium non sint: Tenet nostram Conclusionem Palaus, *tomo* 1. *tract.* 4. *disput.* 4. *punct.* 3. §. 2. *num.* 4. cum Avila *de Censuris, parte* 7. *disput.* 10. *dub.* 6. Flores de Mena *variarum libro* 3. *quæst.* 24. *numero* 18. Sanchez *in Decalogum, libro* 2. *cap.* 11. *numero* 5.

§. XIII.

De Facultate Prælatorum Regularium.

BREVIARIUM.

Absolutio.

Abbates, & alij Prælati Regulares locales, proprij, & eorum vices gerentes, an possint subditos absolvere ab omnibus Bullæ Cœnæ casibus, occultis, & non deductis ad forum contentiosum, etiam ab Hæresi, & cum eis dispensare, in vim Tridentini sess. 24. cap. 6. n. 165.

An à relapsis in Hæresim, n.

An ab Apostasia à Fide, n.

In facultatibus Episcopis concessis per Tridentinum, comprehendi Prælatos Regulares etiam locales respectu subditorum suorum, quoad absolutiones, dispensationes, &c. declaravit Pius V. n. 170. 171. & 176.

Potestas ad absolvendum, & dispensandum cum subditis, & hospitibus Ordinis concessa Minoribus, Prædicatoribus, Augustinianis, Carmelitanis, Servitis, & Minimis, recensentur, n. 172. 173.

Concessa Benedictinis Hispaniæ redditur, n. 175.

Et Cassinensibus, cum casibus Bullæ Cœnæ, n. 176.

Concessa Iesuitis, refertur, n. 179. 180. & 181.

Religiosi absolvi possunt plenariè (idest etiam ab exceptis) aliquibus anni diebus, n. 177. 178. 205. & 206.

Bulla Cœnæ revocat privilegia generalia Regularium facultatem concedentia ad absolvendum à casibus Papalibus, non verò, quæ concedunt casus ipsius Bullæ à n. 184. *ad* 187.

Recensentur declarationes sacræ Congregationis, per quas derogatur privilegiis Regularium, & Sæcularium, quoad facultatem absolvendi à casibus in eis expressis, n. 188. 189. & 190.

Redditur etiam consti. Clem. VIII. n. 191.

Locum non habent ista declarationes, & constitutio quoad absolutiones passivas Regularium, sed Sæcularium, à n. 192. *ad* 195.

Sac. Congregationis de mandato Vrbani VIII. declaravit, non posse Regulares in vim suorum privilegiorum absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, aut ab Ordinario loci sibi reservatis, n. 197. 199.

Ista declaratio non intelligitur comprehendere absolutiones Regularibus, sed Sæcularibus concessas, num. 200.

Aliam declarationem sacræ Congreg. & alteram Greg. XIII. circa idem recenseo, sed non admitto ob authoritatis defectum, n. 201. 202. 203.

Absolvere possunt Regulares Prælati subditos suos Monachos, Fratres, & Moniales, tam à reservatis tempore, quo privilegia sunt concessa, quàm à reservandis, vsque ad absolutionis tempus, n. 207 & 208.

Ad obtinendam absolutionem à reservatis, non possunt Regulares subditi, simplicem Sacerdotem eligere, sed approbatum ab habente potestatem; Prælati verò benè possunt. n. 211.

Casus, pro quibus rei ad Sedem Apostolicam pro absolutione, aut dispensatione meritò sint destinandi, quinque sunt, n. 174. & 185.

Bullæ Cœnæ.

Non revocat privilegia Regularibus concessa in specie ad absolvendum à casibus einsdem, sed concessa in genere, ad absolvendum à Papæ reservatis, n. 184. 187.

In generali concessione casuum ad Papam spectantium, non veniunt, qui in hac Bulla continentur; & è contra in Generali revocatione privilegiorum, non illa veniunt, quæ ista concedunt, n. 184. 185. & 186.

Casus.

Quinque sunt pro quibus rei ad Sedem sunt Apostolicam pro absolutione, aut dispensatione destinandi, n. 174. 185.

Concilium.

Tridentinum, eadem concessit Prælatis Regularibus, etiam localibus, respectu subditorum suorum, ac Episcopis respectu suorum, ex Pij V. declaratione, n. 170. 171. 176.

Facultas per Tridentinum Episcopis facta sess. 24. cap. 6. *quamvis eis fuisset revocata, non præsumeretur Regularibus revocata, ob disparitates rationum, quæ redduntur,* n. 183. 210.

S. Congregatio.

Declarationes sacræ Congregationis, per quas derogatur privilegijs, concedentia facultatem ad absolvendum à reservatis, recensentur, & explicantur, à n. 188. *ad* 203.

Declaratio.

Legis, aut alterius dispositionis declaratio, nihil addit in ipsamet dispositione non contentum, & imbibitum; aliàs aut non obligabit, aut erit nova dispositio, n. 171.

Dispensatio.

Super quibus valeant dispensare Prælati Regulares, etiam locales cum subditis suis, & hospitibus Ordinis declaratur, n. 165. 170. 171. 172. 173. 175. 176. 179. 180. 181.

Inquisitores.

Prælati Regulares ad Inquisitores mittere debent causas suorum subditorum in rebus Fidei, ad forum exterius, & contentiosum spectantes, ex Pauli V. Constitutione, n. 169.

CONCLVSIO IX.

165 ABbates, & omnes alij Prælati, & Superiores Regulares, etiam locales, tam proprij, quàm Præsidentes, seu Vicarij in capite, possunt ab Hæresi occulta, & ab omnibus alijs casibus in primo Bullæ Cœnæ contentis Canone, si exempti illi sunt ab Episcoporum Iurisdictione, vti de facto omnes, vt in plurimum sunt, suos Religiosos absolvere. Hanc statuo conclusionem eruditionis gratiâ. Sed pro illius sana intelligentia, vide omninò limitationem infrà adhibendam *n.*212.

Hanc Conclusionem tenent Laurentius de Peyrinis *de Privilegiis, tom.* 1. *ad Constit. Pyrrhi, num.*44. cum de Aluino *de potest. Abbat.&c. c.*27. *num.* 2. Finellio *de Casibus reservatis, cap.* 7. *n.*17. & cum Ioan. Canart. *in Compendio privil. pag.*44. Suarez *de Relig. tomo* 4. *tract.* 1. *lib.* 2. *cap.*21. *à num.* 3. & alijs. Ipsemet Laurentius Peyrinus, *eodem tomo primo, pag. mihi* 39. *ad Constitution.*4. *Sixti IV.* §. 5. *num.*10. 20. 22. 25. & 29. Emanuël Roderiquez *tomo* 1. *quæst. Regularium qu.*20. *de Abbatibus, quoad potestatem absolvendi suos Monachos, art.*9. *paulò ante finem*: Thomas Sanchez *de Matrimonio, tom.* 3. *disput.* 2. *num.*13. *libro* 8. *pag. mihi* 13. vbi ita fatur. Tandem eadem potestas Tridentini, *eodem capite* 6. (*sessionis scilicet* 24. de quo in præcedentibus egerat) competit superioribus etiam localibus, seu Conventualibus Religionum exemptarum erga Religiosos eis subditos, vt expresè concessit Pius V. in quodam Brevi, cuius verba refert Manuël *quæst. Regularium, tomo* 1. *quæst.* 61. *articulo* 9. Et ratio est, quia hi Superiores funguntur Iurisdictione quasi Episcopali in suos subditos Religiosos, vt probabo disputat. sequenti *numero* 9. Hactenus Sanchez, in quibus duo docet. Vnum, dictam facultatem omnibus competere Regularium Prælatis vigore Privilegij Pij præfati, quod ex eodem probat privilegio. Alterum, illam competere virtute Concilij Tridentini, quod ex ratione, qua ducti sunt Concilij Patres, ad illam Episcopis concedendam, demonstrat.

166 Conclusionem etiam tenet Vincentius Candidus, *tomo* 1. *Disquisitionum Moralium, disp.* 3. *art.* 25. *dubit.* 3. in hæc prorumpens. Dico tertiò. Ea potestas Concilij Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformatione*: competit Superioribus, etiam localibus, seu Conventualibus Religionum exemptarum, tum ex vi prædicti Decreti Tridentini, quia hi Prælati in eo decreto, nomine Episcoporum comprehenduntur, quoniam hi Prælati funguntur Iurisdictione quasi Episcopali in suos subditos Religiosos, vt probat Sanchez *libro* 8. *de Matrimonio, disput.*3. *num.*9. & ita hanc sententiam tenet apertè Roderiquez, *qq. Regular. tom.*1. *quæst.*61. *art.* 9. quam Sanchez *libro* 2. *Operum moralium, cap.* 11. *num.* 13. non putat improbabilem; tum, quia concessio Decreti Concilij ex speciali privilegio Pij V. extenditur ad Prælatos locales Religionum exemptarum in suos subditos Regulares. Verba Privilegij Pij V. refert Roderiquez loco citato: videantur Sanchez *lib.* 8. *cit. num.* 13. Hucvsque Magister Candidus.

Tenent & Hieronymus Roderiquez *in Compendio, quæstione Regularium, resolut.* 3. *num.* 3. 16
pagina mihi 24. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo* 2. *part.* 2. *tract.* 10. *capite* 9. *numero* 26. cum Tamburino *de Iure Abbatissarum, tomo* 4. *disput.* 16. *quæsito* 8. *num.* 8. & 9. *pagina mihi* 110. vbi tamen de præsenti non agit casu; agit tamen *tomo* 2. *disput.* 14. *quæst.* 15. *in* 3. vbi contrariam sententiam tenet, & pro nostra recenset Suarez *tomo* 4. *de Religione, tract.* 8. *libro* 2. *capite* 21. quem etiam recenset Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 72. Portellium *in Additionibns ad dubia Regularia, verbo Abbas, numero* 8. Vegam *in Summa, tom.* 1. *capite* 49. *casu* 1. & Manuëlem, *tomo* 1. *quæst. Regularium, quæst.* 20. *art.* 9. Castrus Palaus nostram sequitur sententiam, *tomo* 1. *tractat.* 4. *disputat.* 4. *punct.* 3. §. 1. *num.* 5. cum Henriquez *libro* 6. *capite* 16. §. 8. *libro* 7. *cap.* 25. §. 2. & *libro* 14. *capite vltimo*, §. 5. *ad finem*: Augustinus Barbosa *de potestate Episcopi, parte* 2. *allegat.* 39. *numero* 18. cum praxi nova Episcopali, *parte* 2. *cap.* 3. *numero* 52. *in principio*: Beja *in responsis casuum conscientiæ, parte* 4. *casu* 35. *in principio*: Ioanne de la Cruz *de Statu Religionis, libro* 1. *cap.* 6. *dubio* 16. Sayro *de Censuris, libro* 7. *capite* 7. *numero* 23. Molina *de Iustitia, tract.* 3. *disput.* 61. *in* 4. & 5. *disput.* 70. *in fine*: Cotiolano *de Casibus reserv. parte* 1. *sect.* 1. *articulo* 22. *numero* 6. & *articulo* 23. *numero* 4. Valero *in differentiis vtriusque fori, verbo Regularis, different.* 6. *versic. Denique*: & cum Iacobo de Graffis *tomo* 2. *Consil. tit. de Homicidio, consil.* 2. *à numero* 23. Bruno Chassaing *in Privilegiis Regularium, tract.* 3. *cap.* 3. *propositione* 1. & 2. cum Sanchez *de Matrimonio, libro* 8. *disput.* 2. *numero* 22. & 23. *disput.* 3. *numero* 9. & 12. Casarubio *in Compendium privileg. titulo Absolutio ordine, quoad Fratres*: Crousets *super capite* 7. *Regulæ Minorum*: Portellio *verbo Abbas, num.* 1. & *in Additionibus, numero* 1. & 3. & *verbo Dispensare*, & *verbo Prælati potestas ad absolvendum & dispensandum*: Flores de Mena *variarum libro* 3. *quæstio.* 24. *numero* 18. Avila *de Censur. parte* 1. *disputat.* 10. *dubio* 10. Moneta *de commutatione vltim. volunt. cap.* 5. *numero* 55. Sigismundo à Bononia *tract. de Electione, dubit.* 51. *num.* 18. Vechio *in praxi Novitiorum, disput.* 9. *à num.*4. & alijs.

Addit tamen Bruno *proposit.* 1. praxim esse contra

contrariam quoad absolutionem ab Hæresi in Italia, & Hispania, inibique servandam, qua soli Inquisitores ab Hæresi absolvunt, existimátque fuisse illam introductam iure aliqoo Pontificio, quod nondum ad se pervenit. Sed de hac praxi nihil asserere possum, aut vix potest, cum agamus de re, quæ in foro Sacramentali Pœnitentiæ, aut in foro conscientiæ secreto agitatur.

Sententiam nostram tenet etiam Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 61. *num.* 5. Martinus de S. Ioseph *enel avisó de Confessores, lib.* 1. *tract.* 2. *num.* 5. cum Henriquez *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 2. & Marchino de Sacramento Ordinis *tract.* 1. *pag.* 9. *diffic.* 1. *num.* 3. Ægidius Trullench *in Decalogum, tomo* 1. *libro* 1. *capite* 3. *dubio* 4. *numero* 3. Dictus S. Ioseph *tractatu* 19. *numero* 8. Barbosa *collect. in Concilium Tridentinum, sessio.* 24. *cap.* 6. *nu.* 10. cum Novario, *in singular. Canonic. conclusio* 2. *num.* 6.

168 Et quidem, si facultate præfata vti valent hodie Episcopi, vti valere latè probavi *conclus.* 6. vti eadem benè posse Prælatos Regulares, docent apud Bassæum *in Summa, tomo* 1. *verbo Hæresis, num.* 18. *versicul. Quintò*, & apud Dianam, *part.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 6. *vers. & ideò*, Suarez, *to.* 4. *de Religione, tract.* 9. *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 11. & Corolianus *de casibus reservatis, par.* 1. *sect.* 1. *ar.* 23. quorum placitum, in dicta approbant suppositione, dicti Bassæus, & Diana *vbi proximè*: docetq; & Miranda *in Manuali Prælatorum, to.* 2. *q.* 7. *art.* 2. *conclus.* 3. *pag. mihi* 61. qui id tenet de Generalibus, & Provincialibus, eadem ratione, qua de Episcopis: & eadem, qua de his omnibus, tenere debet de omnibus immediatis, seu localibus Prælatis. Quia etiam & isti Iurisdictionem quasi Episcopalem habent.

169 Quorum placitum impugnatur à Caspense *in Cursu Theologico, tomo* 2. *tract.* 15. *de Fide, num.* 39. *disput.* 15. *sect.* 6. quia ex Constitutione Pauli V. cuius meminit Barbosa, *de potestate Episcopi, allegat.* 49. *num.* 39. (& Tamburinus *dicta disput.* 14. *numero* 3. *sub* 7. *die Ianuary*, 1617. vnam, quæ incipit: *Quoniam sacra Congregatio*, refert: & aliam exscribit Naldos, *verbo Hæresis, num.* 25. incipientem: *Romanus Pontifex* sub die 1. Septembris 1606.) nullo modo possunt Prælati Regulares, etiam in foro conscientiæ Religiosos sibi subditos absolvere, ab Hæresi, sed Inquisitoribus remittere tenentur. Hæc Caspensis, cui consonat novissimè Anton. Escobar, *tomo* 8. *de Virtutibus Theologicis, libro* 47. *sect.* 2. *problemate* 98. *numero* 458. *in fine*, vbi postquam asseruit posse Prælatos Regulares soos absoluere ab Hæresi occulta, in vim Constitutionis Pij V. extendentis ad eos facultatem Concilij Tridentini *sess.* 24. *capite* 6. addit. Verùm quidquid sit de hac concessione, certissimum est, præcipuè in Hispania, nullatenùs posse Prælatos, etiam in foro conscientiæ Religiosos sibi subditos absolvere, sed Inquisitoribus remittere debere ex Constitutione Pauli V. quam refert Emanuël de Valle de Mouta *de Incantantionibus, & ensalmis, sect.* 3. *cap.* 1. *num.* 10. cuius meminit Barbosa *parte* 2. *de potestate Episcopi, allegat.* 40. *numero* 39. Hæc Escobar, sed inconsequenter, quoad remissionem Inquisitoribus, ad ea, quæ *Problemate* 105. docet, & suprà ex eodem recensui, *conclus.* 4. *sub numero* 60. *versiculo Sententiam*: Ibi enim sequitur opinionem asserentium, non posse Inquisitores, ab Hæresi in conscientiæ absolvere foro. Sed ex his, quæ docet Barbosa, & his, quæ decernit Paulus V. in Bulla *Romanus Pontifex*, impugnari minimè possunt Doctorea numeris recensiti præcedentibus: quia isti loquuntur de absolutione in conscientiæ foro, Paulus verò, & Barbosa, de cognitione causæ Hæresis pro foro contentioso, vti inspicienti evidenter patebit. Notanter dixi: *& his, quæ decernit Paul V. in Bulla, Romanus Pontifex*, quia aliam non inveni huius Pontificis, hac de re aliquid decernentem. Neque à Tamburino allegatam in Bullario maximo, aut alibi quidem invenire quivi.

Tridentinum ad Religiosorum favorem declaratur.

PRobatur primò Conclusio, ex sacro Concilio Tridentino *dicta sess.* 24. *cap.* 6. declarato per 170
Pium Papam V. 21. *die Iuly, de anno* 1571. in Constitutione, *Romani Pontificis*, in Bullario authentico Manuëlis Roderici, *la* 13. & in novissimo Angeli Cherubini *tomo* 2. *pag.* 342. *la* 132. in qua sic in favorem Patrum Prædicatorum concessit, & declaravit authoritate Apostolica: videlicet. Et insuper, quia sacrum Oecumenicum Generale Tridentinum Concilium, concessit Episcopis, vt absolvere possint iu foro animæ, seu conscientiæ, ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, provt *sess.* 24. *cap.* 6. habetur, ne Prior Conventualis, & Superiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Provincia, quàm extra eam vbilibet, in hac parte deterioris conditionis, quam Clerici, aut Sæculares existant, eisdem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, vti ipsi per se ipsos idem omninò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laïcos sibi subiectos, tam quoad absolvendi, & dispensandi huiusmodi quàm alias quascumque facultates, eadem authoritate, & tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, ac etiam declaramus.

Qua supposita Piana declaratione, sic pro- 171
bationem nostræ Conclusionis conficio ex ipso Concilio. Declaratio Legis, qua talis, nihil addit soprà ipsam Legem, declaratio enim in Lege non imbibita, non valet vnquam obligare, quia extendi non valet Lex ad casum in ea, à principio non comprehensum. Ita Marcus Vidal *in indice vtriusque Iuris textuum, axiomatum, & sententiarum, verbo Lex*, dicens. Declaratio Legis non inducit novum ius, sed quid statutum sit, ostendit *l. Vnum ex familia*, §. *Si de Falcidia, ff. de Legatis* 2. *cap. Cum tu*, *de Vsuris*, *cap. Per tuas, de Donationibus*: vbi Glossa. Hæc Vidal. Glossa illa, *verbo De novo*: ibi, nihil nunc dat, sed datum declarat: vt ibi dicitur, *ff. de Testament. Hæredes palam*, §. 1. Castrus Palaus *parte* 1. *tract.* 3. *disput.* 5. *punct.* 3. §. 3. *numero* 3. ibi de declaratione Legis à Legislatore facta differens ait. Si autem in Lege imbibita non fuit, ad illam modò extendi non potest: quia Lex extendi non potest ad casum, qui à principio à Lege non fuit comprehensus vt optimè docet Anton. *capite Post contradictionem, de Renunciatione, num.* 34. & ibi Abbas *in* 2. *lectura, num.* 17. Sanchez *lib.* 2. *de Matrimo*

V 2 *disp.* 37.

disput. 37. *num.* 3. si extenderetur de novo, iam esset nova Lex, & novum præceptum. Hæc Palaus. Ego ipse *in disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.*44. Sed sic est, quod Pius V. declaravit Prælatos Regulares comprehendi in Decreto Concilij Tridentini *sess.*24. *cap.*6. concedenti Episcopis facultatem absolvendi subditos suos in foro conscientiæ ab omni delicto occulto, etiam & ab Hæresi: ergo revera comprehensi erant huiusmodi Prælati in Conciliari illo Decreto. Aliàs enim Pius Concilium non declararet, sed novam Constitutionem faceret: & superfluè apposuisset vltimam clausulam, *ac etiam declaramus.* Quod dici non debet: quia Lex, aut canon, non debet continere superfluum. Naldus *in Summa, verbo Lex, num.* 24. Marcus Vidal *tit. de Duello, num.* 26. *ex l. Si quando,* 109. *de legat.* 1. Bald. *in Rubric.* 6. *de Contrahenda emptione, quæst.* 9. & Barbosa *tract. de Axiomat. axiomat.* 222. *n.* 11. *&* 12. plures textu legales referente.

Pontificum diplomata, pro Regularibus recensentur.

172 Probatur secundò Conclusio, ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, Prælatis Regularium facultatem absolvendi suos subditos Regulares à casibus in ea contentis, concedentibus, in hunc, qui sequitur modum.

Clemens Papa IV. Generali, & Provincialibus Ministris, eorum Vicariis, atque Custodibus Patrum Minorum concessit, vt in Provinciis, & Custodiis ipsis commissis suis Fratribus, nec-non alijs Fratribus eiusdem Ordinis ad eos vndecumque declinantibus, beneficium absolutionis, & dispensationis impendere, ab omnibus Censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti à Iure, vel ab homine generaliter latis, & ab irregularitate contracta ob celebrationem divinorum, aut susceptionem Ordinum, dum extarent aliqua ex dictis Censuris innodati. Nisi adeò fuerint graves, & enormes excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam meritò destinandi: ita refert Rodeiquez *tom.* 1. *qq. Regularium, qu.* 20. *art.* 1. *ex lib. Monumenta Ordinum, in* 1. *edit. fol.* 57. *& in* 2. *fol.* 140. *concess.* 318. *&* 319. Quæ quidem concessio, & Clementis Bulla, per extensum habetur inserta in Bulla Sixti IV. de Anno 1474. quæ Mare magnum Minorum dicitur, quam exscribit, & doctè interpretatur Lezana *tom.* 3. *part.* 1. *Summæ qq. Regularium.* Concessio adest in Bulla, *n.* 40. & expositio, §. 40. *n.* 109. *& seqq.*

173 Similem concessionem fecit PP. Dominicanis Gregorius Papa XI. in Bulla, quam idem Sixtus IV. in eorum Mari magno inseruit, eodem anno 1474. quod Lezana *vbi proximè* transcribit, & exponit, §. 41. *nu.* 122. Benedictus Papa XI. idem concessit Eremitis Sancti Augustini. In eorum Mari magno ab eodem Sixto, & eodem anno compilato *nu.* 43. quod præfatus interpretatur Lezana, §. 23. *num.* 143. Eugenius IV. Carmelitanis hanc eandem facultatem fecit. Habetur in eorum Mari magno à Sixto pariter compilato, *num.* 62. Declaratur à prædicto Doctissimo Lezana, eiusdem illustris Familiæ addictissima prole, §. 62. *à num.* 570. Alexander IV. Patribus Servitis eandem concessit facultatem. Habetur in ipsorum Mari magno, ab Innocentio VIII. compilato, *anno* 1487. apud dictum Lezanam *num.* 35. quam exponit §. 35. & advertit *n.* 119. illam non comprehendere alios huius Ordinis Prælatos, quàm Generalem. Prælatis omnibus, etiam localibus Ordinis Minimorum eandem concessit facultatem Sixtus Papa IV. *anno* 1479. in Bulla aurea, quam exscribit, & doctè commentatur Pater Laurentius de Peyrinis *de Privilegiis, tomo* 1. *constitut.* 4. *dicti Pontificis* §. 5. per totum, & Lezana *vbi suprà, in Mare magnum Minimorum* §. 29.

Posse autem eosdem Prælatos præfatis criminibus, Censuris, & pœnis irretitos, eligere Confessarios, qui eos ab illis absolvant, concesserunt Gregor. XI. Clemens IV. in Constitutionibus modo recensitis. Casus autem in quibus rei ad Sedem Apostolicam sint meritò destinandi, sunt casus Hæretici relapsi; Schismaticis; falsificationis literarum; & prohibitorum ad Infideles delatio: & non alij. Sic declaraverunt locis allegatis. Gregor. Clemens, Benedictus, Eugenius, & Alexander Papæ, vel saltem Compilatores privilegiorum illorum, Sixtus nimirum IV. & Innocent. VIII. Et docet Lezana *locis iam citatis*, & Peyrinus *dicto* §. 5. vbi quintum addit casum, conspirationis scilicet in Romanum Pontificem, ex Declaratione Iulij Papæ II. in Bulla *Exponi nobis*, quam exscribit ipse Peyrinus *eodem tom.* 1. *constit.* 14. *dicti Iulij, pagina mihi* 131. ad instantiam seu consultationem Caietani, dum Magisterio Generali sui Ordinis fungeretur, factam.

Eugenius Papa IV. Priori nostri celebris Sancti Benedicti Vallisoletanij Cœnobij concessit *anno* 1438. & Superioribus illi subiectorum, & subijciendorum Monasteriorum, vt Monachos professos, Fratres, & quoscumque Religiosos, Donatósque, & Oblatos perpetuò, ac sub pœna reincidentiæ Novitios, si professionem non emittant, ab omnibus, & singulis suis peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, etiam quantumcumque enormibus, ante, & post ingressum Religionis, in quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, commissis: nec non à quibuscumque excommunicationum, suspensionum, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis Censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine Sedis Apostolicæ, » vel alia quavis authoritate, aut per Provincialium, » aut Generalium Conciliorum Constitutiones, sive » per Regularia Ordinis instituta in genere, vel in » specie promulgatis, si quas ante, vel post ingres- » sum Religionis incurrerint, etiamsi propterea ad » Sedem Apostolicam specialis habéndus foret recur- » sus, absolvere: nec non cum singulis ex supradi- » ctis super quibuscumque irregularitatibus, & in- » habilitatibus, quovis modo contractis, in quibus- » cumque casibus, etiam dictæ Sedi, præterquam in Bigamiæ, voluntariæ mutilationis membri, ac voluntarij homicidij, propria manu, vel de ex- » presso mandato, vel consilio commissi, casibus » cum professis, aut profiteri volentibus, etiam in » ipso professionis actu fuerint, vt nihilominùs non » promoti ad omnes etiā sacros Ordines promove- » ri, & promoti in illis ministrare, & ad quascumque » dignitates, administrationes, & officia dicti Ordi- » nis possint etiā præfici, & assumi, dispensare, ac eos » habilitare semel duntaxat: nec non etiā quoscumq; » tempore omnes, & singulos supradictos, ac indi- » stinctè quoscumque Novitios Donatos, Oblatos » præsentes, & futuros dictorum Monasteriorum, in » quibuscumque casibus Sedi Apostolicæ minimè » reservatis. Item à quibuscumq; excōmunicationū, »

suspen

„ suspensionum, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis à Iure, vel ab homine prolatis, vel proferendis, aut fulminandis in genere tantùm, vel specie non nominata persona specialiter, & expressè, si quas incurrerunt, aut in futuram forsan ex inaduertentia, ignorantia, vel negligentia incurrere contigerit absoluere, ac super irregularitatibus, & inhabilitatibus præmissorum occasione quomodolibet contractis, aut si quas in futurum ex huiusmodi sententiis, sicut præmittitur contrahere, contigerit dispensare, & eos habilitare, ipsisque omnibus, & singulis Eucharistiæ, Extremæ-Vnctionis, & alia Ecclesiæ Sacramenta ministrare, ac pœnitentias eis salutares iniungere, totiens, quotiens opus fuerit, aut deuotioni prædictorum videbitur expedire, auctoritate Apostolica liberè, & licitè valeant, & possint de gratia speciali: ac Superiores ipsi præmissa omnia, & singula si opus fuerit, vt suprà Religiosis aliis idoneis Sacerdotibus committere, ac etiam in præmissis Confessores sibi cum facultate præmissa eligere, & electos, & alios huiusmodi commutare quotiens eis visum fuerit authoritate prædicta valeant, & quod gratia sit perpetua.... Constitutionibus Apostolicis, aut cæteris in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque; Hactenus in Eugeniana, quæ authentica adest in Bullario Congregationis nostræ Hispanæ, priuilegio 43. Priuilegiis 44. & 45. eadem ipse concessit Eugenius.

176 Pius Papa Quintus, motu proprio, in Constitutione, *Dum ad Congregationem la* 29. apud Bullarium nouissimum Cherubini *tom.* 2. *pagina mihi* 339. de plenitudine potestatis Apostolicæ, Idibus Iulij, de *Anno* 1571. omnibus, & singulis Abbatis, & Prælatis Congregationis Cassinensis Ordinis S.P.N. Benedicti, cuius priuilegiis gaudet, ac vtitur nostra Hispana Congregatio vigore Constitutionis Iulij Papæ Secundi *la* 1. Bullarij ipsius „ nostræ Congregationis perpetuò concessit facultatem Monachos, conuersos, commissos, & oblatos, tàm professos, quàm Nouitios, in ea tamen Congregatione perseuerantes, ab omnibus, & quibuscumque criminibus, reatibus, culpis Censuris, & pœnis per eos, & eorum quemlibet, tam ante, quàm post illorum in Congregationem huiusmodi, ac Monasteria sub illius obedientia existentia ingressum, seu professionem tegulariter pridem per eos emissam, ex quauis causa & ob quemvis excessum, & delictum, publicum, vel occultum, casu seu data opera, quomodolibet ab eis, & singulis, etiamsi homicidium voluntarium, seu membri mutilatio, non tamen post ingressum huiusmodi, pro tempore subsecutum, seu subsecuta fuerit, incursis, & in futurum incurrendis, etiamsi de casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, vel de comprehensis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini singulis annis Legi consueuit, fuerint plenariè toties quoties opus fuerit iniuncta sibi pro modo culpæ pœnitentia salutari, quoad reatum homicidij tantùm, in foro conscientiæ tantùm absoluendi, & liberandi, ac in pristinum, & eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, & fuerant statum reintegrandi, omnémque inhabilitatis, & infamiæ maculam, siue notam, indè quomodolibet insurgentem, ab eis, & eorum quolibet protsùs abolendi secumque, quod præmissis non obstantibus, non promoti, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoueri, atque Monasteriis eiusdem Congregationis in Abbates, Priores, & Prælatos præfici, nec non ad quascumque alias dictæ Congregationis prælaturas eligi, & assumi, munúsque benedictionis suscipere, & tam illi, quàm qui iam ante, vel post præmissa, sint, vel fuerint promoti, præfecti, & electi etiamsi munus benedictionis huiusmodi scienter susceperint irregularitatibus, inhabilitatibus, reatibus, Censuris, & pœnis huiusmodi, vel aliis quibuscumque criminibus irretiti, & innodati, scienter Missas, & alia diuina officia celebrassent, simulve, seu alias munere benedictionis huiusmodi quomodolibet vsi essent, in Altaris ministerio ministrare, & dicto munere vti, nec non omnes, & quascumque Prælatutas, obedientias, administrationes, & Officia Ordinis, & Congregationis huiusmodi, retinere, recipere gerere, & exercere liberè, & licitè possint, & valeant, &c. „

Hucusque Pius V. qui eodem anno, suæ Dominicanæ familiæ Prælatis concessit, & indulsit facultatem Episcopis à Concilio Tridentino concessam *sess.* 24. *cap.* 6. quoad potestatem absoluendi, & dispensandi cum suis subditis, suprà *n.* 170. redditam. Qua quidem, dubio procul, nostræ Congregationis gaudent Prælati, non solùm quatenus ibi Tridentinum declarauit, in qua vtique consideratione omnium Ordinum exemptorum Prælati gaudent: sed quatenus concessit, & indulsit; vti dixi *Diquisit. Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.* 146. *& sequentibus.* Vbi quoad primum ductus fui, ex eo, quod ratio declarationis pro Dominicanis facta, ne scilicet peioris conditionis, quàm Clerici, & sæculares existerent æquè & fortè fortiùs militat pro nostræ Congregationis alumnis, propter eorum strictiorem inclusionem. Quoad secundum verò, ex eo quòd nobis communicata sint priuilegia, indulta, & concessiones, ac gratiæ, quibus omnes aliæ gaudent Religiones, per Clementem Papam octauum in Constitutione, *Romanus Pontifex, de anno* 1592. *la* 123, nostri Bullarij, supposita alia Gregorij XIV. pro Cistercienfibus Hispaniæ *de anno* 1591. incipiente pariter, *Romanus Pontifex*, apud Roderiquez, *la* 3.

Leo Papa Decimus, vti refert Peyrinus, *tom.* 1. *Priuilegiorum, circa Constit.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *nu.* 5. ex Casarubio, *in compendio Priuilegiorum, verbo Absolutio extraordinaria, quoad Fratres, numer.* 7. concessit Regularibus, vt possent quater in anno, de licentia suorum superiorum Confessorem sibi eligere, qui eos plenariè, id est etiam ab exceptis absolueret (verba sunt Peyrini;) modò in confidentia talis absolutionis non peccauerint. In Bullario per Emanuelem Roderiquez editum, adest Leonis Breue sub *die* 19. *Iunij* 1515. expeditum, in quo in fauorem Patrum Minorum, & Ancillarum beatæ Virginis Mariæ, sub eorum cura degentium, sic vt sequitur concessit. 177

Et nihilominus pro vestra, & eorundem Fratrum spirituali consolatione, vobis sub perpetua clausura viuentibus, vt omnibus solemnitatibus Domini Sabaoth, Beatæ Mariæ Virginis, Petri, & Pauli, Sancti Francisci, omniúmque Sanctorum, ac per totam maiorem hebdomadam Confessores vestri, quicumque fuerint, siue Ordinarij, à Prælatis deputati, siue aliter dummodo vos audiant de consensu dictorum Prælatorum, possint in absolutionibus vestrarum Confessionum, eis de peccatis vestris factarum, vos plenariè absoluere, & pœnitentiam salutarem imponere, priùs tamen suorum Superiorum, & eorum curam geren- 178

tium licentia, & assensu habitis. Ita in Breui illo, *el* 20. Leonis.

179 Paulus III. 15. *Kalend. Nouemb.* 1549. Præpositis Generalibus societatis Iesu concessit, vt per se, vel per alios absoluere possint omnes, & singulos subditos suos, ab omibus peccatis, & Censuris, ac pœnis, & in irregula:itatibus dispensare; nisi excessus, absoluendorum, & dispensandorum huiusmodi adeò graues, & inormes fuerinr, quòd sinr ad Sedem Apostolicam meritò remittendi. Qui autem illi sint declarauit, ait, Sixtus IV. in Mari magno, cuius coofirmat declarationem.

180 Iulius III. eisdem Præpositis concessit facultatem absoluendi per se, vel per alios professos Societat.s, quoscumque à casibus Hæresis, & aliis contra Fidem, & consequentibus Censuris qoibuscumque in foro conscientiæ tantùm. Et confirmauit præcedeutem Pauli III. concessionem. Dat. 22 *Octobris* 1552. Habentur duo ista priuilegia in Bullario Societatis, Romæ edito anno Domini 1606. *fol.* 28. *&* 65.

181 Gregorius Papa XIII. *die* 18. *Martij* 1584. vti refert Peyrinus, *vti suprà*, ex compendio Societatis Iesu, *verbo*, *Absolutio* §. 7. & ex Suarez, *tom.4. de Religione, tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *numer.* 2. Præposito Generali dictæ Societatis, vt posset absoluere subditos suos ab Hæresi, & in Hæresim relapsu, etiam in Hispania. Fuit viuæ vocis Oraculum, vt refertur in Compendio Romæ edito *anno* 1615. *pag.* 12. vbi §. 8. sic habetur. Facultate concessa Minoribus de obseruantia vltramontanis, possunt præpositus Generalis, ac Prouinciales Societatis vltramontani absoluere nostros vltramontanos sibi subditos, & dispensare cum eis, quoties opus fuerit, à relapsu in Hæresim, aut Apostasiam: & eorum pœnas à Iure constitutas commutare, augendo, vel minoendo, pensatis quàlitate, & quantitate, aliisque debitis circunstantiis; dummodo talium relapsorum crimina publica, & notoria apud sæculares non sint, vt ex hoc scandalum oriri possit. Alexand. VI. in Monument. Minor. *fol.* 70. *concess.* 164. & refertur quanquam non satis plenè *in compend. eorum, verbo, Absolutio ord. quoad Fratres*, §. 18. Hactenus ibi. Non dicit, an fuerit viuæ vocis Oraculum: quod etiam si tale fuerit, iam est bullarum per confirmationes Oraculorum factas à Pio V. in Bulla. *Etsi Mendicantium Ordines, la* 41. *apud Cherubinum* & per Gregor. XIII. in Bulla *Regimini*, ad fauorem Minimorum *la* 1. apud Peyrinum, *de priuilegiis tom.* 2. *pag.* 287. vt ipse *tom.* 3. *cap.* 12. *ad Constitut.* 18. *aliàs* 28. *Vrbani VIII. n.* 1. *pag.* 512. docet, Lezana, *verbo Oracula. n.* 6. & ego ipse in *Disquisit. de Iure Prioris num.* 36.

Fulcitur vlteriùs

CONCLVSIO IX.

182 TErtiò probatur Conclosio. Opinio probabilis Iurisdictionem tribuit, etiamsi opinio illa fortè falsa sit. Vt si probabile sit, talem posse à reseruatis absoluere, vel à Censuris; Matrimonio assistere; excommunicare; Confessarium eligere; priuilegium non esse reuocatum; & similia; & ille ex hac operetur opinione, valida sunt acta, supplente defectum Ecclesia, si fortè ille subsit, vti docent Delbene, *de parlamentis, dub.* 4. *subsect.* 32. *Corollario* 2. *n,* 2. & Sanchez, *de Matrimonio to.* 1. *lib.* 3. *disp.* 22. *n.* 65. cum Henriquez, *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 14. *num.* 4. & alij, quos *num.* 150. recensui. Sed adest opinio probabilis asserens Prælatos Regulares posse suos absoluere subditos Religiosos ab omnibus in Conclusione nostra contentis. Ergo opinio hæc, etiamsi fortè falsa sit, tribuit illis ad huiusmodi absolutionem Iurisdictionem.

Obiectiones proponuntur, & soluuntur aliquæ.

SEd contra nostram Conclusionem obiiciunt contrariæ sententiæ Authores. *Primò*, facultatem factam Episcopis per Tridentinũ Concilium *sess.* 24. *cap.* 6. sublatam iam eis fuisse, & coosequenter etiam Prælatis Regularibus esse sublatam, quæ per dictum Decretum fuit eis facta, iuxta Pij Quinti declarationem, suprà *n.* 170. relatam. 183

Ad quam quidem obiectionem, quia satis fuit factum suprà circa sextam conclusionem, à noua supersedeo solutione; illud tantùm addendo, quòd Peyrinus respondet, vbi suprà *num.* 17. nimirum, quod adhuc reuocata Episcopis facultate, non sequitur reuocatam fuisse Prælatis Regularibus ob disparitatem rationis: Nam quies (inquit) Religiosorum, & vagandi occasiones, quas semper inteoderunt Pontifices vitare, & propter quas illis tot priuilegia concesserunt, non repetiuntur in sæcularibus, vel Ecclesiasticis subditis Episcopis. Hæc Peyrinus. Cui accinit noster Graffis, *in decisionibus aureis part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 34. vbi aliam addit disparitatem, quod scilicet, in priuilegio Episcopis concesso, *sess.* 24. non est specificatum, quod per dictam Bullam nunquam intelligatur reuocatum, sicut in illa Regularium. Verba illius sunt, qui statim addit. Tum etiam, quia dictum priuilegium Regularium est in fauorem Religionis, vt Religiosis materia subtrahatur vagandi. Facit text. *in cap. Cum illorum, de Sententia excommunicationis*, qoæ Religiosis periculosa potissimè extitit, *cap. Vt periculosa, extra Ne Clerici, vel Monachi cap. Cum singula, de Præbendis lib.* 6. *cap. Quanto, de officio Ordinarij*, 16. *q.* 1. *cap. Monachi, & capite Quidam, l. generaliter, Cod. de Episcopis, & Clericis.* Cum ex debito teneantur esse in claustro, saltem administrationem non habentes: figurantùrque sine illo viuere non posse, sicut pisces sine aqua 16. *q.* 1. *cap. Placuit.* Hactenus doctus Graffis.

Secundò, obiiciunt Bullam Cœnæ, singulis annis publicatam, expresè & disertis verbis *derogentem priuilegiis Medicantium.* Ad quod respondent penes Peyrinum, ad Constitutionem 4. Sixti Quarti, §. 5. *num.* 14. Roderiquez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 20. *art.* 9. & Suarez, *de Religione, tom.* 4. *tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. per præfatam Bullam reuocari priuilegia generalia absoluendi à casibus Papalibus facultatem concedentia; non verò quæ concedunt casus ipsius Bullæ. Quia vt ista reuocentur, debent expresè reuocari. Quod patet ex Bullis Cœnæ Sixti Quinti, & Clementis Octaui, in quibus clausula ista fuit apposita: *Nisi in eis* (de priuilegiis fit ibi mentio) *etiam casus præsentibus litteris, expressè comprehendantur.* Quæ vtique clausula, licet in aliis aliorum Pootificum Bullis non repetiatur apposita, in eis semper addita intelligitur. Quia sicut in generali concessione casuum ad summum Pontificem spectantium, noo veniunt casus Bullæ Cœnæ, sed requiritur, qood isti expresè in specie concedantur: ita in reuocatione generali 184

priuilegio

priuilegiorum absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis, non comprehenduntur priuilegia expressè concedentia casus Bullæ Cœnæ, sed requiritur, quod in reuocatione istorum expressa mentio fiat. v. g. Per nullius priuilegij virtutem quis absoluat à casibus Bullæ Cœnæ, etiamsi in iis auctoritas ad eorum concedatur absolutionem. Et ratio fundamentalis est. Quia omnis res, perquascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Sententia est Diui Ioannis Chrisostomi, relati *in cap. Omnis res el. 1. de Regulis Iuris.* Idem habetur in *l. Prout quisque, ff. Soluto Matrimonio, l. Sicut proponis, Cod. de Nuptiis. l. Nihil tam naturale. ff. de Regulis Iuris.* (referuntur Iura ista ciuilia à Peyrinis *num.* 12. allegantur.) Ergo sicut ad concedendum absolutionem à casibus Bullæ Cœnæ, illius expressè requirtur mentio, ita ad eandem reuocandam concessionem, eadem expressa requiritur mentio; tanquam necessaria desideratur.

185 Respondeo secundò huic obiectioni, cum Peyrino, *vbi proximè num.* 15. quod Iulius Papa II. in Constitutione, quam recenset *pag.* 132. *la* 14. huius Pontificis, Thomæ de vio Caietano, tunc Magistro Generali Ordinis Prædicatorum instante, sic declarauit, videlicet. Exponi nobis, fecisti, quod licet felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor noster, secundùm carnem patruus, extendendo declarauerit, in quibus casibus ad sedem Apostolicam recurrendum esset pro absolutione, & dispensatione Censurarum, & irregularitatem à personis Ordinis Prædicatorum; nihilominus propter clausulas derogatorias positas in Bulla, quæ singulis annis in Cœna Domini publicatur, dubitas, facultatem illam Ordini prædicto ademptam.... Nos igitur, qui Religiosorum quieti, quantum cum Deo possumus, libenter consulimus, volentes occasiones tollere vagandi, attendentesque quod multa in prædicta declaratione concessa sunt, quæ in Bulla prædicta continentur, eiusdem Sanctæ Sedis authoritate decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licitè possint perpetuis temporibus absoluere, & dispensare ab omnibus, & singulis, ac si prædicta Bulla in Cœna Domini non esset facta; nec fieret; præterquam à conspiratione in Romanum Pontificem, & ab illis, propter quæ prædictus prædecessor noster declarando voluit, ad eandem S. Sedem etiam recurrendum. Hactenus Iulius in Bulla edita 27. *Februarij, de anno* 1510. sui Pontificatus 7. Huius meminit Martin de S. Ioseph *enel Auiso de Confessores lib.* 1. *tract.* 9. *num.* 8.

186 Refert Peyrinus *dicto num.* 15. idem declarauisse Paulum Papam Quartum pro Congregatione Clericorum Regularium, iuxta Peregrinum, *in Compendio, part.* 2. *verbo Bulla.* §. 1. Gregorium XIII. pro Societate Iesu, iuxta Suarez, *tom.* 4. *de Religione tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 5. & Clementem VII. per viuæ vocis Oraculum factum Cardinali Campegio, pro Ordine Minorum, quod recenset Emanuel Roderiquez, *in Bullario, pag. mihi* 348. sub his, quæ sequuntur verbis. Reuerendissimus Cardinalis Campegius Ordinis nostri, Protector, Bononiæ, Mense Martij 1530. obtinuit à Clemente VII. Papa, omnia indulta, & priuilegia concessa, elapsis temporibus, Prælatis Ordinis nostri, cum promissione, quod tempore Pontificatus Sanctitatis suæ, nunquam habuit animum annullandi dictam authoritatem, non obstante quotanna publicatione Bullæ in Cœna Domini.

Tertio Respondeo, Bullam Cœnæ priuilegiis non derogare Mendicantibus, aut aliis Regularibus concessis, sed tantùm prohibere absolutionem casuum in ea contentorum *prætextu quarumuis facultatum, & indultorum &c.* Absoluere autem in vim priuilegiorum, facultatum & indultorum, non est eorum *prætextu* absoluere; quia *prætextus*, vti dixi *num.* 12. regulariter non habet locum, quando adest verum priuilegium, sed quando fingitur, quo sic ficto vtitur tanquam velamine, quo moueri se simulat ad absoluendum, aut quid aliud operandum, cum tamen illum priuilegium non moueat, cum re vera non illud adsit, imò neque existere ab absoluente credatur. Aliàs enim simulatione neutiquam operaretur, & velamine, si illud adesse existimaret, cum nemo fingat, quod verum apprehendit. 187

Quod igitur non derogetur Regularium priuilegiis per Bullam Cœnæ, docet Delbene, *de immunit. part.* 1. *cap.* 3. *dubit.* 8. *sect.* 4. *num.* 26.

Tertiò obiiciunt contrariæ sententiæ Authores, duas declarationes Sacræ Congregationis S. N. Ecclesiæ Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ, authoritate, & mandato speciali Clementis Papæ octaui, editæ, prima, *die* 9. *Ianuarij* 1601. Secundò verò, pro illius declaratione, & moderatione, 26. *die Nouembris* 1601. quarum faciunt memoriam Tamburinus; *tom.* 2. *de Iure Abbatum disp.* 14. *quæst.* 15. *num.* 5. Peyrinus, *tom.* 1. *Priuilegiorum ad Constitut.* 4. *Sixti IV.* §. 5. *num.* 8. & per extensum à Quaranta exscribuntur *in Summa Bullarij, verbo Casus reseruati, pag. mihi* 199. & *sequentibus quatuor*, & sic illarum tenorem summat, *pag.* 203. Videlicet. 188

Ex prædictis Summarium distinctè recolligendo habes, quod Sanctissimus D. N. derogando omnibus Priuilegiis, amplissimè prohibet quibuscumque Confessariis sæcularibus, & Regularibus, ne vigore ipsorum priuilegiorum. 189

Absoluant in casibus contentis in Bulla, dici Cœnæ clarè, vel dubiè.

Violationis immunitatis Ecclesiæ in terminis Constitutionis Gregorij XIV.

Violationis clausuræ Monialium ad malum finem.

Prouocationis, & pugnantium in duello, in terminis Concilij (Tridentini scilicet) & Constitutionis Gregorij XIII.

Iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta *cap. Si quis suadente*, ac Iuris dispositiones.

Simonia realis scienter contracta.

Confidentia beneficialis.

Et in omnibus casibus, quos locorum Ordinarij sibi Hactenus reseruarunt, aut reseruabunt.

Etiam in casu necessitatis, & impedimenti.

Nisi mortis articulo, vel

Habeant licentiam nouam specialem à Sede Apostolica, vel ab

Ordinariis in scriptis, vel in viua voce.

In aliis casibus, qui habent priuilegia, poterunt iuxta dicta priuilegia, & facultates absoluere. Dummodo ante Decretum essent vsu recepta, vel non reuocata.

Qui non habent, nihil de nouo eis conceditur.

Pœna, quoad confitentes.

Nullitas absolutionis.

Quoad Confessarios, excommunicationis, priuationis

uationis Officiorum, Dignitatum, Beneficiorum. Inhabilitatis ad ea posterùm obtinenda.

Eo ipso incurrunt absque vlla declaratione.

Et à nullo dispensari, habilitari, vel absolui possunt, nisi à Sede Apostolica, præter quàm in mortis articulo.

Aderat etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, sed hodie est sublata.

Hucusque Quaranta, qui in sequentibus summam dictarum Declarationum in his, quæ ad Ordinarios locorum attinent, continuat, quam recensere omitto, quia ad præsentis difficultatis resolutionem, nihil nobis prodesse queit.

190 Naldus, *verbo casus, num.* 14.) has etiam transcribir declarationes, & aliam Pauli V. authoritate editam ab eadem Sancta Congregatione 7. *Ianuary* 1617. illas innouantem, confirmantem, & præcipientem omnibus Sacerdotibus sæcularibus, & Regularibus, ne quibuscumque priuilegiis, indultis, & facultatibus suffulti, ab excommunicationibus Ordinariis, vel sedi Apostolicæ reseruatis, tàm ad forum deductis Ordinariorum, quàm non, præter quàm in mortis articulo absoluere audeant, vel præsumant, sub eisdem pœnis, eo ipso, & absque alia declaratione incurrendis.

191 Idem Clemens Octauus in Constitutione Quæcumque à Sede Apostolica, *la* 115. apud Cherubinum, *tom.* 3. *Bullarij nouissimi, pag. mihi* 160. sub die 7. *Decembris de anno* 1604. §. 9. prohibet Regularibus Confessariis absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, violationis immunitatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monialium, videlicet si sine necessaria, & vrgenti causa, & licentia concessa à Superiore, vel etiamsi causa, & licentia abutentes Monasteria Monialium ingressi fuerint: (sic enim explicat Clemens, clausuræ Monialium violationem:) à casibus etiam violentæ iniectionis in Clericum, singularis certaminis, seu duelli: à reseruatis etiam & reseruandis à se, à suo Vicario, & à locorum Ordinariis: & à quauis excommunicatione ab homine lata: & ab irregularitatibus ex alio defectu prouenientibus, aut delicti occasione contractis dispensare *prætextu* priuilegiorum.

192 Ad quam Clementinam Constitutionem respondeo, cum Laurentio de Peyrinis *super Constitutionem* 4. *Sixti IV.* §. 5. *num.* 16. vbi pro se, & nobis Molsesium allegat *in Summa part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 19. *num.* 29. priuilegiis Regularium quoad absolutionem eorundem Regularium non derogare, sed quoad sæcularium absolutionem tantùm. Quod vtique plusquam manifestum erit, cuilibet ipsam inspicienti Clementinam §. 9. *citato*, vbi tantùm agere apparet de Confratum, non verò de Fratruma bsolutione.

193 Ad declarationes sacræ Congregationis de Mandato Clementis Octaui factas ibidem, eodem respondet modo Peyrinus cum eodem Molsesio, & cum Naldo *in summa, verbo Reseruatio*, ac Peregrino *in Compendio priuilegiorum part.* 1. *tit. Absolutio, in Schol.* §. 1. ex alia sacræ Congregationis declaratione, de eiusdem Clementis Papæ Octaui mandato facta. Sed vt solotio ista illustriot euadat, libnit Antonini Naldi placitum ad amussim, lectori meo reddere, ratione, & præfatæ Congregationis Decreto fulcitum.

194 Et præter dicta in præfatis locis, hîc addimus, reseruationem quinque casuum factam per Clementem Octauum, de qua *supra, verbo casus, in fine*, nō afficere Regulares pœnitentes, nam quoad ipsos, idem Summos Pontifex paulo ante statuerat quidnam seruandum esset, vt patet *suprà, Religiosus, sub num.* 44. & propterea cui non conueniunt verba Legis, nec ipsa Lex conuenire debet; cum autem in præfata reseruatione Clementina exprimatur, non posse Regulares Confessarios in vim suorum priuilegiorum absoluere à casibus reseruatis ab Ordinariis locorum, & insuper addatur, non nisi de expressa Sedis Apostolicæ concessione, &c. Ordinariis exhibenda, profectò liquet, non esse ibi sermonem de absolutione impertienda pœnitentibus Regularibus, quibus in hoc nihil commune est cum Ordinariis locorum, ob suam exemptionem, & Sedi Apostolicæ immediatam subiectionem. Et ideò, quoad ipsos Regulares absoluendos, seruabitur Decretum, de quo suprà, *Religiosus num.* 44. Quoad sæculares autem locum habebit præfata reseruatio quinque casuum, *vt suprà*.

Et cum de hac ambiguitate consuleretur sacra Congregatio Cardinalium super negotiis Episcoporum, & Regularium, respondit, vt suprà videlicet, intentionem Summi Pontificis fuisse, præfatum Decretum prohibere absolutionem quoad sæculares pœnitentes tantùm, non etiam quoad Regulares. Hucusque præfatus Pater Naldus.

Ad Decretum Pauli Quinti authoritate à sacra editum Congregatione, respondet penes Laurentium Peyrinum *tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *c.* 2. §. 1. *paulo post initium*, Franciscus Suarez, *tom.* 4. *de Religione, tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 15. *in fine*, illud non obtinuisse, nec in Lusitania, nec extra Dominium temporale Papæ.

Aliam Declarationem Congregationis præfatæ 18. *Nouembris de anno* 1628. editam de Mandato Vrbani Papæ Octaui, reddit Tamburinus *de Iure Abbatum tom.* 2. *disp.* 14. *quæsito* 15. *num.* 6. sub hoc tenore. Videlicet.

Sacra Congregatio S.R.Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Censuit, per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis: Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini Legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel Hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis; Ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis verò casibus, & Censoris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem sacræ Congregatioois Decretis, hac de re editis iussu sanctæ memoriæ Clementis Octaoi. Quam sacræ Congregationis senteotiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus

» bus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari.
» Romæ 18. Nouembris, 1628.
» F. A. Cardinalis Sancti Onufri
» Locus † Sigilli.
» P. Fagnus, Secretarius.

98 Ad hanc etiam declarationem ex iam dictis respondeo, facultatem quam habebant Regulares ad absoluendum subditos suos, pariter Regulares ab omnibus Bullæ Cœnæ casibus, sublatam non fuisse per Concilium Tridentinum; imò potiùs collatam: neque per dictam Bullam Hactenus fuisse illi derogatam; sed facultati, quàm ad personas Laicas, seu sibi non subditas Religiosas obtinuerant.

199 Neque obstat Sacram Congregationem vniuersaliter in hac loqui Declaratione de omni absoluendo: ait enim Regulares nec infrà, nec extra Italiam, posse quemquam absoluere à casibus Bullæ Cœnæ, aut Ordinario reseruatis. Ly enim *quemquam*: omnes tàm subditos, quam non subditos, tàm Regulares quàm sæculares excludere videtur, à facultate dictis casibus absoluendi.

200 Non inquam obstat, quia cum Iura Iuribus, & Declarationes concordari debeant Declarationibus, vt vitetur Iurium correctio, & bene ista Conciliari valeat Declarationibus, & concessionibus factis per Iulium II. Gregorium XIII. Clementem VII. & sacram Congregationem negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam, de quibus suprà *numer.* 185. & 186. huius dubij, hinc est, quod hæc Declaratio eiusdem Congregationis, sub Papa Vrbano VIII. *de anno* 1628. nostræ non obstet conclusioni. Conciliari præfatas Declarationes bene valere, certum mihi est: quia dictio *quemquam* intelligi debet iuxta subiectam materiam. In terminis scilicet eorum absoluendorum, pro quibus sublata iam fuerat facultas à casibus Bullæ Cœnæ, & Ordinariorum absoluendi. Illi autem sæculares tantùm, & non subditi sunt, non verò Regulares subditi.

201 Passarellus in notis ad priuilegia Minorum *notabili* 13. penes Peyrinum, *de Priuilegiis eorumdem tom.1. Constit. IV. Sixti IV. §.5. num.*6. Confect. *in Compendio Mendicantium, tit.* 17. *cap.*7. & Cassarubius, *in compendio, verbo Absolutio Ordinaria quoad Fratres, num.*13. pro contraria sententia, Declarationem afferunt Cardinalis Alexandrini, ad quam respondet Peyrinus *ibi nu.* 18. quod non constat fuisse factam auctoritate Papæ, & ideò non cogit, & eò minus, quò nihil authenticum videtur.

202 Obiicit tandem nobis meus Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 34. *folio mihi* 27. Declarationem Gregotis Papæ XIII. sic enim fatur. Tamen Gregorius XIII. viuæ vocis Oraculo (vt in scriptis vidimus) declarauit se nolle quod præfati Religiosi suos subditos à casibus in eadem Bulla contentis, possint absoluere. Quare cùm expressè protulerit, quoad casus in dicta Bulla Cœnæ Domini tantùm comprehensos, videtur assentire quoad alios casus, dicta priuilegia esse valida, Hactenùs Iacobus præfatus.

203 Ad quod tamen respondet Peyrinus *vbi proximè num.*19. quòd si haberemus huius declarationis aliquod authenticum monimentum, res esset sine controuersia; sed quia nullum adest, & nullus alius id dicit, præter ipsum, illius authoritas non cogit. Quibus addo cum Fagundez, *in præceptum* 2. *Decalogi lib.*8. *c.*8. *n.*32. & Dianà *par.* 1. *tract.* 5. *resolut.* 2. *versic. Nec valet dicere*, referentè Sousam in Bullam Cœnæ, *c.*23. *disp.* 100. *Concl.* 3. *num.* 7. quod cum res à Deo grauis sit, etiam diù scientibus Pontificibus controuersa, id deberent aliquo speciali Decreto expressiùs declarare, ad laqueos tollendos animarum. Cum igitur vsque nunc Pontifices, id expressiùs non declarauerint, certum esse debet adempram Hactenùs non fuisse Episcopis, Abbatibus, & aliis Prælatis facultatem eis attributam in Tridentino, & priuilegiis redditis & si fortè ablata eis fuit illam post obtinuisse, ex probabilissimâ, quam sequimur opinione, à Summis Pontificibus scitâ, tolleratâ, & non reprobatâ, & consequenter, tacitè approbatâ.

Ex dictis igitur fit quod Prælati Regulares, suis priuilegiis vtendo si illa reuocata non fuissent possunt suos absoluere subditos à casibus Bullæ Cœnæ, etiam à casu Hæresis, & à relapsu in illam per Gregorij XIII. facultatem factam Societatis Iesu Generali, *anno* 1584. de quâ suprà *num.* 81. Non eo quòd in concessione absoluendi à casibus Bullæ præfatæ, etiam Hæresis casus veniat, vt dicit Peyrinus, *n.*20. cum Filliucio, *to.*1. *tr.*8. *c.*10. *n.* 265. dicente, ita fuisse in Sacra Pœnitentiaria responsum, *anno* 1617. quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *Cap. In generali*, & ibi Glossa, *verbo Verisimiliter*, & expressiùs, *verbo In generali, in principio*, quoad nostrum casum, *la* 81. *de Regulis Iuris in* 6. ibi Pone casum 16. *q.* 1. *Frater noster*. vbi generalis commissio facta legato per Papam, non extenditur ad causas Fidei. Facit textus *in cap. Quod translationem* & ibi Glossa *verbo, Reseruata, el* 4. *de Officio legati*. vtrobique Barbobosa, Marcus Vidal, *in Arca vitali, in indice vtriusque Iuris textuum, Axiomatum, & sententiarum, verbo Concessio, ex iuribus allegatis, & ex l. obligat. General. ff. de Pignoribus* & est communis Doctorum sententia, tàm Theologorum, quàm vtriusque Iurisperitorum. Non inquam, possunt Regularium Prælati eos Hæresi, & in eam relapsu absoluere, quia hæc facultas in generali concessione casuum Bullæ Cœnæ veniat, sed quia in specie concessa ipsis reperitur vti vidimus. Vide limitationem adhibendam infrà *n.*212. 204

Fit etiam ex dictis, quòd possint Regulares semel in vita, imò & quater in anno eligere ad beneplacitum suum, de licêtia suorum Superiorum, Confessarium, qui eos plenariè, id est etiam ab exceptis casibus, hoc est à relapsu in Hæresim, &c. absoluet, modò in talis absolutionis confidentia non peccauerint. Ita docet Peyrinus, *loco allegato ad Constitutionē* 4 *Sixti IV.* §. 15. *n.* 5. & 21. & non solùm semel, aut quater in anno, sed in omnibus solemnitatibus Domini nostri, Deiparæ, Sanctorum Petri, & Pauli, omnium Sanctorum, ac per totam maiorem hebdomadam id benè valent, qui priuilegiis Fratrum Minorum, Ancillarum B. Virginis Mariæ gaudent, ex priuilegio Leonis Papæ, suprà, *num.*178. teddito. 205

Imò addit Suarez, *loco citato, n.*2. (verba Peyrini *vbi proximè n.* 22. reddo) exceptiones illorum quinque casuum esse sublatas, vt de Hæresi constat, per priuilegium Gregorij. De aliis, per illa priuilegia, quæ concedunt absolutionem ab omnibus casibus, & Censuris, etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda: vel quæ Summus Pontifex reseruare consueuit, quale est illud Martini V. concessum Benedictinis, apud Suarez, *tom.* 4. *de Religione, tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 15. 206

cap.25. num. 1. Quæ omnia vera existimo, nisi aliud obseruet praxis Romanæ Curiæ, quod non scio. Hactenùs adamussim Laorentius de Peyrinis.

207 Quòd si inquiras. Possúntne Prælati Regulares præfati, subditos suos absoluere, à reseruatis post recensitas concessiones ipsis factas; an verò, ab illis solùm, quæ ante facultates eis datas, reseruata iam extiterant? Respondeo, tàm à reseruatis tempore concessionum, quàm postea reseruandorum, benè posse illos absoluere. Et ita tenet Peyrinus *num.* 24. cum Suarez, *loco proximè allegato, cap.* 21. *num.* 5. Et ratio est, quia Pontifices Summi priuilegia reddita concedentes, intenderunt concedere facultatem ad absoluendum ab illis peccatis, quæ reseruata sunt pro illo tempore, quo fit Confessio, & absolutio impenditur, vti ex ipsorum diplomatum apertè colligitur verbis. Ergo Prælati Regulares subditos possunt absoluere à reseruatis, & à reseruandis. Antecedens probatur. Quia Pontifices illa priuilegia concesserunt vt perpetua, & generalia ad omnes casus reseruatos. Sed non essent perpetua, & generalia ad omnes casus reseruatos, nisi ea intentione concederentur, vt comprehenderent omnes casus reseruatos pro tempore Confessionis, & absolutionis vigore illorum factæ. Ergo Summi Pontifices per illa intenderunt facultatem concedere ad absoluendum ab omnibus casibus, tempore absolutionis, reseruatis.

208 Secundò, responsio nostra probatur. Priuilegia Regularium recensita, absoluta sunt, & fauorabilia. Ergo non sunt restringenda ad casus reseruatos tempore concessionum, sed amplianda ad absolutionis tempus, iuxta Iuris Regulam, Odia restringi, & fauores conuenit ampliari, *cap. Odia, el* 15. *de Regulis Iuris, in* 6.

209 Sed dices. Facultas Episcopis per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. ad absoluendum ab omnibus reseruatis occultis concessa, non extenditur ad reseruata post ipsum Concilium, sed ad iam reseruata tempore, quo illud celebratum est, vti docent penes Peyrinom *dicto num.* 24. Graffis, *de quinque casibus reseruatis cap.* 5. *num.* 17. *&* 18. & Chapeauille, *de casibus reseruatis, casu* 14. *quæst.* 3. *difficult.* 2. & ita declarasse Sacram Concilij Congregationem. Ergo facultas ad absoluendum à reseruatis, Prælatis facta Regularibus, non extenditur ad reseruata post facultatis concessionem.

210 Ad obiectionem respondeo cum Laurentio præfato, in primis, non constare, authẽticè saltem, de assertasacræ Congregationis Declarationes Secundò, quod adhuc dato, quod de illa constaret esse veram, debet negari consequentia ob disparitatem rationis, quam ex eisdem Graffis, & Peyrino *suprà num.* 183. reddidi. Facultas enim Prælatis Regularibus ad absoluendum suos Regulares subditos ab omnibus reseruatis occultis, etiam & ab Hæresi, & in ipsam relapsu, concessa est ad Regularium quietem, & occasiooes vagandi, contra ipsorum instituta, vitandas. Quæ quidem ratio non adfuit concessioni facultatis factæ per Concilium Tridentinum Episcopis, ad absoluendum sæculares, siue Laïcos, siue Clericos ab Hæresi, & alijs criminibus occultis, in illo Decreto cõtentis.

211 Quòd si iterum petas. Poterúntne Regulares pro absolutione semel in vita, & quater aut pluries, in anno obtinenda, iuxta priuilegia recensita *suprà* 177. *&* 178. Sacerdotem eligere simplicem? Respondeo sub distinctione. Aut absoluendus est subditus, aut Prælatus. Si subditus, eligere nequit simplicem Sacerdotem; sed Confessarium approbatum ab habente ad id potestatem, tenetur eligere, Quia priuilegia præfata facultatem eligendi Confessarium de licentia Suorum Superiorum faciunt, non autem illam concedunt ad eligendum Sacerdotem, aut Presbyterum. Et ita docet Peyrinus, *loco allegato, num.* 27. cum Suarez *to.* 4. *de Religione tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 7. Si autem Prælatus sit absoluendus, eligere bene valet simplicem Sacerdotem. Ita Peyrinus *num.* 28. qui pro suis Minimis id probat ex suo *Correctorio num.* 84. ibi. Poterunt vnum ex Fratribus eiusdem Ordinis Presbyterum idoneum in suum Confessorem, quoties opus fuerit, eligere. Et colligit ex Constitutione Iulij II. Marimagno eorundem Patrum Minimoruo, §. 9. ibi Fratres etiam vestri, quos pro tempore habueritis in Confessores, &c. vbi non dicit Confessores, quos pro tempore elegeritis. Idem docet *tom.* 2. *de Prælato, quæst* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 86. *&* 87. *& seqq. ex cap. Finali, de Pœnis. & remiss.*

Dictis tamen non obstantibus, in vi praxis, 2
propter nouissimas rationes, simul & declarationes, atque restrictiones ego non consulerem, &c. vt aliqui quantumuis priuilegiati ab Hæresi absoluerent, maximè in Hispania, vbi ad instantiam Regis Catholici R. Patres Societatis Iesu, suo priuilegio cesserunt, vti à viris doctis, piis & grauibus eiusdem Societatis, à me consultis, accepi: cùm, ob ea, quæ P. Antonius Montes de Potres, Mercenatius testatur *in compendio Dianæ* typis dato Matriti *anno* 1657. videlicet: el Prelado Regular, no puede absoluera sus subditos de la Heregia occulta, ni de otros casos de la Bulla de la Cena, aunque Bauny, aora nuebameote sciento contrario, *par.* 1. *tr.* 4. *q.* 32. *par.* 6. *tr.* 7. *resol.* 6. *fol.* 265. vease, *verbo Absolueren.* 37. y esto lo declaro la Congregation, segun el edicto, que los Señores inquisitore's Can mandado publicar este ango de 1656. Ni de la Descommunion, que naze de la simonia en orden à conseguir beneficio, *p.* 1. *tr.* 15. *resol.* 8. *fol.* 300. Tum etiam, ob Constiturionem Vrbani Octaui sub die 5. Noaembris 1631. editã, incipientẽ, *cum sicut accepimus, la* 180. apud Cherubinum *tom.* 4. Bullarij, infrà *disquisit.* 11. *dub.* 17. recensendam *n.* 180. vbi §. 1. sub strictissima forma reuocantur priuilegia quoruncumque Regularium in his quæ fidem Catholicam illius propagationem, & Sanctæ Inquisitionis Officiom, spectant.

DISQVISITIO II.

De Blasphemiarijs.

An publicè blasphemantes Ecclesiasticâ priuentur Sepulturâ?

BREVIARIVM.

Blasphemia.

Consistit in derogatione alicuius excellentia bonitatis, Deo Matri sua, aut Sanctis debita, n. 3.

Blasphemia, alia cordis, alia oris, n. 4.

Blasphemia oris, est verbum maledictionis, conuitij, aut contumelia in Deum, ex malo voluntatis affectu. Vel locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res sacras per modum contumelia, o. 4.

Commit

Committitur quando Deo, Sanctis, & rebus sacris negatur, quòd eis conuenit. & quando conceditur, quod non conuenit eis. n. 3.

Quando Deus falsus adoratur, aut per eum quis iurat: quia Deo verò detrahitur, quod vnicus Deus sit, num. 3.

Non verò committitur, quando Verbum contumeliosum, aut Conuitium in Deiparam profertur, aut sanctos, sinè respectu saltem virtuali in Deum: prout Dei mater, v.g. aut Sancti sunt, n. 7.

Publicè Blasphemantes, si pœnitentiam eis iniunctam non fecerint, Ecclesiasticâ priuantur sepulturâ, num. 1. & 2.

Interdicto ingressus Ecclesiæ, & aliis puniuntur pœnis, num. 2.

Contumelia.

Est iniusta alicuius in honore diminutio per verba, aut signa denotantia malum culpæ. Vel est iniuria, quâ quis alicui honorem aufert, in eius notitiam, aut aliorum deducendo aliquid, ex quo ille dehonoratur, num. 5.

Committitur peccatum contra Hyperduliam, aut Duliam, non autem Blasphemia, quando verbum Contumeliosum, aut conuitium, contra Deiparam, aut Sanctos profertur sine respectu, saltem virtuali, ad Deum, num. 7.

Differt à Detractione Contumelia, in duobus. Vide Detractio.

Conuitium.

Est iniusta alicuius in honore diminutio per verba, aut signa denotantia malum pœnæ, n. 6.

In quibus à Detractione differat. Vide Detractio.

Detractio.

Differt à Contumelia, & conuitio in hoc, quod illa lædat in fama. Ista autem in honore, & in hoc, quòd illa vt plurimum occultè fiat, contra absentem instar furti; ista, verò vt plurimum apertè contra præsentem instar rapinæ, n. 6.

Dulia.

Virtus est, quâ Sanctis adorationem adhibemus, & cultum, n. 8. & 10.

Fama.

Est opinio, seu existimatio de alterius excellẽtia, n. 6.

Furtum.

Est occulta rei alienæ acceptio, Domino rationabiliter inuito, n. 6.

Honor.

Est testificatio alienæ excellentiæ animo cõceptæ, n. 6.

Hyperdulia.

Est excellens, & eximia Dulia quâ B. Mariæ tanquam Dei matri honorem adhibemus, & cultum, n. 8. 10. & 11.

Latria.

Est virtus, quâ solus Deus colitur, & adoratur, n. 8.

Maria.

Nullus homo Deiparæ similis ex viro, & muliere vnquam natus, aut nasciturus est vsque ad sæculi consummationem, n. 11.

Maria Sanctissima naturâ Angelis inferior est, honore autem, & sanctimonia omnibus illis superior, n. 11.

Rapina.

Est violenta contra iustitiam acceptio, n. 6.

CONCLVSIO

1 PVblicè Blasphemantes Deum, Deiparam, aut Sanctum aliquem, sepulturâ Ecclesiasticâ priuantur, si pœnitentiam eis iniunctam non fecerint.

Ita docent Fabius Incarnatus, *in Scrutino Sacerdotali, part. 1. tract. 10. de operibus Misericordiæ corporalibus, vers. Qui sunt illi.* Ægidius Trullench, *to. 3. tract. de Iure Parochi, c. 9. dub. 7. n. 13.* Moirne *in examine Theolog. Moral. part. 4. c. 20. §. 3.* Augustinus Barbosa, *de Vniuerso Iure Ecclesiastico, part. 2. lib. 2. c. 10. n. 52.* cum Poseuino *de Officio curati, c. 14. n. 4.* & Vgolino, *de Officio, & potestate Episcopi, cap. 17. num. 4. versic sextò.* Idem Barbosa, *de Officio, & potestate Parochi, part. 3. c. 26. n. 52. & de Officio, & potest. Episcopi part. 2. allegat. 51. n. 97. & in cap. Statuimus, num. 5. el 2. de Maledicis.* Ioannes Machadus, *euel perfecto Confessory cura de almas to. 2. part. 2. lib. 4. tract. 2. documento 25. n. 4. versic. Estan.* Franciscus Maria Samuëlis *in Praxi de Ecclesiasticis Sepulturis, tr. 2. disp. 1. controuer. 4. conclus. 7.* Syluester *in Summa, verbo Sepultura n. 9. versic. Sextò.* Diuus Antoninus, *in 3. parte Summæ maioris, tit. 10. de Sepulturis, cap. 5. §. 8.* Noster Nicolaus Iudeschus, dictus Abbas Panormitanus, *in dictum caput. Statuimus, num. 3.* & Glossa, ibi, *in casus figuratione.* Ventriglia, *in Praxi rerum notabilium, annotat 52. §. vnico, num. 21. pag. 474.*

Probatur resolutio ex allegato capite, in quo 2 Gregor. Papa IX. postquàm statuit pœnas aliquas per Episcopum Blasphemis iniungendas, applicandas, sic decernit. Et si nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur. Cui etiam si renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam suprà dictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu, Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Hæc Pontifex, in Decretali incipiente. *Statuimus, vt si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè Beatam Virginem, linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœna subdatur inferiùs annotata.*

Sed pro disquisitionis intelligentia aduertere operæpretium duxi, quòd blasphemia consistit in detogatione alicuius excellentis bonitatis, & præcipuè diuinæ, vti docet D. Thomas *2. 2. q. 13. art. 1.* Cùm autem Deus sit vera bonitas per essentiam, quidquid ipsi conuenit, ad ipsius bonitatem pertinet: & quiquid ipsi non conuenit, nec ad ipsum pertinet, nec pertinet ad rationem perfectæ bonitatis. Vnde, qui Deo aliquid negat, quod ei conuenit, Diuinæ derogat bonitati, & est blasphemus. Vt si diceret, aut sentiret quidem, Deum nolle, aut non posse peccatores iustificare. Vel si Deos falsos adoraret, aut per illos iuraret. Quia Deo vero negatur bonitas perfectissima, quòd scilicet sit vnicus Deus. Et qui de Deo asserit aliquid, quod ei non conuenit, etiam diuinæ detogat bonitati, & est blasphemus. Vt si diceret, Deum esse tyrannum, aut iniustum, aut corporeum, &c.

Consultò dixi: *diceret, aut sentiret.* Quia Blas- 3 phemia, vti idem Doctor Angelicus docet *vbi proximè, in corpore articuli,* si derogatio excellentis bonitatis, consistat tantùm in corde, est cordis blasphemia. Si autem exteriùs prodeat per locutionem, est oris blasphemia. Quæ quidem definitur per hoc, quòd sit *Verbum maledictionis, vel conuity; seu contumelia in Deum, ex malo voluntatis affectu.* Ita Antonius Escobar, *in examine Confessariorum, & Theologia Morali, tract. 1. examine 3. de legibus cap. 6. num. 24.* Hermannus Busembaum *in Medulla Theologiæ, lib. 3. tract. 4. c. 1. in principio.* Vel per hoc, quòd sit *locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res Sacras per modum contumeliæ.* Bassæus, *tom. 1. verbo Blasphemia n. 1.* cum aliis pluribus.

Contumelia, *est iniusta alicuius in honore dimi-* 4 *nutio, per verba, aut signa denotantia malum culpæ,*

cap. 15. *num.* 1. Quæ omnia vera existimo, nisi aliud obseruet praxis Romanæ Curiæ, quod non scio. Hactenùs adamussim Laurentius de Peytinis.

107 Quòd si inquiras, Possuntne Prælati Regulares præfati, subditos suos absoluere, à reseruatis post recenlitas concessiones ipsis factas; an verò, ab illis solùm, quæ ante facultates eis datas, reseruata iam extiterant? Respondeo, tàm à reseruatis tempore concessionum, quàm postea reseruandorum, benè posse illos absoluere. Et ita tenet Peytinus *num.* 24. cum Suarez, *loco proximè allegato, cap.* 21. *num.* 5. Et ratio est, quia Pontifices Summi priuilegia reddita concedentes, intenderunt concedere facultatem ad absoluendum ab illis peccatis, quæ reseruata sunt pro illo tempore, quo fit Confessio, & absolutio impenditur, vti ex ipsorum diplomatum apertè colligitur verbis. Ergo Prælati Regulares subditos possunt absoluere à reseruatis, & à reseruandis. Antecedens probatur. Quia Pontifices illa priuilegia concesserunt vt perpetua, & generalia ad omnes casus reseruatos. Sed non essent perpetua, & generalia ad omnes casus reseruatos, nisi ea intentione concederentur, vt comprehenderent omnes casus reseruatos pro tempore Confessionis, & absolutionis vigore illorum factæ. Ergo Summi Pontifices per illa intenderunt facultatem concedere ad absoluendum ab omnibus casibus, tempore absolutionis, reseruatis.

108 Secundò, responsio nostra probatur. Priuilegia Regularium recensita, absoluta sunt, & fauorabilia. Ergo non sunt restringenda ad casus reseruatos tempore concessionum, sed amplianda ad absolutionis tempus, iuxta Iuris Regulam, Odia restringi, & fauores conuenit ampliari, *cap. Odia*, *el* 15. *de Regulis Iuris*, *in* 6.

109 Sed dices. Facultas Episcopis per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. ad absoluendum ab omnibus reseruatis occultis concessa, non extenditur ad reseruata post ipsum Concilium, sed ad iam reseruata tempore, quo illud celebratum est, vti docent penes Peytinum *dicto num.* 24. Graffis, *de quinque casibus reseruatis cap.* 5. *num.* 17. & 18. & Chapeauille, *de casibus reseruatis, casu* 14. *quæst.* 5. *difficult.* 2. & ita declarasse Sacram Concilij Congregationem. Ergo facultas ad absoluendum à reseruatis, Prælatis facta Regularibus, non extenditur ad reseruata post facultatis concessionem.

110 Ad obiectionem respondeo cum Laurentio præfato, in primis, non constare, authenticè saltem, de assertæ sacræ Congregationis Declarationes Secundò, quod adhuc dato, quod de illa constaret esse vetam, debet negari consequentia ob disparitatem rationis, quam ex eisdem Graffis, & Peyrino *suprà num.* 185. reddidi. Facultas enim Prælatis Regularibus ad absoluendum suos Regulares subditos ab omnibus reseruatis occultis, etiam & ab Hæresi, & in ipsam relapsu, concessa est ad Regularium quietem, & occasiones vagandi, contra ipsorum instituta, vitandas. Quæ quidem ratio non adfuit concessioni facultatis factæ per Concilium Tridentinum Episcopis, ad absoluendum sæculares, siue Laïcos, siue Clericos ab Hæresi, & alijs criminibus occultis, in illo Decreto cōtentis.

111 Quòd si iterum petas. Poteruntne Regulares pro absolutione semel in vita, & quatet aut pluries, in anno obtinenda, iuxta priuilegia recensita *suprà* 177. & 178. Sacerdotem eligere simplicem? Respondeo sub distinctione. Aut absoluendus est subditus, aut Prælatus. Si subditus, eligere nequit simplicem Sacerdotem; sed Confessarium approbatum ab habente ad id potestatem, tenetur eligere. Quia priuilegia præfata facultatem eligendi Confessarium de licentia Suorum Superiorum faciunt, non autem illam concedunt ad eligendum Sacerdotem, aut Presbyterum. Et ita docet Peytinus, *loco allegato, num.* 27. cum Suarez *to.* 4. *de Religione tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 7. Si autem Prælatus sit absoluendus, eligere bene valet simplicem Sacerdotem. Ita Peytinus *num.* 28. qui pro suis Minimis id probat ex suo *Correctorio num.* 84. ibi. Poterunt vnum ex Fratribus eiusdem Ordinis Presbyterum idoneum in suum Confessorem, quoties opus fuerit, eligere. Et colligit ex Constitutione Iulij II. Marimagno eorundem Patrum Minimorum, §. 9. ibi Fratres etiam vestri, quos pro tempore habueritis in Confessores, &c. vbi non dicit Confessores, quos pro tempore elegeritis. Idem docet *tom.* 2. *de Prælato, quæst.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 86. & 87. & *seqq. ex cap. Finali, de Pœnit. & remiss.*

112 Dictis tamen non obstantibus, in vi praxis, propter nouissimas rationes, simul & declarationes, atque restrictiones ego non consulerem, &c. vt aliqui quantumuis priuilegiati ab Hæresi absoluerent, maximè in Hispania, vbi ad instantiam Regis Catholici R. Patres Societatis Iesu, suo priuilegio cesserunt, vti à viris doctis, piis & grauibus eiusdem Societatis, à me consultis, accepi: eùm, ob ea, quæ P. Antonius Montes de Porres, Mercenarius testatur *in compendio Dianæ* typis dato Matriti *anno* 1657. videlicet: el Prelado Regular, no puede absoluer a sus subditos de la Heregia occulta, ni de otros casos de la Bulla de la Cena, aunque Bauny, aora nuebamente sciencielo contrario, *par.* 1. *tr.* 4. *q.* 52. *par.* 6. *tr.* 7. *resol.* 63. *fol.* 265. veasse, *verbo Absoluere n.* 37. y esto lo declaro la Congregation, segun el edicto, que los Señores inquisitores an mandado publicar este año de 1656. Ni de la Descommunion, que naze de la simonia en orden à conseguir beneficio, *p.* 1. *tr.* 15. *resol.* 8. *fol.* 300. Tum etiam, ob Constitutionem Vrbani Octaui sub die 5. Nouembris 1631. editã, incipientẽ, *cum sicut accepimus*, la 180. apud Cherubinum *tom.* 4. Bullarij, infrà *disquisit.* 11. *dub.* 17. recensendam *n.* 180. vbi §. 1. sub strictissima forma reuocantur priuilegia quorumcumque Regularium in his quæ fidem Catholicam illius propagationem, & Sanctæ Inquisitionis Officium, spectant.

DISQVISITIO II.

De Blasphemiarijs.

An publicè blasphemantes Ecclesiasticâ priuentur Sepulturâ?

BREVIARIVM.

Blasphemia.

Consistit in derogatione alicuius excellentia bonitatis, Deo Matri sua, aut Sanctis debita, n. 3.

Blasphemia, alia cordis, alia oris, n. 4.

Blasphemia oris, est verbum maledictionis, conuitij, aut contumelia in Deum, ex malo voluntatis affectu. Vel locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res sacras per modum contumelia, n. 4.

Commit

Committitur quando Deo, Sanctis, & rebus sacris negatur, quod eis conuenit. & quando conceditur, quod non conuenit eis. n.3.

Quando Deus falsus adoratur, aut per eum quis iurat: quia Deo verò detrahitur, quod vnicus Deus sit, num.3.

Non verò committitur, quando Verbum contumeliosum, aut Conuitium in Deiparam profertur, aut sanctos, sinè respectu saltem virtuali in Deum: prout Dei mater, v.g. aut Sancti sunt, n.7.

Publicè Blasphemantes, si pœnitentiam eis iniunctam non fecerint, Ecclesiasticâ priuantur sepulturâ, num.1. & 2.

Interdicto ingressu Ecclesia, & aliis puniuntur pœnis, num.2.

Contumelia.

Est iniusta alicuius in honore diminutio per verba, aut signa denotantia malum culpæ. Vel est iniuria, quâ quis alicui honorem aufert, in eius notitiam, aut aliorum deducendo aliquid, ex quo ille dehonoratur, num.5.

Committitur peccatum contra Hyperduliam, aut Duliam, non autem Blasphemia, quando verbum Contumeliosum, aut conuitium, contra Deiparam, aut Sanctos profertur sine respectu, saltem virtuali, ad Deum, num.7.

Differt à Detractione Contumelia, in duobus. Vide Detractio.

Conuitium.

Est iniusta alicuius in honore diminutio per verba, aut signa denotantia malum pœna, n. 6.

In quibus à Detractione differat. Vide Detractio.

Detractio.

Differt à Contumelia, & conuitio in hoc, quod illa lædat in fama. Ista autem in honore, & in hoc, quòd illa vt plurimum occultè fiat, contra absentem instar furti; ista, verò vt plurimum apertè contra præsentem instar rapina, n.6.

Dulia.

Virtus est, quâ Sanctis adorationem adhibemus, & cultum, n.8. & 10.

Fama.

Est opinio, seu existimatio de alterius excellētia, n.6.

Furtum.

Est occulta rei aliena acceptio, Domino rationabiliter inuito, n.6.

Honor.

Est testificatio aliena excellentia animo cōcepta, n.6.

Hyperdulia.

Est excellens, & eximia Duliâ quâ B. Maria tanquam Dei matri honorem adhibemus, & cultum, n.8.10. & 11.

Latria.

Est virtus, quâ solus Deus colitur, & adoratur, n.8.

Maria.

Nullus homo Deipara similis ex viro, & muliere vnquam natus, aut nasciturus est vsque ad sæculi consummationem, n.11.

Maria Sanctissima naturâ Angelis inferior est, honore autem, & sanctimoniâ omnibus illis superior, n.11.

Rapina.

Est violenta contra iustitiam acceptio, n.6.

CONCLVSIO

1 PVblicè Blasphemantes Deum, Deiparam, aut Sanctum aliquem, sepulturâ Ecclesiasticâ priuantur, si pœnitentiam eis iniunctam non fecerint.

Ita docent Fabius Incarnatus, *in Scrutino Sacerdotali, part. 1. tract. 10. de operibus Misericordia corporalibus, vers. Qui sunt illi.* Ægidius Trullench, *to.3. tract. de Iure Parochi, c.9. dub. 7. n.13.* Morue *in examine Theolog. Moral. part.4. c.20. §.3.* Augustinus Barbosa, *de Vniuerso Iure Ecclesiastico, part.2. lib.2. c.10. n. 52.* cum Poscuino *de Officio curati, c.14. n. 4.* & Vgolino, *de Officio, & potestate Episcopi, cap. 17. num. 4. versic Sextò.* Idem Barbosa, *de Officio, & potestate Parochi, part.3. c.26. n.52. & de Officio, & potest. Episcopi part. 2. allegat. 51. n.97. & in cap. Statuimus, num.5. el 2. de Maledicis.* Ioannes Machadus, *enel perfecto Confessory cura de almas to.2. part.2. lib.4. tract.2. documento 25. n. 4. versic. Estan.* Franciscus Maria Samuëlis *in Praxi de Ecclesiasticis Sepulturis, tr.2. disp.1. controuer.4. conclus.7.* Syluester *in Summa, verbo Sepultura n. 9. versic. Sexto.* Diuus Antoninus, *in 3. parte Summa maioris, tit.10. de Sepulturis, cap.5. §.8.* Noster Nicolaus Iudeschus, dictus Abbas Panormitanus, *in dictum caput. Statuimus, num.3.* & Glossa, ibi, *in casus figuratione.* Ventriglia, *in Praxi rerum notabilium, annotat 52. §. vnico, num.21. pag.474.*

2 Probatur resolutio ex allegato capite, in quo Gregor. Papa IX. postquàm statuit pœnas aliquas per Episcopum Blasphemis iniungendas, applicandas, sic decernit. Et si nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur, » Cui etiam si renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam suprà dictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu, Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Hæc Pontifex, in Decretali incipiente. *Statuimus, vt si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè Beatam Virginem, linguam in Blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœna subdatur inferius annotata.*

Sed pro disquisitionis intelligentia aduertere operæpretium duxi, quòd blasphemia consistit in derogatione alicuius excellentis bonitatis, & præcipuè diuinæ, vti docet D. Thomas 2.2. q.13. art.1. Cùm autem Deus sit vera bonitas per essentiam, quidquid ipsi conuenit; ad ipsius bonitatem pertinet: & quiquid ipsi non conuenit, nec ad ipsum pertinet, nec pertinet ad rationem perfectæ bonitatis. Vnde, qui Deo aliquid negat, quod ei conuenit, Diuinæ derogat bonitati, & est blasphemus. Vt si diceret, aut sentiret quidem, Deum nolle, aut non posse peccatores iustificare. Vel si Deos falsos adoraret, aut per illos iuraret. Quia Deo vero negatur bonitas perfectissima, quòd scilicet sit vnicus Deus. Et qui de Deo asserit aliquid, quod ei non conuenit, etiam diuinæ derogat bonitati, & est blasphemus. Vt si diceret, Deum esse tyrannum, aut iniustum, aut corporeum, &c.

3 Consultò dixi: *diceret, aut sentiret.* Quia Blasphemia, vti idem Doctor Angelicus docet *vbi proximè, in corpore articuli,* si derogatio excellentis bonitatis, consistat tantùm in corde, est cordis blasphemia. Si autem exteriùs prodeat per locutionem, est oris blasphemia. Quæ quidem definitur per hoc, quòd sit *Verbum maledictionis, vel conuitij; seu contumelia in Deum, ex malo voluntatis affectu.* Ita Antonius Escobar, *in examine Confessariorum, & Theologia Morali, tract.1. examine 3. de legibus cap.6. num.24.* Hermannus Bussembaum *in Medulla Theologia, lib.3. tract.4. c.1. in principio.* Vel per hoc, quòd sit *locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res Sacras per modum contumelia.* Bassæos, *tom.1. verbo Blasphemia n.1.* cum aliis pluribus.

4 Contumelia, *est iniusta alicuius in honore diminutio, per verba, aut signa denotantia malum culpa,*

vt ſit ei dicatur: *Fur*; *Mendax* Buſſembaum, *lib.* 3. *tract.*6. *dub.*2. *cap.* 1. *de Detractione*, *in principio.* Auſonius Noctinot *in Summa Diana*, *verbo Contumelia.* Vel *eſt iniuria quædam, quâ quis alicui honorem aufert, deducendo in notitiam eius, vel aliorum aliquid ex quo ille dehonoratur.* Ita Baſſæus, *verbo Contumelia num.* 1. vbi ait propriè Conſiſtere Contumeliam, in verbis iniurioſis, in præſentia eius prolatis, cuius honori Officit, impropriè autem & ſecundariò conſiſtere poſſe, ait in factis, quatenus ſignificant intentionem de lædendo honorem alterius.

6 Conuitium, *eſt iniuſta alicuius in honore diminutio per verba, aut ſigna denotantia malum pœnæ.* vt ſi ei dicatur: *Cæcus*, *ſtultus.* Noctinot, *loco citato.* Differunt contumelia, & Conuitium à Detractione, in duobus. *Primum* eſt, quòd detractio lædit in fama, *quæ eſt opinio*, *ſeu exiſtimatio de alterius excellentia*; Contumelia, verò & Conuitium lædunt, vti dictum eſt, in honore, *qui eſt teſtificatio alienæ excellentiæ*, *animo concepta.* Secundò differunt in modo. Quia contumelia, & Conuitium inſtar rapinæ apertè fit, contra præſentem, vt plurimum; Detractio autem, vt plurimum, occultè fit contra abſentem, inſtar furti. Buſſembaſi, *loco vltimo reddito.* Rapina enim idem ſonat, quòd violenta acceptio cōtra iuſtitiam; furtum verò id, quòd fraudulenta. Sotus, *de Iuſtitia*, *& Iure lib.*4. *quæſt.*3. *art.*5. *Concl.*1. Baſſæus, *dicto*, *tom.*1. *verbo*, *Furtum num.*1. vbi illud definiens ſic ait. Furtum, ſecundùm communem Theologorum ſententiam, *eſt occulta rei alienæ acceptio*, *Domino rationabiliter inuito.* Dicitur autem *occulta*, vt diſtinguatur Furtum à rapina, & aliis iniuſtis acceptionibus per iniquos contractus, quæ fiunt Domino ſciente, & vidente. Hæc Baſſæus. Cui conſonat Buſſembaum, *lib.* 3. *tr.*5. *cap.*1. *dub.*1. *in principio.*

7 In reſolutione additur: *Deiparam*, *aut Sanctum aliquem*: quod ita intelligi velim, vt verbum contumelioſum, conuiciumve contra eos prolatum formaliter intelligatur, provt ſcilicet Dei Mater; & Sancti ſunt: ſiue conſiderati cum habitudine, aut reſpectu, ſaltem virtuali ad Deum: ita vt moraliter Dei etiam honor tangi cenſeatur, & lædi. Aliàs namque contumelia, aut conuitium in Mariam Sanctiſſimam, & Sanctos, non eſt peccatum Blaſphemiæ, ſed contra Hyperdulium, aut Duliam.

8 Quòd ſi petas, quid Dulia ſit, & quid Hyperdulia. Dico, quod Dulia eſt Virtus, quâ Sanctis adorationem, & cultum exhibemus. Quæ quidem adorationis genus eſt Religione, & latria, quâ Deus ſolus colitur, inferior; Hyperdulia autem eſt excellens, & eximia Dulia quâ Beatiſſima Virgo Maria colitur, & veneratur. Videantur Leonardus Leſſius, *de Iuſtitia*, *& Iure*, *lib.*2. *cap.* 45. *dub.* 5. *de Blaſphemia* Hermannus Buſſembaum, *tract.*2. *cap.* 1. *libr.* 3. Martinus Peccanus *de Virtutibus Theologicis cap.* 14. *quæſt.* 4. Fabius Incarnatus, *in ſcrutinio ſacerdotali*, *part.*1. *tr.*6. *de ſecundo præcepto Decalogi*, *verſic. Contra hoc*, Auguſtinus Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi*, *allegat.* 51. *à n.* 85. & Gabriel Vazquez, *tom* 1. *in* 3. *partem D. Thomæ*, *diſp.*98. vbi de Dulia, & *diſp.* 99. vbi de Hyperdulia agit, & *cap.*21. in hæc prorumpit.

9 Quanquam ex *diſput.* 97. ſatis perſpicuè conſtat deberi Beatæ Virgini pluſquam ciuilem cultum (debitum ſcilicet hominibus in dignitate ciuili conſtitutis, vti ipſemet *diſput.* 98. *cap.* 1. *verſic. An verò ſit.* exponit.) ſiquidem aliis quoque Sanctis tribuitur: quia tamen cum Hæreticis, imò cum Catholicis de modo adorationis peculiaris eſt difficultas, nouam diſputationem de Beata Virgine inſtituere neceſſe fuit. Quæſtionem hanc eruditè, ſicut reliquas, tractat noſter Caniſius, *lib.*5. *de B. Virgine cap.* 11. *& ſeqq.* vbi refert permultos noſtri temporis Hæreticos, qui cultum iampridem in Eccleſia Dei vſitatum, & titulos B. Virgini impudenter impugnant. Veritas tamen Catholica eſt, Beatam Virginem cultu ſacro, & pluſquam ciuili colendam eſſe. Quæ quidem definita eſt locis citatis, *diſp.*93. *cap.*2.

Et quidem ſi ſanctitatem Virginis ſpectemus 10
in ea eſt dignitas eiuſdem rationis, maior tamen: quàm in reliquis Sanctis, vt ipſam adorèmus: ſi verò dignitatem eximiam matris cum ſanctitate coniunctam, eſt etiam in ea peculiaris ratio dignitatis, quæ in aliis non reperitur, vt ipſam veneremur. Quocirca cum cœteri Sancti dicantur coli Duliâ, quæ inferior eſt Religione, & Latriâ, B. Virgo dicitur Hyperduliâ adorari, quæ idem eſt, quod excellens, & eximia Dulia Quod nomen, licèt à Patribus vſitatum non fuerit, ab Scholaſticis docendi gratiâ meritò vſurpatum eſt, vt indicarent, in Beata Virgine eſſe multò maiorem dignitatis excellentiam, ob quam eximio cultu Duliæ adoranda ſit. Sic docent S. Thom. *hîc*, & Caietanus, Gabriel, *lect.* 49. *ſuper Canonem.* Palud. *in* 3. *diſt.*9. *q.* 2. Almainus *q.*1. *ante medium.* Ex quibus quamuis Paludanus dicat Hyperduliam deberi Beatæ Virgini, propter ſingularem vitæ ſanctitatem, quâ ſuper omnes choros Angelorum euecta eſt, id quod nullus alius Doctorum negat; Cæteri tamen citati cum S. Thoma docent, peculiari ratione Hyperduliâ adorari. Quod ſcilicet, ſit Mater Dei: atque ideò inter ipſam, & Deum ſit ſpecies quædam coniunctionis, & conſanguinitatis ſecundùm carnem, vt optimè aduertit Caniſius, *lib.*5. *cap.*15.

Hoc ſanè ſingularis adorationis genus erga Vir- 11
ginem, indicant Patres, qui aſſerunt, eam tanquam Matrem Dei eſſe venerandam. Sic Athanaſius, *in Euang. de S. Virgine*, Damaſcen. *lib.*4. *de Fide. c.*15. German. Patriarcha, *in epiſt. ad Ioan. Synnadon.* quæ habetur *action.* 4. 7. *Synodi*, Aug. *ſerm.*35. *de Sanctis*, Bernardus, *ſerm.* 1. *de Aſſumptione*, Petr. Damianus *ſerm.* 1. *de Natiuit. Mariæ*, Dupertus, *lib.* 3. *in cantica in illud c.* 4. *Veni coronaberis*, Anſelm. *Opuſculo de excellentia Virginis c.* 8. Demum Gregor. Papa *in Epiſtola ad Germanum, circa finem*, quæ habetur *in eadem* 7. *Synodo*, *accion* 4. Qui omnes cum Athanaſio Virginem appellant Dominam, & Reginam, ideóque ipſi honorem deferendum affirmant. Id ipſum clariſſimè teſtatur Nazianzenus *in tragœdia de Chriſto patienti*, his verbis. Admitte Virgo, ô, inclyta, hîc quando tibi Verbi parenti, ſed ſuper modum tuum, legémque, ſolùm inter omnes cōtigit honor. Et Ioannes Cantacuzenus, *in Apologia* 3. *&* 9. *contra Mahumetanos.* Credimus (inquit) & confitemur, quòd Mariæ ſimilis homo, nec natus ſit, nec poſthac ex viro, & muliere naſciturus, vſque ad confirmationem ſæculi, & ſecundùm humanam naturam, eam Angelis inferiorem eſſe iudicamus, tanquàm hominem, honore autem, & ſanctimoniâ, ipſam omnibus Angelis indubiè præferimus; eo quòd Verbum, & Filium Dei ſecundùm carnem peperit. Accedit Epiphanius, *Hæreſi* 79. *in medio*, qui dicit, Mariam Virginem cæteris eſſe honoratiorem propter

myſterium

mysterium Incarnationis.... vbi nomine illo comparativo apertè indicavit, genus illud adorationis excellentioris, quam Hyperduliam vocamus. Hæc omnia magnus Gabriel Vasquez.

DISQVISITIO III.

De Excommunicatis.

An Excommunicati, publici saltem, vel notorij, maiori excommunicatione innodati, priventur sepulturâ Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM:

Communio.

Communicare possumus mortuis, quibus communicamus vivis, non verò quibus vivis non potuimus communicare, n.3. 4. 7. & 11.

Excommunicatio.

Notorij excommunicati excommunicatione maiori, ipso iure sunt sepulturâ Ecclesiasticâ privati, n. 1. 3.7. 8.12.13. & 14.

Potest tamen in loco humano sepeliri, ne aërem corrumpat, n.2.

Cum excommunicato notorio; non licet, etiam in humanis communicare, illum lavando, vestiendo, &c. num. 2.

Excommunicatio, est Censura Ecclesiastica separans excommunicatum à communione Fidelium, numero 4. 5.

Excommunicatio, Sathanæ excommunicatos tradit; & ab Ecclesia, Christi corpore removet mystico; n. 5. 6.

Excommunicatus in Ecclesiastica sepultura tumulatus, si à Fidelium corporibus discerni potest, debet exhumari, & procul iactari, n.7.8.

Excommunicationis vinculum, quo excommunicatus innodatus existit, solùm per Ecclesiæ sententiam relaxatur, n.9.10.

Excommunicatus potest; & debet post mortem absolvi, si evidenter constet de ipsius viventis pœnitentia. A quo tamen, & quomodo, n.11.

Excommunicari potest iam mortuus in aliquibus casibus, n.11.

Excommunicationem incurrit, qui scienter celebrat, & cum præsumptione, & celebrare facit divina in locis interdictis ab Ordinarijs, vel Delegatis, vel à Iure, nisi quatenus ei à Iure conceditur. Et qui excommunicatos publicè vel interdictos vel vsurarios manifestos, ad Officia divina, ad Sacramenta, vel ad sepulturam admittit, n.12.13.

Hæres.

Excommunicati hæres, pro eo satisfacere debet, & ad id compelli potest, n.11.

Interdictum.

Ingressum Ecclesiæ interdictum incurrit; qui scienter, & ex præsumptione, celebrat aut celebrare facit divina in locis interdictis, nisi quatenus ei à Iure conceditur, & qui publicè excommunicatos, interdictos, aut vsurarios manifestos admittit ad divina Officia, ad Sacramenta; aut ad sepulturam Ecclesiasticam, n.12.13.

Iudicium.

Dei Iudicium veritati semper innititur, quæ non fallit, nec fallitur; Ecclesiæ autem Iudicium, nonnunquam opinionem sequitur; quam & sæpè fallere contingit, & falli, n.9.

Peccator.

Vinculum, quo peccator apud Deum ligatus existit, in culpæ remissione dissolvitur, n.9.

Sepultura.

Nulla, vel vilis iustis obest: nec impiis vlla, vel celebris, aut speciosa prodest, n.7.

Qui ad sepulturam admittit scienter, & ex præsumptione, publicos excommunicatos, vsurarios manifestos, vel interdictos, interdictum ingressus Ecclesiæ & excommunicationem incurrit, num. 12. & 13.

CONCLVSIO.

Respondetur huiusmodi excommunicatos, sepulturâ Ecclesiasticâ ipso iure esse privatos. 1

Docent August. Barbosa *de Vniverso Iure Ecclesiastico, par.2. lib.2. cap.10. num.40.* & *in Clem. Eos qui, nu. 3. de 1. de Sepult.* cùm Galganeto *de Iure publico, lib.3. tit.109. num. 35.* Henriquez *in Summa, lib.13. c.11. §.3.* & *cap.43. §.3.* Azevedo *lib.6. n.8. cum seq. tit.18. lib.4. novæ Recopilationis*, Possevino *de Officio curati, cap.14. n. 4.* Vgolino *de Censuris, tabula 2. cap.9. §.5. & 6.* & *de Officio Episcopi, cap.17. n.4. versic. Septimò*, ipse Barbosa *in cap. Ad hæc, nu.1. & 2. el 5. de Privileg.* vbi addit Innocentium, Zabarellam, Ioannem Andream, Hostiensem, Butrium, Ancharanum, Marian. Socin. Decium, Vinianum *in Rationali, lib.3. Iuris Pontificis, pag. 196.* Navarrum *in Manuali, cap.27. num. 23. versic. 17.* Toletum *in instructorio Sacerdotum, lib.1. cap13. num. 10.* Franciscum Suarez *tom.5. in 3. par. D.Thom. disput. 11. sect. 4.* Gregorium Sayrum *in Thesauro, lib.2. de Censuris, cap.4. num.10 & seqq.* Avilam *de Censur. par.2. cap.6. disput.4. dub.8.* Bonacinam *eòd. tract. disput.2. quæst.2. punct.3. §.3.* & alios: idem Barbosa *de Officio & potestate Parochi, cap.26. nu.40.* cum Villalobos *tom.2. tract.31. diffic.3.* & Ioanne Sanctiò *in Selectis, disput.36. nu.1.* Ægidius Trullench. *tom.3. tract. de Iure Parochi, cap.9. dub. 7. num.1.* Moure *in examine Theologiæ moralis, par.4. cap. 20. §. 3.* Eligius Bassæus *in Summa, tom. 1. verbo Sepultura, num. 5.* Fabius Incarnatus *in Scrutinio Sacerdotali, part.1. tract.10. de Operibus misericordiæ corporalibus, versic. Qui sunt illi:* Roderiquez *tom.3. quæstionum Regularium, quæst. 61. art.1. versic. Sextò, pag. mihi 204.* Navarrus *to. 1. Consiliorum, lib.3. tit. de Sepulturis, consil. 4.* Hieronymus Roderiquez *in Compendio qq. Regular. resol. 128. num. 24.* D. Antoninus *part.3. Summæ maioris, tit. 10. de Sepult. cap.5. §. 8.* Samuëlius *de Sepult. tract.2. disput.11. controv. 7. concl.3. & controv.9. concl.2.* Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.7. de Censuris, cap. 2. de Excommunicatione, dub.3. de effectibus Excommunicat. effectu 8.* Ioannes Machadus *en el perfecto Confessor, y cura de Almas, tom. 2. lib. 4. par.2. tract.2. docum.25. num.2.* Panormitanus Abbas *in cap. Sacris, nu. 1. el 12. de Privil.* & *in cap. Ad hæc, nu.1. & 2. el 15. eod. tit.* Sà *verbo Sepultura, n.3.* Iacob. Gordonus *tom.2. Theolog. moral. lib.7. quæst. 8. cap.3. nu.38.* Sylvester *verbo Sepultura, n.9.* Franc. Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo 2. parte 1. tract. 8. cap.5. num. 184.* Paz Iordanus *tom. 1. de re sacra,*

lib. 5. tit. 12. n. 123. & 124. Ventriglias *adnot. 52. num. 21.*

2 Et adeò certa est resolutio nostra, vt non liceat cum excommunicato mortuo, etiam in humanis communicare: v. g. illum lavando, vestiendo, &c. vti Barbosa *in cap. A nobis el 2. & 28. de Sentent. Excomm. num. 5.* docet, cum Vgolino *de Censur. tabula 2. cap. 23. in princ. n. 8.* Valerio Reginaldo *in praxi fori Pœnitentia, lib. 32. n. 85.* cum quo & Matio Alterio *de Censur. tom. 1. de Excommun. lib. 1. disput. 10. cap. 6. & 7.* excipit illum, qui talem sepelit in locu profano, ne aërem corrumpat.

3 Probatur resolutio. *Primò*, ex *can. Sanè*, el 3. „ 24. *causa, quæst. 2.* in quo sic Vrbanus Papa. Sanè, „ quod super Ricardo filio Borelli Vestra Fraterni„ tas se egisse innotuit pro zelo Dei, & animarum „ salute, & charitate, laudamus: sed non est adeò „ timendum. Non adeò est vobis ab eius eleemosy„ nis abstinendum. Inter cæteros quippe nostræ fi„ dei Patres, Beatus Leo Papa, Doctor egregius: „ quibus vivis (inquit) non communicamus, nec „ mortuis communicare debemus. Constat ergo, „ quibus vivis (ex opposito loquamur) communi„ camus, mortuis quoque communicare possumus. „ Nos planè inter duo oppugnantia positi: inter im„ pios videlicet, & Schismaticos: Schismaticos „ vllo modo communicare non possumus aut licet; „ peccatoribus verò, & prædonibus dispensativè „ propterea communicamus, quia & Ecclesiam ha„ ctenus sustentaverunt, & fideles se in posterum „ pollicentur. Alioqui oportet, nos de huius mun„ di partibus exire. Sub qua etiam sponsione nos „ eis nuper, in Beati Petri Natalitijs absolutionem „ iodulsimus. Quia ergo prædictus vir neque ex„ communicatus nominativè, neque communicans „ cum excommunicatis, ex nomine exiit, sed in „ Domini sui fide, atque servitio permansit. Licet „ nobis dispensativè, idest quandiù eos patimur, eo„ rum eleemosynis communicare, & defuncti ani„ mam Christianæ Religioni omnibus modis adju„ vare. Hactenus Vrbanus Papa.

4 Vbi notanda veniuut, pro nostræ resolutionis probatione, cum sententia S. Leonis Papæ, & Doctoris, ab Vrbano relata: videlicet. Quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Quæ quidem maximum locum habet eorum respectu, qui excommunicationi subijciuntur maiori, cuius effectus, potissimus inter alios est, excommunicatos privare communione, quâ ante excommunicationem potiebantur in bonis spiritualibus: quorum vnum est Sepultura Ecclesiastica: tum etiam, propria Vrbani sententia. Quia ergo (inquit) prædictus vir, neque excommunicatus, nominativè.... exiit. In qua satis apertè demonstrat recensitum à nobis excommunicationis effectum. Quam certè ignorare neutiquam valet, qui istius censuræ naturam cognoverit. Est enim excommunicatio, censura Ecclesiastica, separans excommunicatum à communione Fidelium: vti illam definiunt Castrus Palaus *par. 3. tract. 29. de Censur. disp. 2. de Excom. punct. 1. n. 2.* Iacobus Gordonus *tom. 2. Theologia Moralis, libro 7. quæst. 7. capite 1. num. 2. versic. Definiri.*

5 Quæ quidem definitio excommunicationis, bona est, & satis illius naturam demonstrat, teste D. Augustino *de Verbis Apostoli, sermone 68.* relatus *in can. Omnis, 11. causa, quæst. 3.* vbi in hæc „ prorumpit. Omnis Christianus, dilectissimi, qui à „ Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur. Quomodò? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabo„ lus est, sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc „ quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica Com„ munione removetur. Vnde illos, quos tunc Apo„ stolus Sathanæ esse traditos prædicat, excommu„ nicatis à se esse demonstrat. Hactenus ibi: & *can. Nihil*, proximè sequenti, de excommunicatione etiam loquens, super Ioannem, sic ad intentum „ nostrum ait. Nihil sic debet formidare Chri„ stianus, quàm separari à corpore Christi; si enim „ separatur à Corpore Christi, non est membrum „ eius, si non est membrum eius, non vegetatur „ spiritu eius.

Huc spectat nostri D. Lanfranci, Cantuatensis 6 Archiepiscopi, perifrasis, *in 1. ad Corinth. cap. 15. à versu 5.* tradere *(inquit) excommunicare scilicet indicavi*, huiusmodi *illum* Sathanæ; *maligno spiritui vexandum* in interitum carnis, *carnalis voluptatis*, vt spiritus salvus sit *(si fortè eum moveat ipsa repulsa ab Ecclesia, & ad pœnitentiam reducatur)* in die *iudicij* Domini nostri Iesu Christi *cum talem vobiscum retineatis.* Non est bona gloriatio vestra *à simili.* Nescitis, *dicit eum esse repellendum, quia si remaneret inter alios, ipse corrumperet intactos:* quia modicum fermentum totam massam corrumpit? *Ne vos intactos corrumpat:* expurgate *igitur* vetus fermentum, *veteris hominis peccatum*, vt sitis *benè vivendo*, nova conspersio, &c.

Secundò probatur *ex cap. Sacris*, el 12. *de Se-* 7 *pulturis*, vbi sic Innocentius Papa III. decernit. „ Sacris est Canonibus institutum, vt quibus non „ communicamus vivis, non communicemus de„ functis: vt careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui „ priùs ab Ecclesiastica vnitate præcisi, nec in ar„ ticulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint. Vnde „ si contingat interdum, quod vel excommunica„ torum corpora, per violentiam aliquorum, vel „ alio casu in Cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, „ si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhu„ mari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura „ iactari. Quòd si discerni non poterunt, expedire „ non credimus, vt cum excommunicatorum offi„ bus, corpora exhumulentur fidelium: cum licet „ non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impijs „ tamen, celebris, vel speciosa non prosit.

Probatur *Tertiò*, ex *cap. Ad hæc*, el 5. *de Privil.* 8 *& excessibus privilegiatorum*, in quo Alexander „ Papa III. in hunc decernit modum. Ad hæc: & „ infrà. Mandamus, quatenus Hospitalarijs præci„ pias, vt si quos in excommunicatione defunctos „ in Cœmeterijs Ecclesiarum sepelierint, eos extra „ Cœmeteria eiiciant; quòd si facere noluerint, tu „ hoc de his, quos in excommunicatione defunctos „ esse constiterit, exequaris.

Quartò probatur resolutio *ex cap. A nobis el 2.* 9 *& 28. in ordine, de Sentent. Excomm.* à Clemente Papa III. sub hoc tenore edita. A nobis est sæpè „ quæsitum, vtrum si aliquis excommunicatus in „ quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per „ eum steterit quominùs reconciliaretur Ecclesia„ sticæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis „ decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus? „ & vtrum pro tali recipienda sit eleemosyna, & à „ fidelibus sit orandum? & infrà. Nos igitur con„ sultationi tuæ taliter breviter respondemus: quod „ iudicium Dei veritati, quæ non fallit nec fallitur „ semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ, non„ nunquam opinionem sequitur, quam & fallere „ sæpè contingit, & falli. Propter quod contingit „ interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud „

Eccle

Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum; Ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur, illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur: quos in suscitatione Lazari sermo Evangelicus manifestat: quem prius Dominus suscitavit, & Apostolis præcepit postmodum solvere suscitatum.

10 Vnde, quantuncumque se quis iuramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantacumque pœnitentiæ signa in eo præcesserint, si tamen morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen, & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, vt si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam, absolutionis beneficium impendat.

11 Nec obstat, quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tanquam non possit solvere, & ligare sub terrâ sepultos, & quod legitur, non communicetur mortuo, cui non est communicatum, & vivo: cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos & soluisse. Vt autem in vno pariter, & eodem negotio & servemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus; statuimus, vt illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat absolvendus; aliorum autem absolutionem ex præmissa causa cæteris indulgemus à quibus dum viverent, fuerant absolvendi. Absolutionis autem forma servetur, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia consueta. Hæredes quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si monitione præmissa noluerint, per districtionem Ecclesiasticam compellantur. Hæc omnia Clemens, in Decretali allegata, quæ pro nostra facit resolutione in illis verbis: *non communicetur mortuo, cui non est communicatum, & vivo.*

12 Probatur *quintò* ex *cap. Episcoporum el 8. de Privileg. lib.* 6. in quo sic decernit Bonifacius Papa VIII. Episcoporum & aliorum Prælatorum querelis frequentibus, & querelosis clamoribus excitati, præsenti Decreto duximus statuendum: ne aliqui Sæculares, aut Regulares quantuncumque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ privilegijs communiti, cuiuscumque Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, scienter celebrent, vel faciant celebrari divina in Civitatibus, castris, villis (nisi quatenus eis à Iure conceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis, sive delegatis Iudicibus, vel à Iure: aut excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui verò contrà præsumpserint (præter alias pœnas à Iure statutas) ingressum Ecclesiæ, sibi noverint interdictum: donec de transgressione huiusmodi, ad arbitrium eius; cuius sententiam contempserant, satisfecerint competenter.

13 *Sextò* probatur *ex Clem. Eos, la 1. de Sepulturis*, vbi Clemens Papa V. in Concilio Viennensi sic, vt sequitur, definivit. Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in Cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à Iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos; vel vsurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere: à qua nullatenus absolvantur, nisi priùs ad arbitrium, Diœcesani Episcopi, eis, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, & satisfactionem exhibuerint competentem, Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragetur. Hactenùs Conciliare Decretum. In quo dictiones, *Scienter*, & *Præsumunt*, adnotandæ veniunt. Quæ quidem oblivionem, incogitantiam, negligentiam, & animi simplicitatem excludunt; ita vt non dicantur contra hanc, præsumere Constitutionem, & scienter excommunicatos in eis contemptum sepelire, qui ex oblivione illius, ex incogitantia, simplicitate, aut negligentia, contra illius prohibitionem, in Cœmeteriis excommunicatos, interdictos, vel vsurarios tumulaverint. De quo plura, notatu digna, *dubio* 14. *Disquisitionis prima huius tractatus diximus, numero* 14. *& sequentibus.*

Vltimò probatur ex Rituali Romano Pauli Papæ V. authoritate editi, in Rubrica, *de exequiis*. vbi sic habetur. Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiasticâ sepulturâ ipso iure sint excludendi; ne quemquam ad illam contra sacrorum Canonum Decreta vnquam admittant. Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Iudæis & omnibus infidelibus, Hæreticis, & eorum Fautoribus, Apostatis à Christiana Fide, Schismaticis, & publicis excommunicatis maiori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante. Hæc omnia ibi. 14

Nonnulla, pro praxi, dubia; non spernendâ, occurrunt discutienda.

DVBIVM I.

An publicè excommunicati, minori excommunicatione, privati ipso iure sint, Ecclesiasticâ sepulturâ?

BREVIARIVM:

Anathema.

Idem est; ac excommunicatio maior; privans non solùm à communicatione Sacramentorum, sed separans à Corpore Christi, quod est Ecclesia; num. 3.

Axioma.

Qui vnum exprimit & aliud tacet; censetur excludere, quod tacet, n. 8.

Inclusio vnius, est exclusio alterius, n. 8.

Quod in lege non est expressum; censetur neglectum: si enim aliud voluisset, expressisset, n. 8.

Beneficia.

Omnia Beneficia, & Dignitates, ex Ecclesiæ intentione ordinantur ad hoc, vt Beneficiarius divina celebret;

celebret, & Sacramenta ministret, num. 6.

Bonifacius VIII.

Doctissimus fuit, & librum sextum edidit Decretalium, n.14.

Clericus.

Ad simplicem Clericatum eligi non licet excommunicatus minori excommunicatione. Quia Clericatus assumitur tanquam medium ad susceptionem, & administrationem Sacramentorum, quorum susceptione, huiusmodi excommunicatus, est ipso iure privatus, n.6.

Electio.

Eligere, aut eligi non potest irregularis, n.15.

Eligi nequit excommunicatus minori excommunicatione, n.5.6.

Eligere tamen potest, n.5.

Excommunicatio.

Publicus excommunicatus minori excommunicatione, probabile est quod sit sepulturâ Ecclesiasticâ privatus, n.1.

Probabile est contrarium, n.2.3.

Excommunicatio minor solùm privat communicatione passivâ Sacramentorum, n.2.4.5.7.

Minori excommunicatione innodatus, eligere potest & exercere, quæ sibi ratione competunt iurisdictionis, n.5.

Si celebrat, mortaliter peccat, sed irregularitatem non incurrit, n.5.

Si electus fuerit, eius electio est irritanda, num. 5. & 6.

Excommunicato, minori excommunicatione, licitè communicamus, etiam notorio, n.10.

Excommunicatio absolutè lata, de maiori intelligitur, n.7. & 11.

Olim tamen variè vsurpabatur, n.11.

Excommunicatus maiori excommunicatione ab accusatione removeri potest, n.4.

Irregularitas.

Irregularitatem non contrahit excommunicatus minori celebrans, n.5.

Qui scienter celebrare præsumit in Ecclesia polluta, aut præsentibus excommunicatione innodatis illam non incurrit, n.15.

Irregularis fit, qui scienter in loco celebrat interdicto, nisi in casibus in iure expressis, aut nisi privilegiatus sit. Eius dispensatio Papæ est reservata, num. 15.

Irregularis, privatus est voce activâ, & passivâ in electionibus, n.15.

Papa.

Omnia iura, in scrinio pectoris sui, habere censetur, num. 14.

Regula.

Odia restringi debent, & pœnalia, iuxta naturalem proprietatem verborum, n.8.

1 SEntentiam affirmativam gravissimi tenent Doctores: illam tuentur noster Nicol. Tudeschus Abbas Panormitanus nuncupatus *in rubr. Clementina Eos, qui, n.5. la 1. de Sepult.* in sequentia prorumpens excommunicati minori, in illa decedentes, non debent in Ecclesia, vel Cœmeterio sepeliri; si tamen de facto sepeliantur, non est locus pœnis huius Clementinæ: Glossa *in ead. Clement. verbo Excommunicatos:* cum Innocentio *in c. Sacris el 12. de Sepultur.* D. Antoninus *parte tertia Summæ maioris, tit.10. de Sepult. c.5.* §. 8. vbi ita fatur. Item excommonicato (scilicet prohibetur sepultura Ecclesiastica.) Excommunicatione maiori, etiam iniustæ, 23. *quæst.* 2. *Sanè.* Item excommunicato etiam minori, quando scilicet est notorium, secundum Guil. Hæc Florentius Archipræsul.

Franciscus Matia Samuëllis *in praxi de Sepult. tract.2. disput. 1. controv. 9. concl.2.* vbi ait. Excommunicati omnes generaliter, & excommunicati tollerati, si publicè innotuerit fuisse excommunicatos, etiam excommunicatione minori, notoriè si fuerint excommunicati, 24. *quæst.* 2. *can. Sanè, & extra, de Privil. c. Episcoporum in 6.* etiam iniustè excommunicati, notoriè tamen, omnes sepulturâ privantur Ecclesiasticâ. Hactenus ibi: *& conclus.* 3. sic fatur. Excommunicati publicè, ac nominatim in excommunicatione decedentes, & illi, qui, in excommunicatione minori impœnitentes moriuntur, carent sepulturâ; *ex cap. 1. Clem. 1. de Sepultur. cap. Sacris, eod. tit. cap. Is, qui, de Sentent. Excomm. in 6. cap. Sanè*, 24. *quæst.* 2. Et adducit, cumulátque quàm plures Doctores, & Glossas pro his suis Conclusionibus. Et concludit dicendo, quòd Ecclesia non intendit aliquem favorem præstare excommunicato etiam tollerato, publicè noto, quando indulsit ne vitetur. Nec potest (inquit) negari, quin sit bonum quoddam, nec exiguum mortuorum, vt in loco sacto condantur. Eandem sententiam tenet Sylvester *in Summa, verbo Sepult. n.9. versic. Decimè.*

CONCLVSIO.

Sententia tamen negativa, magis mihi probatur, & arridet, quam tenet Moure *in examine Theologiæ Moralis, part. 4. cap.* 20. §.3. cum Innocentio, *cap. Sacris, de Sepult.* & Armilla *verbo Sepultura, num.* 16. Quare salvâ tantorum Doctorum veniâ, indobitanter asseto, minori excommunicatione percussum, minimè esse Ecclesiasticâ sepulturâ, iure ipso, privatum. Solidissimis ducor fundamentis. 2

Primè. Excommunicatio minor solùm communicatione passiva Sacramentorum privat: ergo excommunicatione minori innodatus non est ipso iure sepolturâ Ecclesiasticâ privatus. Consequentia apertè ex antecedenti legitimè infertur. Illud autem probo, authoritate Doctorum, & Iurium sacrorum, pluries repetitâ decisione. Antecedens igitur docent Iacobus Gordonus *in Theologia morali, tom.2. lib.7. quæst.11. cap.4. num.15.* Anton. Diana *part.5. tract.9. resolut.3.* Ægidius Coninch *de Censuris, disp.14. de Excommunicatione, dub.17. concl.1. num.261. pag. mihi* 506. Ausonius Noctinor *in Compendio Dianæ, verbo Excommunicatio, num.* 1. vbi ait. Excommunicatio, alia est maior, alia minor; illa privat omnibus bonis ibi numerandis (scilicet *verbo Excommunicationis effectus, pag. mihi* 431. *& seqq.*) hæc perceptione tantùm Sacramentorum. Et rursus, *tit. Excommunicationis effectus, num.67. pag.* 445. ita fatur. Excommunicationis verò minoris vnicus effectus est, privare perceptione Sacramentorum. Hermannos Bussembaum *in Medulla Theologiæ, libro 7. de Censuris, cap.2. dub.2.* Ælgius Bassæus *in Summa, tom. 1. verbo Excommunicatio I. num.* 3. ibi: Minor verò, vno tantùm privat, participatione Sacramentorum, Ludovicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tomo 2. tract. 25. de Censuris, disp. 2. sect. 15.* vbi *num.* 170. ait. Excommunicatio minor, est censura privans receptione, seu passivâ participatione omnium Sacramentorum. Et addit.

Neque

Neque privatur hic excommunicatus (minori scilicet excommunicatione) communicatione civili, neque publicâ, neque privatâ, neque Iurisdictione, neque Suffragijs, neque Administratione activa Sacramentorum, quæ licitè etiam potest ministrare.

Imò D. Antoninus *eadem part. 3. tit. 24. de Excommunicatione, in principio:* excommunicationem dividens, in maiorem, minorem, & in datam à Deo, & inflictam per quodlibet mortale, de media, sic ait. Secunda est excommunicatio minor, quæ excludit à parcipatione, & à communione Sacramentorum passiva tantùm, secundum Ioan. de Lignan. *vt de Clerico excommunicato ministrante, cap. Si celebrat.* & de hac 11. *quaſt.* 3. *Cum excommunicato: & 3. quaſt.4. Engeltrudam.* Hæc Antoninus qui de maiori excommunicatione ibidem ait, privare illam communicatione Fidelium, in conversatione, vel loquelâ, cibo, salutatione, & huiusmodi, in Sacramentorum susceptione, & in bonorum spiritualium participatione, quæ fiunt in Ecclesia, & hæc de authoritate Doctorum sufficiant. Iura autem pro antecedentis probatione, hæc libuit recensere.

3 In *canone finali*, 3. *causa*, *quaſt.* 4. à D. Antonino allegato, sic Ioannes Papa VIII. rescribit cuidam Episcopo. Engeltrudam vxorem Bosonis noveris non solùm excommunicatione, quæ à fraterna societate separet; sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi Corpore (quod est Ecclesia) recidit crebro percussam esse. Vnde datur intelligi, quod anathematizati intelligendi sunt non simpliciter à Fraterna societate, sed à Corpore Christi (quod est Ecclesia) omninò separari. Hæc Ioannes VIII. cuius Canonem exponens Glossa *in formatione casus*, sic inquit. Ad suggestionem Engeltrudæ vxoris Bosonis Lotharius dimisit Tebergam, & super duxit Engeltrudam; propter quod Ioannes Papa removit eam non solùm à Fraterna societate, idest à Communione Sacramentorum, quæ minor excommunicatio dicitur; sed etiam à Corpore Christi, idest à communione Fidelium, quæ anathema, idest maior excommunicatio dicitur.

4 In *capite 2. de Exceptionibus*, Innocentius Papa III. apertè definivit excommunicationem minorem solùm à communione passiva Sacramentorum privare, dicens. A nobis ex parte tua fuit quæsitum, vtrum is, qui excommunicato, in locutione, vel oratione scienter communicat: excommunicatum ipsum à sua possit accusatione repellere, cùm ille communicationem huiusmodi replicet, contra eum? Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod ipse ab accusatione illius poterit removeri, cùm primus à communione Fidelium sit exclusus; secundus verò tantùm à participatione Sacramentorũ sit remotus.

5 Gregorius etiam Papa IX. *in cap. Si celebrat, el* 10. *& finali, de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante*, à D. Antonino allegato, eodem prorsùs modo effectum vnicum excommunicationis minoris declarat. Si celebrat (inquit) minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullins tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione iurisdictionis sibi competunt exercere. Si tamen scienter, talis electus fuerit, eius electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à Sanctis Patribus est privatus. Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.

6 Hæc omnia Gregorius Papa: ex quo venit intelligendus Ludovicus Caspensis *dicto tom. 2. tract. 25. disput. 2. sect. 15. num. 171.* quando dicit ad privationem passivæ participationis Sacramentorum reduci electionem passivam excommunicati, minori excommunicatione, ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas. Quod optimè ait, quia eligitur ad susceptionem Sacramentorum, à quorum susceptione, est ipso iure privatus. Dignitates enim, & Beneficia Ecclesiastica, imò & simplex Clericatus, ad hunc finem, tanquam media assumuntur, iuxta ea, quæ tradit Glossa *in proximè reddito capite, verbo Privatus, iuncta marginali:* videlicet. Hæc (inquit) est causa prohibitionis, quia cum sit privatus Sacramentis, ad eligi non potest. Vnde nec ad Dignitatem, vel ad simplicem Clericatum eligi poterit, secundùm Innocentium. Hæc ibi: cui consonat Suarez *tom. 5. in 3. part. D.Th. disp. 24. sect. 2.* citatus à Barbosa *in d. cap. Si celebrat, n. 3.* quatenùs docet omnia beneficia, etiam simplicia, ex intentione Ecclesiæ, ad hunc finem ordinati, vt divina Sacramenta Beneficiarius suscipiat, & celebret.

7 Idem Gregorius *in cap. Si quem el 59. de Sent. Excomm.* sic etiam decernit. Si quem sub hac forma verborum: illum excommunico: vel similî à Iudice suo excommunicari contingat, dicendum est eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam maiori excommunicatione, quę à communione Fidelium separat, esse ligatum. Hactenùs Gregorius in Decretali illa, & ex suprà recensitis, satis probatum est antecedens, in quo diximus excommunicationem minorem solùm privare communione passivâ Sacramentorum.

8 Probatur *secundò* nostra sententia, quæ negat privari Ecclesiasticâ sepulturâ, minori excommunicatione ligatum, ex Rituali Romano Pauli V. authoritate editi, in Rubtica de exequijs, suprà *in disquisitione ista, n. 14.* exscripta, pro instructione Parochi, de his, qui Ecclesiasticâ carent sepulturâ. Quæ in exordio illo: *ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiasticâ sepulturâ ipso iure sunt excludendi; ne quemquam ad illam contra sacrorum Canonum Decreta, vnquā admittat:* dubio procul demonstrat, instructionem illam integrā, adæquatāmq; fore, ad omnem ignorantiam, in hac materia, Parocho auferendam. Si igitur, nullâ mentione factâ de excommunicato, minori excommunicatione, declaratur ibi, negari sepulturam maiori excommunicatione innodata; certum debet esse, illam minimè negari minori excommunicationi subiecto. Cùm, quia qui vnum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere, quod tacet: & inclusio vnius, est exclusio alterius: argum. textus *in c. Nonne, de Præsumptionibus:* Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum, tomo 2. disputat. 14. quæsito 15. n. 3. in fine pag. 186.*

Tum, quia materia pœnalis est odiosa, atque adeò restringibilis iuxta propriam significationem naturalem verborum: Lezana *tom. 2. quæst. Regular. par. 3. verbo Leges Regularium, num. 33. in editione Lugdunensi 1. pag. 396.* Marcus Vidal *in Arca vitali, tit. de Mortalibus, inquisit. 2. n. 106.* Castrus Palaus *part. 1. Summa Moralis, tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 3. num. 7. iuncto 8. in principio,* quos

quos recensui, & fui sequutus *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.* 50. idem Tamburinus *vbi proximè*, cum Duardo, Alterio, Sigismundo à Bononia: & decernitur *in c. Odia et* 15. *de Regulis Iuris, lib.* 6. Tum, quia quod in Lege non fuit expressum, censetur neglectum; si enim illud voluisset, expressisset: Vidal *tit. de Duello, num.* 13. cum Rolando à Valle *consil.* 56. *num.* 5. Testante de communi Doctorum, Emanuël Rodriquez *tom.* 2. *quæstionum Regularium qu.* 44. *art.* 4. *versic. Quartum*, Iacobus Raggius *de Regimine Regularium, tract.* 8. *centuria* 2. *dub.* 161. *n.* 2. *versic. Huiusmodi*, vbi ita fatur. Prætereà, regula admissa est, quod ea, quã Lex vult, exprimit, *l. vnica*, §. *Sin autem ad deficientis*, *Cod. de Caducis tollendis*, *l. Si servus*, §. *Prater ait, versic. Non duxit, ff. de acquirendâ hereditate*: Tiraquellus *in l. Si vnquam, tit. de Libertis, num.* 3. Surdus *consil.* 88. *num.* 4. & *decis.* 322. *nu.* 22. & *consil.* 245. *num.* 45. *volum.* 2. Guttierrez, Practic. *lib.* 3. *q.* 22. *num.* 7. Alexander *consil.* 94. *libro* 2. Hactenùs Raggius.

9 Ad textus in contrarium adductos, respondère nobis restat, è quibus probationem Authores sententiæ oppositæ, pro illâ fundandâ, elicere intendunt. Nihil tamen in illius favorem, & contra nostram decernunt.

10 Ad caput *Sacris, de Sepulturis*, respondeo, in illo non loqui de minori excommunicatione innodato; sed de maiori excommunicationi supposito. Quod vtique duplici via demonstro. *Primò*, quia ibi tantùm fit mentio, de excommunicato, cui non communicavimus vivo. Iste autem non est minori, sed maiori excommunicatione innodatus, vti ex se patet: communicamus enim validè, & licitè excommunicatis minori excommunicatione, etiam publicis, & notorijs; minimè autem excommunicatis maiori excommunicatione publicis denunciatis: ergo de his solùm venit intelligendum præfatum caput, & eius dispositione, & non de illis.

11 *Secundò*, quia illa Decretalis, loquitur de excommunicatis in genere, & non de maiori, aut minori excommunicatione in specie innodatis, vt illam legenti patebit. Supra ad probationem disquisitionis huius adest *num.* 7. exscripta, ad vnguem quidem, ad amussim: ergo intelligi illa non debet, nec potest de minori excommunicatione innodato, sed de maiori excommunicationi supposito. Patet consequentia, quia excommunicatio absolutè prolata, pro maiori intelligitur. Ferdin. Castrus Palaus *part.* 6. *Summæ moralis, tract.* 29. *de Censuris, disput.* 2. *punct.* 2. *num.* 3. cum Covarr. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 8. *nu.* 5. Henriquez *in Summa, lib.* 13. *cap.* 2. *num.* 2. Greg. Sayro *de Censuris, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 19. & Paulo Layman *in Summa, lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Eligius Bassæus *in Floribus Theologiæ, tom.* 1. *verbo Excommunicatio I. num.* 3. cum Toleto *in Instructorio Sacerdotum, lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. & Sylvio *in Supplement. quæst.* 21. *art.* 1. & 3. Ægidius Coniuch *disput.* 14. *de Excommunicatione, dub.* 1. *num.* 5. & *ex cap. Si quem el* 49. *de Sent. Excommunicationis, num.* 7. exscripto, evidenter apparet. Vnde licet in antiquioribus Canonibus sacris, variè nomen *excommunicatio* sumatur, ita vt aliquando significet prohibitionem sacræ Communionis, vt *in can. de Presbyterorum*, 17. *quæst.* 4. aliquando excommunicationem, quam minorem iam vocamus, vt *in cap.* 24. *Concilij IV. Carthaginensis*, penes Coninch *vbi proximè*, & *in can. Sacerdote, de Consecratione, distinct.* 1. & *can. Engeltrudem, hic num.* 3. reddito, & Glossa *ibi*, & Paulo *vbi proximè*; attamen, vti benè ipse, & Coninch observant, post editam declarationem *Si quem*, à Gregor. IX. numquam pro minori, sed pro maiori accipitur excommunicatione.

Ad *can. Sanè*, patet etiam ex dictis *num.* 10. quia in eo Vrbanus Papa egit de his, quibus non communicavimus vivis. Hi autem non sunt excommunicati minori, sed maiori excommunicatione. 12

Ad *Clem. Eos qui* I. 1. *de Sepulturis*, respondeo ibi, Clementem V. de maiori excommunicatione, non autem de minori, decernere, ita Glossa interpretante *verbo Excommunicatos*, ibi: & intelligas de excommunicatione maiori. Cuius quidem interpretatio, ob modò *num.* 11. dicta, optima est, & absque omni formidine sequenda. 13

Ad *cap. Episcoporum*, eodem prorsùs modo respondetur, Bonifacium VIII. ibi de excommunicatis maiori excommunicatione egisse. Cùm ob dicta *num.* 11. Tum ob Glossæ assertum *ibi, verbo Officia*, ita enim fatur. Celebrans præsente excommunicato, maiori excommunicatione, vel interdicto. Et quidem si alia fuisset Bonifacij mens, illam debuisset explicare, cum eius Prædecessor Gregorius IX. quod vidimus decreverit. Cuius vtique Decretalem minimè Bonifacius ignoravit, quia doctus fuit, vti Spondanus *anno* 1303. *numero* 14. ex Villanio *lib.* 8. *cap.* 64. refert: & in Iure Pontificio, doctissimus. Sextus Decretalium liber ab ipso editus, id testatur: & quia tandem ipsemet *in cap.* 1. *de Constit.* ait, quod Pontifex Iura omnia, in scrinio pectoris sui censetur habere. 14

Ad *caput denique Is qui, de Sententia Excommunicationis in* 6. pro contraria adductum sententia, respondeo, nihil ei, & illius favere Authoribus. Cùm, quia à Bonifacio VIII. illa exivit Decretalis, & obstant, quæ *numero præcedenti* de alia ipsiusmet Bonifacij diximus: tum, quia Bonifacius animum suum propalat in eadem Constitutione, mentem explicat, ibi. Vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis. Ad amussim illam reddo. Is qui in Ecclesiâ, sanguinis, aut seminis effusione pollutâ, vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit: licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit. Is verò, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut à Iure sit concessum) irregularitatem incurrit, à quâ nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari: & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum alijs debebit admitti. In integra Decretalis. Nec vltra, vnum continet apicem. Quis non videat, de minori excommunicatione innodato, non agere? 15

***

DVBIVM

DVBIVM II.

An publicus, notorius, & denunciatus, excommunicatus, maiori excommunicatione, qui cum signis obierit pœnitentiæ, licitè in Loco Sacro sepeliri queat, & cum Exequijs, ac Suffragijs publicis Ecclesiæ?

BREVIARIVM.

Absolutio.

Non potest post mortem excommunicatus absolvi, nisi ab eo, per quem fuerat vivus absolvendus; nom. 7.

Excommunicatio

Excommunicatus denunciatus, qui cum signis decessit pœnitentia, absque absolutione, in rigore iuris, nequit in loco sacro sepeliri, neque pro eo possunt sacrificia, aut orationes offerri, n. 1. 2. 3.

Sed ob declarationem sacræ Congregationis, & plurium authoritatem Doctorum omnia hæc licent in praxi fieri, n. 4. 5.

Ad probandum signa dedisse contritionis vnus sufficit testis, n. 6.

Testis.

Ad plenam probationem, quando non agitur de alicuius præiudicio, vnicus sufficit testis, n. 6.

1 TEnent sententiam negativam Æligius Bassæus *in Summa, tomo* 1. *verbo Excommunicatio I. numero* 14. Iacobus Gordonus *in Theologia morali, tomo* 2. *lib.* 7. *quæst.* 8. *cap.* 3. *num.* 39. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo* 2. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 38. Antoninus Diana *parte* 5. *tract.* 16. *difficult.* 20. *num.* 20. & Moscoso *in Summa, tract.* 16. *cap.* 7. *numero* 5. éstque certa, iuris Canonici, dispositione attenta.

2 Probatur primò hæc sententia ex *cap. A nobis el* 2. & 28. *de Sententia Excommunicationis*, in quo Clemens Papa III. inter alia oportuna satis, pro dubij præsentis resolutione, hoc statuit, definivit. Vnde, quantumcumque se quis iuramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantacumque pœnitentiæ signa in eo præcesserint, si tamen morte præventus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Hæc in Decretali Clementina præfata. Quid pro resolutione negativa clarius? Nihil prorsus.

3 *Secundò* probatur ex alia eiusdem Papæ Clementis constitutione *in cap. Sacris el* 38. *eodem tit. de Sentent. Excommunicationis*: vbi in hunc modum decernit. Sacris est Canonibus institutum; & infrà. Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus favoribus, & participibus suis excommunicationis sententia sunt adstricti, ad corrediens, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos priùs foverat, expugnaret, non tamen priùs quàm absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus: nec si occumbat in huiusmodi bello sunt absolutiones, vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit: & iuxta cuiusdam Constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam, absolutionis beneficium impendatur. Hactenùs Clemens in Decretali præfata. Ea autem, cuius in vltimis verbis meminit, est, quæ in præcedenti exscripta est numero, *A nobis*, scilicet, vti adnotat Glossa *verbo Constitutionis*. In præsenti autem Constitutione *Sacris*, duo planè copulativè requirit, vt possint pro defuncto excommunicato, oblationes recipi, & preces fundi, quod scilicet de illius pœnitentia constiterit evidenter, & quod de facto priùs absolvatur. Eadémque requiretè, pro Ecclesiasticâ sepulturâ nefas sit dubitare.

CONCLVSIO.

His tamen non obstantibus, affirmativam sententiam libenter amplector, quia benignior est; ac favorabilior, & probabilitate non caret, quam tenent August. Barbosa *de vniverso Iure Ecclesiastico, par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 40. *pag. mihi* 74. & *de Offic. & potest. Parochi, part.* 3. *cap.* 26. *n.* 40. Trull. *nu. seq.* allegandus Franc. Maria Samuëlis *in praxi de Sepult. tr.* 2. *disp.* 1. *controv.* 9. *concl.* 4. Illuminatus Moronus *in centum responsis, responso* 51. *n.* 39. vbi ita fatur. Non privatur excommunicatus (Ecclesiasticâ scilicet sepulturâ) qui in mortis articulo dixit: *Confessione* aut: *Madonna Sanctissima, aiuda me.* Selius *in Select. Canon. cap.* 10. *n.* 20. ita ille: Pax Iordanus *tom.* 1. *de re sacra, lib.* 5. *tit.* 12 *n.* 130. sic loquens. Sublimita secundò, non procedere in excommunicato obeunte cum signis contritionis, aut aliàs requirente absolutionem: quoniam huiusmodi absolvi poterit post mortem, neque prohibitum est orare pro eo, aut in loco sacro sepelire: habetur enim pro absoluto, quoad hunc effectum communionis, & sepulturæ: cessátque regula *cap. A nobis, de Sent. Excomm.* provt deducitur ex Covarr. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 11 *n.* 4. Barbosa *in cap. A nobis, n.* 3. *el* 28. *de Sent. Excom.* Covarr. *allegat in ead.* 1. *par.* §. 6. *n.* 4. *conclus.* 9. & Navarr. *in Manu cap.* 27. *n.* 13. pro eo quod offerri liceat communia Ecclesiæ Suffragia pro excommunicatis contritis, dummodò per eos non stet quominùs absolvantur. 4

5 Hæc sententia probatur ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, cuius meminit Moronus, *vbi proximè*; est provt sequitur, & exscribitur à Barbosa *loco allegato, de Parocho*, & à Samuëll *n. præced. reddito*: cum Ioan. Bapt. Mastril. dum excómunicatus esset, interfectus fuisset, proindè extra Sacrum humatus, eiusdem consanguinei S. Congregationi supplicarunt, quatenùs stante, quod idem Mastrillus in mortis articulo pœnitentiæ signa dedisset, eius cadaver in Sacro humari ordinaret. Cúmque eadem S. Congregatio, super pœnitentiæ huiusmodi signis per Episcopum informari voluisset, idem Episcopus retulit, quod prædictus Mastrillus in mortis articulo dixit: *Confessione: Madonna Sanctissima adiuda me.* Qua relatione stante sacra eadem Congregatio prædictū cadaver Ecclesiasticæ sepulturæ tradi mandavit, in vna Nolana *sub die* 19. *Iuly* 1619. refertur hæc declaratio ab eodem Barbosa *in Summa Apostolicarum Decisionum, collect.* 671. *verbo Sepultur. n.* 9. *fol. mihi* 611. ex Aldano *in Compendio Canonicar.*

resolutionum, lib. 2. tit. 17. num. 5. illiúsque meminit Trullench *tomo 3. tr. de Iure Parochi c. 9. dub. 7. numero 1.*

Quòd si petas, quæ sufficiat in hac sententia probatio pœnitentiæ, vt excommunicatus sine absolutione decedens, in Ecclesiasticâ queat tumulari Sepulturâ, cum Exequijs, & Suffragijs, ac Sacrificijs publicis? Dico vnicum fide dignum testem, id testificari sufficere. Et ratio est. Quia quando non agitur de alicuius præiudicio, vnicus testis fide dignus pleoè probat: ita in vniversum docet Augustinus Barbosa *in cap. In omni negotio, numero 6. el 2. de Testibus, & attestationibus*: cum Nello *de Testibus, num. 85. casu 9. & num. 87. in fine*: Campegio *eodem tractatu, regula 93. fallentia 3.* Croto *numero 213. & sequentibus*: Mascardo *de probationibus, in Proœmio, quæst. 11. numero 14.* Farinacio *in Praxi crimin. parte 2. de opposition. contra personas testium, quæst. 63. numero 26.* idem Barbosa *in cap. Si Index Laicus, numero 13. el 12. de Sententia Excommunicationis, libro 6.* cum Rebuffo *in tractatu nominat. quæst. 22. num. 14.* Zerola *in Praxi Episcopali, parte 1. verbo Bullæ, versic. Ad tertium*: Marta *de Iurisdiction. parte 2. capite 31. num. 6.* cum Farinacio *in eadem Praxi, parte 3. quæst. 87. numero 42.* Camillo Borrello *in Summa omnium Decisionum titulo 7. num. 22.* & alijs. Ioannes Baptista Ventriglia, *in praxi rerum notabilium, Annotatione 3. §. 1. num. 17.* vbi ait, quod in casu, quod alleget sponsus fornicationem sponsæ ad dissolvendum sponsalia, non adhiberi fidem vnico testi, quia agitur (inquit) de præiudicio iuris alterius, vbi satis non est vnius testimonium *cap. Licet, & cap. Veniens, de Testibus.* Hæc Ventriglia, vbi asserere videtur sufficere vnicum testem quando non agitur de præiudicio alterius.

7 In simili etiam nostri casus id docet Sylvester *verbo Sepultura, num. 9. versic. Septimò*: & in terminis de excommunicato cum signis decedente contritionis: Diana *part. 5. tract. 9. resolut. 24.* cum Villalobos *in Summa, to. 1. tract. 16. difficult. 20. numero 20.* cuius verba sic refert. Adviertase mas, quiel que no puede ser absuelto enel articulo de la muerte de la descomunion, si pidio penitentia, y dio señales de contricion, puede ser absuelto despues dela muerte, no de los peccados (que eso es cosa llana) sino dela descomunion.... Y estas señales de penitentia, queda vno ante dela muerte, basta que se prueben con vn testigo, como dice Enrico, Boich, y Astense, porque enesto nose haçe per Iuicio anadie. Hæc Villalobos, qui bene notat, post mortem ab alio absolvi non posse excommunicatum, quàm ab eo, cui reservata erat excommunicatio, como consta (inquit) del drecho y lo dicen Innocentio, Panormitano Navarro y Sylvestro.

Eandem sententiam de vnico teste in terminis, de excommunicato moriente cum signis contritionis ad effectum, vt absque vllo alio sufficiat ad probanda huiusmodi signa, tenet præfatus Barbosa *in cap. A nobis, num. 2. el 2. & 28. de Sententia excommunicationis*: cum Antonio Gabriele *commun. lib. 1. tit. de Testibus concl. 1.* & Mascardo *de Probationibus, concl. 12. n. 3.*

DVBIVM III.

An hodie licitè in loco sacro, & ritu Ecclesiastico tumulari queant omnes excommunicati, maiori excommunicatione innodati, ab Ecclesiâ tolerati, qui scilicet denunciati, aut notorij Clerici, aut Monachi percussores non sunt, etiamsi absque signis pœnitentiæ decesserint?

BREVIARIVM.

Alexander III.

Creatus fuit Summus Pontifex anno 1159. n. 5.

Bonifacius VIII.

Creatur Bonifacius Papa VIII. anno 1294. n. 5.

Clemens III.

Clemens III. fuit creatus Papa, anno 1188. n. 5.

Clemens V.

Creatus fuit Clemens Papa V. anno 1305. n. 5.

Communicatio.

Fieri licitè potest in Sacramentis, & in alijs divinis cum excommunicatis non denunciatis, aut notoriis Clericorum percussoribus. n. 1. 2.

Excommunicatio.

Excommunicatis ipsis nihil favoris directè concedunt constitutiones Ad evitanda scandala *&* Insuper ad evitandum scandalum, *n. 9.*

Concedunt tamen indirectè, n. 10.

Excommunicatis non vitandis applicari possunt Suffragia, & Sacrificia, n. 13.

Excommunicatis vitandis negatur sepultura, ea de causa, quia quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus, n. 14.

Extravagantes.

Constitutio extravagans, Insuper ad evitandum scandalum, *recensetur,* n. 2.

Quando fuit edita, n. 1.

Est generalis, & perpetua, n. 3. 4.

Nihil hac Constitutio, nec constitut. Ad evitanda, *directè concedunt excommunicato,* n. 9.

Sed indirectè, n. 10.

Gratianus.

Decretum compilavit anno 1151. n. 5.

Innocentius III.

Creatus fuit Pontifex anno 1198. n. 5.

Lex

Posterior lex semper prævalet, & priores revocat in eo, quod illis omnino contrariatur, n. 7. 8.

Lex posterior, Pontificia non revocat statuta particularia, & consuetudines, n. 7.

Martinus V.

Creatus fuit Papa Martinus V. anno 1417. n. 5.

Papa.

Iura omnia, in scrinio pectori sui habere censetur, n. 7.

Sepultura.

Causa, ob quam, Fideles in loco sepeliuntur sacro, est, vt sint Suffragiorum participes, n. 13.

Possunt cum solemnitate Ecclesiasticâ tumulari excommunicati non denunciati, & notorij Clerici percussoris, n. 6. 8. *& à* 10. *ad* 14.

HAnc difficultatem excitari, & resolvere libuit pro maiori explicatione, & intelligentia disquisitionis

quisitionis principalis, & pro Iuribus in ea adductis dilucidandis. Pro quo suppono, Concilium Constantiense, *in Extrav. Et insuper ad euitandum* (à Martino Papa V. confirmata) anno Domini 1417. aut 1418. decreuisse, ne quis in posterum in perceptione, vel administratione Sacramentorum, aut in diuinis Officiis, aut etiam extra ea, teneatur ligatos excommunicatione, aut aliâ Censurâ vitare; nisi Censura sit nominatim contra eos à Iudice publicata, exceptis Clericorum percussoribus, ita notoriis, vt factum, nulla tergiuersatione, possit celari, aut excusari. Ita ex dicta extrauagante Conciliari, refert Decretum, Ægidius ConincK, de *Censuris disp.* 14. *dub.* 2. *num.* 9. sed quia ibi dicit, illam non stare, habere tamen suam vim ex praxi Ecclesiæ vniuersalis, lubens hîc, ex D. Antonino *part.* 3. *Summa maioris, tit.* 25. *de excommunicatione, cap.* 3. exscribere illam, & quæ circa ipsam, sanctus asserit Doctor, duxi.

2 Insuper ad euitandum scandalum, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus, tenore præsentium, misericorditer indulgemus: quòd deinceps nemo à Cômunione alicuius, sacrorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, intus, & extra, prætextu cuiuscumque sentẽtiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ, à Iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel Censura huiusmodi fuerit illata contra personam, Collegium, Vniuersitatẽm, Ecclesiæ communitatem, vel locum certum, vel certam à Iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressa. Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque; saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum sententiam latam à Canone à Deo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari: nec aliquo suffragio excusari: nam à communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstinere iuxta Canonicas sanctiones. In Concilio Constantiensi, sub Martino Quinto.

3 Hactenùs extrauagans, prout à Florentino recẽsetur sanctissimo Archiepiscopo, qui circa eam; sic fatur, *loco proximè reddito.* Et nota, quod quidam dicebãt istam Constitutionem fuisse in Concilio propositam, sed non acceptatam, præcipuè ab Italica natione. Alij dicebant fuisse temporalem, scilicet per quinquennium, vsque ad Concilium sequens, quòd Senis fuit celebratum. Sed nullum horum est verum. Nam duo venerabiles viri famosi in vita, & scientia: quorum vnus Doctor in Theologia, alter in Iure, & Episcopus, scilicet Dominus Nicolaus de Dinchelsbuhel, & Dominus Andreas, posteà Episcopus Bosenienfis in Polonia; qui fuerunt præsentes in Concilio Constantiensi, vbi facta fuit dicta constitutio, dixerunt ipsam acceptatam ab omnibus, & perpetuam; & vnam de concordatis. Magistri etiam Vniuersitatis Parisiensis acceptauerũt ipsam Constitutionem: quia in ea dicitur; omnibus Christi fidelibus.

4 Sed & dicit Dominus Andreas Bosenienfis Episcopus; post celebratum Concilium Senis, cui etiam interfuit, vadens ad Curiam ad visitandum Martinum Papam Quintum, cum ipse putaret dictam Constitutionem fuisse temporalem, scilicet per quinquennium tantùm, & sic iam expirasset: loquens cum Papa, petiuit ab eo, vt concederet sibi ex gratia vti tali sententia, sine dispensatione; quam continebat illa Constitutio. Respondit Papa. *Vos scitis illam vnam esse de concordatis.* Et cum ipse Episcopus quinquennialem esse obiiceret, dixit Papa. *Ego volo, quod semper duret.* Dominus Iulianus Auditor Cameræ Apostolicæ, vir Iure peritus, & famosus, postmodum Cardinalis effectus, super hoc consultus, dixit tale indultum datum non solùm Germanicis; verùm etiam omnibus Christianis, & de Iure esse perpetuam. Quia ista est natura Constitutionis ipsius, nisi reuocetur. Non fuit autem reuocata, sed in Concilio Basiliensi confirmata, ante sui dissolutionem. Hucusque ad amussim D. Antoninus.

Secundò suppono, tanquam certum, & indubitatum, recensitam Constitutionem, posteriorem esse omnibus Iuribus, & Canone suprà exscriptis. Siquidem Gratianus noster Decreti collectionem *anno* 1151. composuit, teste Eminentissimo Cardinale Baronio, & ex eo, Henrico Spondano ibi, *num.* 5. atque adeò *Canon. Sane*, iam conditus ab vrbano Papa fuerat. Alexander Tertius, creatus fuit *anno* 1159. Clemens Tertius *anno* 1188. Innocentius Tertius, *anno* 1198. Bonifacius octauus, *anno* 1294. Clemens Quintus *anno* 1305. Martinus verò Quintus *anno* 1417. vti constat De omnibus illis, ex Bullario Magno nouissimo, nostri Angeli Cherubini, & ex Authoribus, Summorum Pontificum vitas scribentibus. 5

CONCLVSIO.

Quibus suppositis, facile est dubio proposito affirmatiuè respondere: licere scilicet hodie in loco sacro, cum solemnitate, & ritibus, quibus Ecclesia in Fidelium sepelitione vtitur, excommunicatos maiore excommunicatione toleratos tumulare: eos vtique omnes, qui publici, & nominatim denunciati non fuerint, aut percussores Clerici, aut Monachi fuerint, à Deo notorij, vt percussio, non possit aliqua tergiuersatione celari. Ita sentiunt Pax Iordanus, *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 125. *cum duobus seqq.* Iacobus Gordonus, *tom.* 2. *Theologia Moralis lib.* 7. *quæst.* 8. *cap.* 3. *n.* 38. *& quæst.* 11. *cap.* 2. *numer.* 11. Monte *in examine Theologia Moralis part.* 4. *cap.* 20. §. 3. cum Toleto *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 9. Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 24. cum Vgolino *de Censuris, tabula* 2. *cap.* 9. §. 5. *&* 6. Gregorio Sayro *eodem tract. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 13. Victoria *in Summa, de Eucharistia, q.* 90. *& num.* 3. cum Paulo Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *part.* 2. *cap* 4. *num.* 9. §. *Dico secundò.* Leander a Sanctissimo Sacramento *part.* 5. *tract.* 5. §. 4. *quæst.* 34. cum Henriquez *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 5. *litt. V.* Auila, *de Censuris part.* 5. *disp.* 7. *dub.* 1. *Conclus.* 2. *versic. Tertius est.* Alterio, *de interdicto disput.* 3. *cap.* 1. *col.* 3. *versic. Qua Conclusio.* Philiberto Marchino, *de Ordine, tract.* 3. *de sacrificio Missæ, part.* 3. *c.* 10. *num.* 10. Villalobos, *tr.* 8. *de Missa, difficult.* 24. *num.* 7. & Castro Palao, *part.* 1. *tract.* 11. *disput.* 1. *puncto* 1. & Doctoribus communiter. 6

Probatur *Primò*, ratione fundamentali adæquatâ. Lex posterior semper prænalet, & priores, in eo, quo contraria omnino illis est, reuocat. Palaus, *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 5. *in* 7. Augustinus Barbosa, *in proœmio Decretalium, num.* 46. *& in cap. licet. num.* 4. *el* 1. *de Constitutionibus lib.* 6. cum Rebuffo, *ad leges Galliæ tom.* 1. *in Proœmio numer.* 130. Henriquez *cons.* 27. *num.* 5. & Couarrubia, *lib.* 5. 7

Variarum cap. 13. *num.* 4. *ad finem ex l. Pacta nouissima, Cod. de Pactis & ex dicto cap. Licet*. In quo ita Bonifacius Papa octauus statuit. Licet Romanus Pontifex (quia iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) Constitutionē concedendo posteriorem, priorem (quamuis de ipsa mentionem non faciat) reuocare noscatur. quia tamen locorum specialium, & personarum singularium, consuetudines, & statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare: ipsis (dum tamen sint rationabilia) per Constitutionem à se nouiter editam (nisi expresè caueatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.

8 Hactenùs Bonifacius: Vbi Glossa *verbo, licet*, ita fatur. Nota secundò, principalem effectum ad quem emanauit præsens capitulum, quòd lege noua, & posterior principalis, tollit præcedentem legem de directo contrariam: licet in noua Constitutione non fiat mentio, quòd Princeps intendat reuocare quascumque Constitutiones contrarias: quia non est verisimile quòd Princeps voluerit istam nouam esse frustratoriam: & esset frustratoria, nisi reuocaret primam contrariam. Hæc Glossa. Et marginalis ista. Lex noua tollit antiquam contrariam. De quo non pauca ego ipse *disquisit.* 1. *huius tractatus dub.* 14. *num.* 142. sed Constitutio Concilij constantiensis, *Insuper ad euitandum*, concedens fidelibus communicationem in omnibus, etiam diuinis cum excommunicatis specialiter non denuntiatis, aut non percussoribus notoriis Clericorum, posterior est, & de directo, seu omnino contraria Iuribus omnibus prohibentibus sepulturam omnibus excōmmunicatis. Ergo illis omnibus derogat quoad non denunciatos, aut Clericorum non percussores. Ergo licitè isti tumulari quibunt Ecclesiastico more.

9 Nec valet dicere, hanc Constitutionem, & aliam Concilij Basiliensis, sub eodem Martino Papa Quinto, incipit *Ad euitanda*, nihil fauoris concedere, vti ex iisdem apparet, ipsis excommunicatis, sed aliis Christi fidelibus, ad euitanda istorum scandala. Sed ante præfatas Constitutiones, quilibet excommunicatus Ecclesiasticâ sepulturâ erat priuatus, vti constat ex Iuribus, *supra in disquisitione à num.* 3. *vsque ad* 14. Ergo & nunc post dictas Constitutiones manet Ecclesiasticâ sepulturâ priuatus.

10 Non inquam valet, quia licet directè nihil concedant istæ Constitutiones excommunicatis, concedunt tamen indirectè, quatenus directè fidelibus concedunt liberam, & licitam facultatem ipsis excommunicatis communicandi in quibuscumque diuinis: ob cuius quidem facultatis defectum, sequebatur indirectè ipsis excommunicatis sepulturæ priuatio. Nulla enim directâ priuatio contra excommunicatos circa sepulturam, in Iuribus recensitis, aut in aliis reperitur: quia cum illi, iam defuncti, sepelire nequeunt se ipsos, priuatio directè contra viuos illos tumulaturos, per prohibitionem illos tumulandi statui tantùm potest. Quâ vtique, per præfatas, viuis directè ablatâ Constitutiones, indirectè aufertur excommunicatis sepulturæ priuatio.

11 Quocircà Iacobus Gordonus *tom.* 2. *Theologia Moralis lib.* 7. *quæst.* 8. *cap.* 3. *num.* 58. Inquisito, de quo excommunicato sit intelligendum, quòd priuatus sit sepulturâ Ecclesiasticâ, in *cap. Sacris, de sepulturis*, sic quæsitui respondet. Respondeo, per Extrauagantem *Ad euitanda*, tantùm intelligi, de vitandis excommunicatis, seu non toleratis. Nam prohibitio sepulturæ non fit propriè excommunicato defuncta, cum ipse iam non possit transgredi præceptum illud, se ipsum sepeliendo: ipse quidem priuatur sepulturâ, sed prohibitio sepeliendi fit fidelibus viuis. His autem non est prohibita communicatio cum toleratis. Ergo nec ipsi, nec locus contrahunt pœnam prohibitionis. Ita Henriquez, *lib.* 23. *cap.* 11. *num.* 3. Subscribit Suarez, *disp.* 12. *sect.* 4.

Ex quo etiam fit, vt non polluatur nunc Ecclesia sepeliendo excommunicatum, nisi sit ille vitandus. Fundatur enim hæc pollutio, & pœna in probitione excommunicationis. Hucusque Gordanus, cui consonat Castrus Palaus, *part.* 6. *de Censuris, disp.* 5. *punct.* 4. §. 3. *num.* 1. dicens; quòd hæc prohibitio viuentes respicit, quos obligat, ne fidelibus sepulturam Ecclesiasticam, in loco interdicto concedant, ex Nauarro *in Manuali cap.* 27. *num.* 168. Sayro, *lib.* 5. *de Censuris, cap.* 8. *num.* 5. Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. & *c.* 49. *num.* 2. Layman, *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 5. & Bonacina, *to.* 1. *de Censuris, disp.* 1. *punct.* 5. *n.* 9. 12

Secundo probatur, quia eadem est ratio sepulturæ, quam quæ diuinorum Officiorum, ac suffragiorum: quandoquidem ob hanc causam in loco sacro sepeliuntur fideles, vt sint suffragiorum participes (sicut Pater adnotat Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *p. D. Thom. disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 2. & dixi *tract.* 1. *disquisit.* 9. *num.* 21. ex nostro D. Gregorio Magno relato *in can. Cum grauia peccata*, el 17. *causa* 13. *quest.* 2. & ex Glossa ibi) sed licitum est publicas orationes, & suffragia, ac Sacrificia offerre pro excommunicatis non vitandis. Layman, *lib.* 3. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. apud Pellizzarium, *tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 34. Ergo licitum est eosdem in loco sacro sepelire. 13

Probatur *Tertiò*. Causa cur negatur excommunicatis sepultura Ecclesiastica, ea est, quæ affertur *in cap. Sacris, & cap. Ex parte, de Sepulturis, in cap. A nobis, de Sententia excommunicationis, & in cap. Sane, causa* 24. *q.* 2. Videlicet. *Quibus viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus.* Ergo à sensu contrario, vti Vrbanus Papa in dicto infert Canone: *Quibus viuis communicamus, mortuis quoque communicare possumus.* Et certè nescio, quomodò ab vllo, qui Constitutionem viderit Constantiensem *num.* 2. exscriptam, hoc possit negari: cum amplissima sit eius concessio, ait enim: quòd nemo deinceps à communione alicuius sacrorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, intus & extra... teneatur abstinere, vel aliquem vitare. 14

DVBIVM IV.

Quis valeat excommunicatum non toleratum moribundum ad effectum, vt licitè possit in Loco Sacro tumulari, absoluere?

BREVIARIVM.

Absolutio

Excommunicatus iam mortuus, absolui non potest ab excommunicatione, nisi ab eo, à quo viuus fuerat absoluendus, n. 1. 2.

Quilibet sacerdos simplex potest in articulo, & periculo

culo mortis absoluere ac excommunicatione, & omni aliâ Censurâ, & à peccatis, etiamsi excommunicatus ipse sit, n.2.

An à Censuris possit tunc absoluere Laïcus, absente aut nolente sacerdote absoluere, negant plures, Assero cum aliis, à, n.6.*ad* 9.

1 CONsultò, moribundum dixi: quia de valente excommunicatum defunctum absoluere, definitum reperitur in Iure, *cap. A nobis, el 28. de Sententia excommunicationis*, vbi sic Innocentius Papa Tertius decernit. Vt autem in vno pariter, & eodem negotio, & seruemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus, vt illius absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui dum viueret, ab ea fuerat absoluendus; aliorum autem absolutionem, ex præmissa causa, cæteris indulgemus, à quibus dum viuerent, fuerant absoluendi. Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tàm oratione Dominicâ, quàm aliâ consuetâ. Hærede quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si monitiones præmissa noluerint, per districtionem Ecclesiæ, compellantur. Hæc in Decretali illa. Difficultas igitur est, quis valeat excommunicatum in articulo mortis constitutum absoluere?

2 In quâ re, vnum est certum apud Doctores, & aliud controuersum. Certum est enim, quemlibet Sacerdotem, etiam simplicem, posse moribundum, absoluere ab omnibus Censuris, & peccatis, ita Glossa *in dicto cap. A nobis, verbo Non potuerit*. Et marginalis, *ibidem*. Panormitanus Abbas, ibi, *num.4.* vbi sic ait. Sextò nota, quòd licet in articulo mortis possit excommunicatus absolui à simplici Sacerdote, tamen post mortem non absoluitur nisi ab eo, qui viuus fuerat absoluendus. Et ratio est; quia post mortem cessat necessitas. Barbosa, *in dict.cap. A nobis num.*9. Diana, *par.9. tr.7. resolut.* 13. Ausonius Noctinot, *in eius compendio, verbo Absoluere à Censuris num.* 90. Iacobus Gordonus *tom. 2. Theologiæ Moralis, lib. 7. quæst.*12. *num.* 57. dicens. In mortis articulo, & quauis excommunicatione, & quibusuis Censuris, siue ab homine, siue à iure latis, absoluere potest simplex Sacerdos, absente, aut nolente id præstare eo, ad quem propriè spectat absolutio. Idem potest excommunicatione, aut quauis aliâ Censurâ ligatus. Primam colligit partem Gordonus, ex *cap. Eos, & ex cap. fin. de Sententia excommunicationis, lib.* 6. ex Tridentino *sess.*14. *cap.* 7. Ex quo etiam secundam colligit. *num.*57. & merito, cum illud dicat, omnes Sacerdotes, quoslibet à peccatis, & Censuris absoluere posse.

3 Controuersum autem est, an in præfato mortis articulo, quilibet Laïcus possit moribundum excommunicatum non toleratum à Censurâ absoluere? Alij enim negant, quia Laïci (inquiunt iurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces sunt. Hanc sententiam tenent Thomas Delbene, *de Comitiis, dubit.*4. *subsect.*32. *in Appendice, num.*2. *pag. mihi* 127. cum Villalobos *tom.*1. *tract.* 16. *difficult.*20. *num.* 14. & Nauarro *in Manuali cap.* 26. *num.*26. Iacobus Gordonus, *vbi proximè, num.*57. cum hac tamen limitatione, *si alioqui non habet iurisdictionem*: quam *numer.* 58. repetit. Vbi sentit contra alios suæ sententia sectatores, incapacem non esse Laicum ad iurisdictionem habendam. illam itaque tenet Gordonus; non ratione incapacitatis, sed quia nec in *capite Eos*, nec in *cap. finali de Sententia excommunicationis*, nec denique in Concili Tridentino, *dicta sess.*14. *capit.* 7. de Laïco vlla fit, quoad absolutionem, mentio, sed tantùm de Sacerdote.

Eandem sententiam negatiuam sequuntur Gabriel Vazquez, *tract. de excommunicatione dub.*18. *num.*8. & 9. cum dicto Nauarro, *in can.*1. *in princ. numer.*83. *de Pœnitentia, distinct.*6. Couarruuia 1. *part. relectionis in cap. Alma mater* §. 11. *num.* 9. & 24. *el final, de Sententia excommunicationis lib.*6. Soto, *distinct.*18. *quæst.*4. *art.* 4. & Paludano, *distinct.*18. *quæst.*3. *art.*1. *Concl.*3. *num.* 7. & *dist.*18. *quæst.*5. *art.*1. *num.*10. 2. *reg.* & *distinct.*20. *quæst.*1. *art.*2. *Concl.*1. *num.*7. Ægidius Coninck. *disp.*14. *de Excommunicatione, dub.*16. *num.*236. Barbosa, *in cap. A nobis, el* 2. & 28. *de Sententia excommunicationis, num.* 9. dicens, nullum alium præter Sacerdotem posse ab excommunicatione absoluere, in eo articulo, vt tenent Suarez *tom.*5. *de Censuris, disp.* 7. *sect.* 7. *num.* 6. Molina, *de Iustitia, tom.*4. *tract.*3. *disp.*63. *num.*3. Henriquez, *lib.*13. *de Excommunicatione cap.*27. §.4. Auila *de Censuris part.*1. *cap.*7. *disp.*1. *dub.*3. Nugnus, *in Additionib. ad* 3. *part. quæst.*8. *art.*6. *dub.* 5. Mari. Alter. *de Censuris, tom.* 1. *de excommunicatione, lib.* 4. *disp.*5. *cap.*4. *versic. Ita sentit.* Sanchez, *in præcepta Decalogi lib.*2. *cap.*13. *num.*13. Bonacina, *de Censuris, disp.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 3. *num.* 1. Hactenùs Barbosa. In eadem sunt sententia, Læssius, *de excommunicatione cap.*7. *dub.* 3. *num.*48. vbi pro contraria recensens Glossam, *in cap. A nobis, citatum*, Abbatem, Fellinum *ibi* Angelum, & Syluestrum, *verbo. Absolutio* 1. *num.*8. addit: qui dicunt, etiam Laïcum posse (scilicet absoluere ab excommunicatione in articulo mortis) Quod tamen non videtur verum; quia non est capax iurisdictionis spiritualis. Hæc Lessius.

Imò sunt, qui doceant, nec Clericum primæ 5
tonsuræ, capacem quidem præfatæ iurisdictionis, posse in articulo mortis à Censuris absoluere. Sic enim Coninch, *loco citato* fatur. Addunt aliqui, quemuis Clericum etiam primæ tonsuræ, in articulo mortis, absentibus aliis, posse legitimè dispositum ab excommunicatione absoluere. Quia cum talis sit huius potestatis capax, videtur pia mater Ecclesiæ, quæ quantum est ex se, non vult aliquem pœnitentem in excommunicatione decedere, hanc ei potestatem in eo articulo concedere. Sed contraria sententia, sicut est multò communior, ita etiam est verior: quia frustra eiusmodi potestas, sine vllo Iure contra, ius commune, & Ecclesiæ consuetudinem asseritur. Quod si ratio pro contraria sententia allata quicquam probaret, probaret etiam purè Laïcum, posse in eo casu absentibus Clericis à Censuris absoluere, quia Ecclesia etiam huic potest hanc potestatem committere. Hæc Ægidius.

CONCLVSIO.

Contraria nihilominus sententia asserens, non 6
solùm Clericum primæ tonsuræ, sed purè Laïcum posse excommunicatum in articulo mortis constitutum à Censura absoluere, absente, aut nolente Sacerdote absolutionem concedere, mihi plausibilior est, quia benignior, & in sententia Glossæ in *cap. Pastoralis* 11. *de Officio Iudicis Ordinarij*, securior est: quia fauorabilior viuis, & defunctis, & ad sedandos scrupulos in casibus contingentibus, aptior: quia patronos maximos in sui defensionem habet, & propugnationem. Et quam-

vis

visalium, quàm Glossam vnam non haberet, illa sola authoritatem, & fidem præstantissimam opinioni præberet præfatæ, iuxta ea, quæ tradit Barbosa, in *cap. Canonum statuta, a.17. el 1. de Constitutionibus* cum pluribus Doctoribus, quos vt solet, plenâ cumular manu.

7 Habet tamen nostra sententia quàm plures Glossas, & Doctores sui propugnatores. Illa enim ita fatur, verbo *Præterquàm*. Videlicèt. Sed cum sunt in naufragio, in periculo mortis, tunc satis potest dici, quòd liceat, vel si inter bellum campestre contra Saracenos, vel aliàs iustum, & manifeste appareat periculum mortis, licet absoluere etiam Laïco. Hæc Glossa in dictum *cap. Pastoralis*, quæ postea contrariam recenset sententiam: & concludit, quòd prior, quàm ipsa tenet, benignior, & securior est. Gloss. item in, *cap. A nobis, el 2. & 28. de Sententia excommunicationis, verbo Non potuerit*, postquàm dixit: si talis in extremis p situs habuisset copiam Sacerdotis, ab eo potuisset absolui. Inquirit sic Numquid à Laïco potest absolui in articulo mortis? & respondet, quòd sic. Habet etiam Guillelm. Benedict. in *cap. Raynutius, verbo In extremis, num. 11. el 16. de testamentis*, & Angelum, *verbo Absolutio 1. num. 8. ad finem*, apud Barbosam, *in dict. cap. A nobis*. Et alios quos pro hac sententia allegaui *disquisit. 1. huius tractatus dub.* 14. vbi illam ad facietatem propugnaui à *n. 49. vsque ad* 102. quæ resolutio, & contra Ferrum Manrique propugnatio omnino est recolenda.

8 Sed libuit Dianam, vnum ex Patronis contrariæ sententiæ recensere, alios pro nostra reddentem, *part. 9. tract. 7. resolut.* 13. vbi in hæc prorumpit. Sed aliqui plus addunt, nempe, posse in tali casu, etiam Laïcum talem absolutionem moribundo concedere. Hanc sententiam, tamquam probabilem, ego alibi docui, quam scio displicuisse cuidam nobili Iurisconsulto; qui tamen scire debebat, illam desumptam fuisse ex Glossa *in cap. A nobis 2. verbo Non potuit*. Vbi etiam Abbas, *de Sententia excommunicationis, & in cap. Pastoralis, §. Præterea, de Officio Ordinarij, verbo Præterquàm in mortis articulo*. Idem postea docuerunt plures Theologi ex Schola Diui Thomæ, Tabiena, Armilla, D. Antoninus, vterque Ledesma. Et ex Societate Iesu, Sanchez, Auila Henriquez, & alij à me alibi adducti, quibus nunc adde P. Bossium vbi suprà (scilicet *disp. 2.*) *dub. 10. num. 87.*

9 Et ratio est, quia cum Ecclesia, seu Summus Pontifex possit hanc facultatem concedere Laïco, vt Doctores communiter tenent, existimandum est, concessisse in tali articulo, si non adsit copia Sacerdotis, vel Clerici tonsurati. Nam quamvis Laïcus, sicut & Clericus non Sacerdos, non possit Sacramentaliter absoluere, neque ex cómissione Papæ; tamen absolutio ab excommunicatione, potest plurimum conferre ipsi pœnitenti ad salutem animæ, quam omnibus, Ecclesia in extrema necessitate, suis fidelibus procurat. Quare, sicut tunc ob hanc causam, concedit omnibus iurisdictionem absoluendi à peccatis, qui sunt capaces illius: similiter censendum est tribuere omnibus, qui sunt capaces, iurisdictionem absoluendi à Censuris: Laïci autem, vt dictum est, sunt capaces huius iurisdictionis.

Hocusque Pater Diana.

* * *

DISQVISITIO IV.

De Interdictis.

An interdicti notorij, & nominatim denunciati, & qui sunt in Loco interdicto, eo durante, priuentur Ecclesiasticâ Sepulturâ, si priuilegiati non sint?

BREVIARIVM.

Censura.

Tres sunt species Censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio, interdictum, & suspensio, n. 12.

Censura Ecclesiastica significat pœnam eius generis, vt solâ potestate Ecclesiastica ferri possit, n. 13.

Pœna ista, in priuatione rei spiritualis consistit, n. 13.

Clerici.

Sub nomine Clericorum, veniunt Religiosi vtriusque sexus, in fauorabilibus, n. 10.

Excommunicatio.

Ratio formalis specifica excommunicationis, distinctiua ab aliis Censuris, est quatenus bona spiritualia, quibus priuat, rationem habent communicationis cum fidelibus, n. 14.

Excommunicantur, qui temeritatis audaciâ mortuos sepelire in Cœmeteriis interdictis tempore, in casibus non concessis à Iure, & qui publicos excommunicatos, nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt. Et absolui non possunt, nisi ad arbitrium satisfaciant Episcopi, num. 5.

Interdictum.

Interdictum, est Censura Ecclesiastica à Iure, vel ab homine prolata, quâ fideles separantur, seu prohibentur à Sacramentis non necessariis, ab omnibus diuinis Officiis, & à Sepulturâ quatenus illa rerum spiritualium quandam participationem habet, num. 12.

Interdictum, extremam vnctionem, & Sepulturam prohibet Ecclesiasticam, n. 9.

Interdictum separat indirectè à communione fidelium, directè à Sacramentis, diuinis Officiis, & Sepulturâ, quâ spiritualia ista sunt, n. 12.

Ratio specifica, distinctiua interdicti ab aliis Censuris Ecclesiasticis, in hoc sita est, vt sit priuatio bonorum, quatenus sunt participatio Sacramentorum Diuinorum Officiorum, & Sepulturæ, numer. 14.

Interdictum diuiditur in locale, & personale: & secundùm aliquos, in mixtum, n. 15.

Locale est, quòd immediatè afficit locum, prohibendo ne in eo diuina celebrentur, Sacramenta ministrentur, & more sepeliatur Ecclesiastico, n. 15.

Personale est, quòd personas afficit immediatè, illis prohibendo prædicta, vbiuis locorum, n. 15.

Interdictum tam locale, quàm personale diuiditur in generale. Et particulare, seu in speciale, n. 16.

Generale. Locale contingit, quando integrum Regnum, Prouincia, Ciuitas, Villa, Pagus, aut Parochia interdicitur, n. 16.

Particulare, quando de pluribus Ecclesiis vnius Ciuitatis, vna aut aliqua interdicantur earum, n. 16.

Interdictum personale generale est, quod directè fertur vniuersaliter contra omnes personas Regni,

Prouincia,

Prouinciæ, Ciuitatis, Villæ, Pagi, vel Parochiæ: & quod directè fertur in aliquam communitatem, quatenus aliquod constituit corpus, v.g. in Ciuitatem Pampilonensem, n.17.

Interdictum personale particulare est, quod fertur in vnam, vel plures personas particulares, quà tales, & non solùm quando aliqui nominatim interdicuntur, sed etiam quando interdicuntur omnes, qui tale facinus perpetrarunt, n.18.

Interdicti effectus, non habent cum illo, aut inter se necessariam connexionem; Sed per interdicentis voluntatem, separari ita queunt, vt vnus, & non alij causentur; quando tamen voluntatem non exprimit, omnes causantur, n.19.

Interdictũ rationẽ habet necessariæ defensionis, n.20.

In omni interdicto locali generali & particulari, ij omnes specialiter interdicti, censentur, qui causam interdicto dederunt, n.21.

Interdicti, nominatim denuntiati, vitãdi sunt, n.28.

Celebrantes scienter, aut celebrare facientes in loco interdicto, nisi quatenus eis à Iure conceditur, interdicti sunt ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant ad arbitrium eius, cuius sententiam interdicti contempserunt, n.3.

Eadem pœna infligitur iis, qui excommunicatos, & interdictos denunciatos admittunt ad Officia diuina, ad Sacramenta, aut ad sepulturam Ecclesiasticam, num.3.

Interdictum Ecclesiasticâ priuat sepulturâ, non solùm adultos, sed infantes, vsu rationis carentes.

Irregularitas.

Qui Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, in eas celebrat Officia diuina in irregularitatem incidit, n.4.

Nouitij.

Insanorubilibus nouitij veniunt sub Religiosorum nomine: & priuilegis gaudent professorum, n.11.

Pœna.

Vnus, pro alterius delicto, pœnâ spirituali punitur, n.20.21.

Sacramenta.

Sacramenta necessaria sunt, Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia per modum Viatici, & Vnctio extrema respectu eorum, qui confessi non sunt, aut Viaticum non sumpserunt, n.21.23.

Sepultura.

Per quodlibet interdictum, tàm locale, quàm personale Sepultura Ecclesiastica prohibetur, n.19.

Tàm adultis, quam infantibus, n.20.

Sepulturâ Ecclesiasticâ priuati non sunt Clerici, qui seruauerunt interdictum; sine solemnitate tamen vlla, debent tumulari, n.9.

Neq; Religiosi vtriusque sexus illâ priuati sunt, n.10.

Etiam Nouitij, n.11.

Suspensio.

Est Censura Ecclesiastica, quâ clericus priuatur vsu potestatis, quæ illi ratione Officij clericalis, aut Beneficij conuenit, n.14.

Ratio specifica constitutiua huius Censuræ, in priuatione potestatis consistit clericalis, n.14.

§. I.

Difficultas resoluitur.

CONCLVSIO.

1 PRiuantur sepulturâ Ecclesiasticâ ij omnes, qui notorij sunt interdicti, & denunciari nominatim, & qui in loco sunt interdicto, eo durante.

Ita docent August. Barbosa *de Iure Ecclesiastico part.2. lib.2. cap.10. num.41. in cap. Cum & plantare. §. Quod si Templarij num. 40. el 3. de Priuilegiis in Clementinam, eos qui num. 1. & 2. la 1. de sepulturis, & in cap. Is cui num. 8. el 20. de Sententiâ excommunicationis; lib. 6. & Officio Parochi p. 3. cap.26. num.41.* cum Vgolino *de Censuris, tabula 5. cap.9. cap.13. §. 4. & cap.15. §. 4.* Nauarro *in Manuali c.27. n.171.* Couatruuia *in cap. Alma mater, par.2. §. 1. n. 3. vers. Hoc autem.* Viualdo, *in candelabro aureo, sub titulo de interdicto §. 1. n. 39.* Roderiq. *tom.1. quæstionum Regularium q. 110.* Suarez; *to. 5. in 3. par. D. Thom. disp. 35. sect. 1.* Auila, *de Censuris p. 5. disp. 3.* Sayro, *de Censuris, lib. 4. c. 7.* Pauli Layman, *par. 4. c. 2. n. 3.* Valerio Reginald. *in Praxi fori Pœnitentiæ, lib. 32, tr. 3. n. 37.* Syluester; *verbo Sepultura n. 9. versic. Vndecimo.* Pax Iordanus *tom. 1. lib. 5 tit. 12. n. 131.* D. Antoninus, *par. 3. Summæ maioris, tit. 10. de sepulturis, c. 5. §. 8.* Fabius Incarnatus, *in scrutino sacerdotali part. 1. tr. 10. de operibus misericordiæ corporalibus versic. Qui sunt illi.* Abbas *in cap. Sacris, n. 7. el 12. de Sepulturis.* Coninchi, *de Censuris, disp. 17. dub. 2. n. 51.* Palaus, *part. 6. de Censuris disp. 5. punct. 4. n. 1.* Bassæus; *to. 1. verbo, Sepultura, n. 5.* Sà, *eodem verbo; num. 3.* Samuëllios *in Praxi de sepulturis, tr. 2. disp. 1. controuers. 11. num.* Pellizzarius, *in Manuali Regularium, to. 2. part. 1. tr. 7. c. 4. n. 44.* Trullench, *in Bullam Cruciatæ, lib. 1. §. 3. dub. 10. n. 1.* Tamburinus; *de Iure Abbatũ; to. 2. disp. 16. quæstiuncula 7. num. 1.* Lessius; *de interdicto, t. 2. n. 6.* Ventriglia, *in praxi rerũ notabilium, annotatione 52. n. 21.* Moure, *in examine Theologiæ moralis, par. 4. cap. 20. §. 3.* Glossa, *in cap. Vt Priuilegia, verbo Nõ negetur el 24. de Priuilegiis.* Bussembaum *in Medulla Theologiæ lib. 7. de Censuris c. 4. dub. 2. effectu. 3.*

Probatur primò resolutio *ex cap. Cum & plantare, el 3. de Priuilegiis;* vbi Alexander Papa III. in Concilio Lateranensi sic deffinit. Excõmunicatos quoq; & nominatim interdictos, tàm ab illis, (Religiosis scilicet) quàm ab aliis omnibus, iuxta Episcoporum sententiam, statuimus euitandos. Et infrà Quod si Templarij, vel Hospitalarij, ad Ecclesiam venerint interdictam; non nisi semel in anno ad Ecclesiastium Officium admittantur, nec tunc ibi sepeliantur corpora defunctorum. 2

Probatur secundò *ex cap. Episcoporum el 8. eiusdem tituli lib. 6.* in quo ita Bonifacius Papa VIII: Episcoporũ, & aliorũ Prælatorũ querelis frequentibus, & querelosis clamoribus excitati, præsenti Decreto duximus statuendũ, ne aliqui sæculares, aut Regulares quantumcumque exemptionis, seu libertatis Sedis Apostolicæ priuilegiis communiti, cuiuscumq; Ordinis, Religionis status, vel conditionis existant scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina in ciuitatibus, Castris, Villis (nisi quatenus eis à Iure cõceditur) seu locis aliis interdictis ab Ordinariis, siue Delegatis Iudicibus, vel à Iure: aut excõmunicatos publicè, vel interdictos ad diuina Officia, seu Ecclesiastica Sacramẽta, vel Ecclesiasticã Sepulturã admittit. Qui verò contra præsumpserint (præter aliàs pœnas à Iure statutas) ingressũ Ecclesiæ sibi nouerint interdictũ, donec de transgressione huiusmodi, ad arbitriũ eius, cuius sententiã cõtẽpserunt, satisfecerint cõpetẽter.

Tertiò probatur *ex c. Is, cui el 20. de sententia excõmunicationis, lib. 6.* in quo idẽ Bonifac. VIII. in hũc modũ statuit. Is, cui est Ecclesię interdictus ingressus (cũ sibi per cõsequẽs cẽseatur in ipso diuinorũ celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat in suo agens Officio, sicut prius. Talis quoq. si hoc interdicto durante, decedat, nõ debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri.

Probatur *quartò* ex Clementina, *eos, de Sepulturis.*

ris, in qua Clemẽs Papa Quintus in Cõcilio Vien-
» nensi decreuit sic. eos, qui propriæ temeritatis au-
» dacia, defunctorum corpora, non sine contemptu
» Clauium Ecclesiæ in Cœmeteriis, interdicti tem-
» pore, in casibus non cõcessis à Iure, vel excommu-
» nicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel
» vsurarios manifestos scienter sepelire præsumunt,
» decernimus, ipso facto excommunicationis senten-
» tiæ subiacere: à quâ nullatenus absoluantur, nisi
» priùs ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis, quibus
» per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactio-
» nem exhibuerint competentem. Nullo eis circa
» præmissa exemptionis, vel quouis alio priuilegio,
» sub quacumque forma verborum concesso, ali-
» qualiter suffragente.

6 *Quintò* probatur resolutio, ex Rituali Romano Pauli Papæ Quinto, *in Rubrica de exequiis.* Vbi sic habetur in Paruchi institutione.
» Negatur Ecclesia-
» stica Sepultura Paganis, Iudæis.... Interdictis no-
» minatim (& iis, qui sunt in loco interdicto, eo du-
» rante.

7 Probatur denique *ex cap. Quod in te, el 11. de Pœniteutiis, & remissionibus, n. 9. recensendo.*

8 Consulto addidi in resolutione: *& denunciati*, Quia nulli quantumuis personaliter, & specialiter interdicto, negari debet Sepultura, nisi nominatim denunciatus fuerit. Quia extrauagans *Insuper ad euitandum Scandalum* Concilij Constantiensis, quam *dub. 3. n. 2. disquisitionis* 3. pręcedentis exscripsi, disponit, quod nemo deinceps, à communione alicuius sacrorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis intus, & extra, prętextu cuiuscumque sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ à Iure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, vel Censura huiusmodi fuerit illa contra personam certam, Collegiũ, Vniuersitatem, Ecclesiæ Cõmunitatem, vel locum certum à Iudice publicata, vel denunciata specialiter & expressè. Et ita in terminis de interdicto docet, Ioannes Baptista Lezana, *to. 2. quæstionum Regularium, part. 3. verbo, interdictum n. 34.* Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regulariũ, to. 2. par. 1. tr. 7. c. 4. n. 46.* cum Suarez, *de Censuris, disp. 33. sect. 3. n. 2.* & Layman, *lib. 1. tr. 5. par. 4. c. 2. n. 4.* Ægidius Coninch. *de Censuris disp. 17. dub. 2. num. 62.*

9 Consultò etiam addidi in resolutione: *si priuilegiati nõ sint*, Quia multi sunt, qui tempore interdicti, sepulturâ Ecclesiasticâ non sunt priuati. In primis enim Clerici, qui seruauerunt interdictum, sepelire sine more tamen, & ritu Ecclesiastico debent. Ita deffiniére Innocentio Papa Tertio. *In cap. Quod in te el 11. de Pœniteutiis, & remissionibus.*
» Licet autem per generale interdictum denegetur om-
» nibus tàm Vnctio, quàm Ecclesiastica Sepultura,
» concedimus tamẽ, ex gratia, vt Clerici decedentes,
» qui tamen seruauerint interdictum, in Cœmeterio
» Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus
» solemnitatibus omnibus, cũ silentio tumulentur.
» Quæ vtique Decretalis confirmatur per Conciliũ

Viennense, *in clementina, eos qui la 1. de sepulturis, hîc n. 5.* reddita, ibi: in casibus non concessis à Iure, vbi Glossa, *verbo A Iure.*

10 Religiosi etiam omnes vtriusque sexus, tempore interdicti, sepulturæ Ecclesiasticæ tradi debent, *ex dicto cap. Quod in te.* Quia Religiosi, in fauorabilibus, sub nomine veniunt Clericorũ. Et ita docent Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, to. 2. tr. 7. c. 4. n. 44.* cum Paulo Layman, *lib. 1. tr. 5. par. 4. c. 2. n. 3.* Filliucio, *tr. 18. nu. 92.* Ægidius Bassæus, *to. 1. verbo interdictum 11. n. 25.* Coninch *de Censuris, disp. 17. de interdicto dub. 2. num. 52. iuncto n. 30.* Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regulariũ, to. 2. par. 3. verbo, interdictum n. 33.* cũ Syluestro, *eodem verbo 5. q. 8.* Samuëllit *in Praxi de Sepulturis, tr. 2. disp. 1. controuer. 1. concl. 12.* Noster Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, to. 2. disp. 16. quæst. 7. n. 2. & 4. versic. Idemque.*

Sub nomine Religiosorum veniunt in præsenti, 11
non solùm qui solemnem professionem emiserunt in aliqua approbata Religione, sed etiam Nouitij, vti benè Bassæus adnotat. Quia Nouitij in fauorabilibus, sub Religiosorũ veniunt nomine, & eisdẽ priuilegiis gaudent, ac professi fruuntur. Tamburinus, *loco proximè allegato, versic. idemque.* Hierony. Roderiquez, *in compendio, quæstionum Regularium, resolut. 80. num. 13.* Lezana, *dicto to. 2. par. 4. verbo, Nouitiis. n. 34.* Pellizzarius, *to. 2. tr. 8. c. 1. n. 71.* Antoninus Diana, *par. 3. tract. 1. resolut. 73.* vbi in hæc prorumpit. An Nouitij gaudeãt priuilegiis, professis alicuius Religionis concessis? Negatiuè respondet Rodriquez, *in quæstionibus Regularium, tom. 3. q. 51. art. vltimo.* Et Portel *in dubiis Regulariũ, verbo Nouitij annus, n. 53.* vbi sic ait. Nouitius directè, ac proprie solum gaudet priuilegio Canonis, aliis verò priuilegiis non gaudet, quæ cõceduntur professis, nisi exprimatur de Nouitiis. Ita ille. Sed contrariã sententiam sustinendã esse puto: quam tuetur Suarez, *de Religione, to. 3. disp. 5. c. 16. n. 17.* Sanchez, *in Summa to. 1. lib. 4. c. 39. n. 15. & to. 2. lib. 6. c. 10. in fine* Riccius *in Praxi tom. 4. resolut. 240. n. 2.* Azorius, *to. 1. lib. 12. c. 2. q. 10.* Henriquez, *lib. 7. c. 22. n. 7.* Sayrus, *de Censuris, lib. 7. c. 13. nu. 6.* Quia licet Nouitius non sit verè, & in effectu Religiosus, in fauorabilibus tamen habetur tanquam Religiosus, & professus & largo modo Nouitius dicitur Religiosus, & Monachus, vt bene notat Rebuffus, *in Praxi Beneficiorũ, titulo de dispensatione cum Regularib. n. 23.* qui testatur Cancellariam Apostolicam vocare Nouitium Monachum. Hactenùs P. Diana.

Aliquæ hîc difficultates occurrunt discussione dignæ. *Prima* est, An liceat hodie Clericos, & Religiosos Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, in loco specialiter interdicto? *Secunda*, An liceat tumulare præfatorũ cadauera, cum Missa, & solemnitatibus aliis, quas Ecclesiæ ritus obseruat? *Tertia* est, An aliquorũ fideliũ corpora, more Ecclesiastico sepelire liceat hodie, virtute priuilegiorũ Apostolicorum, etiamsi Clerici, aut Religiosi illi non sint? & quinã illi sint? *Quarta*, An Laici habentes priuilegium assistendi diuinis tẽpore interdicti, Sepulturæ Ecclesiasticæ tradi possint? & An possint sepeliri in loco sacro fideles tẽpore, interdicti, in diebus, quibus illud suspenditur? *Quinta*, An tumulari queant nominatim interdicti, & denunciati, & qui interdicto causam dederunt? *Sexta*, An possint Regulares interdicto, aliàs nõ suspenso, Laicos in suis Ecclesiis sepelire cum solẽnitate? *Septima*, An quæ dicta sunt, in Dubiis præcedentibus circa interdictum, locum etiam habeant tẽpore Cessationis à Diuinis? *Octaua*, An priuilegia Regularibus concessa, cũ facultate suspendi interdictũ, reuocata per Tridentinũ fuerint Concilium? & si reuocata fuerunt, an sint post præfatũ cõfirmata Cõcilium?

Pro quibus difficultatibus exactè dilucidandis, operæpretium duxi, nonnulla apprimè necessaria præmittere, vt melius, tàm circa ipsas dicenda, quàm circa disquisitionem principalem dicta percipiantur, & Iura reddita, & reddenda, ea quã fas est debitã expendantur intelligentiã.

Primò

12 *Primò* præmitto, quòd Interdictum, est Censura Ecclasiasticâ, à Iure, vel à Iudice prolata, quâ fideles separantur, seu prohibentur à certis Sacramentis, scilicet à non necessariis, ab omnibus diuinis Officiis, & à Sepultutâ Ecclesiasticâ, quatenus illa tetum spiritualium quandam participationem habet. Hanc deffinitiooem colligo ex Ægidio Coninch, *de Censuris, disp.*17. *dub.*1. *n.*1. & ex Fabio Incarnato, *in scrutinio Sacerdotali, p.*1. *tract.*12. *de interdicto pag. mihi* 316. in qua Lÿ, *separantur, seu prohibentur*, vti explicat idem Coninch, *disp.*14. *de excommunicatione, dub.*1. *nu.*5. non ita intelligi debet, vt directè interdictuo bonis priuet recensitis, quatenus habent rationem Communicationis fidelium, sed iodirectè. Directè autem illis priuat interdictum, quâ talia spiritualia sunt. Er in hoc consistit ratio formalis specifica constitutiua Interdicti, & per quam ab omni alia Censutâ Ecclesiasticâ distinguitur: quæ Triplex tantùm est: videlicet, excommunicatio, suspensio, & interdictum: & habet vnam, eandemque rationem communem: In qua vtique conuenit; tres autem speciales, seu specificas, & differentiales, per quas disconuenit, differt.

13 Ratio communis, & generica consistit in pœna priuationis tei spititualis, vti docet Coninch *disp.*13. *n.*2. Quia Censura Ecclesiastica, secundùm communem vsum, significat aliquam pœnam eius generis, vt sola Ecclesiasticâ potestate ferri possit. Atque adeò huiusmodi pœna primò, & per se circa tem spiritualem versari debet; & si circa temporalem vetsetur aliquando, non tamen alitet, quàm quatenus ad res dirigitur spirituales: quis mere temporales pœnas, etiam Iudices Laici, infungere bene valent. Ideò aurem pœna Ecclesiastica, & Censura in priuatione consistit, quia in rebus spiritualibus puniti nemo fidelium potest per eorum collationem: quia hæc pœnalis esse nequit, sed solùm per earum priuationem.

14 Ratio aurem specifica, & differentialis priuationis huius, in formalitate consistit. In excommunicatione quidem, quatenus bona spiritualia, quibus priuat, rationem habent communicationis cum fidelibus. In suspensione verò, quatenus rationem habent potestatis Clericalis: & ideò contta solos Clericos ferri potest. Vnde diffinitur: Suspensio est Censura Ecclesiastica, quâ Clericus priuatur vsu potestatis, quæ illi ratione Officij Clericalis, aut Beneficij conuenit. Interdicti deniqoe, ratio formalis consistit in priuatione bonorum, quatenus sunt participatio diuinotum Officiorum, Sacramentorum, & sepulturæ. Vide Coninch, *disp.*15. *dub.*1. *num.*1. & 2.

15 *Secundò* præmitto, interdictum aliud esse locale, quòd immediate ipsum afficit locum, prohibendo, ne in eo supradicta fiant. Aliud personale, quòd personas afficit immediatè, illis prohibendo participationem dictorum spiritualium vbiuis locorum. Et aliud, secundùm aliquos Doctores dicitur mixrum, quòd vtrumque locale continet, & personale. Vt quandn populus alicuius Ciuitatis, & ipsa Ciuitas immediatè interdicuntur. *Secundum aliquos Doctores* dixi, quia alij docent non dari Tertium membrum in interdicti diuisione; sed in hoc casu, quo Locus, & personæ afficiantur, non vnicum interdictum, sed duo distincta dari asserunt, personale, scilicet & locale.

16 Interdictum tàm locale, quàm personale, duplex, etiam est: Generale, & particulare, seu speciale. Interdictum generale locale contingit diceni, quando integrum Regnum, Prouincia, Ciuitas, Villa, Pagus, aut Parochia interdicitur. Ita Coninch. *disp.* 17. *dubit.* 1. *numer.*3. cum Nauarro *in Manuali c.*27. *n.*116. Fabius Incarnatus *loco reddito*. Particulare, seu speciale interdictum locale est, quando de pluribus Ecclesiis vnius Ciuitatis, vna aut aliquæ earum interdicũtur. Incarnatus, *ibidem*. Declaratio præfata interdicti localis generalis, exacta conuincitur *ex cap. Cum in partibus, &* 17. *de Verborum significatione*. Vbi sic Innocentius Papa Tertius decernens ait. „Cum autem in priuilegiis de Regno, vel Prouincia nihil expressè dicatur, nomine terræ, non solùm Regnum, vel Prouinciam, intelligi volumus, verùm etiam Villam, & Castrum, vt & in his locum habeat, quòd de generali dicitur interdicto. Hæc in Dicta Decretali Innocentius. Vbi noster Abbas Panormitanus, ex textu notat, quòd particulare interdictum dicitur, quando vna Ecclesia, vel plures Ecclesiæ specificè, & non sub nomine vniuersitatis interdicuntur; Generale verò (inquid) est, quando vniuersitas vnius loci interdicitur, siue loens sit paruus, siue magnus, vt est Villa, vel Castrum. Et rationem hanc reddit. Quia si in Villa non esset nisi vna Ecclesia, tamen apta est, habere plures Ecclesias. Vnde continet in se Vniuersitatem. Ita magnus ille Doctor.

Interdictum generale personale, illud est, quod directè fertur contra omnes personas, Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, Villæ, Pagi, vel Parochiæ vniuersaliter, argumento dicti capitis, *Cum in partibus*. Ita Incarnatus *loco citato*. Generale personale etiam est, quod in aliquam communitatem quatenus aliquod corpus constituit, dirrectè fertur v.g. in populum, vel Vniuersitatem Pampilonensem: quo quidem interdicto omnes comprehenduntur, qui sunt ex illo populo, siue Vniuersitate, præcisè quatenus pars illius populi, & vniuersitatis sunt. Coninch *vbi suprà, num.*4. 17

Interdictum personale particulare est, quod fertur in vnam, vel plutes personas particulares, quà tales. Huiusmodi est, non solùm quando aliqui nominatim interdicuntur, sed etiam quando interdicuntur omnes hi, qui tale, vel tale crimen perpetrauerunt. In quo tamen interdicto, etiamsi plures generali nomine comprehendantur, non tamen interdicuntur quatenus pars sunt alicuius communitatis, sed singuli immediatè per se, ob proprium crimen, & eadem prorsus ratione, ac si singuli soli id perpetrassent. Vnde benedici potest plura ibi esse interdicta particularia personalia, vnica comprehensa sententia. Ita Coninch. 18

Tertiò præmitto, per omne interdictum, siue locale, siue personale vsum Ecclesiasticæ sepulturæ prohiberi. Ita Barbosa, *in cap. Cum & plantare* §. *quod si Templary, n.*4. *el* 3. *de Priuilegiis*. Cum Nauarro *in Manuali, c.*27. *n.*171. Couartuuia, *in cap. Alma mater, par.*2. §.1. *nu.*3. *versic. Hoc autem*. Viualdo, *in candelabro aureo, sub titulo de Interdicto* §.1. *n.*39. Vgolino *de Censuris, tabula* 5. *cap.*9. Suarez, *to.*5. *in* 3. *p. D. Th. disp.*35. *sect.*1. Reginaldo, *in praxi, lib.*32. *tr.*3. *n.*37. Sayro, *in Thesauro lib.*4. *c.*7. *n.*18. Auila, *de Censuris, par.*5. *disp.*3. *sect.*3. & Layman, *in Theologia Morali, lib.*1. *tr.*5. *par.*4. *c.*2. *n.*3. Franciscus Maria Samuellius, *in Praxi de sepulturis tr.*2. *disp.*1. *controuers.*11. *Concl.*1. Aduertit tamen Pellizzarius, *in Manuali, to.*2. *par.*1. *tr.*7. *c.*4. *n.*23. hunc, & alios effectus interdicti, non habere cum eo, & inter se necessariam connexionem, sed posse ab interdicente Iudice separari, ita vt vnus 19

20 causetur,& non alij. Vnde si absolutè,& illimitatè
fertur, omnes effectus causantur ; aliàs autem,qui
exprimitur solus, & non alij. Quod mente tene.

Quartò præmitto, priuationem Sepulturæ, ra-
tione interdicti,locum habere,nō tantùm in adul-
tis,sed etiam in infantibus baptizatis,ita vt in loco
interdicto iis perinde,ac illis deneganda sit Eccle-
siastica sepultura. Sic Barbosa, *vbi proximè* cū Va-
lerio Reginaldo,*loco citato*,& Bonacina,*de Censu-
ris disp.5.q..p.4 à principio.* Consonant Coninch
de Censuris, disp.17.dub.1.n.6.& 7.& Samuellius
loco reddito. Ægidius quidem, quatenus dicit in
interdicto generali personali, etiam Innocentes
communitatis interdictæ, sepulturâ Ecclesiasticâ
priuari. Samuellius autem, quatenus dicit. Sepul-
turâ Ecclesiasticâ interdicitur Christi fidelibus,
quando nominatim interdictum mandatur : &
quando est interdictum generale, omnes homines
vtriusque sexus comprehendit. Ita ibi, & in ter-
minis, de infantibus, sic *conclus.*8. fatur Sepultu-
ræ Ecclesiasticæ vsus, per omne interdictum, siue
locale, siue personale prohibetur etiam infanti-
bus,vsu ratione carentibus. Quod mirum non est,
quia vt notat Glossa *in cap. Si sententia, verbo in-
terdicti, el 16. de Sententia excommunicationis,
lib.*6. Pœna spirituali, scilicet interdicti,bene pu-
21 nitur vnus pro delicto alterius. Vel si mauis dice-
re cum Coninch, Interdictum non habet ratio-
nem pœnæ, sed necessariæ defensionis.

Quintò præmitto cum Coninch, *loco recensito;
n.5.*in quouis interdicto localis, siue generali, si-
ue particulari, eos omnes specialiter interdictos
censeri, qui interdicto causam dederunt. Quod
colligit *ex dicto cap. Si sententia, modo allegato,* in
quo ita Bonifacius Papa Octauus decernit. Cæte-
rum cum propter delictum Domini, vel Recto-
ris,est ciuitas interdicta,ciues eiusdem(qui culpa-
biles non existunt, dummodo & ipsi propter Do-
minum, vel Rectorem pūniendum in eis non fue-
rint interdicti) possunt extra ipsam licitè interesse
diuinis. Hæc Bonifacius. Vbi clarè (inquit Co-
ninch) insinuatur eos,qui culpabiles,sunt siue ob
22 quorum culpam interdictum latum est, non posse
alibi diuinis interesse, atque ita, secundùm perso-
nas suas, interdictos esse.

Sextò præmitto, Sacramenta necessaria, esse
Baptismum,Pœnitentiam, Eucharistiam, per mo-
dum Viatici, & etiam Extremam vnctionem, res-
pectu illius, qui confessus non est, aut Eucharistiā
non recepit. Quod intellige de Baptismo paruulo-
rum. De illo, & Pœnitentia morientium seu de il-
lorum necessitate, habetur *in cap. Non est, el. 11. de
Sponsalibus.* De Viatici necessitate, *in cap. Permit-
23 timus, el 57. de Sententia excommunicationis, & in
cap. Quod in te, iuncta Summa el 11. de Pœnitentiis,
& remissionibus.*

Septimò præmitto, Pœnitentiæ Sacramentum
semper posse ministrari. Constat *ex capite Alma
mater, el final de Sententia excommunicationis, lib.*6.
& docent Augustinus Barbosa,*in cap. Quod in te.
2. & 8. modo allegato*, & Antonius Escobar, *in
Theologia Morali, tract.4. de interdicto, n.*40.
Et idem docent de Extrema vnctione, res-
pectu illius, qui non est confessus,
aut non sumpsit Eucharistiæ
Sacramentum.

* * *

§. II.

Recensentur Priuilegia varia pro interdicti tempore.

BREVIARIVM.

Axioma.

Summa ratio est, qua pro Religione facit, n.7.

A forma verborum, sine certa scientia recedendum non est, num.8.

Bulla Cruciatæ.

Pro illam sumentibus, reualidantur Regularium priuilegia, num.39.

Per illam non suspenduntur priuilegia, ad celebrandum tempore interdicti, in aliquibus festiuitatibus, num. 40.

In Regnis Hispaniæ qui Cruciatam susceperint, poterunt interdicti tempore cum moderata sepeliri pompa, & quænam ista sit, num.37.

Locum habet concessio ista, tàm in interdicto personali, quàm locali, Generali. Et speciali, n.38.

Qui illam non habent, in Regnis Hispaniæ, si Laici sint sæculares, non gaudent Regularium priuilegiis tempore interdicti, quoad Officia diuina, & Sepulturam; nisi necessarij sint vt Sacerdotibus ministrent, num.39.

Idem est de famulis, & donatis Regularium, si animum perseuerandi non habeant, n.39.

Cessatio à Diuinis.

Tempore cessationis à Diuinis, quæ possint Regulares demonstratur, n.28.29.31.32.

Clausula.

Altari nullatenus appropinquent: quomodo intelligatur ostenditur, n.24.

Interdictum.

Interdicti tempore, in Ecclesiis, & Monasteriis possunt ianuis Clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, submissa voce, & non pulsatis campanis, Missæ & alia diuina Officia celebrari singulis diebus, num.24.

Diebus Natalis Domini. Pascha, Pentecostes, & Assumptionis V. Mariæ, pulsatis campanis, alta voce, ianuis apertis, exclusis excommunicatis, & admissis interdictis, dummodo isti altari nullatenus appropinquent, diuina Officia solemniter celebrari licet, num.24.

Tempore interdicti localis generalis. Benedictinis Cōgregationis Hispaniæ licet in suis Ecclesiis, exclusis excommunicatis, & interdictis, ianuis clausis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Clericis, & familiæ suæ diuina celebrare, & Sacramenta ministrare, & debita peragere Sepulturæ, dūmodo aliquis eorū causam nō dederint interdicto, n.26.

Interdictum suspenditur pro die, & Octaua Corporis Christi in omnibus Ecclesiis, præcipuè Hispaniæ, num.27.

Interdicti, & Cessationis tempore, authoritate Apostolica appositis, ianuis clausis, alia verò quacumque authoritate, dummodo causam non dederint interdicto, nec in illos specialiter illo emanato, apertis ianuis, pulsatis cāpanis, nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis, possunt Benedictini nostræ Congregationis Hispaniæ, Missas, & alia diuina Officia solemniter, & in cantu celebrare, in Natiuitate, & Conceptione. V. Mariæ, S. Ioan. Bapt. in Transitu, & Translatione S. P. N. Benedicti, & in diebus SS. Martini, Scholasticæ, Mauri, Placidi, Gregorij Magni, Ildephonsi,

si Antonij, & Bernardi Abbatum, Adelelmi, & quorumcumque Sanctorum, & Sanctarum, sub quorum invocationibus Ecclesia Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Cõgregationis, dedicata, & constructa sunt: & quorum corpora in ipsis recondita existunt: per eorum octavas: in hebdomadibus sancta, & Pascha: in diebus professionis, & Missa prima Religiosi: & quoties humana cadavera tumulamus, n. 28. 29.

Eisdem diebus, Monachi non presbyteri, Commissi, Oblati, Donati, & Servitores Monasteriorum, & Prioratuum Congregationis nostra Eucharistiã, & alia recipere Sacramenta, dummodò interdictum, aut cessationem authoritas Apostolica non apposuerit, n. 28. 29.

In diebus, quibus suspenditur interdictum de Iure, aut in vim privilegiorum, possunt Minores in domibus suis, intra, & extra Ecclesiam, dicere, & facere, qua fieri possunt interdicto non existente; num. 30.

Possunt etiam Minores, in diebus Portiuncula, SS. Francisci, Bonaventura, Antony de Padua, Ludovici, Bernardini, Didaci, Clara, Elisabeth, ac Martyrum Ordinis, tempore interdicti, & cessationis, Missas, & alia divina Officia, ianuis apertis, & pulsatis campanis celebrare, exclusis ijs tantum, qui causam interdicto dederunt, numero 32.

Idem possunt PP. S. Hieronymi, in diebus eiusdem Sancti, Translationis eius, V. Maria, Apostorum, Dedicationis Ecclesia; Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphania, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, in Dominica Palmarum, Feria 5. 6. & Sabbatho maioris Hebdomada. Conceptionis, Nativitatis; Purificationis, Visitationis, & Assumptionis V. Maria Nativitatis S. Ioan. Bapt. S. Aug. S. Paula Vidua; omnium SS. Commemorationis omnium defunctorum, pro Missa, & Processione. Et in die obitus Religiosi Ordinis, pro Missa, & Officio defuncti. Dummodò causam non dederint interdicto, num. 31. 33. & 34.

Idem per communicationem possumus omnes Regulares in festivitatibus Translationum Fundatorum, & Patronorum Ordinum, n. 32.

PP. Augustinienses tempore specialis interdicti, omnia illa facere possunt, qua pro tempore Generalis interdicti, eis concessa sunt, n. 30.

Qua Iulius II. & Leo X. concesserunt, quoad suspensionem interdicti, confirmati sunt, & de novo concessa, à Gregor. XIII. Sixto V. & Clem. VIII. num. 30.

Omnes Ecclesiastici Regnorum Hispania; exclusis excommunicatis, ac nominatim interdictis; in Ecclesiis, & locis dictorum Regnorum, possunt, à primis vesperis Conceptionis V. Maria & Corporis Christi, usque ad totales eorum octavas inclusivè, Missas, & alia divina Officia, ianuis apertis, pulsatis Campanis, celebrare, n. 36.

A iure communi habent Clerici, & Religiosi, ut divinis assistere possint, n. 40.

Pompa moderata.

Funeris moderata pompa, in eo consistit, quod intercedentibus voce campanarum, cantu, ceremonijs ad sepulturam facientibus, & ianuis apertis, peractâ sepulturâ, seclusis non privilegiatis, ianuis clausis, summissa voce, & campanis non pulsatis Missa pro defuncto celebrentur, n. 37.

Privilegia.

Privilegiis Regularium, in Hispania Regnis, uti non possunt Laici saculares, quoad facultatem interessendi divinis, & quoad Sepulturam, tempore interdicti, Bullam Cruciata non habentes, numero 39.

Privilegia in corpore iuris inserta, & qua legitimè innituntur consuetudini, non suspenduntur per Cruciatam, n. 40.

Neque suspenduntur per illam privilegia concessa Regularibus, ad celebrandum tempore interdicti in aliquibus festivitatibus, in quibus omnes ad divina admittuntur, & ad Sacramenta, numero 40.

Sepultura.

Sepeliri possunt moderata pompa in Hispaniarum Regnis, Bullam habentes Cruciata, tempore interdicti, n. 37.

Clerici, & Religiosi, in vim Iuris communis, possunt tempore interdicti, in Ecclesiasticâ sepulturâ tumulari, n. 40.

OCtavò præmittere operæpretium duxi, varias existere Summorum Pontificum concessiones, & privilegia circa interdictum Ecclesiasticum, & illius prohibitiones, tam in Iure communi inserta, quàm in diversis, multisque admodum diplomatibus Apostolicis, extra illud vagantia. Libuit eorum recensere præcipua. 24

In primis enim Bonifacius Papa VIII. *in cap. Alma mater, ult. de Sententia Excommunicationis in 6.* hæc, quæ recenseo adamussim concessit, videlicet: quod singulis diebus (tempore scilicet interdicti) in Ecclesijs, & Monasterijs, Missæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, sicut priùs: submissa tamen voce, & ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & Campanis etiam non pulsatis. In festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ, & ianuis apertis, alta voce, divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsùs exclusis, sed interdictis admissis, quibus ob reverentiam dictarum solemnitatum (ut ipsi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum faciliùs inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus Divinorum; sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent.

Hactenùs Bonifacius in Decretali reddita. Cuius clausulam: *Altari nullatenus appropinquent:* sic exponi debet, ut non solùm ab Altari sint quoad locum remoti, sed etiam quoad ministerium celebrandi, communicandi, & ministrandi in sacris, si Clerici illi sint: ita Hieronymus Roderiquez *in Compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 23. cum Sylvestro *verbo Interdictum* 5. *n.* 2. Navarro *in Manuali, cap.* 27. *num.* 6. & 178. *ac* 182. Covarr. *in d. cap. Alma mater,* 2. *part.* §. 4. *in princ.* & Suarez *tom.* 5. *in* 3. *par. D. Th. disp.* 34. *sect.* 1. *à n.* 37.

Celestinus Papa III. Abbati, & Conventui S. Facundi, Congregationis nostræ Hispanæ, secundo idus Iulij, sui Pontificatus, anno quarto inter alia sic concessit, in Bulla *Dilectis filijs,* quam confirmavit Benedictus XIII. *in Constitut.* 112. Bullarij authentici dictæ Congregationis *fol.* 221. *num.* 2. Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis in Ecclesijs vestris, exclusis excommunicatis, & interdictis, clausis ianuis, non pulsatis campanis, suppressa voce Clericis, & 25

familiæ vestræ divina Officia celebrare, & debita peragere sepulturæ. Quo quidem privilegio gaudent omnia Monasteria, & loca eiusdem Congregationis, in vim plurium Sedis Apostolicæ diplomatum: id concessit Eugenius IV. 7. *Kal. Martij, de anno* 1434. *in Constit.* 7. *dicti Bullarij, num.* 21. *fol.* 27. *& Anno* 1438. *in constitut.* 46. *num.* 14. *fol.* 99. Alexander VI. *Kalend. Aprilis, Anno* 1501. *constit.* 21. *num.* 3. *fol.* 59. Quodque omnibus & singulis privilegijs, gratijs, & indultis (inquit Eugenius) quæ cuilibet dictæ Congregationis Monasterio, seu loco, ex præsentibus, & futuris concessa fuerint hactenùs, & concedentur in futurum ipsius Congregationis, alia Monasteria, & loca præsentia, & futura, quibus huiusmodi privilegia concessa non fuerint, in quantum eis expediat invicem uti valeant, & gaudere, ac si nominatim singulis ipsis Monasterijs priùs forent huiusmodi privilegia concessa, authoritate præfata concedimus, & indulgemus. Hactenùs Eugenius *d. num.* 21. & ferè eadem ipse *d. n.* 14. & Alexander *n.* 3. *allegato.*

26 Martinus Papa V. Conventui sancti Benedicti Vallis Oleti, quinto idus Martij, Pontificatus sui Anno nono, qui fuit 1426. per suam Constitutionem *la* 32. præfati Bullarij, ita concessit. Hinc est, quod Nos carissimi in Christo Filij nostri Ioannis Castellæ, & Legionis Regis illustris, Nobis super hoc humiliter supplicantis, ac vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vt cum in Civitate, vel Diœcesi Palentina generale fuerit interdictum, liceat vobis, familiares, & servitores continuos Monasterij prælibati, præsentes, & futuros in Ecclesia dicti Monasterij, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis ad audiendam Missam, & alia divina Officia, dummodò vobisad alias liceat, ac vos, & illi causa non dederitis interdicto, nec etiam id vobis, vel eis specialiter contingerit interdici recipere, & admittere, nec-non Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica ministrare, eorúmque corpora, si apud dictum Monasterium elegerint sepeliri in dicta Ecclesia, seu eius Cœmeterio, etiam huiusmodi tempore interdicti tumulari facere, devotioni vestræ tenore præsentium, authoritate Apostolica indulgemus.

27 Idem Pontifex Martinus, & Eugenius IV. interdictum suspenderunt pro die Sanctissimi Corporis Christi, & eius octava: ita docent Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.* 2. *disput.* 16. *quæsito* 4. *nu.* 1. Hieronymus Roderiquez *in Compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 32. Ioannes Baptista Lezana *in Summa, quæstionum Regularium, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 21. *num.* 19. *pag. mihi* 169. & Franciscus Maria Samuëllis *in praxi, de Sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controversi.* 12. *num.* 13. & quidem pro omnibus Ecclesijs Hispaniæ id concessit Leo Papa X. *in constit. infrà, num.* 36. *recensenda.*

28 Ampliorem circa prædicta concessit indulgentiam, Leo Papa X. meæ Congregationi, & illius intuitu, Christi fidelibus, in Constitutione authentica, quam penes me in præallegato Bollario habeo *la* 81. *fol.* 162. cuius meminerunt Ioannes Baptista Lezana *vbi proximè, ex Cæsarubio, in Compendio privilegiorum Mendicantium, verbo Interdictum* 2. *num.* 10. Ascanius Tamburinus *dicto tom.* 2. *disput.* 17. *quæsito* 4. *num.* 1. *versic. Leo X.* Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 47. Emanuel Roderiquez *tom.* 2. *quæstionum Regularium, qu.* 112. *art.* 2. Hieronymus Roderiquez *in Compendio dictarum quæstionum, resol.* 80. *num.* 3. Constitutio talis est: videlicet.

Dilecto filio moderno Abbati Generali, & pro tempore existenti Congregationis Vallis Oleti, Ordinis sancti Benedicti, de observantia nuncupatæ in Hispania.

LEO PAPA X.

Dilecte fili, salutem, & Apostolicam Benedictionem Religionis, sub qua tu, & dilecti filij cæteri Abbates Monasteriorum, & Priores Prioratuum, & Monachi Congregationis Vallis Oleti Ordinis Sancti Benedicti de observantia nuncupatæ in Hispania, divinis estis obsequijs mancipati, probata sinceritas, eximiæ devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobamini promerentur, vt tuis, & illorum votis, eis præsertim, quæ ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos tam tuis, quàm dictorum aliorum Abbatum, Priorum & Monachorum Nobis super hoc porrectis supplicationibus inclinati, tibi, qui etiam Monasterij eiusdem sancti Benedicti oppidi Vallis Oleti Ordinis, & Congregationis Prædictorum Palentinæ Diœcesis Abbas, & Generalis existis, & alijs Abbaribus, & Prioribus Monasteriorum, & Prioratuum, & Monachis Ordinis, & Congregationis eorumdem pro tempore existentibus, vt in Beatæ Virginis, Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Ioannis Baptistæ Nativitatum, & Transitus, & Translationis Sanctorum Martini, & Benedicti, eorúmque octavis, & sanctæ Scholasticæ, eiusdem Sancti Benedicti Sororis, & Beatorum Mauri, & Placidi discipulorum illius, & Sancti Gregorij Papæ, & Ildephonsi Archiepiscopi, Antonij Bernardi Abbatum, ac tempore, quo aliqui ex huiusmodi Monasteriorum, & Prioratuum Monachis in eisdem Monasteriis, & Prioratibus professionem emittere, aut primam Missam celebrare, seu Abbates, Priores, & Monachos prædictos, *in vestris Ecclesijs, aut illarum Cœmeteriis humana cadavera Ecclesiasticæ tradere sepulturæ contigerit.* Nec-non in quorumvis aliorum Sanctorum, sub quorum invocationibus Monasteriorum, & Prioratuum huiusmodi Ecclesiæ sunt erectæ, & quorum corpora in ipsis Ecclesijs recondita respectivè existunt, festivitatibus, tempore interdicti, & cessationis à Divinis Apostolica authoritate appositi, ianuis clausis; alia verò quacumque authoritate; dummodò huiusmodi interdicto causam non dederitis, nec id in vos specialiter contigerit emanare, apertis ianuis, pulsatis campanis, & excommunicatis exclusis, Missas, & alia divina Officia, à primis ipsarum festivitatum vesperis, vsque ad occasum solis sequentis, & vltimi octavarum huiusmodi respectivè diei, solemniter, & in cantu celebrare. Quodque Monachi non Presbyteri, Commissi, Oblati, Donati, & servitores singulorum Monasteriorum, & Prioratuum prædictorum, tempore interdicti, & cessationis à Divinis, quacumque, præterquam Apostolica authoritate præfata appositi, Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta, absque alicuius sententiæ, seu pœnæ incursu, recipere, liberè, & licitè valeatis, authoritate Apostolica

Apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus. Quocirca venerabili Fratri Episcopo Algaren. Et dilectis filijs Abbati Monasterij S. Mariæ de Sobrado, Cistereiensis Ordinis, Compostellanæ Diœcesis, & Prioti S. Augustini, Ordinis eius sancti, oppidi Vallis Oleti Palentinæ Diœcesis, & eorum cuilibet committimus, & mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, authoritate nostra faciant re; & præfatos, ac pro tempore existentes Generalem, Abbates & Monacho prædictos, præsenti nostro indulto liberè, & pacificè vti, potiri, & gaudere: non permittentes se, & eos per locorum Ordinarios, & quoscumque alios contra huiusmodi indolti tenorem, quomodolibet molestari: Contradictores, Impedientes, & rebelles per censutas, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione remota, authoritate nostra compescendo. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Ecclesiarum, & Diœcesum, in quibus prædicta Monasteria, & Prioratus existunt, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis. Privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis locorum Ordinatijs, aut quarumcumque Ecclesiarum Capituli, & alijs quibuscumque personis, sub quacumque verborum forma concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datis Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die vigesima secunda Maij, millesimo, quingentesimo decimo-quinto, Pontificatus nostri, anno tertio.

29 Ipse Leo Papa X aliam edidit Constitutionem in eiusdem nostræ Congregationis Benedictinæ Hispanæ favorem, die 22. Martij *de anno* 1521. *la* 39. apud Bullarium Emanuëlis Roderiquez, in qua concessit, quod in omnibus diebus in præcedente, & modò hic exscripta contentis, & in diebus Conceptionis, Visitationibus, & Nativitatis Beatæ Mariæ, Sancti Adelelmi, & quorumcumque aliorum Sanctorum, & Sanctarum, sub quorum invocationibus, Monasteriorum, Prioratuum, & locorum vtriusque sexus dicti Ordinis, & Congregationis Ecclesiæ dedicatæ, & constructæ, necnon hebdomadarum sanctæ, & Resurrectionis Dominicæ, & per octavas earumdem omnium supradictarum festivitatum: nec-non quoties Monachi, & aliæ vtriusque sexus Religiosæ personæ dicti Ordinis, & Congregationis professionem emiserint, aut primam Missam celebraverint, *seu eos in Ecclesiis, vel Cœmeteriis, Monasteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum dicti Ordinis, & Congregationis humana cadavera Ecclesiastica tradere sepultura contigerit*, tempore interdicti, & cessationis à Divinis, quacumque authoritate etiam Apostolica appositorum, dummodò huiusmodi interdicto causam non dederint, nec id eis specialiter contigerit interdici, apertis ianuis, pulsatis campanis, nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis, Missas, processiones, & alia divina Officia solemniter; & in cantu celebrare (valeamus) Quodque, Monachi, Moniales, Conversi, Conversæ, Novitij, & Novitiæ, ac Oblati, Donati, Servitores, & Servitrices singulorum vtriusque sexus Monasteriorum, Prioratuum, & locorum prædictorum eorundem, interdicti, & cessationis à Divinis tempore, Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, absque alicuius censuræ, seu pœnæ incursu, recipere, ac ipsi Monachi, quibusvis personis cum prædicta solemnitate, à primis dictarum festivitatum Vesperis, vsque ad occasum solis vltimi octavarum huiusmodi dierum celebrare; recipere, ac date, liberè, & licitè possint, & valeant dummodò ipsi, vel eorum aliquis interdicti causam non dederiut, nec eis specialiter contigerit interdici. Authoritate Apostolica, tenore præsentium, de speciali dono gratiæ perpetuò concedimus, & indulgemus. Hactenùs ibi Leo Papa, qui in sequentibus executionem præmissorum committit Episcopo Algorensi, & Abbati de Sobrado, & Prioti Sancti Augustini Vallis Oleti, quatenus eorum quilibet, vbi; quando, & quoties expedire cognoverit, prædicta authoritate Apostolica, inviolabiliter observari curet.

Idem Pontifex Leo, Minoribus concessit, quod in diebus in quibus suspenditur interdictum, tam vigore Privilegiorum Ordinis illius, quàm aliàs de Iure, possint Fratres in Domibus suis, intra, & extra Ecclesiam dicere, & facere omnia, quæ nullo existente interdicto fieri possunt. Hanc concessionem refert dictus Emanuël Roderiquez; *tom. 2. quæstionum Regularum, quæst.* 112. *art.* 2. *versic. Sextò*: & Iulius Papa II. Fratribus Augustiniensibus, teste Tamburino, loco mox citando, concessit, vt quæ Ordini suo, pro tempore generalis interdicti concessa sunt, ea omnia in speciali interdicto concessa esse intelligantur. In quo licere eis voluit: ea omnia, quæ in generali interdicto concessum est. Ita Ascanius *ex Compendio privilegiorum Mendicantium*: Roderiquez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 112. *art.* 2. *versic. Vnde Leo.* Idem refert Iulij privilegium: & addit. Quod indultum licet fuerit concessum ante Leonem X. nihilominùs tamen, etiam in concessis pro tempore interdicti ab ipso Leone X. locum habere debet: tum, quia Iulij II. concessiones, quoad interdicti suspensionem, quam concessiones Leonis X. sunt, his novissimis temporibus, à Gregorio XIII. & à Sixto V. & à S. D. N. Clemente VIII. confirmatæ, & de novo concessæ. Hæc Emanuël. Lezana *tom.* 2. *part.* 3. *verbo Interdictum, nu.* 31. cum Casarubio *in Compendio privilegiorum Mendicantium, eod. verbo* 1. *num.* 4. Sorbo *in Additionibus ad Compendium Mendicantium, eodem verbo*, §. 10. Peyrinus *tom.* 1. *privileg. in constitut.* 1. *Sixti IV. num.* 54. idem privilegium referunt. 30

Iulius Papa III. Ordini S. Hieronymi, Kal. Ianvarij *de anno* 1555. *& sui Pontificatus* 5. concessit. Quod perpetuis futuris temporibus in singulis S. Hieronymi, & etiam cuiuscumque Sancti, in cuius honorem quodlibet Monasterium Ordinis dedicatum fuerit festivitatibus, tempore interdicti, quavis authoritate, & etiam Apostolica appositi, & cessationis à Divinis pro tempore indictæ, Missas & alia divina Officia in singulis Monasterijs Ordinis, ianuis apertis, & pulsatis campanis (iis tamen, qui interdicto causam præbuerunt exclusis) publicè, & alta voce cum omnibus 31

nibus

ribus illic interesse volentibus, celebrare, seu celebrari facere, liberè, ac licitè valeant in omnibus & per omnia, ac si interdictum huiusmodi positum non fuisset, quod prædictis festivitatibus tantùm suspenditur, quibus elapsis, in suo robore permanere voluit.

32 Refertur hoc privilegium à Tamburino, *de Iure Abbatum*, *tom.* 2. *disputat.* 16. *quæstio* 4. ex Compendio Ordinis Divi Hieronymi præfati, *verbo Seu titulo*, *de Interdicto*, §. 7. vbi adnotat. Idem erit dicendum de festivitatibus Translationum Patronorum Ordinum, per privilegium Pij V. dicto Ordini concesso (quod modò referam, *num.* 34.) ibi: *& Translationis S.P. Hieronymi, ac Augustini*: its vt possint aliæ Religiones per privilegia communicata, Translationes Sanctorum, qui sunt ipsarum fundatores, & Patroni tempore interdicti, solemniter celebrare. Quia quod vni Religioni conceditur, pro ipsius Pattrono, sive Fundatore, intelligitur etiam concessum, pro Patronibus, & Fundatoribus aliarum Religionum, quæ communicant in suis privilegijs. Et quod ibi adnotat Tamburinus, ex Pij V, privilegio Ordini Sancti Hieronymi concesso, adnoto & ego, ex nostra Constitutione Leon.X. *n.* 28. exscripto, ibi: *& Translatio sanctorum Martini & Benedicti.*

33 Eidem Ordini D. Hieronymi Hispaniæ Pius Papa I V. concessit Kalendis Augusti *Anni* 1566. & sui Pontificatus sexto: Quod tempore interdicti, quacumque authoritate appositi, in Ecclesijs eorundem Monasteriorum (dummodò Fratres interdicto causam non dederint) ianuis apertis, & alta voce, in diebus Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Nativitatis Dominicæ, & Circumcisionis, ac Epiphaniæ, nec-non in quatuor Beatæ Mariæ Virginis, & singulorum Apostolorum, & S. Hieronymi, & Dedicationis Ecclesiarum, ipsius Religioois Monasteriorum festivitatibus, à primis Vesperis, vsque ad Completorum diei sequentis inclusivè Missam, & alia divina Officia celebrare possint: ita refert Hieron. Roderiquez *in Compendio quæstionum Regularium*, *resol.* 80. *n.* 29. & Tambur. *vbi proximè*, ex dicto Compendio privilegiorum Ordinis S.Hieronym. *tit. Interdictum*, §. 8. & ex Miranda *in Manuali Prælatorum*, *tomo* 2. *quæst.* 38. *articulo vltimo*, *conclus.* 6.

34 Pius Papa V. *die* 23. *Decembris* 1567. & sui Pontificatus secundò, eidem D. Hieronymi Ordini concessit: quod tempore cuiuscumque, tam generalis, quàm specialis interdicti, quavis authoritate, etiam Apostolica appositi, & apponendi, illorum obstante, Officium divinum, & Missam, in Monasterijs, Domibus, & Ecclesijs eiusdem Ordinis, per Religiosos, alta voce, & ianuis apertis, sequentibus diebus, videlicet, Epiphaniæ Domini, atque Ascensionis, & Beatæ Mariæ Virginis Assumptionis, & singulorum Apostolorum, nec-non Ramis Palmarum, Feria quinta, & sexta in Cœna Domini, & Sabbathi sancti, necnon Sanctissimæ Trinitatis, & Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, & Visitationis Beatæ Mariæ, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ, & Translationis S. P. Hieronymi, ac Augustini, & Paulæ Viduæ, & omnium Sanctorum festivitatibus, & in commemoratione omnium Defunctorum, pro Missa, & Processione, & etiam in die obitus alicuius Religiosi, vel dicti Ordinis, pro Missa, & Officio pro ipso defuncto dicenda, publicè dici, celebrari, & cantari, omnésque Christi fideles illuc concurrentes, illis interesse, & assistere liberè, & licitè possint, & valeant. Sic refertur ab Emanuële Roderiquez *tomo* 2. *quæstionum Regularium*, *quæst.* 112. *art.* 2. *versic. Ex quibus*, à Hieronymo eius Nepote *in illius compendio*, *dicta resolut.* 80. *num.* 29. à Tamburino, *vbi proximè ex* Compendio allegato Ordinis S. Hieronymi, *tit. Interdictum*, §. 2.

35 Clemens Papa V I I I. *die* 17. *Octobris Anno* 1595. & sui Pontificatus 4. per suam Bullam *la* 4. huius Pontificis apud Bullarium dicti Emanuëlis, quam *dicto tom.* 2. *quæst.* 112. *art.* 2. testatur sub sigillo authentico seipsum accepisse à P. Fratre Ioanne de Capeda, Provinciæ Conceptionis suæ Religionis Provinciale, qui cum Curiæ Romanæ Commissarius esset Generalis illam impetravit à Clemente Papa V I I I. *die* 17. *Octobris* 1595. sui Pontificatus Anno quarto, vt præfertur, sic concessit. Cum itaque, sicut accepimus, diversorum Romanorum Pontificum concessionibus Religioni præfatæ indultum sit, vt temporibus interdicti, quacumque etiam Apostolicâ authoritate appositi, festa Sanctorum eiusdem Ordinis, Francisci, nimirùm, Bonaventuræ, Antonij de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum, solemni ritu celebrenrur, perindè ac si interdictum huiusmodi minimè appositum esset; liberè possint: festa verò S. Didaci, & Portiunculæ in prædicto indulto minimè comprehendantur. Nos Religionem præfatam amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac indultorum huiusmodi, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum, tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus nomine dictæ Religionis per dictum filium nostrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Matthæum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Religioni prædictæ vniversæ, ac cuicumque ipsius Ordinis, sive Familiæ Conventui, vt in eorum Ecclesijs festa, etiam prædicti S. Didaci, & Portiunculæ, temporibus interdicti solemniter, provt alia festa prædicta, ac iuxta indultorum illi concessorum seriem, & tenorem celebrare liberè & licitè possint, authoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac indulta prædicta ad prædictas S. Didaci, & Portiunculæ festivitates extendimus, & ampliamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis vniversalibus, Provincialibus, & Synodalibus, Concilijs, editis, generalibus, vel specialibus, nec-non omnibus illis, quæ in præfatis indultis, & literis Apostolicis concessum est, non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque. Hucvsque Clemens in diplomate illo.

Leo Papa X. Constitutionem condidit 22. *die* 36 *Maij* 1517. incipit *Supra gregem la* 41. *apud Bullarium prædicti Emanuelis Roderiquez*, in qua sic concessit omnibus Ecclesiasticis Regnorum Hispaniæ, facientibus Officium novum Conceptionis Deiparæ. Nos, qui Fideles quoslibet ad ipsius gloriosæ Virginis venerationem, & iugem erga eam devotionem, provt possumus, libenter exoptamus, eorundem Ministri, & Vicariorum supplicationibus, in hac parte inclinati, statutum, & ordinationem Sixti prædecessoris huiusmodi, ad hoc, vt & pro tempore interdicti quavis authoritate, & ex quibusvis causis pro tempore appositi, in quibusvis Hispaniæ Ecclesijs, & locis à primis Vesperis dicti festi Conceptionis, vsque ad illius totalem

talem octavam inclusivè Missam, & alia divina Officia, apertis ianuis, & pulsatis campanis, atque alta voce, excommunicatis dumtaxat, & nominatim interdictis expulsis, celebrari: & singuli Christi fideles præfati non excommunicati, nec nominatim interdicti, ad Missas, & alia Officia divina audienda, ac indulgentiam, & peccatorum remissionem huiusmodi consequendam, & simili tempore à primis Vesperis dicti festi Corporis Christi, & vsque ad illius totalem octavam, iuxta prædictas, seu, & quasdam præfati Martini V. prædecessoris Constitutiones, est permissum, liberè, & licitè possint, cum sicut Minister, & Vicarij asserunt, eadem, seu similis gratia pro festivitatibus, & octavis Sanctorum Francisci, & Antonij de Padua, ac S. Claræ, per Sedem Apostolicam concessa sit, Apostolica authoritate præfata, tenore præsentium extendimus, & ampliamus. Non obstantibus, &c.

37 Per Bullam denique Cruciatæ multi Summi Ecclesiæ Præsules, incolis Regnorum Hispaniæ concesserunt, vt eorum corpora tumulari queant in Ecclesiasticâ sepulturâ interdicti tempore cum pompa, saltem moderata, idest (vti exponit Ioannes Ægidius Trullench *in dictam Bullam, libro* 1. §. 3. *dub.* 10. *circa finem*) cum voce campanarum, ceremonijs ad sepultutam facientibus, cum cantu, & januis apertis; non tamen potest dici Missa ianuis apertis, & cum cantu, & cum voce campanarum, sed peractâ sepulturâ cum dicta pompa funerali, debet claudi Ecclesia, & exclusis non privilegiatis submissa voce, & non pulsatis campanis, poterit dici Missa pro defuncto. Ita præfatus Doctor, qui *num.* 5. addit, non solùm prædicta locum habere tempore interdicti generalis localis, sed etiam particularis. Indultum autem sic se habet in Bulla Latina. *Item mortuorum corpora (nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint) cum moderata funerali pompa sepeliri.*

38 Vbi observare libuit, quod in rigore Iuris, recensita Cruciatæ concessio, non solùm habere locum debet in interdicto locali, tam generali, quàm particulari, sed etiam de personali generali, & speciali. Quia in Bulla Latina, & plumbea, solùm excommunicatus excipitur: ergo in rigore Iuris firmat regulam, concessionem vtique in non exceptis: eo maximè, quia procedit expressè circa admissionem ad sepulturam interdicti tempore: & cum Summi Pontifices non distinguant in hac lege particulari privilegij Cruciatæ, nec nos distinguere debemus: & si aliud voluissent, expressissent.

39 Secundò observandum moneo, privilegia Regularibus concessa, & supra recensita, in Hispania, *sus Reynos, e Islas adjacentes, y en los Reynos de Sicilia, y Cerdeña*, per Bullam Cruciatæ præfatâ, ita suspendi durante anno publicationis illius, vt nequeant illis *Laici Sæculares* vti, qui prædictam non susceperint Bullam; illam tamen sumentibus, per ipsammet revalidantur Bullam, dicta Regularium privilegia: ita docent Trullench, *vbi proximè, dub.* 2. *nu.* 11. *&* §. 9. *dub.* 11. (præcipuè *n.* 4. quoad effectum sepulturæ) cum Emanuële Roderiquez *in Addit. ad* §. 5. *dicta Bulla num.* 33. *in fine, &* §. 12. *num.* 1. ex doctrina Felini *in cap. Nonnulli, el* 28. *de Rescriptis*, cum Villalobos *in Summa, tom.* 1. *tract.* 17. *clausula* 12. *num.* 2. Ludov. à Cruze *in Bullam, disput.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 2. *&* 3. *dub.* 2. *num.* 14. vbi cum Ioanne à Cruze *de statu Religiosorum, lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. *concl.* 3. addit, quoscumque Sæculares, etiam famulos Fratrum, imò & donatos non habentes animum perseverandi, non posse in regnis vbi Bulla publicatur, & pro quibus conceditur, interesse divinis; nisi forsam quis eorum sit necessarius, vt Sacerdoti ministrare queat: ita ex illis Trullench.

Consultò, notantérque dixi: *Laici Sæculares.* Quia Clerici, & Religiosi privilegium habent à Iure, vt possint divinis Officijs tempore interdicti assistere, & in Ecclesiastica tumulari sepulturâ; iuxta supra dicta *num.* 24. *& sequentibus.* Privilegia autem, & facultates Iuri communi inserta, & incorporata, & quæ iuxta consuetudinem approbatam vim obtinent, neutiquam per Bullam Cruciatæ suspenduntur, vti benè Trullench *dicto* §. 9. *dub.* 1. *num.* 6. docet cum Emanuële §. 12. *num.* 13. & Villalobos *loco citato num.* 14. docet & Antoninus Diana, *part.* 1. *tract.* 11. *de Bulla Cruciatæ, resolut.* 87. cum Fernandez *in examine Theologiæ Moralis, par.* 3. *cap.* 9. *sect.* 11. §. 18. *num.* 3. Quo loci addit, cum Villalobos *num.* 7. Bullam non suspendere privilegia, quæ habent Regulares, celebrandi tempore interdicti, in aliquibus festivitatibus, in quibus omnes admittuntur ad Officia divina, & ad recipienda Sacramenta. Ratio istius, dubio procul est, quia tunc temporis suspenditur interdictum; illius verò, quia ad revocationem illius, & suspensionem quidem facultatum, & privilegiorum, quæ incorporata sunt, & inserta Iuri communi, aut consuetudini legitimæ innixa, necessaria est clausula: *Non obstantibus, &c.* Quæ quidem in Bulla Cruciatæ non reperitur, vti Trullench, & alij observarunt. 40

Quibus omnibus præmissis, operæpretium duxi, difficultates, quas suprà innui, sigillatim discutiendas, in medium adducere. Sit igitur.

DVBIVM I.

An liceat hodie Clericos, & Religiosos, Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, in loco specialiter interdicto, saltem si nominatim interdicti non sint, aut causam interdicto non dederint?

BREVIARIVM.

Privilegia:

Concessa in perpetuum, non vni personæ, sed toti communitati, maximè Religiosæ, æquantur legi, corpori Iuris inserta, & latè debent interpretari, n. 7.

Vbi privilegium non distinguit, nec nos distinguere debemus, n. 8.

Sepultura:

Clerici, quà tales, nequeunt hodie in loco specialiter interdicto sepeliri, etiamsi illud servaverint, & causam eidem non dederint, n. 1. 4.

Possunt tamen Religiosi, & Novitij vtriusque sexus tumulari; dummodò personaliter non sint interdicti, & culpabilem causam non dederint interdicto, & illud servaverint, n. 2. 5. & seqq.

SEntentiam negativam tenent Samuël *in praxi, de Sepult. tr.* 2. *disp.* 1. *controv.* 11. *concl.* 6. Pelliz. *in Manual. Regul. to.* 2. *par.* 1. *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 44. cũ Paulo Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *par.* 4. *c.* 2. *n.* 3. & Filliuc. *tr.* 18. *n.* 92. Ægidius Conink *disp.* 17. *de Censur. dub.* 2. *num.* 53. Lezana *in Summa, quæstionum Regularium,*

tom.2. part.3. verbo Interdictum, num.33. qui doceent non debere Clericos, aut Religiosus tumulari in loco specialitet interdicto, si eommodè deferri queant, ad aliam non interdictam Ecclesiam. Ratio, & fundamentum huius sententiæ est. Quia posse sepeliri tempore interdicti in in Loco sacro habent Clerici, & Religiosi, vigore eoncessionis, & gratiæ illis factæ *in cap. Quod in te, el 11. de Pœnitentijs, & Remissionibus, suprà num.9.* reddito. Sed ibi non conceditur huiusmodi facultas, nisi tempore generalis interdicti, vti ex ipsa textus inspectione patet: ergo non debet, saltim de Iure, ad speciale interdictum vnius Ecclesiæ extendi, iuxta regulam, *Quæ à Iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda la 28. de Regulis Iuris, lib.* 6. iuncta Glossa *verb. Quæ à Iure.*

Sententiam tamen affirmantem Clericos, & Religiosos posse hodie in loco specialiter interdicto tumulari, tenent noster Abbas Tamburinus *de Iure Abbat. tom.2. disp.17. quæsito 7. n.2.* Bassæus *tom.1. verbo Interdictum n.25.* Eman. Roderiquez *tom.2. quæst. Regular. qu.112. art.2. versic. Vnde Leo,* Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.7.c.4. dub.2.*

2 Sed libuit Ascanium Tamburinum recensere. Dico secundò, Clerici, & Religiosi non interdicti, qui interdictum servaverunt, nec ad illud culpabilem causam dederunt, possunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam specialis, sepeliri in loco etiam specialiter interdicto nempè in Ecclesia, vel Cœmeterio sacro, modo id fiat sine solemnitate, & absque pulsatione campanarum. Hæc Tamburinus, cuius sententiam, eisdem pronunciat verbis, Bassæus.

3 Et illam non esse improbabilem docet Conink proximè redditus, dicens. Addunt Sylvester *verbo Interdictum 5. num. 10. versic. Quintum,* citans Panormitanum, & alios, item Covarruvias *cap. Alma mater, par.2. §. 2. num.7.* & multi alij, idem dicendum esse de loco specialiter interdicto. Quod non est improbabile propter Doctorum authoritatem; sed nullum habet fundamentum in iure. Faciliùs hoc concedi posset, quando in civitate esset vnicus locus sacer, isque specialiter interdictus, ita vt Clericus alio loco sacro sepeliri non posset: tunc etiam faciliùs permitteretur in eo sepeliri, ne aliàs deberet sepeliri loco profano. Hactenùs Ægidius.

Quid autem in proposita difficultate, & sententiarum diversitate sequendum sit, propriam sententiam, duabus sequentibus Conclusionibus aperiam.

CONCLVSIO I.

4 Clerici nequeunt sepeliri in loco specialiter interdicto, qua Clerici.

Hanc conclusionem tenent Doctores primæ sententiæ. Et probatur fundamentaliter. Quia Clerici, quâ tales, tempore interdicti, sepeliri nequeũt in Loco sacro, nisi in vim *cap. Quod in te,* aliam enim ad id facultatem, me non invenisse in Iure communi, aut in privilegio Apostolico Clericis, quâ talibus concesso, ingenuè fateor. Sed in *cap. Quod in te,* vti benè ab authoribus primæ sententiæ probatur, non conceditur facultas Clericos tumulandi in Loco sacro tempore interdicti specialis, seu in loco specialiter interdicto, sed in generali: ergo nequeunt Clerici, quâ tales, in loco specialiter interdicto sepeliri.

Consultò addidi: *quà tales,* quia in vim privilegij Bullæ Cruciatæ, de Clericis, idem, quod de alijs Sæcularibus dicemus, dubio procul dicendum omninò est: quia in hac parte, peioris conditionis, quàm Sæculares Laïci, non debent esse Clerici. Et idem est dicendum in vim quorumlibet aliorum privilegiorum, quibus possunt alij fideles potiri.

CONCLVSIO II.

Religiosi tam Clerici, quàm Laïci, Professi, 5
& Novitij, pariter, & Religiosæ, sepeliri benè, & licitè possunt in loco specialiter interdicto, dummodò interdicti personaliter ipsi non sint, interdictum servaverint, ad illud culpabilem non dederint causam.

Hanc conclusionem tenent Tamburinus, *vbi suprà, & quæsito* 4. Bassæus *loco citato:* Pellizzar. *in Manuali, tom.2. par.1. tract.8. cap.5. n.167.* & Lezana *tom.1. par.2. cap.16. num.12. & 17.* consonant, quatenus docent privilegium Eogenij IV. nobis concedentis, posse admittere ad Officia divina, Monachos, & alios, quos recenset, tempore interdicti, sine vlla determinatione, generalis, aut particularis, intelligi tam de particulari, quàm de generali interdicto.

Probatur *primò* conclusio, ex vna, & altera 6
Constitutione Leonis X. in favorem nostræ Congregationis editis, *suprà in Disquisitione, num.28. & 29.* exscriptis, quatenus concedit absolutè, & sine restrictione ad interdictum generale, vt tempore interdicti, & cessationis à Divinis, celebrare possimus tempore, quo in nostris Ecclesijs, aut Cœmeterijs humana cadavera Ecclesiasticæ tradere sepulturæ contigerit: ergo in nostris saltem Ecclesijs, tumulari benè possunt, tempore interdicti specialis, seu in illis specialiter interdictis, quælibet humana cadavera illorum, qui culpabilem causam non dederint interdicto, aut nos ipsi specialiter interdicti non fuerimus: ergo nostri Religiosi tumulari possunt in nostris Ecclesijs specialiter interdictis, in vim Constitutionis Leoninæ præfatæ.

Prima consequentia, quoad primam partem, de 7
interdicto speciali, seu particulari, & quoad secundam item, de quibuslibet humanis cadaveribus aliàs sepultura non privatis, probatur. Quia constitutio allegata, edita est in perpetuum, in bonum totius nostræ Congregationis, & ob hanc causam æquatur legi in corpore iuris insertæ: & tanquam favor, amplissimè venit interpretanda, vti benè docet Lezana *locis mox citandis,* cum Sanch. *tom.3. de Matrim. lib.8. disp.1.* Henriq. *lib.7.c.22. num.3.* Coninch *part.3. to.2. disp.33. dub.2. n.16.* & Layman *lib. 1. tract.4. cap.23. num. 5.* dicens, quod privilegium non vni personæ, sed toti communitatis in perpetuum concessum, æquatur legi, publico Iuris corpori insertæ, quæ latam habet interpretationem: docent & Bruno Chassaing *de privilegijs Regularium, tract.2. cap.5. proposit. 5.* ex D. Thom. *in Opusculo contra impugnantes Religionem, cap. 64. colum. penult.* Oldrado *consilio 3. Compendio privilegiorum Minorum, tit. privileg. in fine,* Marcellino à Sancto Benedicto *verbo Privilegia, in notabilibus:* & ex Iasone *in cap. fin. n.19. & 20. de Constitutionibus:* consonat Suarez *de Legibus, lib.8. c.27. n.7.* vbi ait: privilegia exemptionis Religiosorum amplè esse interpretanda in favorem Religionis. Summa enim (inquit)

ratio

ratio est, quæ pro Religione facit, vt dicitur *in l. Sunt persona, ff. de Religiosis, & sumptibus funerum:* illum recenset, & sequitur Lezana *in Sum. quæst. Regul. to. 2. par. 4. verb. Privilegium, n. 9. & to. 4. cõsulto 40. n. 102. & in Appanogio, dub. 7. num. 138. ad calcem operis:* cum Alex. Calcanet. & Anchar. apud Barbos. *de Iure Ecclesiast. lib. 2. cap. 13. nn. 46.* ac Menoch. *de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 84. n. 18.* cum Sylvest. *verbo Privilegium, q. 3.* & Tiraq. *de Privil. pia causa, privil. 162.* Pellizz. *to. 2. tr. 8. c. 1. n. 142.* Palaus *tom. 1. tr. 3. disp. 4. punct. 10. n. 5.* cum Salas *de Legib. disp. 17. sect. 8. n. 52. & disp. 20. n. 99. versic. Sextò*, Bonac. *eod. tract. disp. 2. q. 3. punct. 9. §. 1. n. 5.*

8 *Secundò* probatur, quia vbi privilegium non distinguit, nec nos distinguere debemus *cap. Ad audientiam el 12. de Decimis:* vbi ita Summus Pontifex: nam si intelligeremus tantummodò de novalibus, vbi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus: & Glossa *verbo Intelligeremus*; ait, argumentum, qood à forma verborum, sine certâ scientia non est recedendum, 31. *dist. Omninò, ff. de Legat. 3. Non aliter, & 31. q. 1. §. Quomodo Virginibus, Cod. de Caduc. tollenda, l. vnica, §. Si verò, & de Consecr. dist. 4. Si quis Presbyt. & suprà, de Transf. inter corporalia & C. de Decisio. eius, qui libertatem meruit, l. vnica, 28. q. 1. Sic enim, vers. Cum verò dicit, Ego dico, non Dominus.* Hactenùs Gloss. *in d. c. Ad audientiam:* ergo si Leo Papa X. in Cõstitutione præfata non distinguit de interdicto generali, nec de ijs, aut de illis cadaveribus, nec nos distinguere debemus. Non si intelligeret Summus ille Pontifex suam concessionem tantummodò procedere interdicto generali, vbi posuit, vt interdicti tempore celebrare possimus, quàndo humana cadavera Ecclesiasticæ tradimus sepulturæ, poneret, in interdicto generali, & quando hæc, aut illa tumulamus defunctorum corpore.

9 *Secundò* probatur conclusio, ex privilegio Pij V. *in Disquisit. n. 34.* recensito, Ordini S. Hieronymi concesso, in quo concedit, quod tempore cuiuscumque interdicti, tam generalis, quàm specialis; quavis authoritate etiam Apostolica, appositi, & apponendi, illo non obstante Officium divinum; & Missam, in Monasterijs, & Domibus, & Ecclesijs dicti Ordinis, per Religiosos, alta voce, & ianuis apertis, publicè dicere, celebrare, & cantare valeant in die obitus alicuius Religiosi, vel Religiosæ dicti Ordinis, pro ipso defuncto dicenda, omnesque Fideles illuc concurrentes, illis interesse & assistere liberè, & licitè possent: ergo verissima est nostra Conclusio, asserens Religiosos licitè tumulari posse in loco specialiter interdicto.

10 *Tertiò* probatur Conclusio ex privilegijs *in disquisit. n. 30.* recensitis, Minoribus, & Augustiniensibus concessis à Leone X. ex Iulio III. in primo enim conceditur, quod in diebus in quibus suspenditur interdictum tam vigore privilegiorũ, quàm de Iure, possint Fratres in Domibus suis intra, & extra Ecclesiam, dicere, & facere omnia, quæ nullo existente interdicto fieri possunt. In secundo autẽ conceditur, vt omnia liceant Religionis tempore interdicti particularis, quæ licent, & concessa sunt eis pro tempore interdicti generalis. Sed in die obitus Religiosorum suspenditur interdictum, & sepelire eos, licet tempore generalis interdicti, seu in loco generaliter interdicto: ergo & licitè tumulantur in loco specialiter interdicto.

DVBIVM II.

An liceat tumulare Clericos Sæculares in loco interdicto generaliter, & Religiosos vtriusque sexus in loco specialiter interdicto, cum Missa, & alijs solemnitatibus, quibus Fideles Ecclesiasticè sepelire consuevit Ecclesia?

BREVIARIVM.

Axioma.

Qui vnum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere, quod tacet, n. 1.

Vbi ius non distinguit; nec nos distinguere debemus, num. 3.

Clausula.

Submissa voce, quomodo intelligatur in facultatibus concedentibus sepulturam interdicti tempore, n. 6.

Ianuis clausis, in huiusmodi facultatibus apposita, quid importet, n. 7.

Privilegia.

In perpetuum Religioni concessa, habentur pro lege in Iuris corpore inserta, & vti favorabilia, extendenda, n. 2.

Privilegia Benedictina nostra Congregationis, data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in favorem Congregationis, & locorum particularium eius, interpretari debent, n. 2.

Nullum est privilegium; quod non debeat ita exponi, vt aliter probabiliter de novo concedat, n. 2.

Regularium privilegia ad Iuris communis instar, interpretari debẽt, ita vt iis minus, quàm fieri possit, derogatur, n. 2. *in fine.*

Sepultura.

Possunt nostra Congregationis Religiosi; & eius privilegiis gaudentes, eius etiam Novitij, Clerici familiares, continui servitores, imò, & quicumque fideles, in nostris Ecclesiis, apertis ianuis, & cum omni solemnitate tempore interdicti, authoritate Apostolica non appositi; si non dederint culpabilem causam interdicto, exclusis nominatim interdictis; & excommunicatis, & tempore interdicti Apostolici, clausis ianuis, sepelire; nu. 1. & seqq.

Possunt omnes Religiones suos Religiosos, & donatos sepelire apertis ianuis, etiam in Apostolico interdicto, n. 4.

Clerici possunt hodie tumulari in loco generaliter interdicto, cum Missa, & alius divinis Officiis, submissa voce, ianuis clausis; & sine campanarum voce, exclusis excommunicatis, & interdictis, n. 5.

CONCLVSIO I.

1 QVoad sepelitionem cadaverum Religiosarum personarum nostræ Congregationis, & aliarum Religionum, nostræ gaudentium privilegijs, posse fieri cum Missa solemni, apertis ianuis, & pulsatis campanis, ac cum omnibus solemnitatibus alijs, quibus, de more suo, Ecclesia in sepeliendis fidelium cadaveribus vtitur; dummodò, authoritate Apostolica appositum non fuerit interdictum; & dummodò causam culpabilem Religiosi non dederint interdicto locali, Apostolica apposito authoritate, ianuis clausis, certum est

est, in vim Constitutionis Leonis Papæ X. su prà in disquisitione *num.* 18. reddita. In qua quidem, pro interdicto Apostolico, solùm limitatur concessio, præter causam datam interdicto, & exclusionem interdictorum, ac excommunicatorum, in hoc, quod tumulatio, clausis ianuis fiat. Vnde cum omnibus alijs solemnitatibus fieri illa potest. Quia, qui vnum exprimir, & aliud tacet, censetur excludere, quod tacet. Quæ certe regula, hîc maximè locum habet, cum distinguat Leo X. interdictum Apostolicum ab omni alio. Et pro Apostolico tantùm hanc limitationem apponat: *iannis clausis*; & pro alio quocumque expresè concedat: *apertis iannis, pulsatis campanis*: ergo exprimendo clausulam: *iannis clausis*: excludit à limitatione concessionis, clausulam, *pulsatis campanis*, & cætera.

2 Probatur vlteriùs resolutio dubij, quoad Religiosos, quia Constitutionis præfatæ concessio, quâ factâ in perpetuū Religioni, habetur pro lege inserta iuri communi, & veluti favorabilia extendenda, vti dictum, & probatum reliquimus, dubio præcedente *num.* 7. & ibi dictis addo, Alexandrum Papam VI. Constitutionem edidisse, *Kal. Aprilis* 1501. in nostræ Congregationia favorem *la* 21. nostri Bullarij authentici, in qua decrevit. Declarantes etiam motu, scientia, authoritate prædictis, ac volentis, quidquid Dubij in dictia privilegijs, seu aliquo eorum, pro tempore emerserit, datis verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in favorem dictæ Congregationis, & locorum particularium eius, interpretari debere, Hæc Alexander. Ex quibus habemus, ptivilegia Regularibus concessa, servata tamen verborum forma, & proprietate, amplè, & intelligi, & interpretari debere in favorem Religionum, & animarum.

Eo maximè, quia si vera est Caramuëlis sententia, nullum est privilegium concessum, quod non possit, aut debeat ita exponi (verba sunt Ioannis Caramuëlis, in Theologia Fundamentali, *fundamento* 13. *nn.* 577.) vt aliqoid probabiliter de novo concedat. Debemus enim de viris magnis generosè sentire, nec putare, aut qui Bullam implorat, tam stupidum, vt ea postulet, quæ citra Bullam potest, aut qui indulget, tam avarum, vt nihil decernat concedere, cum ipsum privilegium concedit. Hæc ille. Sed privilegium Leonis præfatum, imploratum est, per Generalem, Abbates, Monachos, & personas meæ Benedictinæ Congregationis, potentis quidem tumulare, ex Iuris dispositione *in cap. Quod in te, el* 11. *de Pœnitent. & Remissionibus*, Religiosos Professos, & Novitios iuxta supradicta *in Disquisit. à num.* 10. potentésque tumulare Clericos, & Familiares per concessionem Cœlestini III. de *anno* 1194. de qua ibidem *num.* 25: potentes deinde sepelire familiares, & servitores continuos vigore Bullæ Martini V. de qua *num.* 26. & Leo ipse X. liberalissimus, & magnanimus valdè princeps fuit erga Regulares, vti multitudo diplomatum ab eo emanatorum, quæ in Bullarijs, maximè Roderiquez, & passim alibi circunferuntur apertè testantur: ergo cum ipse dictam condidit Constitutionem *Anno* 1515. aliquid novum decrevit concedere circa tumulationem. Hoc autem nihil aliud potest intelligi, & interpretari, quàm facultas sepeliendi cuiuscumque fidelis cadaver: & facultas tumulandi, tempore interdicti appositi authoritate non Apostolica, *apertis ianuis, pulsatis campanis, &c.* Apostolica autem facultate inflicti, *ianuis tamen clausis*, si proprietas attendatur verborum dictæ Constitutionis Leoninæ: ergo saltem Religiosi vtriusque sexus in vim illius, sepeliri benè poterunt tempore interdicti Apostolici cum Missa, & cantu, & pulsatione campanarum, &c. dum modo ianuæ claudantur; in interdicto autem non Apostolico, *apertis ianuis, pulsatis campanis*, & cum omni alia, quam vsua Communia Ecclesiæ obtinuit, solemnitate.

Ex dictis fit, quod privilegia Regularibus concessa, interpretari semper debeant ad iuris communis instar: ita videlicet vt ijs minùs quàm fieri possit, derogetur.

Tertiò probatur, quia vbi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: vbi proximè *nu.* 8. ergo cum dicta Constitutio Leonis X. aliam distinctionem, præter redditas supra, non apponat, necnos apponere debemus. 3

Probatur quartò, pro Ordine S. Hieronymi, & pro omnibus Religionibus, illius gaudentibus indultis, & privilegiis, in vim illi concessi à Pio Papa V. præcedenti dubio *num.* 9. recensiti. In quo quidem Religiosos ampliori favore prosequitur. Concedit enim posse illos tumulari in interdicto generali, & in speciali, etiam Apostolica apposito authoritate, apud suas Ecclesias, & Domus, cum Missa, alta voce, ianuis apertis, publicè, & cum assistentia fidelium illuc concurrentium. 4

CONCLVSIO II.

Quoad sepulturam Clericorum sæcularium, Dubio proposito respondeo, posse hodie illos sepeliri in Loco sacro, solùm generaliter interdicto, submissa voce, ianuis clausis, & exclusis excommunicatis, & interdictia, & campanis non pulsatis. 5

Et ratio est, quia licet Innocentius Papa III. *in cap. Quod in te, el* 11. *de Pœnit. & Remiss.* Clericis concesserit ex gratia, vt decedentes, si tamen servaverint interdictum, in Cœmeterio Ecclesiæ tumulentur; addit tamen *sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio.* Bonifacius Papa VIII. *in cap. Alma mater*, *el* 24. *& finali, de Sententia Excommunicationis, lib.* 6. vti benè adnotant Tamburinus Abbas *de Iure Abbatum, tom.* 2. *disput.* 16. *quæsito* 4. Bassæus *num.* 1. *verbo Interdictum, num.* 25. cum Sayro *in Thesauro, lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 6. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 44. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thom. disp.* 35. *sect.* 1. Bonacina *de Censuris, disput.* 5. *punct.* 5. *num. vlt.* Valerio Reginaldo *in Praxi, lib.* 32. *n.* 37. & Navarro *in Manuali, cap.* 27. *num.* 176. Ioanni. Baptista Lezana *in Summa quæst. Regularium to.* 2. *part.* 3. *verbo Interdictum, num.* 33. *in fine*: Ægid. Coninch *de Censuris, disput.* 17. *dub.* 2. *n.* 52. concessit sepeliri posse, cum Officio divino, Missa, & aliis solemnitatibus; submissa tamen *voce, & ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, & campanis etiam non pulsatis.*

Quoad clausulam *submissa voce*: advertunt præfatus Lezana, *vbi proximè, numero* 24. & Pellizzarius *in Manuali Regularium tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 59. ea voce recitanda esse divina Officia, vt exaudiantur ab aliis recitantibus, & ab his, qui intersunt Officio, non item ab existentibus extra Ecclesiam, nisi fortè ab aliquo curioso observatore: quod tamen non arguet (inquiunt) violationem interdicti. 6

Quoad

Quoad clausulam, *ianuis clausis*: adnotant prædicti Doctores, portas Ecclesiæ in qua Officia diuina peraguntur, debere esse ita clausas, vt impediant visum, auditum, & transitum, tàm ex parte viæ publicæ, quàm ex parte Claustri; non tamen esse necessarium, quod ita obseratæ sint, vt resistant volenti ingredi, aut quod ab aliquo Ianitore, ad talem effectum custodiantur.

8 Aduertit etiam Tamburinus, quod si Cœmeterium, vbi tumulatio fienda est, extra Ecclesiam sit, Officia intra Ecclesiam celebrentur: deinde cadauer in Cœmeterium, vt tumuletur, cum silentio transferatur. Ita ille, cum Suarez, *eadem sect.* 2. *num.* 10. & Bonacina, *loco citato*.

9 Quod autem de Religiosis dixi, de Nouitiis, commissis, & Donatis procedit, &c. vide infrà.

DVBIVM III.

An aliquorum Fidelium corpora, sepeliri possint in loco Sacro, more Ecclesiastico interdicti tempore, etiamsi illi Clerici non sint, aut Religiosi.

BREVIARIVM.

Dictio.

Nisi: *exceptiua est, & omnino præcedentibus aduersatur*, num. 13.

Interdictum.

Interdicti generalis, & specialis tempore possunt, ianuis clausis, exclusis interdictis sub Missa voce, Missas, & alia diuina Officia audire, & celebrare, ac Sacramenta ministrare & suscipere Monachi nostri, Nouitij, Commissi, Capellani, & Laici, qui intra septa locorum habitant nostrorũ, n. 10.

Medici.

Ordinarij Medici Minorum eisdem gaudent priuilegiis, ac gratiis, quibus ipsi Fratres, etiamsi Doctoris gradu insigniti non sint, n. 8.

Sepultura.

Possunt Regulares in suis Ecclesiis, tempore generalis interdicti, & in Cœmeteriis sæcularium, qui in eorum morabantur obsequiis, tumulare cadauera. num. 1.

Possunt etiam tumulare Procuratores, & negotia eorum gerentes, num. 6.

Medicos item suos, num. 3.

Chirurgos etiam Ordinarios, num. 9.

Capellanos similiter Monasteriorum, n. 10.

Laicos, qui intra Monasteriorum, & locorum suorum habitant septa, n. 10.

Possunt in interdicto particulari tumulare Confratres Ordinum, si fecerint Religiosis donationem inter viuos omnium bonorum suorum, sibi solùm reseruando vsumfructum quandiu vixerint à, numer. 11.

Possunt etiam Tertiarios, qui collegialiter viuunt, & Tertiarios, qui votum emittunt castitatis, numer. 15. 16.

Syndici.

Minorum, eorum vxores, & liberi, omnibus gaudent Indulgentiis, fauoribus & gratiis, quibus dicti Ordinis Fratres, n. 6.

RESPONDEO varia summos Pontifices concessisse diplomata in Religiorum fauorem, ratione quorum sæculares personas, diuersorum qualitatum, in suis Ecclesiis, tempore interdicti generalis localis tumulate benè, & licitè Regulares possunt. Libuit illas in distinctis conclusionibus recensere.

CONCLVSIO I.

1 Omnes, & singuli sæculares, qui in Religiosorum morantur obsequiis, possunt ab ipsis tempore interdicti generalis in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis sepeliri.

Ita docent Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom. 2. part. 1. tract. 8. capit. 5. q. 15. num.* 167. ex indulto Clementis Papæ IV. concesso Minoribus, relato, à Casarubio, *in Compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo interdictum, III. num.* 2. Hieronymus Roderiquez *in Compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 37. ibi. Item pueri seruitio Fratrum: & ibi: & operarij personaliter insistentes operibus eorum, familiares, & famuli actu seruientes. Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 1. part. 2. cap. 16. num.* 12.

2 Probatur Conclusio ex Constitutione Leonis Decimi, in fauorem nostræ Hispanæ Congregationis Benedictinæ, *suprà in hac disquisitione, n.* 28. *exscripta*: in quâ iuxta dicta *dub.* 1. *n.* 6. nobis facultatem fecit, sepeliendi in nostris Ecclesiis, tempore interdicti, tàm generalis, quàm specialis, quæcumque humana cadauera, & non solùm, quæ in Conclusione ista recensui. Idem probatur ex eiusdem Leonis Bulla, *num.* 29. reddita.

3 Probatur *secundò*, ex priuilegio Celestini Papæ Tertij Abbati, & Conuentui Sancti Facundi, *in disquisitione num.* 25. recensita. Ibi: & familiam vestræ Diuina Officia celebrare, & debita peragere sepulturæ.

4 *Tertiò* probatur Conclusio ex Bulla Martini Papæ V. *vbi proximè num.* 26. reddita, per quam concedit, Abbati, & Conuentui S. Benedicti Vallis Oletani, vt tempore interdicti generalis possint familiares, & seruitores continuos sui Monasterij in sua Ecclesia, aut Cœmeterio sepelire.

5 *Quartò* probatur ex Alexandri Papæ IV. indulto ab Emanuële Roderiquez relato, *to. 2. quæstionum Regularium quæst.* 114. *art.* 1. facto, ex libro Monumenta Ordinum, *in prima impressione, fol.* 31. *& in secunda, fol.* 114. *Concl.* 251.

CONCLVSIO II.

6 Possunt Regulares in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis, tempore generalis interdicti, sepelire Procuratores, & negotia eorum gerentes.

Hanc tenent Hieronymus Roderiquez, *in Compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 38. Lezana, *tom. 1. part. 2. cap.* 17. *num.* 17. cum Sorbo, *in Annotationibus ad Compendium Mendicantium, verbo, interdictum III. §.* 5. Qui tamen Lezana dicit: non videò expressum priuilegium quoad hoc pro dictis Procuratoribus: & ita non est id faciendum, nisi constet de illo, & quod non sit viuæ vocis Oraculum. Hæc ille. Sed Pellizzarius, *in Manuali, tom. 2. part. 1. tractat.* 8. *cap.* 5. *quæst.* 15. *num.* 167. ait, id benè posse Regulares, in vim Bullæ Sixti Papæ IV. concessione in illa facta Fratribus Minoribus. Et Emanuël Roderiquez, *dicta quæst.* 114. *art.* 1. idem docet, ex dicta Alexandri IV. concessione: & *artic.* 2. duas refert con-

cessiones factas pro Procuratoribus Syndicis, alteram Sixti IV. & alteram Clementis VII. quarum quidem vigore, non solùm Syndici Fratrum Minorum, sed etiam Syndicorum vxores, & filij admitti possunt ad Diuina à dictis Fratribus interdicti tempore, ac per consequens ad sepulturam Ecclesiasticam, iuxta dicenda infrà *dub.* 4. *& ar.* 3. recenset eundem Clementem concedentem dictis Syndicis, quod perpetuis futuris temporibus, ipsi & eorum vxores & liberi, omnibus & singulis indulgentijs, fauoribus & gratiis, quibus Fratres Ordinis Minorum obseruantiæ vtuntur, & gaudent, seu vti potiri, & gaudere poterunt in futurum, vti potiri, & gaudere possint. Ita refert Emanuël, *ex Compendio Mendicantium, verbo Procuratores Fratrum*. §. 12.

CONCLVSIO. III.

7 Aduocatos Monasteriorum possunt in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis tumulare Regulares, tempore interdicti.

Tenet hanc Conclusionem Franciscus Pellizzarius, *loco proximè allegato*, ex Mare magno Carmelitarum, incipit, *Dum attentè*, quod ad amussim exscribit, prolixè exponit Ioannes Baptista Lezana *tom.* 3. inquisiro enim per Pellizzarium, *An Regulares vi suorum priuilegiorum possint in suis Ecclesiis sepelire defunctos, etiam tempore interdicti, & quos?* Respondet posse sepelire? & quidem (inquir) eos, qui morantur in ipsorum obsequiis. Et aliis recensitis, ait: *&* quoad Fratrum, Monialium, ac Tertiariorum Aduocatos, confirmata (Bulla scilicet Sixti IV. facta Minoribus) ab eodem Sixto pro Carmelitis, vt videre est penes Casarubium, *num.* 7. *&* 8. Hæc Pellizzarius. Qui benè aduertit, quod licet hæc concessio det tantùm directè facultatem vt tempore interdicti in Ecclesiis suorum Regulatium respectiuè possint ad diuina admitti. Indirectè tamen, & consequenter indulget, vt ibi etiam defunctis sepeliantur, cum iuxta Auilam, Nauarrum, & Coninchum relatos à Bonac. *disp.* 5. *de Censur. in comm. punct.* 4. *nnmer.* 6. probabile sit, Laïcos habentes priuilegium assistendi diuinis Officiis pro tempore interdicti, eo ipso posse sepeliri in loco sacro, ob rationes à Bonacina adductas. Et hoc Bonacina, & Doctorum ab eo allegatorum placitum, recenset Barbosa, *in cap. Cum & plantare, num.* 40. *in fine, el* 3. *de priuilegiis.* Sed de hoc, dubio agemus sequenti.

CONCLVSIO IV.

8 Medicos suos Ordinarios possunt Religiosi, interdicti tempore, in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis sepelire.

Hanc tenent Pellizzarius, *in Manuali Regularium tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 167. Hieronymus Roderiquez, *in compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 37. & Emanuël Roderiquez, *tom.* 2. *earundem quæstionum, quæst.* 114. *art.* 3. Ex quodam Alexandri Sixti priuilegio *apud compendium priuilegiorum Mendicantium in Monumentis Ordinum, el* 167. *in* 2. *editione fol.* 70. *aliàs concessione* 376. *fol.* 69. vbi ita fatur, prout refertur ab Emanuële præfato. Concessit, vt Medici Ordinarij Fratrum Minorum, & Sororum habeant eadem priuilegia, & gratias, quibus gaudent Syndici, & Procuratores eorum. Ex quibus quidem benè præfati obseruant Auctores, non cuicumque Medico id concedi, sed Medicis Ordinariis Religiosorum vtriusque sexus. Secundò obseruat Emanuël Roderiquez huiusmodi Medicos priuilegiis prædictis posse potiri, & gaudere, absque gradu Doctoratus: qui non à dignitate graduum Medici, sed à medendo nuncupantur. Et ita Syluester, *verbo Medicus*

CONCLVSIO V.

Possunt etiam Regulares, tempore interdicti, in suis Ecclesiis sepelire & in Cœmeteriis Chirurgos suorum Monasteriorum. Ordinarios scilicet, iuxta modò de Medicis dicta. 9

Hanc tenet Hieronymus Roderiquez, *resolut.* 80. *num.* 37. cum Miranda, *in Manuali Prelatorum, tom.* 2. *quæst.* 38. *art.* 12. *Conclus.* 12. *&* 13. Portel, *verbo interdictum à num.* 72. *&* Henrico Villalobos, *in Summa, part.* 1. *tract.* 20. *difficult.* 7. *num.* 8. *&* 9. Quibus addi benè queit Emanuël *in dict. art.* 3. quatenus docet, priuilegium Medicis fuisse concessum, non quidem prout gradu decoratis, sed prout medentibus. Sed hoc munus, (in sua tamen linea) etiam adimplent Chirurgi. Ergo sicut Medico Ordinario Regularium priuilegium Alexander Papa Sextus concessit, ita & Chirurgo eorundem Ordinario, idem prorsùs priuilegium indulsit. Quare, meritò à præfatis Doctoribus extenditur ad Chirurgos, recensitum Alexandri priuilegium, non verò ad Barbitonsores, & sanguinis minutores.

CONCLVSIO VI.

In nostræ Hispanæ Congregationis Benedictinæ, & in Sanctæ Iustinæ Ecclesiis, & Cœmeteriis sepeliri possunt, tempore Interdicti, non solùm Monachi, Sed Conuersi, Commissi, & Nouitij, & Capellani nostri, & Laïci etiam, qui intra septa Monasteriorum, & locorum dictarum Congregationum habitant. Et idem fieri poterit, in aliarum Religionum Ecclesiis & Cœmeteriis, de cadaueribus similium personarum, si dictæ Religiones, nostris potiantur priuilegiis. 10

Hæc Conclusio certissima est, suppositis dicendis, dubio sequenti. Quia Eugenius Papa IV. præfatæ S. Iustinæ Congregationi, in Constitutione, *& si quaslibet personas, la* 9. *nostris* Bullarij authentici Hispani, *pridie Kalendas Iulij, Anno Dominica incarnationis, Millesimo Quadringentesimo, trigesimo Sexto*, sic inter alia concessit. Præterea si contingat Ciuitates, terras, vel loca, in quibus Monasteria, siue loca dictæ Congregationis existant, Ecclesiastico esse supposita interdicto, ipsi tamen dictæ Congregationis Prælati, Monachi, Conuersi commissi, Nouitij, & Capellani, nec non Laïci, qui intra septa ipsorum locorum pro tempore habitauerint, à profatæ Congregationis Monachis, ad id deputatis, ianuis clausis, interdictis exclusis, & submissa voce, Missas, & alia diuina Officia audire, & celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta licitè ministrare, & suscipere valeant. Hæc ibi: & in Constitutione, *Regularium vitam, la* 15. *dicti Bullarij* Congregationis, Hispanæ, *pridie Kalendas Iuly, Anni* 1436. eadem omninò, & eisdem prorsùs, Eugenius præfatus concessit, indulsit verbis. Quæ vtrique duplicata concessio deseruit, tàm pro speciali, quàm pro generali interdicto locali, siue à Iure, siue ab homine

ue apposito, vti benè aduertunt Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 2. part. 1. tract. 8. cap. 5. num. 167.* & Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 1. part. 2. cap. 16. num. 12. & 27.*

CONCLVSIO VII.

11 Confratres Ordinum sepeliri possunt à suis Regularibus tempore interdicti in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis.

12 Hanc tenent Lezana, *tom. 1. part. 2. cap. 15. n. 61.* Pellizzarius, *tom. 2. part. 1. tract. 8. cap. 5. quæst. 15. num. 167.* Samuëllij *in praxi de sepulturis, tract. 2. disp. 1. controuersia 11. Conclus. 13.* ex Bulla Ioannis Papæ XXII. dicti XXIII. in fauorem Ordinis Prædicatorum.

Qui autem sint Confratres isti, dicunt Pellizzarius, & Lezana, esse illos, qui licet maneant in sæculo, mutant habitum sæcularem, sunt etiam oblati ipsorum Religiosorum: faciuntque iis donationem inter viuos omnium suorum bonorum, sibi solùm reseruando vsum fructum quandiu vixerint. Et facilè colligitur *ex cap. Cum & plantare*, infrà recensendo. De his Confratribus mentio profectò fit *in cap. Vt priuilegia, el 24. de Priuilegiis*, vbi huiusmodi Confratribus Ecclesiastica conceditur, tempore interdicti, sepultura, ab Innocentio Papa III. in Concilio generali.

Sanè quibusdam Regularibus, Apostolica sedes indulsit (ait Innocentius *in allegato capite*) vt iis, qui Fraternitatem eorum assumpserint si forsitan Ecclesiæ ad quos pertinent; à Diuinis Officiis fuerint interdictæ, ipsoque mori contigerit, sepultura Ecclesiastica non negetur, nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti. Suos quoque Confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos. Hactenùs in Decretali præfata.

13 Quæ vtique Concessio, locum non solùm habet, interdicto locali generali, sed etiam in speciali, Tum quia vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Tum, quia priuilegium Religionibus concessum, maximè in corpore Iuris insertum, quale est modò redditum, late est interpretandum, ampliandúmque est, & extendendum quantum tenor patiatur verborum. Tum etiam: quia sufficienter exprimit Innocentius; indultum suum, interdictum comprehendere particulare, seu speciale, ibi: si forsitan Ecclesiæ ad quas pertinent, &c. Tum tandem: quia dicto *Nisi*: & clausulæ illæ, quibus additur: *excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti*: in vim illius, exceptiuæ sunt, & in effectu præcedentibus omninò aduersantur. Natura enim dictæ dictionis, semper est contradicere; vt latiùs dixi *in tract. de facultate eligendi sepulturam disquisit. 8. subsectione 1. §. 3. num. 1. & 12.* Cum igitur Innocentius Papa, in præcedentibus dixerit: *non negetur: non permiserint*: apertè conuincitur, illius voluntatem fuisse, concedere sepulturam omni Confratri non excommunicato, & nominatim non interdicto.

14 Prædicta tamen concessio, locum non habet respectu Confratrum, de quibus, *in cap. Cum & plantare, §. de Confratribus, el 3. de Priuilegiis*, vbi Alexander Papa III. in Concilio Lateranensi, ita decernit. De Confratribus, hoc constituimus, vt si non se prædictis Fratribus omninò reddiderint, sed in proprietatibus suis omninò duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum suorum sententia eximentur; sed potestatem, suam in eos; sicut in alios Parochianos suos exerceant, cum pro suis fuerint excessibus corrigendi.

CONCLVSIO VIII.

Possunt etiam Regulares, tempore interdicti, in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis Tertiarios vtriusque sexus tumulare, seu Fratres, & sorores de Pœnitentia, & eorum Procuratores. 15

Ita docent Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom. 2. part. 1. tract. 8. cap. 5. quæst. 15. n. 66.* Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 1. part. 2. cap. 15. num. 36.* Hieronymus Roderiquez *in Compendio quæstionum Regularium, resolut. 80. num. 38.* ex Bulla Sixti IV.

Sed quoad Tertiarios, intelligenda est Conclusio de Tertiariis, qui collegialiter viuunt, seu in communitate; quoad Tertiarias autem, sufficit; quod habitum Ordinis ad quem pertinent gerant; & quod votum Castitatis emittant. Aliàs priuilegiis Ordinis neutiquam gaudebunt, viri aut Fœminæ Tertij Ordinis, seu Fratres, & Sorores de Pœnitentia, prout declaratum est à Leone Papa X. in Concilio Generali Lateranensi in Constitutione, *Dum intra mentis*, in publica sessione edita *die 19. Decembris, Anni* 1516. de quâ Lezana, *tom. 1. part. 2. cap. 14. de Tertiariis Regularium num. 27.* Vbi inter alia, quoad interdictum, ita diffinitur. Videlicet.

Et ne Censura vilescat Ecclesiastica, & minoris authoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti Tertij Ordinis, ad Diuina audienda in Ecclesiis suorum Ordinum, tempore interdicti, nullatenùs admittantur si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus auxilium, consilium vel fauorem quoquomodo præstiterint. Ita ibi. Ex quo quidem necessario, à contrario sequitur sensu, quod benè possint ad diuina audienda admitti huiusmodi Tertiarij si causam non dederint interdicto, vel causam ipsam non nutriant, aut foueant: ac per consequens, quod benè queant interdicti tempore sepeliri in suorum Ordinum Ecclesiis, ac Cœmeteriis, iuxta dicenda *dubio quarto* sequenti. Cum, quia vti Leo X. ibi; priuilegiis, quibus Fratres Ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debent. Tum etiam, quia vti probabo *dicto dub. 4.* qui ad Diuina admittuntur Officia tempore interdicti, licitè admitti queunt ad sepulturam. 16

DVBIVM IV.

An Laïci habentes priuilegium assistendi Diuinis, interdicti tempore, Sepulturæ Ecclesiasticæ tradi possint?

BREVIARIVM.

Interdictum.

Quando Missa pro die obitus celebratur interdicti tempore, suspensum illud manere vsque quo illa, & omnia Officia ad funus pertinentia absoluta sint, probabile est; probabilius est contrarium, numer. 5.

Sepultura.

Sepultura.

Propter duo negatur tẽpore interdicti: I. ratione Officij diuini annexi. II. Ratione dependentiæ ad Ordinem sacrum, propter Ecclesiæ consecrationem, n. 4.

Concessa celebratione diuinorum, conceditur sepultura mortuorum, n. 5.

Sepeliri possunt Laici tempore interdicti, qui priuilegium habent diuinis assistendi à n. 2.

1 PRocedit dubij præsentis difficultas tàm vigore Priuilegiorum concedentium interdicti suspensionem in aliquibus Festiuitatibus, vti contingit, *in cap. Alma mater, el final de sententia excommunicationis, lib. 6.* in Constitutionibus Leonis X. in nostræ Hispanæ Congregationis Fauorem editis, & suprà *in disquisitione, num.* 28. & 29. redditis, & in similibus aliis: quam concedentium admissionem aliquarum ad Diuina personarum, exclusis aliis, interdicto non suspenso. Huiusmodi sunt priuilegia Bullæ Cruciatæ, & alia à nobis, *vbi proximè*, recensita, in quibus aliqui admittuntur, & celebratio diuinorum conceditur, cum limitationibus tamen illis: *submissa voce: non pulsatis campanis: & clausis ianuis.*

CONCLVSIO

2 Dubio affirmatiuè respondeò cum Francisco Pellizzatio, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 50. vbi allegat Sotum, *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. *post.* 4. *Conclusionem*. Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 44. *num.* 5. Nauartum, *in Manuali, cap.* 27. *num.* 181. Angelum, *verbo interdictum* 6. *num.* 35. & 46. Auilam, *de Censuris, par.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. Syluestrum, *verbo interdictum*, 5. *quæst.* 2. Tabienam, *eodem verbo* §. 11. *circa medium*. Megalam, *in* 3. *partem, lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 1. *num.* 44. Moscosum, *in Summa, tract.* 16. *cap.* 8. Crucem *in Directorio part.* 2. *de Cessat. dub.* 1. *Conclus.* 3. addo Franciscum Mariam Samuëllium *in Praxi de sepulturis tract.* 2. *disp.* 1. *controuers.* 12. *Conclus.* 2. Augustinum Barbosam, *in cap. Cum & plantare*, §. *Quod si Templary, num*, 4. *el* 3. *de Priuilegiis*. Emanuëlem Roderiquez, *tom.* 2. *quæstionum Regularum, quæst.* 112. *art.* 2. *versic. Sextò*, vbi in hæc prorumpit verba.

3 Sed miror certè, quod dixerit Collector, virtute dictæ concessionis, non posse Fratres mortuos sepelire. Nam secundùm ius, poterant ipsi eos sepeliri tempore, quo suspenditur interdictum pro celebratione Diuinorum, cum concessa Diuinorum celebratione, concedatur etiam sepultura mortuorum. Hæc Emanuël. Quo circa ait Pellizzarius *vbi proximè, tract.* 8. *capit.* 5. *quæst.* 15. *num.* 167. quod licet concessio det tantùm directè facultatem, vt tempore interdicti possint isti aut illi fideles ad Diuina Officia admitti, indirectè tamen, & consequenter indulget, vt ibi etiam defuncti sepeliantur. Addo etiam pro dubij affirmatiua resolutione, Hieronymum Roderiquez, *in Compendio quæstionum Regularium, resolut.* 80. *num.* 28. Eligium Bassæum, *tom.* 1. *verbo interdictum II. num.* 19. recensentem, & sequentem Gregorium Sayrum, *in Thesauro lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 11.

4 Nostram sententiam tenent etiam Bonacina, de Censuris, *disp.* 5. *punct.* 4. Ioannes de la Val, *in illius Compendio, verbo sepultura, num.* 18. Diana, *part.* 5. *tract.* 10. *resolut.* 67. cum Sà, *verbo interdictum, num.* 8. & Tanneto, *tom.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 10. *dub.* 8. *num.* 160. & illam probat, dicens. Sepultura negatur propter duo. *Primò*, ratione Diuini Officij annexi. *Secundo* ratione dependentiæ ad Ordinem sacrum propter consecrationem Ecclesiæ: vndè nec in loco sacro sine Diuino Officio, nec extra locum sacrum cum Officio diuino fieri potest. Ergo quando vtrumque licet ex priuilegio, consequenter licebit sepultura. Probatur consequentia: nam cui Communicamus viuo, possumus communicare defuncto. Vide circa hanc probationem textus quos allego tract. isto *disquisit.* 3. *num.* 3. 4. 7. & 11.

Non nego tamen probabilissimam esse sententiam negatiuam, quam sequitur Petrus Cornego, 5
in 3. *part. tract.* 5. *de interdicto, disp.* 3. §. 4. *quæst.* 1. Præpositus *in* 3. *part. quæst.* 4. *de interdicto, dub.* 3. *num.* 41. Huttadus, *eodem tractatu, difficult.* 9. *n.* 30. Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 38. *sect.* 1. *num.* 13. Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 19. *difficult.* 8. *numer.* 4. Metcerius, *in* 3. *part. quæst.* 24. *de interdicto, dub.* 4. Filliucius, *tom.* 1. *tract.* 18. *cap.* 3. *num.* 96. Alterius, *de Censuris tom.* 2. *disp.* 6. *cap.* 3. penes Dianam, *loco citato*, Ægidius Coninch, *de Censuris, disp.* 17. *dub.* 2. *num.* 55. Gordonus, *in Theologia Morali, tom.* 2. *lib.* 7. *quæst.* 16. *cap.* 4. *numer.* 44. Vgolinus *de Censuris, tabula* 5. *cap.* 9. §. 3. Glossa, *in cap. Eos qui verbo, à Iure el* 1. *Clementina de sepulturis*, vbi ita fatur. In quatuor verò festiuitatibus, in quibus eo tempore celebrari potest alta voce, &c. De quibus *in Decretali vlt.* §. *per vlt. de sententia excommunicationis lib.* 6. non puto posse mortuos sepeliri, licet multoties fuerit contrarium obseruatum. Et hoc benè probat Decretalis, *Cum & plantare*, §. *quòd si, de Priuilegiis*. Hæc Glossa.

Ratio istius sententiæ est, quia priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, est effectus interdicti, distinctus à priuatione Diuinorum Officiorum, nec censetur illi necessariò connexus, & proinde, sepultura non solùm ratione diuini Officij prohibetur, sed etiam ratione sui. Vndè ex vnius concessione, non benè alterius infertur concessio.

Illud hîc adnoto, quòd si hodie v.g. cadauer tumuletur sine Missa, & crastina die Missa pro die obitus celebranda sit, suspensum manet interdictum vsque quo illa, & omnia Officia ad funus pertinentia sunt absoluta. Ita Pellizzarius, *dict. tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 47. cum Portell. *de Dubiis Regularium, verbo interdictum, num.* 2. Emanuël Roderiquez, *to.* 2. *quæstionum Regularium quæst.* 112. *art.* 5. *versic. Vndè dicta*. Tamburinus, *de Iure Abbatum, disp.* 16. *quæst.* 4. *versic. Est autem. In tom.* 2. *pag. mihi* 203. 6

DVBIVM V.

An nominatim interdicti, & denunciati, & qui dederunt causam interdicto, tumulari in Loco Sacro, si pœnituerint, queant?

BREVIARIVM.

Dictio.

Nisi exceptiua est, & omnino præcedentibus aduersatur, num. 3.

Talis est virtutis, vt si negationi adhæreat, omnino affirmet, ita vt tollat facultatem faciendi, nisi in casu excepto; & si affirmationi postponatur, omnino

nino neget: relinquendo scilicet facultatem faciendi in omnibus, præter exceptum, casibus, n.3.

Interdictum.

Cui ingressus Ecclesiæ est interdictus; celebratio est interdicta diuinorum in ea, n.3.

Irregularitas.

Irregularis efficitur, qui ab ingressu interdictus Ecclesiæ, in ea se ingerat, in suo agens Officio, n.3.

Sepultura.

Ecclesiastico more tumulari possunt nominatim interdicti, & denunciati, etiamsi causam interdicto dederint, si cum signis decesserint pœnitentiæ, num.2.3.

Etiamsi nulla præcesserit interdicti absolutio, aut relaxatio, num.7.

An autem hoc sit verum, solùm in interdicto ab Ecclesia ingressu, non est ita certum, n.4.5.

Pars negans refertur.

1 PArs negatiua suaderi potest, non solùm ex eo, quod expresse sit in Iure Canonico prohibita sepultura Ecclesiastica, nominatim interdicto, & denũciato, *cap. Episcoporum el 8. de Priuilegiis, lib.6. cap. Is cui, el 20. de sententia excommunicationis, eodem libro. Clementina, eos, de sepulturis. Et in Rituali Romano Pauli Papæ V. in Rubrica de exequiis.* Sed ex eo, quod priuilegia suspensionem interdicti, eoque durante, sepulturam fidelibus in Ecclesiis, & Cœmeteriis concedentia, in plurimum cum clausula *exclusis nominatim interdictis, & excommunicatis*: concedantur, & non raro cum ista: *Dummodo causam non dederint interdicto.* Recensui in disquisitione, pro vna, & altera clausula, priuilegia nonnulla, à *n.*25.

CONCLVSIO

2 Affirmatiuã nihilominus sententiã, sequendã censeo, docentẽ quidem posse in Ecclesiis, & Cœmeteriis tumulari, Ecclesiastico more, nominatim interdictos, & denũciatos, etiamsi causam dederint interdicto, si cum signis illi decesserint pœnitentiæ.

Illam tenent Eligius Bassæus, *tom.1. verbo, interdictum, II. n.*23. Diana, *part.5. tr.10. resolut.*74. cum Bonacina, *de Censuris, disp.5. punct.5. n.*11. Cornexo, *in 3. par. D. Th. tr.5. de interdicto, disp.2. §.4. q.*2. Ausonius, Noctinot, *in compendio Dianæ, verbo interdicti personalis effectus, n.*20. Leander à summo sacramento, *to.4. de Censuris, tr.5. de interdicto, disp.7. q.*8. cum Ioanne Andrea, & Franco, *in dictum caput, Is cui.* Ancharrano *ibidem* Henriquez, *lib.13. c.32. n.*2. Innocentio, & Geminiano penes Couarruuiam Auilam, & Alterium. Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, to.2. par.1. tr.7. c.4. n.*46. Augustinus Barbosa, *in dictum caput, Is cui, n.*8. cum nostro Sayro, *in Thesauro lib.4. c.7. n.20. & c.9. n.*24. Francisco Suarez, *to.5. in 3. par. disp.38. sect.1. n.*20. Auila *de Censuris, par.5. disp.4. sect.3. dub.5. Conclus.*5.

3 Nostra innititur sententia dicto capiti. *Is cui*, in quo Bonifacius, Papa VIII. sic decernit. Is, cui est Ecclesiæ interdictus ingressus (cum sibi per consequens cẽseatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur si cõtra interdictũ huiusmodi, Diuinis in ea se ingerat in suo agens Officio, sicut prius. Talis quoq; si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico (nisi pœnituerit) sepeliri. Hæc Bonifacius. Dictio autem *Nisi*: talis est virtutis, & efficaciæ, vt si negationi adhæreat, omnino affirmet. Illuminatus Moronus *in centum responsis, responso* 28. *nu.*20. Th. Sanc. *de Matrimonio, to.1. disp.19. n.3. ex l. Si eum, §: Qui iniuriarum, §. Si quis cautionibus l. Actione, Cod. de Trãsactionibus*. cum Bart. & aliis scribentibus ibi. Dino *in cap. Peccatum, de Regulis Iuris, n.2. el 4. de Regulis Iuris, lib.6.* Iasone, *institutia de Actionibus, in principio, nu.*3. & Rebuffo, multos admodùm referente, allegante, *de Verborum significatione Lege* 216. *ad finem §. Nisi.* Quando igitur dictio præfata affirmatiuæ postponitur; relinquit facultatem faciendi in omnibus casibus, præterquam in excepto; quando autem postponitur negatiuæ, tollit facultatem faciendi, nisi in excepto. Ita Moronus *vbi proximè: & responso* 47. *n.*3. sic ait. Dictio enim illa: *Nisi* est exceptiua, & in effectu aduersatur præcedentibus, vt in *l. Actione*, vbi Bart. Iason, & alij *Cod. de Trãsactionibus*, & in Regulam *Peccatum, de Regulis Iuris in* 6. Socinus Iunior, *consilio 163. n.36. volum.*2. Federicus de Senis, *consil.80. n.*2. Alexander *consil.64. lib.*4. & ponitur (addit) priuatiuè, & aduersatiuè quoad præcedentia. Gratianus, *Disceptationũ forensium, to.3. c.446. n.*41. Rota apud Farinacium, *decis.391. n.14. par.1. Recentior.* Sed dictio *Nisi* in præfata Decretali negationi sepulturæ adhæret, & illi postponitur, eidemque aduersatur priuatiuè, vti ex textu ipso manifestè apparet. Ergo in ista decretali omninò tollitur facultas sepeliẽdi in loco sacro interdictũ personaliter, qui non pœnituerit relinquendo facultatẽ omnimodã tumulandi personaliter interdictõ, si decesserit pœnitens.

Quod si petas, an sententia nostra procedat; & sit vera, quando quis interdictus est personaliter ab ingressu Ecclesiæ tantùm; an verò, quando etiam separatur personaliter, & nominatim ab omnibus, quæ generaliter prohiberi solent per interdicti Censurã, videlicet à Sacramentis non necessariis, ab omnibus diuinis Officiis, & ab Ecclesiastica sepultura? Respõdeo. quod Doctores nostri diuersimodè in hac parte sentire, saltem prima facies videtur. Alij enim dicunt sententiã, quam sequimur, ac ipsi sequuntur, verum esse, & procedere, quando interdictus nominatim solũ separatur ab ingressu Ecclesiæ, secùs verò, quãdo vllum alium effectũ interdictum operatur. Ita sentire videtur Barbosa, Bonacina, Bassæus, Diana, & Noctinot, *locis suprà num.*2. allegatis, quia de interdicto tantùm ab ingressu Ecclesiæ, in recensitis locis sermonem faciunt. Et quidem Decretalis præfata, *Is, cui* solũ prohibitũ supponere videtur ingressũ Ecclesiæ. 4

Pellizzarius autem, *loco reddito*, de omni interdicto, seu de illo, quo quis arcetur ab omnibus, quæ generaliter per hãc Censurã separantur fideles, loqui videtur, cũ eius responsum, & resolutio, quæstioni sibi propositæ, respondere debeat. Illa quidẽ omne interdum comprehendit personale. Huiusmodi enim est. *An Religiosus interdictus denunciatus possit sepeliri, in loco sacro, si moriens dedit, signa cõtritionis, sed tamen non fuit absolutus, neque in foro conscientiæ, neque in foro exteriori?* & probari potest Pellizzarij sensus; provt illius fuisse videtur. Quia eadẽ est ratio, quoad præfatam concessionẽ Bonifacij, in dicta Decretali, in quolibet alio interdicto personali, ac est in interdicto ingressus Ecclesiæ (sicut enim per aliud quodlibet interdictũ, priuatur persona interdicta Ecclesiastica sepultura, sic etiam per interdictum ingressus Ecclesiæ, & è conuerso.) Ergo eandem indulsit concessionem pro omni interdicto personali, ac pro interdicto ingressus Ecclesiæ. 5

Quod si iterum quæras, An qui cum pœnitentiæ signis decessit interdictus nominatim, aut denique denunciatus possit sine alia absolutione, aut interdicti relaxatione, in Ecclesia, aut Cœmeterio, provt de Ecclesiæ more tumulari? Partem negatiuam tenent Leander, *vbi suprà, numer.* 2. *versic: Sed probabiliùs* cum Suarez *dicta sect.1. n.*21. Fillio- 6

cio, *tr.* 18. *c.* 5. *q.* 5. *n.* 121. Bassæus, *dicto n.* 23. Pellizzarius cum Bonacina, *disp.* 5. *punct.* 4. *n.* 11. Huius sententiæ ratio est. Quid licèt in dicta Decretali *Is, cui*, concedatur interdicto pœnitenti Ecclesiastica sepultura; seruato tamen debito ordine: quod nimirùm interdicti præcedat absolutio, & relaxatio.

7 Sententiam nihilominùs affirmatiuam, constanter tenent Diana, & Noctinot, *dicto n.* 2. allegati, cum Gotnexo in hæc prorumpente verba. Quæres, an hoc interdictum priuet Ecclesiastica sepultura? Respondetur affirmatiuè, ex textu in *cap. Is cui*, ibi. Talis quoque si hoc interdito durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri. Vbi nota, quod vt iste talis sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali interdicto ab homine facta, vt cum Couarruuia docet Auila, *part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 3. *dub.* 1. *conclus.* 1. & ratio est. Nam eo ipso, quòd decessit cum Pœnitẽtia, mansit absolutus à Iure; siquidem hoc interdictũ quantum ad hunc effectum positum erat, nisi pœnituerit. Atque ità conditione impleta, sublatum manet. Ità Cornego, cuius placitum, præter Dianam, & Noctinot, sequitur Samuëllius, *de sepulturis, tract.* 2. *disp.* 1. *controuersia* 11. *conclus.* 14.

DVBIVM VI.

An Regulares, tempore interdicti Localis, tumulare queant in suis Ecclesiis, & Cæmeteriis, cum solemnitate, secularium cadauera aliquorum?

BREVIARIVM.

Commissi.

Commissi, qui & oblati, vulgò Donados, sunt qui professionem non emittunt, n. 6.

Eisdem gaudent priuilegiis, quoad sacramenta, & sepulturam, quibus Religiosi, n. 1. 2.

Confessio.

Regulares possunt audire confessiones familiarium, & seruitorum suorum actualium, n. 3.

Possunt & Parentum, Fratrum, Consanguineorum, Affinium, Amicorum, Chirurgorum & omninò extraneorum in locis Regularium ad mortem ex improuiso, infirmantium, in Samuëlly sententia; n. 7.

Conuersi.

Illi sunt, qui in Religione approbata habitu mutato, professione solemni trium votorum, extra chorum, obsequiis humilioribus Monasteriorum addicti sunt, nu. 6.

Priuilegia.

Priuilegiis Regularium gaudent quoad sacramenta ab eis recipienda, & quoad sepulturam; eorum Donati, n. 1. 2.

Sacramenta.

Ministrare possunt Regulares in consultis Parochis, familiaribus, & seruitoribus suis actualibus, & sub eorum obedientiâ, intra Regularium domus viuentibus, num. 2. 4. 6.

Imò extra Claustrum degentibus, n. 5.

Sepultura.

Possunt Regulares tempore interdicti localis, in Ecclesiis, & Cæmiteriis suis, cum eadem solemnitate, quâ Monachos, Laïcos quoslibet, intra septa, & Clausuram degentes, sepelire, n. 1. 8.

Inconsulto Parocho, possunt Regulares tumulare, familiares, seruitores, & intra Regulares Domos sub eorum obedientia viuentes, n. 2. 4. 6.

Eis etiam extra clausulam degentes sepelire, n. 5.

Possunt itèm quoslibet, in eorũ locis decedentes sine electione sepulturæ, aut sine Maiorũ Sepulchro, in Ecclesia Regulari, inconsulto Parocho, tumulare, num. 7.

CONCLVSIO

Respondeo benè posse Regulares in Ecclesiis, & Cœmeteriis suis oblatos, seu Donatos, & Cõmissos, seruitores, seruitrices, Clericos, Capellanos, imò & Laïcos quoslibet intra Monasteriorum septa, & clausuram degentes interdicti tempore, cum eadem solemnitate, quâ Monachos, & Fratres Clericos, & Laïcos ad Chorum non deputatos, sed ad seruilia Monasteriorum, sepelire. Ratio est, quia eisdem gaudent Oblati, Donati, & Commissi priuilegiis, quoad sacramenta ab ipsis Regularibus recipienda, & ad sepulturam in suis Ecclesiis, & Cœmeteriis pariter, more Ecclesiastico recipiendam, quibus fruuntur ipsi Religiosi vtriusque sexus, non solùm Nouitij, sed etiam professi, vti benè docet Franciscus Maria Samuëllius, *in Praxi de sepulturis, tr.* 1. *disp.* 4. *controuers.* 18. *conclus.* 4. *pag. mihi* 317. 1

Et quoad sacramenta quidem, & Sepulturam, docet Ioannes Ægidius Trullench, *tom.* 3. *tract. de Officio Parochi, cap.* 9. *dub.* 1. *num.* 5. in hæc prorumpens verba, Videlicet.

Possunt tamen Regulares in suis Ecclesiis, Parochis inconsultis, suos familiares, & seruitores sepelire, eisque sacramenta ministrare, modò tamen dicti actualiter Religiosis inseruiant; & intra Monasteria, aut loca Religiosorum commorentur, & sub eorum obedientia viuant. Constat ex concessione Clementis IV. & Sixti V. apud Fratrem Ioannem de la Cruz, *de statu Religios. lib.* 2. *c.* 6. *dub.* 1. *n.* 1. *& c.* 5. *dub.* 4. & maximè ex Tridentino, *sess.* 24. *cap.* 11. *de reformatione*, ibi: exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut militiis actu inseruiunt, & intra eorum septa, ac domos residens subque eorum obedientia viuent. Quæ omnia copulatiuè requiruntur, vt ij familiares dictis priuilegiis gaudere possint, vt tenet Bellarminus *in declarationibus super Tridentinũ sess. citata* iuxta Bullam 67. *Circunspecta* Gregorij XIII. Vide Fratrem Ioannem de la Cruz, *vbi suprà dicto num.* 1. *in fine, & cap.* 6. *dub.* 1. *num.* 1. vbi refert hanc Sacræ Congregationis declarationem. 2

Congregatio Concilij censuit, dictos Religiosos audire posse Confessiones sæcularium, qui sunt de sua familia, & continui commensales; non tamen eorum, qui deseruiunt in eorum Monasteriis. Vndè non est audiendus Hieronymus Rodriq. *in Compendio quæstionum Regularium resol.* 64. *n.* 1. vbi idem ostendit propter aliqua priuilegia ad eos, quos in Monasteriis contigerit infirmari: quia talia priuilegia, si quæ sint (non enim illa adducit) sunt abrogata per Greg. XIII. vt tenet idem la Cruz, & Doctores communiter. Imò idem Concilium, vbi suprà derogat omnibus priuilegiis dispositioni dicti Conciliis contrariis. Hucusque Trullench vbi se remittit ad dubium vltimum *dicti capitis noni, n.* 6. quo in loco ait. His adde probabilius, & verius esse, priuilegia Maris magni, & prædictarum litterarum esse reuocata, & redacta ad terminos Iuris communis à Gregorio XIII. in Constitutione, quæ incipit, *in tanta negotiorum mole.* Ità ibi Ægidius. Declaratio S. Congregat. quam ipse recenset, sub hoc tenore fuit executioni demãdata ab Illustr. Nuncio Apostolico, Matriti, *sub die* 15. *Octobris* 1625. cuius executoriales litteras authenticas penes me habeo, videlicet. An Prælati Regulares siue alij Religiosorum Confessores possint audire Confessiones sæcularium, qui sunt de familia, aut alias deseruiunt in eorum 3

Monaste

Monasteriis, absque licentia, seu approbatione Episcoporum: de quo in hoc capitulo. Congregatio Concilij censuit, audire posse Confessiones sæcularium, qui sunt de familia, & cótinui commensales; non itèm eorum, qui deseruiunt in eorũ Monasteriis. Sed quoad reuocationem priuilegiorum Regularium, factam per Gregorium, in recensita Constitutione, Ægidium sequi nullatenus possum, ob ea, quæ alibi sæpè dico, præcipuè in hoc tract. *dub*. 8. huius disquisit.

4 Responsum autem nostrum probo, ex Constitutionibus Leonis Papæ X. in fauorẽ nostræ Congregationis Hispanæ editis, *Anno* 1515. *&* 1521. suprà *in tract. disquisitione, n*. 28. *&* 29. redditis. In priori quidem ibi: *Quodque Monachi non Presbyteri, Commissi, oblati, Donati, & seruitores*. In posteriori autem ibi: *Quodque Monachi, Moniales, Conuersi, Conuersæ, Nouitij, & Nouitiæ, ac Oblati, Donati, seruitores, & seruitrices*. Vtrobique enim præfati omnes admittuntur interdicti tempore ad Eucharistiam, & ad alia Ecclesiastica Sacramenta ac per consequens ad Ecclesiasticam sepulturam iuxta ea, quæ *dub*. 4. resoluta relinquimus.

5 Probo etiam ex Constitutione Celestini Tertij à Benedicto XIII. cõfirmata, *vbi proximè n*. 25. recensita ibi: *Clericis, & familia vestra Diuina Officia celebrare, & debita peragere sepulturæ*. Ex Constitutione Martini Papæ V. *n*. 26. allegata. Vbi ità concedit. *Liceat vobis familiares, & seruitores continuos.... ad audiendã Missam, & alia Officia diuina.... nec non Eucharistiã, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare, eorũmque corpora si apud dictum Monasteriũ elegerint sepeliri, in Ecclesia dicta, seu eius Cœmeterio, etiam huiusmodi tempore interdicti tumulari facere*. Circa vtramque aduertere libuit constitutionẽ, in neutra facultates in eis concessas, ad Clericos, familiares, & seruitores intra clausuram Monasteriorum degentium, seu commorantium limitari, sed absolutè illas à dictis Summis Pontificibus concedi, & absque illâ restrictione. Vndè illis potiri, & gaudere poterunt familiares seruitores, seruitrices, Capellani, & Clerici Regularium extra istorũ clausurã, & septa habitantes.

6 Vlteriùs probo responsum dubij, ex Constitutione Eugenij Papæ IV. incipit, *Etsi quaslibet personas, la* 9. Bullarij nostræ Congregationis, pridie Kalendas *Iuly* 1436. edita, in quà sic indulsit. Præterea, si contingat ciuitates, terras, vel loca in quibus Monasteria, siuè loca dictæ Congregationis existant, Ecclesiastico esse supposita interdicto, ipsi tamen dictæ Congregationis, Prælati, Monachi, Conuersi, Cómissi, Nouitij, & Capellani, nec non Laïci, qui intra septa ipsorũ locorum pro tempore habitauerint à præfatis Cógregationis Monachis, ad id deputatis, ianuis Clausis, interdictis exclusis, & submissa, voce, Missas, & alia diuina Officia audire, & celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta licitè ministrare, & suscipere valeãt, præsentiũ tenore statuimus. Hactenùs Eugenius Papa, qui nõ solùm concessionẽ fecit Religiosis professis, & Nouitiis Monachis, sed etiam conuersis, qui in Religione scilicèt approbata habitu mutato, professione solemni trium votorũ, extra chorum obsequiis humilioribus Monasteriorũ addicti sunt, & Cómissis, seu Oblatis, Vulgo *Donados*, qui professionem Religiosam nõ emittunt, Capellanis, & (quod maius &) Laïcis quibuscumq; intra clausurã habitantibus vtcumque. Vtrumq; enim innuũt verba illa: *nec non Laici: & pro tẽpore*. Priuilegia enim seruata verborũ proprietate, amplè intelligi, & interpretari debent in fauorẽ Religionis, cui sunt concessa, & in animarũ subsidium, vti *dub*. 2. *n*. 3. diximus. His igitur omnibus facultatẽ facit, vt admitti benè valeant ad Officia diuina, ad Missas, & Sacramenta tempore interdicti localis, ac per consequens ad Ecclesiasticam Sepulturam iuxta dicta *dub*. 4.

Dictis modò consonat Samuëllius, *tr*. 1. *de sepulturis, disp*. 4. *controu*. 16. *Concl*. 7. *nn*. 20. *& seqq. pag*. 208. dicens, quod si in Monasteriis Monialiũ, tam intra clausurã, quàm extra in Ecclesia, aut in quolibet alio loco Monialium exempto, occurrat ex improuiso mortis periculũ, Parentibus, Fratribus, consanguineis, Affinibus, Amicisque Monialiũ, & Monasterij, imò Medico Chirurgo. Fabro, aut alio artifici, Aduenis, & omninò extraneis, de Iure debet illis Sacramenta omnia ministrare Confessor Monialiũ, & ab eo illa debent recipere, etiamsi ab Ordinario Loci approbatus ille non sit. Et si ibi de præsenti, absque sepulturæ electione, aut sine sepulchro Maiorũ suorum decedunt, ab eodemmet Confessario, & Vicario Monialiũ tumulari debent in Ecclesia Monialium, inconsulto Parocho. Hæc omnia Samuëllius, qui pro sua recenset doctrina, *n*, 25. Baldellum, consultum à Pellizzario *in Manuali Regularium, to*. 2. *par*. 2. *tr*. 10. *de Monialibus, c*. 10. *n*. 232. §. *Addo hîc obiter pag. mihi* 988. & Bordonum, *to*. 1. *Concil. Regul. resol*. 20. *n*. 18. §. *Viaticũ*. 7

8 Addidi consultò in resolutione, responsove dubij: *cum eadẽ solemnitate &c*. quia licèt in constitutionibus Celestini III., Martini V. & Eugenij IV. solemnitas limitetur per illas clausulas: *ianuis clausis: submissa voce*; à Leone tamen Decimo, tempore interdicti, alia quam Apostolica authoritate appositi, concedit celebrationem Missæ, & Diuinorum Officiorum, apertis ianuis, pulsatis campanis, quãdo contigerit tradere in nostris Ecclesiis, & Cœmeteriis sepulturæ Ecclesiasticæ humana cadauera. Quæ cócessio cùm nõ limitet cadauera, de omni, & singulo intelligi debet, tàm ex recẽsitis, quàm ex reliquis omnibus, quæ speciali notâ excómunicationis, aut interdicti nominatim, digna non sint.

DVBIVM VII.

An quæ dixi, in sex dubiorum præcedentium responsis, circa facultatem tumulandi in loco sacro, cum parua, magnave solemnitate, tempore interdicti, locum etiam habeant, Cessationis à Diuinis tempore, respectiuè quoad personas, seu cadauera sepelienda?

BREVIARIVM.

Bulla Cruciatæ.

Facultatem non concedit sepeliendi tempore cessationis, sed interdicti, n. 9. 10.

Cessatio à Diuinis.

Alia est, quæ fit ex priuilegio concesso Capitulo, conuentui, vel collegio alicui erga Ecclesias proprias, vel alienas, pro repellenda iniuria communitati irrogata, num. 1.

Alia est, quæ à Superiore imponitur, Iuris dictionem habente contentiosam, num. 2.

Cessatio in 2. acceptione, est pœna priuans omnibus diuinis laudibus in Ecclesia, imposita ad correctionem iis, qui nolunt satisfacere, n. 2.

Cessatio ista, alia Generalis & particularis alia, sicut interdictum, n. 3.

Cessatio, & interdictum, in multis differunt, num.4. *& seqq. &* num.10.

*Cessatio à Diuinis non est Censura Ecclesiastica.*n.5.

Nulla Cessatio à Diuinis est in Iure expressa, n.7.

Per violationem Cessationis à Diuinis irregularitas non incurritur, n.6.

*Sacrum audire nequit tempore Cessationis à Diuinis, qui priuilegium habet audiendi illud tempore interdicti: in vim scilicèt dicti priuilegij.*n.9.

Cessatio à Diuinis, omnibus quibus interdictum non priuat, num.15.

Probabile est posse fideles secluso omni priuilegio tumulari tempore cessationis à Diuinis, omnia omni solemnitate, num.14.16.

Cessatio à Diuinis, est quid facti, non quid Iuris. Vndè illam alleganti, onus incumbit probandi, n.7.

Quæ tempore interdicti fieri possunt, in vim Iuris communis, & priuilegiorum Regularium, fieri tempore cessationis possunt, n.8.12.13.

Excommunicatio.

Qui inuitis Benedictinis *Hispanæ Congregationis, in eorum locis, Missas aut alia Diuina Officia celebrauerit, Ordines contulerit, causas agitauerit, processiones conuocauerit, &c. ipso Iure excommunicatus exictit,* n.1.

Irregularitas.

Non incurritur nisi in casibus, in Iure expressis, n.6.

Incurritur per interdicti, non per cessationis à Diuinis violationem, n.6.

Priuilegia.

Priuilegium in corpore Iuris insertum, extendi, quantum fieri possit, debet, n.8.

Priuilegium extendi non potest ad rem distinctam ab ea, quæ in illo conceditur, n.10.

Priuilegium Clericis, pro tempore interdicti concessum, potest ad cessationē à Diuinis extendi, n.16.

Sepultura.

Possunt Regulares, in suis Ecclesiis tumulare, tempore cessationis à Diuinis, eadē cadauera, & cum solemnitatibus eisdem, ac interdicti tēpore, n.11.12.

Tempore cessationis à Diuinis, nemo in vim Cruciatæ, sepeliri potest, n.9.

Nonnulla supponuntur.

1 SVppono Cessationem duplicem esse: Vna, quæ fit ex priuilegio concesso Capitulo, Conuentui, vel Collegio alicui erga Ecclesias proprias, vel alienas, iuxta eiusdem priuilegij tenorem, pro repellenda iniuria communitati irrogata. Ita Antonius Fernandez de Moure, *in examine Theologiæ Moralis part.2.cap.13.§.1. num.1. ex capite Si Canonicis, cap. Quamuis, & aliis, de Officio Iudicis Ordinarij.* Huius generis esse Cessationem inflictam ab Eugenio Papa IV. in Constitutione incipit, *Et si ex debito ministerij*, in fauorem Congregationis Sanctæ Iustinæ edita, nefas sit dubitare. Ibi enim prout exscribitur in nostræ Congregationis Hispanæ authentico Bullario, *Bulla 6. n.6.*
„ *fol.*16. ità decernit. Nec Congregationis personæ
„ huiusmodi, quod in eorum locis Missa, aut alia di-
„ uina Officia celebrentur, Ordines conferantur, vel
„ agitentur causæ ciuiles, seu criminales, processio-
„ nes cōuocentur, aut Synodus, Cōuentus, seu quæ-
„ uis Congregationes, tàm Ecclesiasticarum, quàm
„ Laïcarum personarum Congregentur, siue quod
„ huiusmodi Congregationis loca ad vsum, hospi-
„ tium, habitationem, detentionem, & incarceratio-
„ nem Ecclesiasticarum, aut Laïcarum personarum
„ deputentur astringi, seu cogi aliqualiter valeant,
contraque omnia, aut aliquod prædictorum quæ- „
uis persona cuiuscumque conditionis, vt præfertur, „
aut status existat attentare præsumens, nisi facta ei „
de huiusmodi indulto notitia destiterit, ipso facto „
sententiam excommunicationis incurrat.

2 Alia Cessatio est, quæ à Superiore habente iurisdictionem in foro contentioso imponitur. De qua quidem procedit dubium nostrum: & deffinitur à Trullench, in Bullæ Cruciatæ expositione, *lib.1.§.3.dub.2.n.10.* & à Nauarro, & Toleto, *tract. de interdicto, c.23.n.1.* penes Moure, *vbi proximè, n.2.* per hoc, quod sit *desistentia à Diuinis Officiis, & administratione Sacramentorum. In locum decreta* addit Ægidius. Ipse tamen Moure Cessationem hanc deffinit dicens. Est pœna, priuans diuinis laudibus in Ecclesia imposita ad correctionem ilis, qui nolunt satisfacere. Quæ vtique desistentia, omnimoda est, in loco Cessationi subiecto, ita vt in eo neque Missæ, neque Diuina Officia, neque vllus diuinus cultus, celebrari, exercerique valeat, etiam submissa voce, & ianuis clausis, & silentibus campanis, neque possit humanum sepeliri cadauer. Moure, *num.3.* cum LLamas, *part.1.cap.11.§.7.*

3 Cessatio, in secunda ista acceptione, potest diuidi, sicut interdictum in generalem, & particularem, seu specialē. Generalis contingit cessatio, quādo cessatus in toto vno Regno, Prouincia, Ciuitate, vel oppido. Ità Moure, *n.4.* cū Nauarro, *in Manuali, c.27.n.128.* Viualdo *in candelabro aureo, tit. de cessatione, n.4.* Perosin. *cap. Si Canonici vers. Cessare.* D. Antonin. *in Summa Maiori, par.3.26. cap.* §.1. Cessatio autem specialis, & particularis contingit, quādo in vna, vel pluribus Ecclesiiis, vnius Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, vel Oppidi, sed non in omnibus cessatur. Idem Moure, *ex Clementina 1. vers. In cessatione, de sententia excommunicationis,* Dominico, Præposito, & Frāco, *in cap. Si Canonici.*

Vlteriùs suppono, cessationem à Diuinis, & interdictum in multis differre, vti adnotat Moure *n.5.* cum Nauarro, *in Manuali, c.27.n.128.* Calderino, & Cardinali, quos Refert Viualdus, *dicto tit. de cessatione, n.5.* & claret (inquit Moure) *ex capite Alma mater, el final, de Sententia excommunicationis lib.6.*

Primò differunt, quia Summi Pontifices de Cessatione, à Diuinis, & de interdicto, tanquam de diuersis, in suis loquuntur Constitutionibus.

4 *Secundò*, differunt, quia interdictum est Censura Ecclesiastica; secùs verò Cessatio à Diuinis. Ægidius Trullench, in Bullā Cruciatam, *lib.1.§.3.dub.2.n.10.* Moure, *loco citato, n.7.* cum Nauarro. *dicto c.77.n.164.* & Toleto, *tract. de interdicto, c.23.n.1.*

5 *Tertiò* differunt in hoc, quòd in quacumque interdicti, siue generalis, siue particularis violatione, incurritur irregularitas. Moure, *n.6.* cum Bonifac. Cardinale, & Imola, *in Clementinam I. n.90.*

6 Sed in nulla incurritur Cessatione à Diuinis. Idem Moure, *num.6.* & 18. cum Innocentio, in *cap. Dilectis, n.3.* quem sequuntur (ait) Panormitanus, Perosi. & Præpositus, ibi, & Nauarrus *in Manuali c.27. n.188.* Syluester, *verbo Cessatio 3. quæst.5. &* Sotus, *in 4. distinct.22. quæst.3. art.3.*

Et ratio est, quia irregularitas non incurritur nisi in casibus in Iure expressis, vti decernitur in *cap. Is, cui el 20. de Sententia excommunicationis, lib.*6. & docent Moure, *n.18.* & omnes scribentes. Sed in Iure non apponitur vlla irregularitas ob violationē Cessationis à Diuinis: ergo nulla irregularitas incurritur per violationē Cessationis à Diuinis.

7 Differunt *quartò*, quia nulla Cessatio à Diuinis

est

est in Iure expressa, aut statuta; interdicta autem non pauca in eo statuta inveniuntur, vt videre licet *in cap. Quamquam el 4. de Censibus, lib.6.Clem. Si quis suadente Diabolo, la 1. de Pœnis, & in Extrav.Super gentes,vn.de Consuet.* & adnotat Moure *num.6.* cum Soto *in loco proximè allegato, art. 1.* & quia, & vt præfertur, nulla cessatio à Divinis statuitur in Iure, appellatur *quid facti*, & non *quid Iuris*. Adnotat idem Moure *num.6.* ex Panormitano *in cap. Dilectus, num. 8. de Appellat.* Fabiena *verbo Interdictum, 1. §. 1.* Rossella *verbo eodem, 4. §.9.* & Toleto *tract. de Interdicto, cap. 23. numero 1.* vnde alleganti Cessationem, onus illam probandi incumbit.

8 Ex dictis fit, verum non tenere, quod Eman. Roderiquez ait, *tom. 2. quæstionum Regularium, quæst.112.art.2. versic.Pro contraria*, ex Collectore privilegiorum Mendicantium, nimirùm, esse omninò idem Cessationem à Divinis, & interdictum generale; illud tamen, quod addit, habere scilicet locum *cap.Alma mater, el final. de Sentent. Excomm. lib.6.* tam in Cessatione à Divinis generali, quàm in interdicto, quoad facultatem celebrandi *ianuis clausis, &c.* Verum quidem est in sententia Ægidij Trullench, in Bullæ Cruciatæ expositione *lib.1.§.3.dub.2.num.10.* Quia ea, quæ fieri possunt secundùm ius commune, tempore Interdicti, fieri etiam possunt tempore cessationis à Divinis. Nó quia idem sint Cessatio à Divinis, & interdictum; sed quia privilegium in corpore iuris insertum extendi debet quantùm fieri possit.

Quibus suppositis, & præmissis, dubio proposito, libuit tribus Conclusionibus, respondere.

CONCLVSIO I.

9 Nollum cadaver licet in loco sacro tumulare, cum solemnitate aliqua, aut sine illa, tempore Cessationis à Divinis, particularis, vel generalis, in vim privilegij Bullæ Cruciatæ,

Ita docet Trullench *in dicta Bulla expositione lib.1.§.3. dub.2.num.10.* cum Covarruvia *in cap. Alma matr, de Sententia Excommunicationis, par.2.§.4.num.7. versic. Nec tamen*, cum Navar. *in Manuali, cap.27.num.188.* Medina *in Instruct. lib.1.cap.11.§.10.pag.47.* Lopez *cap. 6. de Bull.* Henriquez *lib.7.cap.13. num.4. in fine*: & Emanuële Roderiquez, in eandem Bullam, *§.5.nu.7.* & cum communi Doctorum: ita & Moure *in examine Theologiæ Moralis, par.2.cap.13. num. 8.* quatenùs docet, habentem privilegium audiendi sacrum, tempore interdicti, non posse, in vi talis privilegij, sacrum audire tempore Cessationis: sic ille, Argumento *canonis Privilegia, 3. distinct. cap.Porrò, & cap.Sanè, de Privil.*

10 Ratio autem conclusionis est. Quia Bulla Cruciatæ non concedit vllam facultatem sepeliendi in loco sacro; tempore Cessationis à Divinis, sed tempore interdicti: ergo in vim privilegij Bullæ præfatæ, nullum cadaver licet in loco sacro sepelire tempore cuiuscumque Cessationis à Divinis, cum solemnitate, aut sine illa. Antecedens ex ipsamet Bullæ inspectione apparet. Consequentia verò probatur. Interdictum, & Cessatio à Divinis distinctæ sententiæ sunt vti ex multis, in quibus differunt, ostendimus: & ex ipsa Ecclesiæ constat praxi. Non enim quoties Interdictum, Cessatio à Divinis ponitur, sed persæpè solet post interdictum Cessatio infligi. Sed privilegiũ extendi non potest ad rem distinctam ab ea, quæ in illo conceditur; vti benè Moure *num.11.* docet *ex l, Quod verò, de Legibus; cap. Quæ à Iure communi, el 28. de Regulis Iuris, lib. 6.* Glossa, & scribentibus *in Authent. Quas actiones, Cod. de Sacro sanctis Ecclesiis.* Quod maximè locum habet, quoties verba privilegij, extensionem non patiuntur. Quam quidem, Bullæ Cruciatæ tenor, minimè patitur: ergo istius concessio pro tempore interdicti, extendi nequit ad tempus Cessationis à Divinis.

CONCLVSIO II.

Possunt Regulares; tempore Cessationis à Divinis, eadem cadavera, & cum eisdem solemnitatibus, in suis Ecclesijs, & Cœmeterijs tumulare, ac possunt interdicti localis tempore. 11

Hanc tenent Tamburinus *de Iure Abbàtum, tom.2. disput.16. quæsito 4.* Emanuël Roderiquez *tom. 2. quæstionum Regularium, quæst. 112. art. 2.* Peyrinus *de Privileg. tom. 1. constit. 2. Sixti IV. num. 51.* cum eodem Roderiquez *loco citato, & in Cruciatam, §. 5. num.15.* & Guttiertez *lib. 1. Canonicar. qq. cap.10.* plures allegante Doctores, *n. 4.* Æligius Bassæus *tom.1. verbo Interdictum II. nu.26. in fine*: Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regularium, tom.1. par.1.cap.21. n.20.* Hieronymus Roderiquez *in Compendio quæstionũ Regularium, resolut.80. num. 26.* Franciscus Maria Samoëllius *in Praxi, de Sepultur. tract.2. disput.11. controv. 11. conclus. 12. num. 20.* vbi ita fatur. Et quod de interdicto diximus, asserimus de cessatione à Divinis, quoad sepulturam præstandam, tum Regularibus, tum Clericis, etiam primæ tonsuræ.

Probatur Conclusio, *primò*, ex Constitutionibus Leonis Papæ X. & Iulij III. suprà *in hac Disquisitione, num.28.29.& 31.* redditis, in quibus eadem omninò præfati concedunt Pontifices pro tempore Cessationis à Divinis, ac pro interdicti localis tempore, vti ex illarum inspectione patet. Cùm ergo, in vim dictarum Constitutionum, possint Regulares humana cadavera in loco sacro sepelire; tempore interdicti, cum solemnitate, in Dubijs præcedentibus; explicata, poterunt eadem in suis Ecclesijs, & Cœmeterijs, cum eisdem solemnitatibus, tempore Cessationis à Divinis, tumulare. 12

Secundò probatur ex altera Constitutione eiusdem Leonis Papæ, quam recenset Emanuël Roderiquez *tom.2. quæstionum Regularium, quæst.112. art.2. versic. Circa dicent.* Advertendum est, quod Leo X. declaravit; & concessit eisdem Fratribus Minoribus, quòd in forma observationis, nulla sit differentia inter Cessationem à Divinis, & quodcumque Interdictum. 13

CONCLVSIO III.

Exclùso omni privilegio, probabile est posse cuiuscumque fidelis cadaver; aliàs non prohibitum, in loco sacro tumulari, tempore Cessationis à Divinis cuiuscumque; omissa tamen omisso solemnitate, & officio. 14

Hanc tenet noster Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.2. disput.16. quæsito 7. num. 3.* in hæc, quæ sequuntur, verba prorumpens. Dico tertiò, Ecclesiasticam sepulturam ratione depositionis, seu tumulationis cadaveris in locum sacrũ non videri prohibitam in Cessatione. Probatur

pluribus à Suarez, & Filliucio *locis suprà citatis.* Ratio præcipua est, quid tempore Cessationis nullo iure prohibita reperitur Ecclesiastica sepultura; generalibus autem verbis tantùm prohibentur divina Officia: at traditio sepulturæ, modo dicto, non est officium propriè, & per se loquendo: ergo si fiat tumulatio cadaveris in locum sacrum, tunc non videtur prohibita.

15 Confirmatur, quia nullo Iure cavetur, Cessationem privare ijs omnibus, quibus privat interdictum; verùm, quia solet persæpè poni Cessatio post interdictum locale, ideò cum interdictis etiā Ecclesiastica sepultura prohibita sit, consequenter etiam tempore Cessationis non traduntur corpora Ecclesiasticæ sepulturæ. Verùm hoc fit vi, & ratione interdicti, non autem Cessationis.

15 Dico quartò. Tempore Cessationis à Divinis, Ecclesiasticam sepulturam non prohiberi favore Clericorum, eo modo, quo tempore interdicti: nec etiam probiberi secundùm probabilem nonnullorum opinionem, qui eam negant pro Laïcis tempore Cessationis; modò tamen Clerici sepeliantur sine divinis Officijs. Ita Doctores Salmanticenses, teste eodem Filliucio *tom.* 1. *Moralium quæstionum, tract.* 18. *cap.* 7. *quæst.* 8. Suarez *disp.* 39. *sect.* 2. *n.* 31. *& seq.* Bonac. *de Censur. disp.* 6. *punct.* 3. *num.* 8. Supponunt enim hi Doctores, concessionem factam Clerici ex privilegio tempore interdicti, posse extendi etiam ad Cessationem à Divinis. Hæc omnia Tamburinus. Sed extensio supposita, maximam patietur difficultatem: cùm, quia à diversis, non fit illatio. Tum etiam, quia licet favores conveniat ampliari iuxta Iuris Regulam; debent tamen ad ampliationem huiusmodi, verba concessionis attendi, ita vt illis servatis, minùs quàm fieri possit, iuri communi præiudicium generetur, sequatur. Iuris enim correctio, vitari debet.

DVBIVM VIII.

An privilegia in præcedentibus Dubijs recensita, quatenùs concedunt Regularibus suspensionem interdicti, pro diebus in ipsis expressis, & solemnem Divinorum Officiorum celebrationem, & Defunctorum tumulationem, sint per Concilium Tridentinum revocata? & an, si per illud fuerunt revocata, sint post illud confirmata?

BREVIARIVM.

Clausula.

Quatenùs sunt in vsu, *in privilegiis apposita, quid importet,* n. 29.

Dummodò Decretis S. Concilij Tridentini non adversentur, &c. *quomodo intelligatur in confirmationibus privilegiorum,* n. 40.

Ista clausula non obstat quominùs confirmentur, quæ Concilio contrariantur, dummodò expressè ab illo non revocentur, n. 40.

Et sacris Canonibus, &c. *in dictis privilegiorum confirmationibus addita, intelligitur solùm de Tridentini Canonibus; non verò Iuris antiqui,* num. 41.

Ex certa scientia, & ex plenitudine potestatis, *clausula significat Papam velle operari quidquid potest supra Ius, & contra Ius,* num. 42. 43. & 44.

Habet ista clausula vim novæ concessionis privilegij confirmati, n. 42. 43. & 44.

Varij effectus istarum clausularum recensentur, numero 43.

Concilium.

Tridentinum, per nullam Apostolicam Constitutionem revocatum censetur, nisi in revocatione de illo mentio fiat expressa, n. 64.

Fuit expressè revocatum, quoad interdicti suspensionem, per Pium V. n. 14. 64.

Fuit etiam quoad alia privilegia, indulta, facultates, &c. per Sixtum V. n. 48. 64.

Possunt Regulares, in foro conscientiæ, vti privilegiis suis per Tridentinum revocatis, n. 64.

Privilegia Regularium ad non servandum interdictum aliquibus diebus, ante Tridentinum concessa fuisse per illud, revocata probant aliqui ex declarationibus S. Congregationis, n. 2. 3. & 4.

Alij ex opposito negant, n. 5. 6. 7. 8. & 10.

Confessarij.

Regulares Confessarij semel ab Episcopo approbati, prævio examine iterum ab eodem examinari non debent; possunt tamen à successore, n. 16. vers. Probat.

Confirmatio.

Privilegiorum confirmatio, alia ex certa scientia, & alia in forma communi, n. 43.

S. Congregatio.

Declaratio S. Congregationis Concilij, si sit authentica, eandem vim ac ipsum habet Concilium; si tamen iussu Papæ, vel ipso consulto edatur, & vim legis habet, n. 10.

Constitutio.

Pij V. Constitutiones, Ad exequendum: & cum intra mentis nostræ arcana, Etsi Mendicantium Ordines, *revocatæ non sunt, per Gregor. XIII.* à n. 15.

Gregorij XIII. Constitutio, In tanta rerum mole, *publicata fuit,* n. 19.

Constitutio, In tanta, *Gregorij, Pij V. Constitutionibus non derogat* à n. 15.

Vt Constitutiones Pontificiæ obligent vbique terrarum, saltem post duos menses, sufficere, vt Romæ publicentur, docent plures, n. 20.

Plures etiam docent, nec illas, nec imperiales, & civiles obligare, nisi in singulis Diœcesibus, & Provincijs publicentur, n. 21. 22.

Constitutio Piana, Etsi Mendicantium Ordines, *confirmata est à Greg. XIII. post Constitutionem suam,* In tanta rerum mole, *n.* 27.

Concedit Constitutio, Etsi Mendicantium *Regularibus, facultatem, quam Tridentinum sustulit, quoad interdicti suspensionem, &c.* n. 28.

Declaratio.

S. Congregationis declaratio si facta non sit iussu Papæ, vel eo consulto, diffinitiva non est, ac authoritativa, & vim legis habens, sed solùm doctrinalis; sicut Sapientum sententia, esto authentica exhibeatur, n. 10.

Declarationes à Pio V. factas non revocantur à Gregor. XIII. & illas approbarunt Paulus V. & Vrbanus VIII. n. 16.

Episcopus.

Episcopus.

Ad quas processiones compellere possit exemptos Regulares, n.16. versl. Secundam.

Exemptio.

Monasteria, loca, & bona omnia Congregationis Benedictina Hispana, immediatè ad Romanam pertinent Ecclesiam, n.38.

Facere.

Per se aliquid facere, ac per alium idem est, in moralibus, n.10.

Gregorius XIII.

Per suam constitutionem, In tanta, *non derogavit Constitutionibus Pij V.* à n.15.

Illas confirmavit post dictam constitutionem, numero 27.

Interdictum.

Pius V. concessit nostra Congregationi, & Mendicantibus, quoad interdicti suspensionem facultatem, quam Concilium substulerat Tridentinum, n. 28.

Lex.

Nulla Lex, obligat, aut Constitutio, etiam datâ illius scientiâ, ante illius publicationem, n.18.

De Legis essentia est, vt promulgetur, num.18. *in medio.*

Legi publicatio non præsumitur, nisi id probetur, quia est quid facti, n.18. *in fine.*

Publicari debet in singulis Provincijs, & Diœcesibus, n.21.22.

Lex privilegiorum revocatoria, & indulgentiarum, non obligat quousque publicetur in Provincia, Civitate, & Parochia, n.23.24.27.

Ordo.

Ordinari possunt Regulares extra tempora, Concilio Tridentino non obstante, n.40.

Ordinari non possunt ante ætatem ab eodem Concilio assignatam, sess.23. cap.12. n.40.

Pius V.

Constitutiones etsi Mendicantium, & cum intra mentis, *Pij V. Revocata non sunt à Greg. XIII.* num.15.

Imò ab eodem sunt confirmata Greg. n.27.

Per dictas Constitutiones Regularibus concessit multa Pius V. qua Tridentinum substulerat, numero 28.

Præscriptio.

Locum non habet respectu bonorum Congregationum Casinensis, & Vallis Oletana Benedictinarum, nisi post possessionem centenariam, n.30.

Processio.

Ad quas processiones compellere, queat Ordinarius Regulares exemptos, n.16.

Privilegio.

Regularium privilegia ad non servandum interdictum in aliquibus ante Tridentinum concessa fuisse per illud revocata, aiunt aliqui: alij negant, à n.1. *ad* 10.

Per illud revocata non sunt omnia ipsi contraria, sed quæ expressè ab eo revocantur, n.40.

Innovata sunt ista privilegia post dictam Concilium, n.12.13.14.

Non solum innovata sunt quoad interdictum post Tridentinum, Regularium privilegia, sed quoad alia, n.41.

Varia confirmationes recensentur eorum, n.16.

Regularium privilegia non admittuntur per non vsum aut per contrarium vsum, à n.31. *ad* 39.

Privilegia Regularibus concessa sunt, ob benè merita, n.39.

Nequeunt Religiosi exempti, sine Romani licentiâ Pontificis, suis renunciare privilegijs, n.37.

Privilegiis concessis Benedictinis Casinensibus, & Vallisoletanis, non derogari per alios Summos Pontificos, nisi evidentissimè, de illorum constet voluntate. Eugenius concessit IV. n.35.

Casinensium privilegiis, gaudent Benedictini Hispana Congregationis, n.30.

Gaudent etiam privilegijs, & gratijs omnibus concessis, & concedendis quibuscumque Ordinibus, etiam Mendicantibus, tam loca, quàm persona, n.51.52.53.

Similiter Camadulenses gaudent concessis, & concedendis omnibus alijs Regularibus, n. 59.

Privilegio Ascendente Domino *per Gregor. XIII. Iesuitis concesso, gaudent omnes Regulares, qui eorum privilegijs participant, non obstante illius contraria dispositione,* n.46.

Gaudent & simili privilegio eisdem à Gregor. XIV. concesso n.57.

Confirmatis privilegiis vnius Religionis, confirmantur privilegia aliarum omnium Religionum, quæ habent communicationem privilegiorum illius, num.62.

Quod verum est, etiamsi aliis Religionibus non communicentur expressè privilegia illi Religioni in futurum concedenda, dummodò illis alsis, illius favores concedantur, & gratia, n.63.

Recensetur privilegium amplissimum Sixti V. Benedictinis Portugaliæ concessum, n.40.48.49.

Amplissima item recensentur privilegia Congregationis Pulliensis, n.47.

Referuntur etiam illustria aliarum Congregationum Cisterciensium privilegia, n.47.56.58.

Privilegiorum Regularium varia communicationes, & extensiones recensentur, à n.46. *ad* 60.

Privilegiis huiusmodi, etiam revocatis, possunt hodie Regulares omnes communicantes in privilegiis vti, num.61.

Et an expressè per Tridentinum revocatis, in foro conscientia saltem possint hodie vti, n.64.

Privilegium solùm sortitur effectum à tempore, quo certior fit, de illo, is cui conceditur; & illud acceptet, n.25.

Privilegia ob merita concessa, per non vsum non amittuntur, n.39.

Regula.

Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur, n.25.

Regulares.

Servare tenentur, & in suis Ecclesiis publicare interdicta, & censuras Apostolicas, & Ordinarij, mandante Episcopo, n.1.

Excipiuntur dies, pro quibus habent privilegia, numero 14.

DVas dubium propositum continet partes, quarum quælibet sigillatim discutienda est, vt eius resolutio, eâ, quâ fas est claritate, ac dilucidatione expendatur, exsolvatur. Illud, claritatis gratia, duobus paragraphis, illustrare lubens duxi: In quorum quolibet sua Dubij pars resolvatur.

§. I.

Concilium refertur, & declaratur.

QVoad primam igitur suppono, Concilium Tridentinum, *sess.25. de Regularibus, & Monialibus, sic cap. 22.* decrevisse. Censuræ, & interdicta,

terdicta, ac dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque serventur. *Et cap. 22. & finali dictæ sessionis.* Hæc omnia, & singula in superioribus Decretis contenta observari sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, nec-non quarumcumque Sanctimonialium Virginum, ac viduarum.... Non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegijs, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam ea fundatione obtentis, nec-non Constitutionibus, & Regulis, etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus. Hactenùs Tridentinum. Quo supposito.

2 Prima sententia asserit Concilium præfatum, omnibus privilegijs, Regularibus ante illius publicationem concessis, derogari. Hanc expressè docet Navarrus *lib. 5. Consiliorum, tit. de Privileg. consil. 7.* vbi pro illa, & contraria latè disserit, & ad argumenta pro negativa, à seipso facta, respondet: illum sequitur Nicolaus Garcia *de Beneficiis par. 3. cap. à num.* 278. & Compendium Societatis Iesu *verbo Interdictum, ad finem*: Ascanius Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 2. disput. 16. quæsito 4. vers. Dubium est.*

3 Probatur hæc sententia duplici Declaratione sacræ Congregationis, Concilij Tridentini interpretum. Prima est de *Anno* 1593. ad instantiam Abulensis Episcopi, nonnulla dubia à se proposita, declarari poscentis, facta: quam præfatus Garcia *par. 5. cap.* 8. *n.* 87. ad amussim, describit, & testatur se illam habere authenticam, subscriptam scilicet manu Illustrissimi Cardinalis Matthæi, eiusque sigillo munitam. In qua quidem Declaratione, octavum Dubium propositum, omissis alijs, quæ ad præsens non ita pertinent, & eius resolutio, sic se habent. Octavum Dubium. An privilegium Regularium, quod non teneantur servare interdicta in aliquibus diebus tantùm, veluti in festis suorum Ordinum, sint contraria Concilio, & sublata? Ad octavum, privilegia si ante Concilium concessa fuerint, vtique revocata existunt: ita in Declaratione illa.

4 Secunda, Sacræ Congregationis Declaratio, ad petitionem Episcoporũ Pinniensis, & Adriensis, idem Dubium consulentium, huius tenoris est, provt à nostro Abbate Tamburino recensetur *loco proximè allegato.* Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum inhærens Declarationibus aliàs editis, respondit Regularium privilegia, quibus conceditur eis facultas celebrandi Divina in diebus Sanctorum suorum Ordinum, & aliquot alijs, tempore interdicti, quatenùs non in terminis *cap. 12. sess. 25. de Regul.* esse sublata à Concilio *cap. 22. eiusd. sess.* quatenus ampliùs contineant, quàm iure communi, quod Concilium præcessit, erat permissum: nempè *cap. final. de sent. Excomm. in 6. & Clem. 1. eod. tit.* Ac propterea, Regulares in vim privilegiorum, ante Concilium concessorum, minimè potuisse in Civitate Pinniensi Ecclesiastico interdicto supposita, in diebus Festis superius expressis, divina Officia celebrare, alta voce, ianuis apertis, pulsatis campanis, & interdictis admissis, nec quemquam ex interdictis huiusmodi tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, eo præteareа, quod in articulo mortis signa dederint contritionis, & eos, qui contra scienter fuerint, irregularitatem contraxisse, à qua, nequeunt per alium, quàm Romanum Pontificem liberari.

Cosmus Cardinalis de Torres.

Secunda sententia ex opposito præcedenti contraria, negat specialia Regularium privilegia, vt pro suis festis, ac per eorum octavas, alijsque certis diebus non servent interdictum esse contra præfatum Concilium Tridentinum, & per illud met abrogata: & asserit illa Concilium tantùm revocare privilegia generalia, quæ in quibusdam Religionibus haberi videbantur, quæ concedebant, vt non obligarentur ad vlla servanda interdicta, etiamsi ab Ecclesia matrice servarentur. 5

Hanc tenent sententiam Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regular. tom. 1. part. 1. cap. 9. n. 29. innixo cap. 21. n. 29. par. 2. cap. 1. n. 21. & tom. 2. par. 3. verbo Interdictum, n.* 28. 29 & 30. cum Miranda *in Manuali Prælat. tom. 2. quæst. 35. art. 12.* Medina *in Summa*, Sorbo *in Addit. ad Compendium privil. Mendicantium, verbo Interdictum 3. §. Sed alius Doctoribus*: Henriquez *lib. 5. §. 48. §. 1.* & Cruce *de stat. Relig. lib. 2. cap. 7. dub. 2.* Gregor. Saytus *in Thes. lib. 5. cap. 3. nu. 24. & 25.* Laurent. Peyrinus *tom. 1. privil. Minimorum, ad constit. 2. Sixti IV. n. 51.* Ælegius Bassæus *tom. 1. verbo Interdictum II. n. 26. versic. Sed dubium:* Hieronym. Roderiquez *in Compend. quæst. Regular. resolut.* 80. *n. 25.* cum Suarez *tom. 5. in 3. part. D. Tho. disp. 34. sect. 1. nu. 42. versic. Quæri autem potest*, Portellio *verbo Interdictum, in Addit. num. 3.* & Villalobos *part. 1. Summæ, tract. 20. diffic. 6. n. 2.* Diana *par. 3. tract. 2. de Dubijs Regular. resol.* 113. Eman. Roder. *tom. 2. quæst. Regularium, quæst. 112. art. 1.* vbi ita fatur. 6

Ego tamen opinioni Navarri nunquam potui acquiescere, provt in explicatione Cruciatæ latè dixi, & in additionibus ad ipsam etiam confirmavi. Nunc autem visis Argumentis adductis ab ipso Navarro *in suis Consiliis*, ab ea opinione Navarri, tenaciùs recedo: ad hominem contra ipsum arguam. Hæc Emanuël, post quæ immediatè suam sententiam probat, & ad Navarri Argumenta respondet. 7

Eandem secundam sententiam, sequuntur apud Nicolaum Garciam, *vbi suprà num.* 279. Barth. Medina *in Summa, lib. 1. §. 3.* Bernard. *in Summa, lib. 34. num. 30.* Ludovicus Lopez *in Instruct. conscientia, tom. 2. par. 2. cap. 21.* & dictus Emanuël *in expositione Bullæ Cruciatæ, §. 5. num. 15. & in additionibus illius, n. 13. & 35.* 8

Ad Declarationes sacræ Congregationis Concilij interpretum supra pro prima sententia adductas, de quibus mentionem faciunt Augustinus Barbosa *in Collectanei Decisionum Apostolicarum, verbo Privilegium, & de Potestate, allegat.* 105. *n. 44.* & Novarius *in Lucerna Regularium, verbo Interdictum*, respondet Leaana *tom. 1. par. 2. c. 1. n. 21.* & *tom. 2. par. 3. verbo Interdictum, nu. 2.* De talibus Declarationibus sacræ Congregationis (quod ego sciam) non constat authenticè, & eadem sacra Congregatio Concilij declaravit huiusmodi declarationibus, non authenticis, non esse fidem adhibendam. 9

Ita Leaana, sed an eius responsio satisfaciat testimonio Nicolai Garciæ, asserentis authenticam penes se habere declarationem, *de anno* 1593. *suprà*

suprà numero 3. recensitam, dicant alij: Ego enim tanti Doctoris attestationi, credendum non dubito.

10 Nihilominùs tamen secunda sententia probabilis est: non solùm per principia extrinseca, authoritatem scilicet tot Doctorum illam sequentium, & gravissimorum admodum: sed per rationes, quas benè expendit Emanuël Roderiquez & solvit oppositas, per Navarrum adductas. Quas omnes lubens recensere, ne diutiùs immorer, omitto. Et quia licet Declaratio authentica dictæ sacræ Congregationis Concilij, eandem vim, ac Concilium ipsum habeat, si iussu Sanctissimi, vel ipso consulto edatur, tunc enim *Indubitata res est habere vim legis, & esse decisivas, & authoritativas,* ait ipse Lezana *tom.*2. *par.* 4. *verbo Sacra Congregatio, n.*7. vbi rationem hanc reddit,) quia factæ sunt authoritate Papæ: ergo habent eandem authoritatem, quam haberent si à Papa immediatè factæ fuissent: cum in moralibus, idem sit facere per alium, ac facere per se. Salas *de Legib. tract.*13: *disp.*21. *sect.*12. Peytinus *tom.*1. *de subdito, q.*1. *de Obedientia, cap.* 25. & alij communiter, quæ tamen iussu Papæ, vel eo consulto non fit, quantumvis authentica exhibeatur, certum non est apud Doctores vim habere Legis, & esse decisivam, & definitivam, ac authoritativam, vim Legis habens, in vtroque, obligandi foro. Alij enim tenent solum esse Doctrinalem, & tantùm habere authoritatem, quam habet Doctorum sapientium sententia.

11 Vnde cum non constet, Declarationes sacræ Congregationis Concilij suprà pro prima sententia adductas, fuisse iussu Sanctissimi, vel eo consulto factas, vtraque sententia probabiliter sustineri potest, & iuxta quam quisque tenuerit, Dubium à nobis propositum, quoad priorem eius partem, resolvere benè quivit.

§. II.

Post Concilium privilegia sunt innovata.

12 QVoad secundam Dubij partem, constanter teneo, & asseto, privilegia præfata; ante Concilium Tridentinum, Regularibus concessa, post illius publicationem, fuisse à Sede Apostolica confirmata & innovata.

Ita Diana *part.*3. *tract. de Dubiis Regularium, resol.* 59. vbi addit. Sed an stante hac opinione, possint Regulares ordinari in foro conscientiæ ante legitimam ætatem, affirmat Emanuël Sà *verbo Religio, n.* 56. sed optimè negat Vasquez *in* 3. *par. disp.* 246. *cap.* 4 *num.* 45. Hac Diana. An autem consequenter ad suam doctrinam Gabriel. Vasq. sequatur, in hoc ordinum casu, asserere non audeo. Noster Abbas Tamburinus *tom.* 2. *de Iure Abbat. disput.* 16. *quæsito* 4. *versic. Verùm prædicta,* Bassæus *tom.* 1. *verbo Interdictum II. nu.*26. *versic. Exposito,* Lezana *tom.*2. *Sum. verbo Interdictum, num.*29. & non obscurè, Nicolaus Garcia *de Beneficiis, par.*3. *cap.*2. *n.* 280. vbi ita fatur. Sed sententia Navarri (quam scilicet *num.* 2. recensuimus) est verissima, & approbata per sacram Congregationem, vti in declaratione adducta 5. *par. cap.*8. *num.*87. *ad* 8. Vide tamen Breve Clementis VIII. concessum post Concilium Ordini sancti Francisci, positum per Manuëlem Roderiquez *dicta quæstione* 112. *art.* 2.

Hæc Garcia; *loco allegato*, vbi sub nomine 13
Brevis, Lectorem remittit ad Bullam præfati Clementis Papæ VIII. à nobis *suprà in hac Disquisit. num.*35. redditam, in qua concessiones factæ à diversis Summis Pontificibus dicto Ordini, vt tempore interdicti, quacumque authoritate; etiam Apostolica appositi Festa Sanctorum Francisci; Bonaventuræ, Antonij de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum solemni ritu celebrentur, perindè ac si interdictum minimè appositum fuisset; ad Festa sancti Didaci; & Portiunculæ extendit, cum clausula, *Non obstantibus* in quibus vtique, & Clemens innovavit privilegia prædecessorum suorum, Minoribus circa prædictum indultum facta, seu concessa, & Garcia: ita per illum innovata fuisse fatetur, & suam, & Navarri sententiam suprà recensitam, iam minimè locum habere. Quæ Clementina constitutio deservit maximè ad probandam nostram resolutionem secundæ partis Dubij.

Secundò probatur ex Constitutione *etsi Mendicantium Ordines,* in qua Pius Papa V. 17. *Kalend. Iulij Anni ab Incarnatione Dominica* 1567. omnibus Mendicantibus; & nostræ Benedictinæ Congregationi Hispanæ 8. *Kalendas Septembris eiusdem anni* in Constitutione, *cum intra mentis nostræ* inter alia sic constituit: & licet in *sess.*25. *cap.* 22. 14
(Concilij scilicet Tridentini de quo S. iste Pontifex ibi loquebatur) caveatur, quod censuræ, & interdicta Ecclesiastica, etiam à locorum Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesijs publicari debeant; tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum Ordinum eorundem, ac alias in aliis festivitatibus iuxta eorundem Ordinum privilegia Apostolica, interdictum huiusmodi emanaverit; illud in præfatis festivitatibus, & eorum octavis suspendimus.

Hactenùs Pius V. in recensita Constitutione: 15
Quam quidem minimè fuisse revocatam per Gregorium Papam XIII. in Constitutione, incipit; *In tantà rerum mole*, docent Franciscus Maria Samuëllius *in Praxi, de Sepulturis, prælud.*2. *nu.*8. *& prælud.* 5: cum Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentiis; cap.*24. *nu.*8. Thoma à Iesu *de procuranda omnium gentium salute, lib.*12. *cap.*8. Llamas *in Methodo cap.* 7. §. 6. & Navarro *In Manuali Romæ edito; cap.* 27. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regularium, tom.*1. *part.* 2. *cap.*1. *de Iuribus, Privilegiis, &c. Mendicantium; n.*16. *& tomo consultorum, consulto* 40. *num.* 33. Bruno Chassaing *in Privilegiis Regularium, tract.* 1. *cap.*5. *proposit.*6. *pag. mihi* 50. cum recensitis à Samuëllio, cum Eman. Roderiquez *in additionibus ad Summam, tom.*4. *cap.* 105. *& in exposit. Bullæ Cruciatæ,* §. 5. *n.* 16. Sorbo *in Compendio Mendicantium, verbo Processiones,* §. *An teneantur,* & *verbo Interdictum III.* & penes eum Medina, Portell. *par.*2. *c.* 26. *n.*6. Cokier 2. 2. *q.* 123. & cum Augustino de Bellis *en las allegationes en Derecho.* Laurentius de Peyrinis, *tom.* 2. *privilegiorum, Constitutione* 7. *Pij V.* §. 21 *numero* 2. *pag. mihi* 276. qui *num.*3. in hæc prorumpit.

Noto nihilominus 3. quod etiam dato, quod 16
dicta Bulla (scilicet *Intenta*) fuerit sufficienter promulgata, vt communiter creditur, dubitatur, an ista sit solùm revocata (Piana scilicet *etsi Mendicantium Ordines*) quatenùs concedit aliquid; quod est contra Concilium Tridentinum; an verò sit omninò revocata, ita vt, etiamsi concederet

aliquid, quod oon esset contra Concilium, tamen illud post dictam revocationem nihil valeret. Et dico, quod tantùm revocat ea, quæ Pius V. Regularibus concesserat contra Concilium Tridentinũ: ita Rodcriquez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 8. art. 9. fine, & quæst. 43. art. 7. quæst. 39. art. 2.* Miranda *tom. 2. Mnn. qn. 48. art. 7.* Sanchez 5. *in Decalog. cap. 4. n. 16.* Thomas à Iesu *de Conversione omnium gentium, lib. 12. tit. sequitur, Collect. pag. 846.* Molfesius 2. *par. Summæ, tr. 13. cap. 9. n. 30.* qui ait ita fuisse declaratum ex S. Congregatione Concilij, & constat ex his, quæ dico hîc infrà, *n. 8. fine, & n. 25.* & ad minùs dicta Constitutio *In tanta* Declarationes Concilij, quæ in hac Constitutione (scilicet *etsi Mendicantium*) continentur, vtpotè factas à Doctissimo & Sanctiss. Pontifiec, nullo modo revocavit. Paulus V. dictas declarationes approbavit, per Constitutionem, quam ex certa scientia, confirmavit Vrban. VIII. per suam Constitutionem 21. *Dilectis filiis,* quam habcs *tom. 4. Bullary,* §. 1. *fol.* 258. Hactenùs Peyrinos.

Probat iste Author suam seotentiam, qoond hoc vt Piana ad summum revocata sit quoad ea, quæ contra Tridentinum sunt, ex duabus Declarationibus S. Congregationis. Vnam recenset ad *Const. 2. Sixti IV.* §. 11. *n.* 41. ex Quaranta *in Summ. Bull. verb. Confessor, pag.* 235. sub hoc tenere. Congregario Concilij censuit, Regulares ad audiendas, in Civitate & Diœcesi Secularium Confessiones, semel ab Episcopo prævio examine, approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos; cæterùm à successore posse vtique examinari iuxtà Constitotionem Sanctæ memoriæ Pij V. datam octavo idus Augusti, Pontificatus illius *anno 6.* Quæ à fel. record. Greg. XIII. non est revocata per reductionem privilegiorum Regularium ad terminos Concilij Tridentini. Sed salva pace tanti Doctoris, ita declaratio non probat intentũ. Quia Constitutio Piana, *etsi Mendicantium,* edita minimè fuit die, mense, & anno à S. Congregatione recensitis, sed 17. *Kalend. Iulij, Pontificatus Pij V. anno* 2.

Secundam Declarationem ad intentum opportuniorem, sic recenset Peyrinos *dicta Const. Pij V.* §. 29. *n.* 25. Ordinarius potest præcipere Regularibus, vt eant ad processiones publicas, vt purà in festo Corporis Christi, in Litanijs, & Iubilæis publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria; dummodò processiones sint eius generis, quod in Bulla S. D. N. Pij V. Mendicantibus concessa, quæ incipit, *etsi Mendicantium,* publicata 17. *Kal. Iulij, anne* 1567. comprehendantur: & dummodò Regulares non sint ex illis Cõventibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla exeipiuntur. Hæc S. Congregatio. Ex qua declaratione apertè constat, hanc Constitutionem (scilicet *etsi Mendicantium*) non esse revocatam à Gregorio XIII. (verba sunt Peyrini) nisi quatenùs statuit aliquid contra Concilium Tridentinum.

17 Probatur non fuisse revocatam Constitutionem, *In tanta rerum mole*, in sententia Peyrini, Henriquez, Thomæ à Iesu, Llamas, Roderiquez, Cruz, Sorbo, Medinæ, Portelli, Cokier, & Augustini de Bellis, *locis suprà citatis* apud Brunon. Chassaing *vbi proximè* Eligij Bassæi *tom. 1. verbo Missa VIII. num. 9.* omninò videndi, & aliorum asserentium, Constitutionem Gregorij XIII. *In tanta rerum mole,* non fuisse promulgatam, neque intimatam.

Constitutio non promulgata, & publicata, non obligat; sicut nec alia quælibet Lex, etiam data illius scientia. Barb. *in cap. Cognoscentes, n. 6. el 2. de Constitut. ex c. In istis; §. Leges, distinct. 4. l. final. ff. de Decretis ab ordine faciendis, l. Leges sacratissima, Cod. de Legibus,* cum Sebastiano de Medices, in Repetitione *cap. Erit autem Lex, distin. 4. n. 67.* Antonio Gabriele *Communium, tit. de Legibus, concl. 4.* Gregorio de Valencia *tom. 2. disp. 7. qu. 5. punct. 5.* Cenedo *ad Decretum, collectan. 1. n. 5. & ad Decretales, collect. 1. num. 3.* Suarez *de Legibus, lib. 13. cap. 16. & 17.* Gregorio Sayro *in Floribus decisionum, sub titule de Constitutionibus decis. 1.* Stephano Graciano Marchiæ *decis. 200. num. 10. & sequentibus.* Camillo Borello *in Summa omnium decisionum, tit. 13. n. 22.* Roderico Acunha *in Commentariis additum cap. In istis, §. Leges, num. 3.* Francisco Coriolano *post tractatum de Casibus reservatis, vbi de absolutione ñ casibus Bulla in Cœna Domini, num. 11.* Amicus *tom. 5. de Iure, & Institiâ, disput. 5. de Lege humana, sect. 2. num. 25.* Antonius Fernandez de Moure *in examine Theologia Moralis, part. 2. cap. 3. §. 2. num. 1. ex Authent. Vt facta nova Constitutiones, collat. 5.* & ibi Glossa, & Doctores, *& ex cap. I. de Postulatione Pralatorum,* & Panormitano, *ibi.* Navarrus, *tomo 1. Consiliorum, tit. de Constitutionibus, consil. 1. num. 3. versic. Quintò dico:* vbi ex Divo Thoma 1. 2. *quæst. 90. art. 4.* docet de Legis essentiâ; vt promulgetur. Nicolaus Garcia *de Beneficijs, part. 5. cap. 8. num. 14. ex dict. Authent. Vt facta, lege penult. circa finem, Cod. de Decurion. lib. 12.* & allegat, Bott. de Synodo, 3. *part. c. 2. num. 62. & art. 3. num. 4. cap. sequent. decis. 203. num. 1. part. 3.* Antonium Thesaurum *Decision. Pedamon.* 249. Angelum Sylvestrum, Rossellam, & Armillam, *verbo Lex,* Vegam *in Summa par. 2. cap. 23. casu 9.* Ludovicum Corbo *de Legibus, lib. 3. disputat. 7.* Lorcam *disputat. 18. de Legibus.* Molinam *de Institia, tract. 5. disput. 70.* Salas *de Legibus, disput. 12. sect. 1. & disput. 16. sect. 11.* & Cevallos *quæst. 903. à num. 1.* Azorius *Institution. Mor. par. 1. lib. 5. cap. 3. quæst. 1.* Gabr. Vasquez *in 1. 2. D. Thom. tom. 2. disput. 155. cap. 2.* & Rota *in Calagurritana Beneficij SS. Iacobi, & Andreæ, 17. Maij* 1593. coram Cardinali Blanchetto, vbi ita habetur. Domini steterunt in decisis. Cùm enim Beneficium, de quo agitur, vacaverit de mense Februarij 1587. & motus proprius fuerit publicatos de *anne* 1589. non potuit ligare nisi à die publicationis, vel post duos menses postquam fuit promulgatus: Glossa *in Proœmium Clementinarum,* & ibi Doctores. Decius *in cap. 2. de Constitutionibus, num. 15.* & ibi Beroi, *num. 50.* Rolandus à Valle *consil. 8. num. 21. cum sequentibus, lib. 3.* Gabr. *Comment. tit. de Legibus, concl. 4. num. 6.* idque etiam procedit quoad scientes: Bald. *l. vnicâ, §. fin. Cod. de caducis tollendis.* Hucvsque sacra Rota. Neque Lex præsumitur promulgata, nisi id probetur: quia promulgatio est quid facti. Barbosa *in dicto cap. 2. de Constitutionibus, num. 11.* cum Menochio, *de Præsumptionibus, lib. 2. præsumpt. 1. nu. 2. & præsum. 2. n. 2.* & Eman. de Valle de Moura *de Encantationibus, & ensalmis sect. 1. cap. 5. n. 13.* ergo in sententia Peyrini, & aliorum qoos recensui, *nu. præced.* Constitutio, *In tanta rerum* Gregorij XIII. non obligat, ac per consequens, per illam non abrogatur Constitutioni Pianæ, *etsi Mendicantium Ordines,* vtraque consequentia legitima est. 18

Quod

19 Quod autem Gregorij Constitutio publicata non fuerit, non est ita certum; sicuti asserunt præfati Doctores, cùm ad calcem dictæ Gregorianæ, in Bullario maximo nostri Angeli Cherubini, *tom.2. pag.371.* hoc adsit publicationis testimonium: videlicet.

Anno à Nativitate Domini N. Iesu Christi 1573. *indictione 1. die verò 23. mensis Martij*, Pontificatus sanctissimi Domini Gregorij, Divina, providentia Papæ XIII. *anno 1.* retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Ioannis Lateranensis de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Ioannem de Soya, & Marc. Ant. Brutum, eiusdem Sanctiss. Domini nostri P. Cursores.

Antonius Ludovicus Magister Cursorum.

20 Quare in opinione saltem Doctorum, asserentium Constitutionem Apostolicam sufficienter publicari Romæ, ad hoc vt vbique terrarum omnes Catholicos obliget, quam tenent Bassæus *tom.1. verbo Lex II. num.4.* cum Suarez *de Legibus, lib.4. cap.15. nu.5.* Reginaldo *lib.13. n.155.* Sylvio 1. 2. *quæst.96. art.4. quæst.11.* Gabriel Vasquez 1. 2. *D. Thom. tom.2. disput.156. cap.2. num.12.* cum Ludovico Gomez *in Proœmio Regularum Cancellariæ, quæst.2. §. Quartò, pro ista:* Ioanne Monacho *in Regula, in generali, de Regulis Iuris*, & cum Rosella *verbo Lex*, Azorius *par.1. lib.5. cap.3. quæst.3. versic. In hac*, Diana *parte 1. tract.10. resolut.8. part.4. tract.4. resolut.127. & part.5. tract.14. resolut.25.* Leonardus Lessius *in Actuario ad 1. 2. verbo Professio, num.1.* Ludovicus Caspensis *in cursu Theologico, tom.1. tractatu de Legibus, disput.1. sect.4. num.51.* Barbosa *in cap. Cognoscentes, num.10. el 2. de Constitutionibus*, Becanus *tract.3. de Legibus, cap.6. quæst.6. num.6.* Antonius Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tract.1. de Lege, cap.3. num.17. examinis primi:* & noster Nicolaus Tudeschus, Panormitanus Abbas *in cap. Noveris, num.3. el 49. de sent. Excommunicationis*, ex Glossa ibi: *verbo intra duos menses*, vbi ita fatur: à tempore enim publicationis, currunt, isti duo menses, posteà verò Constitutio omnes ligat. Abbas autem sic. Licet quidam dicant, quod isti duo menses currunt à tempore publicationis specialiter fiendæ in qualibet Provincia, quia ignorans, non est contumax, & per consequens non incidit in excommunicationem, *11. quæst.3. cau. Ceterùm*. Sed dictum Glossæ plus placet Ioanni Andreæ: & hoc credo verius: nam Constitutio Papæ, non est necessariò publicanda in qualibet Provincia, quia satis est, quod publicetur in Curia Romana. Hæc Abbas. In hac igitur opinione supposita, publicatione modo recensita argumentum præcedens, non est vllius efficaciæ.

21 Illud tamen efficacissimum iudico, in sententia opinantium in qualibet provincia publicari debere Pontificiam Constitutionem, vt in illà obliget: quam gravissimi etiam, & plures sequuntur Doctores: Emanuël Sà *verbo Lex, n.8.* Quintana Dueñas, *tom.1. tract.3. sect.14.* quam recenset, & sequitur Bussembaum *in Medulla, lib.6. tract.4. cap.2. dub.41.* Castrus Palaus *in Summa morali, par.1. tract.3. disput.1. punct.12. num.1.* vbi pro ea recenset, Sotum *de Iustitia, & Iure, lib.1. quæst.1. art.4. versic. At verò*, Navar. *in Manuali, cap.23. num.44.* Medinam 1. 2. *q.90. art.4. versic. Sed quæritur*, Decium *in cap. Cognoscentes, el 2. de Constitut. lect.2. n.6.* Felinum *ibi, n.7.* Antonium Butrium, Imolam, Ioannem Lignano, & Cardinalium Zabarellam *in idem caput, num.4. quæst.6.* Pro hac etiam sententia recenset Diana *par.1. tract.10. resolut.8.* Serarium *in suis Opusc. Theologicis, tom.3. disput. de Legibus, n.56. & seq.* Solorum *de potest. Confess. cap.9. qu.5.* Angelum *verbo Lex, nu.13.* Ludov. Carbo, *de Legib. lib.3. disput.9.* Conradum *in 1. 2. quæst.90. art.4. ad 2.* Mirandam *in Manuali Prælatorum, tom.2. quæst.25. art.4. concl.5.* Victorellum *in notis ad Manuale Navarri, cap.23. n.40.* Molinam *de Iustitia, to.2. tract.2. disp.395. n.4.* idem Diana, pro hac opinione recenset *par.5. tract.14. resolut.25.* Cælestinum *in Compend. Theologiæ Moralis, tr.3. c.7. & tr.8. cap.17.* Duvalium *in 1. 2. D. Th. tr. de Legib. qu.5. art.5.* Marchantium *in Horto Pastor. in Resol. Past. c.4. q.21.* & Ioan. Wigers, publicum sacræ Theologiæ professorem in Academia Lovaniensi *in 1. 2. D. Th. q.96. art.4. à n.84. vsque ad 93.* & prolizè huius authoris doctrinam transcribit. Ex quas licet pauca, quæ tamen mihi, pro præsenti sufficiant instituto, lubens exscribo. Leges, non tantùm imperiales & civiles, sed etiam Pontificiæ, & Ecclesiasticæ, quæ irritatoriæ sunt contractuum, non obligant, nisi sint promulgatæ in singulis Provincijs, & Diœcesibus. Et idem potest probabiliter teneri etiam de alijs novis Pontificijs Constitut. quando contrariũ non exprimitur. Hæc Vvigers.

22 Probabilem etiam iudicant istam sententiam, non pauci ex contraria Patronis. Gabr. Vasq. *vbi suprà nu.7.* vbi suam dicit probabiliorem Diana, *par.1. tract.10. resol.8. versic. Nec destituta*, Lessius *loco citato, & de Iustit. & Iure, lib.2. c.22. de Censib. dubit.13. nu.98.* Caspensis *d. n.51.* vbi illam satis probabilem declarat. Farinacius apud Palaum, *loco citato, fragm.1. p. verb. Constitutio, n.656.* Bassæus *d. n.4.* Becanus, *n.5.* Abbas *loco allegato*, ibi: *& hoc credo veriùs*.

23 Sed hac controversiâ omissâ, pro firmandâ veritate sententiæ asserentis non fuisse revocatam Pianam Constitutionem, *etsi Mendicantium Ordines*, per præfatam Gregorianam; *In tanta rerum mole*, sufficiat; quod Bassæus *vbi proximè* concludit, sic dicens. Communiter tamen, ab omnibus receptum, & approbatum est, vt Leges revocatoriæ privilegiorum, & indulgentiarum, vim obligandi non habeant, quovsque promulgatæ sint, non solùm in Provincia, sed etiam in Civitate, ac Parochia: ita Clavis Regia *lib.3. cap.5. nu.13.* Valentia *disput.7. quæst.5. punct.5. dub.2.* Sotus *lib.1. quæst.1. art.4.* Becanus *cap.6. quæst.6. num.7.* consonat Caspensis *loco citato, num.60.* Antonius de Escobar *in Theologia Morali, tract.1. de lege, cap.3. num.26.* Bonacina *tom.2. disp.1. de Legib. quæst.1. punct.4. n.20.* Ioannes de la Val *in Bonacina Compendio, verb. Lex, n.15.* quod colligitur (ait Bassæus) *ex cap.1. de Concessione prebendæ, num.6.*

24 Et quidem; si ex illo colligitur capite, maximè ex verbis sequentibus. Ex parte verò tua extitit replicatum, quod hæc de illis privilegiis, & indulgentijs, (æquitate suadente) debent intelligi, quæ vim suam habent mox cùm ad illos, quibus conceduntur perveniunt: ex quorum tenore liquidò nosci potest, quod talis circa ea fuerit intentio cõcedentis. Hæc in Decretali illa. Quæ licet allegatio partis sit, vti benè adnotat Th. Sanch. *de Matrim.*

tom. 1. *lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 2. de Pontifice approbari videtur, cùm in fine illius capitis, pro illa teſcribat, dicens. Nos itaque tam tuis, quàm præfati D. rationibus pleniùs intellectis: quia ſæpè dictam præpoſituram ad te novimus pertinere, ipſam tibi (habito Fratrum noſtrorum conſilio) adiudicare curavimus.

25 Vbi Barboſa *num.* 7. ita fatur. Notarut ad hoc, quod privilegium ſuum tantùm ſortitur effectum à tempore, quo certior de illo fit, is, cui conceditur. Et *num.* 8. ſic ait. Privilegium enim conceſſum, non dicitur perfectum, nec habete vires, donec is, cui conceditur, ſi abſens eſt, illud acceptat, vt ex hoc textu colligunt Sanchez *dicto tract. de Matrimonio lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 29. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ, gloſſ.* 26. *num.* 11. Hac Barb. Ergo benè ex dicto colligitur textu, requiri ad hoc vt privilegium ſuum amittat effectum, & vires, quod illius revocatio, ad illos, quibus conceſſum fuerat, perveniat, ſi non per immediatam intimationem, per mediatam ſaltem, Parochiæ, Civitati, Provinciæ, Provinciali, Generali, aut Capitulo, vel Ordinum Prælatis factam. Quia omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. *Capite Quia, el* 1. *de Regulis Iuris*, & ibi Barboſa.

26 Ex quibus omnibus ſatis probatum manet Conſtitutionem Gregorij Papæ XIII. *In tanta rerum mole*, nullatenùs ſubſiſtere, ob defectum ſufficientis promulgationis illius, ac per conſequens, per illam minimè fuiſſe revocatam Conſtitutionem, *etſi Mendicantium Ordines*, Pij Papæ V.

27 Et dato, ſed non conceſſo, quod ſufficiens fuerit illius publicatio *ſuprà num.* 19. exſcripta, in vim dictæ Conſtitutionis, non eſt hodiè revocata præfata Piana. Quia hæc, inter alias, fuit Authenticata, & publicata, & de novo confirmata, ad inſtantiam Procuratorum generalium Ordinum, per dictum Gregorium XIII. per literas *die* 14. *Martij de Anno* 1584. & quodecimo Gregorij præfati, per Dominum Hieronymum Matthæum Auditorem Cameræ Apoſtolicæ expeditas, vti refertur ex Confeſſio *in Collectione privilegiorum Ordinum Mendicantium fol.* 209. Clem. Papæ VIII. dicata, per Samuël. *prælud.* 5. *ad prax. de Sepulturis.*

28 Vt finem debitum dictæ ſecundæ probationi reſolutionis ſecundæ partis Dubij iſtius octavi imponamus, advertere libuit, Conſtitutionem, *etſi Mendicantium Ordines* magni pendi, magnique fieri illam debere ab omnibus Regularibus, Monachalibus, & Mendicantibus, præ omnibus, quas viderim. Cum, quia apertiſſimè concedit, quod Concilium Tridentinum ſuſtulit, quoad ſuſpenſionem interdicti, celebrationem Divinorum, &c. Tum etiam, quia licet multæ admodùm circumferantur dicti Pij V. & aliorum Pontificum Conſtitutiones, privilegiorum Regularium, Confirmatoriæ, in plurium addantur in eis, clauſulæ: *quatenus ſunt in vſu: & Decretis ſancti Concilij Tridentini non adverſentur, & ſacris Canonibus.* Quas vtique, quia ad intelligentiam præfatarum Conſtitutionum non parum conducunt, operæpretium duxi dilucidare, expendere, declarare.

29 Clauſula: *quatenus ſunt*, aut *ſint in vſu*: id importat, quod actu in viridi ſint obſervantiæ: aut ſaltem habitu. Quod ſcilicet, etſi privilegijs actu privilegiarij non vtantur, quia illorum ſcientiam, & cognitionem non habent, vel quia ſi illam habent, non tamen occaſionem illis vtendi. Tunc enim habitualiter dicuntur eſſe in vſu. Etiam dicuntur habitu eſſe in vſu, etiam datis ſcientia, & occaſione prædictis, dummodò tantum non curterit tempus, quod ad præſcriptionem contra Regularium bona ſufficiat: ita Ioan. Bapt. Lezana *in Summa quæſtionum Regularium, tomo* 1. *part.* 2. *cap.* 15. *num.* 7. cum Corduba *in Compendio privilegiorum, verbo Abſolutio, quoad Seculares* 1. §. *Quoad*, §. *Decimo nono*: Portello *in Dubijs Regularium, verbo Privilegij Ceſſatio, per non vſum num.* 52. & 58. Emanuël Roderiquez *tom.* 1. *quæſtionum Regular. quæſt.* 8. *art.* 3. Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *Privileg. Minimorum, conſtit.* 15. *Iulij ſecundi*, §. 3.

Recenſet Emanuël privilegium noſtro Ordini per Eugenium Papam IV. conceſſum, de ſexagenaria poſſeſſione neceſſaria ad præſcribendum contra bona noſtræ Hiſpanæ Congregationis. Poterat etiam aliud de centenaria, per Honorium Papam III. conceſſum *anno* 1218. noſtro celeberrimo Conventui ſancti Pauli extra Muros Romanæ Vrbis, innovatum per Eugenium præfatum *anno* 1442. in Conſtitutione, *Ex Apoſtolicæ Sedis, la* 17. huius Pontificis apud ipſummet Emanuëlem *in Bullario authentico, fol.* 205. Quod denuo Paulus Papa III. in Conſtitutione *Benignitas In* 15. *apud noviſſimum Bullarium magnum Cherubini, tom.* 1. *pag.* 721. inoovavit, & conceſſit Coogregationi Caſſinenſi, *Nobis Novembris, de anno* 1537. cuius quidem privilegijs noſtra potitur Hiſpana per ſpecialem communicationem ei factâ per Iulium Papam II. *octavo Kalendas Iulij* 1505. in Conſtitutione *ad ſacram Petri Sedem, la* 1. noſtri Bullarij authentici. 30

Imò addere lubens duxi, per non vſum, imò neque per contrarium vſum amittere ſua privilegia Regulares: ita docent Antonius Naldus, *in Summa, verbo Privilegium, nn.* 4. & 10. Franciſc. Maria Samuëllius *in praxi, de Sepult. prælud.* 2. & Ioannes Baptiſta Lezana *in Summa, quæſt. Regular. tom.* 2. *par.* 4. *verbo Sepulturn, n.* 55. 31

Et probatur *primò* ex his, quæ docet Panormitanus *in cap. Cum neceſſiſſent, el* 8. *de Conſtitutionibus, in fine*, quod quando vnus vtitur, & non altet privilegio ambotum vniverſitati conceſſo, tunc non vtens, vtenti non præiudicat. Cum autem privilegiis Regularium aliquis eorum, ſi non hic, alibi vtatur (non enim eſt verò ſimile aliquem ex tot millibus, quibus illa conceſſa ſunt, eis non vti, & facultate ipſis facta) per illum, qui eis vtitur, alijs omnibus privilegia huiuſmodi, illæſa conſervantur. 32

Secundò probatur ex triplici Apoſtolica Conſtitutione præfati Eugenij IV. in favorem dictæ Congregationis Caſſinenſis, ſeu Sanctæ Iuſtinæ edita. Quarum duæ priores ſub eodem initio, *Etſi ex debito*: & *ſub eadem data, Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo, quadringenteſimo, trigeſimo-quarto, ſeptimo Kalendas Martij*: & poſterior, data Bononiæ, *Anno Incarnationis Dominicæ. Mileſimo, quadrigenteſimo, trigeſimo-ſexto, Pridie Kalendas Iulij*, incipit. *Etſi quæſlibet*, in quarum qualibet, provt authenticæ penes me habentur in Bullario meæ Hiſpanæ Congregationis, ſic vt ſequitur decernit Eugenius. 33

In prima earum, quæ in Ordine Bullarij eſt la 6. Ita *nn.* 20. *pag.* 20. Adiicientes etiam, quod ſi quandoque contigerit per aliquem, aut plures 34

actus

actus contra huiusmodi, aut quæcumque alia decreta, priuilegia, indulta, gratias, & immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod, à quocumque, cuiuscumque Conditionis, Dignitatis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quauis causa aliter attentari, vel obseruari, ignoranter, vel scienter, nullum tamen per hoc præiudicium Decretis, priuilegiis, indultis, gratiis, & immunitatibus præfatis volumus generari, sed illa in suo robore, & vigore permanere. Non obstantibus in Constantiensi, & aliis Conciliis, ac felicis recordationis Innocentio IV. & Martino V. nec non aliis Summis Pótificibus, prædecessoribus nostris editis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiamsi de illis expressa, ac de verbo, ad verbum præsentibus mentio habenda esset, quibus, quoad præmissa, specialiter, & expressè derogamus, nec non Monasteriorum Prioratuum Ordinum prædictorum iuramento confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat &c.

35 In secunda Eugeniana, & in Ordine *la 7. fol. 27. n. 19.* sic habetur. Adiicientes etiam, quod si quandoque contigerit per aliquem, aut plures actus contra huiusmodi Decreta, priuilegia, & Ordinationes, aut ipsorum aliquod, à quocumque, cuiuscumque conditionis, gradus, & status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, & futurorum, quibus hæc conceduntur; aut alia quauis causa, propterquam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore seruatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium Decretis huiusmodi volumus generari, sed in suo remaneat vigore, ac robore. Hactenus Eugenius in illa Constitutione, cui addit easdem clausulas. Non obstantibus: ac Nulli ergo. Et aliam etiam specialissimam, quod non censeatur, per vllum Pontificem reuocata, nisi appareat euidentissimè, & apertissimè, quod ei velit derogari, per litteras Apostolicas facientes specialem mentionem de verbo, ad verbum, ex certa scientia, de huiusmodi priuilegio, ac ipsâ Congregatione, diuersis nominibus eam nominando, per hæc vocabula, videlicet Congregationem vnitatis, aliàs de obseruantia Sanctæ Iustinæ nuncupatam: causasque legitimas allegauerit, cur iis obuiate Decretis intendat.

36 In tertiâ denique Constitutione, & nonâ dicti Bullatij, *fol. 33. num. 16.* ita decernit præfatus Eugenius Papa. Adiicientes etiam, quod si quandoquè contigerit, per aliquem, aut plures actus, contra huiusmodi, aut quæcumque alia Decreta, priuilegia, indulta, gratias, immunitates, & Ordinationes præfatæ Congregationi concessa, aut aliquod illorum, à quocumque, cuiuscumque conditionis, dignitatis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa proptet quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium Decretis, priuilegiis, indultis, gratiis, immunitatibus, & Ordinationibus huiusmodi volumus generari, sed in suo vigore, atque robore permanere. Non obstantibus &c. prout in prima suprà reddita Constitutione.

37 Probatur *tertiò* non præiudicari priuilegiis Regularium per non vsum, nec per contrarium quidem vsum, ex *capite, cum tempore el 5. de arbitris*, vbi sic Innocentius Papa III. Abbati, & Conuentui de Pigrauia rescribens decernit. Cum tempore C. Papæ prædecessoris nostri. Et infrà. Super controuersiis, quæ inter te, & Mersburgensem Episcopum, & quosdam tuos Monachos vertebantur, te promisisti Arbitrum Magdeburgensis Archiepiscopum seruaturum: Et infrà. Quia legitimè constitit, quod fide hinc indè datâ compromissum, & in Archiepiscopum memoratum, nos arbitrium ab eo prolatum decernimus obseruandum; illis dumtaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipsius Monasterij, duarum Capellarum eiusdem in arbitrio sunt expressa: cùm etsi spontè voluetis, de Iure tamen nequiueris siue licentia Romani Pontificis renuntiare priuilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ Monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.

Hactenus in Decretali illa. Ex quo quidem textu, euidenter sequitur, quod si renuntiari non potest priuilegiis Monasterij pertinentis ad Romanam Ecclesiam sine Summi Pontificis licentia, nec illis præiudicari potest per non vsum illum, aut per contrarium vsum Ac per consequens, cum Monasteria Regularium exemptorum, maximè Ordinis nostri, ad eandem Ecclesiam immediatè pertineant, ex variis Pontificum Diplomatibus, ac Apostolicis Constitutionibus, præcipuè ex Eugenianis suprà redditis, incipientibus; *Etsi ex debito*, in quibus sic decernitur: illáque omnia, & ipsorum quodlibet, in ius, & proprietatem Beati Petri, & sedis eiusdem, ac sub eorum protectione specialiter suscipimus, & nostra &c. non solùm per non vsum, sed nec per contrarium vsum, eorum amittentur priuilegia. 38

Quartò, probatur. Priuilegia ob benè merita concessa, per non vsum non amittuntur. Barbosa, in *cap. Cum accessissent, num. 5. el 8. de Constitutionibus*, cum Tap. *in l. fin. part. 1. cap. 1. n. 5. ff. de Constitutionibus Principum, num.* 8. Hier. Gab. *concil.* 151. *num.* 11. *volumine* 2. Surdo, *concil.* 419. *nu.* 30. Beter. *concil.* 13. *num.* 10. Baldo *Concil.* 22. *nn.* 38. Sed priuilegia Regularibus concessa sunt ob benè merita, vti ex illorum patet inspectione. Ergo non amittuntur per non vsum. 39

Clausula: *& Decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur &c.* Ita accipienda est in confirmationibus priuilegiorum Regularium, vt solùm illas confirmans, intendat excludere à confirmatione, quæ præfato Concilio ita sunt contraria, vt ab eo expressè reuocentur (quale erat; quod Regulares possent Ordines recipere sacros, ante ætatem assignatam *sess.* 23. *c.* 12. quod ibi expressè reuocatur) non autem derogare intendit priuilegiis, quæ quomodo sunt Concilio Tridentino contraria, si ab eo in terminis non abrogantur. Huiusmodi erat priuilegium, quod Regulares habebant, vt possent extra tempora Ordinari: quod vtique contrarium est Tridentino; contrarium decernenti, *in eadem sessione* 23. *cap.* 8. & tamen, quia ei in Concilio non derogatur expressè, cadit sub generalem confirmationem priuilegiorum, cum prædicta clausula: *Dummodò Decretis Concilij Tridentini non aduersentur*: factam. Ita docet Diana, *part.* 11. *tract.* 11. *resolut.* 6. *versic. Notandum est tamen.* Tamburinus *de Iure Abbatum to.* 1. *disp.* 18. *quæstio* 6. *num.* 2. Bruno Chassaing. *in Priuilegiis Regularium, tract.* 1. *cap.* 2. *proposit.* 5. Hieronymus Rodetiquez, *in Compendio quæstionum* 40

*Regularium, resolut. lib.6. de Priuilegiis n.*14. Eligius Bassæus, *tom.*1. *verbo Priuilegium, IV.n.*7.& probabile Iudicat Ioannes Baptista Lezana, *in Summâ quæstionum Regularium, part.*2. *cap.*1.*n.*58. *& tom.*2.*part.*3. *verbo Clausula num.*26.

41 Clausula. *& sacris Canonibus, &c.* in confirmationibus priuilegiorum apponi solita, coniungitur præcedenti: *Et Decretis sacri Concilij Tridentini non aduersentur.* Refert vtique non Canones Iuris communis antiqui. Quia aliàs cum omnia priuilegia contra Ius commune sint, si præfata clausula illius Canones referret, confirmationes huiusmodi parùm, aut omninò nihil operarentur. Refert igitur Canones Concilij Tridentini tantùm: ità vt dictio, *&* coniunctiua sit Canonum Concilij præfati cum ipsiusmet Decretis.

Ità docet Tamburinus noster, *vbi proximè n.*1. *versic. Circa*, cum Sorbo, *in Annotationibus ad compendium priuilegiorum Regularium, verbo Priuilegia Fratrum*, versic. *Est etiam aduentendum.* Augustinus Barbosa *tract. de Clausulis vsufrequentioribus, Clausula* 52.*num.* 4. *& Clausula* 124.*n.*2. impressionis Lugdunensis. Ioannes Baptista Lezana, *tom.*2.*part.*3. *verbo Clausula, num.*27. Emanuël Roderiquez, *tom.*1. *quæstionum Regularium, quæst.*8. *art.* 8. Hieronymus eius nepos, in compendio dictarum quæstionum *resol.*116. *citata numer.* 16. Eligius Bassæus, *verbo Priuilegium IV. num.*6. Antoninus Diana, *part.*3.*tr.*2. *resolut.*56. Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, Fundamento* 38. *num.*944. *versic. Sed contrà, pag. mihi* 264. Bruno Chassaing, *vbi proximè versic. Pro intelligentia* ibi. Quamuis sint contraria Decretis, & Canonibus eiusdem Tridentini. Laurentius Peyrinus, *tom.* 2. *priuilegiorum* sui Ordinis Minimorum, *Constit.*1. *Gregorij XIII.*§.3. *num.*2.

42 Probatur *tertiò* resolutio Dubij, quoad secundam eius partem videlicèt quoad hoc, vt post Tridentini reuocationem priuilegiorum Regularium, ista fuerint confirmata, & innouata à Sede Apostolica, & non solùm quoad facultatem suspendendi interdictum, sed quoad alia etiam. Licèt enim multæ sint Bullæ illorum confirmatoriæ cum clausulis modo expositis, ac declaratis; non paucæ tamen adsunt, quæ illis neutiquam subsint, vbi benè adnotant, Emanuël Roderiquez, *vbi proximè art.*8. *in fine.* Hieronymus Roderiquez, *dicto, num.*16. Chassaing, *loco allegato, versic. Ex quibus.* Quæ quidem ex certa scientia, & ex plenitudine potestatis prodierunt, fuerunt concessæ. Per quam quidem clausulam significat Papa confirmans, se velle operari quidquid potest: Videlicèt supra Ius, & contra Ius. Ità illam exponit Lezana. Habetque confirmatio ex certa scientia, vim nouæ concessionis talis priuilegij, vel priuilegiorum. Bassæus, *tom.*1. *verbo, Priuilegium IV. num.*3. cum Bartolo, *in l. More maiorem, ff. de Iurisdictione*, Miranda *in Manuali Prælatorum, to.*2. *quæst.*42.*art.*5. Portello, *in Dubiis Regularium, verbo Priuilegium, num.*34. dictus Emanuël, *quæst.*8. *allegata, art.* 2. cum Mandosio *de Priuilegiis adinstar, quæst.*7. *art.*2. ex Glossa, *in cap. Quia diuersitatem, verbo Forma communi, el* 5.*de Concessione præbendæ.* Ioannes Baptista Lezana, *tom.*2.*part.*3. *verbo, Clausula, num.*29.*& part.* 4. *verbo Priuilegia, Regularium, num.*23. (vbi rationem reddit, quia confirmatio ex certa scientia vim habet confirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum) Hieronymus Roderiquez, *resolut.*52.*num.*41.*& resolut.*116. *num.*9. Castrus Palaus, *in Summa moralis part.*1. *tract.*3. *de Priuilegiis, disp.*4. *punct.*2. §.10.*n.*3. *&* 5. & penes Dianam, *part.* 12. *tract. de Collocutione, & scriptione vetitis tempore Conclauis. resolut.*26. *versic. Probatur.* Baptista de Salis Panormitanus, Glossa, Oldradus, Roderiquez, Thuscus, Marchesanus, & Suarez, c tati, & sequuti à Sebastiano à Bononia, *de electione, part.*2. *cap.* 4. *dub.*63. *num.*7. Thomas Hurtadus, *vers. resolutio tom.*2. *tract.*8. *cap.*6. *resolut.*54.*num.*557. Cardinalis Lugo, *lib.*3. *responsa dub.* 18. *num.* 8. Samuëllius, *de electione, tract.* 3. *disp.*3.*controuers.*18.*Conclus.*4. Sanctorius, *in Constitutiones Minorum, cap.* 8. *sect.* 18. Villalobos, *tom.*1. *tract.*13. *difficult.*60.*num.*10. Garcia in Politica Regulari, *tom.*1. *tract.* 8. *difficult.* 1. *dub.*7. Megala, *tom.*2. *variarum resolutionum, resol.*199. *num.*8. Bordonus, *tom.*2.*resolut.*52.*n.*137. Leander à Murcia, *in Regulam Sancti Francisci, cap.*6. *quæst.*18. & Merolla, *tom.* 3. *disput.* 6. *dubitat.* 2. *difficult.* 2. *num.* 55. Laurentius de Peyrinis, in Formulario, *litt.C.cap.*18. *num.*4.

43 His omnibus addo Marcum Vidalem, qui *in sua arca Vitali, titulo de casibus reseruatis, inquisit.* 1. *num.*109. in hæc prorumpit verba. Sciendum est secundò, confirmationem priuilegiorum duplicem esse posse; vnam ex certa scientia, aliam in forma communi. Prima, tunc habetur, quando in confirmatione priuilegiorum, vel expresè dicitur, *ex certa scientia*, vel *de plenitudine potestatis*: vel aliis verbis id exprimitur, vt docet Suarez, *de legibus lib.*8. *cap.*9. *num.* 4. & tunc supponit Papa se habere notitiam claram, illorum priuilegiorum, & se velle operari quidquid potest, videlicet suprà Ius, & contra ius. Vndè hæc confirmatio *ex certa scientia*, plures habet effectus. *Primò* confert nouum ius, & æquiualet concessioni. *Secundò* habet vim restituendi priuilegia amissa per non vsum, vel per contrarium vsum, reddendo validũ actum nullum. Ad quem effectum poni solent in confirmatione hæc verba: (eáque omnia, & singula innouamus, ac de nouo etiam concedimus) *Tertiò* habet, vt id, quod confirmatur, reddatur solemne, si aliàs tale non erat, ità vt det robur, tàm quoad solemnitatem, quàm quoad validitatem. *Quartò* habet, vim restituendi priuilegia reuocata.

44 Hactenùs Marcus Vidal, cum Corduba, in annotationibus ad compendium Priuilegiorum Minorum, tit *Priuilegia Fratrum*, §.15. Portello *in Dubiis Regularium verbo, Priuilegij confirmatio, num.*17. *&* 29. & Barbosa, *tract. de Clausulis vsufrequentioribus, Clausula* 59. Quorum omnium sententia intelligenda est, si in Bullis confirmatoriis clausula aliqua restrictiua non apponatur, ex qua contrarium colligi queat.

45 Quod autem confirmata, & innouata sint priuilegia Regularium *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, post Concilium Tridentinum, & post Gregorianum, *in tanta rerum mole, la* 9. *Gregorij XIII. de anno* 1573. reuocatoriam Constitutionis, *etsi Mendicantium Ordines*, Pij Papæ V. & sæpe sine clausula quidem restrictiua, demonstrabimus Bullas huiusmodi designandi. Bruno Chassaing, *dicto tract.*1. *cap.* 2. *proposit.*5. *versic. Ex quibus*, refert aliquas pro diuersis Ordinibus concessas. Sed hîc nonnullas per me attentè, diligenterque perspectas libuit recensere.

46 In primis videatur constitutio præfati Gregorij XIII. *Ascendente Domino, la* 89. *in nouissimo Bullario magno Cherubini tom.*2. *pag.*471. *Data* 8. *Kalendas Iunij Anno* 1584. in cuius §.19. Motu proprio

prio, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula, ac quæcumque priuilegia Societati Iesu à se, & à suis prædecessoribus concessa, etiam per communicationem, approbat, & confirmat omnia illa pro expressis habens, ac si ad verbum ibi insererentur. Suppletque omnes illorum defectus, tàm Iuris, quàm facti. Nulla quidem restrictionis, aot limitationis apposita notâ, præter hanc, §. 29. contentam. Videlicet. Præsentis autem Constitutionis, & gratiæ communicationem omnibus aliis, qui sua priuilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus. Quâ tamen clausulâ non obstante, huiusmodi Constitutione, & gratia frui, potirique possunt alij Regulares vigore communicationum, post illius Constitutionis editionem factarum, de priuilegiis Societatis præfatæ, vti latè probat Emanuël Rodericquez, *to. 1. quæstionum Regularium, quæstio. 55. artic. 17. fol. mihi 311.*

47 *Secundò*, occurrit Sixtus Papa V. in Constitutione. *Super specula, la 70. apud Cherubinum, to. 2. Bullarij, pag. mihi 605. Idibus Nouembris, de Anno 1587.* & sui Pontificatus Tertio, in fauorem Congregationis Fulliensis edita, in qua §. 5. concessit authoritate Apostolica, & perpetuò indulsit, absque vlla limitatione, vel restrictione vt omnibus & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, concessionibus, facultatibus, indultis indulgentiis, etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, relaxationibus, *cæterisque gratiis tàm spiritualibus, quàm temporalibus* Ordini Cistercieñsi; ac Congregationibus sub illo institutis, eorumque Monasteriis, & locis pariter vtriusque sexus per vniuersum Mundum constitutis, & erectis, ac constituendis, & erigendis in genere, vel in specie, etiam per solam signaturam, & *viuæ vocis oraculo*, ac per modum communicationis, & extensionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & Apostolicæ potestatis plenitudine, vel alias quomodolibet, tàm per se ipsum, quàm quoscumque alios Romanos Pontifices, etiam prædecessores suos, ac Sedem Apostolicam, sub quacumque forma, & expressione verborum concessis; aut *concedendis quomodolibet in futurum*, etiamsi talia sint, & forent, quæ specialem ipsorum requirerent mentionem, vti, potiri, gaudere, liberè & licitè, tàm coniunctim, quàm diuisim valeant, non solùm adinstar, sed *æquè principaliter*, ac pariformiter in omnibus, & per omnia, perindè ac si illis, & eorum cuilibet ab initio specialiter, & expressè concessâ extitissent.

Aliam edidit Constitutionem Clemens Papa VIII. in fauorem eiusdem Congregationis Fulliensis, *4. Septembris, 1592.* incipit, *Pastoralis la 12. apud Bullarium Laertis Cherubini, tom. 3.* in quâ §. 4. ei concedit omnia priuilegia, indulta, facultates, immunitates, exemptiones, prærogatiuas; indulgentiasque, & alias gratias spirituales, & temporales, Ordini Cistercieñsi in genere, vel in specie quomodolibet concessa, *vel in futurum concedenda* per Romanos Pontifices, Legatos de latere, Imperatores, Reges, & Principes sæculares, vt illis gaudeat, sine aliqua prorsus differentia.

Paulus etiam V. *5. idus Iuly, 1606.* in Constit. *Diuina, la 32 apud dictum Laertinum, eodem to. 3. §. 5.* eidem Congregationi, & illios Religiosis de nouo concessit, omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, concessiones, fauores, facultates, declarationes, conseruatorias, immunitates, exemptiones, libertates, cæteraque gratias, præeminentias, & indulta cuiusuis generis existentia, spiritualia, & temporalia, qualiacumque illa sint, quæ à Romanis Pontificibus & ab aliis ad id potestatem habentibus, concessa fuerant, vel in futurum concederentur Ordini Cistercieñsi, eius Abbati, quatuor primis Abbatibus, aliisque illius Abbatibus, eius capitulo Generali, & etiam aliis Religionibus, Monasticis eorumque professoribus, ac vtriusque sexus, eorum Monasteriis, Ecclesiis, Prælatis, Monachis, &c. vt eis gaudeant æquè pariter & sine vlla differentia. In quâ quidem Constitutione, sicut & in Clementina præcedente, nulla apponitur restrictio, aut limitatio. Quod menti tene.

Tertiò dictus Sixtus occurrit, in Constitutione, *7. Kalendas Decembris eiusdem anni 1587.* in fauorem Congregationis Sancti Benedicti Regnorum Portugaliæ edita, in quâ dictæ Congregationi, ac omnibus, & singulis illius Monasteriis, Prioratibus, & aliis Regularibus locis tàm præsentibus, quàm futuris, eorumque Generali, & aliis Abbatibus, Diffinitoribus, Visitatoribus, Superioribus, Monachis, Religiosis, Nouitiis, Conuersis, cæterisque personis, tunc & pro tempore existentibus, concessit, vt omnibus, & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogatiuis, anhelationibus, fauoribus, præeminentiis, indultis, licentiis, stationibus, declarationibus, facultatibus, concessionibus, indulgentiis; etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, ac relaxationibus, *aliisque vniuersis, & singulis gratiis spiritualibus, & temporalibus* Sancti Hieronymi, & Sancti Bernardi, & aliis Cistercieñsis Ordinis, nec non Casinensis, & Vallis Oleti dicti Ordinis Sancti Benedicti Congregationibus huiusmodi, per vniuersum orbem Constitutis, ac cuilibet eiusdem Congregationis Sancti Benedicti, Regnorum Portugalliæ Monasteriis, seu illorum Ecclesiis, seu Regularibus locis, eorum Generalibus, ac aliis Abbatibus, Diffinitoribus, Visitoribus, Superioribus, Conuentibus, Monachis, Religiosis, Nouitiis, Conuersis ac familiaribus personis, ac illorum intuitu, & contemplatione, per quoscumque prædecessores suos, ac etiam per se, *& successores suos* Romanos Pontifices, ac Sedem Apostolicam, atque etiam Imperatores, Reges, & alios Principes, & quemcumque, seu quoscumque alios; sub quacumque forma, & verborum expressione, ac quauis, tàm Apostolica, quàm Ordinaria, vel alia authoritate, nec non tàm in genere, quàm in specie, & particulariter, quàm per modum communicationis, & extensionis, & ampliationis, quàm simplicis, & indiuiduæ, & particularis, & specialis concessionis hactenus, ac etiam iteratis vicibus confirmatis & approbatis; ac *in posterum pro tempore concedendis, confirmandis & approbandis*; etiamsi talia forent, quæ specialem eorum requirant mentionem, ac quibus illa, & illa quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & potuerunt &c. Non obstantibus Constitutionibus, seu renouationibus, ac aliis præmissis, & sua de non concedendis Indulgentiis adinstar, & aliis Cancellariæ Apostolicæ Regolis aliisque Apostolicis, neque in *Vniuersalibus*, prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, & generalibus Constitutionibus, & ordinationibus.

Hæc omnia; Constitutio continet præfata, quæ habetur

habetur authentica apud Bullarium Emanuëlis Roderiquez, *tom.2.la 21. Sixti V. pag.mihi* 1165. Incipit *Iniunctum nobis.* Cuius meminit noster Abbas Tamburinus,*de Iure Abbatum,to.1.disp.*17. *quæsito* 1. *numer.*7. *pag.*254. & præfatus Emanuel *tom.*1. *quæstionum Regularium, quæst.* 55. *de communicatione priuilegiorum artic.* 6. *pag.mihi* 305. quo loci hanc fidem facit. Hoc magnum priuilegium vidi sub sigillo authentico in libro priuilegiorum Congregationis Sancti Benedicti Regnorum Portugaliæ, impresso Romæ ex Typographia Titi, & Pauli de Dianis, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, octuagesimo nono, in pagina decima sexta eiusdem libri.

50 Hæc Emanuël, qui immediatè addit. Et refert Collector priuilegiorum Cisterciensis Ordinis simile priuilegiū concessum dictæ Congregationi à Gregorio X. Tertiò, sub Annulo Piscatoris, vigesimâ tertiâ die Iulij, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, octuagesimo, Pontificatus Domini Papæ Anno nono. Ex quo priuilegio colligitur huic Congregationi concessa esse priuilegia,& concedenda Congregationi Sancti Bernardi Ordini Cisterciensis. vndè cùm Congregationi Ordinis Cisterciensis sint concessa priuilegia omnium Ordinum Mendicantium, prout patebit ex priuilegio Gregorij Quarti Decimi, infrà citando (imò exscribendo *numer.*56. Clarum est, quod potest dicta Congregatio, & eorum Fratres, loca, Monasteria, Nouitij, Conuersi, familiares, & aliæ personæ frui priuilegiis concessis, & concedendis quibuscumque Ordinibus, etiam Mendicantibus.

51 Hucusque Roderiquez præfatus. Ex cuius quidem doctrina, admodum vera, ego etiam colligo, nostram Benedictinam Congregationem Hispanam, eius Monasteria, loca & personas particulares, tàm Prælatos, quàm subditos, Professos, Nouitios, Conuersos, familiares,& alias personas, frui & gaudere omnibus, & singulis priuilegiis, gratiis, &c. concessis, & concedendis quibuscumque Ordinibus etiam Mendicantibus.

52 Ducor. Quia Clemens Papa VIII. sub die 90. *Decembris, de Anno* 1591. Bullam 123. nostri Bullarij Benedictini Hispani, incipit, *Romanus Pontifex* condidit, in quâ sic statuit. Et insuper ob singularem reformationem, & obseruantiam in dicto Monasterio (scilicet Sancti Benedicti Vallis Oletani)& in aliis prædictis, & de eius obseruantia institutam, & conseruatam, eosdem amplioribus fauoribus condecorare volentes, omnia & singula priuilegia, concessiones, & indulta, gratiasque spirituales, tàm Monasterio Beatæ Mariæ de Monteserrato, quàm Congregationi Regularis obseruantiæ Sancti Bernardi Ordinis Cistertiensis Regnorum Hispaniæ ac eorum Monasteriis, Domibus, Conuentibus, Ecclesiis, Collegiis, & piis locis concessa, ac quibus vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenoribus, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis, etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem,& seu particularem insertionem, prædictis Monasterio Sancti Benedicti, & aliis, ac singulis de eius obseruantia Monasteriis virorum, & mulierum, vt eis vti, frui & gaudere liberè, & licitè possint, & valeant authoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus; dummodo non sint reuocata, & non aduersentur Decretis Concilij Tridentini, & quatenùs etiam sint in vsu. Eaque omnia, & singula eis, & eorum cuilibet, eisdem authoritate, & tenore similiter perpetuò extendimus eisque communicamus. Hactenus Clemens Papa; sed Congregatio Cistertiensis Hispana gaudet omnibus & singulis priuilegiis concessis,& concedendis quibuscumque Ordinibus, ergo eisdem omnibus gaudet Congregatio nostra. Probo minorem. Cistertiensis Congregatio in vim Gregorianæ de quan. 56, gaudet, v. g. priuilegiis Carmelitarum. Sed isti gaudent concessis, & concedendis Ordinibus omnibus. Leo X. in Bulla *Dudum per Nos*, apud Cherubin. *la* 32.& Clemens Sept. in Bulla *ex Clementi, la* 31. Lezana, *par.*1. *cap.*3. *num.*17.& de aliis Ordinibus Miranda *tom.*29.46. *art.* 5. qui id extendit de priuilegis concedendis Ordinibus adhuc nō existentibus. Ergo quod autem de communicatione Carmelitanorum dixi, dico de Fulliensibus, de Benedictinis Portugaliæ, seu de communicatione priuilegiorum illorum, & aliorum similium. Et per communicationem, propria omnia illius, cui communicantur fiunt. Lezana, *tom.*1. *part.*2. *capit.*12. *num.*7. & *tom.*2. *vers. Priuilegia, num.*24.

Vnum hîc aduertere lubens duxi, posse nostram præfatam Congregationem, eius Monasteria, loca, Prælatos, Monachos, Nouitios, Conuersos, & quaslibet alias personas illius, tàm in cōmuni, quàm in particulari, potiri, vti, frui & gaudere, omnibus & singulis priuilegiis, concessionibus indultis, & gratiis eidem Congregationi, illius Monasteriis, locis, Prælatis, &c. concessis, etiamsi reuocata fuerint ante, annos in quibus priuilegia in præcedentibus reddita, condita fuerint,& etiamsi non sint in vsu; & denique, etiamsi Decretis Concilij Tridentini aduersentur non obstantibus restrictionibus hîc à Clemente VIII. appositis in illorum confirmatione, modò reddita, ibi *Dummodò non sint reuocata, &c.* iuxta doctrinam Bordoni, *tom.*2. *resolut.*52. *num.*305. quem recenset, & sequitur Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.*2. *tract.*8. *cap.*1. *num.*46. *versic. Sic docet.* 53

Et ratio est, quia priuilegia, concessiones, gratiæ, & indulta nostræ Congregationi concessa, sine dictis restrictionibus, confirmata fuerunt aliis Congregationibus, & Ordinibus, quibus communicata, & extensa reperiuntur, vti in præcedentibus vidimus, & infrà persæpè videmus. At concessio confirmationis factæ sine restrictionibus, est priuilegium quoddam, adeóque cadere debet sub priuilegiorum communicationem, sicque eâ vti poterit Ordo communicans: ergo si Congregatio nostra, in vim Clementinæ, modò redditæ, communicationem habet omnium, & singulorum priuilegiorum, concessionum, gratiarum, & indultorum Congregationis S. Bernardi, & eorum omnium, quibus illa vtitur, & vti potest, & gaudere ac per consequens, omnium quibuslibet Ordinibus concessorum, & nostra priuilegia reperiantur concessa, & confirmata, sine dictis restrictionibus Societati Iesu, Congregationibus Fulliensi, & Sancti Benedicti Regnorum Portugaliæ, Ordini Cisterciensi, & illius Congregationibus Hispaniæ, & Italiæ, benè & licitè vti poterunt eisdem priuilegiis, sine dictis restrictionibus, dicta nostra Congregatio, eius Monasteria, loca & personæ. 54

Deindè probatur. Quia per restrictiones à Clemente VIII. appositas, non negatur simpliciter vsus,

vsus priuilegiorum; sed solùm vi specialis confirmationis factæ, cum dictis restrictionibus; quæ tamen non excludit vsum confirmationis factæ in ampliori forma, vti ex se manifestè patet.

56 Dictis Constitutionibus Apostolicis, quibus probatum relinquimus confirmationem priuilegiorum Regularium, & certa sententia, & de plenitudine potestatis Apostolicæ post illorum reuocationem factam per Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorij XIII. *In tātā rerū mole*, addere libuit tres aliàs Gregorij Papæ XIV. quarũ prima edita fuit, 28. *Iuny de Anno* 1591. incipit: *Rom. Pontifex la 3. apud Bullariũ authenticũ Emanuelis Roderiq. folio. mihi* 1191. pro quarta deseruiat probatione. Huiusmodi tenoris est. Videlicet.

Romanus Pontifex, & infrà. Nos, qui Regularium votis, præsertim Religionis augmentum concernentibus libenter annuimus, ea quæ fauoribus prosequimur opportunis, singulorum priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, ac desuper confectarum literarum, huiusmodi tenores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes... huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula, cuiusuis generis priuilegia, prærogatiuas, concessiones, facultates, exemptiones, libertates, conseruatorias, immunitates, & indulta, absolutiones, dispensationes, ac peccatorum remissiones, indulgentias etiam plenarias, cæterásque gratias spirituales, & temporales, etiam per modum communicationis; & extensionis dicto Ordini Cisterciensi; ac huiusmodi Congregationi, illorúmque vtriusque sexus, Monasteriis, Domibus, Conuentibus Ecclesiis, Collegiis, piis, ac caritatiuis locis, rebus, & bonis, nec non eorum Abbatibus, Generalibus eorúmque Capitulis, Diffinitoribus, Consiliariis, Visitatoribus, Abbatibus etiam quatuor primis, Prioribus; Officialibus, Ministris, ac omnibus aliis eorum; Superioribus, Prælatis, Monachis, Monialibus, & illorum vtriusque sexus singularibus personis, in genere, & in specie, ac tàm coniunctim quàm diuisim, aut aliàs per præfatos, & quoscũq; alios Romanos Põtifices, prædecessores nostros, & Nos, sedémq; Apostolicã, eiúsque Legatos, & Nũtios, sub quibuscũque tenoribus, & formis, etiam ad quorumuis instantiam, quomodolibet cõcessa, seu cõmunicata, & extensa, nec non desuper confectas literas, & scripturas quascumque, cum omnibus, & singulis clausulis in eis contentis; *quatenus sint in vsu, & Decretis Concilij Tridentini non aduersentur*, Apostolicâ authoritate, *ex nostra certa scientia*, tenore præsentium, perpetuò approbamus; & confirmamus, illisque perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos, tàm Iuris, quàm facti, ac solemnitatũ quarumcumque, quomodolibet omissarũ defectus, si qui forsan interuenerunt in eisdẽ supplemus. Et pro potiori cautela, illa omnia, & singula in eis cõtenta, & cõprehensa, cum illarum extẽsionibus, communicationibus, & ampliationibus eidem Cõgregationi S. Bern. singulis eius Monasteriis, Domibus, locis, eorúmque Superioribus, & vtriusque sexus Regularibus personis; *de nouo cõcedimus* & de vno eorũ Monasterio, ad aliud concedendo, sine vllâ differentia extendimus. Et insuper; ob singularem reformationem, & obseruantiã dictæ Congregationis in eis Monasteriis institutam, & conseruatam, eosdem amplioribus fauoribus condecorare volẽtes, omnia, & singula priuilegia, prærogatiuas concessiones, antellationes, *fauores*, facultates, Declarationes, absolutiones, relaxationes; dispẽsationes, stationes, indulgentias, etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, cõseruatorias, immunitates, exemptiones, libertates, præeminentias, & indulta, cuiusuis generis existẽtia, cæterásque *gratias* spirituales, & temporales, tàm eidem Cisterciensi, eiúsque Abbati, & capitulo etiam Generali, ac quibusuis illius Monasteriorũ Abbatibus; etiam quatuor primis, de Firmitate, Põtiniaco, Clareualle, & Morimũdo, quàm etiã *S. Benedict.* ac quibusuis aliis, similiũ & dissimiliũ Ordinibus, & Religionibus; sub quibusuis Regulis, Constitutionibus, aut ordinationibus degẽtibus; seu militantibus, & quibusuis illarum respectiuè Congregationibus, Militiis, eorúmque professoribus, ac vtriusque sexus eorum Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, nec non Collegiis, Vniuersitatibus, Cõfraternitatibus piis, ac caritatiuis locis, eorúmq; in quibusuis festiuitatũ; ac aliis diebus Ecclesias visitãtibus, ac earundẽ Religionum Generalibus, Præsidẽtibus, & quibusuis Superioribus, Prælatis, Capitulis, etiã Generalibus; Prouincialibus, seu intermediis, eorumq; Diffinitoriis, Abbatibus, Prioribus; Diffinitoribus, Cõsiliariis, & quibusuis Officialibus, Rectoribus, Ministris, Monachis, Nouitiis, Monialibus, Fratribus; Cõuersis, Cõfratribus; Procuratoribus; familiaribus, Benefactoribus, ac eorũ vtriusque sexus, quibuslibet Regularibus personis, tàm in Vrbe, quàm in quibuscumq; mundi partibus cõsistẽtia; seu cõsistentibus, etiã illorũ intuitu, aut alia quomodolibet concessa, quibus de Iure, vsu, vel priuilegio; seu Constitutione Apostolica, vel Imperiali, Archiepiscopali, Episcopali, in genere, vel in specie, ac tàm cõiunctim, quàm diuisim, etiã per solã signaturã, vel *viuæ vocis Oraculo*, aut per viã cõmunicationis; & extensionis, & motu proprio; aut alias quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt: quorum tenores, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac de verbo ad verbũ insertis, etiãsi talia sint, vel forent, quæ specialẽ, & indiuiduã requirerent mentionẽ, & seu particularẽ insertionem, ad primò dictã Cõgregationẽ Regularis obseruantiæ S. Bern. ac singula illius; tàm virorũ, quàm mulierũ Monasteria, illorũque quoscũq; Superiores, Prælatos, & vtriusq; sexus quascũq; Regulares, & singulares personas: ita quod dicta Cõgregatio S. Bern: ex vtriusq; sexus eius Monasteria; Prioratus, grangias, Domos, Ecclesias, Collegia, pia; & caritatiuã loca, Sanctorũq; festiuitatis; Cõuentus, & Capitula, etiã Generalia, particularia, vel intermedia, Generalisq, reformator, Diffinitores, Cõsiliarij, Visitatores, Abbates, Abbatissæ, Priores, & quicũq; alij Superiores; Officiales, & Ministri, Monachi, Moniales, Nouitij, Fratres, Conuersi, Donati, Oblati, Cõmissi, Familiares, Confratres, Procuratores, ac negotiorũ gestores, Benefactores; & aliæ singulares vtriusq; sexus Regulares personæ, ac eorũ res; & bona, sub eorũ cura; & secundùm eiusdẽ Congregationis instituta, nunc; & pro tẽpore viuentes; & existentes; præmissis omnibus, & singulis *equè pariformiter respectiuè, & absq; vlla penitus differẽtia*. singula singulis cõcernẽtia, perinde ac si ea omnia, illis, & earum singulis; principaliter, & expressè, & non adinstar concessa fuissent, ac si in eis, talis Ordo, & Congregatio S. Bern. primò dictã, illiusq; Capitula, Monasteria, Ecclesiæ, dictiq; Superiores Prælati; ac vtriusq; sexus dictæ personæ, res; & bona, expressa, & prænominata fuissent, & essent, ac si pro, & in fauorem eorundẽ à Sede Apost. à principio emanassent, & fuissent immediatè concessa, in quantum eidem Congregationi expediat, eiusque gubernio, Constitutionibus, & Diffinitionibus non aduersentur, vti, frui, & gaudere, liberè, & licitè possint, & valeant, authoritate,

& tenore prædicti, concedimus, & indulgemus, illaque omnia, & singula eis, & eorum cuilibet, eisdem authoritate, & tenore, similiter perpetuò extendimus, eisque communicamus &c.

Hæc omnia Gregorius Papa XIV. Quæ licet prolixa, hîc ad amussim consultò libuit exscribere. Cum, quia non sine tantæ concessionis iniuria, truncari fas fuit. Tum, quia amplissimam continet communicationem priuilegiorum aliorum quorumcumque Ordinum. Tum tandem, quia ex istius Constitutionis verbis, melius intelliguntur priuilegia reddita, suprà & infrà recensenda, ab eodem Pontifice edita.

57 Quintò occurrit ad probationem secundæ partis, resolutionis dubij, dicti Gregorij XIV. Constitutio, edita *quarto Kalendas Iuly præfati anni* 1591. incipit, *Quæ Deo authore, la* 10. *apud Bullarium magnum Cherubini, pag.* 710. *tom.* 2. in quâ §. 5. Motu proprio, ex certa scientia, de plenitudine potestatis Apostolicæ, omnia priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædecessoribus suis, etiam per communicationem Societati Iesu concessa, qualiacúmque, pro expressis illa habens ac si ad verbum insererentur, approbat, & confirmat: ac supplet omnes Iuris, ac facti defectus. Et §. 28. addit Clausulam: *Præsentis autem Constitutionis, & gratia communicationem, omnibus aliis, qui sua priuilegia cum ipsa Societate, copiosè participant, participareque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibemus.* Nullam autem aliam limitationem, aut restrictionem apposuit. illa tamen non obstante, omnes Religiones, priuilegiis dictæ Societati concessis, gaudentes, gaudere possunt præfato, & omnibus aliis, quæ eandem contineant limitationem, vti docet Diana, *part.* 3. *tract.* 2. *de Dubiis Regularium resolut.* 81. cum Roderiquez, *tom.* 1. *quæstionum Regularium quæst.* 55. *artic.* 17. & Ioanne à Cruze, *de statu Religios. lib.* 2. *cap.* 4. §. 2.

58 Sextò occurrit idemmet Gregorius in Constitutione, *Romanus Pontifex, la* 16. *apud modò allegatum Bullarium, & tom.* 2. *pag.* 718. *Die* 6. *Septembris, sæpè recensiti Anni*, 1591. vbi eisdem Motu proprio, de certa scientia, ac plenitudinis potestate Apostolicæ, absque vlla restrictione, vel limitatione, omnia, & singula priuilegia, facultates, & indulta, Ordini Cisterciensi, & eius Congregationibus per quoscumque Pontifices, illorum tenores, pro expressis habens; & illorum communicationes, extensiones, & ampliationes, & singula in eis contenta, & comprehensa, perpetuò approbat, & confirmat, ac de nouo perpetuò concedit Congregationi Sancti Bernardi in Italia.

59 Idem Gregorius in Constit. *Ex iniuncto la* 18. *apud Laertium Cherubinum, tom.* 2. *die* 24. *Septembris, dicti anni* 1591. Congregationi Camaldulensi, §. 11. communicauit, & de nouo concessit omnia & singula priuilegia, prærogatiuas, concessiones, Iurisdictiones, cautelationes, fauores, facultates, declarationes, depositiones, immunitates, exemptiones, indulta cuiuscumque generis existentia, indulgentias etiam plenarias, ac peccatorum remissiones, cæterasque gratias spirituales, & temporales, quibusuis aliis Regularium Congregationum Ordinibus, in quibuscumque mundi partibus existentibus, quomodolibet concessa, & concedenda ac quibus de Iure, vsu consuetudine, & vel priuilegio, aut concessione Apostolica, Regia, imperiali, Archiepiscopali, Episcopali, in genere, vel in specie, tàm coniunctim, quàm diuisim, etiam per viam communicationis, & extensionis alias quomodolibet vtebantur, potiebantur, & gaudebant, ac vti, potiri, & gaudere quomodolibet possent in futurum, etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem, & indiuiduam requirerent mentionem, seu in Constitutione præfata insertionem de verbo ad verbum, & seu particularem concessionem. Et nullam limitationem, aut restrictionem tantæ extensioni, & nouæ apposuit concessioni.

60 Quam amplam tandem communicationem priuilegiorum Regulares omnes, tàm Monachales, quàm Mendicantes habeant, videri licet in aliis Summorum Pontificum diplomatibus, quæ doctus indicat Chassaing, *Priuilegiis Regularium, tract.* 1. *cap.* 3. *proposit* 1. 2. *&* 3. Emanuël Roderiquez, *tom.* 1. *quæstionum Regularium, quæst.* 55. *per totam, &* Augustinus Barbosa, *in cap. quia ex eo, el* 3. *de Pactis, lib.* 6. vbi *à num.* 13. recenset, quàm plures Religiones participantes de priuilegiis Mendicantium. Videlicet Canonicos Regulares Lateranenses, per Bullam 41. Pij V. *Ex superna.* Canonicos Regul. S. Saluat. Bononiensis, per Bullam 30. Iulij II. *Inter cæteros.* Canonicos Regul. S. Crucis Conimbric. per Bullam Pij V. *Ex suprema la* 41. Canonicos Sæculares S. Gergij in Alga, per Bullam Pij V. *Ex incumbenti, la* 92. Monachos Casinenses, aliàs S. Iustinæ, per Bullam Iulij II. *Super Cathedram, la* 1. (Per aliam eiusdem Iulij, *Ad Sacram, la* 1. Bullarij nostræ Congregationis Hispanæ participamus de omnibus priuilegiis, quibus dicta Casinensis gaudet.) Monachi Vallis Vmbrosæ, per dictam Bullam, *Ex suprema.* Monachi Camaldulenses, per Bullam 8. Gregorij XIV. *Ex iniuncto* Monachi Cistercienses Congreg. S. Bernardi in Italia, per *Bullam* 16. *eiusdem Gregorij Romanus Pontifex.* Monachi Cistercienses Congregationis Fulliensis, per Bullam Pij V. la *Diuina disponente*: per aliam eius la Insuper eminentis: & per aliam Sixti V. *la* 70. *Super specula.* Et per alias, quas refert, participant Monachi Cœlestini, Syluestrini, Montis Virginis, Præmonstratenses, S. Basilij Fratres, S. Spiritus in Saxia, S. Hieronymi in Hispania: & Congregationis B. Petri de Pisis: & de Fesulis. Fratres S. Trinitatis, Castellæ, Legionis, & Bethicæ. Cruciferi, Mercenarij, Fratres Militiæ Christi, Portugaliæ. Clerici Theatini, Clerici Regulares Minores participant de Priuilegiis dictorum Theatinorum, Clerici Regul. de Somachia, & Clerici Regul. pauperum Matris Dei participant de priuilegiis Mendicantium, & Clerici Regulares ministrantes infirmis, habent communicationem omnium priuig. Mendic. & non Mendicantium.

61 Pro coronide resolutionis huius Dubij, aduertere libet, non solùm Congregationem nostram Hispanam Benedictinam, sed omnes alias, & Religiones quascumque tàm Monachales, quàm Mendicantes communicantes in priuilegiis, posse vti, frui, & gaudere omnibus, & singulis suprà à nobis in hac disquisitione recensitis, etiam quoad priuilegia reuocata, & quæ non fuerint in vsu, & contraria Concilio Tridentino, & eius Decretis extiterint, in terminis, de quibus *n.* 53. de dicta nostra diximus Congregatione. Cum ob authoritatem Bord. & Pellizzarij, rationes ibi adductas.

Tum etiam, ob ea, quæ docent Bassæus, *to.* 1. *verbo Priuilegium IV. num.* 3. *&* 6. Emanuël Roderiquez,

deriquez, *tom.1. quaestionum Regularium, quaest.8. art.2.* Hieronymus eius Nepos, *in illarum Compendio, resolut.* 116. *num.* 10. Laurentius de Peyrinis, *tom.2. priuilegiorum Minimorum, ad Constitutionem* 1. *Gregorij XIII.* §.3. *num.* 2. & apud Bassæum, Sorbus *in Compendio priuilegiorum; verbo Priuilegia,* & Portell. *verbo Priuilegium, num.*65. & penes Dianam, *part.12. tract. de collocutione, & scriptione vetitis, tempore conclauis,* Merolla, *to.3. disput. 6. dub.* 3. Peregrinus, *in Compendio priuilegiorum Clericorum* Regularium, *in Introductione* §. 7. *in Scholio, versic. Praeterea.* Donatus *in praxi Regularium, tom.1. tract.* 11. *quaest.*9. dictus Potell. *vbi proximè num.*34. Miranda *in Manuali Praelatorum, tom.2. quaest.*42. *art.*5. Antonius Via, *in collectione priuilegiorum Mendicantium, verbo communicatio priuilegiorum, fol.*74. §. Notandum. Bordonus, *tom.2. resolut.*52. *num.*320. & Crescentius, *in Praes. Bem. lib.3. num.*38. Videlicet, quod confirmatis priuilegiis vnius Religionis, censeantur etiam confirmata priuilegia omnium aliarum Religionum, quæ habeut communicationem priuilegiorum illius.

63 Quod certè locum habere, respectu Religionum quibus concessa fuerint non solùm priuilegia aliis concessa, & concedenda, sed etiam fauores, & gratiæ nefas sit dubitare, vti Emanuël Roderiquez, *vbi proximè,* docet dicens: quod si aliquibus Religionibus concedantur priuilegia aliis concessa, & concedenda, procul dubio etiam huiusmodi confirmatio (loquitur de facta ex scientia certa) facta alteri Religioni, ipsis censetur concessa: & multò magis hoc erit verum, si non solùm dictis Religionibus concedantur priuilegia concessa, & concedenda, sed etiam concedantur fauores, & gratiæ; sicut ait Mandosius, conceditur à Paulo III. Societati Iesu. Hæc Emanuël. Addo concessiones factas Congregationibus Fulliensi, & Sancti Benedicti Regnorum Portugaliæ, recensitas *suprà, num.*47. & 48. & Congregationi Sancti Bernardi, redditam *n.*56. Dictæ Societati Iesu, *n.*57. & Congregationi Sancti Bernadi in Italia, & Camaldulensi *num.*58. recensitas.

64 Nec dictis obstat, quod Concilium Tridentinum per nullam Apostolicam Constitutionem censeatur in aliquo reuocatum, nisi in reuocatione de illo fiat mentio. Cùm, quia quoad interdicti suspensionem, expressè Tridentino derogatur per Pium V. in Constitutione, *etsi Mendicantium Ordines suprà n.*14. Tum etiam, quoad aliqua alia priuilegia, facultate, & indulta, &c. quia Sixtus V. expressè derogat *suprà n.* 48. omnibus Constitutionibus, etiam in Vniuersalibus editis Conciliis. Quæ quidem clausula operari debet, quod sonat. Quocirca Diana, *part.3. tr.2. resol.*59. ex P. Henriquez, *lib.7. c.24. in Glossa litt. N.* Vega *in Summa, to.1. cap.*62. *casu* 4. Roderiquez *to.1. qq. Regul. q.8. art.*9. Sanchez *in Sum. to.2. lib.5. cap.4. num.*16. Beja, *part 4. casu* 38. Compendio Societatis Iesu, *verbo Concilium Trident.* §.3. Csbucino, & aliis ait posse Regulares in foro Conscientiæ vti priuilegiis suis, quæ sunt expressè per Concilium Tridentinum reuocata.

Etiam Bruno Chassaing in eadem fuit sententia, *de Priuileg. Regularium, tract.1. cap.2. proposit.* 6. pro locis saltem, in quibus Bullæ Gregorij XV. & Vrbani VIII. oraculorum reuocatoriæ publicatæ, & intimatæ non sint. Quia possunt (inquit) Regulares in foro conscientiæ vti omnibus priuilegiis per Tridentinum expressè reuocati sex concessione Pij V. ad supplicationem Generalis Ordinis Minorum facta coram Cardinali Antonio de Mondia, quæ habetur Romæ in Conuentu Aracœlitano, quam referunt Collectores priuilegiorum, *verbo Concilium:* & Ioannes de la Crux, *in speculo coning. ad finem.* Hæc Chassaing, Gregorij, & Vrbani præfatorum Pœnitentiarius, in Basilica Lateranensi, qui alligat dictos Henriq. Roderiquez, Bejam, Vegam, & LLamas: istum, *in* 1. *part. Methodi, cap.*3. reliquos verò, locis à Diana redditis. Quorum doctrina maximum locum habet in sententia asserentium, Oracula per Bullam coofirmata, iam esse priuilegia Bullata, & non reuocari per Gregorium, neq; per Vrbanum præfatos, de quorum numero sunt Peyrinus, *de Priuileg. tom.3. c.12. Const.*18. *aliàs* 28. *Vrbani, in Scholiis num.*1. & Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Iurisdictione, inquisit.*4. *num.*17. & Lezana, *tom.*2. *part.4. verbo Oracula, num.*7. Oracula autem ante Gregorium XIII. Regularibus concessa per illum, & alios Pootifices suot confirmata per Bullas, Peyrinus, Vidal, Lezana, & innuit Pellizzarius, *in Manuali, tom.2. tract.8. cap.1. n.*130. & *tract.16. cap.* 10. *nu.*76. Ergo io foro conscientiæ possunt Regulares vti priuilegiis omnibus per Concilium reuocatis. Vide Sà *v. Religio.* 56.

Circa priuilegia, & Apostolicas Constitutiones, suprà in disquisitione recensitas, concedentes Regularibus facultatem suspendeodi interdictum, præter octo dubia iam discussa, ad ipsammet disquisitionem immediatè spectantia, tria alia occurrunt dilucidanda, ad præfatarum Coostitutionum intelligentiam. Illa breuiter discutere libuit, ea præcedentibus addendo. Sit ergo in Ordine.

DVBIVM IX.

An vt suspendatur interdictum, aut Cessatio à Diuinis, vigore priuilegiorum suprà dictorum, in diebus in eis expressis, sufficiat, vt Sanctorum Reliquiæ in locis extent Regularium; an verò requiratur necessariò, vt totum alicuius Sancti corpus in ibi, aut saltem maior pars extet?

BREVIARIVM.

Cessatio.

Non suspenditur in locis Regularium per sua priuilegia in diebus in ipsis præfixis, ex eo quod notabiles Reliquiæ ibi sint, n.3.

Sed quia in ibi maior adsit corporis pars, n.4.

Corpus.

Alicuius Sancti ibi adesse censetur; vbi maior pars illius requiescit, etiamsi caput, & multa alia desint Reliqua, n.2.4.

Interdictum.

Suspendunt Regulare interdictum in vim priuilegiorum suorum, in diebus Sanctorum, quorum maiorem partem corporum habent. n.4.

Reliquia.

Notabilis est Caput, Brachium, Crus, & pars corporis, in qua passus est Martyr, si integra sit, n.1.

1 Pro huius Dubij resolutione suppono, notabilem Reliquiam esse, Caput, Brachium, Crus, & ea corporis pars, in quâ passus est Martyr, dummodò integra sit, & non pauca. Quælibet enim ex recensitis seorsim sumpta, notabilis est, vti benè docet Bartholomæus Gauantus, in Thesauro Sacrorum Rituum, tomo de Rubricis Missalis, *part. 1. tit. 11. versic. Quæ verò, pag. mihi* 39. vbi partem in quâ Martyr est passus, aliis addit, ex Declaratione Sacræ Congregationis Rituum, sub die 8. *Aprilis, de Anno* 1628. Quoad aliàs verò partes, Gauanto consonat Hierony. Roderiq. *in compendio quæstionum Regularium, resolutione* 80. *n.* 31.

2 Suppono secundò, ibi censetur aliquod adesse corpus, vbi maior pars illius requiescit, etiamsi caput, & multæ aliæ desint Reliquiæ. Ita docet dictus Hieronymus Rodericqex, *vbi proximè*, Noster Antonius Yepes, *en la Coronica general de S. Benito, tom. 2. centuria 2. año de Christo 660. folio 265. pag. 2. & seqq.* cum Ioanne Molano, de Martyrologiis, *cap.* 23. De San Sebastian dize assi Vuam delberto. *Roma quem victum nunc Suessio læta frequentat*, no porque todo el cuerpo de San Sebastian, se aya trasladado de Roma ala Ciudad de Seyson, sino hasede entender de vna parte del Cuerpo de aquel Sancto, y como consta delo que dize Addon Vienense, y con pia extension algunos dizen, que tienen el cuerpo deun Santo, porque tienen alguna huena parte de sus Reliquias. Hæc ex Io. Molano Yepes. Idem Yepes *enel mismo tomo, centuria* 3. *año de Christo* 697. *in fine, folio* 395. ibi Aunque yo no quiero priuar desta gloria aeste Santo Monasterio, quemuy probable es, tienen algunus huesos, los quales con piadosa extension, han LLamado cuerpo de San Dionysio, y eso seria loque el Sumo Pontifice Leon nono determino. In quadam scilicet Bulla, quam in fauorem Monasterij S. Emetani in Alemania, eius exhibent Monachi; cum tamen Monachi S. Dionisij Parisiensis in sui fauorem circa possessionem corporis dicti Sancti, non vnum, sed plura, & varia exhibeant publica testimonia.

CONCLVSIO I.

3 Non suspenditur interdictum, nec Cessatio à Diuinis in locis Regularium, in vim priuilegiorum, quæ suprà recensuimus, in diebus in ipsis enumeratis, ex eo quod notabiles aliquæ Sanctorum Reliquiæ in ibi adseruentur.

Docent noster Ascanius Tambutious, *tom. 2. de Iure Abbatum, disp. 16. quæsito 4. versic. Circa quæ.* Hieronymus Roderiq. *loco proximè allegato.*

Ratio fundamentalis Conclusionis est. Quia priuilegia suprà reddita, quæ de Sanctorum Reliquiis, ad effectum suspensionis Interdicti loquuntur, & Cessationis à Diuinis, de ipsorum corporibus mentionem faciunt, neutiquam verò de notabilibus, aut insignibus eorum Reliquiis. Ergo cum materia odiosa sit, & Iuri communi contraria, extendi nequit concessio à locis corpora possidentibus, ad loca vbi aliqua, vel paucæ Sanctorum extent Reliquiæ. Licet enim priuilegia præfata fauores sint, & quia Religionibus concessa, reputentur tanquam in corpore Iuris inserta, extendi non possunt, & ampliari vltra id, quod ipsorum verba patiuntur, vt vitetur Iuris communis correctio, quantum vitari possit.

CONCLVSIO II.

4 Interdictum, & Cessatio à Diuinis suspenduntur, in locis Regularium, vigore suprà memoratorum priuilegiorum, in diebus in illis recensitis, si in dictis locis maior pars corporis alicuius Sancti extat, etiamsi inibi magna corporis pars, & illius caput desiderentur, desit.

Hanc Conclusionem tenet præfatus Hieronymus Rodetiquez, *dicta resol.* 80. *num.* 31.

Probatur Conclusio. Facultas priuilegiorum Regularibus concessorum, quâ fauorabilis, & pro in corpore Iuris inserta reputata, ampliari debet, quantum verba priuilegiorum patiuntur. Sed tenot verborum dictorum priuilegiorum patitur ampliationem facultatis suspendendi Interdictum, & Cessationem à Diuinis, in locis, in quibus maior pars corporis alicuius Sancti requiescit. Ergo in illis, in vim dictorum priuilegiorum, suspendi possunt in diebus, in illis expressis. Minor probatur. Quia ibi censetur adesse corpus alicuius Sancti, vbi maior illius requiescit pars; ergo concessio, & facultas facta pro loco, in quo adest corpus alicuius Sancti, ampliationem admittit ad locum, vbi maior pars corporis requiescit.

DVBIVM X.

An Translatio Sanctorum, in prædictis priuilegiis recensita, intelligenda veniat pro Translatione, in determinato die celebrari consueta, verbi gratia, Translatio S.P. Nostri Benedicti XI. Iulij; an verò pro die quolibet, ad quem propter alia maiora occurrentia Festa huiusmodi Sanctorum translata fuerint?

BREVIARIVM.

Cessatio.

Suspenditur in die Sancti pro quo concessa est illius suspensio, etiamsi de eo non recitetur propter occurrentiam dignioris festi, & in die ad quem transfertur, num. 2. 3.

Dictio *Etiam*.

Dictio etiam, *casum magis dubitabilẽ includit*, n. 2.

Interdictum.

Non solùm suspenditur in die Sancti, pro quo concessa est illius suspensio: sed in die ad quem transfertur, n. 2. 3.

Translatio.

Vox Translatio, apposita in priuilegiis, intelligitur, tam de die ad quem transfertur festum, quàm de die determinato, & fixo, in quo celebrari consueuit Sancti alicuius translatio, n. 1.

CONCLVSIO.

Respondeo in secunda acceptione, in dictis priuilegiis, & similibus, vocem *Translatio* sumi & vsurpari non autem in prima solùm. Ita docent Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, to. 2. par. 1. tr. 7. c. 4. n.* 42. Emanuël Roderiq. *tom. 2. quæstionum Regularium, q.* 112. Hier. eius nepos, *in dictarum quæstionũ compendio, resol.* 80. *n.* 27. & 31. 1

Pellizzarius, *loco allegato*, sic, vti sequitur, fatur. Quod si contingat non fieri Officium de aliqua dictarum solemnitatum in die propria, eo quod verbi gratia transferatur in alium diem, nihilominus eo ipso die suspenditur interdictum, sicut & suspenditur, si in aliquo die infra octauas talium solemni

solemnitatum de ijs non fiat Officium, sed tantùm commemoratio. Quod item notavit Miranda; *part.2. quaest.38. art.12. concl.* 14. idem dicit Hieronymus Roderiquez *dicto num.* 31. ibi: item in translationibus eorundem Patronorum.... vt apud nos Minores pro Translatione B. P. N. Francisci.

Emanuël autem Roderiquez *vbi proximè* in hæc prorumpit *versic. Ex quibus*. Ex quibus concessionibus aliqua colliguntur. Primum est. Quod si dies in quibus debebant celebrari dictæ festivitates, in alios dies transferantur ab ipsis diebus, etiamsi officia ipsorum Sanctorum non recitentur, neque de ipsis fiat commemoratio, debet suspendi interdictum, & Cessatio, vt patet ex prima concessione Leonis X. facta Minoribus, licet ex secunda pro festivitatibus Ordinis Prædicatorum, contrarium colligi videatur. Ego tamen arbitror ibi contrarium minimè dici. Nam habetur ibi, quod interdictum suspendatur in dictis festivitatibus quomodocumque etiam per translationem celebrandæ occurrent. Dictio enim illa (etiam) casum magis dubitabilem includit: & sic volt Leo X. quod interdictum suspendatur in dictis festivitatibus; etiamsi de ipsis non celebretur, sed per translationem in alijs diebus celebretur: quod ipsum in prima concessione pro Minoribus dixerat idem Leo. Vnde si propter festivitates occurrentes, incipiat celebrari Officium in penultimo die octavarum, in his duobus tantùm diebus de Sanctis agetur, quibus transactis, ipsorum octava finietur.

Secundò colligitur, quod licet propria festa alia occurrentia de ipsis tantùm fiat commemoratio, potest suspendi interdictum, & Cessatio, vt patet ex verbis concessionis supradictæ, ibi: etiamsi per octavas ipsarum, & in die octavarum non nisi memoria de Sanctis fieret. Hactenùs Emanuël.

3 Ex quibus quidem habemus, quòd si dies v.g. Transitus S. P. N. Benedicti non celebretur in die proprio, videlicet 21 *Martij*, nec per totam illius octavam, quod vtique frequenter contingit, quoties scilicet in maiore hebdomadâ venit, quia transfertur post octavam Paschæ, non solùm suspenditur interdictum, & Cessatio à Divinis ob tanti Sancti Patris solemnitatem, vigesimo primo die Martij, & per sequentes septem octavæ dies, etiamsi de illo, nec commemoratio fieri queat: sed etiam in ipso die quo post Paschæ octavam eius festum celebrabitur.

Sed vt clariùs hæc appareat veritas, operæpretium duxi concessiones Leonis Papæ X. quarum Emanuël allegato memioit loco, breviter recensere. Præfatus igitur Pontifex, prout dictus Author ex supplemento Ordinis refert, declaravit, & concessit Fratribus Minoribus, quod privilegium de suspendendo interdictum in festivitatibus Sanctorum sui Ordinis, intelligatur de diebus, quibus talia festa cadunt, etiamsi propter alia maiora festa occurrentia eorum Officia in alium diem transferantur: ita ex complemento citato, *fol.58. concess.*154. *ex eod. fol.82. & fol.121. concess.*154. sic ait:

Idem Leo X. concessit Fratribus Ordinis Prædicatorum, vt quoties festivitates Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, & Vincentij, & sanctæ Catharinæ de Senis, & earum octavæ, quomodocunque, etiam per translationem celebrando occurrerent tempore, quo Civitates, Oppida, & loca Ecclesiastico interdicto, etiam authoritate Apostolicâ sunt supposita, in Ecclesijs Domorum suarum, & Monasteriorum, quorum cura dicto Ordini est commissa, nisi Ecclesiæ supradictæ, vel huiusmodi fratres nominatim essent interdicti, aut causam dederint interdicto, aut eam foveant, possint pulsatis campanis, & apertis ianuis (interdictis, & excommunicatis exclusis) altâ voce Missas, & alia divina Officia diurna, & nocturna in diebus festivitatum prædictarum, & octavis earum respectivè durantibus etiamsi per octavas ipsorum, & die octavarum, non nisi memoria de Sanctis fieret, liberè & licitè, celebrare.

Hactenùs ibi: vbi adnotandæ veniunt dictiones: *quoties: & quomodocumque etiam per translationem*: per quas dubio procul, evidentérque demonstratur, quod diximus: suspendi scilicet interdictum, non solùm in proprio festivitatis die, & in sequentibus septem; sed etiam in quolibet post octavam, in quo Sancti festivitas contigerit celebrari.

DVBIVM XI.

An quælibet Religio, & cuiusuis Religionis Conventus, Prioratus, Grangia, & locus, possit suspendere interdictum, & Cessationem à Divinis, omnibus, & singulis diebus in suprà redditis privilegiis expressis, verbi gratiâ, An id possit Sancti Francisci Conventus in diebus S. P. N. Benedicti, & aliorum Sanctorum nostri Ordinis, & è converso?

Cessatio.

Suspendere possunt Cessationem Regulares, in diebus, pro suo Ordine concessis, non possunt autem in eisdem illam suspendere festis, alij Regulares illius Ordinis privilegiis gaudentes, n.1. & seqq.

Possunt tamen sic communicantes in similibus festis propriis, illam suspendere, etiamsi ad id speciale non habeant privilegium, n.2.5.

Omnes Religiones communicantes in privilegiis suspendere illam possunt, in festivitatibus communibus omnibus illis, etiamsi speciale non obtineant privilegium, v.g. in diebus V. Mariæ, S. Ioannis, S. Trinitatis, &c. n.6.7.

Interdictum:

Non possunt suspendere interdictum Regulares, communicantes in privilegiis, in ipsis diebus, pro quibus alteri Ordini suspensio conceditur; possunt tamen in similibus festis sibi propriis; num: 1. 2. & 5.

In festis, & diebus, omnibus Religionibus communibus, vel in hebdomadâ sanctâ die Paschatis, omnium SS. &c: pro quibus alicui earum conceditur interdicti suspensio: possunt illud omnes communicationem privilegiorum habentes suspendere; n.6. 7.

Privilegia.

Eatenus privilegia, & indulta facere intendunt alicui Religioni Pontificei, quatenus ei favorabilia existunt, n.3.4.

Communicantes in privilegiis, alteri concessis Religioni, eadem respectivè in similibus efficere casibus queunt, ac illa Religio valet, n. 5.

1 SVpponit quæsitum, quamlibet Religionem privilegijs cuiuslibet alterius potiri, & gaudere per communicationem, & extensionem illi per Sedem Apostolicam factam, quod certè de Congregationibus Benedictinâ, & Cisterciensi Hispanis, de Camaldulense, & alijs, ex dubio constat præcedente. Quo supposito sit.

CONCLVSIO.

Respondeo negativè, cum nostro Ascanio Tamburino *de Iure Abbatum, tom. 2. disp. 16. quæsito 4. versic. Ita refertur.* Emanuële Roderiquez *tomo 2. quæst. Regul. quæst.* 112. *art.* 4. Hieron. Roderiquez *in dict. quæst. Compendio, resol.* 80. *n.* 32. Francisco Amico *in cursu Theolog. tom. 5. disp. 19. de Privil. sect. 5. n. 85.*

2 Et probatur. Quia communicatio privilegiorum solùm deservit ad hoc, vt sicut nostra Religio, ex vi suorum privilegiorum suspendere potest interdictum, & cessationem in die S. Patris Nostri Benedicti, ita quælibet alia Religio, quamvis speciale privilegium non obtinuerit ad suspendendum interdictum, & cessationem in Festo sui Fundatoris Sanctorum scilicet Francisci, Dominici, Augustini, Ignatij, &c. potest in huiusmodi Festo respectivè suspendere: videlicet Minores, in Festo S. Francisci; Prædicatores, in die S. Dominici, & Patres Societatis Iesu, in die S. Ignatij: & sic de qualibet alia Religione, in privilegijs, cum nostra communicationem habente.

3 Et ratio est, quia Summi Pontifices hanc indulgentiam, & concessionem suspendendi interdictum, & cessationem cuilibet Religioni eatenus facere intendunt (sicut quodlibet aliud indultum) quatenùs ei existit favorabilis, sive gratiam per speciale faciant privilegium expressum, sive indirectè per diploma communicationis, & extensionis. Sed quod suspendatur interdictum v. g. in die Parentis Nostri Benedicti, non est alteri, quàm nostræ Religioni, immediatè favorabile, vt per se patet: & quod suspendatur in S. Francisci die, suæ Religionis favor est, non nostræ: ergo Benedictini suspendere non possumus interdictum, & cessationem in Festo S. Francisci, neque Minores in die S. Benedicti, in vim communicationis, & extensionis privilegiorum vnius ad aliam Religionem.

4 Et quòd ea sit Summorum Pontificum extensionem, & communicationem privilegiorum vnius ad aliam Religionem facientium mens, & intentio non semel in illorum exprimitur diplomatibus Gregor. Papa XIV. in Constitutione, *sup. dub.* 8. *num.* 56. exscripta, ad finem ibi: *singula singulis concernentia in quantum eidem Congregationi expediat.*

5 Quod autem de Festivitatibus Fundatorum diximus Religionum de alijs earundem festivitatibus, in quibus eadem militet respectivè ratio, & de alijs similibus indultis dicendum censeo. Quod quidem ita esse, apertè declaravit Iulius Papa II. apud Eman. Roderiquez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 55. *art.* 20. ex supplemento Ordinis *fol.* 74. *concess.* 222. *& fol.* 8. *concess.* 263. in hæc ptorum pens. Et quòd sicut de Potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos, dictum est; ita de Congregationibus vnius, ad Congregationem alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, id est sine Prælatura, ad Fratres privatos: & de Festivitatibus, ad Festivitates, in his casibus, in quibus Congregationibus, vel Fratribus privatis, ac Festivitatibus alterius Ordinis aliquid concessum est, nunc & pro tempore respectivè concessa intelligantur, ita quod ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ Senensis, Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorúmque locis, ac Festivitatibus Sanctorum, Francisci, Antonij, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marochium Martyrij coronam adepti sunt, & Sanctæ Claræ, ac in alijs Festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in maiori numero, quàm Festa ipsorum Fratrum Prædicatorum sint, & intelligantur concessa. Hactenùs Papa Iulius II. satis opportunè ad nostram dubij propositi responsionem firmandam.

Vnde est, benè docere Emanuëlem præfatum, *tom.* 2. *dictarum quæstionum, quæst.* 112. *art.* 4. & Tamburinum *de Iure Abbat. tom.* 2. *disp.* 16. *quæsito* 4. *versic. Ita refertur*, posse quamlibet Religionem interdictum suspendere, & Cessationem à Divinis in omnibus alijs diebus, & Festivitatibus, in privilegijs recensitis, quæ propriæ non sunt Religionis, cui facta fuerit concessio, sed omnium Religionum communes v. g. in diebus Epiphaniæ Domini, eius Ascensionis, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Visitationis, & Assumptionis Virginis Mariæ; singulorum Apostolorum, Sanctissimæ Trinitatis, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ; omnium Sanctorum; Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, pro Missâ, & Processione, in diebus hebdomadæ Sanctæ; & Octavæ Paschæ; Professionis, Missæ novæ, & sepelitionis Religiosorum. In quibus diebus (ait Emanuël) quæ non sunt propriæ prædicti Ordinis S. Benedicti... non apparet, cur Fratres Minores non possint celebrare solemnites Divina (supposita scilicet privilegiorum communicatione) sicut faciunt Monachi S. Benedicti. Ita ille. 6

Tamburinus autem ita fatur. Itaque virtute supradictorum privilegiorum, ac communicationis eorum vnusquisque Ordo, quamvis specialia privilegia non obtineret, posse tamen divina Officia solemniter celebrare, prædicto interdicti tempore, ipsúmque interdictum suspendere in omnibus festivitatibus, quæ sunt ipsius Ordinis propriæ; non autem in illis, quæ sunt propriæ alterius Ordinis, sed tamen in eis, quæ sunt omnibus Religionibus communes, & in dictis privilegijs apponuntur, cuiusmodi sunt Festivitates Nativitatis Dominicæ, Circuncisionis, Epiphaniæ, in Ramis Palmarum; Feria quinta & sexta in Cœna Domini, Sabbato sancto, in diebus Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & sanctissimæ Trinitatis. In festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, & Visitationis Beatæ Mariæ, & in Nativitate S. Ioannis Baptistæ; & in Festivitatibus singulorum Apostolorum; & festo omnium Sanctorum, & Commemoratione omnium defunctorum pro Missâ & Processione; nec-non etiam in Festivitatibus Sanctorum, quorum corpora in Ecclesijs eorundem Religiosorum requiescunt ac Festis Patronorum Ordinum, & ipsorum Translationum, 7

lationum, vt habetur in prædictâ concessione Leonis X. Benedictinis factâ. Hucvsque præfatus Tamburinus Abbas.

DISQVISITIO V.

De Nefando crimine infectis.

An qui Sodomiæ sceleri servierint, Sepultura careant Ecclesiastica?

BREVIARIVM.

Axioma.

Pœna non irrogatur, nisi in iure caveatur expressè, num. 7.

Pœna non sunt extendenda ad alios casus; sed restringenda, n. 7.

Mare mortuum.

Vnde dicatur. n. 3.

Nullum piscem, aut aliud animal vivere sinit, numero 3.

Ferrum in eo natat, & pluma mergitur, n. 6.

Eius aura pestilens est, n. 6.

Regio adiacens pomis, & fructibus pulcris abundãs; sed tactu, in cinerem abeunt, n. 6.

Plato.

Amore veritatis contemplandæ, ab omni abstinuit venereâ delectatione, n. 3.

Pœna.

Culpæ correspondere debet pœna, n. 2.

Non infligitur; nisi expressè in iure caveatur; numero 7.

Non extenditur; sed restringitur, n. 7.

Sepultura.

Sepulturæ privatio inter Ecclesiasticas pœnas, gravissima est, n. 2.

Illa, Sodomita non caret, n. 7.

Sodomia.

Crimen est scelestissimum, à n. 2.

Mutum dicitur, & quare, n. 3.

Qui illius rei inveniuntur, brutis efficiuntur deteriores, n. 3.

Distulit Deus humanam assumere carnem, propter infectos nefando hoc scelere; n. 3.

Eadem nocte, qua in nostra apparuit natura, omnes hac peste infecti mortui sunt, n. 3.

Huic crimini servierunt præcipui Philosophi Gentiles (Platone excepto) Calvinus, Virgilius, n. 3.

Quibus pœnis puniverit Deus hoc scelus admittentes, n. 3. 4.

1 MVLTA pro ratione dubitandi; mihi obtulit, satis erudita, celebris, ac docta contra detestabile Sodomiæ crimen, declamatio elaborata; per Doctissimum Dominum Ioannem Montero de Espinosa, inter nostri Sæculi celebres Iurisprudentiæ Viros, peritissimum, & Fiscalis Regij munus agentem coram supremo Senatu Regio Pampilonensi; ab eodem hoc *anno* 1662. perorata in causa quorundam, posteà de hoc delicto punitorum; Aliqua ex his, quæ tunc doctè, & quâ solet eloquentia dixit, & quæ mecum suâ benignitate, & amicitiâ communicavit, recensere lubens duxi; pro ratione dubitandi firmandâ, quæ alijs illustrabo nonnullis.

2 Ratio igitur dubitandi est; quia inter pœnas ab Ecclesiâ inflictas, gravissima est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ: pœna autem ex culpa, & delicto debet commensurari, sive culpæ respondere. Axioma Iuris est, quod munit Barbosa *tract. de Axiomatibus, axiom.* 181. *n.* 3. *ex l. Sancimus* 22. *Cod. de Pœnis, c. Non afferamus stateras, in fine* 24. *q.* 1. *cap. Quæsivit, de ys, quæ fiunt à maiori parte Capituli, cap. Felicis, §. Illud autem, de Pœnis, libro* 6. vnde Glossa *in cap. Sine culpa el* 23. *de Regulis Iur. eod. lib.* ait: *Quia pœna est mensura culpæ*. Ergo cùm scelus Sodomiæ gravissimum sit, & scelestissimum, gravissima pœna Ecclesiasticæ sepulturæ illi respondet.

3 Gravitatem certè, & execrationem tanti facinoris, benè multis ponderavit Doctissimus præfatus Iurisconsultus, in recensitâ exclamatione. *Mutum* enim illud in primis appellavit, cum Salzedo ad Bernardum Diaz *in praxi crim. cap.* 86. & cum Petro Cavallo *in resolut. crim. casu* 16. eo quòd verba, quibus nominetur non sint, quæ pudicas, & pias aures, non graviter lædant: vnde *in l, Cum vir, Ad Legem Iuliam, Cod. de Adulterys*, sub velaminibus alienorum nominum de illo facta repetitur mentio. Quocirca noster D. Petrus Damiani *tom.* 3. *opusc.* 7. *in epist. dedicatoria libri Gomorrhiani*, de eodem nefando vitio, ad Leonem Papam IX. ait. *Heu! Pudet dicere, pudet tam turpe flagitium sacris auribus intimare.* Noster etiam D. Bernardus *tract. de Ordine vitæ, & morum institutione, cap.* 2. *n.* 8. *Pudet me, ac piget illorum facta referre, in quibus regnat Sodomitica libido.... Nonne deteriores brutis sunt effecti animalibus, quibus non est intellectus?* Habetur *tom.* 5. *pag. mihi* 166. & quid mirum? cùm Lactantius Firmianus *lib.* 6. *institut.* de eodem loquens facinore, hanc protulerit sententiam. *Vincit officium linguæ sceleris magnitudo*. Quæ tanta quidem est, vt Dominus Deus Genesis *cap.* 18. *versic.* 20. dixerit. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus, & peccatum aggravatum est nimis: & cap.* 19. *versic.* 24. illud igne, & sulphure puniverit: *quatenus ex iusta pœna discerent* (ait noster Gregorius Magnus, *Moralium, lib.* 14. *cap.* 10.) *ex iniusto desiderio quid fecissent.* Et vt D. Augustinus relatus à Belleto *in Disquisition. Cleric. par.* 2. §. 11. *nn.* 3. dixerit; adeò nefandum crimen divinam offendisse clementiam, vt quasi istius oblitus, per multa temporum curricula, induere distulerit humanæ carnis substantiam: quasi vereeundaretur, naturam sibi, & hac peste infectis communem assumere. Assumpsit tandem, sed vt mundo demonstraret; quantum sibi hoc vitium displiceret; & quod nullis peccatoribus infensior esset, quàm illi servientibus iniquitati; non permisit vllum eorum vivum remanere, nocte illâ felicissimâ, qua vtero Virginali egrediens mundum, suâ præsentiâ, illuminare dignatus est. Ita Belletus, authoritate D. Hieronymi Fretus, Salzedo, Caballo, *locis citatis*, & Menochio *de arbitrariis, casu* 286. *num.* 25. idem refert Barbosa *de potest. Episc. par.* 2. *alleg.* 44. *n.* 2. ex D. Hieronym. in Isaiam, & Iob. cum Bern. Bonacos, Cevall. commun. contra communes, *q.* 184. *n.* 10. Salzedo *loco reddito; cap.* 89. *in princ. in novâ edit.* Mari, Alterio *de Cens. tit.* 2. *disp.* 15. *c.* 3. *versic. Tertiò*: & Emanuële de Valle de Moura *de Incantationibus, & Ensalmus, sect.* 3. *cap.* 4. *n.* 13. *vbi num.* 76. refert hac peste fuisse infectos, Calvinum, & plures Philosophos præcipuos Gentiles, excepto Platone, qui amore veritatis contemplandæ, ab omni abstinuit venereâ delectatione.

4 Huius criminis turpitudinem; & horrendam magnitudinem, & gravitatem, pensare debemus, ex his, quæ præfatus Mellifluus dicit Bernardus, *tract. de Conversatione ad Clericos*, *cap.* 20. *n.* 36. *in tom.* 4. *pag. mihi* 110. Numquid non olim civitates illæ spurcitiæ huius mattes divino prædamnatæ iudicio, & incendio sunt deletæ? Numquid non Gehennalis flamma moram non sustinens execrabilem illam prævenit tollere nationem, quod ipsius specialiter essent peccata manifesta præcedentia ad iudicium? Numquid non, & ipsam vtpotè consciam tantæ confusionem tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum? Numquid non in lacum horribilem solùm omne redactum est?

Expende Sancti huius Doctoris verba, in quibus videtur asserere pervenisse Deum ad puniendos Sodomitas vltimò, & æterno supplicio, diem illam iræ, calamitatis & miseriæ, in qua dicturus est reprobis: *ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo; & Angelis eius*: imò ignem ipsum inferni naturæ terminos, ac limites transgrediendo, ad illius conflagrationem nationis, non expectando promulgationem sententiæ, vltimæ similem: *ite* scilicet *in ignem, &c.* ipsummet prævenisse illius iustissimum supplicium. Pugnavit igitur flamma gehennæ contra insensatos illos, iura invertendo donaturæ.

Quod & in alijs tunc contigit, & de facto nunc
5 contingit. Regio enim illa, à quatuor illis Civitatibus exustis, Sodomâ, Gomorrâ, Adamâ, & Seboim occupata, in spatio 100. millia passuum secundùm longitudinem, & 25. millia, secundùm latitudinem, vti ex Plinio *libro* 5. *cap.* 16. refert Bronfretius *in cap.* 19. *Genesis, n.* 25. mutavit solùm, ita vt è terra fertilissimâ, ac pinguissima, & deliciosissima, lacus fieret, aquæ salsissimæ, & bituminis plenus, Mare Mortuum dictus, eo quòd nullus in eo piscis, aliudve animal vivat, vti Bonfrerius, & alij dicunt, ita vt si ex Iordane, qui in dictum lacum se exonetat, piscis aliquis ingrediatur, statim moriatur.

6 De quo etiam lacu, & de eius aquis, alia aquæ naturæ, seu eius iuri contraria, testatur Glossa, *in can. Sed & continuò, verbo Seboim, de Pænitent. dist.* 1. dicens: *vnde effectus est locus Alphalti, qui dicitur Mare Mortuum, & aqua illa neque est natabilis, nec potabilis*, ibi *ferrum natat, pluma mergitur.* Hæc illa. Effectus quidem valdè aquæ naturæ contrarij. Et addit, *ibi sunt poma pulcherrima exterius, interius autem plena favilla, & cinere.* Hoc autem non est intelligendum de lacu ipso, sed de Regione lacui adiacente: ita Bonfrerius. Adde, regionem omnem, quæ lacui adiacet esse sterilem, insalubrem, auræque propemodum pestilentis, teste etiam Tacito *lib.* 5. *Histor.* & Borchardo teste oculato. De pomis etiam & fructibus in speciem pulchris, sed attactu in cinerem abeuntibus, Iosephus ibi suprà memini (scilicet *lib.* 5. *Belli Iudaici, cap.* 5.) & Solinus *cap.* 37. Hactenùs Iacobus Bonfrerius *d. n.* 25.

Dicta pro ratione sufficiant dubitandi; sicut sufficerent pro exuberanti ratione infligendi pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, nefando crimine infectis, si S. D. N. Papæ id statuere, decernere placuisset. His tamen minimè obstantibus, sit pro nunc.

CONCLVSIO.

Sodomitici criminis reus, non est Ecclesiastica sepultura, qua talis, privatus, & si aliud non obstet, licitè potest Ecclesiastico more tumulari.

Probatur conclusio ista: Quia pœna non irrogatur, nisi in Iure caveatur expressè. Illius axioma est, quod probat Barbosa *tract. de Axiomatibus, axiom.* 81. *num.* 7. *ex Authent. de Non eligendo secundo nubentes mulieres*; §. *Sin autem*, Mari Antonin. *variar. resol. lib.* 3. *resol.* 39. *num.* 11. & 32. Gironda *de Privil. seu exempt. explicat. num.* 563. Menochio *cons.* 1032. *n.* 19. *cons.* 1128. *num.* 2. & *cons.* 1192. *n.* 3. *cons.* 272. *num.* 83. *cons.* 275. *n.* 21. *cons.* 431. *n.* 2. & *cons.* 526. *n.* 11. Cardinale Tusca *lit. P. concl.* 816. *n.* 4. Hect. Felic. *alleg.* 66, *num.* 6. *versic. Et est regula communis, part.* 2. Sed non est expressum in iure, quod sepultura careat Sodomita: ergo non est, qua talis, illa privandus.

Deinde. Pœnæ non sunt extendendæ ad alios casus, sed restringendæ. Axioma etiam est. Barbosa *n.* 9. *ex l. Factum cuique*, §. *In pœnalibus*, vbi Decius *ff. de Regulis Iuris*, *cap. In pœnis*, *eod. tit. in* 6. Thomas & *in Moribus Legum, reg.* 227. Surd. *de Aliment. tit.* 1. *q.* 51. *nu.* 12. Burg. de Pace *cons.* 8. *n.* 2. Farin. *Fragm. crim. p.* 1. *lit. E*, *à n.* 144. Secac. *de Commerc.* §. 7. *gloss. n.* 4. & Graciano *Disceptat. Forens. tom.* 5. *c.* 972. *n.* 3. & addit Barbosa etiamsi extensio fiat ex similitudine rationis: ex Io. Andrea *in Reg. Odia, de Reg. Iuris in* 6. Doeñas *reg.* 287. Garcia Gironda *de Privil. seu exempt. explicatione, num.* 540.

DISQVISITIO VI.

De Religiosis proprietarijs.

An Religiosi proprietarij inventi, sepultura sint Ecclesiastica privati?

BREVIARIVM.

Proprietas.

Proprietatis vitium ita inolevit, vt vix sit locus sanctissimus, aut vir pius, quem non infecerit, numero 6.

Est hoc vitium malè cognitum, licet sit benè ab omnibus practicatum, n. 6.

Maior Religiosorum numerus, qui damnantur, ob hoc damnantur facinus, n. 6.

Proprietarius Religiosus, ab Altaris communione removeri debet, n. 2.

Debet à Monasterio expelli, monitione præmissâ, num. 4. 5.

Oblatio pro Religioso proprietario fieri non potest, num. 2.

Proprietarij pœnas non incurrunt ante Iudicis sententiam, n. 1.

Sepultura.

Carent Ecclesiastica sepultura Religiosi vtriusque sexus proprietarij, post iudicis sententiam, si absque emendatione, & pænitentia decesserint, n. 1. 2. & 3.

In sterquilinio cum pecunia sepeliri debent, n. 4. 5.

Si iam in Ecclesiastica fuerint sepultura tumulati, si absque scandalo fieri potest, debent proijci, n. 3, & 5.

D. Gregorius, Monachum proprietarium, post dignam pænitentiam, in sterquilinio, cum pecunia sepelivit.

sepelivit, vt viventibus, per exemplum, provideret, num. 5.

CONCLVSIO.

1 RELIGIOSI omnes vtriusque sexus proprietarij, si absque emendatione, & poenitentia decesserint, in Loco sacro, & Ritu Ecclesiæ, tumulari nequeunt.

Ita docent noster Iacobus de Graffis *in Decisionibus aureis, part. 1. lib. 3. cap. 5. num.* 48. D. Antoninus *part. 3. Summa maioris, tit. 10. cap. 5. §. 8. & tit. 16. cap. 1. §. 11. versic. Secundò nota.* Franciscus Maria Samuëllius *in praxi, de Sepulturis, tract. 1. disput. 4. controvers. 17. conclus. 9. num. 22. tract. 2. disput. 1. controv. 6. concl. 2. & 3.* Sylvester *verbo Sepultura, num. 9.* Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 4. cap. 2. n. 144. & tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 142.* Ioannes Baptista Ventriglia *in praxi rerum notabilium, annotat. 52. num. 21.* Antonius Moure *in examine Theologia Moralis, part. 4. cap. 20. §. 3.* Ioannes Ægidius Trullench *tom. 3. tr. de Iure Parochi, c. 9. dub. 7. nu* 8. Augustinus Barbosa *in cap. Monachi, n. 1. & 2.* & *cap. Cum ad Monasterium, num. 5. el 6.* & *cap. Super eo, num. 1. & 2. el 4. de Statu Monachorum:* & *de Iure Ecclesiastico, part. 2. lib. 2. cap. 10. num. 47.* & *de Iure Parochi, part. 3. cap. 26. nu. 47.* Laurentius de Peyrinis *tom. 1. de subdito, quæst. 2. cap. 2. quæsito 7. versic. Respondeo,* Castrus Palaus *in Summa, part. 3. disp. 3 punct. 24.* qui *n. 4.* addit hanc, & alias poenas proprietarijs inflictas, non incurri ante Iudicis sententias.

2 Probatur *primò*, resolutio nostra, *ex c. Monachi el 2. de Statu Monachorum*, ex Concilio Generali Lateranensi desumpto, in quo ita decernitur. Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione removeatur Altaris: & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non poenituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres accipiat sepulturam: quod etiam de vniversis Religiosis præcipimus observari.

3 *Secundò* probatur, *ex cap. Super quodam el 4. eodem tit.* vbi sic Clemens Papa III. Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic idem clausit extremum, & fuit inter alios fratres traditus sepulturæ; Et infrà. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd ille Canonicus non tantùm fuit Christianâ sepulturâ privandus, verùm etiamsi sine maximo scandalo potuit fieri de ipsâ proiici dignus est Ecclesia. Hoc autem cùm fortè contigerit in similibus est agendum.

4 Probatur *tertiò* ex *cap. Cùm ad Monasterium, el 6. eiusdem tituli*, In quo Innocentius Papa III. decrevit. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere; regulari monitione præmissâ, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi poeniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse.

5 Hactenùs Innocentius. Quocirca advertere libuit, Sanctissimum Gregorium nostrum, illâ rigidissimâ, licet iustissimâ poenâ, punivisse Monachum, *Iustum*, nomine, proprietarium quidem; sed post peractam ab eo dignam poenitentiam: vti idemmet Doctor Ecclesiæ, & Pontifex testatur Summus *lib. 4. Dialogorum, cap. 55.* dicens: *Qui protinùs de reatu suo vehementer ingemuit, atque ipsa sua tristitia è corpore exivit, qui ita est sepultus, vt dixeram:* eo scilicet fine ductum, vt viventibus Fratribus, per exemplum provideret. Vnde à fortiori debet Ecclesiastica sepultura privari Religiosus, qui impoenitens decesserit, vti decernit Lateranense Concilium: & iam sepultus, de Ecclesia proiici, vti Clemens Papa III.

Sed vt resolutio nostra amplius dilucidetur, & 6
illustrior evadat, nonnullas difficultates, operæpretium duxi discutere, omnibus, maximè voto obstrictis paupertatis, scitu dignissimas, apprimè necessarias: quibus, dubio procul, plausibiles erunt, si propriæ salutis æternæ immemores inventi non fuerint. Est enim materia hæc de *Proprietate*, gravissima: maximè his temporibus, in quibus perniciosissimum, & nequissimum proprietatis vitium (hoc appellatur nomine à Monachorum Patriarcha S. P. N. Benedicto *cap. 33.* sanctæ Regulæ) ita percrebuit, *vt vix sanctissimus locus sit, quem labes ista non tetigerit: vix tandem pius quis reperiri potest, quem pestis hæc non infecerit.* Periodum exhibeo Bartholomæi à S. Fausto, in Speculo Confessariorum *in Proœmio. disputat. 34. de vitio proprietaris, n. 1.* Qui *lib. 8.* thesauri, in Proœmio etiam, hanc tradit periodum. *Estque eiusmodi conditionis* (vitium scilicet proprietatis) *quod licet sit ab omnibus benè practicatum, est nihilominus malè cognitum, & intellectum. Quamobrem in huius rei veritatem, vir quidam doctus dicere solebat, maiorem eorum, qui damnantur Religiosorum numerum infici hoc vitio, & propter hoc vitium damnari.* Hæc ille, vir valdè doctus, & reformatissimæ, Fulliensis Congregationis Monachus. Peytinus *pag. 300. num. 52.* videatur *tom. 2. de Prælato, quæst. 1. cap. 5. §. 1.* vbi in sequentia prorumpit. *O crudelissima humanorum cordium tyrannis pecunia! quæ non mortalium pectora cogis? quas non munitissimas animarum turres expugnas? quas non decipis? quas non perdis? stultus, qui te, cum contempsisset per Religionis ingressum, in eâ te iterùm incipis æstimare. Amore tui, audacter dicam, perire puto, quotquot pereunt in Religionibus, animarum myriades, &c.*

DVBIVM I.

Quis Religiosus, proprietarius dici possit, & sit?

BREVIARIVM.

Administratio.

Est ius gubernandi, & distribuendi iuxta conditiones limitatas, &c. n. 62. 70.

Non includit administratio vllum dominium, ius fruendi, aut vtendi, n. 70.

Est quid facti, n. 70.

Sumitur dupliciter I. *provt est quid Iuris.* II. *provt est quid facti,* n. 71.

Possessio

Possessio in secunda acceptione, dicitur à pedum positione, eo quòd possessio rerum immobilium, quæ præcipua sunt, pedum positione acquiri soleat, numero 28.

Possessio, alia est facti, alia Iuris, n. 28. 71.

Possessio Iuris dari non potest in eo, qui possessionem nequit habere facti, n. 86.

Possessio facti, alia propria, & strictè sumpta; alia impropria, & lata, n. 29.

Possessio propria, est rei corporalis apprehensio; seu detentio, vera, vel ficta, corporis, & animi, Iurisque adminiculo concurrente, n. 29.

Possessio impropria, est rei incorporalis apprehensio; seu detentio vera, vel ficta corporis, & animi; Iurisque adminiculo concurrente, n. 29.

Declarantur diffinitiones istæ, à n. 30.

Possideri dicuntur à Theologis res incorporales: v. g. iura percipiendi annuos census: habendi servitutem pascendi in alienis pascuis oves: Beneficia: Dignitates, &c. quæ à Iuristis quasi possideri dicuntur, n. 30.

Possessionem veram acquirit fur, per rei alienæ apprehensionem, licet iniustam. Quia in ratione possessionis à Iure non irritatur, n. 32.

Possessio iusta includit, non solùm factum, sed etiam ius, n. 32.

Possessio Iuris, est Ius, seu facultas insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibita possideri, n. 23.

Possessio Iuris oritur pro vtroque foro, tanquam ex fundamento, ex possessione facti, si apprehensio, occupatio, & detentio iusta sit, pro contentioso tantùm, si iniusta, qui in dubio causam possidenti adiudicat; n. 33. 86.

Possessio Iuris consistit formaliter & per se in facultate pacificè tenendi, & tuendi rem iam possessam contra invadentes mediis, iure concessis, & armis tanquam propriam, n. 38. 87.

Non dicitur rem possidere, qui illam nomine tenet ulterius, sed proprio, n. 35.

Possessio iuris haberi potest per alium; dummodò animum iste habeat tenendi rem, nomine possidentis; num. 35.

Possessionem Iuris in rebus non habent, qui sibi nequeunt acquirere, v. g. filii nondum emancipati, Religiosi, & Servi. Qui quocumque acquirant modo, iusto tamen, non sibi, sed patri, Conventui, & Domino acquirunt, n. 36.

Possessio iuris rei acquisitæ iniustè, apud priorem remanet possessorem, n. 37.

Possessio alia civilis, alia naturalis, n. 41.

Civilis possessio est, quæ res iustè, vel iniustè acquisita; solo animo actuali, vel habituali retinetur, vt propria, n. 41.

Possessio naturalis est, quæ res corpore tantùm detinetur, n. 45.

Possessio civilis non potest esse nisi in vno, n. 42.

Separari possunt possessio civilis, & naturalis, n. 43.

Ad civilem possessionem non sufficit rem detinere; animo habendi illam vt suam, n. 43.

Possessio civilis dicitur, quia potissimùm iure constat civili, n. 44.

Possessio naturalis, impropriè dicitur possessio: quia propriè possidere est, rem retinere animo habendi illam nomine suo proprio, n. 45.

Possessio civilis tripliciter acquiritur: actu verò: actu ficto: & Iuris dispositione, n. 46.

Declarantur isti actus, & Iuris dispositio, n. 47. & 48.

Possessio maioratus, sine vllo actu vero, vel ficto ex iuris dispositione; mortuo possessore, ad proximum transit possessorem, esto ille alienatus reperiatur, n. 48.

Possessio rerum incorporalium vnico actu, seu exercitio consummato talium rerum acquiritur, si eis vtuntur vt suis, sciente, & patiente priori domino, vel eo, ad quem concedere, vel prohibere spectabat, num. 49.

Explicatur hæc doctrina, n. 50.

Ad possessionem acquirendam, præter titulum, & traditionem requiritur actus verus, vel fictus, aut Iuris dispositio, quorum aliquo res apprehendatur ipsa, n. 51.

Possessio civilis rerum mobilium amittitur, I. *possessoris voluntate nolentis rem possidere* II. *furto.* III. *Rei amissione; etiamsi ad nullius deveniat manus.* IV. *Fuga rei. Excipiuntur casus fugæ, servi, & animalium, si consuetudinem habent ista redeundi,* num. 52.

Possessio civilis rerum immobilium, amittitur, I. *diuturna absentia possessoris sine vllo actu potestativo repetendi rem, &c.* II. *ignoratione quod res sua sit.* III. *Assidua fluminis, aut maris inundatione;* num. 53.

Omnis possessio ab eo amittitur, qui scit rem ab alio occupari, & negligat: & ab eo, qui tentans repetere, repellitur, & resistere non audet, n. 54.

Ad actorem, non ad possessorem spectat probare rem esse suam, n. 57.

Possessionem suam naturalem, & civilem conservare potest quis armis, cum moderamine inculpatæ tutelæ: & si confestim fiat, potest & recuperare; n. 58.

Possessio rei donatæ sub conditione, vt donatarius alimenta donatori præbeat, statim iste recipit, illo alimenta non præbente, n. 26. 27.

Iniustè expellens aliquem à possessione, amittit rei dominium, si illud habebat, n. 60.

Præscribere. Præscriptio.

Præscribit bonæ fidei possessor rem, tempore à Iure statuto, illam suam faciendo, n. 55.

Præscriptio non datur, vbi possessio non adest civilis, num. 45.

Privilegia.

Ad privilegium à Principe concessum, & ad rem ab eo donatam, ius in re acquiritur ante illius traditionem, n. 26.

Probare.

Non spectat ad possessorem rem esse suam, sed ad actorem, n. 57.

Proprietas. Proprietarius. Proprium.

Proprium sumitur I. *Prout opponitur termino;* Commune. II. *Prout opponitur,* Alieno, *& idem importat, quod,* Meum. *In qua acceptione, idem est proprium, quod Dominium,* n. 12.

Proprium, aliud propriè sumitur, prout est quid Iuris; aliud impropriè prout est quid facti tantùm; num. 13.

Proprium primo modo haberi potest, non solùm respectu rei, & eius substantiæ, quoad proprietatem; sed quoad possessionem, & quasi possessionem: imò quoad vsumfructum, & vsum illius, n. 13.

Istud proprium solùm habere possunt, suo nomine sæculares personæ; non verò Religiosi, n. 13.

Proprium impropriè acceptum, prout scilicet continet solam detentionem, vsum, administrationem, & possessionem facti, habent filii nondum emancipati; & servi respectu parentum & dominorum: & habere possunt Religiosi, de Prælati licentiâ, n. 13.

Proprietarius est quilibet Religiosus solemniter professus, qui habet dominium rei, pretio æstimabilis;

PRo huius dubij recta resolutione, & aliorum, quæ circa hanc decidenda sunt, nonnulla supponenda occurrunt, ex quibus decisio vera habeatur. *Primò* suppono, proprietatem, & dominium, seu dominium proprietatis, provt distinguitur à dominio iurisdictionis, esse ius disponendi, de re aliqua tanquam de sua, vti noster ait Ioannes Caramuël, in Regulam S.P.N. Benedicti *cap.54. disput.57. sub n.821. versic. Dominium*; vel vti Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regul. tom.1. tract.4. cap. 2. num.16.* esse ius principale disponendi de re pretio æstimabili, in quemcumque vsum, lege non prohibitum; vel vti Bartolus *in l. Si quis, v. g. Differentia, num.4. ff. de Acquirenda possessione*, à Becano relatus *de Iustitia, & Iure, cap.2. q.1.* esse ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur: ex eodem Bartolo in dictam legem, essentiam Dominij definit, *tom. 5. Cursus sui Theologici, disp.25. n.1.* Franciscus Amicus dicens. Quæritur I. quid sit dominium? Est ius perfectè disponendi de re in omnem vsum lege permissum. Vel tandem esse facultatem possidendi, & vtendi re aliqua ad proprium libitum vti colligitur ex D.Tho. 2.2.q.186. *art. 3.* & docet Leonardus Lessius *de Iustitia, & Iure, libro 2. cap. 4. disput. 1. dub. 1. numero 4.* dicens. Hominibus propriè convenit hoc Dominium in res externas: nam his solis, res externæ concessæ sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda: quod maximè verum est de omnibus rebus sublunaribus. Hæc Leonardus. Expende

pende verba illa: vt liberè disponat. Id est sine dependentia ab alterius voluntate.

2 Concordat Ioanne Baptista Lezana *in Summa quaestionum Regularium*, *tom.1. part.1. cap.6. n.2.* vbi itá fatur. Paupertas Religiosa, est vltronea, & voluntaria rerum temporalium abdicatio, per quam Religiosus, ipsorum proprietate priuatur. Et statim id probat dicens. Ratio est, quia opponitur proprietati, quæ est facultas possidendi, & vtendi aliqua re ad libitum. Hæc Lezana.

3 Sed vt hæc doctrina clarius elucescat, libuit explicationem, quam suæ diffinitioni tradit Amicus, adferre. Dicitur *Ius*, siue moralis facultas: quia Dominium in solis intellectualibus naturis reperitur. Hæ enim tantùm possunt liberè vti suis actibus, & de rebus propriis disponere, qood ad Dominium essentialiter requiritur. Conuenit autem cum Iure quòd vxor habet in virum, Filius in Patrem vt alatur, seruus in Dominum vt sustentetur, subditus in Principem vt gubernetur: etenim omnes hi ius habent ad petendum quæ sibi necessaria sunt, non Dominium. Quo fit, vt Ius Superius sit ad Dominium, quia omne Dominium Ius est; non è contra.

4 *Perfectè disponendi de re*; authoritate propria, & non tantùm commissa, vti disponit Legatarius, de rebus Legantis, amicus de rebus amici. *In omnem vsum* siue in sui, siue in aliorum commoditatem, vsque ad distractionem rei, consumptionemve. Hinc excluduntur 1. Dominia imperfecta, qualia sunt, *directum*; quòd retinet proprietarius in rem alteri in emphyteusim traditam, & Filius in bona aduentitia; dùm est sub patria, potestate; & *vtile*, quod habet vsufructuarius. Sunt enim hæc incompleta; & quasi partes integri Dominij, quòd proprietate constat, & vsufructu. Neutrum extenditur ad omnem vsum: scilicèt proprietarius solùm retinet ius in substantiam rei, vsufructuarius, in fructus, de quibus tantùm disponere potest: perfectum Dominium; ius dicit ad vtrumque. Excluditur. 2. Dominium Iurisdictionis, quod habent Principes, & Prælati in suos subditos, in quos licet ius habeam coercendi; & dirigendi, id tamen non faciunt, in vtilitatem propriam, *sed ipsorum subditorum*. Vndè nec pater propriè dominatur filio, teste Arist. 5. *ethi* 6. nec vir vxori, nec Magister discipulo.

5 *Lege permissum*: quia Leges iustis de causis possunt ob bonum commune priuata Dominia limitare, nè in omnè vsum actu prodeant, & si prodiere, sint factum non teneat, vt Leges de non alienando fundo dotali, bonis pupilli, hæreditate primogenitorum in Hispania, quæ tamen Dominium perfectum non tollunt; quia non separant substantiam rei à fructibus ipsius, sicut facit Dominium directum, & vtile, sed solùm impediunt actum secundùm, relicto primò integro apud Dominium.

6 Hinc patet 1. solùm hic dfiniri Dominium proprietatis plenum, & perfectum, non Iurisdictionis, & imperfectum. Tum, quia hoc solùm dicitur propriè, & rigorosè: tum, quia cognito Dominio pleno, & perfectu, facilè cognoscitur imperfectum.

7 Patet 2. hominem non esse Dominum earum operationum, quarum nó est liberum principium, sicut nec Deum suarum operationum ad intra, quarum est necessarium principium, quia de his non potest moraliter disponere. Hucusque Pater Amicus, qui sibi hanc obiectionem opponit, ac soluit.

Obiicies. Dominus est, qui moraliter de re suâ 8 disponere potest. Sed qui habet rem suam Lege impeditam, de ea moraliter disponere non potest. Confirmatur. Ideò vsufructuarius non est perfectus Dominus rei, quia non potest de rei substantia disponere.

Respondeo, Dominus est, qui proximè, aut re- 9 motè potest de re sua moraliter disponere, qui autem habet rem suam lege impeditam, etsi non proximè, remotè tamen potest de illa disponere, vel lege abrogata, vel de Superioris licentia, sine noua Dominij acquisitione.

Ad Confirmationem. Ideò vsufructuarius non 10 est perfectus Dominus rei, quia nec remotè potest de rei substantia disponere, sine nooa Dominij acquisitione. Oportet enim priùs acquirere ius in substantiam rei; qood ius acquirere non debet, qui rem suam lege tantùm impeditam possidet. Ità Amicus.

Ioannes tandem Martinez de Prado, in Theo- 11 logia Morali, *tom.2. c.21. §.1. n.6.* cum Bannez, 2.2. *Preambulo quaestionis 62. q.1. de Domonio nota 6.2. &* 3. & Villalobos, *tom.2. tract.10. difficult.11. num.1. & 2.* distinguit Dominium, in *latum*, prout dicit ordinem ad rem quomodocumque possessam; & in *strictum*, prout dicit ius ad rem inferiorem, quæ ordinatur ad commodum illius; qui dicitur Dominus. Et primum diffinit dicens. Est facultas propria vtendi re in omnes vsus lege permissos. Pro secundo addit: Referendo remissam in proprium commodum.

Suppono *secundò*, cum nostro Bartholomæo 12 à sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum*, *lib.8. de Voto paupertatis*, *quaest.5. proprium*; sumi posse multipliciter. Vno modo, prout opponitur huic termino, *commune*. In quâ significatione sumitur ex D. Augustino in *canone*, *Non dicatis*, *el* 11. *causa* 12. *quaest.*1. ibi. Non dicatis vos aliquid habere proprium: sed sint vobis omnia communia. Alio sumitur modo *proprium*, prout opponitur *alieno*. In quâ significatione sumitur *proprium* in Lege; *eos*, *qui* §. *Sin autem iudicio propriam quis fuerit causam prosequutus*; & c. iuncto versiculo, *Is verò*, *qui alienā tuetur iudicium*. In quâ acceptione idem significat *proprium*, quod vox *meum* significat. In ea vsus fuit Ioánes Papa in *Canone*, *Redintegranda el* 3. *causa* 3. *quaest.*1. ibi: *& per quascumque iniustas causas res Ecclesiae*, *vel proprias*; *id est*, *suas substantias perdidisse noscuntur*. Et in hac acceptione idem est *proprium*, quod *Dominium*, & quod de Dominio dicitur, dicitur etiam de proprio. Commune est inter Doctores. Vndè Amicus *n.22.* ait. Proprietas est Dominium rei iustis modis acquisitum; In quâ vtique significatione suprà diffinitur; per hoc quod sit ius; seu facultas ad libitum possidendi, & disponendi de re aliqua, tanquam de suaz alienando v.g. vendendo, defendendo, ac repetendo eam in iudicio, vel extra; nullam Legem violans. Ista *proprij*, acceptio; stricta est; & rigorosa; etiamsi proprium acciparur non solùm vt comprehendit Dominium rei, sed etiam vsumfructum, vel vsum illius, aut quodlibet aliud ius, politicum, & ciuile.

Diuiditur ergo *Propriū* in tale strictè, & rigoro- 13 sè sumptum, ac propriè; & in *Proprium*; impropriè, ac latè acceptum. Vera, stricta, rigorosa, & propria *Proprietas*; non solùm haberi potest respectu rei, & illius substantiæ quoad proprietatem, & quoad possessionem, aut quasi possessionem illius, sed etiam quoad vsumfructum, & vsum

vsum illius. Quodcumque enim istorum, substantia scilicet rei, possessio, vsusfructus, & vsus consideratum vt est ius quoddam, est vere, rigorosè, strictè, & propriè, *proprium*. Cuius quidem solùm homines, seu personæ sæculares sunt capaces, suo nomine. Quia hi solum capaces dominij sunt. Consideratum autem, prout continet solam detentionem, vsum, administrationem, & possessionem facti tantum, cuius filij, nondum emancipati respectu parentum, & serui respectu Dominorum suorum, ac Religiosi de suorum licentia Superiorum, capaces sunt, non est verè, strictè, rigorosè, ac propriè *proprium*, sed tantùm impropriè, latè, secundùm quid, & per quandam analogiam, vti bene docet Bartholomæus à Sancto Fausto, dicto *lib. 8. de voto paupertatis, quæst. 5.*

14 *Tertiò* suppono, quod vsus, est ius vtendi re aliena, salua eius substantia. Dictio *ius*, loco generis ponitur in hac diffinitione, quia communis est dominio Vsui, & Vsufructui. Dictio *Vtendi*, loco additur differentia respectu vsusfructus; qui non solùm est ad vtendum, sed etiam ad fruendum re aliena: & ad excludenda iura, quæ non sunt ad vtendum, vt sunt ius Depositarij in comparatione Depositi, & ius Creditoris in comparatione Pignotis. *De re aliena* ponitur etiam loco differentiæ respectu Domioij, quod est ius disponendi de re propria. Denique *Salua eius substantia*, ponitur ad explicandum, quod vsus, quo substantia consumitur, aut alienatur, non est verè, & propriè vsus, de quo in præsentia, vbi de nudo, siue simplici vsu, vt vocant, ex *l. 1. ff. de vsu.* Vsus autem, in quo rei substantia non saluatur, non tam vsus, quàm verum Dominium est, si suo nomine ipsius vtentis fiat. Barthol. à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib. 8. de voto quæst. 6.* Ioannes Azorius, *in Institut. Morali, part. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 1.* Ioannes Caramuel, *in Theologia fundamentali fundamento 51. numero* 1417. ibi. Dominium est potestas destruendi, & conseruandi rem. Ergo vsus... huius potestatis tunc est, quando aliquis, vel ità conseruat rem, vt possit destruere, vel ita destruit, vt possit conseruare. Hæc Caramoel. Martinus Becanus, *tract. de Iustitia, & Iure, cap. 2. quæst. 1. numer. 1. quæst. 8. num. 1. & quæst. 9. numero 1.*

15 Vsus autem, alius est *Iuris*, & alius est *facti*. *Vsus facti*, est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio. Vt equitatio dicitur vsus equi, & habitatio Domus eius vsus appellatur. Huius generis est vsus, qui seruis, & Religiosis competere queit, qui sibi, & suo nomine nullius rei vsum iuris habere possunt, etiam eorum, quæ manducant, & quibus vestiuntur. *Vsus* autem *Iuris* est, vsus in habitu, qui præter ipsum factum includit habitualem detentionem rei, ad vtendum illa quando opportuerit, sine aliquo iure in ipsa. Seu est, ius vtendi re aliqua, salua eius substantia. Vnde qui vsum habet iuris, non potest donare, vendere, locare, &c. potest tamen re vti in proprios vsus, quod ad vtendum ea habet. Qui autem tantùm vsum facti habet, non habet ius ad vtendum re, cuius vsum habet, sed tantùm factum habet. Ita Bartholomæus à sancto Fausto, *vbi proximè, quæst. 7.* Ioannes Baptista Iezana, *tom. 1. part. 1. cap. 6. num. 3.* Pellizzarius, *in Manuali, tom. 1. tract. 4. cap. 2. num. 16.*

16 *Vsus iuris* subdiuiditur in absolutum, & limitatum, seu dependentem ab alio. *Vsus iuris absolutus, & independens*, est libera, & plena facultas habitualis vtendi re aliqua sine dependentia ab alio, etiam consumendi illam quocumque ei modo placuerit. *Vsus* verò *iuris limitatus, & dependens* est facultas, seu concessio veniæ vtendi re cum dependentia ab alio, apud quem rei ipsius, propriè dominium pertinet, residet. Bartholomæus à sancto Fausto, *dicta quæst. 7.*

Coincidit cum hac diuisione *Vsus iuris*, seu *Iuris vtendi*, alia, quam tradit Leonardus Lessius, *lib. 2. de Iustitia, cap. 3. dub. 8. num. 3.* dicens, qood Ius vtendi, dupliciter potest alicui concedi. Primò, *irreuocabiliter* & tunc non videtur (ait) multùm differre à Dominio. Secundò; *omninò reuocabiliter*, & dependenter à voluntate concedentis, ita vt quouis momento possit reuocari, sine vlla iniuria vsuarij, & hoc ius distinguitur à Dominio, quod est ius absolutum, & firmum in re, non dependens ex alterius arbitrio, & *numero* 33. immediatè sequenti, ait, Nicolaum Tertium in *Extrauagante, Exijt*, vsurpare *Vsus iuris* pro irreuocabili; & *Vsum facti*, pro reuocabili. Non quod in eo, nihil sit iuris (aliàs iniustus esset) sed quia non est ius absolutum, & solidum, cum ab alieno dependeat nutu, donec res ipso facto consumatur, si vsu consumptibilis est. 17

Suppono *quartò*, quod *vsusfructus*, est ius vtendi, ac fruendi re aliena, salua tamen eiusdem rei substantiã. In qua definitione, particula *Ius*, ponitur loco generis, & idem importat, ac facultatem legitimam aliquid faciendi. Particulæ *Vtendi, & fruendi*, loco ponuntur differentiæ, ad distinguendum vsumfructuarium, ab vsuario; qui tamen rei habet vsum. *Aliena*, excludit, illud ius fruendi, quod habet proprietarius, & vocant *causale* Iuristæ; *formale* verò hoc, de quo agimus, appellant. Distinguunt enim Iurisconsulti duplicem vsumfructum. Alterum dicunt *causalem* qui scilicet in eodem homine causatur à proprietate, quam habet in rem. Nam ex eo, quòd quis habeat proprietatem rei, consequenter habet vsumfructum, nisi alteri eum communicet. Alterum vocant *formalem*, qui scilicet est separatus à proprietate. 18

Salua eiusdem rei substantia, ponitur etiam loco differentiæ. Per id enim distinguitur vsusfructus à dominio. Dominus etiam rei, illã potest consumere quoad substantiam, nisi lege prohibeatur. Vsufructuarios autem non potest rem consumere, sed tantum ea potest vti, eius fructus percipiendo, & expendendo vt vult. Docent Bartholomæus à sancto Fausto, *dicto lib. 8. de voto, quæst. 8.* Ioannes Azorius, Institutionis Moralis, *part. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 1.* ex Glossa in *l. 1. ff. de Vsu, & habitatione*; Franciscus Pellizzarius, *tomo 1. Manualis Regularium, tract. 4. cap. 2. num. 16.* Iacobus Gordonus *in Theologia Morali tom. 1. lib. 3. quæst. 3. cap. 1.* Martinus Becanus, *tractatu de Iure, & Iustitia cap. 2. quæst. 1. num. 1. & quæst. 5.* Amicus, *tom. 5. disp. 13. num. 23. & seqq.* 19

Ex dictis colligitur primò discrimen, quod est inter dominium, vsum, & vsumfructum: ortum quidem ex Iurium diuersitate. Ius enim duplex est. Vnum vtique in rei substantiam, vt possit illam consumere, si vsu est consumptibilis, & vt possit eam alienare donando, vendendo, &c. quod quoddam consumptionis genus est. Et huiusmodi Ius, dominium dicitur, & verè tale est. Aliud verò ius est, in rei qualitatem, seu in eius accidentia. Quod quidem rursus diuiditur in Ius vtendi 20

vtendi re aliena in propriam tantùm vtilitatem, saluâ eius sobstantiâ. Et hoc ius dicitur vsus. Vt si alicui concessus sit vsus, v. gr. vnius vineæ, poterit ipse vti ex ea pro se, & sua colligere familia; neutiquam verò illas vendere, aut donare quidem alteri quibit. Roderiquez. *tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 1. *concl.* 3.

21 Alterum verò ius in rei accidentia, est, non solùm vtendi, sed & fruendi re, salua semper eius substantia. Et hoc ius, vsusfructus dicitur, & verè talis est Quia ille dicitur aliqua re frui, qui eius fructus potest consumere non solùm in proprium commodum, sed etiam in cuiuslibet alterius propinqui, & etiam extranei, donando, vendendo, locando, & etiam gratis dando ius, quod ipse habet in vsufructu. Doctrinam huius corollarij, tradunt Bartholomæus à Sancto Fausto, & Gordonus, *locis proximè allegatis*, Becanus *dicta*, *quæst.* 1 *num.* 1. *quæst.* 5. *num.* 4. *& quæst.* 8. Azorius, *quæst.* 51 *citata*, *& quæst.* 7. Amicus, *dictos num.* 23. ibi. Per hoc differt à nudo vsu (vsusfructus scilicet) qui nec dat Ius ad percipiendos omnes fructus, qui perceptibiles sunt è re in vsum stadita, sed qui necessarij tantùm sunt vsuario; nec ius ad eosdem alteri locandos, aut donandos; non enim qui nudum vsum habet rei, illum alteri concedere potest. Hæc doctus Amicus, qui rursus ait. Triplex autem vsus: vsusfruendi, vsus vtendi, vsus actualis, qui & vsus facti nuncupatur. I. dicitur vsusfructus, qui se extendit ad omnes fructus, è re perceptibiles, & quomodocumqoe ab vsusfructuario distrahibiles. II. nudus vsus, qui solùm dat ius vtendi in sui tantùm commoditatem. III. est purus vsus, quo finito, nullum remanet ius in vtente ad iterùm vtendum, cùm tantùm in 1. & 2. transacto vsu actuali, remanet ius in vtente, ad iterùm vtendum re aliena, vel in sui tantùm commoditatem, vt in nudo vsus vel etiam in vtilitatem aliorum, vt in vsufructu. Hactenus ille.

22 Secundò colligitur, Vsum, & Vsumfructum, propriè loquendo, non dari nisi respectu rerum immobilium, Domus, v. g. vineæ &c. & respectu rerum mobilium, quæ vsu statim non consumuntur: quales sunt Oues, Boues, Asini, Equi, Libri &c. In his enim omnibus post vsum, & vsumfructum, seu fruitionem rei, illius remanet substauria, vti ex se patet. In mobilibus autem, quæ statim vno vsu consumuntur, rigorosè loquendo, non potest constitui vsus, aut vsusfructus. Quia post illarum vsum, earum substantia non remanet. Huius generis sunt *Pecunia, Panis*, *Vinum*, *Oleum*, post quorum vsum nihil dignoscitur remanere. Bartholomæus à Sancto Fausto *dicta quæst.* 8. *num.* 3. *& quæst.* 45. Gordonus *loco reddito*, ex §. *constituitur*, *institut. de vsufructu*. Becanus *dicto cap.* 2. *quæst.* 5. *num.* 5. *& quæst.* 9. *num.* 1. ex *allegato* §. *constituitur*; & ex *ff. de vsufructu earum rerum*, *quæ vsu consumuntur*, *per totum*. Amicus, *num.* 25. vbi rationem reddens ait: qui si interdum in his quoque commoditatis causa constituatur, simul cùm vsufructu ipsa rei substantia transfertur in vsumfructuarium: vndè absoluto tempore, non tenetur ad easdem res numero, sed specie. Quo etiam fit, vt si tempore vsufructus huiusmodi res pereant, pereant ipsi vsufructuario. Hæc Amicus.

23 Ex quo rursùs colligitur, quod respectu rerum immobilium, & etiam mobilium, quæ vsu non statim consumuntur, vsus, & vsusfructus, possunt penes vnum esse; & Proprietas, & Dominium penes alium. Quia benè ad inuicem separari queunt. ita Bartholomæus à Sancto Fausto, *quæst.* 8. *pluries recensita*.

Imò respectu rerum vsu vnico consumptibilium, Dominium potest penes vnum esse, & penes alium ius vtendi reuocabile, ita vt liberum Domino sit, & integrum illud reuocare, durante rei existentia Amicus, *tom.* 5. *disput.* 14. *num.* 55. ibi. Duplex igitur est vsus facti; alter dependens à nutu Superioris, ex presso, vel tacito; alter independens. Prior non repugnat cum voto paupertatis: talis est vsus, quem Religiosi habent rerum, quibus ad sustentationem propriæ vitæ cum consensu Superioris vtuntur. Posterior repugnat Religiosæ paupertati, quia est actus dominij non minus, quàm res alteri vtendas tradere. Hæc Amicus. 24

Quintò Soppono, quod Titulus est id; in quo fundatur Dominium, vt donatio; emptio; hæreditaria successio; legitima electio in officium, Beneficium, vel Regnum, &c. est titulus, seu fundamentum iuris in rem donatam, emptam, testatam, officium, Beneficium, Regnum &c. est autem Titulus duplex. Verus, qui reipsâ talis est, & Præsumptus, qui bonâ fide putatur talis: qui etiam ad præscribendum iuuat. Ita Amicus *dicto tomo.* 5. *disput.* 13. *num.* 18. vbi insinuat titulum necessarium esse ad acquisitionem Dominij, quod & docet Ioannes Martínez de Prado, mox citandus. 25

Suppono *sextò*, quod Traditio, est conditio, sine quâ ordinariè non acquiritur, etiam posito sufficienti titulo, ius in rem, sed tantùm ius in personam. Sic P. Amicus, *vbi proximè*. Ioan. Martinez de Prado *in Theologia Mor. tom.* 2. *c.* 21. *de Dominio q.* 3. §. 1. *num.* 2. cum Couarru. *lib.* 2. *var. cap.* 16. & communi ex *l. Traditionis*; *Cod. de Pactis*, *la* 22. *Traditionibus dominia rerum*; *non nudis pactis transferuntur* iuncta *l. Nunquàm*, *la* 31. *ff. de Acquirendo rerum dominio*. Vndè si Venditor ante traditionem rei, illam alteri vendat, primus emptor ius non habet in rem venditam, sed in venditorem. 26

Consultò dictum est, *ordinariè*; quia ius in Beneficium, in hæreditatem, in legata sine traditione acquiritur, in ea item, quæ venduntur, vel donantur ciuitatibus, ecclesijs, locis pijs, vel in captiuorum redemptionem. In contractu Societatis omnium bonorum per matrimonium. Quando quis alteri donat, aut tradit domum, fundum, aut quid simile, sub eâ conditione vt donatori alimenta donatarius præbeat, ista illo non præbente, statim donator recipit dominium, & possessionem rei donatæ. Ius etiam Pignoris, & hypothecæ sine traditione acquiritur. Ad rem tandem donatam à Principe, & ad priuilegium ab eo concessum ius in re acquiritur ante traditionem. In Beneficium quidem, ius acquiritur sola collatione, & acceptatione. *cap. Si tibi absenti, est* 17. *de Præbendis*, *in* 6. Palaus *part.* 7. *tract.* 31. *disp. vnica, punct.* 8. *num.* 4. Amicus, *loco allegato. num.* 20. Lessius, de Iustitia & Iure, *lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 3. *num.* 16. Ioannes Azorius *institut. Moralis*, *part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 10. *quæst.* 6. in hæreditatem etiam ius acquiritur solâ additione hæreditatis. Sic Amicus, & Lessius *vbi proximè ex lege*, *cum heredes*, *la* 23. *ff. de Acquirenda possessione*. vbi sic habetur. Cum hærodes instituti sumus adita hæreditate, omnia quidem iura 27

ad

ad nos transeunt; possessio autem nisi naturaliter comprehensa sit, ad nos non pertinet. Ita in lege illa. Hæreditas autem additur, quando verbo, vel facto acceptatur, vti Amicus, & Lessius ex *Instituta de hæredum qualitate, §. vltimo.*

27 Item legata etiam comparantur statim, ac hæredes hæreditatem acceptant; ita Amicus, & Lessius *locis redditis*, ex *lege, A Titio, la 64. ff. de Furtis*, ibi. Legata, recta via ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Dominium acquirere, Ciuitates, Ecclesias, loca pia, & captiuos eorum, quæ ipsis venduntur, aut donantur, ante illorum traditionem, idem Amicus *num. 21.* & Lessius, ex *lege inter Ius diuinum la 32. Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs.* De acquisitione Dominij in contractu Societatis omnium bonorum per matrimonium, ante illorum traditionem, adest doctrina Lessij, ex Couuarruuia, *lib. 3. variarum resolutionum. cap. 19. num. 1. & 2.* De recuperatione etiam Dominij, & possessionis rei donatæ, sub conditione alimentorum, in casu, quo illa non præbeat donatarius, Authores sunt Lessius, & Amicus, *vbi proximè, ex leg. 1. Cod. de Donationibus, quæ sub modo conficiuntur.* Ius deinde pignoris & hypothecæ sine traditione, aut apprehensione acquiritur: sufficit enim ad illud acquirendum nuda conuentio partium, & legis dispositio. Ità ex *l. ff. de Pignoribus*, Lessius. Deniquè, quæ Princeps donat, & eius priuilegium, eo ipso censentur sine traditione translata in donatarium, & priuilegiarium. Ità castrus Palaus, *part. 7. tract. 31. disput. vnica, puncto 8. num. 4.* cum Couuarruuia *lib. 2. variarum resolutionum, cap. 19. num. 3.* Molina de Iustitiâ & Iure, *tr. 2. disp. 3. post medium*, versic. *Quia verò*, & cum Rebellio, de obligation. *Iustit. lib. 1. quæst. 8. sect. 4. num. 19.* Lessius, de Iustit. *lib. 2. cap. 3. dubitat. 3. num. 16.* & Amicus, *vbi proximè, num. 21.* vbi ita fatur.

Censent aliqui, quæ Princeps donat permutatiuè, eo ipso censeri sine traditione translata; sed id tantùm verum est de donationibus, & priuilegijs, non de permutationibus, quas nisi certò constet, semper præsumitur Princeps celebrare iuxta legem, qua obligatur, quoad vim directiuam. Hæc Franciscus Amicus.

28 *Septimò* suppono *Possessionem*, esse vltimum Dominij complementum, sine quo illud non acquiritur, vti docet Amicus, *num. 39.* Sed intelligi hoc debet regulariter, & in plurimum, iuxta modò dicta, de *Traditione*. Possessio autem dupliciter sumitur: *primò*, pro re possessâ; *secundò*, pro possessione ipsa, quâ formaliter dicimur possidere. De possessione in secunda acceptione, in præsenti est nobis sermo: quo sensu possessio dicitur à pedum positione, (eo quòd pedum positione acquiri soleat bonorum immobilium, quæ præcipua sunt, possessio.) Ita Amicus, ex *lege 1. ff. de Acquirenda, vel amittenda possessione.* Lugo *de Iust. tom. 1. disput. 2. sect. 4. num. 59.* Sed quia dupliciter possessio capitur, facto scilicet, & iure, de vtraque possessione, quæ in præsentia sufficiant, dicere lubens duxi.

29 Possessio facti, est duplex, alia propria, & alia impropria. Propria, & vera Possessio facti, *est rei corporalis apprehensio, seu detentio vera, vel ficta, corporis, & animi, Iurisque adminiculo concurrente.* Ita Magister Amicus, *num. 40. dicta, disput. 13.* cum Ostiensi, *de causa possessionis.* & cum couarruuia, in Regulam, Possessor, *part. 2. num. 1.* Cum eodem Couarruuia, Becanus, *tract. de Iustitia, & Iure, cap. 2. quæst. 15. conclus. 2. num. 3.* Bassæus, *tom. 1. verbo Possessio, num. 2.* Lugo, *loco citat.* Possessio verò impropria, est & lata, *rei incorporalis apprehensio, seu detentio vera, vel ficta corporis, & animi, Iurisque adminiculo concurrente.*

Nomine *apprehensionis*, intelligitur in vtraque diffinitione Possessionis propriæ, & impropriæ, eiusdem possessionis inceptio, seu qua res primò incipit possideri, quæ semper actualis est, vti adnotat Amicus. Nomine *detentionis*, intelligitur possessionis continuatio: quæ habitualis sufficit, vt dormientes, & absentes dicantur res suas possidere. Nomine *incorporalis*, intelliguntur Iura, v.gr. percipiendi sensus annuos; habendi seruitutem pascendi proprias oues in alienis pascuis; Beneficia, dignitates, & alia huiusmodi, quæ à Theologis possideri dicuntur: à Iuristis verò, quasi possideri, quod est impropriè, & lato modo possideri. 30

Vera apprehensio illa est, & dicitur, quæ manuum apprehensione fit, si res mobilis sit; aut pedum positione, si immobilis. Amicus istius rationem reddit, dicens. Hi enim sunt veri, naturalésque actus, quibus possessio comparatur. *Ficta* dicitur apprehensio, quæ fit aliquo alio actu fictione Iuris ad possessionem comparandam æquiualente, vt cum arcis, vel domus dominium, apprehensione capitur clauium. Quibus exemplis, alia addit Lugo, *n. 63.* videlicet, cum quis accipit scripturam qua antiquioris possessoris ius continetur: si antiquus possessor ostendat oculis fundum, & dicat se tradere, & alter acceptet: si nouus possessor apponat custodiam rei, antiquo consentiente: si antiquus constituat se possessorem nomine illius, cui rem tradit, vel si eius nomine constituat se vsufructuarium, vel conductorem & si emptor, v. gr. per se vel per alium signet rem: vt si quis emat duo pecora ex aliquo grege, & venditore consentiente accipiat, & signet duo pecora vt sua, &c. colligitur (inquit) ex *l. Quod si neque, ff. de periculo, & quomodo rei vendita.*

Corporis, & *animi* apponuntur in diffinitionibus, quia vt rem aliquam possidere quis incipiat, non sufficit actus internus animi, sine externo corporis, neque externus, sine interno. Internus enim non sufficit, actus scilicet, quo rem velit vt suam: Quia cùm possessio iure gentium ad distinguenda deseruiat dominia, nisi actus externus interueniat, inutilis ad hunc effectum esset internus. Neque externus quidem sine interno sufficit, quia hoc deficiente, non apprehendet, quis rem, vt suam habendam, seu animo habendi illam vt suam. Rationem à priori vtriusque reddit Amicus, dicens. Ratio: sicut homo animo constat, & corpore, ita ad rem aliquam externam ab ipso possidēdam vtriusqoe actus requiritur. Defectu actus interni, Depositarius depositum noo possidet, nec creditor pignus, nec conductor rem conductam, quia vt benè Amicus, & alij recensiti aduertunt Doctores, nullus prædictorum rem apprehendit animo illam retinendi vt suam. 31

Iuris adminiculo concurrente, additur, non quasi iusta sit omnis possessio, quæ iuris adminiculo; & iniusta, quæ sine dicto comparatur adminiculo. Nam etiam iuris adminiculo possessio iniusta fit, quatenus vti Bartholus explicat *leg. 1 ff. de acquirenda possessione*, & ex eo Amicus, Bassæus, & Becanus, *locis allegatis*, ius non impedit, quominus per apprehensionem, seu retentionem possessio, quamuis iniusto, acquiratur. Huiusmodi est possessio; 32

possessio, quam acquirit fur, per rei alienæ apprehensionem, quæ licet iniusta, vera tamen est possessio, eo quod in ratione possessionis illam non irritat ius: sicut irritat ius: sicut irritat apprehensionem, & detentionem loci sacri factam à laico, *l. Qui Vniuersas*, §. 2. *ff. de Acquir. ff. possessione.* vi cuius Legis, laicus incapax est possidendi locum sacrum, esto illum apprehendat corpore, & animo habendi illum, vt suum. Ex quo fit, vt illum, per nullum temporis cursum, possit illum præscribere, quia nulla, sine aliqua possessione, præscriptio.

Dictis consonat Lugo, *de Iust. tom. 1. disput. 2. sect. 4. n. 64.* dicens, possessionem generice sumptam, non esse ius. Nam fur, etiam verè possidet, & tamen non habet ius insistendi, vt benè probat P. Molina in præsenti, *disp. 17.* Diuiditur verò possessio in iustam, & iniustam: & quidem iusta possessio non solum includit factum, sed etiam ius. Hæc Cardinalis.

33 Possessio iuris, *est ius, seu facultas insistendi alicui rei tanquam suæ, non prohibita possideri* Ita illam definiunt Amicus, *tom. 5. disp. 13. num. 41.* Bassæus *tom. 1. verbo Possessio, n. 2.* Becanus, *tr. de Iustitia & Iure, cap. 2. quæst. 15. concl. 2. num. 3.* cum Bartholo, *in leg. 1. ff. de Acquirenda possessione. Ius* ponitur in hac diffinitione ad excludendam possessionem facti, quæ formaliter est ipsa rei apprehensio, occupatio, & detentio: & ex eâ tanquam ex fundamento, ius hoc, quod iuris possessio dicitur, oritur pro vtroque foro conscientiæ scilicèt, & contentioso; si iusta tamen sit apprehensio, occupatio, & detentio; si autem iniusta illa sit, non parit in conscientiâ ius, seu in eius foro, benè tamen in externo, & contentioso, quod vtique, in dubio, eausam possidenti adiudicat.

34 *Insistendi* ponitur ad excludendum reliqua iura, quæ formaliter non dicunt facultatem insistendi, sed vel disponendi, vt Dominium; vel fruendi, vt Vsusfructus; vel vtendi, vt Vsus. Ratio itaquè formalis, & per *se possessionis Iuris* consistit in facultate, & Iure insistendi rei, hoc est pacificè tenendi, tuendique rem contra inuadentes, medijs Iure concessis; imò, & armis interdum, vti addunt Bassæus, *num. 3.* & Amicus, *tomo 5. disp. 13. numero. 52.*

35 *Tanquam sua*, additur in diffinitione, ad denotandum, quod nomine proprio rei debemus insistere, vt illam possidere dicamur. Si enim quis rei alicui nomine insistat alterius, non qui insistit, sed ille in cuius nomine insistit, possessor iuris illius rei erit. Vnde non dicitur Curator, aut Tutor rem possidere pupilli, aut furiosi; quia illam detinet, eique insistit non suo, sed pupilli nomine, aut furiosi. Ex quo habemus, non solum per nos, sed etiam per alios possessionem iuris rerum habere posse, modò tamen alij huiusmodi animum habeant detinendi res nostro nomine, esto id nos ignoremus. Ita Bassæus *num. 3.* Becanus *num. 4.* & Amicus *dicto num. 41. ex l. 1. Cod. de Acquirenda possessione & l. 3. §. Saltus ff. eodem titulo*, Lugo, *de Iust. & iure tomo 1. disput. 2. section. 4. numero 60.*

36 Iste tamen animus insistendi rei, nomine alterius, non requiritur in his, qui sibi acquirere nequeunt, ad hoc vt alter possessionem iuris habeat in re, quia quicquid acquirunt, & quocumque animo acquirant, non sibi, sed alijs acquirunt, modò acquisitio sit iusta. Et consequenter, quocumque animo rebus insistant, possessionem Iuris non habent ipsi in rebus, sed illi, quibus res ipsi acquirunt. Qui autem non sibi, sed alij acquirant, sunt filij nondum emancipati, qui patri acquirunt; Religiosi, qui suo Conuentui, dominio capaci, acquirunt. Quidquid enim Monachus acquirit, Monasterio acquirit; & serui, qui Domino acquirunt suo. Ita Amicus, Bassæus, Becanus *locis recensitis.*

37 Consultò addidi: *modo acquisitio sit iusta*: quia si iniusta fuerit, possessio iuris rei acquisitæ manet apud prioré illius possessoré. Ita Amicus, ex *Lege. Quod seruus ff. de possessione Acquir.* ibi. Quod seruus tuus, ignoráte te, vi possidet, id tu non possides. Et reddit rationem lex illa dicens, Quoniam is, qui in tua potestate est ignoranti tibi; non corporalé possessionem, sed iustam potest acquirere;

38 *Non prohibita possideri*, ponitur denique in diffinitione, quia nullum ius contra legis dispositionem acquiri potest: eo quod ius sit moralis potestas aliquid operandi: quæ quidem bono communi, quod Leges intendunt, preiudicare non potest. Vnde nemo, qui Legitimus successor non sit, ius possidendi maioratus acquirere queit. Amicus *dicto num. 41. in fine.* Et ex eodem capite, non potest laicus possidere, seu habere ius possidendi res sacras, & ius decimarum. Bassæus *num. 3.* Becanus *num. 4.* Couarruuia allegato.

39 Ex dictis intelligendus venit Bartholomæus à Sancto Fausto, *lib. 8. de voto paupertatis, quæst. 10.* vbi absolutè docet, quod possessio est ius retinendi rem aliquam in sua potestate; vel eam corporaliter apprehendendi cum facultate eam possidendi, siue res sit sua, siue alterius, vel per se, vel per alium. Loquitur enim præfatus Doctor de Possessione iuris.

40 Possessio duplex est, alia ciuilis, & naturalis alia. Ita P. Amicus, *tom. 5. disput. 13. num. 42.* ex *Lege, clam possidere, §. Qui ad nundinas ff. de Acquirenda possessione.* Vbi dicitur, qui è re sua corpore discedit, retinens animum eam possidendi; si interim alius animo possidendi eam occupet, amittit quidem ille possessionem naturalem, quam alius per ingressum occupat; non tamen ciuilem, quam eo vsque retinet, quo vsque à possessore deuictus eam recuperare desistat. Tunc enim ex iuris dispositione simul cum naturali amittit etiam ciuilem, & is, qui possidebat tantùm naturaliter, incipit possidere, etiam ciuiliter.

41 Est igitur possessio ciuilis, vti colligitur ex ista lege, *quæ rei iustè, vel iniustè acquisita solo animo actuali, vel habituali retinetur vt propria.* Diffinitur sic ab Amico, *vbi proximè.* De qua Lugo, *dicto n. 59.* Qui vtroque modo possidet, scilicet corpore, & animo, dicitur possidere naturaliter, & ciuiliter; cessante vero corporali apprehensione, dicitur ciuiliter possidere, quæ tamen est simpliciter possessio, vt constat ex *l. clam possidere.*

42 Dicitur *iustè, vel iniustè, acquisita.* Quia ad ciuilem possessionem non requiritur, vt res iustè sit acquisita. Nam fur ciuiliter possidet rem furto sublatam. De ratione autem est possessionis ciuilis, vt non sit nisi in vno. Quia non possunt duo in solidum eiusdem rei Dominium habere, vti ex varijs iuribus Couarruuia colligit, in *Regula, Possessor, part. 2. num. 7.* apud Amicum.

43 Ex dictis duo colligit Amicus. *Primum* est, posse Possessionem ciuilem à naturali separari, & è conuerso. Et patet quidem ex allegata lege, *Clam possidere. Secundum est*, ad ciuilem possessionem satis non esse detinere rem animo habendi illam vt

vt suam. Quia etiam inuasor rem occupat animo illam habendi vt suam, quam tamen non possidet ciuiliter, donec primus possessor animo desistat.

44 Possessio ciuilis ideò dicitur, quia potissimùm constat iure ciuili, à quo simpliciter possessio appellatur: paritque ciuiles effectus, veri dominij, vsus fruendi, præscribendi, &c. Amicus *numero*. 45.

45 Possessio naturalis est, qua res corpore tantùm detinetur. Quæ propriè tentio, non possessio dicitur. Quia possidere propriè est animo habendi rem proprio suo nomine illam detinere. Ita Probat Couarruuia ex Theopbilo, apud Amicum *num*.45. ex quo fit, quod nec Depositarius, nec colonus rem possideant, cum neuter rem detineat nomine suo proprio. Nec vsufructuarius, feudatarius aut emphyteuta rem possident, quoad proprietatem, sed quoad vtilitatem tantùm, quia quoad hanc solùm, & non quoad illam rem nomine detinent proprio. Ita Amicus,& Lugo *n*.60. vbi addit. Aduerte tamen, posse proprietarium, & vsufructuarium posidere idem prædium: nam licet vsufructuarius non posideat vt suum dominio directo, posidet vt suum Dominio vtili: & ratione huius possessionis competere ei possunt omnia priuilegia possessionis cum proportione accommoda. Vndè rem præscribere quoad proprietatem nequeunt, quia præscriptio non datur, vbi possessio non adest ciuilis. Possunt tamen, quoad vtilitatem, rem præscribere ait Amicus *ibidem*.

46 Quod si petas, quot modis acquiratur ciuilis possessio? Respondeo tribus modis acquiri. Actu vero; actu ficto; & Iuris dispositione. *Actus verus* est, manuum apprehẽsio, pedum positio. Iste actus necessariò requiritur ad acquirendam possessionem earum rerum, quæ Domino carent, Huiusmodi sunt feræ syluarum,& thesauri. Et ratio est potissima: quia cum istæ res careant Domino, qui possit ea nobis actu tradere ficto, nobis oportet actu vero ea apprehendere vt earum domini constituamur. Ita Amicus, *tom*.5. *disput*. 13. *n*. 46.

Actus fictus est, quo lege, aut consuetudine firmato, antiquus possessor rem suam alteri posidendam tradit. Actus iste fictus varius, & multiplex est. Videlicet (de præcipuis loquor) visus rei, quæ posidenda traditur, traditio clauium, vel scripturæ, qua prior possessor significat, se rem alteri posidendam tradere; signatio rei, quæ in alterum transfertur, vt cum signatur ouis, equus, aut quid aliud, quod emitur.

47 Capitur etiam possessio rei per actum fictum, quoties venditor se constituit rei à se venditæ conductorem, emphyteutam, Vsufructuarium. Quia eo ipso iuris fictione censetur in te translata proprietas: cum nemo sit conductor, emphyteuta, aut Vsufructuarius propriè, rei propriæ. Et idem cum proportione dicendum est quando donator, se constituit rei à se donatæ conductor, emphyteuta, vel Vsufructuarius. In dictis enim casibus censentur venditor, & donator in emptorem, & donatarium rei proprietatem, & possessionem tradere. Ita Amicus *dicto num*. 46. & 47. vbi addit alium modum capiendi possessionem per actum fictum, qui modus dicitur per *clausulam constituti*, & frequentissimus quidem est: & contingit, quando se quis constituit custodem, aut possessorem rei venditæ, vel donatæ nomine emptoris, vel donatarij.

48 *Iuris dispositione* acquiritur rei possessio, quando leges, sine vllo actu vero, vel ficto rei possessionem ex vno transferunt in alium. Huiusmodi est in Hispania possessio maioratus, quæ sine vllo actu vero, vel ficto, mortuo possessore transit cum omnibus ad primo genituram spectantibus, ad proximum successorem, vbicumque, & quomodocumque talis maioratus alienatus reperiatur. Huiusmodi etiam est in Gallia possessio, hæreditatis defuncti, quæ sine vllo vero actu, vel ficto iuris dispositione transit ad hæredem, etiam extraneum. Hæc autem possessio, quæ ex Iuris dispositione capitur, *ciuilissima possessio* dicitur. Ita Amicus, *num*. 48.

Iurium autem, & rerum incorporalium possessio, acquiritur exercitio talium Iurium, ac rerum, 49 modò quis eis vtatur vt suis, sciente, & patiente priori domino, vel eo ad quem concedere, vel prohibete spectabat. Hoc modo acquiritur possessio seruitutis, iuris eligendi, præsentandi, conferendi; &c, Amicus, *loco allegato*, *num*. 49. Ad horum iurium possessionem acquirendam, sufficere vnicum actum, ex Couarruuia, docet Amicus, *n*. 50.

Adnota tamen cum Amico, *dicto num*. 50. referente Mulinam, *disput*.14. non acquiri possessionem, sed tantùm dominium in seruitutem fundi, si talis seruitus exerceatur sciente, & patiente domino tantùm, non autem possessore fundi; è contra verò acquiri possessionem seruitutis fundi, si ius exerceatur sciente, ac patiente tantum possessore fundi, etiam nesciente domino fundi. Talis enim possessio sufficit ad præscribendum, modò adsit in præscribente bona fides.

Ex dictis patet plus ad acquirendam possessionem requiri, quàm ad dominium acquirendum. 50 Quia ad comparandum dominium, sufficit titulus, & traditio; ad comparandum verò possessionem præter titulum, & traditionem requiritur actus verus, vel fictus, aut Iuris dispositio, quorum aliquo res ipsa apprehendatur. Possessio enim est vltimum quasi complementum dominij, quod supponit, & non supponitur ab alio necessariò. Ita P. Amicus, *recensito*, *num*. 50.

Quod si iterum petas, quot modis possessio amittatur ciuilis? Respondeo, quod rerum mobilium possessio amittatur. I. Voluntate possessoris, nolentis rem posidere. Lugo *de Iust. tom*.1 *disp*. 2. *sect*. 4. *num*. 64. Amicus mox citandus. A quâ regulâ excipiuntur pupilli, & furiosi, qui sine consensu Tutoris, & curatoris nequeunt rem, propria amittere voluntate. II. Amittitur Furto. Lugo, & Amicus. III. Possessio amittitur, rerum amissione, etiamsi ad nullius manus deueniant. Lugo, Amicus. IV. Amittitur fuga. Lugo, Amicus: vt animalium fuga, etiamsi in Domini prioris agrum fugiant, modò consuetudinem redeundi non habeant, non tamen amittitur illorum possessio, si redeundi habeant consuetudinem, vt apes, & columbæ in nostro columbario commorantes. Ab ista regula seruus excipitur, cuius possessionem Dominus non amittit per illius fugam. Ita Amicus, *tom*. 5. *disp*. 13. *num*. 51. ex *lege*, *Pomponius*, *ff. de Acquirenda*, & *amittenda possessione*. 51

Respectu verò immobilium rerum, possessio amittitur. I. Diuturna absentia possessoris, sine vllo actu protestatiuo, negligentia, aut timiditate repetendi rem suam ab iniusto inuasore. Lugo *n*.64. Amicus, *num*. 51. II. Amittitur, ignoratione, quod res sit sua. Quia in hoc casu non habet animum posidendi ciuiliter. III. amittitur possessio, assidua fluminis aut maris inundatione. Docet 52

P. Ami-

P. Amicus, *dicto num.* 51. Cardinalis de Lugo, *n.64. allegato:* quia addit, idem esse quando adest simile impedimentum, vt non sit probabilis spes recuperandi.

54 Amitti etiam possessionem, ait Lugo, si illam habens sciat, rem ab alio occupari, & negligat: vel si tentans repetere, repellatur, & non audeat resistere.

55 Nonnulla pro possessione ciuili, operæpretium duxi addere, pro praxi scitu necessaria. *Primum* est, Possessorem bonæ fidei, certo tempore à Iure statuto, rem præscribere; illam faciẽdo suam, quæ sua non erat. Amicus, *vbi proximè, num.* 52. Lugo Cardinalis, *de Inst. & Iure, tom.* 1. *disput.* 2. *sect.* 4. *num.* 62.

56 *Secundum* est, in dubio de rei dominio, meliorem esse conditionem rem ipsam possidentis. Amicus *dicto, num.* 52. Lugo. *num.* 62.

57. *Tertium* est, in Iudicio semper dominium rei præsumi ex parte possessoris, ita vt ad eum non spectet probare rem suam esse; sed ad actorem: qui si sufficienter non probet, suam illam esse, manet possessoris. Amicus, & Lugo; *locis citatis.*

58 *Quartum* est, Possessorem, ad suam possessionem conseruandam, ac recuperandum, certa media habere, à Iure statuta, quæ possessoria, siue interdicta, vel inter duos de possessione contendentes, dicta appellantur. Ea sunt, non modò armis suam possessionem ab iniusto inuasore defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, Amicus *n.* 52. ex *Lege* 3. *ff. de vi, & vi armata;* sed iisdem armis, cum eodem moderamine, ab iniusto possessore illam repetere, modò confestim fiat, & non ex interuallo. Ex allegata Lege constare, ait, Amicus. Vtrumque Lugo, dicens. *Quarto*, qui possidet, potest armis defendere suam possessionem naturalem, atque etiam ciuilem seruato moderamine inculpatæ tutelæ. *Quinto* potest armis suam possessionem à qua exturbatus est, repetere, dum confestim fiat. Hæc Lugo.

59 Quod si petas, quando censeatur repetitio fieri confestim, & non ex interuallo? Respondet Amicus, si fiat quamprimùm commodè potest, conuocatis sufficientibus auxiliis, ad rem contra inuasorem recuperandam, necessariis. Ad quod interdum duo menses non sufficiunt, vt testantur ordinationes Regni Lusitaniæ apud Molinam, *disp.* 16. quin aliqui putant, aliquando decem annos non sufficere. Hactenus P. Amicus.

Sextum est, expellentem iniuste aliquem à possessione, amittere illius rei dominium, si forte illud habebat. Ita Card. de Lugo, *dicto num.* 61.

60 Suppono *Octauò*, *Peculium*, quod dictum est, quasi *pecuniâ pusilla, vel pusillum patrimonium*, vt Syluester, *verbo Peculium I.* in principio docet, *ex Lege Depositi ff. Peculio.* & Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *de voto paupertatis, quæstion.* 11. strictè sumptum significare pusillam substantiam, vel pecuniam, quam habet filiusfamilias, aut seruus, separatam a rebus, vel bonis patris, aut domini, datam, vel promissam filio, aut seruo; idem Syluester, & Barth. à Sancto Fausto ex *allegata iam Lege*, §. *Peculium.*

61 Peyrinus *tomo* 1. *de subdito, cap.* 2. *Versic. Noto secundo*, ait, quod Peculium nihil aliud est, quàm habere aliquam rem in particulari deputatam, & sequestratam ab aliis ad vtendum ea: vel iure dominii, & proprietatis; possidendo, & defendendo eam vt suam: vel iure solius administrationis, ad eam solùm administrandam, vel distribuendam secundùm conditiones & Leges ad hoc præstitas; non tamen ad eam alienandam neque distrahendam de ea vltra concessa: vel iure solius vsusfructus, qui est facultas vtendi re, & fructibus eius, in vtilitatem propriam, commodumque etiam aliorum; salua tamen substantia rei, fructuariæ: vel iure solius vsus, qui est facultas vtendi re ad solos proprios vsus, sine alia facultate alienandi, neque administrandi, neque etiam possidendi. Ita Lopez. 2. *part. Instruct. capit.* 4. *in principio.* Hactenus Peyrinus *pag. mihi* 165.

Ex quibus immediatè colligit differentiam inter Dominium, vsumfructum, & vsum, Possessionem, ac Administrationem: Quam consistere ait in hoc: quod Dominus disponit de re ipsa; quia potest eam destruere quoad substantiam, alienare per donationem, vel venditionem. Vsufructuarius disponit de solis fructibus prout vult; non solùm in suam, sed etiam in aliorum commoditatem, saluâ tamen rei substantiâ. Vsuarius de solis disponit fructibus in propriam tantùm vtilitatem; nullo autem modo in alterius vtilitatem. Possessio est ius insistendi rei corporali, à qua possidenda non prohibemur. Administratio tandem, est ius gubernandi, & distribuendi iuxta conditiones certas, & limitatas, non tamen alienandi, nec in quoslibet vsus expendendi. Quæ quidem omnia optimè consonant supradictis, & infra de administratione, dicendis. 62

Diuiditur Peculium in Castrense, Quasi castrense, Profectitium, & Aduentitium. Peculium Castrense est id, quod filio degenti in militia, occasione militiæ donatur a parentibus, cognatis, aut aliis, & quod ipse in militia acquisiuit, aliàs nisi militasset non acquisiturus. Ita *ex Lege Castrense, ff. de Castrensi peculio*, Leonardus Lessius, *de Iustitia & Iure, lib.* 2. *cap.* 4. *dubitat.* 3. *num.* 7. Syluester, & Barthol. à Sancto Fausto; *locis proxime recensitis*, vterque *n.* 1. 63

Peculium Quasi castrense, est omne id, quod acquiritur ab Aduocatis, Tabellionibus, Magistris studiorum liberalium artium, à Medicis, ac ab omnibus, qui ex publica causa, vel officio publico, salaria; vel stipendia recipiunt publica. *ex Lege, cum antiquis, Codice de inofficioso testamento.* Syluester, & Lessius, qui addit, omne id, quod ex Beneficio Ecclesiastico acquiritur; & quidquid post Clericatum acquiritur, etiamsi aliàs esset aduentitium; *ex Authentic. Presbyteros,* 1. *Cod. de Episcopis, & Clericis.* Et quidquid intuitu functionis officii publici, vel artis liberalis, vt libri, qui à parentibus vel ab aliis eis dantur, qui autem illam sunt professuri. Quod Principis datur liberalitate. Et quidquid filiofamilias datur; vt ipse tantùm, & non eius pater vsumfructum habeat. 64

Peculium *Profectitium*, est omne id, quod ex substantia, & rebus patris viui prouenit, vel principaliter; & proximè causa patris datur. Huius generis sunt, quæ filiis à parentibus conceduntur, vt ea administrent: & quæ ab aliis dantur filio ob amicitiam, aut obsequium patris; secus si dantur ob obsequium, aut amicitiam filii. Ita Lessius, & Syluester *locis citatis*, ex *lege* 6. *Cod. de bonis, quæ Liberis in potestate constitutis ex matrimonio, vel aliter acquiruntur, & eorum administratione.* Bartholo; & Glossa *in Lege Cum oportat, eodem tit. de bonis quæ liberis.* 65

Peculium tandem *Aduentitium* est, quod acquiritur industria vel labore, seorsum à labore rei domesticæ: & quod donatione aliundè, quàm a 66

tuitu patris facta, vel successione, vel aliter aliunde provcuit ex eventu vel fortuna; ita tamen vt non sit castrense, aut quasi castrense: vt si inveniat thesaurum: si lucretur negotiando ex peeunia furtiva, aut mutuo accepta. Tunc enim lucrum est peeulium adventitium. Et si moritur mater ante patrem, bona materna, adventitia sunt filio respectu patris; secùs autem si pater præmoriatur: non enim patris bona adventitia sunt filio respectu matris. Ratio disparitatis est sita in patria potestate, quam pater solùm habet, non autem mater. Lessius *vbi suprà* cum Navarro *in Manuali, cap.17. n.142.* Sylvester *loco citato*, & Molina *de Iustitia, disp.9. & 232. ex l.4. & 6. Cod. de Bonis, qua liberis, &c.*

67 Consultò diximus: *ita tamen, vt non sit Castrense, aut Quasi crastrense.* Vt excludatur peculium, quod provenit ex donatione Imperatoris, aut Imperatricis, quod Quasi castrense iudicatur. Sylvester *vbi suprà, ex l. Cum multa, Cod. de bonis, quæ liberis, &c.* & vt excludatur, quod à Rege donatur: idem Sylvester, eo ductus, quia quod de Imperatore est statutum generaliter, de Rege intelligitur statutum particulariter, iuxta adnotata per Innocentium *in cap. Quibusdam, de Verborum significatione.*

68 Pro nostro autem præsenti instituto, est & aliud *Peculium*, sic translatione sumptum pro rebus, quæ à Religiosis peculiater possidentur. Quod vtique duplex est: *Iustum*, & *iniustum*. Peculium *iustum* est, quando Regularis administrarionem, & vsum alicuius rei habet, dependenter tamen à Prælati voluntate: & dicitur Peculium ex similitudine Peculij Profectitij, vti Bartholomæus à Sancto Fausto *lib. 8. de voto paupertatis, quæst. 11.* advertit cum Navarro *comment. 1. de Regul. n. 14.* Nam sicut filiusfamilias habens peculium profectitium, non habet dominium, neque ius aliquod politicum, & civile, sed tantùm administrationem, & negociationem bonorum patris, cui subditur: sic Religiosus dicitur habere peculium regulare, eo quòd administrationem, & negociationem bonorum habet Monasterij, vel aliqua alia bona suis proprijs vsibus deputata, dependenter tamen à Prælati sui voluntate.

69 *Peculium iniustum* est, quando aliquid apud se Religiosus, sine licentiâ habet sui Prælati. In qua certè significatione Peculium sumitur *in cap. Monachi, el 2. de statu Monachorum*, ex Generali Concilio Lateranensi desumpto, in quo ita decernitur. Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, nec peculium permittantur habere. Et infrà. Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione removeatur Altaris &c. Notetur Clausula: *nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum.* In qua, dubio procul, Peculium iustum à præfato sacro Concilio, pro Monachis approbatur. Improbatur tamen peculium iniustum, à Concilio Camerac. *de Monachis, c. 9. & 10.* & simul iustum approbatur, per hæc, quæ sequuntur verba. Caveant igitur ne quid sibi ita retineant, vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune, néve ad peculiares vsus eo vtantur, sine Superioris consensu. Refert Lezana *in Summa quæst. Regular. tom. 1. par. 1. cap. 6. num. 7.* De peculio iniusto, pariter ac de iusto, fassus est D. Augustinus in Constitutionibus Monasticis, *cap. 35.* à Bartholomæo à Sancto Fausto recensitus *dicto lib. 8. de Voto paupertatis, quæst. 20* dum dixit. Proprietatis vitium est privatam pecuniam habere, & clanculum, inscio Superiore, aliquid demolire. Hæc Augustinus. Peculium iniustum idem est ac proprietas. Gloss. *in dicto cap. Monachi, verbo Administratione.* Barth. à Sancto Fausto *q. 11.*

Iura igitur, & Patres de abdicanda proprietate loquentes, exponi debent de abdicatione peculij iniusti, possessi scilicet, sine licentia & voluntate Prælati, vel ab ea independenter. Barthol à S. Fausto *q. 11.*

Nonò suppono, quod Administratio est, ius gubernandi, vel distribuendi rem aliquam iuxta conditiones, ac leges peculiares ad hoc assignatas, & non alio modo. Et non includit vllum proprium dominium, aut ius fruendi, vel vtendi; sed est quid facti, & per se, & præcisè spectata, non facit Administratorem divitem, secluso emolumento temporali, ex illa resultante. Ita Barthol. à Sancto Fausto *lib. 8. de Voto paupertatis, quæst. 9.* Peyrinus *loco allegato suprà, scilicet, tom. 1. de Subdito, q. 2. cap. 2. notab. 2. & 6.* 70

Decimò suppono, quod Dominium, Possessio, Administratio, Vsus, Vsusfructusque dupliciter sumi I. quatenùs talia sunt iuris; quia scilicet, qui Dominium, v. g. alicuius rei habet eam pro suo arbitratu administrat. II. Quatenùs talia sunt facti; quia scilicet realiter, & de facto habentur, sed non possunt ad suum libitum administrari, sed ad voluntatem alterius, ad cuius etiam voluntatem, amobilia sunt. Ita Peyrinus, *notabili 6. citato.* 71

Quibus suppositis, facilis est Dubij propositi resolutio; sed vt facilior ista reddatur, libuit illam, nonnullis conclusionibus, dilucidare.

CONCLVSIO I.

Religiosus quilibet vtriusque sexus, sive Clericus, id est, ad Chorum deputatus, sive Laïcus, ad opera scilicet servilia Monasterij destinatus, qui facta professione solemni, dominium rei pretio æstimabilis habet, seu facultatem acquirendi, possidendi, seu habendi, & expendendi illam, tanquam suam, provt voluerit, & independenter à Prælati sui voluntate, proprietarius verè est, & dici debet. 72

Consultò *professione solemni dixi*, quia Scholastici Societatis facta vota simplicia dominium habent, dependent tamen in vsu à Prælatis. Amicus *tom. 5. dispnt. 14. nu. 31.* Bussembaum *in Medulla Theolog. lib. 4. cap. 1. dub. 4.* cum Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7.* & Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 18.* Lugo *tom. 1. de Iust. disput. 3. sect. 4. num. 77.* Greg. XIII. *in Constit. Quantò fructuosius:* & *in Ascendente Domino la* 89. apud Cherubinum. 73

Hanc conclusionem tenet Diana *part. 3. tract. 2. de Dubijs Regularium, resolut. 34.* cum Homobono *de Bonis, in examine Eccles. part. 2. tract. 3. cap. 8. q. 21.* Molfesio *in Summa tom. 1. tract. 7. cap. 20. num. 50.* Vincentio de Franchis *decis. 718.* & Roderiquez *tom. 2. quæst. Regul. q. 125. art. 2.* Ex quibus quæ sequuntur, recenset verba. Etsi donatio causa mortis, vel Legatum factum Religioso professo, cum conditione, vt illud habeat, independenter ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cum hoc omnimodo paupertatis voto adversetur, &c. idem Roderiquez *ead. quæst. art. 4. & tom. 3. quæst. 29. art. 10.* tenent etiam Fulgent. 74

de

de Oviedo *in Republica Regulari*; *part.* 1: *tract.* 9. *cap.* 1. *qu.* 1. *n.* 8. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum*, *lib.* 8. *de Voto paupertatis*, *quæst.* 18. *n.* 2. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæst. Regul. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. Ioannes Azotius *Instit. Moral. par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. *q.* 1. Castrus Palaus *par.* 3. *tract.* 16. *disp.* 3. *punct.* 2. *n.* 1. *&* 2. cum Suarez *tom.* 3. *de Religione*, *lib.* 8. *cap.* 5. *nu.* 14. Lessius *de Institia*, *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 22. Amicus *in Cursu Theologico*, *tom.* 5. *disput.* 4. *q.* 4. *n.* 30. vbi ita fatur. Religiosi de facto fiunt inhabiles ad rerum dominia per votum solemne. Id apertè testantur Iura. Docent enim, Monachum nihil habere proprij: nihil acquirere sibi, sed Monasterio: testari non posse: nec ab intestato succedere: illum comparant servo, qui iuris est incapax. Hæc Pater Amicus.

75 Addunt Bartholomæus à Sancto Fausto *nu.* 3. Lezana *eod. num.* cum Navarr. *comment.* 2. *de Regularibus*, & Sanchez *in Decalogum*, *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 25. quod Religiosus vovens paupertatem, solemniter obligetur ad non volendum habere, nec habere posse, etiam iustè, & ad non vtendum re aliqua temporali tanquam propria, affectu scilicet eam retinendi, vel expendendi iure proprio suo, seu independenter à Prælato, quod vtique idem est.

76 Tenet similiter conclusionem Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito*, *q.* 2. *cap.* 2. *versic. Noto* 1. in hæc prorumpens. Noto I. quod cum Religiosa paupertas sit diametraliter opposita dominio, de essentia illius erunt, quæ sunt opposita essentiæ dominij. De essentia autem dominij duo sunt. *Primum*, quod Domini habeant liberam facultatem vsurpandi rem arbitratu suo, absque alterius iniuria, quæ fit contra iustitiam commutatiuam. Et per hancfacultatem propriè, & formaliter constituitur aliquis Dominus, quasi in actu primo. *Secundum* est, quod re, cuius aliquis est Dominus, liberè is vtitur independenter à voluntate alterius: quo ipso est rei Dominus, velut in actu secundo. Itaque de essentia paupertatis Religiosæ erit, nullam habere facultatem arbitratu suo disponendi de re aliqua, neque aliquam rem vsurpandi independenter à voluntate Prælati: ita Valentia *tom.* 3. *disput.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 3. *versic. Hæc cum ita sint.* Hucvsque Peyrinus. Ipse, *notabili* 5. ait, quod sine controversia est apud DD. non posse Regulares, sub paupertatis viventes voto, habere aliquid proprium, prout proprium dicit dominium rei absolutum ab alijs independens. Et *notab.* 6. Ita fatur. Proprium, seu Dominium primi generis (scilicet *iuris*) competit personis liberis: secundi generis (scilicet *facti*) potest competere Religiosis: ita Navarr. *comm.* 1. *de Regular. n.* 15. & Bartholomæus à Sancto Fausto, *tr. de Vitio proprietatis*, *q.* 3. *n.* 5. *&* 6. Hactenus Peyrinus.

77 Ratio fundamentalis nostræ Conclusionis est. Quia per votum paupertatis, sive solemne sit, sive simplex, In Religione emissum, renunciat Religiosus, non solùm rebus externis, sed etiam à seipso abdicat principium internum dominandi, principiumque sui iuris, & dominij, perfecta traditione suæ voluntatis in manus Superioris vicem Dei gerentis, & illud Dei vice acceptantis. Vnde Innocentius Papa III. *in cap. Cum ad Monasterium el* 6. *de statu Monachorum*, hanc diffiniens veritatem, ita fusus est: nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Hæc Innocentius, quo loci ita præcipit. Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Qua quidem Decretali diligenter inspecta, capere benè non valeo doctrinam asserentem Religiosum inhabilem de facto esse ad omnia, non ex naturâ voti solemnis, & ex iure naturæ, sed tantùm ex Iure Ecclesiastico; quàm tenent Amicus, *tom.* 5. *disput.* 14. *n.* 31. Palaus *par.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. *&* 2. cum Suarez *tom.* 3. *de Religione*, *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 4. Lessius *de Iustit. lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 5. *num.* 22.

Iure quoque novo Tridentini *seß.* 25. *de Regul. cap.* 2. sic statuitur: Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed ea statim superiori tradantur, Conventuique incorporentur. 78

CONCLVSIO II.

Quicumque actus dominij, à volontate Superioris independens à Religioso quocumque professo attentatus, ipso iure irritus est, & invalidus, ac vitio proprietatis infectus. 79

Hanc tenet Amicus *disp.* 14. *allegata*, *num.* 52. cum Sylvestro *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. Navarro *comment.* 1. *de Regular. n.* 13. & *comment.* 2. *num.* 2. Molina *tom.* 3. *disp.* 686. Valentia, 2. 2. *disput.* 10. *quæst.* 4. *punct.* 3. Emmanuel Rodetiquez *tomo* 3. *quæst. Regular. quæst.* 29. *artic.* 10. Azorio *tom.* 1. *Instiut. Moral. lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 1. Leonardo Lessio *de Iustitia*, *lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 8. *&* *cap.* 41. *dubit.* 9. Ioannes Baptista Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. *&* 2. vbi ita fatur. Peccat etiam Religiosus peccato proprietatis tenens, retinens aut possidens quamcumque rem sine licentia sui Superioris, etiamsi talis res sit ex illis, quæ vsu consumuntur. Ratio est, quia per votum paupertatis astringitur ad non exercendum actum aliquẽ proprietatis. Est autem præcipuus actus proprietatis tenere, possidere, aut retinere aliquid sine licentia Superioris. Maior *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* 9. Hæc P. Lezana, qui pro se etiam recenset Navarrum *dicto comment.* 2. & Sanchez *in Decalogum*, *lib.* 7. *c.* 18. *num.* 25. tenent & Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum*, *lib.* 8. *quæst.* 18. *num.* 3. Pellizzarius *in Manuali Regul. tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 2. *nu.* 16. Peyrinus *loco in concl.* 1. recensito *&* *notabili* 4. ibi: *Secundum*, *&c.*

CONCLVSIO III.

Proprietarius est Religiosus vtens, aut fruens, qualibet re temporali, & pretio æstimabili, tanquam sua, seu independenter à volumtate Prælati; sive ab extrinseco, sive à domestico, sive tandem à proprio, illam acceperit Prælato: ita Peyrinus *vbi proximè* Noster Fulgent. de Oviedo *in Republica Regulari*, *par.* 1. *tr.* 9. *cap.* 1. *q.* 1. *n.* 12. *q.* 3. *q.* 4. Suarez, & Hinojosa, locis mox allegandis. Bussembaum *in Medulla Theologia*, *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. *casu* 4. cum Layman *libro* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. 80

cap.7. num.6. Pellizzar. *in Manuali, tom.1. tr. 4. cap. 2. sect.3. nn.* 131. Ioannes Martinez de Prado *in Theologia Morali, tom.2. cap.21. de Dominio*, §.4. cum Navarro *comment.2. de Regular. nu.2.* §. *Pro resolutione* : & *num.15.* §. *Octavo*: & *de redditibus Ecclesiasticis, qu.1. monito* 7. Barthol. à S. Fausto *de Vitio proprietatis, disput.34. q.3. n.7.* Sylvester *verbo Religio*, 6. *q.7.* §. *Tertium.* Villalobos *to.2. tract.35. difficult.24. n.3. & 4.* Lessio *de Iust. lib.2. cap.41. dubit.9. n.78. & cap.4. dub.5. n.28.* Palao *tom.3. tract.16. disput.3. punct.21. num.4.* Azorio *tom.1. lib.12. cap.12. q.2.* Sanchez *in Decalogum, lib.7. cap.19. nn.49. & 53.* Lugo *de Iustit. tom.1. disp.2. sect.3. n.50.* Diana *par.7. tract.11. resol.18.* Hieron. Garcia *in Politica Regular. tom.1. tract.4. part.3. difficult.2. dub.3. n.4.* Lezana *to.1. c.6. n.30. 33. & 40.* D.Thom. 2.2.*q.*186. *art.*4. & cum torrente Doctorum.

81 Ratio Conclusionis est. Quia qui re aliquâ, tanquam suâ vtitur, aut fruitur, seu independenter, exercet actum vsus Iuris absoluti, & independentis. Sed qui vsum iuris absolutum, & independentem exercet, actum exercet dominij, & proprietatis statui Religioso omnino repugnantem, & contrarium, tanquam illius destructivum: ergo proprietarius est Religiosus, qui vsum, aut vsumfructum rei cuiuscumque, tanquam suæ, seu independenter à Prælati voluntate exercet, etsi illam à suo acceperit, ad vsum, Prælato. Minor probatur à priori. Quia votum semper obligat iuxta voventis intentionem. Qui autem in Religione votum emittit paupertatis, intendit abdicare à se non solùm dominium, & proprietatem rerum pretio æstimabilium, & omne ius civile illarum, sed etiam vsum facti, earundem independentem à Prælati voluntate. Alioquin, vti benè adnotat Martinez de Prado, cum Sanchez, & Azorio, nunquam votum violaret paupertatis Religiosus, aliquid ab exteris accipiendo, quia nunquam potest aliquod ius acquirere, sed solum vsumfacti, cuius solius est capax: ergo vsusfacti independens, materia est contra votum paupertatis, sufficiens: ergo à fortiori sufficiens materia erit vsus iuris. Vovet igitur Religiosus imitari pauperum statum, ita vt non solùm careat rebus quibus indiget ad humanam vitam, sed etiam nec ijs vtatur nisi ex Prælati sui arbitrio, & voluntate, vti benè Prado.

82 Probatur deinde conclusio 3. *ex cap. Cum ad Monasterium* el 6. *de statu Monachorum.* ibi: si cuiquam aliquid fuerit specialiter designatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel priori assignetur. Vbi non solùm dominium, sed acceptio, & designatio pro vsu, sine Prælati licentia, contra paupertatis votum dicitur, vti benè dictus Martinez de Prado *n.* 29. cum Pellizz. *in Manuali Regular. tom.1. tract.4. cap. 2. sect.3. num.*214. *pag.mihi* 304. & P. Suarez *de Religione, tom.3. tract.7. lib.8. cap.11. & tom.4. tr.10. lib.4. cap.4. n.13.* & Antonio Hinojosa *in Direct. decisionum Regular. verbo Votum paupertatis*, ex communi Doctorum docente, quod si Frater vtitur aliqua re notabili, sine licentia expressa, vel subintellecta, vel præsumpta Prælati, faciat peccatum mortale.

Suarez autem *dicto cap.11.* sic fatur. Posterior pars, videlicet, quod accipere dicto modo sit contra votum paupertatis, probatur, quia ille etiam est actus proprietatis repugnantis paupertati Religiosæ. Nam licet in eo casu Religiosus non vtatur tali re, vt dominus eius; tamen in acceptando illo vsu, se gerit, vt dominus: vsus autem ille pretio æstimabilis est: nam si sit actus, quo res consumitur, tantì est æstimabilis moraliter, quanti res ipsa: si autem vsus, salva substantia rerum, sit pretio æstimabilis distincta à valore rei; qui ergo illum vsum accipit suo arbitrio, & sine licentia; iam accipit aliquid pretio æstimabile, proprio arbitrio, & sine facultate Superioris: ergo quoad id se gerit vt dominus. Vnde licet per votum paupertatis non excludatur simpliciter vsus facti à Superiore concessus, excluditur tamen vsus facti proprio arbitrio vsurpatus: etiamsi ille vsus à Domino concedatur. Hoc enim pertinet ad rationem iustitiæ, & non ad rationem paupertatis.

Confirmatur, & declaratur. Nam dominus concedendo talem vsum, concedit planè aliquod ius vtendi: quod ius æstimabile pretio est, etiamsi pendeat à Domino, qui potest illud revocare: ergo paupertas læditur cùm tale ius proprio arbitrio recipitur, & in actum reducitur.

Atque hoc etiam confirmat vsus, & communis sensus Religiosorum, qui hoc modo, & intentione intelligunt emitti votum paupertatis, scilicet, non habendi rem vllam, neque vtendi illa, nisi ex voluntate Prælati. Vnde omnis vsus sine hàc licentiâ expressâ, aut interpretativâ, proprietarius censetur: etiamsi non sit de rebus proprijs, sed alienis.

Idem Suarez *num. 13. citato*, refert, & approbat quod rectè dixit Theodoricus Coloniensis Chancellarius *tract. de Peculio Religiosorum cap.7.* quem refert Carthusianus.

CONCLVSIO IV.

Proprietarius est Religiosus omnis, sive subditus ille sit, sive Prælatus, qui rem quamlibet 83 pretio æstimabilem, civiliter possidere intendit, *possessione facti*: ita Fulgentius de Oviedo *in Republica Regul. part. 1. tract. 9. cap. 1. quæst. 1. n. 8. & 11.*

Probatur primò *ex cap. Cum ad Monasterium*, ibi: Prohibemus, quoque districtè in virtute obedientiæ sub obtestatione divini iudicij, ne quis Monachorum, proprium aliquo modo possideat.

Secundò probatur ista Conclusio. Quia civiliter aliquid possidere *possessione facti*, propriè est, 84 illud detinere nomine suo proprio, & tanquam suum. Sed nullus Religiosus aliquid detinere potest tanquam suum, & proprio suo nomine, quamvis Prælatus ille sit: quia sic illud detinere, contrariatur abdicationi principij sui iuris, & dominij, in professione Regulari factæ: ergo proprietarius est omnis Religiosus, qui rem quamlibet temporalem pretio æstimabilem civiliter intendit possidere.

85 Quæ de possessione in hac Conclusione, dixi, intelligenda sunt etiam de quasi possessione. Ita vt proprietarius sit, non solùm ille Religiosus, qui bona immobilia, seu corporalia, respectu quorum possessio propriè, & strictè sumpta locum habet; sed etiam, qui incorporalia, seu iura, v. g. percipiendi census annuos, respectu quorum quasi possessio, seu possessio latè, & impropriè accepta dicitur, tanquam sua, & suo nomine intendit apprehendere, aut detinere.

CON

CONCLVSIO V.

86 PRoprietarius est Religiosus quilibet, qui *possessione iuris*, possidere intendit rem aliquam temporalem pretio æstimabilem: ita Fulgent. de Oviedo, *q.2. n.33.*

Probatur conclusio ista. Quia possessio iuris dari non potest in eo, qui possessionem facti habere nequit, ex ista namque tanquam ex fundamẽto oritur illa pro vtroque foro, si tamen iusta ista sit, & si iniusta, in externo tantùm, & contentioso foro. Sed nullus Religiosus potest rem aliquam possessione facti possidere, nisi votum paupertatis violando, & proprietatis vitium incurrendo, vti ostendimus conclusione præcedenti; ergo proprietarius est quilibet Religiosus qui rem aliquam pretio æstimabilem possessione iuris possidere intendit.

87 Deinde ratio formalis, & per se, possessionis iuris consistit in facultate pacificè tenendi, tuendique rem, iam possessam de facto tanquam propriam contra invadentes: ergo Religiosus, qui nihil potest pretio æstimabile, tanquam proprium, seu proprio nomine apprehendere, neutiquam illud tenere quibit pacificè, tuerique contra invadentes: ergo si id attentaverit, contra paupertatem, ex vitio proprietatis peccabit.

DVBIVM II.

An stante Concilio Tridentino, licitè valeant Religiosi privati, de licentia Prælatorum suorum, peculium habere?

BREVIARIVM.

Actus.

Actus proprietarius, est actus dominij, n. 2.

Actum proprietarium prohibet, qui prohibet dominium, n.2.

Clemens VIII.

Decretum Clementis VIII. circa paupertatem Religiosam recensetur, à n.4. *ad* 15.

Innovatur hoc Decretum ab Vrbano VIII. & à Congreg. Concilij, à n. 16. *ad* 21.

Bis in anno debet publicè Legi, n.19.

Derogatur Decreto Clementis circa Novitios recipiendos, n.18.

Cella.

Vnicam cellam debent omnes, etiam Superiores in communi habere dormitorio, nudis parietibus ac lectu, & mensa, humilibus, & sine caminis, numero 11.

Concilium.

Tridentinum, quæ disponat circa paupertatem Religiosam, n.3.

Incæpit obligare Conc. Tridem. à Kalendis Maij, 1564. n.54.

Ius novum non induxit circa paupertatem Religiosam, sed innovavit antiquum, n.72.

Qualiter à nostris intelligatur Doctoribus, n.53.73. *&* 90.

Illius Decretum circa paupertatem Religiosam, non est receptum, intellectum cum rigore, num. 53. *&* 74.

Non intendit obligare ad exactam, & integerrimam paupertatem, sed ad mediam, aut potius infimam, num. 76.

Obligat tamen eo modo, quo à qualibet fuerit intellectum, & receptum Religione, n.77.

S. Congregatio.

Declarationes S. Congregationis Concilij circa paupertatem Religiosam, eodem modo intelliguntur, & recepta sunt, ac ipsum Concilium, n. 78.

Recensentur variæ declarationes circa dictam paupertatem, à n.22. *ad* 44.

Constitutio.

Pontificia Constitutiones de paupertate Religiosâ tractantes, recepta, & intellecta eodem modò sunt, ac Decretum Concilij circa eandem, n.78.

Depositarius.

Licitè statuitur in Conventu pro asservandis pecuniis, particularibus Religiosis assignatis, ad indigentias sublevandas, n. 92.

In nostra Congregatione, Depositarius sui peculij statui nequit, qui communis depositarius non extiterit, num. 94.

An peccet Religiosus, qui peculium penes Depositarium habet, si minutatim computet, quod per Depositarium expendit, n.93.

Dormire.

In eodem lecto, duo Religiosi dormire prohibentur, num. 11.

Lex.

Lex observari debet cum epikia, & vti circunstantiia postulant, n.70.

Accommodata debet esse humanæ fragilitati: Vnde non obligat cum morali impossibilitate, n.70.

Nimia severitate, & asperitate observata, bonis, & malis damnosa est, n.70.

Novitij.

Decreto Clementis VIII. circa Novitiorum receptionem, derogatur, n.18.

Paupertas Religiosa.

Omnium Religiosorum subditorum, & Prælatorum; vestitus, & supellex, vniformis debet esse, & statui conveniens paupertatis, n.6. 11.

Omnes eodem panè, vino, & obsonio; & in communi mensa vesci debent, n.7.

Quid Superiores facere debeant, de his, quæ officiorum ratione, eis assignantur, n.8.

Prælati locales, per seipsos administrare, & dispensare nequeunt Monasteriorum bona, sed per tres Religiosos, modo, quo præscribitur, n.9.

Pœna infliguntur Prælatis interpretantibus Decreta Concilij, & Clementis VIII. circa paupertatem, aut illa relaxantibus, n.10.13.20.

An possint Religiosi, sine Papæ dispensatione, bona immobilia, annuos redditus, & mobilia superflua habere, n.5. 29. 36. & seqq.

An habentes dicta bona, ex aliorum dispensatione Superiorum, à culpa excusentur, vel à pœna, n.50. 30. *&* 44.

Credendum an sit Superiori asserenti posse in hoc dispensare, n.5.31.

In dubio de mobilium superfluitate, standum est Superioris arbitrio, n.32.

Superiore necessaria negante, aut subtrahente, non licet subditis clàm illa comparare, aut retinere, num. 33.

Licet tamen, si præcisa sint ad individui sustentationem, n.34.

Iuxta vniuscuiusque exigentiam, omnibus circumstantijs inspectis, providere debent Prælati necessaria, n.45.46.68.92.

Recti

§. I.

Iura recensentur, Proprium vetantia.

PRo exacta difficultatis propositæ disquisitione, nonnulla scitu digna, apprimè necessaria, supponere operæpretium duxi. *Primò* suppono, nullum Prælatum Religiosorum, neque Summum Pontificem posse Religioso professo concedere proprium strictè sumptum, Religioso manenti. Expressè decernitur ab Innocentio III. *in cap. Cum ad Monasterium in fine, el 6. de Statu Monachor.* ibi: nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Ita in Decretali illa: & docent Glossa ibi, & *in cap. Monachi, verbo Administratione, in fine el 2. dicti tituli.* Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib. 8. qu.28. n.2.* Pellizzatius *in man. Regular. to.1. tr.4. cap.2. sect.3. n.187.* 1

Suppono *secundò*, quod Religiosus professus, 2 secundùm iuris antiqui dispositionem, potest de sui Prælati licentia proprium latè sumptum habere, prout hoc dicit, & continet solam detentionem, vsum, administrationem, & possessionem facti, cum facultate disponendi, in suos vsos honestos, & pios tantùm, ad nutum tamen Prælati sui revocabile. Docent Bartholomæus à Sancto Fausto, *vbi proximè, nu.3.* Ioannes Caramuël, *comment. in Regulam S. P. N. Benedicti, num.898.* Augustinus Barbosa *in cap. Monachi, num.2. el 2. de Statu Monachorum*, cum Navarro *comment. 2. de Regularibus, num.14. comment. 3. n.27. & consilio 20. aliàs 14. tit. de Regul. num.5.* Greg. Lopez

1.14. *verbo Proprie, tit.1.par.3.* Corduba *in Summa, quæst.54. opin.2.* Ludovico Lopez *in Instruct. conscientiæ, cap. 154. colum. 3. versic. Ideò licet.* Ludovico Beja *responsion. casuum conscientiæ, par.3. quæst.36. in fine :* & *part.4. casu* 17. Ludovico de Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.1. quæst.28. art.*8. post Decium, Angelum, Turrecrematam, & alios *locis mox allegandis.* Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regularium, tom. 1. part.1. cap.6. num.*18. Emmanuël Roderiquez *tom.3. earundem quæstionum, quæst. 29. art.*8. cum Ioanne Andrea *in mercur. Regul. Non est obligatorium, de Iuris Regulis in 6.* & Decio *in cap. Edoceri, num.5. de Rescriptis.* Abbas Panormitanus *in dictum cap. Cum ad Monasterium, num.* 8. vbi ita fatur. Imò in quibusdam locis, secundùm Ioannem Andream sciente, & patiente Curia Romana, certum quid taxatur pro indumentis Monachorum, & singulis assignatur convertendum in prædictam causam. Hæc, & alia ibi. satis ad rem præsentem docet. Docent & Sanchez *tom. 2. in Decalogum, libro 7. cap.22.* cum Navarro *lib. 3. de Restit. in nova edit. cap.1. par.3. dub.1. num.*163. Roderiquez *in Summa, par. 2. cap. 31. num.3. in principio.* Angelo, *verbo Abbas, num.*17. Sylvestro *eodem verbo, q.3. num. 6. dicto 7.* Turrecremata *in cap. Non dicatis, 12. quæst. 1. art. 2. num.3.* Innocentio *in cap. fin. num. 2. Qui Clerici, vel voventes.* Azorius *part. 1. Institutionis Moralis, lib. 12. cap. 9. quæst.2.* cum Hostiensi *in cap. Cùm ad Monasterium citatum:* & cum alijs, & *part. 2. lib. 8. cap.7. quæst.11.* cum Calderino *consilio 2. in Rubrica de Regularibus.* Bartholo *in auth. Ingressi, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs,* Gabriel Vasquez *Opusculo vlt. de Redditib. cap.3. dub.2. n.*11.

Consultò dixi : *ad nutum tamen Prælati sui revocabile :* quia neque Papa vnquam potuit Monacho sic manenti, aliquid ad vsum irrevocabilem concedere, vti benè cum Rosella, Angelo, Sylvest. Turrecrem. Cordub. & Lopez allegatis à Sanchez, docet Pellizzarius *dicta sect.3. n.*192. siquidem (inquit) hoc esset illum efficere proprietarium. Quam rationem, *num.* 191. *præcedenti,* expenderat dicens, quod quamvis per votum paupertatis Religiosæ absolutè non prohibeamit vsus bonorum temporalium (quod est impossibile) ipsi tamen prohibetur vsus proprietarios : idque ex ipsa obligatione non-habendi proprium : qui enim tollit facultatem, à fortiori tollit actum, adeóque qui tollit dominium, tollit & actum dominij. Vnde cum votum paupertatis tollat dominium, tollet etiam actum dominij, & consequenter vsum proprietariom, qui est actus dominij. Ita Suarez *suprà* (scilicet, *tom. 3. de Religione, lib.*8.) *cap.15. num.* 1. aliisque communiter, inter quos Layman *lib.4. tract.5. cap....* Hactenùs Pellizzarius.

Quocirca docet Carthusianus *tomo 2. operum minor. in opusculorum, de Reformatione claustrorum, art.* 16. nimirum magis nocere Religioso vsum peculij sine proprietate, quàm proprietatem sine vsu. Quia impedimentum perfectionis, & mala, quæ inducunt divitiæ, potiùs oriuntur ex vsu, quam ex titulo proprietatis, & dominij.

Probatur suppositum *ex cap. Monachi, 2. de Statu Monachorum,* ibi. Qui verò peculium habuerit : nisi ab Abbate fuerit ei pro iuncta administratione permissum, à communione removeatur Altaris, &c. Desumptum est ex Concilio generali Lateranensi.

Tertiò suppono Concilium Tridentinum *sess.25. de Regularibus, cap.2.* sic vt sequitur, decrevisse: 3
Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modò eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel retinere, sed statim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut cómendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum; ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superioris amobiles pertineat; mobilium verò vsum, ita Superiores permittant vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superfluum in ea sit: nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Hactenùs Tridentina Synodus.

Cuius quidem Decretum Clemens Papa VIII. 4
approbavit, 25. *mensis Iuly, de anno* 1599. in Decretis generalibus, pro reformatione Regularium, contentis in Bulla; *Nullus omninò; la 60. huius Pontificis, apud Bullarium magnum Cherubini tom 3. pag. mihi* 97. vbi sic §. 2. statuitur, & sequentibus.

§. 2. Quo Tridentini Concilij Decreta de pau- 5
pertatis voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex Lectionibus, aut pro Missis, tam in propriâ Ecclesiâ, quàm vbicumque celebrandis, alióve ipsorum iusto labore, & causâ, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cœteris illius bonis redditibus, pecunijs, ac proventibus confundantur; quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint, vllo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere. Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat vt proprium, neque vt proprio vtatur. Qui in præmissorum aliquo deliquerit pœnas, nedum à Concilio Tridentino præscriptas, sed alias quoque multò graviores Superiorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia, vel immobilia Fratres excusare possit, quominùs culpæ, & pœnæ ab eisdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint, etiamsi Superiores asseverent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in eâ re fidem minimè adhibere volumus.

§. 3. Fratrum vestitus, & supellex cellarum ex 6
communi pecunia comparetur, & omninò vniformis sit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt conveniat, ita vt nihil superfluum admittatur, nihil

etiam, quod sit necessarium alicui denegetur. Quæ-
cumq; Fratrũ vestes, sive laneæ, sive lineæ, omnisq;
alia suppellex in aliquem commodum Conventus
locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fra-
tribus huic muneri deputatis, diligenter custodian-
tur, vt indè Superioris arbitrio, provt vnicuique
opus fuerit, subministrare opportunè possint.
7 §. 4. Omnes etiam Superiores, quicumque illi
sint, eodem pane, eodem vino, eodémque obso-
nio, sive eadem, vt aiunt, pitantia, in communi
mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa
impediti fuerint, vescantur; neque singulare ali-
quid, quo privatim quisque in cibum vtatur, vllo
modo afferri possit. Si quis in eâ re peccaverit,
nihil eâ die alimenti percipiat, nisi panem, & aquã.
8 §. 5. Superiores omnes, etiam Generales, qui
redditus, aut præstationes peculiares ratione offi-
ciorum habent, eorum accepta, & expensa in li-
bro distincti fideliter, & diligenter adnotari cu-
rent, neque in alios vsus, quàm ratione Officij sui
necessarios quicquam expediant. Cùm verò con-
tigerit ipsos in aliquo Conventu commorati, eam
pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex
quâ sibi, & ijs, qui secum erunt, victus ad præscri-
ptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.
9 §. 6. Nullus ex Superioribus locorum, admi-
nistrationem bonorum, aut aliarum rerum, dis-
pensationémque pecuniarum, & redditum sui
Conventus, etiam nomine Conventus, per seipsum
habere, sive exercere possit, sed vniversum id omnis
tribus Fratribus eiusdem Conventus à Generali ita
demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddi-
tuúmque colligendorum, ac exigendorum curam
habeat, alter tanquam Depositarius, pecunias, ac
cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet,
alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis,
Priori, & Fratribus, ac Conventui vniverso, de
necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non se-
cundùm proprium affectum, sed iuxta Charitatis
regulam veluti bonus dispensator provideat; Of-
ficiorum huiusmodi confusione, penitùs interdi-
cta. Cæterùm hi tres, tam impensi, quàm accepti
singulis mẽsibus suo Priori, adhibitis etiã duobus,
vel tribus Fratribus eiusdẽ Conventus probatiori-
bus, rerúmque vsu peritis, rationem reddant. De-
indè ipsimet rursus præsentibus Priore, & peritis
prædictis, Generali cùm advenerit; denique ipse
Generalis, in quolibet proximo Capitulo Gene-
rali, saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capi-
tulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniver-
sǽque suæ administrationis, tàm publicè, quàm
privatè rationem reddere teneantur: cuius etiam
exemplum authenticam ex actis Capituli descri-
batur, ad hoc vt ad omne mandatum nostrum, vel
Sedis Apostolicæ Romam transmitti possit.
10 §. 8. Superioribus autem, nè Concilij Tridenti-
ni, aut hæc nostra Decreta declarare interpretari,
aut relaxare vllo modo possint, & omninò inter-
dicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, &c.
Si quis autem contrà præsumpserit attentare, is eo
ipso omni gradu, officióque privatus, & ad ea per-
petuò, inhabilis existat.
11 §. 16. Nullus etiam Superior, cellas sive in
claustro, sive alibi separatas à communi Dormito-
rio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem
cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis
omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus,
vniformique suppellectili, vt præfertur, quemad-
modum Religiosos decet, contentus sit. Possit etiã
Generalis alicui ex Superioribus Conventuum, si
eorum muneris, & officij necessitatem id exigere
cognoverit, alteram etiam cellam concedere. Cel-
læ, sive ædiculæ, quæ extra dormitorium separa-
tim sunt, ad officinas, aut alias ad communem
vsum, & commoditatem Conventus redigantur.
Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi
duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad
certam formam redigendi erunt. In privatis cellis
nulli camini permittantur, sed omnes obstruantur
statim: cardinibus etiam è parietibus convulsis, vt
res illa non ad tempus facta, sed perpetuò duratu-
ra videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius
Superioris, ac Prædicatoris exceptis.
§. 27. Quibus horum Decretorum capitibus
certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, 12
vel alterius immediati Superioris infligatur.
§. 28. Vt autem hæc Decreta (donec alia, quæ 13
ad pleniorem supradictorum Ordinum reforma-
tionem facient, edantur) ab omnibus observari
possint, districtè præcipimus Generalibus, ac om-
nibus alijs quibuscumque Superioribus, ad quos
hoc spectat, vt curent, ac efficiant ea omnia inter
aliàs eorundem Ordinum constitutiones perpetuò
valituras redigi, interdicta omninò eorum singu-
lis facultate illas declarãdi, & adversus ea vnquàm
dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Gene-
ralatus, & Officiorum privationis, ac inhabilitatis
perpetuæ ad alia quoque munera, ipso facto, & si-
ne vlla exceptione respectivè incidisse.
§. 29. Ne verò prætextu dilatæ publicationis 14
eorum observatio quoquo modo differri possit, aut
impediri, volumus, vt post illorum publicationem
in Conventu Sancti Marcelli de Vrbe factam, Ge-
neralem, aliósque Ordinum Superiores, cæterós-
que quoscumque Fratres præsentès statim; reli-
quos verò absentes citra montes, trium mensium
spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter
intimata fuissent.
§. 30. Insuper mandamus, quod Generalis in 15
singulis Conventibus citra montes, vnius mensis,
vltra verò montes, trium mensium cursu Decreta
supradicta publicari faciat,, sub pœna privationis
Generalatus, alijsque arbitrio nostro imponendis.
Hæc omnia fideliter ex dictâ Clementinâ, & ad 16
amussim exscripsi Constitutione, omissis alijs §§.
ad paupertatẽ Religiosam non spectantibus. Quæ
quidem Decreta Sacra Congregatio Concilij Tri-
dentini, communicato etiam consilio cum Sanctis-
simo Vrbano Papa VIII. atque ex speciali suæ
Sanctitatis facultate, innovavit, & observari præ-
cepit in Decretis de Regularibus Apostatis, & eie-
ctis, *die 21. Septembris, de anno* 1624. & habentur
inter einsdem Vrbani Constitutiones, apud Bulla-
rium novissimum Angeli Cherubini *la* 28. *to-
mo* 4. *pag.* 65. ex quibus hæc transcribi lubens
duxi.
§. 1. Ac primò, vt infecta semina, à quibus pra- 17
vi eiusmodi fructus potissimum prodeunt, dein-
ceps nè serantur in vinea Domini, censuit, esse in-
novandas, & Sanctissimi authoritate innovit Con-
stitutiones, & Decreta generalia Sanctæ memoriæ
Clem. VIII. ad Regularium reformationẽ, ac No-
vitiorum receptionem, professionem, atq; institu-
tionem spectantia, districtéque præcipit Generali-
bus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus,
vt illa exactè observent, atq; vt observentur, effi-
ciant sub pœnis statutis in eisdem Constitutionib.
§. 2. A quibus tamen excipiendum censuit, ca- 18
put illud, quo decernitur, oẽ in Conventibus, seu
monast. ad novitios recipiẽdos hactenùs designatis
&

& approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Novitij ad habitum vllatenùs recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum ordinarijs expresè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem Decreti observatione S. Congregatio, iustis de causis censuit Regulares esse absolutos, provt auctoritate Sanctissimi Domini nostri absoluit, atque exemit.

19 §. 12. Ne qua verò difficultis in supradictis Decretis, & ordinationibus exequẽdis suboriatur, Sacra Congregatio S. D. N. annuente, atque approbante, vniversis Generalibus, Provincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianijs, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum regularium, vbique locorum existentium iniungit, serióque mandat, vt illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cænobijs, ac Monasterijs, Cullegis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, vbique locorum existentibus, efficiántque, vt tam Decreta supradicta felicis recordationis Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis eiusmodi locis, bis saltem in anno legantur in publicâ mensâ.

20 §. 13. Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superiùs scripta sunt, vel eorum aliquid, quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnáque huiusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdemque Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominùs sit irritum, & inane quicquid secùs à quoquam actum extiterit.

21 §. 14. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum regularium qoorumcumque, nec noo illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statotis, vel consuetudinibus, etiã immemorabilibus exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficatioribus, & insolitis clausulis, nec-non irritantibus Decretis; etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorúmque totis tenoribos, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expresè Sanctitatis suæ auctoritate derogat cæterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Romæ *die* 11. *Septembris* 1624.

Prosper Fagnanus S. Congregationis Secretar.

Quibus Decretis addere libuit alias S. Congregationis Declarationes quas exscribunt Barthol. à S. Fausto *in Thesauro Religios. lib.* 8. *q.* 198. Steph. Quaranta *in Summa Bullarij verbo Casus reservati, pag. mihi* 194. Ioan. Bapt. Lezana *in Summ. quæst. Regular. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 6. *n.* 14. Fulg. de Oviedo *in Republ. Regul. par.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *q.* 7. *n.* 55. ex Pet. Marcilla *tom.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. & *tom.* 4. *suorum oper. cap* 108. *de Casibus agens reservatis, n.* 13.

22 *Primò* quæritur: An ex dispensatione inferiorum Summo Pontifici liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliáque bona immobilia, videlicet & mobilia superflua, non obstante Decreto Concilij Tridentini *sess.* 25. *de Regular. cap.* 2.

23 *Secundò*: An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpâ, vel à pœnâ excusentur.

24 *Tertiò*: Ao Superioribus asservantibus huiusmodi se licentias posse concedere, fides adhibenda sit?

25 *Quartò*: An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilium superfluitate, & convenientiam?

26 *Quintò*: An Superiore quantumvis requisitâ necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clàm, vel invito eo, illa comparare, seu retinere?

27 *Sextò*, & quatenùs liceat: An itidem cùm necessaria: ideò denegantur, vel subtrahuntur, quia facultates Monasterij non suppetúnt?

28 *Septimò*: An dicti Superiores Regulares dictum caput secundùm declarare, & interpretari possint?

29 Ad *primum*, Congregatio Concilij respondet, non licere.

30 Ad *secundum*, non excusari neque à culpa, neq; à pœna ipso facto incurrenda.

31 Ad *tertium*, minimè adhibendum.

32 Ad *quartum*, nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, habita videlicet ratione personæ, Officij, & Regulæ statúsque Paupertatis, quam professi sunt, & cæterarum itidem qualitatum.

33 Ad *quintum*, non licere.

34 Ad *sextum*, licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem, cæterùm communem penuriam ab omnibus percipiendam, vsque adeò, vt si aliquid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primùm succurrat eius necessitati, cuius intuitu illud obvenerit, si peculiari aliqua necessitate vltra communem prœmatur, reliquum Conventui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.

35 Ad *septimum*, & vltimum, non posse.

Hieronymus Cardinalis Matthæus.

Locus sigilli.

36 Quibus Sacræ Congregationis declarationibus, aliam subscribit Quaranta *loco allegato*, & Lezana *d. cap.* 6. *n.* 20. quo loci recenset, quod cum Domina Aldonza de Toledo, viro mortuo, facta fuisset Monialis, sibique reservasset ducentos aureos annuos, interrogata S. Congregatione Cardinaliũ:

An securè id possit facere? Respondit, esse contra Concilium illam Dominam annuos redditus apud se retinere, sed potius dandos esse Abbatissæ, quæ illius necessitatibus provideret. Pro quâ declaratione refert Thomam à Iesu *in can. Non dicatis, part.4. cap.5.* illa autem, quam ipse Lezana, & Quaranta recenset huiusmodi est tenoris, videlicet.

37 In aliquibus Monasterijs Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ census, & annoos quosdam redditus, & proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus. Nam:

38 Aliquæ in ipsarum personâ emerunt certos redditus à personis Laicis.

39 Aliquæ ab alijs Monialibus.

40 Aliquæ ab ipsis Monasterijs.

41 Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, vt ex earum pecunijs fieret emptio nomine Monasterij ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis.

42 Aliquæ Monasterijs, seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro Monasterij indigentijs dederunt, pacto adiecto, vel etiam tacitâ conventione adhibitâ, vt Monasterium, seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat.

43 Quæritur: An in huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus fructus, & proventus percipere absque incursu proprietatis, vel potius tanquam proprietariæ incurrant in pœnas per Concilium Tridentinum, *sess.25. cap.2. de Regular.* in proprietarios inflictas etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus, seu Monasterijs nomine percipiant.

44 Congregatio Concilij censuit, in nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu redditus percipere, & si perceperint, incidere in pœnas propositas Decreto *dicti cap.2. sess.25. de Regularibus:* Neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ etiam dicti Concilij Decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel eleemosynis, Monialium necessitatibus in die subvenire.

Hieronymus Cardinalis Matthæus.

Locus sigilli.

§. II.

Sententia negativa refertur.

45 His igitur Iuribus, Cônstitutionibus, ac Declarationibus suppositis, Dubio à nobis proposito respondent aliqui Doctores, his nostris temporibus, post Tridentinum, nulli Regularium vtriusque sexus licere, etiam de licentiâ alterius Prælati, quam Summi Pontificis, vllum habere peculium, sed omnia bona omninò incorporata Monasterio esse debere, & Prælatum cuiuslibet privati necessitatibus, & indigentijs de eisdem bonis providere debere, iuxta vniuscuiusque exigentiam, attenta circumstantia personæ, vt si est senex, vel iuvenis, sanus, vel infirmus, delicatæ, vel debilis complexionis, &c. Quocirca Sanctissimus Patriarcha Monachorum Benedictus, in Sancta Regula, prudentissimè sic *cap.36.* statuit. Infirmorum cura ante omnia adhibenda est, vt sicut reverâ Christo, ita eis serviatur; Et infrà, non obstante suâ strictâ carnium prohibitione, ait. Sed & carnium esus infirmis, omninóque debilibus; pro reparatione concedatur. Ac vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant: & *cap.37.* ita decernit. Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his casibus, senum videlicet & infantium; tamen & Regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus ei districtio Regulæ teneatur in alimentis; sed sit in eâ pia consideratio, & præveniant horas Canonicas: & *cap. 29. de mensurâ ciborum inscripto*, quæ sequuntur, præcepit. Pueri verò minori ætate non eadem servetur quãtitas; sed minor quàm maioribus, servatâ in omnibus parcitate. Quo loci reperit. Carnium quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, præter omninò debiles, & ægrotos. Hæc omnia Benedictus Parens.

46 Attendi etiam debent circumstantiæ temporis, loci, officij, &c. & quidem officij attendit circumstantiæ Clemens Papa VIII. in suprà redditâ Constitutione, *Nullus omninò*, §.16. ibi: si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognoverit. Et infrà. Cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis. Et ratio omnium dictorum, & fundamentalis quidem, in promptu est. Quia administratio, & dispensatio bonorum, maximè Ecclesiasticorum, & Regularium, prudens esse debet, sic enim expendi debent bona pauperum, Christi patrimonium. Prudens autem administratio, & dispensatio esse nequit, nisi omnibus circumstantijs attentis fiat, vti benè observat Ioan. Bapt. Lezana *in Summ. quæst. Regul. tom.1. par.1. cap.6. num.26.* cum Corduba *in Regulam 1. Francisci, cap.6. q.1.* & Thoma de Iesu *in cap. Non dicatis, par.4. cap.7.* ergo quilibet Regularis Prælatus in bonorum administratione, & dispensatione, circumstantijs attendere debet recensitis. Ac per consequens, provt cuique subdito exigentia fuerit, & necessitas, illi tenebitur subvenire ex Conventus bonis, esto illa alicui particulari Religioso data ab exteris fuerit, vel ab eo quomodolibet acquisita.

47 Hanc vtique sententiam, peculium Regularibus negantem post Concilium Tridentinum, de licentia Prælatorum, Papa inferiorum, gravissimi tenent Doctores. Ioan. Azor. *Instit. Moral. par.1. lib.12. c.9. q.2.3. & 4. colum. mihi* 1350. Leonar. Lessius *de Iust. & Iure, lib.2. c.4. dub.5. dict.5. n.30.* Eman. Roder. *to.2. quæst. Regul. q.47. art.15. versic. Respondeo*, & *to.3. q.29. art.12. versic. Nec existimo.* Quibus adde Palarium *in 4. sent. dist.38. disp.1. in fine.* Greg. de Valentia 2. 2. *disp.1. q.4. punct.3.* Per. Navar. *de Restitut. lib.3. c.1. par.3. dub.1. n.163.* Zerol. *in prax. Episcop. par.1. verb. Moniales.* Franc. Suarez *de Relig. tom.3. lib.8. c.14. n.18.* & Cordub. *in Sum. q.54.* quos recenset noster Ascan. Tambur. *de Iure Abbat. to.2. disp.22. quæsito 5. n.6.* quorum aliquos etiam pro eadem refert Augustinus Barbosa *in cap. Monachi, num.3. el 2. de Stat. Monachorum*, & Parafelum *in privilegijs Minorum, post cap. 43. sub titulum de Paupertate abdicanda, paulò ante finem, versic. Vbi est prius advertendum.* Vegam *in Summ. tom.2. cap.32. casu 19.* Tap. *in auth. Ingressi, verbo Ipso ingressu, cap.4. num.55.* & Molinam *de Iustitia, to.3. tr.2. disput.276. col. pen. versic. Vtrum autem.* Quem etiam recenset Fulg. de Oviedo *in Republica Regulari, par.1. tr.9. c.1. q.7. n.53.*

Funda

48 Fundamentum Authorum huius sententiæ est, quod putent, Concilium Tridentinum nouum condidisse ius, ad tollendum omnino, & radicitùs euellendum abusus, circa peculiorum vsus, apud Regulares vtriusque sexus introductos.

§. III.

Vera propugnatur sententia.

CONCLVSIO.

49 CONtrariam nihilominus sententiam; affirmantem posse Regulares peculium habere, & eo vti, de licentia suorum Prælatorum Regularium, tenent grauissimi, & quàm plurimi Doctores, non solùm post Concilium Tridentinum, sed post Clementis Octaui, & Vrbani Octaui Decreta, & Declarationes Sacræ Congregationis præfati Concilij, suprà reddita, & à non paucis, post eorum individuam factam commemorationem. Quibus lubens subscribo, ob eorum maximam authoritatem, & ob fundamenta à nobis adducenda.

50 Hanc docent sententiam, illám propugnant, ex nostris, Iacobus de Graffis, in decisionibus aureis *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 41. 44. *&* 53. Fulgentius de Ouiedo *in Republica Regulari*, *part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 5. Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum*, *tom.* 2. *disp.* 22. *quæsito* 5. *num.* 7. Anthonius Perez, *commentar. in Regulam S. Parentis nostri Benedicti*, *super cap.* 33. *num.* 23. ab Ascanio allegatus. Ioannes Caramuel, *in eandem Sanctam Regulam*, *disp.* 61. *num.* 898. *& sequentibus.* Bartholomæus à Sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum*, *lib.* 8. *quæst.* 30. *num.* 2. *& seqq.* ex aliis Religionibus, atque clericorum statu, illam defendunt apud Tamburinum, Nauarrus, *comment.* 1. *de Regularibus*, *num.* 75. *comment.* 2. *num.* 15. *&* 18. *& lib.* 3. *Consiliorum*, *tit. de statu Monachorum*, *consil.* 14. *num.* 6. *pag. mihi* 1014. Vega, *in Summá*, *tom.* 1. *cap.* 86. *casu* 5. Miranda, *in Manuali Prælator. tom.* 1. *quæst.* 28. *art.* 8. Ioannes de la Cruz *de statu Religiosorum lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 2. Ludouicus Beja, *part.* 4. *casuum*, *casu* 17. *in principio.* Petrus Ledesma *de Statu Relig. in communi*, *c.* 4. *concl.* 3. *dub.* 13. referens Ioannem Gallum, quem ait interfuisse Concilio Tridentino, & asserentem nunquam intellexisse, quod in illius Decreto, annui redditus fuerint prohibiti. Villalobos, *in Summá*, *part.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 30. *num.* 2. Fagundez *de Preceptis*; *tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 13. Tannerus, 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 3. *dub.* 4. *num.* 108. Riccius *part.* 4. *decis.* 340. *num.* 12. Faber *de Restitutione*, *in* 4. *sententiarum lib.* 4. *distinct.* 15. *quæst.* 2. *dispu.* 45. *cap.* 5. *num.* 125. Hieronymus Cenedo, *de paupertate Religiosá*, *dub.* 9. *num.* 1. & Rota, *in vna aquilana Prioratus* 1. *Februarij, de Anno* 1584. coram..... quæ est *la* 732. *part.* 1. *diuersorum.* Illam etiam tenent Emmanuel Sà, *Verbo*, *Religio n.* 48. cum Lopez *part.* 2. *cap.* 5. Thomas Sanchez *in Decalogum tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 13. *versiculo. Hinc deducitur* Hermanus Bussembaum *in Medullá Theologiæ* 3 *lib.* 4. *de Statibus cap.* 1. *dub.* 4. *casu* 5. cum Layman, *lib.* 4. *cap.* 7. Ioannes Baptista Lezana, *in Summá quæstionum Regularium, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 11. Syluester, *verbo*, *Abbas quæst.* 5. Laurentius de Peyrinis, *tom.* 1. *de subdito*, *quæst.* 2. *cap.* 2. §. 1. *pag. mihi* 166. quo loci commendat Ledesmam, vbi suprà laudantem Prælatos, concedentes redditus animos suis subditis, quia ait, cùm Religiones vt plurimùm non dent suis Religiosis necessaria, isti si non habent redditus ad sibi subueniendum, aliundè quærunt, & forsan non tam honestè. Sic Petrum Ledesmam Peyrinus recenset. Eandem tenet Diana, *part.* 1. *tract.* 12. *de Paupertate Religiosa resolut.* 32. Ioseph Felius, & Cereao, *in Margarita Variarum conclusionum, verbo Regula*; *& Regularis*, ex Rota *decis.* 772. *part.* 2. *diuersorum.* Pellizzarius, *in Manuali Regularium*; *tomo* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. *num.* 24. *&* 25. Barbosa, *in collectan. Doctorum tom.* 6. Additionum, *in cap. Insinuante*, *d.* 7 *sit. Qui Clerici, vel vouentes*, *num.* 3. cum Basilio Pontio, *variar. disput. part.* 1. *quæst.* 9. *Scholast. cap.* 4. *versic. Præterea* Qui addunt. Dummodò animo parati sint exhibere illud Prælato, vt illud insumat in Monasterij vsus.

Pro eâdem adest sententia Emmanuel Roderiquez, sibi contrarius, *tom.* 2. *quæstionum Regularium*; *quæst.* 125. *art.* 4. Ibi. Neque iis Concilium Tridentinum...... & sic non erit peccatum mortale possidere supradicta de licentia Prælatorum, sine eo quòd prius conuentui incorporentur, &c. *& tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 10. Vbi apertè in principio asserit, quod Religiosi possunt habere peculium de licentia Superiorum. Et obiecto sibi Concilio Tridentino, vt illi satisfaciat, adnotat, quod peculium est in triplici differentia, seu est triplicis speciei Primæ, ait, est quod conceditur administrandum in vtilitatem, & damnum concedentis tantùm, quale est, quod conceditur officialibus Monasterij, & obedientiariis, quibus conceduntur aliquæ villæ, vel domus administrandæ nomine Monasterij, reuocabilis ad nutum Superioris. 51

Secundæ est, quod conceditur in vtilitatem, & damnum recipientis, sine vllâ pensione, & onere, vel ita vt certam soluat pensionem, aut aliquod onus expleat, & reliquum commodi, vel damni ei cedat ad disponendum de eo in suos honestos, & pios vsus tantùm. Qualis speciei peculium habent Beneficiarij, & multi iam senes, vel infirmi bene meriti de Religione, quibus aliquæ domus salubriores conceduntur ad nutum remouibiles. Tertiæ speciei peculium est, quod conceditur in commodum, & damnum accipientis, pro facultate disponendi pro libito in quoscunque vsus, etiam prophanos, vt potest sæcularis de suo verè proprio. Quo adnotato respondet Emmanuel obiectioni, Tridentinum Concilium tantùm Regularibus prohibere peculium in hâc tertiâ specie acceptum, & quoad proprietatem, & verum dominium. 52

Pro contrariâ negatiuâ sententiâ refertur Gabriel Vazquez, *Opusculo vltimo*, *de Redditibus*; sed ni fallor, affirmatiuam nostram tenet, *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Vbi ita fatur. Video tamen oppositum in praxi esse receptum, & semper fuisse, non cum mediocri aliquarum Religionum detrimento. Ideò suspicor nunquam fuisse receptum Decretum (Concilij scilicet Tridentini) sicut alia multa illius Concilij: aut si receptum fuit, nescio, quo pacto, Religiosi sint excusandi. Nec mirum, si hoc Decretum non fuit receptum, quia eodem Concilio Decretum fuerat, & ita ratio postulabat vt Religiosis necessaria ministrarentur: quod reuera Religiones non efficiunt, & forsan, quia non ita facilè contenti essent Religiosi necessariis sic administratis. Vndè cùm hoc fiat, non mirum si 53

peculium permittatur. Hactenus Vazquez. Expende illud: Oppositum in praxi esse receptum, & semper fuisse. Et illud. Suspicor nunquam fuisse receptum Decretum. In quibus dubio procul, fatetur non obligare in hoc casu Tridentinum, quamuis simul fateatur habuisse in principio vires obligandi, & cum Religionum detrimento magno, non fuisse receptum.

54 Et quidem, saltem in meâ Congregatione Benedictinâ Hispanâ, non fuisse Tridentinum Decretum præfatum, receptum in rigoroso sensu, quem præ se illius verba ferunt, neque Constitutiones, & Decreta Apostolica, sub Clemente Octauo, ac Vrbano Octauo, nec deniquè Sacræ Congregationis Concilij Declarationes, omninò in dubium est mihi, cùm post illorum publicationes, varias condiderit Diffinitiones, Constitutiones, & Leges, sensui prædicto contrarias, alma nostra Congregatio. Nonnullas libuit reddere pro hac demonstrandâ inconcussâ veritate. Et priùs suppono Concilium Tridentinum, & eius Decreta circa reformationem & iuspositiuum, ligare cœpisse à *Kalendis May, de anno* 1564. Ita declarauit Pius Papa IV. 15. *Kalend. Augusti eiusdem anni*, in Constitutione *Sicut*, *la* 80. apud Bullarium Laërtij Cherubioi, *pag.* 11.

55 Quo supposito, primò occurrit Constitutio facta *anno* 1525. quæ habetur *fol.* 41. *litt. B.* & innouata fuit *anno* 1575. in volumine Constitutionum eodem anno edito Barcinonæ. Huius tenoris est. Por desarraygar del todo el vicio dela propriedad, è que en nada aya curiosidad, estatuimos, que dos Vezes enel año, esto es el primer Lunes de quaresma, y la Vigilia de San Ioan de Iunio, renuncien todos los Monges en manos de sus Perlados quantas cosas tienen para su vso, yansi libremente, que no tengan esperanca delas cobrarmas que los Perlados las den aquienquisieren, è para esto conforme anuestra buena costumbre cada Monge lleue en vn memorial, todo loque tienen ad vsum, patàque el Perlado lo vea, è quite loque le parescie-re, o mande proueer loque lesalta y lesitue el qual dicho memorial este en la Celda fisado, en parte publica, paraque quando el Perlado anduuiere la cerca, lepueda ver. Hactenus in Constitutione fin. *tit. De la pobreza Monachal. cap.* 61. *fol.* 96. editionis prædictæ Barcinonensis. Inqua dubio procul, Monachis permittitur habere peculium: res scilicet, in vsus particularis personæ deputatas, & sequestratas ab aliis.

56 Inter Constitutiones, quas de facultate, & commissione totius Capituli Generalis celebrati mense Maij, *de anno* 1610. in celebri Sancti Facundi Conuentu, grauissimi, doctissimi, & spectatæ vitæ Patres condiderunt *anno* 1611. videlicet Reuerendissimus Placidus de Tosantos, Generalis tunc actualis Ordinis, & à concionibus Catholicæ Maiestatis, & eius legatus apud Sedem Apostolicam in causâ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ, sine peccati originalis labe, & posteà Gaditanus, & Zamorensis Episcopus. Reuerendissimus Antonius Cornejo, post eiusdem Generalatus administrationem, Reuerendissimus Antonius Perez etiam Generalis emeritus, in totius orbis floreotissima Salmanticensi Vniuersitate inter Doctores Sacræ Theologiæ Professores, facilè Princeps, & posteà Episcopus Vrgellensis, Abulensis, & Tarraconensis, Archiepiscopus. Alphonsus Barrantes, immediatus successor. Reuerendissimi Placidi præfati in Generalatu. Petrus de Areualo Procurator Generalis Ordinis in Romanâ Curiâ & Abbas S. Petri de Arlanza. Hieronymus Matton Concionator Generalis Ordinis. Didacus Vanegas Generalis etiam Prædicator, & insignis Doctoris gentium in spiritu, & eloquentiâ imitator, non sine magna fidelium illum audientium fructu, & in moribus Christianâ reformatione: & alij Abbates, & Definitores, ac Visitatores Generales Ordinis, quos recensere omitto, nè diuriùs quàm par est, moram traham: inter Constitutiones, inquam, à tot Patribus conditas, *sub eodem titulo*, *Po breza Monachal, cap.* 50. dictarum Constitutionum, aliàs in curia Typographi, *el* 34. nouem reperiuntur, peculium permittentes Monachis, Prælatis, & Subditis, ac Fratribus laicis. Ex quibus aliqua posteà recensebo, opportunioribus locis; in præsenti verò nonnullas, pro eo non incongruas reddere libuit.

Prima constitutio ita vt sequitur ait. Por ser tan essencial paraque el Monge lo sea verda dero, la guarda del voto de la pobreza y mestro glorioso Padre en su Regla en carga tanto a los Prelados la Zelen con cuidado, y diligentia, mandamos alos Abbades so pena de priuacion de sus Abbadias, que dos vezes en cada vn año, la primera semana de Quaresma, y la primera del mes de Septiembre, hagan con effecto, que todos los Monges, y frayles legos de los Monasterios, Filiaciones, y Prioratos, y otros annexos, aunque sean Superiores dellos, sin exceptar ninguno, por exempto que sea, aunque sea official de la casa, como Mayor domo, Granero, Apeador, Procurador, aunque sea Procurador General, y qualesquiera otros Officiales y Ministros, les trayan memoriales de todo el dinero que tuuieren en deposito, o fuera del, en dendas, o en otra manera, con los recaudos que tuuieren para cobrarlas, y los mas aderezos de la zelda, alhajas, y axuares que tuuieren en ella, o fuera de ella. Ylos lea todos de verbo ad verbum, yno permittan que tengan Ioyas, ni piezas de oro, ni de plata, ni de otro metal precioso, saluo alguna reliqua con engaste, o guarnicion, quelleque asta cien reales de precio. Y las otras athajas sean conformes ala pobreza que professamos. 57

Constitutio secunda, huis est tenoris, Declaramos, que los Aubades de Filiaciones, Priores de Prioratos, y de todos annexos, Mayordomos, Procuradores de pleytos, aunque sean Procuradores Generales y todos los Officiales, que en la administracion de sus officios gastan dinero, puedan traer enel gasto de sus officios el dinero que tubieren con licencia del Prelado, pero esten obligados a declarar en los memoriales *el dinero suyo*, y ageno, que traen metido enel gasto, y el que tienen en su poder. De ottamanera sean vistos tenerlo, y gastarlo sin licentia. Por ser Iusto y conforme ala Regla, que el Monge, y Frayle lego entienda que nadahade tener à su libre disposicion, y que el Prelado tenga noticia de todo. 58

Constitutio 3. ità disponit. Encargamos mucho al Abbad, que viendo que los Religiosos estan necessitados deloque honesta, y Monasticamente han menester, assi de vestidos, como de libros de deuocion, y de summas de casos de consciencia, y de historias sagradas de sanctos, ò de Imagines y que tienen depositos mas quantiosos, que lo que pide el estado, officio, y obediencia en que el Religioso sirue en la Religion, le compella à que de su deposito se prouea deloque Iuzgare le es necessario y bastante. 59

Nona,

60 Nona, & finalis Constitutio sic se habet. Finalmente para euitargeneralmente de todos los Religiosos el vicio dela propriedad, tan contrario al estado dela Religion, mandamos en virtud de sancta obediencia, y sopena de excommunion mayor canon latæ sententiæ, y delas penas que por drecho, y Sacros Concilios estan puestas contra los proprietarios, que ningunt Monje, ni Frayle Lego, de qualquiet qualidad, o condicion, que sea; tenga porsi, ni por tercera persona, oro; plata, Joyas de piedras preciosas, o perlas, ni dinero alguno, de veynte y quatro horas à delante, sin licencia expressa del Abbad, o Presidente del Monasterio, o Priorato, en ausencia suya, sino que todo quanto dinero hubiere, porqualquier via quelo aya auido, lo manifieste al Prelado dentro del dicho termino, y consu licencia lo ponga enel deposito general de todos los Religiosos, y del nulo pueda sacar, ni gastar dinero alguno dentro delas veinte y quatro horas, sin la misma licencia del Prelado.

61 Expendi debent primæ, & finalis Constitutionis exordia, in quibus Legislatores præfati innuunt, se extirpare velle vitium proprietatis, & ad illud in vniuersum extirpandum, Constitutiones instituere redditas: in quibus peculium nostris Religiosis concedunt. Quod vtique est demonstrare, bene obseruari posse paupertatis votum Religiosorum, esto peculium habeant de licentia Prælatorum, & ad eorum libitum auferendum, etiam post Tridentinum Decretum post Clementinam redditam, & Sacræ Congregationis recensita Decreta, ante *annum* 1611. editas

62 Præfatæ Constitutiones S. Facundi, en sus enfanches, y declaraciones hechas enel capitulo del *año* 1613. y confirmadas en los tres capitulos Generales siguiẽtes de los *años de* 1617. 1621. y 1615. por loqual tienen fuerca de ley perpetua las dichas declarationes segun la ley de Sahagun *cap.* 2. *n.* 3. in hunc declarantur modum. Reducense ala forma antigua los memoriales, que hane de dar los Religiosos deloque tienen ad vsum, assi en la visita, como asu Abbad. Yordenase, que alos Abba des seles de vna vez cada año por principio de Quaresma, y al Reuerendissimo cada visita vna vez, y los que viuen en los Priuratos asus Abbades, quando los visitaren, sinque sea necessario presentarlos ante el Reuerendissimo. In qua certè declaratione, peculium Religiosis nostris concedi, nefas sit dubitare.

63 Inter Diffinitiones dictæ nostræ Congregationis, quæ vim legum habent, quia in tribus Capitulis Generalibus fuerint statutæ, juxta cap. 2. Constitutionum præfatarum Sancti Facundi, *num.* 3. duas libuit recensere, pro firmãdo assumptu nostro aptissimas. Vtraque edita fuit in tribus Capitulis Generalibus novissimè celebratis *annis* 1649. 1653. & 1657. Prima est, que del dinero que los Religiosos tienen en Deposito, puedan fundar çensos à favor de las casas de su profession, y que goçen loque rentaren; y que los Padres Abbades, les desen per su cuenta la cobranza de dichas rentas. Secunda verò sic se habet. Item se declara la Diffinicion, y confirma, que habla de los espolios de los Monges diffuntos, que despues de pagadas las deudas, si el espolio llegare à mil ducados, se le digan mil, y quinientas misas, pero sino llega à dicha cantidad, se le diga la tercera parte del espolio, como no pase de mil Missas. Y sea con calidad de que se quente por espolio el principal de los Censos, que el Monge huviere puesto en cabeça de su Cunvento, de que era vsufructuario. Denique in Capitulo Generali de *anno* 1661. in Confirmat onibus Definitionum *anni* 1657. sic, vt sequitur, statuitur. Item sacra Congregatio coofirmando decrevit, quod quoties Monachus defunctus; post solutionem debitorum supellectilis valorem mille ducatorum relinquit quingenta suprà mille Missarum offerantur Suffragia pro illius animæ æterna requie obtinenda; si verò supellex, vsque ad mille ducatorum, debitis solutis, non perveniat valorem; bonorum tertia pars pro Suffragijs deputetur, tantommodò cum hac conditionis mensura, quod Missarum numerus, vsque ad millenariam pertingere, & non excedere valeat. Hucvsque in præfata Definitione habetur. Quæ quidem in confirmatione Diffinitionum de *anno* 1545. sic ait. Item sacra Congregatio confirmat, & præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, omnibus, & singulis nostræ Religiosis Congregationis, quòd in potestate Sæcularium, vel pecunias, vel supellectilis ad vsum permissæ, partem, nullatenùs valeant custodire; sed quicquid Prælatorum licentia permissum totum intra Monasterium, vel in illius Gazophilacio custodiendum permittitur: si quis autem aliquid in contrarium attentare præsumpserit, præter divinam indignationem, etiam proprietariorum pœnas se incurrisse cognoscat.

Idem deinde convincitur ex nostræ Congregationis Rituali Monastico, in duplici illius editione, vna quidem in Pontificatu Clem. Papæ VIII. eodem anno, quo ipse Decreta coodidit supradicta pro reformatione Regularium; nimirùm 1599. altera verò, sedente in Petri Apostoli Sede, Vrbano Papa VIII. *anno* 1633. 64

Probatur *primò* sententia nostra, Peculium Religiosis, de licentia Superiorum suorum, etiam post Tridentinum, Clementem VIII. & Vrbanum VIII. concedens. Quia id habet communis vsus, etiam apud reformatus Religiosos, & Religiosas, vt testatur Peyrinus *tom.* 1. *de Subdito*, *q.* 2. *cap.* 2. §. 1. *versic. Probatur*, cum Petro Ledesma *de Stat. Religios. in communi*, *cap.* 4. *conclus.* 3. *dub.* 13. *pag.* 112. & Beja *part.* 4. *casuum*, *casu* 17. Gabriel Vasquez *cuius verba*, *n.* 53. reddidi. Fulgentius de Oviedo *In Republica Regulari*, *part.* 1. *tract.* 9. *c.* 1. *q.* 7. *n.* 57. & *n.* 59. *versic. Ad rationem autem*, Pellizzarius *in Manuali Regul. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 2. *n.* 25. 65

Secundò probatur. Quia habere peculium de Superioris licentia, ad ejus nutum amovibile, si saltem illud superfluum non sit, & illo vti, de eadem licentia, in vsos licitos, honestos, & necessarios; non est contra paupertatis votum. Peyrinus, *vbi proximè*, *versic. Secundò*. Pellizz. *d. sect.* 2. *n.* 24. & *sect.* 3. *n.* 191. 66

Probatur *tertiò*. Papa annuos redditus solet aliquibus Religiosis concedere, vti observat Peyrinus, *versic. Tertiò*. cum Petro Ledesma, & Ludovico Beja *locis allegatis*. Sed illos vtique non concederet, si illos haberet, esset contra votum Paupertatis: nam abdicatio proprietatis; adeò est annexa statui Religioso, vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indolgere. Innocentio Papa III. sic deffiniente *in cap. Cum ad Monasterium*, el 6. *de Statu Monachorum*. Ergo habere peculium non superfluum, cum Prælati licentia, ad eius nutum amovibile, non est contra votum paupertatis. 67

Quæriĕ

68 *Quartò* probatur. Eatenus Concilium Tridentinum, Clemens Papa VIII.& Vrbanus etiam Octauus PP, & Sacra dicti Concilij Congregatio; in omni sententia, intendere possunt prohibitionem peculij, quatenus supponunt Prælatos singulis Religiosis concedere omnia necessaria, attentis omnibus circunstantiis, Officij, temporis, imbecillitatis,& cuiuslibet indigentię personæ. Sed Prælati, vt plurimum, necessaria singulis Religiosis non concedunt, circunstantiis bene attentis, vel ob Conuentuum paupertatem, & indigentias, vel ob alias causas. Ergo Concilium, Clemens VIII. Vrbanus VIII. & Sacra Congregatio Peculium non intendunt prohibere Regularibus.

69 Maior, quoad Concilium, ex ipso patet, suprà *num.* 3. ibi *Nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur.* Quoad Clementis VIII. Decreta seu potiùs quoad eius mentem, ex *Decreto* 3. *num.*6. *reddito*, constat ibi. *Vt inde superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.* Et *Decreto* 16. *num.*11. *exscripto*, ibi, *si eorum muneris, & Officij necessitatem id exigere cognouerit.* Quoad Vrbani etiam mentem, patet eandem fuisse, ac Clementis præfati mens, qoia totus ille fuit in Decretis istius innouandis. Et tandem de Sacræ Congregationis intentione, patet euidenter ex declaratione illius 6. mox ad probationem nostræ sententiæ producenda, & ex altera *num.* 44. transcripta ibi. *Sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel eleemosynis, Monialium necessitatibus in die subuenire.* Minor experientia,& omnium ferè Religionum, etiam reformatarum communi praxi patet. Consequentia tandem, ex præmissis benè infertur.

70 Probatur *quintò* sententia, quam sequimur ex Declaratione Sacræ Congregationis Concilij suprà *num.* 34. reddita.

Sextò, probatur hac efficaci ratione. Præcepta humana, etiamsi Ecclesiastica illa sint, non obligant cum morali impossibilitate: quæ citra omne dubium, moraliter impossibilia sunt, quando humanæ fragilitati accommodata non sunt. Præcepta enim, & Leges humanæ, faciles, & humanæ fragilitati accommodatæ esse debent, vti bene Lezana, *tom.*1. *part.*1. *cap.*10. *num.*30. & Laurentius de Peyrinis, *de priuilegiis tom.*1. *Constit.* 2. *Clementis VIII. num.*1. *pag.* 304. vbi satis opportune ad intentum nostrum, ita fatur. Noto 3. quod Leges istæ, nimia seueritate, & asperitate obseruatæ, sunt damnosæ, non minus bonis, quàm malis: cùm pauci admodùm sint, quibus quandoque illas, suadentibus vrgentibus occasionibus, præuaricari non oporteat. Vndè qui legislator vellet eas absque epikeia, & exclusis circunstantiis, obseruari, approbare videretur Stoicorum dogma, omnia peccata æqualia esse confitentium. Præterquàm quod, vel imprudentis, vel crudelis notam non effugeret: primum, si legem à se latam, vt intolerabilem corrigere teneretur; secundum, si videns damnum, quod sequitur ex litterali Legis obseruatione, vellet nihilominus illam, de toto rigore obseruari. Quæ tamen, quia de mente Pontificum, qoi in omnibus rationabiliter procedunt, quique suas Leges moderare consueuerunt, si ex iis speratum, & intentum finem prouenire non perspiciunt, præsumenda non sunt, ideo neque præsumendum est, quod velint statuta pro reformatione Religionum inducta, cum toto rigore litteræ obseruari, si ex tali obseruatione intolerabilia reddantur. Hucusque, ad amussim Peyrinus præfatus. Sed tam Concilium Tridentinum, quàm Decreta Clementis, & Vrbani præfatorum, & Sacræ Congregationis eiusdem Concilij, Declarationes, difficilia, inaccommodata humanæ fragilitati, & moraliter impossibilia essent, si cum toto litteræ rigore obseruarentur. Ergo in eodem non obligant, toto, & stricto rigore: ergo illa omnia veniunt intelligenda, obseruanda in sensu, quem sequimur.

71 Sed obiicies. Si Concilium attentè consideretur, eius intentio est, non solùm excludere possessionem peculij, vt proprij, sed intendit quàm maximam, & exactam paupertatis obseruationem, vti ex hoc titulo, *capiti secundo sessionis* 25. *de Regularibus*, præfixo apparet. *De Paupertatis voto integerrimè seruando.*

72 Respondeo *primò*, cum Peyrinis *tom.*1. *de subdito, quæst.*2. *cap.*2. §.1. *versic. Respondeo*, & cum Nauarro, Beja, Sanchez, Petro Ledesma, & Miranda ab eo citatis. Quibus addo Pellizzarium, *in Manu. tract.*4. *cap.*2. *sect.*2. *num.*25. Concilium ius aliquod nouum non inducere sed tantummodo renouare, & ad memoriam reuocare ius antiquum positum in *can. Non dicatis* 12. *causa quæst.*1. *cap. Monachi, el* 2. *& cap. Cum ad Monasterium, el* 6. *de statu Monachorum.* Quibus capitibus habetur, ne possit Religiosus habere peculium tanquam proprium, & independenter ab Abbatis, seu Prælati voluntate, vti innuunt verba illa Concilij: *tanquam propria.*

73 Neque obstat quod addat Concilium: *Neque etiam nomine Conuentus*: quia hoc intelligendum est, sine licentia Prælati. Neque etiam obstat, quod addat Concilium: *Non licere Prælatis concedere bona stabilia, etiam ad vsum & administrationem.* Intelligitur enim non licere concedere illa sine iusta causa, vti explicat ipse Peyrinus, cum eodem Nauarro, & Beja. Vel non licere illa concedere ad vsum, & vsumfructum Iuris, non facti.

74 *Secundò* respondeo cum Fulgentio de Ouiedo *in Republica Regulari, part.*1. *tract.*9. *cap.*1. *quæst.*7. *num.*59. & cum Ioanne de la Cruz ab illo allegato, quod si Concilium Tridentinum aliud, quàm asseruimus intendit, non est cum tanto rigore illius Decretum acceptum, propter multas Religiosorum necessitates, quibus non subuenitur ex bonis communitatis, etiam iuxta ipsorum statum, & paupertatem Religiosam. Imò addit Pellizzarius, *dicto num.* 25. cum aliis DD. neque esse receptum à Religionibus obseruantibus, & satis competenter consolentibus suorum Religiosorum indigentiis, cum ipsis, aliqualem peculij vsum permittāt. Quod certè maximè in mobilibus procedit.

75 Præterquam quod, graue nimis esset consuetudini tàm approbatæ, & executioni mandatæ tantorum virorum Doctorum, imò & Religionum, reformatarum quidem, approbantium modum habendi peculium de licentia Prælatorum, ad nutum ipsorum reuocabile, & indicantium non contrariori Concilio præfato. Ac per consequens, eius dispositio, si alia est, quàm à nobis intelligitur, non est verosimile obligare, ob moralem impossibilitatem: quia accommodata nentiquam est humanæ fragilitati, iuxta ea, quæ *num.*70. diximus.

76 Ad id, quod additur de prætensa exacta, & integerrima Paupertatis obseruatione, respondetur *primò*, Concilium nullatenus talem strictissimam, & summam paupertatem, & eius obseruationem intendere, sicut nec cum tali rigore obligare intendit ad alia in eodem Decreto *capitis secundi,*

sessionis

sessionis 25. contenta. Exemplum fit in moderatione bonorum mobilium. Non enim intendit summam illorum moderationem; sed mediam, aut potius infimam. Aliud namque intendere credi non potest, quàm, quod ipse vouens Paupertatem intendit. Iste vtique iuxta subiectam materiam, proportionaliter ad illud tantùm se obligat, ad quod se obligare intendit, qui iustitiam commutatiuam, aut vindicatiuam vouet, & eius obseruantiam. Sed, qui iustitiam voueret, & vnum obseruaret iustitiæ gradum, non solùm rigorosum, & summum, sed etiam medium, aut infimum quidem, votum adimpleret. Ergo quilibet Religiosus vtriusque sexus, votum Paupertatis à se missum, sufficienter adimplebit, obseruabit, iuxta rationabilem Sacri Tridentini Concilij mentem, si vnum, etsi infimum attingerit Paupertatis gradū, omisso summo, aut rigoroso, ac medio.

77 *Secundò* respondeo. Quod dato; & non concesso, quòd Concilium intenderit obligare Religiosos ad obseruantiam Paupertatis, cum moderatione bonorum in summo gradu, aut medio, illius stricta dispositio nullatenus Regulares in plurimum obligat, quia non est quoad hunc rigorem recepta, vti iam suprà diximus. Consultò, *in plurimum* dixi, Quia eos Religiosos, & Religiosas, qui Concilium intellexerunt, simul ac obseruauerunt cum summa, aut media moderatione bonorum, à tali obseruantia absoluere non præsumo. Illam enim continuare debere, indubitanter teneo. Ideò quisque suæ Religionis Constitutiones, Diffinitiones, ac laudabiles consuetudines, consulat, & obseruantias, si suæ salutis immemor, deprehendi non vult.

78 Si obiicias *secundò*, Declarationes Sacræ Congregationis eiusdem Concilij, ac Decreta illius, & Summorum Pontificum Clementis VIII. & Vrbani pariter VIII. Respondeo cum Laurentio de Peyrinis, *tom.1. de subdito, quæst.2. cap.2. §.1. versic. Respondeo, pag. mihi* 167. Ascanio Tamburino, *to.2. disp.22. q.5. n.7.* intelligenda illa esse eo modo, quo interpretatum est. Idem Concilium, & magis quàm istud obligare illa non posse.

§. IV.

Corollaria reddo.

79 EX dictis infero *primò*, quòd in Conventibus, in quibus vel ob paupertatem, quâ premuntur, vel ob malitiam, iniuriam, aut negligentiam Superiorum non potest vita communis obseruari dando omnibus, & singulis Religiosis ea, quæ sunt ipsis necessaria secundùm decentiam status vniuscuiusque, vel de facto eis non datur, potest eis permitti aliquod peculium, etiam rei stabilis, annuus redditus, vel census, &c. in ordine tamen ad vsus necessarios, & dependenter à Superioris voluntate, qui possit, quoties voluerit reuocare. Et ita tenent D. Antoninus, *in Summa, part.3. tit.16. cap.1. §. 11. versic. Noto quintò.* Lezana *in Summa quæst. Regul. tom.1. part. 1. cap.6. num.21.* Fulgentius de Oviedo, *in Republica Regulari, part.1. tr.9. cap.1. quæst.7. num.53.*

80 Sed pro Corollarij maiori explicatione, libuit adnotare, cum eodem Oviedo, *num.* 56. tripliciter posse contingere census annuos Religiosum habere. I. Per licentiam à Papa impetratam ad illos possidendos, qui illam in plurimum concedit cum dependentia à Superiore Regulari, in habendo, & dispensando. II. Dicitur illos habere (forma Concilij Tridentini ad litteram seruata) si redditus, aliis Conventus incorporentur bonis, & Prælato tradantur, qui primò necessitatibus huiusmodi Religiosorum, quibus redditus per donationem, testamentum, aut alia via, comparati, labore manuum, aut actionis lucratiuæ, adiudicati sunt, seu quorum causa dati fuerint, illos expendat: & deinde ex reliquo Conventus subveniat necessitatibus. III. contingit, quando ex testamento, aut donatione pecuniarum numerum, situatum ex vi Scripturæ census, aut aliter super bona immobilia, quis velit concedere Conventui tali conditione, vt talis Religiosus pro diebus vitæ suæ, immediatæ exigat, & percipiat illius redditus, qui à Prælato petat veniam ad recipiendos, & ponendos in deposito, & cum hac licentia, & non aliter hæc fiant, nec absque dicta venia redditus expendantur.

Corollarium itaque nostrum procedit, non solùm quando annui census Religiosis primo, aut secundo depurantur modo, vel etiam quando tertio. Vnde præfatus author in sequentia prorumpit, *n.57. allegato.* Etiam post Tridentinum est probabile, quod hoc tertio modo possit Religiosus habere redditus annuos. Vbi nota, quod omnibus suppositis, & non obstantibus, non audent plures, & graues Authores condemnare, quod hodie videmus in vsu, & specialiter in Monialibus, vbi sine speciali ad hoc petita facultate à Papa, nec etiam incorporando bonis Monasterij, cum licentia Prælati admittunt redditus à seipsis, in testamentū, vel donationem, ante professionē relictos, vel à parētibus aut propinquis, & etiā redditus emptos ex bonis à Religioso acquisitis, & quorū Dominiū transierat iam in communitatem, fundati tamen huiusmodi redditus annui in nomine communitatis, & revocabiles ab illa, & Religiosus de licentia Prælati dispendat, & cum illa receptos, & exactos, in Depositarij Religiosi manu (si hoc specialiter sit, ex Lege speciali, aut consuetudine alicuius Religionis, vt Benedictorum) deponat. 81

Hactenus P. Oviedo, qui pro hoc tertio modo habendi redditus annuos, allegat Navarrum, *to.2. de redditibus Eccles. q.1. n.84.* Molinam, *to.2. de Iustitia, disp.276.* Sylvestrum, Ludovicum Lopez, Mirandam, *in Manuali Prælat. tom.1. q.18. art.7.* & penes eum, dictum Navarrum, *commentario... de Regularibus n.16.* & Ioannem de la Cruz, *lib.1. c.3. de statu Religionis.* 82

Quo circa in nostra Hispana Benedictina Congregatione, in Diffinitionibus suis, vim iam Constitutionum, & legum obtinentibus, quia in tribus Capitulis Generalibus confirmatis, iuxta Constitutionem Sancti Facundi, *cap.2. num.3. versiculo, Y si en el Capitulo*: Monachis permittitur, vt cum pecunia, quam ad vsum habuerint emere valeant census, ad fauorem Conventuum suæ professionis, & vtantur eorum redditibus pro suarum indigentiarum sublevatione. Ita in Capitulis Generalibus celebratis, *annis* 1649. 1653. *&* 1657. diffinitum invenio. In Diffinitionibus enim de anno 1653. sub hac inscriptione: *Confirmo la Sancta Congregacion las Definiciones siguientes, delas del Capitulo passado del año de mil seiscientos quarenta y nuebe.* Sic *num.* 3. Lego. Iten se definio, y se permite a todos los Monges, que del dinero, que tuvieren ad vsum, puedan fundar censos a favor de las casas de su profession, y se les permite el vsufructo de lo que rentaren, por via de limosna, y para socorro de sus necessidades, &c. vbi sub Vsufructu

venit vſus ſimplex, limitatus, & dependens, & non vſufructus rigoroſus, & propriè ac ſtrictè ſumptus. Ita & in Diffinitionibus ſequentibus nomen hoc accipitur.

In Diffinitionibus editis *anno* 1657. ſic habetur *num.* 37. Item ſe deteto;ino, que ſe en cabeçen las rentas que tubieren los Monges particulares con licencia dela Congregacion en los libros de caſa, delos Monaſterios de ſu profeſſion. Et *nu.* 55. Item ſe declara la Difinicion, y confirma, que habla delos Eſpolios delos Munges difunctos, que deſpues de pagadas las deudas, ſiel eſpolio llegare amil ducados, ſele digan mil, y quinientas Miſſas, pero ſi no llega à dicha cantidad, ſele digan la terçera parte del eſpolio, como no paſe de mil Miſſas, Y ſea con calidad, deque ſe quente por eſpolio el principal delos cenſos, que el Monge hubiere pueſto en cabeça deſu Conuento, de que era vſufructuario.

Et *num.* 60. earundem Diffinitionum eiuſdem anni ita ſtatoitur. Item la Sancta Congregacion da facultad actodos los Religioſos, que tienen depoſitos, que puedan fundar cenſos à fauor delas caſas de ſu profeſion, y que gocen el Vſufructo deloque rentaren: y que los Padres Abbades les dexen porſu quenta la cobrança de dichas rentas, por eſcu ſarſe delos embaraços de ellas, y delas queχas en las pagar, ſi corren por quenta delos Padres Abbades.

In Diffinitionibus denique *anni* 1661. ſub titulo: *Confirmantur aliqua Diffinitiones Capituli Generalis pracedentis anni* 1657. ſic lego. Item Sacra Congregatio confirmando decreuit, qnod redditus Religioſis permiſſi ad vſum, & neceſſitatis leuamen, in originalibos protocolis Cœnobiorum adſcripti remaneant, ſicut & cæteri bonorum cenſus perpetui, tanquam Monaſteriorum temporalia ſubſtantia inamiſſibiliter in ipſis conſeruanda, & fideliter. Hactenus ibi. Vbi confirmatur etiam diffinitio *anni* 1649. ſub hoc tenore. Iterum Sacra Congregatio Confirmando decreuit, Monachis quibus facultatem conceſſit: vt ex pecunia in loculis repoſita, ex Abbatum licentia poſſint emere redditauum annualium ſtipendia perpetua, quæ in codicibus Monaſterij reſcripta permaneant, vt proprietas apud Monaſterium notetur, & Religioſis, de Superiorum licentia, vſus annualis deſeruiat.

83 *Secundò* infero, quod in Conuentibus in quibus non prouidetur Religioſis de neceſſariis ad vitam, & decentiam ſtatus conſeruandam, licita ſit aliquarum Religionum conſuetudo, in qoibus de bonis Conventuum certi annui redditus, aut certa pecuniarum portio Religioſis deputatur; Ita tamen, vt aliter ſuſtentari non poſſint, & talis portio, ſeu redditus ad neceſſarios deſeruiant vſus, & à Prælatorum voluntate, qui illos reuocare provt voloerit dependeant. Ita noſter Aſcanius Tamburinus, *de Iure Abbatum*, *tom.* 2. *diſp.* 22. *quæſito.* 5. *n.* 5. & *q.* 7. *n.* 3. quæſit. etiam 16. Iacobus de Graffis, *in Deciſionibus aureis*, *part.* 1. *lib.* 3. *c.* 5. *n.* 55. Fulgent. de Ouiedo, *in Republica Regulari*, *par.* 1. *tr.* 9. *c.* 1. *dub.* 8. *n.* 65. cum Panormitano, *in cap. Cum ad Monaſterium*, *de ſtatu Monachorum*. Buſſembaum *in Medulla Theologia*, *lib.* 4. *dubit.* 4. *cap.* 1. *caſu* 3. Hieronymus Roderiqoez, *in Compendio quæſtionum Regularium*, *reſolut.* 110. *num* 15. Et ratio Corollarij eſt, quia hoc non eſt aliud, quàm Prælatum applicare Religioſis neceſſaria de bonis Conventus.

Et quamuis hoc videatur includere aliquod ius, ſeu actionem ad exigendos redditus, aut pecuniarum portionem, quod quidem pluſquam ſimplex Vſusfacti ſit; tamen cum ad nutum Prælati auferri queat, & reuocari, & illud habeat Religioſus non proprio nomine, ſed Conuentus, & Prælati, non opponitur voto paupertatis. Et hoc idem aduerto, pro dictis *num. precedente*.

Tertiò infero, quod in Conventibus præfatis, 84
licitè poſſit Religioſis concedi ad ſuſtentationem naturæ, & ſtatus adminiſtratio bonorum ſtabiliom Conuentus, puta Ecclesia vnita, Prioratus, Grangia, Villa, vel quæuis alia poſſeſſio, in caſibus tamen ſuprà recenſitis, quod neceſſaria illis non poſſint ob paupertatem miniſtrari, vel de facto non miniſtrentur: & cum conditione, quod aliter ſuſtentari nequeant cum decentia: quod bona expendantur in vſus neceſſarios: & quòd fiat dependentur à Prælati voluntate. Sic Tamburinus, *ubi proximè*, *quæſt.* 5. *num.* 9. & *quæſt.* 6. Graffiis, *loco citato*, *num.* 53. & 55. Ioan. Bapt. Lezana, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 22. Roderiquez, *tom.* 3. *quæſtionum Regularium*, *quæſt.* 29. *artic.* 19. Buſſembaum, *caſu* 2. Sanchez, *in Decalogum to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 13. Fulgentius de Oviedo, *in Republica Regulari*, *part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 8. *qui num.* 60. ita fatur.

Reſpondetur primò, in *cap. Cum ad Monaſte-* 85
rium, *§. Tales*, *de Statu Monachorum*, manifeſtè decernij ne alicui Religioſo committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidendenda, tanqoam ſibi locetur ad vitam, ſed cum opportuerit, ſine contra dictione reuocetur. Et *cap. Porrectum*, & *cap. Ad noſtram*, *de Regularibus* ſtatuitur, Regularia Beneficia, in quibus Religioſi ſtatuuntur, quòd poſſunt ad nutum Superiorum revocari, niſi authoritates Summi Pontificis fuerint confirmata, qaàm confirmationem non dat, niſi ſcienter, & expreſſiun. Item in *Clememima*, *Quia Regulares*, *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, licet Priores, ſioe Adminiſtratores huiuſmodi liberè poſſint ad clauſtrum, cum oportuerit revocari: & hoc intellige, poſſe etiam à Superiore Prælati revocari, etiamſi accepiſſet per totam vitam, quia hoc debet intelligi ſecundùm ius commune. Hactenus Fulgentius ibi.

Iuribus recenſitis addo Conſtitutionem Pij 86
Papæ V. *la* 47. apud Bullarium Cherubini, incipit *Ad exequendum*, quæ vim obtinet Iuris commonis, in qua *ſic* §. 7. ſtatuit. Etſi dictæ Parochiales vnitæ erunt Monaſteriis Regularium Mendicantium, poſſint à Superioribus dictorum Monaſteriorum nominari ex ipſis Mendicantibus: quos ſi Ordinarij prævio examine, per ſe, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam animarum exercendam inuenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios, ad nutum tamen Soperiorum ſuorum amouibiles, deputare. Idemqoe etiam ſeruetur in Regularibus Mooachis tantùm, dummodo in ea Parochiali, in quâ vnus ex Monachis fuerit, ſeruata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo ſaltem quatuor alij ex dictis Monachis. Hæc in dicta Conſtitutione, edita Kalendis Nouembris, *de anno* 1567.

Addo alteram eiuſdem Pij Conſtitutionem, in 87
fauorem Mendicantium editam 17. *Kalend. Iulij*, *eiuſdem anni* 1567. incipit., *Etſi Mendicantium Ordines*, per ipſummet Pontificem innouatam, inſertâ, & denuò conceſſam noſtræ Hiſpanæ Cógregationi Benedictinæ, Valliſoletanæ ouncupatæ, in
-alia,

aliā, quæ incipit. *Cum intra mentis nostra arcana,* data *Anno eodem* 1567.*Octauo Kalend. Septembris,* provt sequitur decernentem. Insuper volumus, quod præfati Regulares, quibus cura animarū inest, possint per se ipsos iuxta suorum Superiorum ordinationem, aut alios Vicarios, seu Capellanos sæculares ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos, præfatam curam exercere: neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione, pro præfatis Capellanis, seu Vicariis sæcularibus, si per tales curam exerceri contigerit, Episcopi se vllo pacto intromittant.

88 Addo etiam Constitutionem Clementis Papæ VIII. in fauorem dictæ nostræ Congregationis editæ, die 2. *Augusti, Anni* 1596. incipit, *Vt ea,* in quà quidem *versiculo* 7. sic lego. Ac in portione Vicariis in eisdem Ecclesiis constituendis assignanda, obseruandam esse constitutionem Pij Papæ V. prædecessoris nostri de Vicariis perpetuis editam, nec ab ea recedendum, in illis verò Parochialibus Ecclesiis, quibus per Regulares Monachos deseruitur, Monachum eisdem Ecclesiis Vicarium pro tempore præficiendis non aliter constitui debere, quàm ad nutum suorum Superiorum amouibilem ab Ordinario tamen præuio examine approbatum cum portione arbitriò suorum Superiorum assignanda: qui Monachus ibidem vnà cum alio Monacho duntaxat habitare debeat. Hæc in Clementina illa, in quà partim Piana *Ad exequendum* innouatur, & partim, quoad numerum Monachorum, sociorum Vicarij Monachi, moderatur. Vtramque canonizauit Sacra Rota, in Pampilonensi Vicariæ de Stella, ad fauorem mei Hyrachensis Cœnobij, *anno* 1648. coram Otto bono.

Sed redeundo ad nostrum Fulgentium de Oviedo, immediatè post iam dicta, *num.* 61. in sequentia prorumpit.

89 His suppositis, sit nostra resolutio. Affirmando, quod si talis administratio sit data Religioso illius Villæ, vel Ecclesiæ; & omnium quæ ad illas pertinent à Superioribus ad sustentationem, etiam per totam vitam, dum sit quidem ad nutum Prælati competentis amouibilis & ea lege, & quotannis certam pensionem soluat Monasterio, & meliorent illam, & reliqua in sui substentationem, & licitos Vsus possint consumere, licitum est. Tenet Navarrus *in cap. Non dicatis nu.* 9. 14. *&* 18. *& lib.* 3. *Consiliorum, de Regularibus, Consil.* 2. *per totum.* Et intelligitur hoc, in illis Religionibus, in quibus hoc est in vsu. Et probat Navarrus ex praxi, & quod talis Religiosus est quasi Oeconomus Monasterij principalis. Et forte non possent aliter tàm fideliter, aut vtiliter administrari bona, quæ in illa Villa, Ecclesia, vel Grangia habet. Et sic apud Benedictinos Congregationis Hispaniæ fit: vbi huiusmodi Grangiæ, Ecclesiæ, seu Prioratus vniri Monasterio, traduntur Præfectis, seu Prioribus vocatis, vt administrent illa bona, & immittant fructus, seu valores Monasterio, dando, & assignando pro sustentatione Præfecti Grangiæ, seu Prioris, & Socij (si habeat) talem quantitatem tritici, vini, & aliarum rerum, & pecuniarum, seu assignando horum loco, decimas v.g. rerum minutarum, vt pullorum, hædorum, & leguminum quæ talem valorem pro anno solent, valere, & obuentiones, seu ingressus Ecclesiæ, si Grangia contineat Parochiam.

Addit præfatus Author, *num.* 63. & certè ad conseruationem bonorum stabilium, & hæreditatum, quæ habent Monasteria in Villis, Prioratibus, seu Grangiis, multum expediret plerunque dari sic in administrationem (scilicet per totam vitam, reuocauibilem tamen, solùm ex rationabili causa) Religiosis idoneis, & quod veniant tales Religiosi administratores intelligendi, nomine Officialium vt ait Concilium. Cui id non contrariari, asserit cum Navarro. Quia Tridentinum nec *sess.* 25. *c.* 2. *de Regularibus,* nec alibi quidem loquitur de administratoribus ad nutum amòvibilibus, sed renouat caput *Cum ad Monasterium,* §. *Talis,* in quem finem ordinat, & præcipit, vt eiusmodi administrationes non sint perpetuæ, sed ad nutum amouibiles. 90

Quartò infero, quod in Conuentibus, de quibus in præcedētibus corollariis, in casibus, & cum conditionibus ibi explicatis, licitè concedatur Religiosis vsus eorum, quæ ipsi proprio labore, industria, aut donatione acquirunt. Et ita docent Iacobus de Graffis, in decisionibus aureis, *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 55. Lezana, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 24. Bussembaum, *in Medulla Theologia, lib.* 4. *dub.* 4. *cap.* 1. *casu* 3. 91

Quintò infero, licitè statui in prædictis Conuentibus Depositarios, pro asseruandis pecuniis, particularibus Religiosis destinatis, ad eorum indigentias subleuandas, siue ex bonis Conuentuum, siue ex proprio labore, aut industria, siue ex donatione procedant, ex quorum custodia expendendæ, pro singulorum necessitatibus, extrahantur. Docent Lezana, *n.* 23. Caramuël, *Comment. in S. Regulam, disp.* 61. *à n.* 898. Fulgentius de Ouiedo, *loco citato,* *q.* 6. *n.* 44. *& seqq. maximè n.* 51. & Sanchez, *to.* 2. *in Decalogum lib.* 7. *c.* 22. *n.* 12. Tamburinus, *de Iure Abbatum, to.* 2. *disp.* 22. *q.* 5. Ita obseruatur, in nostra Benedictina Congregatione Hispana, in vim Constitutionis S. Facundi, *cap.* 30. *dela Pobreza Monachal. num.* 4. *&* 9. 92

Et probatur ex Decreto S. Congregationis Apostolicæ Visitationis, iussu Vrbani VIII. facto, 13. *Iulij,* 1627. pro Franciscanis Conuentualibus Monasterij SS. Apostolorum Romæ, quòd recenset Lezana, *vbi proximè,* sub hoc tenore videlicet.

Pecunia verò, aliæque res quæcumque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in commune Conuentus Ærarium, reponendæ, triplicique claue custodiendæ. Quarum vna penes Guardianum pro tempore existentem, duæ verò aliæ, penes duos alios Fratres, singulo quoque anno per Conuentum eligendos conseruentur, ex quibus subministrato exhibitori, quantum Religiosæ eius necessitatis (status, valetudinis, laborumque ratione habita) expostulare videbuntur: reliquum penes Ærarium remaneat, & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, seu Congregationis Prouincialis, singulis annis faciendæ, erogetur. Hactenus Decretum quo approbati videntur Deposita pro peculiis particularium Religiosorum custodiendis, vti bene obseruat Lezana.

Vnum hîc aduertit Barth. à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 36. *num.* 7. Religiosum tenentem peculium penes Depositarium, tanquam rem propriam, & minutatim computantem quidquid per ipsum Depositarium expéditur, nec patientem vt queat Prælatus ad libitum de eo disponere, peccatum mortale proprietatis admit- 93

tere, Quod certè diffiniuit Concilium Viennense, in *Clementina exiui, de Paradiso*, §. *Denique, la* 1. *de Verborum significatione*, ibi. Quapropter præcipere quod, & qualiter pecunia expendatur, computúmque exigere de expensa, eam quomodocumque repetere, siue deponere, aut deponi facere capsulam pecuniæ, vel eius clauem deferre, hos actus, & consimiles sibi Fratres illicitos esse sciant. Prædicta enim facere ad solos Dominos pertinet, qui dederunt, & eos, qui ipsi depurauerunt ad hoc ipsum. Hæc ibi.

Quod tamen ita rigidè, vt sonat, quoad computum, non debet intelligi: cum vix daretur Religiosus deponens, proprietatis vitio carens, & quem pestis ista non infeecerit. Sed ita debet intelligi, vt non exigat computum, tanquam de re sua, sed veluti commissarius, cui Prælatus concesserat administrationem illius peculij, tàm in deponendo, quàm in extrahendo, & expendendo iuxta terminos commissionis, in licentia saltem virtuali contentæ. Quia computum, quod potest Prælatus per se ipsum exigere à Depositario, tàquàm verus, proprius, & vnicus bonorum Conuentus sui administrator, potest per deponentem, aut alium quemlibet, exigere, argumento *cap. Potest quis, el* 68 *de Regulis Iuris, lib.* 6. vbi ita decernit Bonifacius Papa VIII. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Et quod velit Prælatus, vt deponens computum à Depositario exigat, ex praxi saltem apud nostros constar, cum ipsi Prælati nunquam illud exigant, nec exigere subditis prohibeant, cum facile possent.

94 Sed petes. Poterítne Prælatus Religioso particulari veniam concedere, ad hoc vt pecunias peculij sui Depositario non exhibeat, sed illas penes se retineat? Responder Sanchez *tom.* 2. *in Decalogum lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 12. quem refert, & sequi videtur Tamburinus *tom.* 1. *disp.* 22. *quæst.* 8. posse. Quia siue exhibeat, siue retinear pecunias, illas possider nomine Superioris à quo habet licentiam, & nomine Conuentus, cuius est illius peculij dominium.

In nostra tamen Congregatione, contrarium dicendum est, ob Constitutionem suprà allegatam, *dicto num.* 4. vbi sic statuitur. Assimismo declaramos, que el Abbad del Monasterio, no deue hacer aningun Religioso depositario de su dinero que tenga ad vsum, sino que lo ha de poner en poder del Depositario general delos demas Religiosos. Del dinero, que el Depositario general tubiere para su vso, le tenga tambien con licencia del Prelado, y expresso, y escriro en el libro del Deposito delos demas. Ita in *dicto cap.* 30. (incuria Typographi, *ol* 34.) *num.* 4. *& num.* 9. sub præcepto formali, & excommunicatione maiori latæ sententiæ, iniungitur obligatio manifestandi Prælato intra 24. horarum spatium, quidquid auri, argenti, lapidum pretiosorum, gemmarum, & pecuniæ acceperint, & deponendi apud Depositarium generalem omnium Religiosorum, de Prælati licentia, y del nolo pue dan sacar, nigaster dinero alguno dentro delas 24. horas, sin la misma licencia del Prælado.

* * *

DVBIVM III.

Quis Regularium, Prælatus, facultatem habeat concedendi Religioso peculium, & auferendi, si illud superfluum iudicet?

BREVIARIVM.

Abbas.

Abbas, & quilibet alter Superior subordinatus, sui Officij authoritate expeditè gaudet, quandiu expressè ritè, & iure ab alio non limitatur Superiore, n. 15. 29. 39.

Abbas, qui subditum aliquem non habet, Prælatus non est, nec dignitas, n. 43.

Appellatio.

Non permittitur in Congregatione vlla; de re, quæ grauiter honorem non tangat, n. 50.

Axioma.

Eo ipso, quod aliquid non est expressè prohibitum, censetur concessum n. 15. 29.

Vbi eadem est Iuris ratio, eadem est Iuris dispositio, num. 29.

Lex si aliud voluisset, illud expressisset, n. 31.

Quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus n. 31.

Taciti, & expressi idem est iudicium, n. 29.

S. P. N. Benedictus.

Cœnobiticum regimen tantùm in Regula Sancta statuit, non Anachoreticum, nec Politicum, n. 23.

Quoties de Prælato agit, non de Generali, sed de Abbate disponit, n. 23.

Collegium.

Per duas tantum personas Congregatio, Collegium, & Conuentus constituitur, n. 43.

Ius Congregationis, Collegij, & Conuentus, & Vniuersitatis in vno remanet, si alij moriantur, aut peccent, n. 43.

Electio.

Ab vno tantùm fieri potest electio, si duo sint in Collegio, & alter iuri cedat eligendi, & cedentem eligere potest, n. 44.

Episcopus.

Nihil præcipere potest Monachis non exemptis à Iurisdictione sua, nisi in actu visitationis, n. 50.

Generalis S. Benedicti.

Iurisdictionem non exercet in degentes in annexis Monasteriorum, nisi quando visitat eadem principalia Monasteria, n. 49.

Iurisdictio.

De nouo alicui concessa, intelligitur commutatione concessa, non priuatiuè, n. 35.

Ius commune.

Declarare, & innouare ius commune, & illius augere pœnas, & vbi pœnæ desunt, illas apponere possunt Capitula, & Prælati etiam locales Ordinum, sed in nullo ei derogare valent, n. 32. 33. 34.

Lex.

Cum directiua sit, & obligatiua, inutilia iniungere nequit, n. 26.

Lex clara debet esse, & expressa, n. 31.

Lex posterior interpretari debet per priorem, etiamsi posterior, clausulam habeat priori contrariam; si tamen simul, per limitationem, distinctionem, aut expositionem, subsistere possunt, n. 29.

Lex

Lex inferioris potestatis, & consequenter alicuius Religionis, iuri communi derogari nequit, nec auferre valet, quod alicui ab eo conceditur, numero 32.

Memoriale.

Nostra Congregationis Religiosi, in annexis degentes exhibere debent Abbati quando illos visitat, rerum omnium, quas ad vsum habent Memoriale; non autem generali, nisi bonorum administrationem habentes, n. 24. 25.

Paupertas Religiosa.

Solùm permittit necessaria ad conservandam naturã, & statum Religiosi pauperis, sine quibus vita transigi non potest, n. 17.

Superflua non solùm Religiosi, sed nec Saculares licitè habere possunt in sententia probabilissima. num. 17.

Peculium, & supellex superfluum, quodnam dicitur, num. 1.

Quis Pralatorum Regularium limitare, aut auferre valeat superfluum, à n. 2.

Illud moderari, aut revocari non pertinere ad Pralatum localem, generaliter docuit Fulgentius de Oviedo, à n. 6. *ad* 12.

Sed impugnatur: & probatur pertinere ad omnes Pralatos locales, à n. 13. *ad* 18.

Pro nostra Benedictina Congregationis Pralatis, demonstratur, à n. 19.

Querelas proponere potest Religiosus, de peculio ablato à Pralato, in Capitulo Generali, absque proprietatis vitio, quamvis ad illud nullum habemus, dominium, aut vsum iuris, seu ex iure; non tamen in vim iustitia rigorosa, sed aquitatis naturalis; n. 11. 12.

Peculium apud se habere non possunt nostri, sed apud Conventus depositarium, n. 6.

Aurum, argentúmve habere non possunt nostri, nisi ad decentem alicuius Reliquia custodiam, in quantitate ad summum 100. *regalium*, n. 22.

Omnium, quas habemus rerum inventarium, seu memoriale debemus Pralato locali semel in anno exhibere, n. 4. 24. 47.

Olim, bis in anno exhibebatur, n. 19. 22.

Exhibetur Generali quando Conventus visitat, n. 24. *&* 25.

In nostra Congregatione Religiosi vltro seipsos vsu omnium, qua habent, quotannis abdicant feria 2. *post* 1. *Dominicam Quadragesima*, num. 20. *&* 37.

Prælati.

Omnes Superiores supremi locales, cuiusvis Ordinis, verè Pralati sunt, & eorum Vicarij in capite, seu Presidentes, & iurisdictionem quasi Episcopalem habet, si aliud in Constitutionibus non caveatur Ordinis, n. 14.

Prior Conventualis.

Quilibet Prioratus annexi, & Grangia Prior, aut Superior, verè Pralatus est, & dignitas, & iurisdictionem habet Ordinariam in vtroque foro, & tantam, quantam habet Abbas, n. 41. 42.

Si tamen subditum habeat aliquem, n. 43.

Moderare potest, & auferre peculium superfluum subditorum suorum, n. 40. & seqq.

Regula.

Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, n. 16.

Superflua.

Nemo, etiam Sacularis superflua habere potest, in sententia probabilissima, n. 17.

SVppono pro Dubij resolutione, superfluum dici, quod statui Religiosi non est necessarium attentis circunstantijs omnibus, & singulis, Religionis scilicet, ipsiusmet Religiosi, loci, temporis, officij, ætatis, valetudinis, vel infirmitatis, & similes, quæ in casus contingentia prudenti occurrunt Prælato. Nam eadem prorsus res, quæ alicui Religioni non convenit ad conservandum proprium statum, nec est ad id necessaria, non enim convenit alteri laxiori, nec eam dedecet. Vnde isti erit Religioni necessaria; illi verò superflua est res, quæ Religioso Laico, aut iuveni, vel simplici Sacerdoti, ac illiterato est superflua, erit fortè necessaria Religioso Clerico, seniori, literato, & gravi. Et respectu eiusdemmet Religionis, quod in vna Provincia, aut Monasterio quidem superfluum est, est in alio necessarium. Et tempore infirmitatis ea sunt necessaria, quæ sanitatis tempore superfluunt. De quibus videantur Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.* 2. *disput.* 22. *quæsit.* 5. *num.* 11. *&* 13. Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 6. *num.* 13. Raggius *de Regimine Regularium contr.* 1. *par.* 3. *dub.* 57. *n.* 6. Caramuël *in Regulam S.P.N.* *n.* 875. vbi sic ait. Non puto esse superflua, quæ ad regularem, communemque recreationem instituta: puto superflua esse, quæ ad privatam: & sic aviculas, & alias nugas, quæ solent à multis Religiosis magnis curis, imò aliquando impensis conservari.... arguo superfluitatis, nec debere à Prælatis concedi. Et Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro*, *lib.* 8. *quæst.* 97. vbi duo dicit. *Primum* necessarium, aliud esse simpliciter, sine quo res nullo modo potest consistere; aliud, secundùm quid: id est sine quo res non potest decenter, & congruenter conservari. *Secundum*. In præsenti casu, superfluum dici, quod pensatis omnibus circunstantiis Religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam status Religiosorum est necessarium. Et deinde, plura Sanctorum Patrum exhibet testimonia, superfluitatem condemnantium, mentibus Religiosorum meritissimè retinenda. Videantur etiam Azorius, & alij, quos *dub.* 4. *num.* 2. 3. *&* 4. recenseo.

Hanc excitat difficultatem noster Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari*, *par.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 6. illámque resoluit dicens, hoc quidem pertinere absolutè ad Prælatum illum, qui plenam, & perfectam, Ordinariam potestatem gubernandi habet, sive sit specialis Prælatus cuiuscumque Monasterij, vt Abbates Sancti Benedicti, & Cistercienses, sive Provinciæ, aut Vniversalis, vel Generalis Prælatus: tamen iam attenta fragilitate, in Religionibus taxata reperitur hæc duplex potestas. Ad admittendum enim pecunias, & deponendum, Prælato cuiuslibet Monasterij: Ad tollendum verò superfluum peculium, Generali in visitationibus committitur: ita in Legibus Sancti Benedicti Hispaniæ, *cap.* 34. *num.* 1. *fol.* 102. *&* *cap.* 29. *num.* 12. *fol.* 88. Primam autem facultatem, non solùm Prælati cuiuslibet Monasterij, sed in absentia extra domum, quicumque Superior, aut Præses, qui alias domesticas licentias concedit, ex vsu potest. Hactenùs Pater Fulgentius, *numero* 42.

Sed contra hanc resolutionem; sic sibi obiicit idem Author, *num.* 45. Non solùm Generales, & Provinciales aliquorum Ordinum, qui sunt veri Prælati, vt ait Sylvester, Ioannes Azorius Fr. Emmanuël Roderiquez, & alij, possunt refor-

mate peculium alicuius Religiosi, si superfluum videatur, sed quicumque particularis Prælatus supremos in quolibet Monasterio. Nam sive virtute potestatis Regularis ordinariæ, eo modò, quo ex citatis Authoribus diximus, sive œconomicæ, aut quasi Parochi, videntur teneri Reverendi Patres Priores, Conventuales Prædicatorum, & Guardiani Minorum, providere bono spirituali suorum, & sic avellere superfluum peculium subditorum: & similiter; id quod Tridentina Synodus, & antiqui Canones detestantur: nempè superfluam, & superbam, pretiosam, deliciosam, & exquisitam supellectilem.

3 Et de Abbatibus principalibus, id est, non aliis Abbatibus subiectis, Benedictinorum Hispaniæ, & Cistercensium, qui præter generalem obligationem, quam quicumque Prælatus primus in quolibet Monasterio Prædicatorum, & Minorum habent, tenentur ex speciali obligatione: quia plenam ordinariam, quasi Episcopalem habent super Monachos, & subditos Regulares sui Conventus, sicut Provinciales, & Generales super Religiosos habent omnium Monasteriorum Provinciarum, & Ordinum.

4 Etiam, quia speciali declaratione, & taxatione per Constitutiones Congregationis Benedictinæ Hispaniæ *in anno* 1610. Abbatibus id iniungitur, *in cap.* 34. *citato* dicitur enim, *num.* 1. quod Abbates compellant omnes subditos suos Regulares, vt exhibeant semel saltem in anno, memoriale suo nomine subscriptum omnium rerum, imaginum, scilicet, librorum, & vestium, pecuniarum in specie, aut in debitis. Et ibi subiungitur, loquendo de his memorialibus. Y los lea el Abbad todos, de verbo ad verbum, y no permita, que tengan piezas de Oro, ni de plata, &c. Et statim. Y las otras Alhajas, sean conforme ala pobreza, que professamos. Et *num.* 3. Encargamos mucho al Abbad, que viendo que estan necessitados deloque monasticamente han menester, como vestidos, imagines, o libros, y que tienen deposito mas quantiosos deloque pide el estado, oficio, o obediencia, &c. le compela a que de su deposito se provea deloque iurgare le es necessario, y bastante.

5 Confirmatur námque, cum vsus, quem Religiosus habet rerum immobilium, (de quibus loquor) & pecuniarium, ex licentia (vt supponimus) sit vsusfacti, seu simplex talium rerum, & pecuniarum, & nullo modo sit aliquid iuris, non videtur res tanti momenti, nec causa querelæ, quod dicta licentia, & vsusfacti revocentur; vt si ex cibatijs, quibus similiter vsu simplici, & facti sustentatur ex dicta licentia Religiosus, Prælatus aliquando partem, quam videat ministrari superfluam, iubeat moderari, & sic de alijs. Hucvsque Pater Fulgentius, quibus tamen non obstantibus, hanc novam statuit resolutionem, *numero* 46. videlicet.

6 Moderatio, & revocatio peculij, specialiter pecuniarum, quod vulgariter, apud Benedictinos specialiter vocatur *depositorū*, eo quòd apud illos, vt vidimus, peculiare est mandatum, quod apud se in cellis, non habeant pecunias, sed apud deputatum Monachum Depositarium in Deposito habeant, non pertinet ad Prælatos particulares Monasteriorum, generaliter loquendo, nec iure communi, neque ex Legibus, & Constitutionibus in Religionibus; sed ad Provinciales, & Generales pertinet. In quacumque enim Religione, peculium hoc, à nobis explicatum, à potestatem habente concessum particulari Religioso, quamvis ipse acquirat illius rei, vel pecuniæ dominium, & vis Religio, & non ipse solùm acquirat, posse de facto tali re potiri, seu vti; tamen licentia semel data à Prælato Domus, seu peculium revocari ab ipso non potest. Quod constat, nam cum hæc res sit tanti momenti, non cuicumque Prælato fidenda videtur.

Neque obstat, ait *num.* 47. quod ad eandem potestatem videtur pertinere, facere, & conseruare factum: & per consequens, quod possit revocare, & soluere Peculium Prælatus, qui potest admittere peculium. Hoc inquam non obstat. Quia in rebus moralibus, quæ ex circunstantiis coalescunt, & dependent, illæ sunt attendendæ, & inde cognosci, an res subsistat, vel non. Vnde cum ad admittendum peculium, maxima sequantur bona, & Monasterio, (quod accipit inde dominium rei, quod non habebat,) & Religioso, qui sine molestia communitatis tuta conscientia subleuat necessitates, iustum videtur, & secundùm institutiones, obligationis voti paupertatis, quod faciliùs permittatur Religioso in Religionibus, (scilicet illius quibus est in more, & de Constitutione talis peculiorum permissio) recipere aliquid ex licentia, & deponere in manu Depositarij, quam quod semel concessum, & ad vsum particulare sequestratum tollere, & ad vsus Monasterij, vel alios, transferre liceat. 7

Et deinde (addit *num.* 48.) qui hoc grauiter, & attentè inspexerunt, & simul prudenter, & piè Legislatores, seu qui Leges, & Constitutiones in Religionibus primò instituerunt: & hanc potestatem auferendi à Religiosis peculium semel concessum, & pecunias semel permissas, Generalibus, & non singulis Prælatis adiudicaverunt. Primò, (vt dictum est) pro bono temporali Monasteriorum: nam Religiosi hanc facilem, & promptam peculiorum ablationem timentes, vel minori affectu, & Zelo de conservandis, non prodigendis, & habendis talibus rebus curarent, quorum Dominium Monasterium ex hoc socret habere, vel aliquorum conscientia infirma graui tentatione percuteretur, vt illicitè, & sacrilegè proprietariorum culpam incurreret. Ita Pater Fulgentius, qui argumento, suprà *num.* 1. facto, in hunc modum respondet. *num.* 49. 8

Ad argumentum, quod habetur *num.* 45. respondetur, quod si aliquibus Prælatis particularibus concedenda esset talis potestas, supremis in suis singulis Monasteriis, deberet esse iis, qui super sui Monasterij Monachos habent plenam potestatem ordinariam, & verè Prælati sunt, quales sunt Abbates Sancti Benedicti, (vt ex Authoribus manet suprà probatum, & rationibus,) sed vt constat ex locis Constitutionum, *in eodem numero* 45. prope finem, cautè & limitatè iniungitur Abbatibus moderatio supellectilium, quæ non deceant statum pauperum, & neque hoc committitur auferendum. 9

Et in sequenti citato numero, solùm dicit. Quod quando videat peculium pecuniarum, (aut depositum) excedens competentem necessitatem Monachi, quod ipsum compellat Abbas vt in supellectilibus quibus eget insumat, & in hac conformitate videmus, quod in eisdem legibus Benedictinorum, *precedenti cap.* 29. *num.* 12. loquendo de potestate, & visitatione Generalis, dicitur. Ordenamos, y encargamos apreta damante las 10

con

conciencias sobre esto, alos Reverendissimos Generales, que en sus visitas, con mucha diligencia vean, si assi Prælados, como Monjes subditos, y Frayles legos, tienen depositos, &c. no correspondientes ala sancta Pobreza, que professamos, y provenian enesto, &c. Vbi constat quod disponere, & providere circa peculium, seu depositum excessivum privativè committitur Generali. Imò & sæpè tota Congregatio diffinivit quantitatem pecuniæ, quam in peculium diversæ qualitatis Religiosi possent habere.

11 Nec contra dicta est, quod admittantur Religiosorum querelæ in Capitulis Generalibus de peculijs à Prælatis revocatis, & à subditis, qui illa habebant cum licentia ad vsum ablatis. Nam quamvis ad pecunias, depositum, seu vestes, v.g. non habeat Religiosus aliquod ius, seu dominium, nec vsum iuris, seu ex iure, & per consequens in ablatione peculij, non videatur posse recipere iniuriam, cùm contra aliquod ius quod habeant, illis non fiat: tamen est certum; quod sicut procedere contra Abbatem, vel Prælatum denegantem victum, vestitum, & necessaria ad vitam, est iustum vt si dominum servo denegantem, victum; & vestitum, puniret Iudex Reipublicæ, saltem propter subtractionem subsidij necessarij, in gravissima, vel extrema necessitate, secundùm illud Ambrosij: *Pasce fame morientem: si non pavisti; occidisti?* ita si Prælatus iudicando minus piè, & rectè, de imbecillitate, & necessitatibus alicuius Religiosi, quibus sufficienter in plurimum non subvenitur, vel ob exiguitatem reddituum Monasterij, vel aliàs, auferatur peculium, & depositum pecuniarum, iam concessum, ad huiusmodi necessitates sublevandas, vel alias pro conditione, & qualitate Religiosi, conveniri ante Superiorem posset. Habet enim ius quicumque Religiosus, licet non virtute rigorosæ, & formalis iustitiæ, ex vi naturalis æquitatis, vt quod licitè habet, & id quo eget, non subtrahatur, nec impediatur. Et deinde, quæcumque super dictam moderationem, seu ablationem peculij, sint leges, & constitutionibus in Religionibus, si contra eas faciat, aut excedat Prælatus, reus erit contra iustitiam legalem.

12 Vnde absque præiudicio voti paupertatis, nec affectu avaritiæ, aut proprietatis, potest conqueri aliquando supra iis Religiosus. Nam vt diximus, nullo modo est proprietas quoties, sive magnum, sive parvum sit peculium, deest prætensio alicuius iuris, ad illud, quod manifestatur per petitionem licentiæ, qua potestatur quis, quod non suo, sed alieno nomine, & virtute, & dominio talem rem de cuius vsu petit licentiam, possidet.

13 His tamen non obstantibus, sententia P. Fulgentij de Oviedo, mihi non probatur, quia singularis, & debilibus, & partim falsis innixa fundamentis. Quare (exceptis illis tantùm Prælatis Religionum, si quæ illæ sint, in quibus aliud, in vim Constitutionum, Diffinitionum, consuetudinive introductum non sit) omnes, & singuli Prælati, seu Superiores locales, supremi cuiuslibet Conventus, non solùm Monachales, Benedictini, & Cistercienses, sed etiam cuiuslibet alterius Ordinis, & etiam Mendicantes quicumque ex proprio munere, officio, & iuris facultate possunt subditis suis Regularibus, non solùm peculium concedere, sed etiam auferre superfluum.

Quod nulla, quoad hoc, sit differentia inter
14 nostræ Congregationis, ac Cisterciensium Abbates, & omnes alios Superiores supremos, & immediatos cuiuslibet Conventus, cuiuscumque Ordinis Monachalis, aut Mendicantis, (si aliud tamen, vti excepi, in eo cautum non sit:) efficaciter probo. Quia omnes illi respectu suorum subditorum Regularium, verè Prælati sunt, & exercere valent ordinariam; & quasi Episcopalem Iurisdictionem in eos, non minus quàm nostri, & Cistercienses Abbates in Monachos suos; & Laïcos Fratres illam habent, & exercent. Latè demonstravi in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, *num.* 95. 96. 97. 113. 114. & 133. *cum sequentibus*. Et in quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi vnitarum, *par.* 3. *q.* 13. *num.* 7. *ex cap. Abbates*, & Glossa ibi: *verbo Quasi Episcopalem, el* 3, *de Privilegiis in* 6. Tamburino Abbate *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disput.* 1. *quæst.* 8. *versic. Confirmatur; & versiculo Item, tom.* 2. *disp.* 1. *q.* 2. *versic. Suppono, & vers. Vnde, quæstiunc.* 4. *num.* 2. *disput.* 21. *quæst.* 1. *tom.* 3. *disp.* 17. *q.* 5. *& in praxi crimin. q.* 1. *&* 15. Thoma Sanchez *de Matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *disput.* 3. *num.* 9. Navarro *lib.* 1. *consilior. in* 2. *edit. tit. de temporibus Ordinationum, cons.* 36. *& in Manuali; cap.* 12. *num.* 75. Azorio *Institut. Moral. part.... lib.* 7. *cap.* 19. Suarez *to.* 2. *de Religione, lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 7. Ludovico Bello *in Consiliis, posthumus, consil.* 59. *num.* 1. Panormitano *in cap. Si quis contra Cleric. de foro competenti*, Lezana *in Summa quæstionum Regularium; tomo* 1. *par.* 1. *cap.* 18. *num.* 2. 22. 40. 49. 54. 55. 90. *&* 91. & *par.* 2. *cap.* 13. *num.* 8. 26. *&* 37. & *in tom.* 3. *de Privil. in Mari magno Carmelitarum, num.* 399. & *tom.* 4. *Consultorum, consul.* 6. *n.* 7. Pellizzario *in Manuali Regularium, tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 7. *c.* 1. *n.* 6. *& tract.* 9. *cap.* 1. *num.* 8. *& cap.* 3. *num.* 195. Castro Palao *par.* 1. *tract.* 3. *punct.* 6. *punct.* 7. §. 1. *num.* 3. & §. 4. *num.* 21. Marco Vidal *in Arca vitali, tit. de Prælatis Regularibus, n.* 5. 88. 89. *&* 91. Diana *par.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 1. Bassæo *tom.* 1. *verbo Prælatus, num.* 1. *& num.* 2. Raggio *de Regimine Regul. centur.* 2. *tract.* 2. *dub.* 114. *num.* 2. *dub.* 147. & *tract.* 8. *dub.* 157. *num.* 2. & *dub.* 158. *num.* 12. Hieronymo Garcia *in Politica Regulari, to.* 2. *tr.* 10. *diffic.* 1. *dub.* 1. *nu.* 13. Thoma del Delbene *de Immunitate Ecclesiastica, tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 19. *n.* 2. & *cap.* 19. *dub.* 3. *nu.* 4. Rota, in Vlisbonensi Monasterij, 19. *Novembris* 1625. apud Tamburinum *tom.* 3. *la* 82. coram Coccino. Sed in sententia Fulgentij de Oviedo, non solùm concessio Peculij, sed eius ablatio, aut limitatio absolutè; pertinet ad Prælatum illum, qui plenam; & perfectam ordinariam potestatem gubernandi habet: ergo non solùm concessio, sed ablatio peculij pertinet ad quemlibet immediatum supremum Superiorem cuiuslibet Conventus, & cuiuslibet Ordinis, si aliud in eo non caveatur. Et hæc consequentia verissima est, non solùm respectu Superioris, qui ex Officio talis est; sed etiam respectu illius, qui in absentia principalis, vices eius gerit: & dicitur Vicarius in capite, & apud nostros *Præsidente*. Quia eandem habet facultatem, & iurisdictionem, ac habet suus principalis, Ordinarius Prælatus. Latè etiam probavi, cum ferè innumeris Doctoribus, quos recensui in dicta Disquisitione, *num.* 99. & denuò recensere omitto, quia P. Fulgentius de Ovido, nobiscum sentire in hac parte innuit, *num.* 42. suprà, *num.* 1. allegato.

Probatur *secundò* sententia nostra, quoad omnes immediatos, & supremos Superiores locales, 15

seu

seu Conventuales, & quidem non minùs efficaciter, quàm primò probavi. Quia eo ipso, quod aliquid non sit expresse prohibitum censetur concessum, *cap. Nuper, §. In secundo, el 29. de Sent. Excomm.* & ibi Glossa *verbo Non retinuit*, ibi: & est argumentum, Episcopos posse dispensare, vbi specialiter dispensatio non est inhibita, argument. *cap. Cum apud de Sponsalibus*: & *can. Sunt nonnulli, causa 16. quæst. 1.* & concessum (addit) videtur, quod non est prohibitum, *ff. ex quibus causis maiores, leg. Nec-non, §. Quod eis.* Glossa etiam *in can. Consuluisti, causa 2. quæst. 4. verbo Superstitiosa*, sic ait. Omnia concessa intelligantur de Iure communi, nisi prohibita in certis casibus inveniantur, vt innuit, *cap. Lex divina*, & extra, *de Senten. Excomm. cap. Nuper*, & *ff. de Testibus, leg. Quæsitum, Cod. de Testibus, l. Sancimus.* Sed nullibi prohibita invenitur generaliter Superioribus Conventualibus moderatio, seu ablatio peculij suis subditis côcessi: ergo cum omnes illi potestate, & iurisdictione quasi Episcopali fungantur, moderare benè quibunt, imò & auferre superfluum peculium, à quocumque suo subdito habitum, si illis specialiter in suis Ordinis Constitutionibus, aut Diffinitionibus seu aliis Ordinationibus, vel per legitimam consuetudinem non fuerit interdicta facultas huiusmodi.

16 *Tertiò* probatur. Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. Regula Iuris est, *in cap. Omnis el 1. de Regulis Iuris*, ex D. Ioanne Chrisostomo desumpta. Sed Peculium Religiosorum nascitur, etiam in sententia P. Fulgentis de Oviedo, per voluntatem, & arbitrium cuiuslibet Superioris Conventualis, & Localis, & Præsidentis in illius absentia extra Domum: ergo per eiusdem Superioris, seu Præsidentis arbitrium & voluntatem, Peculium Religiosorum dissolvi debet: ergo in vim Iuris communis, quilibet Superior Conventualis supremus, validè, & licitè poterit Peculium subditorum quorumcumque moderatè, & superfluum auferre, si iure Municipali Religionis id ei non prohibeatur.

17 *Quartò* probatur ab inconvenienti, & absurdo, quod in plurimum sequeretur, ex eo quod solus Provincialis, aut Generalis, maximè in actu Visitationis, vt prætendit Fulgentius de Oviedo, posset moderari, aut auferre superfluum Peculium, non autem Prælatus supremus Conventus. Sequeretur enim posse Religiosum habere superfluum peculium, per spatium duorum annorum, in nostra quidem Hispana Congregatione, in qua inter vnam, & alteram Reverendissimi Generalis visitationem, dictum distat spatium, mediat tempus; & in alijs Religionibus, per longius fortè tempus. Hoc non est dicendum: ergo nec quod Prælatus supremus immediatus Conventus nequeat in plurimum moderare, & auferre peculium superfluum. Minor patet, quia habere superfluum, est intrinsecè malum in Religiosis. *Hoccine est* (verbis vtor nostri Ludovici Blosij *in speculo Monachorum, pag. 851.*) *quod Deo promiserunt, quando per sacratissimum paupertatis votum, mundo, omnibusque eius pompis, & vanitatibus solemniter renunciaverunt?* Non vtique habere superfluum Deo promiserunt, sed pauperum statum, qui solùm permittit, necessaria ad conservandam naturam, & statum ipsius pauperis habere sine quibus vita transigi non potest. Si enim secundùm probabilissimam Theologorum sententiam, non licet Sæcularibus personis quibuscumque, habere superflua, quantò minùs licebit Pauperibus illa possidere? etsi pauperibus communibus, superflua habere, non licet, quo iure, quâ conscientiâ, quâ denique fronte peculium superfluum habere quibit, qui spontè, & solemniter Deo vovit paupertatem sectari, cum independentia maxima Pastoris Ordinarij animæ suæ?

18 Dicta pro propugnanda, in communi, & respectu omnium Prælatorum Conventualium cuiuslibet Ordinis, nostra sententia, & pro contraria impugnanda sufficiant, in favorem autem Superiorum, qui supremè, & immediatè gubernant Conventus, Prioratus, Grangias, & reliqua nostræ Benedictinæ Congregationis loca, specialia nonnulla operæpretium contra Fulgentiom de Oviedo, lubens, & ex debito duxi dicere. Sit igitur.

CONCLVSIO I.

19 ABbas, & quilibet Superior Conventualis nostræ Congregationis, ab ipsiusmet Congregationis fundatione, potuit Peculium Monachorum auferre. Patet hoc assertum ex Constitutione, in limine fundationis, præfatæ Congregationis, facta *anno* 1525. ad amussim reddita *dub. 2.* præcedentij, *num. 55.* ibi. *Renuncien todos los Monges en manos de sus Prelados quantas cosas tienen para sus vso, y ansi libremente, que no tengan esperanza delas cobrar, mas que los Perlados las den à quien quisieren.* Quæ certè dispositio de Prælatis omnibus Conventualibus, & localibus loquitur, vti ex contextu illius apparet. Præcipit enim Monachis, vt semel ferias Hebdomadæ primæ Quadragesimæ, & iterum in Vigilia S. Ioannis, Mensis Iunij Prælato exhibeant memoriale omnium rerum, quas habent ad vsum, & quod huiusmodi memoriale fixum habeat Monachus, in publica parte suæ cellæ, vt videri queat à Prælato, *quando anduviere la cerca.* Quæ intelligi nequeunt, de Prælato Generali: sicut nec illud, *en manos de sus Perlados.* Quæ quidem Constitutio innovata fuit *anno* 1575. vti suprà adnotavi.

20 Patet etiam ex libro, *delas Ceremonias Vssos, y Costumbres dela Congregacion de San Benito el Real de Vallallolid, impresso en valladolid año* 1599. In quo *cap. 25.* del Lunes primero de Quaresma, *fol. 55.* sic habetur. *Y Luego todos los Monges entregan las llaues delas celdas, y arcas, en señal de que ponen allos pies del Prelado todolo que tienen ad vsum, y se desasen, y sacuden de ello, y el Abbad acepta esta renunciacion, y les buelve las llaues, permitiendolos que vsen dello como hasta alli, por espacio de ocho dias: detro de los quales les manda traer memorial duplicado, de todos las alhajas, por menudas que sean quantas tuuieren, y si deuen, o les deuen algunos dineros: para que visto por el Perlado loque cada vno tiene, si le pareciere superfluo, y que no dize bien con el estado de pobreza, se lo quite, y de alque tuuiere dello necessidad: y moderandolo en la forma que le pareciere al Abbad, firma el memorial, y bueluesele al Monge, y que dase el con el otro, para ver por el quando visitare las celdas, si ay algo mas, o menos deloque contiene.*

21 *Este dia espiran todas las licencias, que los Monges tienen para vsar deloque no les es permitido sin ella, y no pueden vsar dellas hastaque de nueuo se las buelvan a concedar, y assi el Prelado lo declare: y expressamente las suspendo y reuoca,* Hactenùs in Rituali præfato. Quod vtique in omnibus suis

dispositio

dispositionibus, maximè in modo recensitis, in viridi fuit observantia vsque ad *annum* 1633. in quo à nostra Congregatione, in Capitulo Generali aliud condidit, de quo infrà, *n.*37. vbi similem referam ritum.

CONCLVSIO II.

22 POtuit Abbas, *anno* 1639. in quo P. Fulgentius de Oviedo, suam Rempublicam Regularem typis commisit, Peculium suis immediatis subditis moderari, & auferre. Potest etiam & nunc.

Hæc conclusio probatur, primò, ex Constitutione, *suprà num.* 4. à P. Fulgentio sibi obiecta, quæ vna est ex contentis in volumine Constitutionum novissimarum, in qua statuitur, vt Abbates compellant omnes suos subditos ad exhibendum memoriale rerum omnium, quas ad vsum habent, & facultas eis conceditur, quam habere illos, probare intendimus. Sic enim dicta disponit Constitutio.

Por sertan essencial, paraque el Monge lo sea verdadero, la guarda del voto dela Pobreza, y nuestro glorioso Padre en su Regla encarga tanto a los Prelados la zelen, con cuidado, y diligencia, mandamos alos Abbades so pena de privacion de sus Abbadias, que dos vezes en cada vn año, là primera semana de Quaresma, y la primera del mes de Septiembre, hagan con effecto, que todos los Monges, y Frayles legos delos Monasterios, Filiaciones, y Prioratos, y otros annexos, aunque sean Superiores de ellos, sin exceptar ninguno, por exempto que sea, aunque sea Official dela casa, como Mayordomo, Granero, Apeador, Procurador, aunque sea Procurador General, y qualesquiera otros Officiales, y Ministros les trayan memoriales de todo el dinero, que tubieren en Deposito, o, fuera del, en deudas, o en otra maneras con los recaudos que tuuieren para cobrarlas, y los mas aderezos dexelda, Alhajas, y exnares que tuuieren en ella, ofuera della, y los lea todos de verbo, ad verbum, y no permitan que tengan Ioyas, ni piezas de oro, ni de plata, ni de otro metal precioso, saluo alguna reliquia con engaste, o guarnicion, que llegue asta cien reales de precio. Y las otras Alhajas sean conformes ala pobreza que professamos.

23 Hæc omnia, de verbo, ad verbum, continet Constitutio prima, *tit. Pobreza Monachal*, inter alias *anno* 1610. conditas: circa quam nonnulla scitu digna, advertere libuit. *Primum*, quod quoties Sanctissimus Pater noster, in Regula Sancta, de Prælatis agit, non de Generalibus, aut Provincialibus, quicquam disposuit, sed de Abbatibus tantùm, immediatis Cœnobiorum, seu Conventuum Præsulibus. Apertè Nicolaus Bravo introductione ad notas literales Regulæ, *numero* 6. & in notis *ad caput* 1. *numero* 1n. clariùs ibi. Itaque notari oportet totam Sancti Benedicti Regulam non Anachoreticum, sed Monasteriale tantùm regimen delineasse, & intra Oeconomicæ gubernationis limites detentam, nullatenus dispositiones suas ad Politicam porrigere, quæ postmodùm reductis ad Congregationem, & vnitatem, Monasteriis Ordinis, subintravit. Atque inde novas, ratione huius, politici gubernij Constitutiones superaddi Regulæ, necesse fuit, & ipsam cùm proportionne, extendi ad eas. Hæc Bravo.

24 *Secundum* est, præceptum exhibendi memoriale bis in anno Abbatibus, in hebdomadibus, in Constitutione præscriptis, limitatum esse, & restrictum, *en los ensanches, y declaraciones delas Leyes de Sahagun*, in hunc modum. *Yordenase, que alos Abbades seles de vna vez cada año por principio de Quaresma, y al Reverendissimo General cada visita vna vez. Y los que viven en los Prioratos asus Abbades, quando los visitaren sinque sea necessario presentarlos ante el Reverendissimo.* Ita in Declarationibus factis in Capitulo Generali, de *anno* 1613. confirmatis in tribus Capitulis Generalibus sequentibus, quæ in vim dictarum confirmationum, vim obtinent Legum, iuxta aliam Sancti Facundi *la* 3. *capituli secundi*; sub titulo, *Que Constituciones se han de guardar enla Congregacion, y que obligacion ponen, vers. Y si enel Capitulo*: & inter alias leges, denuò istæ habentur, editæ, de mandato Congregationis in Capitulo Generali facto *anno* 1645. & licet ibi declaretur, *sin que sea necessario presentarlos ante el Reverendissimo*: posteà tamen statutum est in Capitulo Generali, celebrato *anno* 1649. cum præcepto formali, in virtute sanctæ Obedientiæ, *que los Padres Abbades entregnen al Reverendissimo los memoriales delos Monges, que viven en los Prioratos*, sub his verbis confirmatur hæc diffinitio *anno* 1657. & *anno* 1653. illis verbis, *delos Monges, que viven en los Prioratos*; ista adduntur, *Administrando hacienda*. Vnde, qui administrationem non habent, etiamsi in Prioratibus degant, Reverendissimo Generali memoriale in actu visitationum Conventuum principaliū; quibus Prioratus sunt annexi, exhibere non adstringuntur, nec Fratres Laici quidem. Et ratio in promptu est fundamentalis. Quia hæc vltima dispositio odiosa est, & priori contraria: ergo extendi non debet ad personas, neque ad casus in illa non expressos, sed ad istos strictè, limitari, restringi.

Tertium est, quod licet in vim Constitutionis 25 præfatæ, de *anno* 1610. tenebantur Monachi, & Fratres laici in Filiationibus, Prioratibus, & aliis annexis degentes, bis in quolibet anno, Abbati Conventus principalis exhibere prædictum memoriale, iam ad id non adstringuntur, sed solùm quando loca, in quibus resident, à dicto Abbate visitantur. Demonstratur ex nova Constitutione contenta *en los ensanches*; ibi, *Y los que viven en los Prioratos, asus Abbades quando los visitaren*. Et licet hîc solos Prioratus exprimat, non autem Filiationes, & alia annexa, idem de istis, ac de illis decernete, nefas sit dubitare. Cùm, quia *taciti*, & *expressi* idem est iudicium, eadem ratio. Tum etiā; quia Lex posterior interpretari debet secundùm priorem, iuxta dicenda, *n.*29.

Quartum est, dictam Constitutionem semel, & 26 iterum Abbatibus concedere facultatem, vel potius declarare, quam de iure communi habent, ad moderandum Peculium subditorum suorum. *Primò*, ibi: *Les trayan memoriales de todo el dinero*, &c. *Secundò*, ibi: *Yno permitan que tengan Ioyas*, &c. De primo quidem, patet. Quia inutilis esset omninò exhibitio memorialis, rerum omniū, quas Religiosus habet, Abbati facta; si illas moderari, aut superfluum, & statui paupertatis Religiosæ requirent indecens auferre. Lex autem, seu Constitutio cum essentialiter, directiva sit, & obligativa (vti docet Franciscus Aunicus *in Cursu Theologico*, *tomo* 5. *disput.* 1. *num.*20.) inutilia iniungere non potest: nemo enim ad inutile adstringi queit: quia si ea, quæ sunt de consilio; quamvis

quamvis ad commune bonum dirigant, & conducant, minimè obligent, (vti idem observat Doctor, *num. 17.*) quantò minus inutilia obligabunt? De secundò, evidentiùs adhuc, ex textu constat. Quid enim aliud importare potest dispositio, *y no permitan, que tengan*, quàm quod possint auferre Abbates, *las loyas, y piezas de oro, plata, o otro metal precioso, y las otras Albajas, que los Religiosos tuvieren en sus memoriales, que no sean conformes ala pobreza, que professamos?* Nihil prorsùs.

17 Neque limitatè, (vt prætendit Fulgentius de Oviedo suadere) iniungitur Abbatibus moderatio suppellectilium, quæ non deceant statum pauperum; sed illimitatè, & satis amplè, vti ex verbis Constitutionis modò redditis evidentissimè demonstratur: & satis prudenter quidem, religiosè, & Christianè, ac cautè; (licet non cautela, quam Fulgentius intendit) & attentis potioribus circumstantiis in rebus moralibus. Videlicet *paraque el Monge lo sea verdadero. Paraque se salne. Paraque los Abbades zelen la guarda del voto dela Pobreza, como nuestro glorioso Padre les encarga tanto en su Regla sancta. Circunstancias, que infinitamente pessam mas, que las que pondera el Author, que impugno: y son el dominio, que se acresce al Monasterio, del Peculio, que conserva el Religioso hastaque el General, o Provincial selo quiten: y que el Religioso sin molestia dela communidad, con seguridad de conciencia socorra con el sus necessidades.* Sed quis non videat, vtrumque hoc salvari, etiam quando Abbas facultatem habet, & quilibet alter immediatus Prælatus moderandi, & auferendi peculium subditorum? Audeo intrepidè dicere, quod nemo.

18 *Secundò* probatur conclusio ex Constitutione 3. Sancti Facundi, *tit. Pobreza Monachal*, ibi sic ordinatur. *Encargamos mucho al Abbad. que viendo que los Religiosos estan necessitados, deloque, honesta, y monasticamente han menester assi de vestidos, como de libros de devocion, y de summas de casos de conciencia, y de Historias sagradas, de Sanctos, o de Imagines, y que tienen depositos mas quantiosos, que loquepi deel estado, officio, y obediencia, en que el Religioso sirue en la Religion, le compella a que, desu deposito, se provea deloque Iuzgare le es necessario, y bastante.* Hactenùs Constitutio præfata, in qua satis clarè Abbati committitur arbitrium moderandi Peculium Religiosorum superfluum.

19 Neque obstat solutio Fulgentij de Oviedo *suprà num. 9. & 10.* recensita, quod scilicet Abbati limitatè iniungatur moderatio suppellectilium, & depositi pecuniarum, non autem committatur illorum ablatio. Non inquam obstat. Quia in primæva Congregationis constitutione, *num. 55. dub. 2.* præcedentis recensita, expresè Prælatis omnibus immediatis Conventuum, concedebatur facultas, non solùm ad suppellectilia moderanda, sed etiam ad totum Religiosorum Peculium auferendum, sine spe, illud recuperandi. Eadem ergo censenda est Abbati concedi in novissimis Constitutionibus. Patet consequentia. Cum, quia vbi eadem est iuris ratio, eadem est iuris dispositio. Tamburinus *de Iure Abbatissarum. tom. 4. disput. 27. quæst. 2. ex l. A Titio, de Verborum obligatione.* Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 2. part. 1. tract. 8. cap. 7. num. 174 pagina* 523. Lezana, *tomo 4. consulto 21. num. 16.* & *in Turri Davidica, cap. 3. num. 50. pag. 526.* *eiusdem volum. ex l. Illud, ff. ad Legem Aquiliam, l. Si postulaverit, §. 2. ad Legem Iuliam, de Adulteriis, lege Quidam nummularios, ff. de Edendo,* & DD. ibi. Tùm, quia *taciti*, & *expressi*, idem est iudicium. Tùm, quia Lex posterior interpretari debet per priorem, vt vitetur Iuris correctio, etiamsi posterior, clausulam contineat prioris derogatoriam; dummodò tamen non sint inter se ita contrariæ, expresè, & formaliter, vt non possint simul subsistere; per aliquam limitationem, distinctionem, aut expositionem. Castrus Palaus *par. 1. tract. 3. disp. 5. punct. 3. §. 3. n. 14.* cum Barth. Ludovico, Gomez, citatis à Burgos de Paz *in l. 1. Tauri, num. 570.* & Sanchez *lib. 2. de Matrimonio, disput. 26. num. 6.* Emmanuël Sà *verbo Lex, num. 16.* Thomas Delbene *de Immunitate Eccles. par. 1. cap. 2. dub. 4. sect. 3. num. 30.* Pellizzarius *tomo 1. tract. 5. cap. 4. num. 73.* & *tract. 10. cap. 5. num. 6.* Plura de his diximus, in hoc tractatu, *disquisit. 1. dubio 14. num.* 148. ad quem Lectorem remitto meum, ne ei, eadem repetendo, onerosus sim. Tum tandem, quia omnia censentur concessa de Iure communi, quæ non sunt expresè prohibita, *cap. Nuper, §. In secundò*, & ibi Glossa *verbo Non retinuit, el 29. de Sententia Excommunicationis: ex can. Sunt nonnulli, el 25. causa 16. quæst. 1.* & *ex cap. Cum apud Sedem el 23. de Sponsalibus, lege Nec-non, §. Quod eis, ff. ex quibus causis maiores 25. annis,* Glossa *in can. Consuluisti, verbo Superstitiosa el 20. causa 2. quæst. 4.* ex *can. Lex divina, 27. quæst. 2.* ex *leg. Quæsitum,* & *leg. Sancimus, ff. de Testibus.* Glossa *in capite Excommunicamus, verbo Speciali, el 1. & 13. de Hæreticis,* Noctinot *verbo Missam applicare, num. 4.* Sed in nulla ex novissimis Constitutionibus nostræ Congregationis Benedictinæ, est expresè Abbatibus prohibita ablatio Peculij superflui subditorum suorum: ergo censetur in eisdem eis esse concessa.

Neque obstat, quod Prædictus Fulgentius *d.* 30 *num. 10.* addit. Videlicet, quod in eisdem novissimis Constitutionibus S. Facundi *cap. 9. num. 12.* quæ sequuntur disponantur. *Ordenamos, y encargamos apretadamente las conciencias sobre ello alos Reverendissimos Generales, que en sus visitas con mucha diligencia vean, si assi Prelados, como Monges sub ditos, y Frayles legos, tinen depositos, y adreços dezeldas, y otras albajas, y axuares, no correspondientes ala santa Pobreza, que professamos, y provea enello conforme ala obligacion enque le pone negocio tan en comendado por los sacros Canones, y Concilios.* Hæc ibi, & nihil ampliùs, pertinens ad commissionem Generalibus factam, circa dispositionem Peculij excessivi, quam Fulgentius dicit Generalibus privativè competere.

Non inquam obstat. *Primò*, quia quod in 31 hac dispositione privativè committatur Generalibus facultas, circa superfluum Religiosorum peculium, falsò asserit dictus Author. *Primò*, quia verba Constitutionis id non exprimunt. Verba autem Legis clara esse debent, & expressa, vt firma illa sit, & cavillationes vitentur. Textus est expressus, *in cap. Abbate, el 21. de Verborum significatione*; ibi: *Nec Lex debet esse obscura, & capriosa, &c. Secundò*, quia si Constitutio præfata excludere vellet à dicta facultate Abbates, illud expressisset. Emmanuël Roderiquez *tom. 2. quæstionum Regularium, quæst. 44. artic. 4. versic. Quartum.* Vnde si Lex velit aliquid

aliquid aliter fieri, quàm per aliam legem statutum fuerit, illud debet exprimere. Pellizzarius *tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 123. *ex l. vnica.* §. *Sin autem*, *Cod. de caducit. tollenda*, *l. Si servum*, *ff. de Acquirenda haredit.* §. *Prator*, *verbo Non dicit*, & *cap.* 6. *num.* 24. ex Suarez *tomo* 4. *de Religione*, *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 7. & *num.* 127. *citato*, ait. Quocirca præsumitur Lex aliquid noluisse, si facilè potuit exprimere, & non expressit, vt dicit Menochius *consil.* 30. *num.* 8. Vnde est tertia pro nobis ratio, quia quod Lex non exprimit, aut distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de Prаs. ff. de Officio Prasidis*, Bart. *in l. de Pratio*, *ff. de Publiciana.* Lezana *tom.* 2. *part.* 4. *verbo Leges Regularium*, *num.* 35. Pellizzarius *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 13. Thomas Delbene *de Immunit. parte* 1. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 2. & *cap.* 2. *dub.* 7. *sect.* 1. *nn.* 11. *dub.* 12. *n.* 10. Marcus Vidal *in Arca Vitali*, *tit. de Casibus reserv. n.* 18.

32 Quarta ratio est, quia sacri Canones, & Concilia non tam Generali, quàm Abbati, & Prælato Immediato Conventus commendant extirpationem proprietatis, ita vt in subditis istius non inveniatur. Constat ex *cap. Cum ad Monasterium*, el 6. *de Statu Monachorum*, ibi. Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare: ergo ex eo quod Constitutio nostra huiusmodi extirpationem, seu negotium Generali committat, non sequitur quod ad illum privativè pertineat. Quia quod alicui de Iure competit, communi, sine speciali, & expressa Pontificis licentia, & cum derogatione Iuris concessa, nequit Religio illud ab eo auferre. Cum nequeat legem condere, aut aliud quidem Decretum facere iuri contrarium, nisi Summus idem Pontifex. Videantur Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.* 1. *disput.* 5. *q.* 12. *num.* 6. & *tomo* 3. *disput.* 3. *quast.* 2. *num.* 2. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 87. Noctinot *verbo Prelati Regulares*, *numero* 27. Pellizzarius *tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 9. *c.* 9. *num.* 65. & 75. referens Navarrum *lib.* 3. *consilior. tit. de Regularibus*, *consil.* 5. *num.* 10. & Portellium *in Dubijs Regularium*, *verbo Lex*, *num.* 10. Lezana *in Summa quastionum Regularium tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 12. *num.* 3. & 6. cum Navarro *tom.* 1. *consilior. tit. de Constitutionibus*, *consil.* 9. *num.* 14. Suarez *de Legibus*, *lib.* 4. *cap.* 19. Castellino *de electione Canonica Prалatorum*, *cap.* 1. *n.* 3. Emmanuël Roderiquez *tom.* 3. *quastionum Regularium*, *quæst.* 17. *art. vltim. versic. Nec contra.* Laurentius de Peyrinis *de Privilegiis*, *tom.* 1. *ad Constitutionem Archiepiscopi Pyrrhi*, §. 2. *num.* 6. & §. 4. *num.* 10. cum dicto Navarro *lib.* 3. *Consilior. tit. de Regular. cons.* 24. *num.* 4. & habetur expressum *in cap. Super his*, *de Maioritate*, & *obedientia*, vbi Panormitanus, & alij Canonistæ, & *in cap. Institutionis*, *causa* 25. *quast.* 2. Ioannes Andreas *in cap. fin. de Appellationibus*, *libro* 6. & *cap. fin. de Officio Archipresb. n.* 7. Rota *in Vicario stella*, *anno* 1659.

33 Placuit tamen recensere, quod benè Peyrinus, loco addit allegato. Videlicet posse Capitulum generale Constitutiones Iuris communis declarare, innovare, & vbi pœna deficit, apponere, vel veterem pro rationabili causa augere. Quia hoc non est ius commune subvertere, sed illud adiuvare, quod licitum esse dicitur, *in cap.* 1. *de novi operis nunciatione.* Potest etiam ad correctionem morum ius commune supplendo, statuta facere præceptoria, prohibitoria, atque pœnalia. Quod habetur *in cap. Prodest*, 23. *quast.* 5. Docetque Ioannes Andreas *dicto cap. fin. de Offic. Archipresbyteri*: & eo ipso quod sunt prædicto modo facta, sunt (inquit Peyrinus) Apostolica auctoritate confirmata, per Privilegium Clementis VII. Congregationi Clericorum Regularium, & Pauli III. Societati IESV, vt refert Peregrinus *prima parte sui Compendij*, *tit. Constitutiones.*

Nec de hoc quis mirari debet, quia Capitu- 34
lum Generale non solùm potest adiuvando dicto modo Ius commune, pœnas apponere, sed idem facere valet in Iure divino, positivo, & naturali, vti Peyrinus docet cum Massobrio *in Praxi*, *tract. de Synodo*, *dub.* 48. & colligitur *ex cap. A nobis* el 1. *de Sententia Excommunicationis.* Nec solùm id potest Capitulum, sed in solidum Generalis, Provincialis, & Prælatus localis efficere benè valet, vti cum Massobrio, docet Peyrinus, & colligitur *ex d. cap. A nobis.*

Quinta ratio est, quia quoties alicui de novo 35
facultas aliqua, seu Iurisdictio conceditur, nisi appareat de contraria mente concedentis, conceditur commutativè, non privativè respectu illius, qui anteà iure saltem ordinario illam habebat. Pellizzarius *tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 4. *sect.* 4. *num.* 116. cum Bordono, & Cespedes. Paulus Layman *in qq. Canonicis*, *quast.* 208 quos sequutus fui, in quæstionibus Pastoralibus *part.* 1. *quast.* 2. *divisione* 1. *num.* 9. Rota in vna Montis-Regalis Iurisdictionis, coram Coccino *la* 316. inter eius impressas: & apud illam, Romanus, *cons.* 393. *à num.* 1. & ibi Addit. Felinus *in cap. Pastoralis*, *num.* 1. & *seqq.* & Rota ex sententia sacræ Congregationis Concilij interpretis, in causa Pisciens. Iurisdictionis, 15. *Iuny* 1590. coram Plato. Idem dicit Rota coram Pennia 24. *Novembris*, *de anno* 1593. in eadem causa Pisciens. Iurisdictionis, inter eius impressas, *tom.* 1. *la* 336. *fol. mihi* 243. vbi allegatur Bartholus *in lege* 1. *Cod. de Officio Prafecti Vrbis*, & *in l.* 1. §. *Hoc autem edictum*, *num.* 7. *ff. de Novi operis nunciatione*, & *in lege Sanctio Legum*, *ff. de Pœnis.* Baldus *in lege vnica*, §. *Vbi autem*, *num.* 6. & 7. *Codice de Caducis tollendis.* Aretinus, *consilio* 102. *incipit Spectabilis Domine*, *num.* 1. Ancharanus *consilio* 164. *numero* 5. *versiculo Nec ex eo quod populus.* Decius, *consilio* 3. *numero* 3. Iason, *in lege Quod in rerum*, §. *Si quis post*, *numero* 7. & *sequentibus*, *ff. delegat.* 1. vbi latè dictus Aretinus. Abbas, *in capite Caterùm*, *numero* 7. Felinus, *ibi*, *numero* 4. & communis Canonistarum *ibidem*, el 5. *de Iudicis.* Cardinalis *in Clementinam* 1. §. 1. *numero* 4. & 5. *de Hareticis*, Ancharanus, Geminianus, Francus, & cæteri communiter *in capite Per hoc*, *eodem titulo de Hareticis in sexto*, Angelus *in lege Testamenta*, *Codice de Testamentis*, quem in hac commendat materia, Aretinus. Sed iure Ordinatio, tam communi, quàm municipali Religionis, ante, & post Legem concedentem Generalibus facultatem, circa superfluum peculium Religiosorum, illam habuerunt Abbates: ergò cumulativè conceditur illa Generalibus, non verò privativè.

Tertiò probatur conclusio, del Ceremonial 36
Monastico nuevamente dispuesto por el Capitulo General, que se celebro el *año de* 1633. impresso, y publicado el *año de* 1635. in quo *part.* 1. *sect.* 5.

cap. 7. del primer Lunes de Quaresma, numero 8. pag. 124. sic ordinatur. Legue los Monges entregan todas las llaues, que tuuieren, poniendolas enel suelo estando descubiertos, en señal deqoe dejan à los pies del Prelado quanto tienen de sa siendose de todas las cossas, que seles permitia vsar: y este acto ha de ser muy de Corazon. El Abbad aceta esta humilde renunciacion, y les manda que tomen las llaues, permitiendoles, que vsen de todo quanto tenian ad vsum, como hasta entonces, per espacio de ocho dias, dentro de los quales les manda haçer memoriales duplicados delas Alhajas, poniendo a todo su verdadero nombre, y si deven, o les deben algunos dineros, o tienen carga de Missas, y otras cosas semejantes. Mirara el Prelado el Memorial, y si las licencias, que enel se piden son Iustas, firmara el vno, y sino, las moderara, y dara al Monge el memorial, que firmo, quedan dose con el otro firmado del Monge, para por el ver, quando visita las celdas, si ay algo mas, o menos delo que contiene: y de ninguna manera firme el memorial sin leerle; porque en esto ay graves inconvenientes. Este dia espiran todas las licencias, qoe los Monges tieneo, y no pueden vsar de ellas, hasta que de nuevo se les buelvan a conceder; y assi el Abbad lo declare, y expressamente las suspenda, y revoque.

38 Hactenùs Rituale præfatum, antiqnom de *anno* 1599. *suprà, num.* 20. *&* 21. redditum, imò & antiquas, ac novissimas Ordinis Constitutiones, iam etiam à nobis recensitas, innovando. Adnotanda veniunt pro nostræ Conclusionis veritate demonstranda, verba illa: *Y si las licencias, que enel se piden son Iustas, firmara el vno, y sino las moderara.* Et illa: *Este dia espiran todas las licencias.... y expresamente las suspenda, y revoque.* Iunctis illis: *permitiendoles, que vsen de todo quanto tenian ad vsum, como hasta entonces, por espacio de ocho dias.* Ex quibus convincitur, qood clausula, quam primò adnoto, quoad licentiarum moderationem, non solùm de aliis, sed à fortiori de licentia habendi peculium superfluum, intelligenda veniat. Si ergo *anno* 1655. Rituale præfatum nostra Congregatio publicavit, quomodo vera erit Fulgentij de Oviedo doctrina, nondum in publicam lucem edita, nec à Censoribus visa, ante *annum* 1638. in qua asserit privativè committi Reverendissimo Generali, disponere, & providere circa peculium excessivum Religiosorum, & in actu visitationis?

39 Tandem probatur. Quia non obstante super inducta, aut succedente subiectione, per quam Abbas Conventualis subest limitationibus ritè, & iure factis Superiorum; nihilominùs quandiù talis limitatio expresè non ponitur, Abbas sui officij authoritate expeditè gaudet. Nicolaus Bravo, in introductione ad ootas literales Regulæ S. P. N. Benedicti., *art.* 11. *num.* 7. authoritate Tamburini *tom.* 3. *disput.* 4. *q.* 7. Cardinalis Turrecrematæ, *tract.* 139. *in dictam Regulam* Bartholomæi à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 6. *quæst.* 129 & Iodoci Lorichi *in Thesauro, verbo Abbas, num.* 12. & aliorum. Et quod de Abbate Conventuali dicimus (addit Bravo) respectu suorum Superiorum, idem dicendum est de alijs Superioribus, respectivè, & subordinatè.

CONCLVSIO III.

NOn solùm Abbates nostri, immediati Conventuum principalium Prælati, sed qoilibet Abbas Filiationis, Prior Conventualis Prioratus, & Grangiæ Superior, & in eorum absentia, Præsidens, seu Vicarius in capite, propriâ ex authoritate, moderari potest superfluum subditorum suorum peculium, & auferre. 40

Probatur *primò* conclusio, Supponendo quod quilibet ex recensitis in ea, est verè Prælatus, & Dignitas, iuxta doctrinam, Ascanij Tamburini, *de Iure Abbatum, tom.* 3. *disp* 9. *quæst.* 3. *nu.* 13. 14. *&* 15. *ac* 16. Caroli Malleri *tom.* 1. *de Sacramentis, malleatione* 45. *Bractea* 8. Lezanæ *to.* 1. *par.* 2. *cap.* 13. *num.* 41. Glossæ *in Clem. Et si principalis, verbo Ista Clementina, la* 2. *de Rescriptis,* Abbaris, *in cap. Nisi, de Prabendis,* quos, & alios sequutus fui, in Disquisitione Pastorali de Iore prioris annexi. Habètque Iurisdictionem ordinariam spiritualem, & remporalem Tamburinus *dicto num.* 54. Suarez *tom.* 2. *de Religione, lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 7. latè docui in dicta Disquisitione. Et tanta est, quanta Abbaris Iorisdictio, & potestas. Eugenius Papa IV. *in Bulla* 48. *nostri Bullary.* Et non obscurè in Constitutionibus nostræ Congregationis, in Conventu S. Facundi editis *cap.* 3. *num.* 18. *c.* 34. de la Pobreza Monachal, *num.* 9. *cap.* 57. *n.* 1. *&* 5. in Diffinitionibus Capituli Generalis, *de anno* 1653. §. 1. *num.* 8. ibi. Yten se declara que los Monges, y Frayles legos, que viveo en qualesquiera Prioratos, esten sujetos, en todo, y por todo alos Priores, y Superiores de ellos, assi en el gastar, y salir de casa, como en las demas acciones, que poeden caerde baxo de obediencia, como, y dela manera, que estan sujetos a sus Abbades los demas Monges, que viven en los Monasterios principales. Quæ quidem Diffinitio, inter alia dicti Capituli, fuit confirmata, in Capitulo Generali 1657. §. 2. *num.* 45. sub hoc reniore. Iten se difinio, que los Monges, y Frayles legos, que viven en los Prioratos, esten sujetos à los Abbades los demas Monges, que viven en los Monasterios principales. 41

Et quod tanta sit istorum Superiorum Iurisdictio, & potestas, quanta ipsorùm Abbatum, docet Abbas Tamburinus *dicto num.* 16. & Rota *in Aquens. Monasterij,* 31. *Maij* 1568. coram Lancellotto, apud præfatum Tamburinum, *eodem tomo la* 9. *pag.* 303. vbi ita fatur. Propterea præpositura, quæ habet eandem dignitatem, sicut Abbas, vt notat, Abbas *in cap. Cum illorum, colum.* 3. *num.* 13. *versic. In Glossa, in verbo Abbatem, de Sententia Excommunicationis,* Sylva *do Beneficiis, quæst.* 2. *numero* 38. Decius *consilio* 161. *colum.* 1. *versiculo Quartò facit:* & *in cap. Decernimus, colum.* 3. *versiculo Et quod dictum do Iudiciis:* Chassanæus *de Gloria mundi, part.* 4. *consider.* 36. & paulò post ait Rota. Sicut etiam videmus in Priotatu, qui licet aliàs sit dignitas, sicut Abbatia, Doctores *in cap. Nullus, num.* 6. *versic. in fine:* Glossa *de Electione in* 6. Felinus *in cap. Insuper, in* 2. *notabili, de Maioritate, & obedientia.* Rip. *in cap.* 2. *numero* 3. *de Iudicijs.* Sylva *in dicta quæstione* 39. Chassanæus *in dicta considerat.* 36. Archidiaconus *in cap.* 2. *colum.* 2. *in principio, versic. Scias, de Prebendis, num.* 6. & ibi Ioannes Andreas *colum.* 2. *versic. Sed hoc.* Geminianus, *ibidem, colum.* 2. *n.* 10. *versic. Super secundò.* Cardinalis *in Clementinas, quæst.* 7. *de Rescriptis.* 42

Quæ

43 Quæ tamen doctrina vera solùm est, quando Prior, Conventum, seu Collegium habet. Si enim Collegio careat, caret & Prelatia, ac dignitate, sicut caret Abbas, si subditum saltim vnum non habeat. Quod de Abbate quidem decidit Rota in Aquensi modò citata, ex Hostiensi, & Panormitano, *in cap. Nisi essent, num. 6. in fine de Prebendis*. Imola, *in Clement. Etsi principalis, num. 21. de Rescriptis*. Et Vitalino ibi. *num.* 4. Consultò dixi: si subditum saltem vnum non habeat. Quia Conventus, seu Collegium Ecclesiasticum; per duas sufficienter personas constituitur. Expressè decernitur à Ludouico Papa, *in cap. Nullus, d. t. de Electione. Nullus* (inquit) *in Ecclesia, vbi duo, vel tres fuerint in Congregatione, nisi eorum electione Canonice Presbyter eligatur*. vbi Glossa, *verbo Duo*, ita fatur. Nota, quod duo faciunt Congregationem: vt hîc; tres Collegium, *vt ff. de verborum significatione. l. Neratius*. Glossa etiam in *cap. Gratum, verbo Pauciores el 2. de Postulatione Pralatorum*, ibi. Tu dicas; quod vnus solus potest eligere, & ius eligendi remanet in vno solo, per iura primò inducta. Videlicet *l. sicut municipij in fine. ff. Quod cuiusque vniuersi. Et can. Si forte 65. dist.* & in fine sic ait dicta Glossa. Alia iura, quæ dicunt; quod desinit esse Collegium, non contradicunt: quia licet Collegium desinit esse Collegium omnibus mortuis, præter vnum: nihilominus in collegij, siue vniuersitatis remanet in illo; per legem, *Sicut municipij §. vlt.* Et hoc dicunt Laurentius, Vincentius, & Tancredus. Hactenus Glossa, & Ioan. Andreas in marginali ei consonat, dum ait. Puto tamen, quod iste vnus possit à Superiore petere, vt Ecclesiæ prouideat. Glossa item *in cap. Nobis, verbo in Conventuali, el 25. de Iure patronatus*, ait. Tamen in vno retinetur ius collegij. Et in cap. Si *forte, eo; verbo, eodem el 9. dist. 65.* ita fatur Glossa. Hoc caput ad hoc semper consueuit induci, quod vniuersitas ster in vno, *vt ff. quod cuiusque vniuersitatis, l. Sicut...* Vnde dico, quod si omnes peccent præter vnum, quod ille solus potest eligere.

44 Quo circa; Barbosa, *tom. 1. verbo, electio nu. 7.* ait: licet Collegium Ecclesiasticum non possit constitui in vno, quia ius ciuile requirit saltem tres; Canonicum autem duos; constitutum tamen semel in multis, potest totum ius Collegij venire ad vnum, & conseruari in illo. Et *versic. Sed petes*, docet, quod si duo tantùm sint in Collegio, vnus potest alterum eligere: & quod hîc erit electus à toto Collegio, si alter (eligendus scilicet) suo eligendi Iuri cedat. Quod etiam docet Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de electione, num. 27.* Layman *in qq. Canonicis de Prelatis Ecclesiasticis, quæst. 18.* ex Ioan. Andr. *Regula 80. lib. 6.* ex Glossa *in l. Neratius, la 85. de Verborum significatione*, & in *l. detestatio la 40. ff. eod. tit.* Pasqualigus, *decis. 235. n. 4.* Diana, *part. 10. tract. 13. resolut. 33.* Si igitur totum ius Collegij potest venire ad vnum, & conseruari in illo, poterit & dignitas, ac Prælatia in Priore conseruari, si vnum tantùm habeat subditum.

45 Probatur igitur *primò* Conclusio. Abbas Filiationis, Prior Prioratus, & Grangiæ Superior, verè Prælatus est, & dignitas, cum Iurisdictione in vtroque foro, eadem omnino, quâ pollet Abbas principalis Conventus, cui huiusmodi loca annexa reperiuntur. Sed vti P. Oviedo docet, non solùm concessio peculij, sed eius limitatio, & ablatio absolutè ad Prælatum pertinet illum, qui plenam, & perfectam gubernandi potestatem habet ordinariam: ergo absolutè ad Abbatem Filiationis, Priorem Prioratus, & Grangiæ Superiorem immediatum pertinet.

46 *Secundò* probatur. Eo ipso, quod aliquid non sit expressè prohibitum alicui, maximè habenti Iurisdictionem ordinariam pro vtroque foro, censetur illi concessum, vti prolixè *num. 15. & 29.* ostendi. Sed nullibi prohibitum reperitur Abbatibus Filiationum, Prioribus, & Superioribus aliorum annexorum, quod peculium superfluum subditorum suorum moderentur, & auferant: ergo illis concessa censetur hæc moderatio, & ablatio.

47 Probatur *tertiò*, Prædicti Abbates, Priores, & Superiores possunt subditis suis peculium concedere: ergo illud moderari possunt, & auferre. Antecedens verùm etiam est in sententia Authoris, quem impugno. Consequentia autem, legitimè ex eo infertur: quia omnis res, per quascumque causas nascitur, per eas dissoluitur, *cap. Omnis, el 1. de Regulis, Iuris.*

48 *Quartò* probatur ex Diffinitionibus, *num. 41.* recensitis, in quibus, disertis verbis declaratur; que los Monges, y Frayles legos, que viuen en qualesquiera Prioratos, esten sujetos en todo, y por todo alos Priores, y Superiores de ellos, assi enel gastar, &c. como y dela manera, que estan sujetos asus Abbades los demas Monges, que viuen en los Monasterios principales. Sed isti Monachi ita suis subiiciuntur Abbatibus, vt isti bene valeant superfluum auferre peculium, *vti Conclusione 2.* demonstraui: ergo eodem modo, ac pari subiectione Monachi, & Fratres in Prioratibus degentes, Prioribus, & Superioribus eorum subiiciuntur, quoad facultatem maximè peculium auferendi superfluum. Alias enim, *no estarian sujetos en todo, y por todo, como y dela manera que estan sujetos asus Abbades los monges, que viuen en los Monasterios principales.*

49 *Quintò* probatur ab inconvenienti. Quia si immediatus Superior Prælatus Filiationis, Prioratus, & Grangiæ moderari, aut auferre non posset superfluum peculium subditorum suorum; sequeretur posse istos superfluum per integrum retinere quadriennium, & forte per longius tempus, quod in annexis degant: maximè si Prælati Conventuum principalium, dum annexa visitant, id efficere non valeant, vti P. Oviedo supponit, hanc facultatem Generali soli adiudicando; & in actu visitationis. Consequens necessarium est: quia Generalis annexa Conventuum principalium, in quibus Monachi per multa annorum curricula resident, nunquam visitant, nec visitare possunt: nec Iurisdictionem immediatam in ea, & in eis degentes exercent, aut exercere quidem valent, nisi in actu visitationis Conventus principalis: & ad summum, quando extra Prioratum, Grangiam, vel Monasterium in quo degunt, delinquunt, & quando quis illorum, contra ipsum delinquerit Reverendissimum Generalem, vti patet ex Constitutionibus S. Facundi, *las. 7. 12. & 13. tit. Iurisdicion, y poder del General, cap. 24. & Constitut. 1. 2. tit. Prioratos, cap. 57.* & quando Generalis, Conventus visitat principalis, etsi cognoscere valeat de causis, in annexis degentium; de illorum tamen peculiis, qui bonorum administrationem non habent, de facto non cognoscit, vti *suprà num. 24.* ostendi: ergo si Prælatus Superior immediatus filiationis, Prioratus, aut alterius annexi; & à fortiori, si Superior Conventus principalis auferre non posset peculium superfluum de-

gentium in annexis, necessariò sequeretur inconveniens illud, quod possent illi per multa annorum curricula, & fortè per totam vitam possidere, seu habere superfluum.

50 Ea, quæ docuimus, non parum illustrat Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, Fundam.* 43. In quo varia Theologorum axiomata exponit. Quinquagesimum secundum, sub *num.* 1120. sic lego. *Monachi correctio in prima instantia ad Abbatem spectat.* Layman *lib.1.tract.5.cap.7.num.2.* Hæc Regula proderit intellecturis quæstionem ante aliquot annos iterum, iterúmque inter Abbatem Mentis Santi in Bavaria, & Episcopum Principem subortam. Monasterium enim illud exemptum non est, & cum Abbas interrogaretur à Principe; Quisnam esset in illo Monasterio Superior? *ego, ait, & immediatè nullus alius. Nam vestra celsitudo est meus visitator, qui nihil potest meis Monachis extra visitationem præcipere; sed mihi; ego enim vestræ Celsitudini subdor, salvis tamen privilegiis meis, & Iure Ordinis; at Monachi subduntur mihi.* Et quidem vniversa verissimè, & prudentissimè; non enim in Monasteriis non exemptis habet maiorem authoritatem Episcopus, quàm haberet Ordo, si essent exempta, & apud Cistercienses, & reliquos Benedictinos, Monachi non subduntur immediate Provinciali, aut alij cuicumque Superiori; sed suo Abbati: ergo nec immediatè subduntur Episcopo, in non exemptis. Stat igitur, Monachi correctionem in prima instantia pertinere ad Abbatem, (siue exemptis sit, siue non sit) & in genere appellationis, si hæc licet (in multis enim Congregationibus nulla permittitur; & in nulla permittitur, de re, quæ non tangat honorem grauiter) posse causam à Visitatore Monasterij recognosci. Hucusque omnia ad amussim noster doctissimus Caramuël.

DVBIVM IV.

An Religiosus, qui de licentia Prælati, aut totius Conventus, superflua scienter habeat, proprietarius sit, aut contra votum paupertatis peccet? idem quæritur de superfluè, aut in profana, quantitatem considerabilem expendente. Et an pœnas incurrat Proprietariorum?

BREVIARIVM.

Avaritia.

Est inordinatus appetitus temporalium, n. 22.

Ex genere suo, Venialis culpa est avaritia, n.22.

Mortalis non est, nisi quando propter divitias consequendas, aut retinendas, quis violare paratus est, præceptum ad mortale obligans, n.22.

Avaritiæ peccatum, ex se non committit subditus, licentia Prælati ad superflua vtens, n.21.22.

D. Bernardus.

Contra eos, qui de bonis Ecclesiæ, præter victum, & vestitum aliquid retinent, D.Bernardi sententia refertur, num.26.

Bona Monasterij.

Conventuum bona, à Prælato expendi debent in Dei cultum, Monasterij vtilitatem, & in eleemosynas: non solùm de superfluis, sed etiam de non superfluis: prudenter tamen iuxta Conventus facultatem, num.24.

Liberalitas.

Est virtus inclinans ad expendenda bona, quando necessitas, & ratio id postulat, n.23.

Licentia.

Quæ nulla est, & iniusta, nullum verum effectum parere valet. Perinde enim se habet, ac si nihil esset, numer.18.35.

Paupertas Religiosa.

Paupertatis votum tria includit. Abdicationem proprij. Prohibitionem eorum, quæ statui repugnant pauperum. Prohibitionem vsus rerum ad vitam humanam necessariarum, independentis à Prælati voluntate, num.2.

Peccat contra votum, qui superflua habet, aut expendit de licentia iniusta Prælati aut Conventus, num.7.8. 13.

Et restituere tenetur, n.13.14.

Mortaliter peccat, qui scienter superflua habet de licentia Prælati, aut Conventus, n,16.

Item, qui superfluè, aut profanè insumit, nisi parvitas excuset materiæ, n.25.

Licentia nulla, nullum parit effectum, n.18..35.

Prælatus licentiam ad superflua concedens peccatum infidelitatis committit, n.21.

Non potest sibi maiorem veniam, quàm subdito concedere, contra, n.14.19.36.

Stare potest Religiosus Superioris arbitrio, quoad superfluitatem rerum habendarum, & insumendarum, nisi de arbitrij constet excessu, attentis circunstantiis, num.1.

Votum paupertatis non frangunt Religiosi Ordinum Militarium, superflua habentes, aut expendentes; testari tamen non possunt, n.8.

Peccatum contra votum paupertatis latius patet, quàm peccatum proprietatis, n.10.

An peccet mortaliter Religiosus de licentia Superioris in sua retinens cella, arma, monilia, vestes sericas, & alia statum Religiosum dedecentia? n.11.

Et an illa in Deposito ad bonum finem retinens? numer.12.

Paupertatis votum violat Religiosus, qui tribuit aliquid meretrici ob turpia: & qui ludo, illud exponit, num.14.

Duplex in vtroque casu committit peccatum. Vnum, ob actum illicitum: aliud, contra votum, n.14.

Pœna.

Omnis pœna grauis temporalis, signum est obligationis ad mortale, sed non pœna leuis, n.16.

Pœna proportionari debet culpa, n.16.

Prælatus.

Regularis Prælatus non est Dominus rerum, quas subditi habent, aut Conventus, sed fidelis earum dispensator, n.14.15.

Maiorem licentiam insumendi illas non habet, quàm potest subditis concedere, n.14.19.36.

Prodigalitas.

Opponitur per excessum avaritiæ: & consistit in defectu conservandi, & excessu erogandi, n.23.24.

Ex genere suo venialis est, n.24.

Mortalis verò, quoties exercetur in præiudicium Creditorum, filiorumve, aut gravium necessitatum Reipublicæ, vel proximorum, quibus subvenire tenetur de superfluis, o.23.24.

Item mortalis est quoties bona Ecclesiastica, piis causis obnoxia, profunduntur. ibid.

Prodigalitatis vitium incurrit Religiosus superflua insumens, etiam de licentia Prælati, aut Conventus, numer.23.

Proprietas.

Proprietas.

Proprietarium non esse Religiosum, qui de licentia Prælati, aut Conventus superflua habet, aut insumit, etiam in turpia, probabile est, n.6.27.28.

Probabilius est contrarium, n.29.

Proprietarius est, non solùm qui propria authoritate aliquid vsurpat, aut expendit, sed qui pretio æstimabilibus, tanquam suis vtitur: & qui ita se habet circa illa, in acquisitione, habitione, aut vsu, ac si esset illorum Dominus, siue subditus ille sit, aut Prælatus, n.29.

Proprietariorũ pœnas incurrere, qui de licentia Prælati, aut Conventus, superflua recipit, habet, vel in profana expendit, probabile est, n.30.31.32.

Probabilius tamen est illas non incurrere, saltem per principia extrinseca, n.33.34.

Idem dicendum de Prælate malè, & superfluè recipiente, habente, aut expendente, n.36.

Regulæ.

Nemo potest plus Iuris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur, n.19.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit, num. 19.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, numer. 19.

Restitutio.

Restituere tenetur pecunias, qui illas accepit, impensas à Religioso, in vana, & superflua, etiam de Prælati licentia, n.13.14.

Status Religiosæ perfectionis.

Per obligationem trium votorum constituitur, o.19.

1 CONsultò *Scienter*, in quæsito addidi. Quia Religiosus tuta conscientia stare bene valet Superioris arbitrio, quoad superfluitatem rerum habendarum, & quoad eorum convenientiam, & exigentiam; nisi de arbitrij constiterit excessu, habita ratione personæ, Officij, Regulæ, status, & aliarum circunstantiarum; imò & huiusmodi arbitrio stare debet. Ita Antonius Naldus, *in Summa, verbo Religiosus, n.* 30. Bartholomæus à Sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.*8.*q.*198. & patet ex Declaratione S. Congregationis, quam *dub.*2. *num.*23. reddidi. Difficultas igitur est, An proprietarius sit, vel contra votum paupertatis peccet, qui cum excessu arbitrij cognito, superflua habet. Et idem, dubio procul, erit, si superfluè expendat, aut in res, quæ statum dedecent Religiosum.

2 Pro exacta Difficultatis propositæ resolutione, supponere operæpretium duxi, votum paupertatis duo includere: abdicationem scilicet proprij, seu prohibitionem vitij proprietatis; & prohibitionem etiam eorum, quæ pauperum statui repugnant. Ita Cardinalis de Lugo, *de Iustitia & Iure, tom.*1. *disp.*3. *sect.*7. *num.*132. Ioann. Martinez de Prado, *tom.*2. *Theolog. Moral. cap.*21. §.4. *nu.*28. *versic. Ratio.* Vbi tertium addit, prohibitionem scilicet vsus rerum, quibus indigent ad vitam humanam, nisi ex arbitrio Prælati, sic enim ait. Votum obligat semper iuxta intentionem voventis: illi autem, qui in Religione emittunt hoc votum, non solùm intendunt abdicare à se omne ius, sed etiam imitari statum pauperum, ita vt careant his rebus, quibus indigent ad vitam humanam, nec iis vtantur, nisi ex arbitrio Prælati.

3 Vnde non omne peccatum contra votum paupertatis, peccatum proprietatis esse insinuant: videtur, vti aliqui insinuant: de quorum numero est, Laurentius de Peyrinis *tom.*1. *de subdito, q.*2. *cap.*2. §.9. *quæst.*5. *pag.*178. Vbi inquirit, An Religiosus habens multa de quibus constat, quod sint superflua, de Superioris licentia; paratus tamen omnia in manu Superioris resignare, cum fuerit requisitus, nec de illis disponere absque Prælati licentia, sit in statu peccati mortalis contra votum paupertatis? Et respondet, quod tàm Prælatus concedens, quàm subditus retinens, peccat mortaliter, non tamen peccato proprietatis. Et noster Folgentius de Oviedo *in Republica Regulari. par.*1. *tract.*9. *cap.*1. *quæst.* 5. *num.*39. *in fine*: ibi: quare licet cum licentiâ legitimi Prelati (non vi, aut fraude extorta) habens hæc omnia (superflua scilicet, quæ modo adnumeraverat) non frangat directè votum, siquidem aliquod Ius non prætendit &c. vbi ius non prætendere, reddit pro causali non Frangendi votum paupertatis; ius autem prætendere, proprium prætendere est, vti ex dictis suprà *dub.* 1. constat. Consultò addidi: *videtur*: quia aliquorum est sententia docentium violari aliquando paupertatis votum, absque eo, quod proprietatis vitio peccetur. Quod tamen non est omnino certum: quia etiam proprietatis actum exercere videtur, non solùm, qui proprium prætendit, & qui rebus vtitur ex proprio arbitrio, sed qui ex Superioris arbitrio, res, quæ statui repugnat pauperum possidet, quia illas habet tanquam suas, aut expendit. De quo infrà, *num.*14.15.29.

Quo, pro mea sententia supposito; quid alij sentiant, libuit etiam præmittere. In primis igitur occurrit Pater Antoninus Diana, *par.* 3. *tract.*2. *de Dubiis Regularium, resolut.* 34. *versic. Notandum est.* Inquirito enim, An posset fieri legatum alicui Religioso professo cum conditione, vt nihil acquiratur Monasterio? Sic respondet. Affirmatiuè respondeo cum Homobono de bonis, *in examine Eccles. par.*2. *tract.*9. *c.*8. *quæst.*21. vbi sic ait. Etsi donatio causa mortis, vel legatum factum Religioso professo cum conditione, vt illud habeat independenter ab eius Prælati voluntate, validum non sit, cum hoc omnimodò paupertatis voto adversetur; subsisteret tamen si relinqueretur, ita vt nihil Monasterio acquiratur: quia legatum illud intelligendum est, vt Religiosus illud habeat, oculis Prælati conniventibus, qui si illam licentiam dare nolit, relictum expirat. Ita ille, & ante illum Molfesius, *in Summa tom.*1. *tract.*7. *cap.*20. *n.*50. Vincentius de Franchis, *decis.* 718. Rodriquez, *tom.*2. *quæst.*125. *art.*2. & alij. 4

Notandum est tamen, quod illa Verba, *vt nihil Iuris Monasterio acquiratur*, interpretanda sunt, vt cum licentia Superioris illud legatum in vsus licitos, & honestos, vt vestimentorum, & librorum, &c. convertat, licet indirectè hoc in ipsius Monasterij commodum redundet; non tamen intelligenda sunt, vt ille ad libitum, & quomodocumque etiam cum licentia Superioris disponere possit; nam ita faciens, esset proprietarius; nec Prælatus illam licentiam dare potest. Hucusque Diana. Ex cuius vltimis verbis deprehenditur, in ea fuisse sententia, vt Religiosus, qui licentia vtitur à Prælato ad dedecentia ad statum Religiosum concessa, proprietarius sit. Illam tamen non probat, pro more suo. 5

Secunda sententia docet Religiosum subditum, de licentia Prælati, vel Conventus, quamtumuis iniusta, & nulla, superflua habentem, & superfluè aut irreligiosè expendentem, proprietarium non esse. Hanc tenent Noster Abbas Panormitanus, *in cap. Cum ad Monasterium, num.*8. *ad principium*, ibi. 6

ibi. *Vnde dicitur el 6. de statu Monachorum.* D. Antoninus, *in Summa maiore, part. 3. tract. 16. cap. 1. §. 11. in fine versic. Nota Septimò.* Sylvester, *in Summa, Verbo Religio 6. quæst. 7. versic. Quartum*, cum Ancharrano. Cardinalis Alexandrinus, & Vmbertus, quos recenset noster Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disp. 22. quæsito* 8. *num.* 7. & Turrecrematam, *in cap. Non dicatis. causa* 12. *q.* 1. Iacobus de Graffis, *in decisionibus aureis, par. 1. lib. 3. cap. 5. num.* 48. *&* 61. Ioannes Azorius, *in institutionibus Moralibus part. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 5.* Laurentios de Peyrinis, *tom. 1. de subdito, quæst. 1. cap. 2. §. 9.* Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, par. 1. tract. 9. cap. 1. quæst. 5.* Cardinalis de Lugo, *de Iustitia & Iure, tom. 1. disp. 3. sect. 7. n.* 132. *versic. Fateor etiam*, cuius verba infrà reddam. Pellizzarius *in Manu. tract. 4. cap. 2. sect. 3. num.* 217. cum Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 12. num.* 11. eo ductus, quod licentia data sine causa, adhuc est valida, & tenet, & *num.* 222. cum eodem Suarez, *dicto lib. 8. cap. 11. num.* 15. Hanc sententiam propugnabimus conclusione sexta, & etiam contrariam.

Tertia asserit sententia, Religiosum subditum,
7 de licentia iniusta, & nulla Prælati sui, aut Conventus quidem, superflua habentem, aut expendentem, vel in vsus profanos, & statum suum dedecentes, mortaliter peccare, contra votum paupertatis. Hanc tenent Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disp. 22. quæsito* 8. *n.* 7. *versic. Contrarium tamen, & quæst.* 15. cum nostro Antonio Perez in Regulam Sanctam communis parétis Sanctissimi Patris Benedicti, *cap.* 33. *num.* 100. Navarro, *Comment. 2. de Regularibus, num.* 12. Francisco Suarez, *lib. 3. de Restitutione, cap. 1. part. 3. &* Molina de Iustitia *tom. 2. disput. 276. conclus. 3. versic. Religiosus in Conventu.* Hermannus Bussembaum in Medulla Theologiæ, *lib. 4. de statibus, c. 1. dub. 4. de votis Religiosorum, casu* 6. Bartholomæus à Sancto Fausto, *de statu Religiosorum lib. 8. q. 30. num.* 6. Ioannes Baptista Lexana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 1. part. 1. cap. 6. num.* 13. Thomas Sanchez, *tom. 2. in Decalogum, lib. 7. c. 19. num.* 23. cum Mendoza in quodlibetis, *quæst. 8. cap.* 6. Petro Navarta, *de Restitutione lib. 3. cap. 1. in nova editione part. 3. dub. 1. num.* 168. *Corollario* 3. Emmanuël Roderiquez, *tom. 3. quæstionum Regular. quæst. 29. art. 11. in princ.* cum Cardinale. Lessius, *de Iure, et Iustitia lib. 2. cap. 41. dubitat. 9. num. 78. versic. Nonò.* Raggius, *de Regimine Regularium, part. 3. Centuria 1. dub. 57. Conclus. 1. versic. limitanda* ibi Imò ipsum votum. *Et Concl. 3. n. 6. versic. Sic bona Religionis.* Peyrinus, *tom. 1. de subdito, quæst. 2. cap.* 12. §. 1. ibi. Religiosum, &c. Cardinalis de Lugo, *dicta sect. 7. num. 31. versic. Fatendum ergo.* Vbi ita fatur.

Fatendum ergo mihi videtur, in Religione, in
8 quâ paupertatis votum, cum rigore observatur, subditum etiam ex Superioris licentia habentem superflua, peccare quidem contra votum paupertatis, non quidem ob defectum licentiæ; sed quia votum illud, non solùm est de non vtendo absque Prælati licentia, sed etiam de conservando statu pauperis, nec faciendis sumptibus, qui pauperes non deceant. Vbi illud: *in quâ paupertatis votum cum rigore observatur.* addidit, vt nihil de Ordinibus diceret militaribus, Sancti Ioannis, Sancti Iacobi, Alcantaræ, & similibus, in quibus longæva (inquit) consuetudo explicuit, votum paupertatis, non extendi ad eiusmodi superflua, vel sumptus profanos prohibendos; quare eos non peccare contra votum in his omnibus sumptibus, tenent cum Sanchez, *dicto lib. 7. cap. 9. à num.* 27. & pluribus apud eum cum Salas, *tract. de ludo, dub. 21. num.* 6. Angles, Ludovico Lopez, Medina, Petro Ledesma, Ioanne à Cruze, Alcozer, & aliis, quos refert, & sequitur Diana, *part. 1. tr. 15. & 1.* Miscelaneo, vbi in hæc prorumpit.

Non itaque Religiosorum Claustralium rigidam paupertatem vovent, sed bona sua retinent, amobilia tamen, ad nutum magni Magistri, & de illis disponunt, licet in morte non possint, absque Superioris licentia testari: & ideò votum eorum de proprio non retinendo intelligendum est, quoad Dominium, non autem quoad vsum, distributionem, & vsumfructum. Hæc Diana, quæ ex Sanchez, *num.* 39. Genouensi, in Practicab. Eccles. tricenar. 1. *quæst.* 20. *num.* 3. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Relig. lib. 8. quæst. 8. num.* 2. Homobono, de bonis, *in examine Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 12. quæst.* 58. Graffis, *part. 1. decis. aurear. lib. 3. Consil. 11. num.* 25. & Vasquez, *Opusculo de Redditibus, cap. 3. dubit. 9. num.* 40. de Equitibus Sancti Ioannis probat.

Præfatam etiam tertiam sententiam docet Eminentissimus Lugo, *num.* 132. dicens. Fateor etiam Religiosum sic expendentem (scilicet de licentia illicita Prælati, in vsus vanos & superfluos) licet peccet contra votum paupertatis, non tamen esse proprietarium.

Quarta sententia docet Religiosum habentem 9
multa, de quibus constat, quod sint superflua, de Superioris licentia; paratum tamen omnia in manus Superioris resignare, cum fuerit requisitus, nec de illis disponere absque Prælati licentia, non esse in statu peccati mortalis, contra votum paupertatis, nec peccare peccato proprietatis, sed peccato avaritiæ. Hanc tenent Pater Laurentius de Peyrinis, *tom. 1. de subdito, quæst. 2. cap. 2. §. 9. quæstiuncula* 15. in consequenter tamen, ni fallor, ad id quod *eodem capite* §. 1. *versic. Ex dictis colligitur*, docuerat, vti mox videbimus. Quod peccato peccet avaritiæ, ait docere D. Antoninum, 3. *p. Summa, tit. 16. cap. 1. §. 11. nota* 7. Sylvestrum, *verbo Religio 6. quæst. 7. dub.* 4. Leussium *lib. 2. de Iustitia cap. 41. dub. 9. n. 79. versic. Vndecimò.* Graffis, 1. *parte decis. lib. 3. cap. 5. num.* 61. Ledesmam, *de statu Religioso in* communi, *c. 4. Concl. 3. dub.* 11. & Mitandam, *in Manuali Prælatorum, tom. 1. q. 28. art.* 15. quod non peccet peccato proprietatis probat: quia proprium solùm (inquit est) quod celatur Abbati, & quod retinetur contra voluntatem illius.

Quòd contra votum paupertatis non peccet 10
huiusmodi Religiosus docet Peyrinus. *Primò*, quia quæsitum ab illo propositum inquirit, An sit ille in statu peccati mortalis, contra dictum votum? Et respondet, quòd peccat peccato avaritiæ; non verò peccato proprietatis. Vbi pro eodem, convertibiliter vsurpare videtur, peccatum contra votum, & peccatum proprietatis, & è contra: cum responsum, quæsitui debeat in terminis conformari. Immeritò tamen in aliorum sententia id sentit, quia peccatum contra votum paupertatis latiùs patet quàm proprietatis peccatum. Licet enim omnis proprietas, in hac materia, peccatū sit contra votum, non tamen omne peccatum contra votum, v. g. habere, aut expendere, quæ pauperum statui repugnent proprietatis peccatum dici debet, quia hoc tantùm reperitur, quando quis propria ex authoritate, & sine licentia Prælati, vel

totius

totius Conventus, aliquid pretio æstimabile, ex bonis communitatis aut aliundè sibi appropriat accipiendo, retinendo seu expendendo.

11 *Secundò*, quia ex sua doctrina hoc elicit corollarium. Vnde sequitur primò, quod Religiosus, qui retinet in suo cubiculo arma scopletas, lanceas, enses, monilia, inaures aureas, vestes sericas, &c. quæ nec necessaria sunt nec statui Religioso convenientia, peccat mortaliter etiamsi retineat de licentia Superioris, quia nec hic, talem licentiam dare potest; imò & ipse peccat mortaliter. Ita Bartholomæus à S.Fausto, *loco citato (scilicet de vitio proprietatis)q.19.num.*1.Licet affirmet,hoc peccatum esse contra votum paupertatis. Hactenus Peyrinus, vbi satis ostendit secundò, se sentire, Religiosum habentem, de licentia Superioris, dedecentia statum Religiosum, non peccare contra votum paupertatis.

12 Addit tamen Laurentius de Peyrinis eo loci. Non putarem tamen, eum Religiosum peccare mortaliter, qui talia retineret in depositum ad bonum finem, per aliquod breue tempus, de licentia Prælati, ad instantiam alicuius devoti Ordinis. Nec similiter putarem, peccare mortaliter Religiosum, qui haberet multa superflua, non quoad statum Religiosum, sed quoad personam propriam, de licentia Prælati, paratum ad illius nutū omnia relinquere. V. g. si haberet tres habitus, cum duo sint satis; Decem camisias, cum quatuor aut quinque essent illi sufficientes, & similia. Præsertim si, consumptis necessariis, non haberet vnde de aliis sibi provideret. Quod tamen etiam est limitandam, nisi alij, aut aliquis aliorum Religiosorum necessariò aliqua istarum rerum indigeret. Nam tunc teneretur confratri suo de his, quæ sibi superflua sunt, providere. Attendenda tamen in his semper est qualitas personæ, & Religionis vsus, vt dixi suprà §.1. *corollar.*9. Hæc omnia Author allegatus, satis opportunè, ad Religiosorum conscientias sedandas. Sed mihi non satis probatur, quod habere possit quis superflua cognita, quoad propriam personam de licentia Prælati; siquidem superfluum, aut necessarium, mensurandum est, non solùm per statum Religiosum, sed per exigentiam Religiosi, attentis circunstantiis omnibus, Religionis, loci, temporis, ipsiusmet Religiosi Officij scilicet, ætatis, valetudinis, vel infirmitatis, &c. vti diximus *dub.*3. *num.*1.

13 Quòd autem inconsequenter se gesserit Peyrinus, in sententia, quam ex eo recensui *num.* 9. meo videri, patet ex eo, quod §. 1. *versic. Ex dictis.* sic fassus fuerat. Colligitur primò, non posse Prælatum concedere Religiosis hos annuos redditus, nisi in vsus licitos, & necessarios. Et Religiosum in illicitos distrahentem, v. g. in turpia, in vestes sericas, vel etiam laneas, sed maximi pretij, & contra Religiosam paupertatem, vel in sumptuosa convivia, vanas picturas, canes venaticos, &c. mortaliter peccare contra votum paupertatis, & qui pecunias à Religioso sic accipit teneri restituere. Ita Molina *disp.* 95. *& disp.* 140. Navarrus *comment.* 2. *de Regularibus*, *num.* 23. Rodriquez *in Summa, par.*2.*c.*32.*Concl.*3.*versic. Lo quartodigo*, Miranda, *to.*1. *Manuali*, *q.*28. *art.*9. Vega, 2.*parte Summa*, *c.* 86. *casu* 33. Sylvester *verbo, Religio* 6. *q.* 7. *dub.* 2. Sanchez, 7. *in Decalogum, cap.*22.*n.*19. Lessius, *lib.*2.*de Iust. cap.*41. *dubit.*9. *num.*79. *versic. Nonò non potest.*

14 Ratio est, quia cum Prælatus non sit Dominus rerum Monasterij, cuius verè; & propriè sunt, quæ possidet Monachus; sed dispensator, non potest facultatem facere res illas expendendi, nisi in vtilitatem, vel decorem Monasterij. Alioquin non dispensator fidelis, sed perfrictæ frontis dissipator meritò venit appellandus. Cumque Monachus non possit à Prælato licitè obtinere facultatem redditus illos in illicitos vsus expendendi, sequitur, quod expendens, vtatur re illa, tanquam Dominus, & per consequens, contra votum paupertatis mortaliter peccabit. Et infrà. Et nota vlteriùs, quod si Prælatus non potest concedere subdito, vt redditus illos expendat in vsus illicitos, neque etiam potest id concedere sibi ipsi, vt Sanchez 7. *in Decalogum*, *cap.* 19. *num.* 22. Vnde Religiosi tribuentes aliquid meretricibus ob turpia, seu etiam ludentes, vltra peccatum, quòd ex natura sua importat actus illicitus, peccant etiam contra votum paupertatis. Si autem (addit) daretur alicui Religioso subdito, vel Prælato aliquod donum hoc pacto. *Do tibi hoc, vt des tua concubina*: non peccaret illud dando concubinæ contra proprietatis votum, quia non dat vt Dominus, sed vt Minister. Ita Vasquez *de redditibus cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 16. Tunc enim non censetur datum Monacho, sed concubinæ.

Hucusque Peyrinus in recensito loco §. *Primi.* 15
Ex quo, coarta ipsum; pro inconsequentia, hoc argumentum conficio. Non est Prælatus magis Dominus rerum Monasterij, nec minus limitatam habet illarum administrationem, vel dispensationem, quoad illarum distributionem inter se ipsum, & suos subditos, quàm quoad earundem consumptionem, seu quoad expensas ex illis fiendas. Non enim minus rebus vtitur, tanquam illarum Dominus, si illas inæqualiter distribuat, sibi, aut aliquibus plus, & aliis minus, quam indigent dando, quàm in non necessariis, aut in vanis illas expendendo. Et similiter subditus, non minus se gerit vt Dominus, vt rebus vtitur vt talis, quando illas recipit, & retinet ex licentia nulla, & iniusta Prælati, quàm quando illas expendit ex eadem iniusta, & nulla licentia. Sed tàm Prælatus, quam subditus, de illius iniusta licentia, in vsus illicitos expendendo bona, peccat contra votum paupertatis, in vera sententia; quam *dicto* §. 1. tenuit Peyrinus: ergo vterque contra idem peccabit votum, si vnus concedat ad superflua licentiam, aut ipsa superflua alteri concedat, distribuat; & alter si ex dicta distributione, vel licentia vtatur.

Sententiam, quam Peyrinus, sequutus fuit noster Fulgentius de Oviedo, *in Republica Regulari*, *part.*1. *tract.*9. *cap.*1. *quæst.* 5. vbi sic disserit. Vtrum possit Religiosus de licentia Prælati, habere ad vsum, modo explicato, magnam supellectilem rerum superfluam, & pretiosam? Respondetur, & sit resolutio. Non violat Religiosus, si ex licentia habeat superflua, votum paupertatis; peccabit tamen, si non sit causa, Prælatus dans licentiam, aut ipse extorquens. Hactenus Oviedo in principio *num.* 39. in fine verò sic ait; Quare licet cum licentia legitimi Prælati (non vi aut fraude extorta) habens hæc omnia, non frangat directè votum, siquidem aliquod Ius non prætendit, tamen indirectè, vt infrà. Ita ille in quibus sentire videtur, votum non frangi, nisi per peccatum proprietatis. Huius enim vitij proprium est, ius aliqood prætendere.

Dicta pro aliorum placitis sufficiant; quid au-

tem circa difficultatem propositam ego sententiam, sequentibus indicabo Conclusionibus.

CONCLVSIO I.

16 RELigiosus, qui scienter superflua habet, de licentia Prælati, aut totius Conventus, peccat mortaliter. In hac Basilius Pontius *variar. disputationnm, par. 1. q. 9. Scholast. cap. 4. versic. Præterea*, quem recenset, & sequitur Barb. *to. 6. collectan. Doctornm, in cap. Insinuante* el 7. qui *Clerici. vel voventes, n. 5.* & omnes Doctores conveniunt. Et probatur *primo* ex Concilio Tridentino, *sess. 25. cap. 2. de Regularibus* in hunc modum decernente. Mobilium verò vsum, ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt conveniat, nihilque superflui in ea sit; quod si quis aliquid quidquam tenere deprehensus sit, aut convictus fuerit, is biennio, activa voce & passiva privatus, atque etiam iuxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur.

Hæc Conciliare Decretum. Ex quo manifestè fit Religiosum superflua habentem, mortaliter delinquere; quia illud pœnam infligit, quæ nisi ob gravem culpam nunquam ponitur, vt in specie huius textus, bene adnotavit Fulgentius de Oviedo, *vbi proximè*, & docet Amicus, *in Cursu Theologico, tom. 5. disp. 5. de Lege humana, sect. 8. n. 215.* dicens. Omnis pœna grauis temporalis, est signum obligationis ad mortale, non pœna leuis. Primum est commune. Sotus, *lib. 1. de Iustitia q. 6. art. 5.* contra Navarrum. Ratio: cum pœna debeat proportionari culpæ, ob quam infligitur, nunquam pœna gravis præsumitur imponi, nisi propter culpam gravem. Vnde, etiamsi id non exprimatur, implicitè intelligitur in ipsa Lege, quatenus ea includit voluntatem legislatoris infligendi pœnam causæ proportionatam: ac proinde voluntatem obligandi ob iustam causam proportionatam tali pœnæ. Secundum, constat, quia cum pœna levis non requirat gravem culpam, nec Lex exprimatur per verba præceptiva, nullum est signum obligationis ad culpam, saltem gravem. Hactenus Franciscus Amicus.

17 *Secundò* probatur Conclusio ex secunda Sacræ Congregationis Declaratione, suprà *dub. 2. nn. 30.* exscripta, quam meritò de culpa mortali intellexit P. Laurentius de Peyrinis, *to. 1. de subdito, q. 2. c. 2. §. 9. quest. 5. versiculo, Respondeo.*

Et *meritò* dixi, quia Congregatio Concilij, istius Decretum declaravit: quòd vti modò diximus, ad mortalem obligat culpam.

18 Probatur *tertio* Conclusio. Qui licentia vtitur nulla scienter ad ea, quæ sine vera, & legitima licentia efficere non potest sine peccato mortali, ita mortaliter delinquit, ac si absque omni prorsus operaretur licentia. Sed Religiosus recipiens, & retinens cognita superflua de licentia Superioris, scienter vtitur licentia nulla, ad ea, quæ sine vera, & legitima licentia, absque mortali culpa facere nequit: ergo peccat mortaliter. Maior patet: quia licentia nulla, & vt talis cognita, nullum verum effectum parere valet: perinde enim se habet, ac si nihil esset: ergo ita mortaliter peccat, qui scienter licentia nulla vtitur, in his, ad quæ vera requiritur, vt vitetur mortale peccatum, ac si omni licentia deficiente operaretur.

19 Minor probatur. Licentia vera, iusta, & valida subdito à Prælato concessa ad aliquid, illa solùm est, quam sibi ipsi validè concedere potest Prælatus, iuxta Regulam traditam à Tamburino nostro *to. 2. de Iure Abbatnm, disp. 22. q. 8. n. 8.* ex Navarro, *commentario 2. de Regnlaribus, n. 23.* quæ certè verissima est, Iure cõmuni conformis. Prælatus enim, quæ non valet efficere per se ipsum, per subditum efficere nequibit, iuxta notam duplicem Iuris regulam. *Quod alicui suo non licet nomine; nec alieno licebit la 67. & Nemo potest plus Iuris transferre in aliam, quam sibi competere dignoscatur, la 79. lib. 6.* & quæ per se quis efficere potest, potest efficere per alium, iuxta aliam: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. la 68. eodem lib. 6. Decretalium.* Sed Prælatus nequit sibi concedere licentiam validam ad recipienda, vel retinenda superflua cognita, ita vt evitet in tali receptione, & retentione peccatum mortale: ergo neque potest Subdito validam ad id licentiam concedere. Et per cõsequens Subditus scienter illa vtens, peccatũ mortale non effugiet. Minor vltima cõmuni Doctorũ probatur.

Quartò probatur. Mortaliter peccat Religiosus admittens aliquid graviter repugnans statui perfectionis in quo ponitur per obligationem trium votorum essentialium, vti benè Aogust. Triumphus docet, *de potestate Ecclesiæ, q. 106. art. 3.* Sed graviter repugnat statui perfectionis Religiosæ superfluitas temporalium, cum repugnet graviter voto paupertatis, vti idem Doctor, & omnes alij nullo excepto docent: ergo Religiosus superflua nota habens, etiam de licentia Prælati aut Conventus mortaliter peccat.

CONCLVSIO II.

RELigiosus scienter superflua expendens, aut 20
in turpia in statum Religiosum dedecentia, in vana, & inutilia, etiam de Prælati, aut Conventus licentia, insumens, mortaliter delinquit.

Colligitur hæc Conclusio ex Diana, *loco suprà num. 5. recensito.* Illam tenent Laurentius de Peyrinis, *tom. 1. de subdito quæst. 2. cap. 2. §. 1. versic. Ex dictis*, & Authores, quos pro tertia allegavi sententia. Et probatur fundamentaliter, ratione, quâ primam probavi Conclusionem.

CONCLVSIO. III.

PEccatum admissum à Religioso superflua co- 21
gnita habente, vel expendente, & in profana, vana, & inutilia, de licentia adhuc Prælati, aut Conventus insumente ex se non est peccatum Avaritiæ.

Hanc statuo contra Laurentium de Peyrinis, *vbi* 22
proximè, §. 9. quæst. 5. versic. Respondeo, vbi ita fatur. Convenit inter omnes, quòd tàm Superior concedens (licentiam scilicet ad habenda superflua) quàm subditus retinens, peccat mortaliter. Prælatus quidẽ, quia potestate abutitur, peccat peccato infidelitatis.... Subditos autem, peccat peccato avaritiæ. Probatio autẽ Conclusionis clare patebit ex quarta. Sed ante quàm quartam apponam Conclusionum, in legentium gratiam, doctrinam ipsius Peyrini, circa Avaritiæ peccatum alibi adductam, licet obiter, non licuit præterire. Ipse igitur Peyrinus *to. 2. de Prælato, q. 2. cap. 3. §. 17. n. 173. pag. mihi* 383. hanc tradit de Avaritia doctrinam. Avaritia, licet inter peccata capitalia ponatur, non est tamen semper mortale, sed solùm cum propter divitias consequendas, vel retinendas quis est paratus violare præceptum obligans ad mortale. Hæc Peyrinus, qui bene in hac parte docuit. Doctrinam enim istam tenet Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 5. de Peccatis capit. 3. dub. 2.* vbi inquisito, quid Avaritia? Respondet I.

Est

Et inordinatus appetitus temporalium. II. est ipsa ex genere suo venialis. Cum verò eo excrescit, vt eius causâ diuinas leges prævaricare non dubites, fit mortalis. Tenet & Petrus de Tapia, doctissimus Hispalensis Archiepiscopus, en el Catecismo y explicacion dela Doctrina Christiana, *cap.* 7. explicacion delos peccados capitales, §. 2. *num.* 4. *pag. mihi* 164. vbi ita docet. Sera pecado venial, quando la materia fuere pequeña: o quando immoderadamente guardalas riquezas, sin faltar à otto precepto de Iusticia, o Caridad, o misericordia.

CONCLVSIO IV.

23 Religiosus scienter de licentia Superioris, aut Conventus quidem, notabilem quantitatem insumens in non necessariis, sed in turpibus, aut profanis, mortaliter delinquit ex prodigalitatis vitio avaritiæ contrario. Quod est contra Peyrinum.

Hanc colligo Conclusionem ex dictis à Petro de Tapia, *num.* 5. & Bussembaum *loco allegato, casu* 3. Laurentio de Peyrinis, *de Prelato, vbi proxime*, cuius verba dubio referam sequente, *n.* 6. Tapiam verò & Bussembaum libuit hic ad probationem Conclusionis recensere. Ille sic ait. La *Prodigalidad*, es vicio contrario por exceso ala *Avaricia*. Y consiste en gastar demasiado desordenadamente. Y sera mortal, si el desperdicio de la hacienda, fuere con perjuicio de sus acreedores o hijos, o necessidades graues del proximo, o la Republica, que deve socorrer delo superfluo. Estos dos vicios Avaricia, y Prodigalidad, reduce à medio, y orden la virtud dela *liberalidad*: que inclina à gastar la hazienda quando es necessario, y lo pide la razon. Sed sic est, quòd Religiosus, etiam de licentia præfata scienter insumens notabilem quantitatem in non necessariis turpibus, aut profanis, no gasta quando es necessario, y lo pide la Razon, y el tal gasto es con periuycio de los demas Religiosos de su Convento, a quienes falta lo necessario, y dela misma communidad, que deve à cudir con lo superfluo de vno alas indigencias de otros particulares, y alas communes: ergo mortaliter peccat ex prodigalitate huiusmodi Religiosus, in sententia præfati Archiepiscopi.

24 Hermannus autem Bussembaum, in hæc prorumpit. *Prodigalitas*, quæ opponitur *avaritiæ* & consistit in defectu conseruandi, & excessu erogandi, est ex genere suo venialis levior quàm *avaritia*, quia minus abit à virtute *liberalitatis* inretim mortalis fit, si liberis, & vxori pauperiem creet si Impotentem te reddas ad solvenda debita: si profundas bona Ecclesiastica, piis causis obnoxia. Vide Lessium *lib.* 2. *cap.* 47. *dubit.* 8. Hæc ille. Sed Religiosus in non necessariis, in turpibus, aut profanis quantitatem, etiam de licentia insumens, profundit bona Ecclesiastica, piis causis obnoxia, sunt enim bona Conventus: quicquid enim Monachus acquirit, Monasterio acquirit: bona autem Conventus, Patrimonium Christi, & pauperum sunt; expendique debent ab Abbate, vti notauit Peyrinus, *tom.* 2. *de Prelato*, *q.* 1. *c.* 5. §. 1. *num.* 55 *ex can. Nullum* 18. *causa*, *q.* 2. in Dei cultum, & Monasterij vtilitatem, & eleemosynas facere tenetur, non solùm de Superfluis, (quia de his, non solùm Abbas, qui Dominus non est bonorum Monasterij, sed dispensator, ed qui veri Domini rerum suarum sunt, illas facere adstringuntur, iuxta illud *Quod superest date pauperibus*) Sed etiam de non superfluis, prudenter tamen, & discretè, iuxta Conventus facultates, vti bene idem limitat Peyrinus cum Molina *to.* 2. *de Iust. disp.* 276. *n.* 2. & Suarez *to.* 4. *de Religione tr.* 1. *lib.* 2. *c.* 26. *num.* 11. Ergo huiusmodi Religiosus mortaliter peccat ex vitio Prodigalitatis, in Bussembaum sententia.

Ex quibus facilè deducitur contra præfatum Peyrinum, Religiosum in profana, bona insumentem (etiam de Superioris licentia) in notabili quantitate non avaritiæ, sed prodigalitatis vitio peccare. Quia prodigalitas avaritiæ opponitur per excessum, & avaritia per restrictionem. Sed ita insumens Religiosus bona, non restrictioni adhæret, sed excessui: ergo prodigalitatis, non avaritiæ vitio peccat.

CONCLVSIO V.

Religiosus, qui de licentia Prelati sui, aut Conventus superflua cognita habet, aut expendit, vel in profana aliquid insumit, si parvitas materiæ non excuset, peccat mortaliter contra votum paupertatis. 25

Hane tenent Doctores, quos pro tertia cumulavi sententia. illam probo. Contra votum peccat paupertatis, qui ea, quæ statui pauperum repugnant, habet vel expendit, aut insumit in eundem statum dedecentia: ita vt si materia parva fit, peccatum sit veniale; mortale autem si gravis fit materia. Sed statui pauperum repugnat graviter, habere superflua cognita, & illa expendere, aut insumere in profana, insuper, & in non necessariæ ergo Religiosus qui superflua cognita habet, expendit & superfluè, vel aliquid notabile in profana insumit, etiam de Prælati, aut Conventus licentia, lethaliter peccat contra votum paupertatis.

Probatur etiam authoritate D. P. N. Bernardi, ad *Epist.* 2. in hæc prorumpentis. Quicquid præter necessarium victum, ac simplex vestitum de altari retines, tuū non est, rapina est, Sacrilegium est.

CONCLVSIO VI.

Probabile est, non esse proprietarium, seu non peccare vitio proprietatis, contra votum paupertatis, Religiosum, qui de licentia Prælati, vel Conventus superflua habet, expendit, & in vana, profana, vel etiam in turpia insumit; probabilius tamen est, huiusmodi Religiosum, contra paupertatis votum, ex vitio proprietatis, delinquere mortaliter. 27

Quòd sit probabile non esse proprietarium: 28 probo authoritate Ioannis Andreæ in *c. Cum ad Monasterium*, *n.* 22. *de Statu Monachor.* & ibi Abbas *num.* 8. Hostiensis *num.* 7. Cardin. §. *Prohibemus*, *num.* 2. *quæst.* 3. Sylvest. *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. *in fine*, & authoritate aliorum, quos ex Sanchez *lib.* 7. *Moralium cap.* 19. *num.* 20. suppressis nominibus recenset Machadus *tom.* 2. *lib.* 5. *part.* 2. *tract.* 1 *docum* 6. *num.* 7. Eminentissimi Cardinalis de Lugo, qui id docet, *tom.* 1. *de Iustitia, & Iure disput.* 3. *sect.* 7. *num.* 123. vbi in hæc protumpit. Fateor etiam Religiosum sic expendentem (scilicet in sumptibus, qui pauperes non deceant) licet peccet contra votum paupertatis, non tamen esse proprietarium. Quia proprietatis vitium tunc datur, quando ex bonis communibus, aut quorum administratio ad Prælatum, vel Conventum spectat, aliquis propria authoritate aliquid vsurpat, vel expendit. Quod qui-

dem in nostro casu non fit, cum non expendat suo nomine, sed ex consensu, & nomine Prælati, cuius licentiam habet. Hæc Cardinalis. Probo & Authoritate Doctorum 2. sententiæ.

29 Quòd autem longe probabilius sit, esse proprietarium huiusmodi Religiosum, probo. Quia licet proprietatis vitium tunc detur, quando ex bonis communibus, aut quorum administratio ad Prælatum, vel Conventum spectat, aliquis propria authoritate aliquid vsurpat, vel expendit; non tamen tunc solùm sed quoties Religiosus, sive subditus, sive etiam Prælatus, quibusvmque rebus pretio æstimabilibus, tanquam suis vtitur: sive ita se habet in earum acquisitione, possessione, aut habitione, & in illarum vsu, ac si esset earundem Dominus. Sed Religiosus superflua habens, & profanè expendens, etiam de Prælati, aut totius Conventus licentia, illis vtitur tanquam Dominus; vti bene Laurentius de Peyrinis, *tom.1. de subdito, quæst.2.cap.2. §.1. versic. ex dictis colligitur primò.* vbi ita fatur. Cumque Monachus non possit à prælato licitè obtinere facultatem, tedditus illos in illicitos vsus expendendi, sequitur, quod expendens vtatur re illa tanquam Dominus, & per consequens contra votum paupertatis mortaliter peccabit: ergo ex vitio proprietaris. Quia expendere bona, tanquam illarum Dominus, & mortaliter peccando contra votum paupertatis, nequit esse nisi ex vitio proprietatis. Et hanc partem tenent Machadus *loco citat.* cum Molina de Iust. *disp.* 276. Navarr. *lib.3. Consil.tit. de Regularib. cons.*75.*nu.*53. citatis, & sequutis à Sanchez *vbi suprà num.* 21. Per quod patet ad fundamentum Cardinalis de Lugo.

CONCLVSIO VII.

30 Probabile est, Religiosum recipientem, habentem, & expendentem superflua cognita, & in profana, & quæ dedecent statutum pauperum, & Religiosum infamant, etiam de Prælati, aut Conventus licentia, pœnas proprietariorum incurrere. Probabile etiam est, illas non incurrere. Sed primum probabilius per principia intrinseca.

Prima Conclusionis pars probatur ex Decreto Clementis Papæ VIII. pro reformatione Regularium, in Constitutione, *Nullus omnino*, *la* 60. apud Bullarium Cherubini, *tom.* 3. ibi. Eorum verò &c. Qui in præmissorum aliquo &c. & ibi. Nulla quorumcumque &c. Habentur istæ Clausulæ in §.2. dictæ Constitutionis, *suprà dub.*2. *nu.*5. ad amussim transcripto, & à Sacra Congregatione Concilij, authoritate Vrbani Papæ VIII. innovato, *anno* 1624. in Decretis de Regularibus Apostatis, & eiectis, contentis in Constitutione eius 28. *tom.* 4. *præfati Bullarij*, *pag.* 65. è quibus nonnulla, dicto *dubio* 2. *à nu.* 16. exscripsi.

31 Probatur *secundò* eadem pars, ex declaratione dictæ Sacræ Congregationis, eodem dubio secundo à *num.*22. reddita. Vbi quæsito, An propter dispensationem, seu scientiam Superiorum, Summo Pontifice inferiorum, Regulares possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpa, vel à pœna in Tridentino, *sess.*25. *de Regularibus*, *cap.* 2. inflicta, excusentur? Respondit, non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda.

32 *Tertiò* ratione probatur. Pœna ipso Iure inflicta, peccatum aliquod perpetranti, ab eo incurritur ipso facto, qui tale facinus admiserit. Sed Religiosus recipiens, habens, & expendens superflua, & in profana insumens de licentia Prælati, aut Conventus, peccat peccato proprietatis contra votum paupertatis: ergo incurrit ipso facto pœnas proprietariis inflictas ipso Iure.

Secundam nostræ Conclusionis partem, tenent graviſſimi Doctores. Thomas Sanchez, *tom.2. in Decalogum, lib.7. cap.*19. *num.*25.*pag. mihi* 431. Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum lib.*8.*quæst.*95. *num.*5.*& quæst.* 103. *numer.*5. & Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.*2. *disp.*22.*quæsito* 8. *num.*9. cum Navarro, *Commentario* 2. *de Regularibus*, *num.* 21. Marco Antonio Cuco, *lib.*3. *inst. maior. tit.* 1. *num.*116. cum nostro Antonio Perez, *in Regulam S. P. N. Benedicti*, *capit.* 33. *numer.* 100. & Francisco Suarez, *tom.*3. *de Religione*, *lib.* 8. *cap.* 11. *num.* 13. dicente de hoc nullam extare dubitationem. Per principium extrinsecum, authoritatem scilicet Doctorum, tot vtique, & talium, peritiſſimorum quidem, & Sapientiſſimorum, tàm in omni Theologia, Scholastica, maximè ac Morali, quàm in vtroque Iure, præcipuè in Canonico, probabiliſſima est pars secunda nostræ Conclusionis. An verò ita, per principium intrinsecum, sit probabilis? Asserere non audeo: non possum. Illud reddam, à Tamburino mutuatum, & ad amussim transcribam, quia casum examplificat, de pœna priuationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, de quâ in præsenti disquisitione dissero. 33

Notandum etiam (inquit Abbas præfatus) quod Religiosus sic malè expendens peculium, sive bona, de licentia iniusta, ac irrita Abbatis, licet peccet contra paupertatis votum; non tamen incurrit pœnas latas à Iure contra proprietarios, id est privationem Ecclesiasticæ sepulturæ. Quia huiusmodi pœnæ non imponuntur contra omnem proprietarium, & peccantem vitio proprietatis; sed solùm contra proprietarium occultum, & nulla vtente facultate, etiam iniusta. Hactenus ille. Ex eadem ratione docet Sanchez *dicto num.* 25. Religiosum malè expendentem in vsus turpes ex Superioris licentia, non incurrere pœnam proprietatis: quia hæc pœnæ statutæ sunt contra Religiosos, absque omni licentia aliquid habentes. 34

Contra quorum fundamentum, sic insurgit Cardinalis de Lugo, *tom.* 1. *de Institia, & Iure, disp.*3. *sect.*7. *num.*131. Hoc, non videtur cohærere cum eorum doctrina, cum dicant, licentiam illam esse prorsus nullam vtpotè datam à non potente eam dare: ergo sit totum illum absque omni prorsus licentia. Perinde enim se habebit. Prælatus ad illum actum, ac si esset aliquis privatus. Quid autem magis potest proprietarium constituere, quàm vsurpare aliquid ex bonis communibus ad vsus proprios absque vlla licentia communitatis, vel Prælati. Si ergo licentia illa est omnino nulla, consequens est, vt subditus proprietatem contrahat vsurpando sibi ad suos vsus pecuniam, cuius Dominium est apud Conventum, & communitatem à quo statu nullo modo fuit extracta per Prælatum, qui per te non magis potuit illam extrahere, quàm posset propria auctoritate subditus ipse. Hactenus Lugo doctiſſimus. Cuius quidem authoritate, & ratione potius ductus fui, ad dicendum, non posse asserere esse secundam partem nostræ Conclusionis, tàm probabilem per principium intrinsecum, quàm primam existimo. 35

Quæ

Quæ asserunt Sanchez, & Barth. à S. Fausto, de Religioso subdito expendente de licentia nulla Prælati, de Prælato asserunt expendente superfluè, & malè. Quia si licentia ab ipso concessa subdito, est valida, à defectum, vt liberetur à pœnis proprietarij, liberabitur quoque ipse similiter malè expendens: quippè eadem licentia vti potest, quam ipse subditis concedere valet.

DVBIVM V.

An Prælatus cognita superflua, habens, & expendens, aut in prophana insumens, contra paupertatis votum peccet, & an proprietariorum culpam, & pœnas incurrat? idem inquiritur de Prælato ad id licentiam dante.

BREVIARIVM.

Abbas.

Omnis potestas gubernandi Monasterium in spiritualibus, & temporalibus ad Abbatem pertinet non tanquam ad dominum absolutum, sed tanquam ad fidelem dispensatorem, n. 1. 14. 17.

Distribuere debet officia, & bona iuxta personarum merita, n. 1.

Conventuum suum gravare non potest, eleemosynas erogando, n. 14.

Benè administrat, si modestum victum, & amictum suis dat subditis: si nihil prophanum, & inutile ædificat: si comparat pro Ecclesia, non superba, & prophana ornamenta, sed decentia: & reliqua, quæ supersunt, pauperibus dat, etsi sint multa, numero 14.

Benè etiam administrat, si bonos mores, & vsus suæ communitatis sequitur, non autem malos, numero 17.

Malè administrat, si eo, quod Monasterium sit dives, plus vini, aut pretiosiores vestes suis dat Monachis, quàm si pauper esset, num. 15. & 16.

Angelus Manrique.

Paupertatis Religiosæ zelosissimus, circa esculenta commendatur, n. 19.

Bona Conventus.

Qualiter expendi debeant ostenditur, num. 16. & 19.

Confessarius.

Dispositio Tridentini, sess. 23. cap. 15. *omnes afficit etiam Prælatos Regulares non habentes beneficium Parochiale, aut Episcopi approbationem,* numero 2.

Episcopus.

Dominus non est rerum Ecclesiæ suæ, sed Procurator, num. 1.

Bona Episcopi, illius propria non sunt, sed pauperum, num. 1.

Meliorare suæ Ecclesiæ conditionem potest, non autem deteriorare, n. 1.

Paupertas Religiosa.

Religiosus distrahens bona, etiam de Prælati licentia, in canes venaticos, vanas picturas, convivia sumptuosa, vestes maximi pretij contra paupertatem Religiosam, peccat contra votum paupertatis, n. 6. 10.

Prælati.

Regulares Prælati, Dominium alicuius rei Conventus, subditorum, aut quâ vtantur ipsi non habent, sed nudam administrationem, exequendam iuxta dispositiones sacrorum Canonum, Constitutionum, Ordinum, & consuetudinum legitimè præscriptarum, n. 1. 6. 7. 10. 17.

Sunt Procuratores Conventuum suorum, n. 1.

Conditionem Conventuum meliorare; deteriorare non possunt. n. 1.

Prælatus sibi distribuendo portionem suam, & suam aliis denegando, peccat mortaliter contra iustitiam, Paupertatem, & Charitatem, n. 1.

Peccat mortaliter si habet superflua nota: & si subdito veniam ad superflua concedat, n. 2. 4.

Peccat etiam mortaliter, si bona superfluè expendat, aut insumat in dedecentia statum Religiosum, n. 5. 6. & 7.

Et quidem contra iustitiam cum restitutionis onere, n. 6. 7. 8. 10. 11.

Contra Charitatem, n. 8.

Ex vitiis prodigalitatis. n. 11.

Et proprietatis, à n. 6. *ad* 11.

Eadem asseruntur si subdito, ad similia veniam concedat, etiam simul cum Conventu, num. 6. 7. & 10.

Eisdem subest, quoad temporalia habenda legibus ac subditis subsunt, n. 23.

Aliam sibi, quàm subdito licentiam concedere non potest: & è contrà, n. 4. 7. 10. 13.

Datur in commodum, & vtilitatem, non sui, sed subditorum, & Conventus, n. 4. 10.

Prodigalitas.

Consistit in dando quibus non oportet: in faciendis magnis expensis, vbi parva sufficerent; vel in eroganda pecunia in rebus frivolis. n. 6.

Semper est mortalis in Prælato Regulari, si parvitas non excuset materia. n. 6.

Proprietas.

Pœnas non incurrere proprietariorum Prælatum superflua cognita expendens, aut in prophana insumens, probabile est; probabilius est per principium intrinsecum illas incurrere, n. 12. 13.

Probabile est dictas non incurrere pœnas, qui de licentia iniusta, & nulla aliquid accipit, retinet, aut expendit contra votum paupertatis, esto proprietarius sit, n. 12.

Regula.

Qui facit per alium, est perindè ac si faciat per seipsum, n. 11.

Restitutio.

Restituere tenetur pecunias, qui illas accepit, impensas à Religioso in vana, & superflua, etiam de Prælati licentia, n. 6. 7. 10.

Prælatus Regularis restituere tenetur pecunias in exquisitos cibos, aut vina expensas, n. 18.

HVius dubij resolutio, facilè deduci poterat ex dictis in præcedenti; quia tamen illa clarior evadet, si in proprijs terminis Prælati, & Conventus, difficultas dilucidetur, & faciliùs menti tenebitur, consultò libuit sub illis dubium propositum discutere. 1

Suppono nullum Regularem Prælatum, sive Mendicantem, sive Monachalem, dominium habere aliquorum bonorum immobilium, aut mobilium quidem, non solùm Conventus, aut subditorum suorum, sed nec eorum, quæ ipsemet possidet, vel habet; sed ad summum, illorum tantùm nudam habere administrationem; exe-

quendam tamen, iuxta conditiones, & Leges, pariter & limitationes, ad illam per sacros Canones, ac Constitutiones Apostolicas, & cuiuscumque Ordinis, seu Congregationis, & illius diffinitiones, seu ordinationes alias, aut per consuetudinem legitimè introductam præscriptas, assignatas. Constat ex *cap.* 2. *de Donationibus*, vbi sic Alexander Papa III. Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriorem, non debet. Id est non potest, iuxta Glossam *verbo Non debet:* & Caramuëlem *num.* 1068. mox citando. Constat & *ex con.* 128. *causa* 12. *quæst.* 1. vbi sic D. Aug. *epist.* 50. *ad Bonifacium*. Si privatum possidemus, quod nobis sufficiat; non illa nostra sunt, sed pauperum: quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicamus, *can.* 152. *ead. causa*, *q.* 2. Leo Papa, ita decernit. Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis vtatur. D. Antoninus videatur infrà, *dub.* 9. *n.* 36. recensendus.

Ita & Cardinalis de Lugo *de Iustitia, & Iure*, *tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 8. *in Appendice*, *n.* 185. ibi. Certum item est, Prælatum non esse dominum bonorum illorum, nec posse vt dominum de illis disponere, sed esse quasi curatorem, vel œconomum, licet plus aliquid possit, quàm merus curator, vel œconomus, &c. Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prelato, quæst.* 2. *cap.* 3. §. 17. *n.* 173. *pag. mihi* 383. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 10. & 14. Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.* 2. *disput.* 22. *quæst.* 15. *num.* 2. Lezana *tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 18. *num.* 33. Barth. à S. Fausto *in Thesauro. lib.* 7. *quæst.* 60. *n.* 10. & *q.* 63. Roderiquez *tom. qq. Regularium, q.* 29. *art.* 10. *concl.* 2. Sanchez *tom.* 2. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 21. Caramuël *in Theologia Regulari*, *disp.* 59. & *in Theologia fundamentali, fundam.* 59. *num.* 1778. cuius verba exscribo hîc, *n.* 17. Idem *in ead. Theolog. nu.* 1068. *in fine.* Bussembaum *in Medulla Theologiæ*, *libro* 4. *de Statibus*, *cap.* 1. *dub.* 4. *versic. Item peccat*, cum Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 7. *n.* 9. Iacobus Raggius *de Regimine Regul. centur.* 1. *par.* 3. *dub.* 57. *num.* 1. vbi ita fatur. Nota primò, quod omnis potestas gubernandi Monasterium, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, ad Abbatem spectat, vt fusiùs Navartus, 3. *comment. de Regularibus*, *num.* 4. Suarez 4. *de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 26. *nu.* 24. probant. Non ideò huiusmodi potestas in eo residet tanquam absoluto domino, sed vt fideli dispensatore, qui præ oculis semper distributivam debet habere iustitiam, cuius munus est distribuere, & conferre præmia, dignitates, & officia, cæteraque bona Religionis, iuxta qualitatem, & merita personarum, vt benè tradunt Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 5. *puncto* 1. Bonacina *de Restitutio. disput.* 1. *puncto* 2. *num.* 8. *quæst.* 1. Lessius *de Iustitia*, *lib.* 2. *capite* 1. *dubit.* 4. & omnes alij Doctores.

Hactenùs Raggius, ibi, qui *n.* 4. in sequentia prorumpit. Ex qua doctrina colligitur, Prælatum suam portionem sibi tribuendo, aliisque denegando suam, reum esse peccati mortalis, quia graviter offendit *Iustitiam, Paupertatem*, & *Charitatem*. Iustitiam, quia denegat alijs, quod sibi concedit, & quod de iustitia omnibus præstare debet. *Paupertatem*, quia tanquam dominus id facit, eo quod Religio, quæ ei pro bonorum distributione iurisdictionem concessit, non intendit hanc partialem distributionem. *Charitatem*, quia plus vni, quam alteri, & vni, & non alijs tribuere, charitati graviter opponitur. Ita colligitur ex Suarez, 4. *de Religione, lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 11. *tract.* 8. & *lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 18. Hucvsque Raggius, qui eadem passim repetit, quem sequutus est Bruno Chassaing, *in Prælato Regulari*, *cap.* 5. §. 3. *folio mihi* 71.

CONCLVSIO I.

PRælatus Regularis superflua nota habens, peccat mortaliter, sicut subdito illa concedens, aut licentiam. 2

Hæc conclusio facilè probatur I. quia Prælatus Regularis eisdem Legibus, quoad habenda, subest, quibus privati Religiosi absunt. Constat ex Concilio Tridentino, *sess.* 25. *de Regularibus*, *c.* 2. vbi ita decernitur. Nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat immobilia, vel mobilia, cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur. Et infrà. Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit. In quo certè decreto Superiorem, & Prælatum comprehendi, nefas sit dubitare. Dictio enim *Nemini*, omnes Regulares, cuiuscumque conditionis, & qualitatis sint, dubio procul afficit, sicut & in illo *sess.* 23. *cap.* 15. Nullum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, &c. dictio *Nullum*, omnes comprehendit Religiosos, qui aut Parochiale beneficium non habeant, aut Episcopi approbationem.

Et quod hæc fuerit Concilij mens, & quod obliget ad mortale, constat ex Decretis generalibus Clementis VIII. pro reformatione Regularium, *dub.* 2. *à nu.* 5. redditis. Ibi enim sic Lego. Quo Tridentini Concilij decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur vt nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam.... tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac proventibus confundantur. Et paulò inferiùs. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Tridentino præscriptas, sed alias quoque multò graviores Superiorum arbitrio imponendas incurrat. Cum igitur pœnæ huiusmodi graves admodùm sint, ad culpam obligare mortalem, certum mihi est, ob ea, quæ dubio tradidi præcedente, circa primam Conclusionem, *num.* 16. 3

Secundò probatur conclusio. Religiosus subditus habens superflua cognita peccat mortaliter, etiamsi illa habeat de Prælati licentia, vti vbi proximè ostendi: ergo & Prælatus ipse superflua cognita habens peccabit mortaliter. Patet consequentia. Quia Prælatus sibi non valet aliam concedere licentiam, quàm subdito potest concedere. Ideò enim erga seipsum aliquam habet facultatem, quia illa pollet erga subditum, ne peioris conditionis sit, quàm subditus est; non autem è contra. 4

contrà. Quia Prælati in Religionibus dantur in commodum, & vtilitatem, non ipsorum, sed subditorum, vti prolixè probat Laurentius de Peytinis *tom. 2. de Prelato, quæst. 1. cap. 7. per sex primos numeros*, ex Philosopho, Theologis, Patribus, Concilijs, & sacræ Scripturæ locis.

Quod peccet etiam mortaliter concedendo subdito superflua, aut licentiam ad illa, patet, quia non est dominus, sed administrator. Et quia facultatem maiorem exercere nequit in subditos, quàm in se potest Prælatus.

CONCLVSIO II.

5 Prælatus Regularis, qui superfluè bona expendit, aut in statum Religiosum dedecentia insumit, mortaliter peccat.

Hæc conclusio probatur. Quia Prælatus Regularis, vti modo dixi, non potest sibi aliam veniam concedere, quàm subditis. Sed nequit subditus absque peccato lethali de Prælati licentia, bona superfluè expendere, aut ea in dedecentia statum Religiosum insumere: ergo nec Prælatus poterit.

Secundò probatur. Prælatus, cum dominus bonorum non sit, sed administrator, dispensator, & œconomus, illa non potest expendere, & insumere pro arbitratu suo, & in statum Religiosum dedecentia, aut superfluè, sed in necessitatem, & vtilitatem, aut decentem decorem domini illorū, qui est Conventus: ergo si superfluè bona expendat, aut in vana, & statum Religiosum dedecentia insumat, in materia, seu quantitate notabili, mortaliter peccat.

CONCLVSIO III.

6 Prælatus Regularis superfluè expendens, aut bona in dedecentia statum Religiosum insumens, peccat peccato iniustitiæ contra iustitiam cum restitutionis obligatione, & sacrilegiū committit contra votum paupertatis, ex proprietatis vitio, & prodigalitatis crimen admittit. Idem assero de Prælato, eadem in subdito permittente.

Hanc conclusionem, quoad omnes suas partes tenet Pater Laurentius de Peytinis *tom. 1. de Subdito, q 2. cap. 2. §. 1.* vbi ita fatur. Ex dictis colligitur primò, non posse Prælatum concedere Religiosis hos annuos redditus, nisi in vsus licitos, & necessarios. Et Religiosum in illicitos distrahens v. g. in turpia, in vestes sericas, vel etiam laneas, sed maximi pretij, & contra Religiosam paupertatem, vel in sumptuosa convivia, vanas picturas, canes venaticos, &c. mortaliter peccare contra votum paupertatis, & qui pecunias à Religioso sic accepit, teneri restituere. Ita Molina *disp. 95. & disp. 140.* Navarr. *comment. a. de Regular. n. 23.* Rodet. *in Sum. par. 2. c. 3 a. concl. 3. versu Lo quarto digo.* Miranda *tom. 1. Manuali, qu. 28. art. 9.* Vega, *2. par. Sum. cap. 86. casu 33.* Sylvest. *verb. Religio, 6. q. 7. d. 2.* Sanchez *7. in Decalog. c. 22. nu. 19* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 41. dubit. 9. n. 79. vers. Nonò non potest.* Ratio est, quia cum Prælatus non sit dominus rerum Monasterij, cuius verè, & propriè sunt, quæ possidet Monachus, sed dispensator, non potest facultatem facere res illas expendendi, nisi in vtilitatem, vel decorem Monasterij. Ita Peytinus. Et licet expressè ibi non doceat Prælatum facultatem concedentem ad

præfata, contra iustitiam, & contra paupertatem peccare mortaliter, sed solùm non posse veniam concedere; & de solo subdito dicat, sic vt præmittitur, peccare; implicitè tamen hoc etiam de Prælato docet. Quia subditus, qui licentia vtitur Prælati, non proprio, sed Prælati potius operatur nomine: ergo si subditus in sententia Peytini, contra iustitiam & paupertatem peccat, contra easdem peccabit Prælatus licentiam concedens in illius sententia. Idem Peytinus *tom. 2. de Prelato, quæst. 1. cap. 5. §. 1. num. 55. pag. 301.* vbi sic fatur. Quod si tales largitiones faciat, peccat contra iustitiam, sua abutendo potestate, & contra votum paupertatis, vtendo illis bonis tanquam dominus. Vnde & ipse, & qui recipiunt, restituere tenentur. Ita Suarez *loco citato* (scilicet *tom. 4. de Religione, tract. 1. lib. 2. cap. 26. n. 11.*) Caietanus *2. 2. quæst. 43. art. 8. in princ.* Valentia *to. 3. disp. 3. quæst. 18. punct. 4. colum. 2. versic. Qua tamen in re.* Molina *tom. 2. de Iustitia, disp. 276. n. 2.* Hæc ibi: & *quæst. 2. cap. 3. §. 17. n. 173. pag. 383.* quæ sequuntur ait. Prodigalitas in Prælato Regulari semper est peccatum mortale: cum enim hoc vitium consistat in dando, quibus non oportet, vt adulatoribus, histrionibus, &c. vel in faciendis magnis expensis, vbi parvæ sufficerent; vel in erogãda pecunia in rebus frivolis, & Prælatis Regularis non sit dominus, sed administrator illarum rerum, si ita expendat, absque dubio mortaliter peccabit, si materiæ parvitas non excuset.

Quod omne docet Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 4. cap. 1. dub. 4.* in hæc prorumpit. Si Prælatus permittat subdito, vt bona, ex quacumque causa, aut titulo provenientia, in vsus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa, & statum suum dedecentia, penes se habeat, peccat & Prælatus, & subditus contra votum paupertatis, éstque talis donatio, seu alienatio irrita, & restitutioni obnoxia. Navarrus, Sylvester, Valentia, Molina, *tomo 2. disput. 276.* Azor, Lessius *dub. 9.* Sanchez, Layman. Quia Prælatus non potest dare veniam maiorem, quam ipse haber: ipse autem cùm non sit dominus, non potest bona suo arbitratu, & inutiliter expendere; sed tantùm in Religionis necessitatem, & vtilitatem. Hactenùs ibi, quoad duas priores, & quartam Conclusiones partes. Quoad tertiam autem, eius reddidi verba Dubio præcedente, circa quartam Conclusionem. 7

Quod mortaliter delinquat Prælatus contra iustitiam, & contra votum paupertatis ex vitio quidem proprietatis, docet etiam Raggius, qui addit peccare & mortaliter contra charitatem, si sibi non solùm superflua tribuat, sed necessaria, & debita, si alijs eis debita neget. A fortiori docebit lethale crimen patrare iniustitiæ, proprietatis, & contra charitatem Prælatum superflue expendentem, & in profana sumentem. 8

De peccato proprietatis contra paupertatis votum, testatur communis Doctorum sententia. Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum, to. 2. disp. 22. quæsito 15.* cum Maiore *in 4. sentent. distinct. 38. q. 9. in 3. concl.* Suarez *de Religione, tom. 3. lib. 8. cap. 15. n. 10.* Miranda *in Manuali Prælator. tom. 1. q. 28. art. 12. conclu. 1.* Navarro *comment. 2. de Regularibus, n. 27. versic. 7. Quod Abbas, & comment. 3. n. 27.* idem Navarrus *tom. 1. Consiliorum, lib. 3. tit. de Statu Monachorum, n. 92. pag. mihi 977. editionis 2.* ibi. Tum quod Abbas, vel Prior 9

male

malè expendens, vel occoltans res Monasterij, peccat contra votum paupertatis, & fit proprietarius, æquè, vel plus quàm Mon chus, argumento *cap. Cum ad Monasterium, §. fin. de Statu Monachorum*, Thomas Sanchez *in Decalogum, tom.2. lib.7. cap.19. num.22.* cum Tapia *Authent. De his, qui ingrediuntur, &c. verbo Ipso ingressu, cap. 3. num. 59.* Emmanuël Roderiquez *tom. 3. quæst. Regular. q.29. art.10. conclus.2. pag.79. & art. 11.*

10 Paulus Layman *in Theologia Morali, libro 4. tract. 5. cap.7. num.14* sicait. Illud verò certum esse debet, quod Prælatus, nec solus, nec cum capitulo, permittere possit Religioso, vt bona ex quæcumque causa, aut titulo provenientia, in vsus quoslibet etiam vanos, & illicitos, expendat, aut superflua, vel pretiosa, quæ statum Regularem dedecent, penes se habeat: sed vterque, tum Prælatus licentiam dans, tum subditus ea vtens, voti paupertatis prævaricator existit. Quin & donatio talis, seu alienatio irrita est, & restitutioni obnoxia. Qua de re, Navarrus *cit. comment. 2. n.23.* Sylv. *verbo Religio 6. quæst. 7.* Miranda *in Manuali, tom.1. quæst. 28. art. 9.* Mendoza *quæst. 6.* Valentia *tom.3. disput. 10. quæst.4. punct. 3.* Molina *tom.2. disput.276.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap.19. num.30.* Nam Prælatus subdito maiorem facultatem conferre non potest, quàm ipse habet. Cum autem is bonorum Monasterij dominus non sit, sed tantùm administrator, iuxta *cap.2. de Donationibus*, idcò ea arbitratu suo, atque inutiliter expendere haud potest, sed tantùm in eiusdem Ecclesiæ, seu Monasterij necessitatem, vel vtilitatem: ergo, &c. Hactenùs Layman. Videantur etiam Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Religios. lib.8. quæst.99.* & penes eum, Mendoxa, *in quodlibet, q. 8. art.6.* Lessius *de Inst. lib. 2. cap.18. dubit.11. num.84. pag. mihi* 188. Lugo *de Institia, tom.1. disp.3. sect.7. n.131.*

11 Et probatur ratione hac fundamentali. Prælatus superfluè expendens, & in prophana, & dedecentia statum Religiosum bona insumens, aut subdito licentiam, & facultatem expendendi, & insumendi superfluè, & prophanè concedens, tanquam dominus, & non tanquam administrator, & dispensator fidelis, illa expendit, & insumit: perinde enim est expendere per subditum mediante licentia, ac expendere per seipsum, iuxta Iuris Regulam: *Qui facit per alium, est perindè, ac si faciat per seipsum, la 72. de Regul. Iur. in 6.* quæ sumpta est ex *lege Quod visu alterius, ff. eod. tit.* & iuxta doctrinam traditam *disquisit.4. dub.8. n.10.* sed quicumque Religiosus, sive subditus, sive Prælatus bona expendens, & insumens tanquam illorum dominus, peccat peccato proprietatis contra votum paupertatis; & superfluè illa expendens, peccat contra virtutem liberalitatis: & etiam contra iustitiam, cum onere restitutionis, quia expendit bona suæ administrationi commissa, leges huiusmodi administrationi prescriptas transgrediendo, quas vtique de Iustitia servare tenebatur Prælatus: ergo Prælatus Regularis superfluè expendens, aut bona in dedecentia statum Religiosum insumens per se, vel per subditum mediante permissione, aut licentia peccat peccato prodigalitatis, contra liberalitatem: & peccato iniustitiæ, contra institiam, cum restitutionis obligatione: & peccato sacrilegij, & proprietatis, contra votum paupertatis.

CONCLVSIO IV.

PRobabile est Prælatum Regularem superflua cogitata expendentem, aut in prophana insumentem, pœnas contra proprietarios inflictas non incurrere; probabiliùs tamen est contrarium, per principium intrinsecum. 12

Prima huius conclusionis pars, probatur authoritate Thomæ Sanchez *tom. 1. in Decalogum, lib.7. cap.19. num. 25.* Tambutini *tom.2. de Iure Abbatum, disput.22. quæsito 8. num.9.* & aliorum penes eum, qui de subdito dicunt, huiusmodi pœnas non infligi contra omnem proprietariũ sed solùm contra proprietarium, nulla vtentem facultate, etiam iniusta. Quorum quidem doctrina, locum, dubio procul, habet respectu Prælati: cum tantam habeat facultatem adveniam sibi concedendam, quam habet ad subditis impertiendam, & quia peioris conditionis non est.

Secunda verò pars, probatur ex Tridentino Concilio, *sess.25. cap.2. de Regularibus*, ex Decreto Clementis Papæ VIII. & ex Declaratione sacræ Congregationis Concilij, de Vrbani VIII. authoritate facta, quæ recensui iura, *dub.2. nu. 3. 5. 17. & 30.* In illis enim prohibetur Superioribus permissio superflui, & infligitur pœna gravis delinquentibus: & declaratur culpam, & pœnam incurri etiam ab eo, qui Prælati habet licentiam. Quæ quidem omnia, æquè procedunt respectu Prælati, ac respectu subditi. Quia æqualem saltem obligationem conservandi statum pauperum habet Prælatus; imò & maiorem, quàm subditi habent: quia vltra voti paupertatis debitum, quod commune omnibus illis est, ex iustitiæ debito ratione sui officij, tenetur vitare superflua. Et quia maiorem sibi non potest licentiam concedere, quàm subditis, cum ille rerum dominus non sit, sed dispensator fidelis. Alioquin, non fidelis dispensator, sed perfrictæ frontis dissipator veniret appellandus, si plus sibi, quàm subditis concedere posset, servatis servandis. 13

Appendix.

PRo huius dubij coronide, libuit nostri doctissimi Ioannis Caramuëlis recensere doctrinam, pro nostra firmanda, aptissimam. In Theologia itaque fundamentali, *fundamento 41. num.* 1070. ita fatur. Ego autem non credo posse Abbatem gravare suum Monasterium erogando eleemosynas; puto tamen eum habere benè administrandi absolutam licentiam; & existimo eum benè administrare, qui modestom victum, amictúmque dat suis Religiosis: nihil profanum, & inutile ædificat: comparat pro Ecclesia, non superba, & profana, sed decentia ornamenta: & cætera, quæ supersunt, dat pauperibus sanctis (non semper Deo gratum dare otiosis, si in vitiis ipsi suis aliena clementia foveantur) etiamsi sint multa. 14

Et existimo eum malè administrare, qui quod Monasterium sit dives, plus vini, aut pretiosiores vestes dat suis Monachis, quàm si esset pauper. Eò enim res in multis locis devenerat, vt gratulandum sit nonnullis Monasteriis, quod à Gustavo Adolpho Sueciæ Rege fuerint non tam exspoliata, quam reformata. Sic placuit loqui, & vocibus vti, aut abuti: nam dum Wandalus conatur Catholicam Religionem delere, Monasteria (hoc est Theologorum orthodoxorum seminaria) devastat, 15

devastat, & exspoliat; fecit Deus, vt Religiosi persecutionem patienter tolerent, æquo animo paupertatem, & miserias subirent, mores ad legem severiorem contraherent, & ad summam multi sanctitatem ascenderent.

16 Placet reformationis formula Carolo V. Imperatore statibus Ecclesiasticis ad deliberandum proposita Augustæ *anno* 1548. in qua §. *De Monasterijs*, Lego. *Non debent Monachi, quamvis opulenti, & regalibus ditati munificentijs* (Lege benè) *otiosos, & vanos facere sumptus, nec familiam superfluam, nec equos ad fastum, & pompam potius quam ad necessitatem, Principum more nutrire, magisque sæcularem, quàm Religiosam vitam ducere.* Annon explorator domesticus carpit exactè, quæ fieri vidit, & quæ vix hodiè reformata videmus? Quid igitur facere debeant Religiosi videamus. *Sed in humilitate vivere frugaliter.* Sed si hoc fiat, multa aureorum millia in opulentis Monasterijs supererunt. Quid fiet igitur de tanta vi pecuniæ, si non commendatur, & bibatur, & in vsus fastuosos dispensetur? Imperator: *quæ vltra necessitatem* (nota benè, non dixit *luxum*, sed *necessitatem*) supersunt (debent) *in pauperes, & educationes studiosorum, quo possint Ecclesiæ Christi olim vsui esse, vtiliter expendere.* Nec contra hoc curanda est vnius, aut alterius visitatoris avaritia; cuius authoritate nunquam licebit me depauperare Monasterium, vt ipsius superfluitati satisfaciam, vel dare Religiosis superflua, aut thesauros congerere, cum omnia non necessaria debeam in pauperes sanctos erogare. Hæc omnia Caramuël in recensito dicit loco, qui rursùs fundamenta 59. numero 1778. in sequentia prorumpit.

17 Et indico Monasterium esse absolutum dominum, & si aliundè non obstet, posse ratione proprietatis in qualescumque vsus has pecunias impendere. Monasterium dico, non Abbatem, non Prælatum; nam hîc, non est earum rerum dominus, sed Minister, supremus tamen; habens quidem benè administrandi supremam authoritatem, & malè administrandi, nullam. Et me iudice, benè administrat, quandiù bonos mores, & vsus suæ communitatis sequitur, non quando malos. Hæc ibi, & num. 1779. quæ sequuntur tradit.

18 Transeo ad bona de eleemosynis adquisita. (in præcedenti enim egerat numero, de bonis acquisitis iure hæreditario à parentibus Monachorum, & labore manuum istorum.) Antonius Religiosus mendicans (Prior, Guardianus, &c.) & ex pecunijs quas dedit Monasterio Sæcularium pietas, & devotio, pretiosissima vina, & cibos delicatissimos procurat, & genio indulget; & tamen ad restitutionem non teneri dicitur, & ego non credo. Comedit panem, aquamque vetula pauper, & vidua, & nummulos pauculos corrodat, quos elargiatur Monasterio; & Antonius eiusdem Monasterij Superior, eisdem emit vltra marina vina, exquisitósque cibos, vt se saginet: & tamen ad restitutionem non tenetur? Non adquiesco.

19 Eodem ego modo de Abbatibus, & Monachalibus philosophor. Nam etiam nostra Monasteria Principum liberalitate fundata, & populi devotione aucta, ideò hodiè eleemosynis novis non indigent, quia sufficiunt eleemosynæ antiquæ vt honestè nutriantur. Audivi semel Angelum Manrique, Ordinis Cisterciensis Generalem, postcà in Salmantina Vniversitate Theologiæ professorem Primarium, *se non habere animum, vt vel vnicam gallinam iuberet emi ad proprios vsus*; & tamen erat nobilissimus, doctissimus, & liberalissimus; sed sic loquebatur, quia videbat pecunias, quas ieiunando Sæculares congesserunt, vt Monasterio darent; non esse à Prælato prodigendas, aut decoquendas, sed ad ordinarium, modestúmque Religiosorum vsum, & pauperum levamē servandas. Scio eundem, cum Monasterium N. Visitaret, & in mensa Salmonem recentem videret magno pretio, vt in Hispania solet, procuratum; noluisse tangere, & posteà graviter punisse Cellerarium. Scio alia, quæ esset per longum recensere. Et tamen cognosco etiam Abbates, quibus iniurius est Oeconomus, si aliquid in provincia exquisitum summo emi pretio possit, & in mensa absit. Omitto maiora, & peiora, quia si hæc non concedo, quid sum dicturus, de gravioribus, scitur. Hactenùs celeberrimus Doctor Ioannes Caramuël.

DVBIVM VI.

An Prælati Regulares ex bonis suorum Conventuum aliquid sibi assumere, vel consanguineis suis donare licitè benè valeant, absque proprietatis peccato?

BREVIARIVM.

Axioma.

Quidquid Religiosus sive subditus, sive Prælatus acquirit, Monasterio acquirit, n. 10.

Eleemosyna.

Prælatus Regularis debet eleemosynam, etiam de non superfluis facere, n. 4.

Paupertas Religiosa.

Aliquid notabile nequit Religiosus donare intra, aut extra Monasterium sine licentia tacita, vel expressa Prælati, n. 6.

De Prælati licentia, quantum dare possit in anno consanguineis pauperibus ex suo peculio, n. 5. 6. *& quoties*, n. 8.

Improbatur, quod Prælati, durante officio, sibi marsupium faciant, prætextu emendi libros, planetas, &c. pro communi Conventus servitio, n. 13.

Pluralitas.

In numero duorum salvatur, n. 8.

Prælati.

Ea bona sibi possunt assumere ex bonis Conventuum, quæ alij concedere queunt, n. 1.

Generalis an aliquid assumere possit, n. 12.

Posse Prælatum ex bonis Conventus assumere sibi, aut ad pias causas, decem aureos singulis annis, & viginti si pinguis Conventus sit, servatis servandis, docet Peyrinus, n. 2. 3. 4.

An possit donare, & quantum, ex bonis propria industria acquisitis, n. 9. 10. 11.

HAnc difficultatem discutit Laur. de Peyrinis *tom. 2. de Prælato, q. 1. cap. 5. §. 1. n. 56.* & ad illam respondet. I. respiciendum in hoc esse ad Religionis consuetudinem, & abundantiam, vel penuriam. II. Certum esse, ea bona posse sibi assumere Prælatum, & in proprios vsus convertere, quæ aliis concedere potest.

Responder tertiò, posse Prælatũ ea Conventus sui bonis, sibi assumere, & in proprios vsus convertere, vel suis parentibus indigentibus, vel aliis, ad pias causas donare, v.g. pro nuptijs puellaru m vsque ad summam decem aureorum, singulis annis: etsi Conventus sit pinguis, id posse bis in anno, & hoc etiam sine licentia, & consensu Conventus.

3 Addit tamen aliquas limitationes, & fallentias menti Prælati tenendas. *Prima* est, dummodò aliud non habeat Religionis constitutio, aut consuetudo. *Secunda* est, dummodò obligationes Monasterij priùs adimpleat. Religiosos alat, vestiat, suppellectilia emat necessaria, Conventum reparet, &c. *Tertia*, dummodò propter dictam assumptionem, vel donationem Religiosi posteà penuriam non patiantur aliquam.

4 Quibus limitationibus additis, tertiam suam sic probat resolutionem, videlicet. Sicut enim potest, imò debet, etiam de non superfluis, eleemosynas facere, ita potest eas sibi attribuere, vel potiori iure suis consanguineis donare. Ita Ludovic. Lopez, 2. *part. instruct. cap.* 5. §. *Primò, quod in aliis.* Corduba *in Summa*, q. 54. *versic. Respondo tres cosas.* Petrus Navarra *lib.* 3. *de Restit. cap.* 1. *n.* 183. Fagundez *in* 2. *Præceptum Ecclesiæ*, *lib.* 8. *cap.* 6. *nu.* 12. Llamas 3. *part. Met. cap.* 13. §. 15. Cruz *de Statu Religios. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 5. *concl.* 1. Diai cum alijs *tom.* 1. huius operis *q.* 2. *cap.* 2. §. 6. *conclus.* 2.

5 Hactenùs Peyrinus, loco primo allegato: & quæ sequuntur, in secundo reddito, docet. Dico secundò. Religiosus habens peculium de licentia Prælati, ea illo, vel alijs, quæ sua industria acquirit, potest dare aliquid suis consanguineis pauperibus, vsque ad summam decem ducatorum, vel etiam plurium iuxta eorum necessitatem, arbitrio prudentis pensandam, vna, & pluribus vicibus in anno. Ita Beya, 4. *part. Casuum, casu* 2. *colum.* 3. Vega 2. *part. Summa, cap.* 86. *casu* 30. Roderiquez *tom.* 2. *Summa, cap.* 32. *conclus.* 3. *dub.* 9. Sanchez *loco citato* (scilicet *tom.* 2. *in Decalogum, libro* 7. *cap.* 19.) *nu.* 42. Probatur. Quia habens peculium iustè concessum, potest ea pendere illud in omnes eos vsus, qui rectæ rationi non adversantur. Sed hîc nihil rectæ rationi adversatur. Ergo. Pluribus id probat Beja.

6 Hæc Doctor præfatus, circa quæ aliqua advertere libuit. *Primum* est, donationes, quas ille Religiosis concedit, intelligendas esse licitas si Prælati licentia ad illas intercedat, aliàs non. Et hoc quidem ea eodem demonstro Peyrino *eodem* §. 6. cum, ea minori illa propositione, *Sed hic nihil rectæ rationi adversatur.* Adversatur enim quod Religiosus actum exerceat proprietatis, qui dubio procul, in donatione facta independenter à Prælati voluntate, exercetur. Tum etiam ex *concl.* 1. Huiusmodi illa est. Dicendom est, Religiosum non posse aliquid notabilis quantitatis donare, etiam ex ijs, quæ sibi sunt ad vsum concessa, tam intra, quàm extra Monasterium absque Prælati licentia tacita, vel expressa, & contra faciens mortaliter peccat contra votum paupertatis.

7 Hanc conclusionem probat authoritate Divi Antonini 3. *part. Summ. tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. *notab.* 2. & 4. Sylvestri *verbo Religiosi* 6. *q.* 7. *dub.* 2. Passarelli *in Compendio privilegiorum Minorum post. cap.* 43. *tit. de Proprietate abdicanda, vers. Si verò Religiosus*, Roderiquez *tom.* 3. *qq. Regularium, quæst.* 29. *art.* 10. *conclus.* 3. Lessij *lib.* 2. *de Iustit. cap.* 41. *dubit.* 9. *num.* 79. *versic. Quintò.* Sanchez *tom.* 2. *in Decalogum, lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 64. Bartholomæi à Sancto Fausto *de Vitio proprietatis, quæst.* 42. & Beiæ 4. *part. casuum, casu* 32. *versic. Quod autem spectat.* Probat & ratione hac duplici. I. Quia huiusmodi Religiosus vsurpat rem tanquam propriam, quando eam vsurpat independenter à Prælati voluntate: & sic tanquam dominus se gerit. II. Quia vsuarius re frui potest sibi ad vsum concessa; non tamen alteri dare valet: vti & nos etiam diximus *dubio* 1. *numero* 20. Religiosus autem est simplex vsuarius facti.

Secundum verò est, facultatem à Peyrino ad 8
donandum pluribus vicibus in anno, Religiosis concessam, ad duas tantùm vices extendi. Cum, quia hanc solùm facit ipse Doctor Prælatis, qui peioris quidem conditionis non sunt, quàm subditi esse dignoscuntur. Tum etiam, quia *pluralitas* in numero duorum salvatur. *Cap. Pluralis locutio duorum numero est contenta*, el 40. *de Regulis Iuris, libro* 6. & ibi Glossa, *cap. Is cui*, §. *Si verò*, el 19. *de Præbendis*, & *Dignitatibus*, *eodem libro.*

Quartò respondet loco Peyrinus, vbi *num.* 1. in 9
sententia Llamæ *part.* 3. *Method. cap.* 13. §. 15. *ad finem*, posse Prælatos pecunijs, quas proprio labore, prædicando, docendo, confessiones audiendo, aut libros scribendo comparant, in quoscumque vsus sibi benè visos, etiam extra Religionem eas donando, vti. Quia cum nomine Monachi in odiosis Abbas non veniat, & id quod dicitur, *Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit*, odiosum sit, in eo Abbas non comprehenditur, seu alius Prælatus quilibet.

Ipse tamen Peyrinus, in propria sententia, respondet, & meliùs quidem, non videri iustum, 10
neque æquum quod Religio Prælatum alat, vestiat, omniáque necessaria abundanter ministret, & quod Prælatus si aliquid acquirat propria industria, sibi illud acquirat. Præterquàm quod Religiosus, etiamsi Prælatus sit, ea propriis nihil acquirit, sed ex propriis Conventus. Omnes enim labores, & industriæ Religiosi cuiuslibet, vinculatæ sunt in Religionis servitium: vnde eisdem servitiu vinculatum esse debet omne id, quod eisdem industriis, & laboribus à Religioso comparatur quocumque. Quare odiosum non est, sed iustum, quod omnia à Religioso acquisita, Monasterij sint cum Monasterij viribus acquisita verè sint.

Putat tamen Peyrinus, posse Prælatum ea à se 11
præfatis modis, acquisitis liberiori manu aliquid in pias causas, etiam extra Religionem, erogare; non tamen omnia.

Recenset etiam Peyrinus Ludovicum Lopez, 12
Cordubam dicentes, posse Generales, & Provinciales ea Monasterij bonis, summam decem, vel 20. ducatorum etiam extra Religionem donare, vel sibi applicare. Ipse tamen dissentit, quoad generalem, & Provinciales suæ Religionis, quia omnimoda administratio penes Correctionem, & Capitulum locale residet. Et eadem ratione ductus, quoad Generalem nostræ Hispanæ Congregationem Benedictinæ, pariter & ego dissentio. Quia administratio bonorum Conventuum nostrorum, penes Dominum residet Abbatem localem.

Improbat tandem Laur. de Peyrinis, quod sibi 13
licere putant superiores aliqui, qui officio durante, marsupium

marsupium sibi faciunt, dicentes, hac pecunia emam, deinde libros pro bibliotheca, faciam pro Sacristia, planetas, &c. Nam, præterquàm quod facilè se ingerit speciesista boni, & faciliùs deindè dulci cedit retentioni, vana rerum futurarum dubietate, vel spe accusantem conscientiam quietare satageos, non est in potestate Superioris eos sumptus facere; & dimisso officio, debet etiam curam illius dimittere. Nec potest (addit) moveri zelo, nam si iudicabat, Conventum illis rebus indigere, providere debebat cum ad id tenebatur. Ita Graffius *de casibus reservatis*, *lib.* 3. *cap.* 7. *n.* 31. Miranda *tom.* 1. *Manualis*, *qu.* 28. *art.* 12. *concl.* 1. Hactenùs Laurentius de Peyrinis.

DVBIVM VII. Incidens.

An possit Prælatus rem à se alienatam repetere, etiam propriam allegando turpitudinem?

BREVIARIVM.

Alienatio.

Nihil potest Ecclesiasticum invita alienari communitate, n. 5.

Nemo potest huiusmodi subscribere alienationi, numero 10.

Quilibet Ecclesiasticus potest bona malè alienata, cum fructibus reposcere, n. 1.

Repetere nequit Prælatus, quæ ex communitatis libera consensu dedit, n. 2.

Nec potest repetere, quæ dedit secundùm Regulam, moribus, & privilegiis temperatam, etiamsi sit invita communitas, n. 3. 5.

D. Bernardus.

Fundum B. Norberto dedit; vt Præmonstratum ædificaret, n. 4.

Consilium.

Abbas debet attenta sancta Regula consilium petere, non tamen sequi, n. 5.

Sed attentis Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis, vota decisiva Patrum sequi debet, si prævaleant, num. 6. 7.

Contractus.

Nullum potest in Congregatione nostra contractum celebrare aliquis, nisi Conventus, n. 7.

Electio.

Electio est alicuius certæ personæ, canonicè facta voluntaria vocatio, à maiori parte interessentium, & habentium ius eligendi; legitimè congregata; num. 9.

Triplex est forma electionis. Per Scrutinium. Compromissum. Et per inspirationem, n. 9.

Votum decisivum in electoribus, electio exigit, numero 9.

Abbates, Priores annexorum, & Superiores Grangiarum electivi, in nostra Congregatione sunt: & Patres Consiliarij vota habent decisiva, n. 8. 9.

Prioratus.

In Prioratibus nostræ Congregationis, qui residere non valeant, n. 8.

Regula.

Cui non licet, quod minus est, quod maius est non licebit, n. 9.

Hanc movet difficultatem Ioannes Caramuel 1 *in Theologia fundamentali*, *nu.* 1069. & affirmativè respondet apud eum Henticus Canisius, *ex l.* 1. *Cod. de Liberali causa, & ex cap. Si quis el 6. de Rebus Ecclesiæ non alien.* vbi sic Symmachus Papa decernit, §. *fin.* sed etiam licet (aliàs, liceat) quibuscumque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, & vt cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica auctoritate fulciri. Habetur hoc idem Decretum 12. *q.* 2. *can. Non liceat.*

Ipse tamen Caramuel sic sub distinctione res- 2 pondet. Videlicet. Teneo *primò*, non posse repetere, quæ dedit ex consensu suæ communitatis. Excipe casum, in quo communitas non sit libera, sed indigeat Superiorum licentia.

Teneo *secundò*, non posse repetere, quæ dedit 3 secundùm Regulam, & si sit invita communitas. Tunc enim illa donatio esset valida. Regulæ nomine intelligo privilegiis, & moribus temperatam. Et vt meliùs rem capias, pono exempla domestica.

D. Bernardus consultis suis Religiosis, (An & 4 consentientibus? nescio; sed maioris claritatis gratia, dissensisse dicantur:) fundum dedit B. Nerberto, vt Præmonstratum ædificaret: & ante paucos annos Fernellius Cœnobij Viritinsis Antistes, vnam arcem, vt Patres Franciscani in Cœnobium erigerent: & quidem etiam consultis, invitis tamen Religiosis, & quæris, An ex donationes sint validæ? An Bernardus, Fernelliusque possint bona à se alienata, Ecclesiarum suarum nomine repetere, etiam culpam suam allegando?

Et respondeo, Fernellium posse, & Bernardum 5 non posse. Aio posse Fernellium, quia iuxta morem nostri ævi, & Constitutiones Pontificias, nihil potest invita communitate alienari. Addo tamen Bernardum non posse; nam stando Regulæ Matri, si alienati fundum res magni momenti credatur, debet Abbas vniversos consulere, & audire; si res parvi momenti dicatur, debet saltem consulere, & audire seniores, in neutro tamen casu tenetur illorum sequi iudicium, sed potest iuxta caput tertium Regulæ, quod meliùs iudicaverit, facere. Cum igitur D. Bernardus professus fuerit, servaveritque Regulam ad literam, nullo vsu, nullo privilegio temperatam, validè illum fundum Beato Norberto dedit, nec illum potuit nomine communitatis repetere; quem enim regulariter dederat, dederat nomine suæ communitatis. Hucvsque noster Ioannes Caramuel.

Quæ quidem Caramuelis, quoad Fernellium 6 responsio, sequenda indubiè venit, & alijs omninò casibus, in quibus Monachi decisivum à iure votum habent, vel à Generali Ordinis Capitulo, & non solùm consultivum, quod tantùm in vim sanctæ Regulæ habere dignoscuntur. Ita enim ait Nicolaus Bravo, in notis literalibus illius, ad *c.* 3. *sub n.* 3. *pag.* 96. Nota quartò. Iam textum Regulæ non habere locum in casibus, in quibus de iure Pontificio stabilitum est, Monachos Monasterij habere votum decisivum, sive in alienationibus, sive in electionibus, & alijs actibus à Iure decretis, iuxta dicta in introductione *art.* 9. *n.* 10. & idè esto, de illis, quæ pari modo demandata sunt decisivis Suffragijs, sive Conventus, sive seniorum, sive Deputatorum, per Diffinitiones, aut Constitutiones proprij Capituli Generalis, seu Provincialis Congregationum, iuxta legitimam Superioritatem cuiusque. Quod auctoritate Apostolica subsi-

stere, & restrictiones, limitationésque posse facere, respectu inferiorum, aliàs probavi ex Suarez *to.* 4. *in 3. part. disp.* 26. *sect.* 1. *num.* 11. *& disp.* 27. *sect.* 2. *num.* 9. & Miranda *tom.* 2. *Manuali, quæst.* 19. *ar.* 5. *& quæst.* 43. *art.* 4. & Reginaldo *lib.* 1. *sect.* 2. *n.* 38. & Sanchez *in Summa, lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 42. & Llamas, 2. *part. methodi, cap.* 5. §. 5. & aliis, vt in meo tractatu Monastico, *cap.* 7. *n.* 10. Hactenùs Bravo.

7 Et quidem in nostra Congregatione Hispana, in Constitutionibus S. Facundi *cap.* 53. duas, ad comprobandam hanc doctrinam stabilitas invenio. *Prima* sic ait, *num.* 12. Mandamos so pena de privacion de su Officio, Al Abbad, no permita, ni de consentimiento, para que el Convento de poder al Mayordomo, ni à otro Monge, ni el mesmo Abbad le tome para si, para ottorgar censo, vita, o foro, o arrendamiento, por si solo, sin el Convento, &c. *Secunda verò, n.* 19. in hunc modum disponit. Declaramos, que ningun censo perpetuo, ni de por vida, ni al quitar se puede tomar en Monasterio alguno, ni vender, ni trocar, ni enagenar hacienda alguna raiz, salvo algunos foros, o vitas de hasta ocho mil maravedis de principal, sin licencia del General,....Y despues de havida la licentia del Reverendissimo General, ha de preceder el pareçer de la mayor parte del Consejo, y los tres tratados, que el derecho manda, para que los tales contractos sean validos.

8 Hæc ibi, *& cap.* 57. earundem Constitutionum *num.* 1. quæ sequuntur. Ordenamos primeramente, que los Abbades de Filiaciones, Priores de Prioratos, y Superiores de las Granjas, se elijan por el Abbad, y Monjes del Consejo de los Monasterios, cuios annexos son, guardando la costumbre, que cada casa tiene de vso en la forma de elegir. Y quanto alos Monges subditos, que han de residir en los dichos annejos, mandamos alos Abbades so pena de suspension de seis meses, a ninguno embien a residir en annexo alguno, quo no tenga mas de siete años de habito cumplidos, y por lo menos treynta años cumplidos de edad, y todos ayan de yr con pareçer de los del Consejo, votando por havas, precediendo Iuramiento de que el tal Monge es el que cumple para el annexo donde se embia, y concurriendo la mayor parte de el Consejo. Y de la misma manera, y no de otra, se ha de mudar de vn priorato à otro.

9 Circa quam Constitutionem advertere libuit, contra aliquos falsò oppositum sentientes, Consiliarios votum habere decisivum in electione Abbatum, Priorum, & Superiorum annexorum, & non consultivum tantùm. Latè id probavi *in Disquisitione Pastorali, de Iure prioris annexi, num.* 39. *& seqq. vsque ad num.* 70. & summatim probo. I. Quia in rigore iuris electivi sunt dicti Prælati. II. Quia constitutio ordinat, *se elijan por el Abbad, y Monges.* Lex autem iuxta proprietatem verborum, lata est, & intelligi debet, maximè si iuri communi consonet: quod dubio procul, in electionibus, votum postulat decisivum. Est enim electio *alicuius certæ personæ canonicè facta voluntaria vocatio à maiori parte inter essentiam & habentium ius eligendi, legitimè congregata.* Vidal, *tit. de Elect. Canonica, num.* 3. cum Hostiens. Ioannes Andrea, & Abbate *in Rubrica, de Postulat. Prælat. in* 6. Alterio *tom.* 1. *de Censur. lib.* 2. *cap. in princ.* Decio *in Rubric. de Elect. n.* 1. & Megala in Promptuario *verbo Electio, num.* 1. Electio igitur in electoribus decisivum exigit votum. Et si hoc non habent Consiliarij in nostro casu; neque illud habet Abbas in vim dictæ Constitutionis, quia hæc, non alio modo committit Abbati, quàm Consiliarijs electionem. Nec obstat clausula: guardando la costumbre, &c. Quia intelligi debet, de vna ex tribus eligendis formis, à Iure præscriptis: videlicet per *Scrutinium*; aut per *Compromissum*; vel per *Inspirationem.* Aliam namque, nec Conventus, nec tota quidem Religio instituere valet, nisi expressam ad id habeat Apostolicam potestatem, iuxta ea, quæ cum pluribus docui, *eadem Disquisitione, n.* 83. *& seqq. tribus.* III. Quia sine voto decisivo Consiliariorum, nequit Abbas ad annexa transmittere subditos: ergo nec poterit sine illo Superiores transmittere. Quia, cui non licet, quod minus est; quod maius est non licebit, *cap. Cum illorum, el* 32. *de Sent. Excomm.* vbi Glossa *verbo Minora,* & *in cap. Cui licet, verbo eod. el* 53. *de Regulis Iuris.*

Illud autem quod Caramuël de B. Bernardo dicit, mihi non satis probatur: quia Sanctus iste vixit per tempora Pontificum Innocentij II. & Cœlestini II. *los* 170. *y* 171. & Symachus fuit Papa 51. in ordine, incipiendo illum à D. Petro: qui quidem Symmachus, sic *in dicto cap. de Rebus Ecclesiæ non alienandis decernit.* Si quis Presbyterorum, Diaconum, seu defensorum, alienanti prædictum Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: nisi fortè & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint. Si ergo Femellius potuit repetere arcem à se donatam, quia post Regulæ ordinationem, aderant Constitutiones Pontificiæ, potuit & D. Bernardus, quia suo ævo, & multò antea aderat Symachi Decretalis. 10

DVBIVM VIII.

An Conventus, seu Capitulum Regulare contra paupertatis votum peccet, & proprietariorum pœnas incurrat, si superflua habeat, & in profana bona insumat, aut ad id facultatem particularibus faciat Religiosis?

BREVIARIVM.

Ædificia.

Reprehenduntur severè Prælati, & Conventus fastuosè, & superbè ædificantes, n. 10. 11.

Alienatio.

Non possunt alienare Conventus bona immobilia, aut mobilia pretiosa, sine Papæ licentia, n. 2.

Culpa.

Culpa, cui pœna aliqua infligitur, formaliter, & qua talis culpa intelligi debet, n. 20.

Curiositas.

Vitium curiositatis reprobatur, n. 14.

Dictiones variæ.

Decernimus, *novum inducit ius,* n. 13.

Mandamus, *ius novum pronuntiari declarat,* n. 13.

Volumus, *dictio, demonstrat, ius novum induci,* n. 13.

Discretio.

Virtutum omnium mater, discretio est, n. 14.

Dominium.

Duplex est, aliud commune, spectans ad determinatum

1 SVppono aliquas Religiones habere verum Dominium in communi, & non tantùm ius administrandi, vti Navarrus contendit, *comment.* 1. *de Regularibus, num.* 31. *& comment.* 2. *num.* 3. & quidem non solùm rerum mobilium, sed etiam immobilium, & redditu um annuorum. Huiusmodi ante Tridentinum Concilium fuere omnes Monachales Ordines; post illud autem sunt omnes Monachales, & Mendicantes, præter Ordinem Capucinorum, & Minorum, de Observantia, qui privilegio facto omnibus Mendicantibus, de habendo Dominio rerum, etiam immobilium, in communi, renuntiavit, ex Tridentino *sess.* 25. *c.* 3; *de reformatione*: & præter Societatem IESV, quoad Domos professas, quæ nulla immobilia, sive redditus habere potest, neque pro fabrica, aut Ecclesiis, vti ex *can.* 21. 2. Congregationis Generalis illius, doctissimus docet Amicus, *in cursu Theologico, tom.* 5. *disp.* 14. *de subiecto Dominij num.* 21. *pag. mihi* 166. & quoad reliquas Religiones, consonat Amico, Cardinalis de Lugo, *tom.* 1. *de Iustitia, & Iure disp.* 3. *sect.* 4. *num.* 74. *pag.* 56. vbi, quæ sequuntur addit.

2 Denique votum paupertatis non impedit tale Dominium in communi, imò illud videtur supponere: nam eo ipso quod subditus promittit se non vsurum bonis temporalibus, nisi dependenter ab aliis, nempe ab iis, qui nomine Conventus ea administrant, supponit eorum Dominium penes communitatem esse: atque ideò eius consensum necessarium fore ad vsum talium bonorum. Fatemur tamen Dominium illud non esse omninò liberum, & absolutum, cum non possit Conventus alienare immobilia, vel etiam mobilia pretiosa sine consensu Pontificis: quare videtur habere illa, quasi cum vinculo, & obligatione transferendi ad successores. Hactenus Eminentissimus Lugo.

3 Bussembaum, *in Medulla, lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. ait. Non repugnat voto paupertatis, quod Religiosi habeant bona in communi, etiam immobilia. Sed ad suppositum probandum, recensere duxi D. Bonavent. *tom.* 1. *opuscular. in Apologia pauperum artic.* 1. *responsionis* 2. *tertia particula, pag.* 453. *col.* 1. Ita de Religiosa paupertate fatur. Cum autem circa bonorum temporalium possessionem, duo considerare contingat, Dominium, scilicet, & vsum: sitque vsus necessarius connexus vitæ præsenti, Evangelicæ paupertatis est, possessiones terrenas quantum ad Dominium, & proprietatem derelinquere; vsum verò non omninò reiicere, sed arctare, iuxta id, quod dicit Apostolus.

lus. Habentes alimenta, & quibus tegamus, his contenti simus.

4 Ex his potest colligi paupertatis Evangelicæ ratio, scilicet, quod ipsa sit virtus temporalium, abdicativa bonorum, qua quis nihil proprium habens, sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicate Dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo, ideò paupertatis Evangelicæ duplex est modus, duplexque perfectio.

5 Cum enim duplex sit rerum Dominium, scilicet privatum, & commune: vnum quidem spectans ad determinatam personam; alterum verò ad determinatum Collegium: & primum abdicari possit, retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo, duplex erit secundùm hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio. Vna videlicet, qua quis temporalium omnium privato, seu personali abdicato Dominio, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, communi tamen Iure cum aliis participato, & simul possesso. Alia verò, qua quis omnium rerum abdicato Dominio, tàm in proprio quàm in communi sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, sed alieno; piè tamen, & iustè ab alio sibi pro sustentatione collato. Primæ paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua in *Actibus* (scilicet *Apostolorum cap.*4.) dicitur multitudinis credentiũ erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

6 Hæc & alia Bonaventura ibi: & in fine articuli, quæ sequuntur. Non tamen ex hoc debet, vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi, sit imperfectum. Quia sicut perfectæ castitatis diversi sunt modi, quorum variis prærogativis Sancta mater Ecclesia, tanquam ornamentorum varietate decoratur, sicut in modis perfectæ paupertatis intelligendum est, quanquam non sit per omnia simile hinc inde, sicut diligenter considerantì est evidens. Hæc omnia D. Bonaventura.

Oviedo *tr.*9. *in Proæmio pag.*235. plures adducit textus Iuris, & D. Thom.

CONCLVSIO I.

7 Peccat mortaliter Conventus Regularis, contra votum paupertatis quidem, ac per consequens sacrilegium committit, si superflua, & statum paupertatis dedecentia habeat, aut superfluè expendat, vel in profana insumat per se, vel per Religiosos particulares, facultatem, & licentiam eis concedendo; non tamen peccat ex vitio proprietatis.

Hanc conclusionem, quoad suam vltimam partem, tenet Cardinalis de Lugo, *tom.* 1. *de Iustitia, & Iure, disput* 3. *sect.*7. *num.*132. ibicum repugnet vitium proprietatis communitati, vt communitas est, sicut ex terminis ipsis opponuntur proprium, & commune. Ita Cardinalis. Cuius ratio fundamentalis est. Quia vitium proprietatis tunc datur, quando ex bonis communibus, aut quorum administratio ad Conventum, vel ad Prælatum (illius scilicet nomine) spectat, aliquis propria auctoritate aliquid vsurpat, vel expendit per se vel per alium: (in Moralibus enim perinde est facere aliquid per alium, consulendo v. g. mandando, aut facultatem concedendo, &c. ac per se ipsum facere,) & quando quis (addo ego) rebus, quarum dominium proprietatis non habet, tanquam sui s vtitur. Sed neutrum in nostro contingit casu, cum Conventus dominij capax (de hoc enim solùm nostra procedit conclusio) rebus propriis, & non alienis vtatur, & quarum administrationem Conventus ipse habeat. Ergo habendo, aut expendendo superfluè, & in profana, & in statum Religiosum dedecentia bona Monasterij insumendo per se ipsum, vel per Religiosos particulares proprietatis vitium non incurrit.

Primam verò partem conclusionis, præter Cardinalem præfatum *in allegato loco, & num.* 131: 8
tenent Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum lib.*8. *quæst.*99. cum Mendoza, *quodlibetis, quæst.*8. *art.*6. & Navarro, *commentario* 2. *de Regularibus, num.* 23. & cum eodem, *in cap. Non dicatis num.*55. *corollario* 12. *et* 111. *causa* 12. *quæst.*1. Emmanuel Roderiquez *tom.*3. *quæstionum Regularium, quæst.* 29. *art.* 11. *versic. Respondeo*, Leonardus Lessius, *de Iustitia & Iure lib.*2. *cap.* 18. *dubit.*11. *num.*84. *pag.*188. Layman *lib.*4. *tract.*5. *cap.*7. *num.*14. cuius verba recensui *dub.*5. *num.*10. Tamburinus, *de iure Abbatum, tom.*3. *disp.* 11. *quæst.* 12. *in fine* de Abbatibus, & Prælatis loquens, qui superflua, & nimis curiosa ædificia construunt.

Ratio ea est, quia licèt Conventus dominium bonorum habeat, restrictum tamen per votum, & Iura.

II. Ratio conclusionem probat, firmat sic. 9
Votum paupertatis non solum vitium proprietatis prohibet, sed ea etiam, quæ pauperum repugnant statui. Ita Ioannes Martinez de Prado Complutensis Cathedræ Vespertinæ Sanct. Theologiæ Moderator, *in Theologia Morali, tom.*2. *cap.* 21. §. 4. *num.* 28. *versicul. Ratio.* Cardinalis de Lugo, *vbi proximè, num.* 132. vbi addit. Alioquin communitas non peccaret contra votum paupertatis. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.*8. *quæst.* 99. cum Mendoza, *in Quodlibetis, quæst.* 8. *art.* 6. & alij Doctores num. præcedenti allegati. Sed statui pauperum repugnat habere superflua, superfluè expendere, & bona in profana insumere per se, vel per alium. Ergo cum conventus Regularis voto adstringatur paupertatis, communitas enim Religiosa, (vti benè ait Cardinalis de Lugo *d. disp.* 3. *sect.*8. *in Appendice n.* 185. *Paulo post medium*) est quasi persona faciens professionem paupertatis, & D. Bonau. *tom.* 1. *opusculor. in Apologia pauperum art.* 1. *quartæ responsionis.* 2. *particula pag.* 475. de sua Religione loquens, ait. Sanè quemadmodum essentiale cuiuslibet Religionis statui esse dignoscitur, quod nulla persona privata possideat aliquid proprium, sic nec huiusmodi pauperum Religio tota, quæ quidem ad abdicationem proprietatis censetur, sicut vna persona. Illud lethaliter violabit, & Sacrilegium committet, si superflua, & statum paupertatis descendentia habeat, aut superfluè expendat, vel in profana insumat bona per se, vel per Religiosos particulares, ad id facultatem, licentiam concedendo.

Duo hîc adnotare libuit, in quibus non ratò 10
Conventus Regularium, & eorum Prælati, gravissimè contra paupertatis votum, & statum pauperum delinquunt; & alias in iis, se obsequium maximum Deo præstare, falsò credunt. *Primum* est, fastuosa, & superba Monasteriorum ædificatio; & quod execrandum etiam est, detrahendo Religiosis necessaria ad victum, & vestitutum, & debita

debita creditoribus, & forte grauiter indigentibus, & inuitis, non soluendo. Primo enim loco, ex iustitiæ debito, Religiosi decenter sustentari debent, & debita solui. Secundo autem, Domus extruantur. Et extruantur Domus pauperum, non Imperatorum, vel Regum palatia. *Ædificia fratrum* (inquit Hugo, de claustr. animæ *lib. 2. cap. 4.* penes Tamburinum *tom. 3. disp. 11. q. 12.* & penes Laurentium de Peyrinis, *tom. 1. de subdito quæst. 2. cap. 2. §. 2. versiculo. Secundum,*) *non superflua sint, sed humilia non voluptuosa, sed honesta. Vtilis est lapis in structura, sed quid prodest in lapide calatura?* D. Bernardus, in Apologia ad Guillelmum Abbatem, sic ait. Iam enim subintrauit de ære alieno sumptuosa, & (quantum sinit pudor) ambitiosa cellarum ædificatio, & abiecta sancta simplicitate, & rusticitate quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates: dimissam enim nobis à Patribus nostris iure hæreditario formam paupertatis, & Sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem Domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificium exquisitorum cellas, non tam eremeticas, quàm aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum. (& paulo infra.) Ergo, obsecro, in peregrinatione huius sæculi, in malitia hac super terram, ædificemur nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, vtpote cito inde vocandi, & migraturi in patriam. Et D. Bonau. occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem Fratrum inquietat, grauat amicos, & hominum peruersis iudiciis multipliciter nos exponit: & non sine præiudicio paupertatis, occurrit sumptuositas expensarum. Nam cum Fratres paucis nolint esse contenti, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur. Recensentur sic à Tambur.

11 Concilium Viennense sub clemente V. sic decernit de ædificiis Minorum, in *clementina exiui de Paradiso, la 1. de verborum significatione. §. Hinc est.* Ideoque volumus quod vbique in suo ordine deinceps temperatis, & humilibus ædificiis sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ, quod potest oculis, contrarium foris clamet. Ita textus. Glossa autem ex Zabarellæ scriptis desumpta, *verbo Hinc est,* sic ait. Tertiò nota, quod ex actibus illicitis, præsumitur de mente contaminata. *De præsumptionibus cap. 1.* (forte incuria typographi sic lego; facit tamen *caput. Aferte, el. 2.* Vbi ex verbis mulieris potentis diuidi infantem, violenter præsumpsit Salomon illius filium non esse:) sic enim dicit, quod ex ædificiis immoderatis præsumitur contra humilitatem, & promissam paupertatem Fratrum. Hæc Glossa, quæ quidem, & & concilium, licet de Fratribus Minoribus loquantur, de omnibus Regularibus, cum proportione intelligi debent, quia licet non ita strictè, omnes humilitatem profitentur, & paupertatem permittunt.

12 *Secundum*, in quo non parum paupertas Religiosa violatur, & diuina offenditur Maiestas, est nimia cura, quam communitates aliquæ earumque Prælati, in sacris templi vasis, & ornamentis, ac aliis Ecclesiasticis paramentis emendis collocant: superfluis quidem, & Cathedralibus potius Ecclesiis sæcularibus diuitibus, quàm humilibus, & pauperibus Religiosorum templis, dignis. Cathedrales itaque Ecclesiæ fulgere, & splendere debent auro, diuitiis, ornamentis, & paramentis, tanquam Matres diuites aliarum Ecclesiarum. At Religiosorum Ecclesiæ, fulgeant (esto exemptæ sint) & splendeant, vt filiæ, vt pauperes. Non enim Deus optimus, Maximus, summè vtique colendus, eum exigit in omnibus suis templis ornatum. Templa enim illius viua, Religiosorum scilicet, & pauperum corpora, prius refici, & vestiri vult, postea autem templa manufacta, & mortua, seruatis modestiæ, & possibilitatis, seu status exornantium limitibus exornare. Si enim pro pauperum sustentatione vasa sacra frangere, & vendere licet, quantò magis licebit, imò potiùs debebit pro eorundem, & filiorum Religiosorum sustentatione, & vestitione eadem vasa, & alia vasa, ornamenta, & paramenta non ita ad sacrificium, & cultum Diuinum necessaria, non emere?

Quocirca Clemens Papa V. in Concilio Viennensi relato, *in Clementina Exiui, la 1. de verborum significatione, §. Quamuis.* Ita decernit. Quamuis etiam paramenta, & vasa Ecclesiastica ad honorem Diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus, tamen qui absconditorum est cognitor ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, *nec per illas sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni, & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, in numero, & in magnitudine sufficientia competenter, Superfluitas autem, aut nimia pretiositas, vel quacumque curiositas in his, seu aliis quibuscumque, non potest ipsorum professione, vel statui conuenire, cum enim hæc sapiant thesaurizationem, seu copiam, paupertati tantæ quoad humanum iudicium derogant manifestè. Quapropter præmissa seruari à Fratribus volumus, & mandamus.* 13

Hæc omnia Concilium præfatum, cuius dispositio, vti colligitur ex dictionibus: *volumus: mandamus,* nouum ius inducit, vt aduertit Lezana, *tom. 3. in Maremagnum Minorum, circa §. 71. num.* 220. Quia dictio *volumus,* hunc habet effectum, Glossa, *in Clementina 1. de rerum permutat.* Abbas *in cap. Sedes Apostolica, de Rescriptis.* Barbar. *in Clement. litteras, in 4. col. dict. tit.* Flam. Parisius, *de confidentia benefic. quæst. 58. num. 44. in fine.* Quod potiori iure operatur dictio *volumus,* iuxta ea, quæ ibidem ait Lezana *de dictione, Decernimus,* ex Gloss. *in cap. Eos de Sent. excomm. lib. 6. Clement. 1. de causa possessionis, & proprietatis. Clement. 2.* vbi Glossa, *verbo, Decernimus, de rebus Eccles. non alienandis.* 14

Circa quam Clementinam Zabarella, *verbo Quamuis,* tria notat, pro nostro instituto satis opportuno. I. Quod superfluitas etiam reprobatur in rebus ad cultum diuinum deputatis. Cum, ob rationem textus præfati. Tum etiam, quibus debet in omnibus seruari modus vt cum discretione fiant, quæ noscitur omnium virtutum esse mater, *cap. custos, el 1. de Officio custodis,* ex Ordine Romano desumptum. *can. Præsentium, el 3. causa. 1. quæst. 5.* ex Epistola nostri Vrbani Papæ II. ad Albertum Metensem Episcopum. Et Terentius in Andria: Id arbitror in vita apprimè esse vtile, vt ne quid nimis. II. Quod curiositas reprobatur. *cap. Quoniam, el 1. de Renunciatione, lib. 6.* III. Quod cauendum est etiam per Religiosos, ne humano damnentur iudicio: & quod curare debent de bono testimonio, & opinione, addit *verbo: Cæterum, in fine.* Quod vtrique Clementina præfata, *§. Cæterum, in fine* etiam ostendit his verbis: vt vere cunctis pateant esse tam salubris instituti pa- 15

terni

terni ſtudioſi Zelatores, ſeduli, & perfecti. Conſonat Innocentij Tertij conſtitutio, *in cap. Cum veniſſet, §. ad exhibendum, vnico de ſacra vnctione* ibi: & Exteriùs habeat odorem famæ quoad proximum, Auguſtinus, *ſerm. 52. ad Fratres in Eremo,* relatus *in canone Nolo, el 110. 12. quæſt. 1.* ibi. conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt. Et libro de bono viduitatis, *cap. 22.* relatus in *can. Non ſunt audiendi, el 156. cauſa 11. quæſt. 3.* in ſequentia prorumpit.

15 Non ſunt audiendi ſiue viri Sancti, ſiue fœminæ, quando reprehenſa in aliquo, negligentia ſua, per quam fit, vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam: exiſtimationem hominum non ſolùm impudenter, verum etiam crudeliter contẽmnentes, cum occidant animas aliorum, ſiue blaſphemantium viam Dei (quibus ſecundùm ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita Sanctorum) ſiue etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit, quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria vita noſtra, aliis fama noſtra. Hactenus D. Auguſtinus.

16 Sed redeundo ad probationem duorum, quæ adnotaui, occurrit ad vtrumque ſimul firmandum D. Hieronymus, *Epiſt. ad Nepotianum,* quem recenſet, & ſequitur. D. Bonauentura, *tomo 1. Opuſculorum, in Apologia Pauperum artic. 1. tertia reſponſionis, tertia particula. pag. mihi 461. colum. 1.* Vnde Hieronymus ait (inquit Bonauentura) Neque verò mihi aliquis opponat, diues in Iudæa templum, menſas, lucernas, thuribula, patella, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum quanquam hæc omnia in figura præceſſerint. Nunc verò cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicauerit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus. Hæc Hieronymus, & ex illo, Cardinalis præfatus. Seraphicus Doctor.

17 Recenſet etiam D. Hieronymum Laurentius de Peyrinis, *tom. 1. de ſubdito quæſt. 2. §. 2. verſic. Tertium obſtaculum,* quo loci reddit & Ludouicum Granatenſem. *tit. de Oratione, 2. part. de 8. impedimento deuotionis agens, §. 8. de vitio curioſitatis,* et Thoma à Ieſu, *part. cap. 7.* ſic ad intentum ſantem. Ideoque, quia perſpicit Dæmon, quàm graue ſit iſtud impedimentum, ſummoperè conatur (vt Doctor quidam inquit) quoſcumque cuiuſuis conditionis hoc vitio inuoluere extimulando eos ad exquirenda pretioſa, & elaborata ornamenta, quibus templa, & Monaſteria ſua condecorent, idque ſub prætextu pietatis, & deuotionis, perſuadendo eis, ſeruis Dei nihil non deberi. Quodque expediat ipſorum vſui ſuperba conſtrui ædificia, & cubilia, quo ea lubenter inhabitent. Hæc ille. Sufficiant prædicta pro demonſtrandis duobus à nobis adnotatis. Et ad vlteriorem dubij propoſiti reſolutionem procedendo, ſit.

CONCLVSIO II.

18 CONuentus Regularis pœnas contra proprietarios inflictas non incurrit, ſi ex bonis ſuis ſuperflua habeat, & ſtatum paupertatis dedecentia, ſi ſuperfluè ea expendat, aut in profana inſumat per ſe, vel per particulares, eis licentiam ad ea concedendo.

Hæc concluſio patet ex ſecunda parte concluſionis primæ. Quia pœnas non incurrit, qui culpam non committit. Ita enim noſter Gregorius Magnus, *lib. 7. Regiſtri Epiſt. 35.* relatus *in cap. Cognoſcentes, el 2. de Conſtitutionibus,* decernit. Cognoſcentes, quia res, quæ culpa caret, ad damnum vocari, non conuenit. Vbi Gloſſa *Verbo culpa caret,* ait. Et ita eſt hoc argumentum expreſſum, quod nemo priuatur iure ſuo ſine culpa. *56. diſtinct. Satis peruerſum 16. quæſt. vltima, Inuentum. De Reſtitutione Spoliatorum Conquerente.* Et Gloſſa marginalis, ſic fatur. Qui caret culpa, careat me iudice pœna. *cap. Sine culpa, el 23. de Regulis Iuris, lib. 6.* Sic habetur. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus. Vbi Gloſſa rationem reddit dicens. Quia pœna eſt menſura culpæ: vbi autem non extat menſurandum, menſura locum non habet. Ergo vbi non eſt culpa, nec pœna. Hæc Gloſſa *Verbo Sine culpa.* Faciunt etiam *Canon. Non afferamus, el 22. cauſa 24. quæſt. 1. caput Felicis, el 5. de Pœnis, §. Illud autem. Lex Sancimus, Cod. de Pœnis & lex, Reſpiciendum. ff. de Pœnis.*

Vndè probabiliſſima eſt ſententia Laurentij de Peyrinis, *in Formulario Prælatorum Regularium, litt. P. cap. 8. num. 13. pag. mihi 671.* Docentem, Quod Prælatus habens ſcientiam, quod aliquis innocens ſit, non poſſit illum condemnare, licèt aliàs per legitimos teſtes nocens probetur. Quod probat 1. ex illo *Exodi 23.* Non ſuſcipies vocem mendacij, neque in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. II. ex *cap. Cum æterni, de Sententia, & re iudicata, lib. 6.* vbi ponitur Iudex, qui contra conſcientiam propriam, & contra iuſtitiam aliquem grauat. Ex quo colligit, quod Iudex tenetur, ſecundùm propriam conſcientiam iudicare, & non ſecundùm allegata, & probata, quando ſunt contra conſcientiam certam. III. Probat. Quia eſt contra ius naturale, innocentem condemnare. Quod ius, cuicumque alteri præponderat iuri. IV. Quia ſi vniuerſus populus petat aliquem occidi, qui tamen innocens ſit, non poteſt Iudex populo conſentire, per textum expreſſum in *Lege Decurionem, Cod. de Pœnis,* vbi Gloſſa ex hoc colligit, Pilatum malè Chriſtum condemnaſſe. 19

Et concludit Peyrinus, mortaliter delinquere Regularem Prælatum hanc ſententiam in praxi non ſequentem. Quia licèt iuſtitiam ſequi debeat in iudicanda, ſed valdè miſericordia temperatam, vtpotè, qui filios, & ſubditos merè voluntarios regat, opinionem magis piam ſequi tenetur. Neque obſtare, inquit, quod ſcandalum ſequatur, ſi non iudicet ſecundùm allegata, & probata. I. Quia vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur. *Cap. qui ſcandalizauerit, de Regulis Iuris.* II. Quia declarare poteſt, ſe habere ſcientiam de innocentia exiſtimati rei. Neque etiam obſtare, quod denuntiator, & teſtes infamati remaneant, addit. Quia ſi fuerint in dolo, ſibi debent imputare, ſiue dolus fundetur in malitia, ſiue in deceptione, putantes, v. gr. Petrum delictum admiſiſſe, quod Paulus perpetrauerat. Cauere enim à deceptione debebant. 20

Sed obiicies contra concluſionem & rationem, qua illam probo. Conuentus ſuperflua habens, & ſuperfluè bona expendens, & in profana inſumens, peccat mortaliter contra votũ paupertatis: 21

Ergo

Ergo culpam committit, pœnis contra proprietarios latis, dignam; ergo incurrit pœnas proprietariis inflictas. Antecedens verum est, & in Conclusione 1. à nobis admittitur, probatur. Prima consequentia ex illo benè inferri videtur. Secunda verò ex prima necessariò sequitur.

Respondeo, concesso antecedente, negando vtramque consequentiam. Quia crimina, seu culpæ quibus pœnæ aliquæ infliguntur, formaliter, & quâ tales culpæ intelligi debent, vt pœnæ illis inflictæ censeantur, & verè illis sint inflictæ: sicut è contrario, crimina quibus beneficiom absolutionis, seu dispensationis impenditur, formaliter, & quâ talia intelliguntur. Cum igitur pœnæ proprietariorum, solùm veris proprietariis formaliter talibus infligantur, & Communitas quantumvis contra paupertatem delinquat, nequeat proprietarius censeri, quia penes se Dominium rerum habeat suatum, hinc benè deducitur, quod proprietariotum non incurrat pœnas, quamvis contra paupertatis delinquat votum. Quocirca Ioannes Baptist. Lezana, *in Summa, verbo Litera Apostolica num.* 28. loquendo de clausula ista. *Dummodò impedimentum inde proveniens occultum sit*: in dispensationibus Matrimonij apponi solita, ita fatur.

Dicetur adhuc hoc impedimentum occultum, si copula ipsa sit publica in ratione copulæ, non verò sit publica in ratione impedimenti. Id est si sciatur copula, at non sciatur illud esse impedimentum dirimens Matrimonium. Neque enim verè dicetur delictum publicum, si tantùm actus illius materialiter sit publicus, nisi sit publicus formaliter, id est, quatenus est delictum. Quia qualitas adiuncta verbo, debet intelligi secundùm qualitatem eius. *l. in delictis*, §. 1. *ff. de Moralibus* Navarrus, *in Manuali cap.* 27. *num.* 255. Sanchez *suprà* (scilicet *de Matrimonio*, *lib.* 8. *disput.* 21.) *numer.* 56. Bonacina *suprà* (videlicet *de legibus, disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 7.) Hæc ibi. Et verbo *Occultum*, *num.* 9. in sequentia prorumpit.

Imò etiam poterunt vti prædictis facultatibus, in quibus actus externus est materialiter, publicus, sed non in ratione delicti. Sed quòd idem est, malitia ipsius publica non est, iuxta dicta suprà, *verbo Litera Apostolica eo*, *num.* 28. ex Navarro, Sanchez, & Bonacina. Vnde ad praxim Regularium, si ipsi habeant facultatem dispensandi in irregularitate occulta contracta à celebrante excommunicato, poterint illa vti etiam in casu, quo celebratio sit publica, non verò excommunicatio. Vivaldus, *in Candelabro aureo, de excommunicatione, num* 41. Fagundez *suprà* (*in* 2. *præceptum Ecclesiæ*, *lib.* 8. *cap.* 8.) *num.* 25. Bonacina, *suprà, de Censuris disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. §. *Quartò delicta*.

Idemmet Lezana, *verbo Notorium*, *num.* 7. ita fatur. Noto sextò, quòd quando agitur de delicto, non est attendendum ad factum ipsum materialiter, vt ita dicam, notorium, sed formaliter in ratione delicti. Vnde etiamsi notorium sit aliquem Sacerdotem celebrasse, si tamen notorium non est illum celebrasse censurâ irreritum, irregularitas illas non censebitur notoria. Navarrus *sup. dicto cap.* 27. *num.* 255. *in fine*. Thesaurus, *suprà* (*in Praxi part.* 1. *cap.* 21.) §. *Advertendum* 2. Barbosa *de potestate Episcopi, allegat* 39. *num.* 26. ex multis aliis. Similiter, si notorium sit aliquem ingressum fuisse in Clausuram Monialium, non tamen est notorium, an ingressus fuerit sine licentia, non censebitur talis ingressus in ratione culpabili, notorius, Sanchez *de Matrimonio lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 56. post alias.

Ex quibus infert I. Regulares Communicantes cum Clerici percussore, minorem excommunicationem non incurrere, nisi ille, ita notorius percussor sit, notorietate facti, vt nulla tergiversatione celari possit. II. Quod quando conceditur Priori S. Benedicti Vallisolitani, à Martino V. facultas dispensandi in omni irregularitate, etiam ex homicidio, dummodò delictum notorium non sit, conceditur facultas dispensandi in homicidio manifesto, publico, & famoso. III. Quod quando in Religionum Constitutionibus infligitur aliqua pœna perpetrantibus aliquod notorium crimen, illam non incurrit, qui tantùm famosum, manifestum, aut publicum admiserit. Et idem infert in aliis similibus casibus.

Vnum tamen addit circa præfatam Martini V. concessionem, illam iam non subsistere, quia fuit vivæ vocis Oraculo facta. Sed tanti Doctoris venia aliter dicendum censeo. Quia omnia Privilegia Benedictinis, Congregationis Vallisoletanæ, concessa ante Pium Papam V. etiam Oracula, fuerunt ab eo confirmata, & innovata, in eiusdem Congregationis favorem, 8. *Kalend. Septembris, Anni* 1567. *in Constitutione Cum intra mentis nostra arcana*, Ex quo quidem tempore huiusmodi privilegia iam non oracula sunt, sed Bullata, in sententia eiusdem Lezanæ, verbo *Oracula viva vocis*, *num.* 7. & Laurentij de Peyrinis, *de Privilegiis*, *to.* 3. *cap.* 12. *in Additam, ad Const.* 21. *aliàs* 31. *Vrbani Octavi*, *numer.* 1. *pag. mihi* 514. quos allegavi, sequutus fui, *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi*, quàm plures viri doctissimi, in S. Thologia, & in vtroque Iure dignam publica luce censuerunt, in approbationibus suis, præfixis meis quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi Ecclesiarum vnitarum. Recensui illos *num.* 36. dictæ disquisitionis. Lezanam, scilicet, & Peyrinum. Et certè Lezana ipse loquitur in terminis dictæ Pianæ, in quâ extensa, & communicata nostris fuit Constitutio. *Etsi Mendicantium Ordines*, eiusdem Pij. Sic enim fatur. Vnde infert idem author vivæ vocis Oracula concessa Religionibus Mendicantibus ante Pium V. non revocari per dictas Constitutiones (Gregorij scilicet XV. & Vrbani VIII.) quia ipse Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium*.... Confirmat omnia privilegia etiam vivæ vocis Oraculo concessa Mendicantibus, &c. Hæc Lezana.

Circa alia in præcedentibus dicta, Lezanæ consonat Barbosa, *collectanea ad Concilium*, *sess.* 4. *cap.* 6. *de Reformat. num.* 30. cum pluribus, quos recenset, dicens, Episcopum posse dispensare, etiamsi actus sit materialiter publicus, non verò formaliter in quantum delictum, quia adhuc occultum dicitur.

***

DVBIVM IX.

An Cellerarij Oeconomi, & Procuratores, aut quocunque appellentur nomine Religiosi, qui Conventuum bona cum dependentia à Superiore, & Prælato locali administrant, lethaliter delinquant, contra votum paupertatis, & pœnas incurrant, proprietariis inflictas, si bona suæ administrationi commissa, aliter, aut in alios vsus expendant, (esto meliores illi sint,) quàm ab eodem immediato Prælato, deputata fuerint?

BREVIARIVM.

Administrator.

Meliorare potest conditionem eorum, quæ administrat, non deteriorare, n. 36.

S.P.N.Benedictus.

Discreta, & iusta providentia S. Benedicti commendatur, circa bonorum Conventus distributionem, num. 9. 29. 44.

Charitas.

Quæ pro Charitate instituta sunt, contra Charitatem militare non debent. n. 42.

Dominium.

Religiosi particulares Dominium habent bonorum Conventus; non ita vt singuli aliquotarum partium Domini sint, n. 11. 43.

Donatio.

Illud donare potest Oeconomus, quod voluntas Prælati, & consuetudo præscripta Religionis permiserit, & non aliud à n. 13. *ad* 17.

Eleemosyna.

Illas eleemosynas, potest facere Procurator Conventus, quas Prælati voluntas, & Religionis præscripta consuetudo permiserit, & non alias à numero 13. *ad* 17.

Religiosus particularis, sine Prælati licentia, eleemosynam facere non potest, n. 16. 17. 41.

Potest eleemosynam facere sine venia Prælati, extreme indigenti, n. 16.

Imò tenetur sub mortali, etiam aliena furando, n. 27. 41. 42. 43.

Episcopus.

Meliorare suæ Ecclesiæ conditionem potest, non autem deteriorare, n. 36.

inferior.

Sub potestate alterius constitutus, secundùm Superioris potestatem regulari debet, n. 15.

Iustitia.

Legalis iustitiæ finis adæquatus est externa, ciuium concordia, & pax, n. 28.

Iustitia distributiva est, bona communia civibus, secundùm proportionem meritorum vniuscuiusque, & dignitatem personarum, distribuere, n. 29.

Medium huius virtutis est, æquale geometricum, num. 29.

Licentia.

Præsumpta licentia datur, quando aliquid parvi momenti à subditis fit, sciente, & non contradicente Prælato, n. 18.

Monasterium.

In professione Religiosi se obligat ad ei ministrandum necessaria, iuxta Ordinis præscriptum pro victu & vestitu, n. 31. 32.

Necessitas extrema.

Omnia communia facit indigenti, & illa possidenti, num. 42.

Oeconomus.

Aliam facultatem non habet Oeconomus ad bona Conventus expendenda, & administranda, quàm à Prælato accipit locali, n. 4. 40. 43. 44.

Vnicè dependent in Ordine nostro Benedictino Oeconomi ab Abbate, in fieri, & conservari, n. 40.

Proprietarij sunt, si aliter, etiamsi melius, quàm Prælatus præfixerit, bona, expendant à n. 1.

Excusantur aliquando ob ignorantiam, inadvertentiam, & bonam fidem, n. 22.

Conditionem Conventus meliorare potest, non verò deteriorare, n. 36.

Paupertas Religiosa.

Non licet Prælatis bona expendere Conventus in alios vsus, extra quos destinata sunt, nisi vbi consuetudo aliquid modicum expendere permiserit. num. 20.

Pax.

Diu in Conventu stare nequit, cuius Prælatus Religiosis denegat, quæ eis debentur, n. 28.

Prælati.

Regulares Prælati subditis tenentur bona illa alimenta, vestimenta, &c. ministrare, quæ à Regula, ordinatione Ordinis, vel à consuetudine legitimè præscripta, ministrari disponuntur; aliter facientes, peccant contra iustitiam legalem, n. 28.

Contra distributivam, n. 29. 30.

Et contra commutativam, n. 29. 31.

Omnia necessaria subditis præbere debent, cum proportione, attentis omnibus circunstantiis, non secundùm proprium affectum, sed iuxta regulam Charitatis à, n. 29. *ad* 32.

Mortaliter peccant si aliter faciant, nisi parvitas excuset materiæ, vel sit exigua inter personas distantia, n. 30. 31. 32.

Quanta abundantia debeant ministrare, declaratur, num. 31. 32.

Prælati negligentiam, supplere non potest subditus, bene tamen Prælatus subditi supplere debet negligentiam, n. 33. 34. 37.

Impugnatur Peyrinus, in certo casu, contrarium docens, num. 38.

Prælatum accusare, aut reprehendere non potest subditus, nisi à fide exorbitaverit, n. 34.

Facta, & ordinationes Prælati diudicanda non sunt à subditis, ne Monasterium per abrupta dissoluatur vitiorum, n. 35.

Prælati, conditionem Ecclesiæ, aut Conventus meliorare possunt, non verò deteriorare, n. 36.

Prælati etiam supremi Religionum, Regulis subiecti sunt, sicut Religiosi particulares, n. 38.

Si contra Regulam aliquid operantur, nullum illud est, num. 38.

Prælatus administrationem habet, & distributionem bonorum, non autem Oeconomus, n. 43.

Religiosus.

Per professionem se, cum omnibus suis Monasterio dedit. Vnde omnis eius opera Monasterio est debita, num. 24. 31.

Restitutio.

Ad restitutionem tenetur, qui ab Oeconomo, vel alio ministro, aliquid accepit sine Prælati licentia, num. 8.

CONCLV

CONCLVSIO

1 Respondeo, omnes in titulo dubij contentos, mortaliter peccare contra votum paupertatis, & ex vitio quidem proprietatis, & pœnas proprietariis inflictas incurrere, si in quantitate notabili, res Monasterij expendant, contra voluntatem Prælati immediati Conventus, etiamsi in vsus vtiles, & necessarios Conventus, & particularium Religiosorum illas insumant, & expendant, & rationabilius quidem, quàm fuerint à Prælato destinatæ, seu deputatæ.

2 Responsio itaque nostra, non solùm procedit in casu, quo Oeconomus, & quilibet alter ex recensitis Ministris, in vsus profanos, superfluos, & illicitos bona suæ administrationi commissa expendat, contra voluntatem Superioris expressam; sed etiamsi illa expẽdat in vsus licitos, & ad quos debet Prælatus licentiã, & facultatẽ ex debito sui Officij concedere, sine licentia expressa, aut rationabiliter præsumpta, mortaliter proprietarius existit, & pœnas proprietariorum incurrit. Exempli gratia, si emat sibi, aut alteri Monacho, aut Fratri tunicã, calceus, aut quid aliud, quo multũ indiget, sine dicta licẽtia: si meliora alimenta, aut vestimẽta Religiosis cõcedat, Superiore peiora illis ordinante, aut volente, etiam contra rationem & iustitiam.

3 Nostra resolutio communissima est inter Doctores, quorum nullum vidi contrariam docentem. illam tenent Leonardus Lessius, *de Iustitia, & Iure, lib. 2. c. 41. dub. 9. vers. Quartò.* Noster Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum, to. 2. disp. 22. q. 15. num.* 3. Barthol. à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *de voto paupertatis, q.* 145. *&* 146. Emmanuël Roderiq. *to. 2. q. 57. ar. 2. & to. 3. quæst. Regu. q. 29. ar. 10. cõcl.* 1. Laurent. de Peyrinis, *to. 1. de subdito q. 2. c. 2.* §. 8. cum pluribus, quos recenset, *pag. in mihi* 175. Paulus Layman *in Theolog. Morali, to. 2. lib. 4. tr. 5. de Statu Religionis, c. 7. de voto paupertatis, in Religione approbata edito, q. 2. n.* 9. Bussembaum, *in Medulla Theolog. lib. 4. de statibus, c. 1. vers. Vitẽ peceas.* Ioannes Tabiensis, *in Sum. sua, Vulgo, Tabiena, verbo eleemosyna n. 9. vers. Octavò. & n. 10. vers. Nonò.* Hieronymus Roderiq. *in Compendio quæst. Regu. resolut.* 110. *n.* 5. Castrus Palaus, *part. 3. tr. 16. disp. 3. punct. 22. n.* 3. D. Antoninus *par. 3. Sum. maioris, tit. 16. c. 1. §. 11. vers. Nota sextò.* Pellizzarius *in Manuali Regular. to. 1. tr. 4. c. 2. sect. 3. n.* 293. Fulgentius de Oviedo, *in Repub. Regul. par. 1. tr. 9. c. 1. q.* 13. & non obscurè Nicolaus Bravo, *ad c. 31. Regul. S. n.* 9.

4 Ratio fundamentalis resolutionis est. Quia cellerarius, & alij præfati administratores maiorẽ, aut aliam quidẽ facultatem non habent ad expendenda bona Conventus, suæ administrationi cõmissa, quàm quilibet alter Religiosus habet in eodem Conventu, præter eam, quam à Prælato vero, & vnico rigoroso administratore illorum recipiunt, ad ila vtique expendenda in vsus ab ipso Prælato in delegatione administrationis suæ statutos. Sed quilibet alter Religiosus Conventus, qui bona expenderet, etiam in vsus licitos, necessarios, & forte honestiores, & meliores, his in quos Prælatus voluerit expendi, non solùm contra voluntatem expressam ipsius Prælati immediati, sed sine licentia & venia illius saltẽ rationabiliter præsumpta, peccaret mortaliter cõtra votũ paupertatis, proprietarius esset, & pœnas proprietariis inflictas incurreret: ergo Cellerarij, Oeconomi, Procuratores, & quilibet alter Minister dependens in bonorum administratione ab immediato Prælatu locali Conventus, votum paupertatis frangit, proprietarius est, & proprietariorum pœnas incurrit, si bona suæ administrationi commissa, in quantitate notabili expendat in quoslibet vsus, contra præfati Prælati voluntatem expressam, aut sine illius venia; rationabiliter saltem præsumpta. Quæ certè nunquam stare quelt cum expressa volũtate cõtraria Prelati.

5 Doctrina ista, indubitata omninò est apud viros probos, & doctos; sed quia nõ pauci munus Oeconomi, Procuratoris, seu alterius administratoris bonorum Conventuum Religiosorum, ab eorum Prælatis immediatis dependentes exercere solent, qui tales probati non sint, operæpretium duxi aliqua recensere Patrum, & Doctorum testimonia, quibus vti fas est instituti, benè, & laudabiliter apud Deum, & homines illud adimpleant. Loca autem in quibus Authores, Doctrinam à nobis ad amussim exscribendam, ob maiorem legentium vtilitatem, & ob nostræ resolutionis efficationem probationem, ea sunt, quæ *num.* 3. allegavi.

6 In primis igitur Lessius, sic fatur. Quartò; si est dispensator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed solùm ex præcepto, & mente Superioris, ita vt non det alia, nec plura, nec pauciora, nec meliora, vel deteriora, quàm scit Superiorem velle. Qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitium proprietatis. Nam ita dispensat, ac si esset Dominus, & ab alterius arbitrio nun dependeret. Hactenus ille.

7 Tamburinus Abbas in hæc prorumpit. Idem dicendum de Procuratoribus, seu Oeconomis, qui ex Abbatis commissione bonorum Monasterij administrationem habent. Hi enim, si in alios vsus, præter deputatos ab Abbate, quantumuis sint liciti, & Communitati deserviant, bona Conventus, absque expressa vel tacita Abbatis licentia, expenderent, quia actus Dominij exercẽt, ac administrationis sibi traditæ limites excedunt, peccant cõtra paupertatis votum nec absolui possunt, nisi resipiscant. Hæc Tamburinus *dicto q. 15. qui q. 10. eiusdem disp.* pro sua, & nostra sententia, *n.* 1. allegat Gersonem, *3. tract. de Variis qq. circa finem, Alphabet 34. litt. S.* vbi explicat esse mortale, (verbis vtor Tamburini) si Procurator, absque Superioris licentia, emat cultellum, filum, aut acum.

8 Bartholomæus à S. Fausto, postquam *dicta q.* 145. resoluit, Procuratores, seu Cellerarios, & alios quoscumque bonorũ Monasterij administratores aliquid donare in profanos, & illicitos vsus sine Abbatis venia non posse, etsi aliter facere tentaverint, factũ non teneri, ita vt accipiẽs, ad restitutionẽ Monasterio faciendam teneatur. Quo ex omnium sententia resoluto, immediatè sic *q.* 146. inquirit. *Sed dubium est, de donationibus ad pias causas?* & quæsitui provt sequitur, respondet.

9 Respondeo non posse. Ratio est. Quia qui inconsulto Superiore aliquid donat etiam ad pias causas, est proprietarius, cum exerceat actum Dominij, & disponat de rebus Monasterij, ac si esset Dominus. Quare cum Procurator, seu Cellerarius talem licentiam non habeat, vt suppono, peccabit non aliter, ac quicumque alius particularis Religiosus, etiamsi in bonum Monasterij cedat talis donatio: vt si sibi, vel alteri Religioso librum emat, tunicam, vel femoralia. Vnde D. Basilius, *in quæst. comp.* explicat *quæst.* 144. vbi de Monasterij Officialibus, & de cura ab illis in bonorum administratione exibenda loquens: *Qui abutitur*, inquit, *velut sacrilegus iudicetur*, & D. Benedictus *capit. 31. sua Regula*, de Cellerariis loquens, ait. *Sine iussione Abbatis, nihil faciat.* Et infrà. *Neque avaritia studeat, neque prodigus sit, & extirpator*

substantia Monasteriis, sed omnia mensurate faciat, & secundùm iussionem Abbatis sui. D. quoque Bonaventura, *in specul. disciplin. prima part. cap. 4.* de eisdem verba faciens, docet omnia, quæ ab illis dantur, danda esse veluti nomine Prælatis: *vt dent quidem* (ait.) *non secundùm propriam voluntatem, sed prout sibi à superiore fuerit constitutum.*

10 Hinc Procuratores seu cellerarij, qui in alios vsus præter deputatos à Superiore, quantumuis illi liciti sint, & Monasterio vtiles, tem expendunt absque expressa, vel tacita Superioris licentia, peccant mortaliter contra votum paupertatis. Et ratio est: quia exercent actum Dominij, excedunt que administrationis sibi traditæ limites. Et ideò ita sentiunt D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *artic.* 8. *ad primum*, D. Antoninus, 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. Sylvester, verbo, *Religio* 6. *num.* 7. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. & Rodericquez *tom.* 3. *qq. Regul. quæst.* 29. *art.* 10. Hucusque noster Bartholomæus à Sancto Fausto, qui idem docet in *Speculo Confessariorum disp.* 34 *quæst.* 10. *n.* 16. & 17.

11 Paulus Layman in *Theologia Morali, tom.* 2. *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *de voto paupertatis numero.* 9. ita ait. Octauo, transgressores sunt voti paupertatis Procuratores, œconomi, & similes bonorum Monasterij, &c. administratores, si rem quancumque seu domestico, seu externo largiantur, aut expendant aliter, quàm Ordinis Regula, vel consuetudo, aut Superiorum voluntas postulat. Sumitur ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. ibi. *Oportet quod ea, in quibus inferior Superiori subiicitur, dispenses non aliter, quam ei sit à Superiore commissum.* Et docet Nauarrus *citato comment.* 2. (de Regularibus) *num.* 9. Molina *tom.* 2. *disp.* 276. vbi ait. *In nostra Societate Officiales pendere in omnibus à præscripto, & voluntate saltem præsumpta, eius Superioris, cui subsunt.* Et Mendoza *Conclus.* 1. (controversiarum scilicet Theologicarum *quæst.* 8.) *Sciendum est*, inquit, *quod licet bona Monasterij sint omnibus communia; non tamen ita, vt singuli sint Domini aliquotarum partium: qualiter est fundus communis pluribus heredibus, sed sunt communia ita, vt singulis, quod opus fuerit applicetur ab eo, qui habet authoritatem illa administrandi.* Consequenter, qui ab eiusmodi œconomis aliquid vltra quàm ipsorum potestas se extendit, acceperit, furti particeps fit; etsi Religiosus est, etiam voti prævaricator. Hæc omnia P. Layman.

12 Bussembaum. Nec Procuratores, Oeconomi, Administratores, Prælati inferiores, quicquam possunt expendere, contra quam Regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio, quia non sunt Domini bonorum communium. Sed tantùm administratores. Ita ille.

13 Castrus Palaus, *part.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 22. *numero* 3. sic ait. Procuratori Conuentus solùm eleemosynæ ex rebus Conuentus permittuntur, quatum fuerit præscripta consuetudo illius Religionis, & voluntas Superioris præsompta; aliàs non se gereret vt Prælati administrator, sed vt Dominus, Azor. *tom.* 2. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Summa, cap.* 19. *num.* 92. & 94. Suarez, *tom.* 3. *de Religione, lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 9. Hactenus Palaus.

14 Laurentius de Peyrinis ita fatur. Dico secundò, Procuratores Conuentus non possunt facere nisi eas eleemosynas, & eas donationes, quæ sibi fuerint à Superioribus commissæ. Ita D. Thomas, 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad primum.* Tabiena, *verbo eleemosyna, num.* 9. Rodericquez *tom.* 2. *quæstionum Regularium, quæst.* 57. *art.* 2. Sanchez, *loco citato* (scilicet *tom.* 2. *in Decalogum, lib.* 7. *cap.* 19.) *num.* 92. Miranda *tom.* 1. *Manualis, quæst.* 28. *art.* 12. *Conclus.* 2. Probatur, quia (vt ait D. Thomas) *Monachus nihil habet proprium, & nemo potest dare, quod non habet.* Vnde sequitur, eos peccare mortaliter contra paupertatis votum, si in alios vsus, præter deputatos à Superiore, quamvis licitè sint, & communitati deseruiant, bona Conventus expendant, absque expressa, vel præsumpta Superioris voluntate. Quia exercent actum Dominij, exceduntque metas sibi commissæ administrationis. Ita Rodericquez *tom.* 3. *quæstionum Regularium quæst.* 29. *art.* 10. *Conclus.* 1. Ita Peyrinus.

Ioannes Tabiensis, *versic. Octauò*, inquirit in genere, quis possit facere eleemosynam? & respondet cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. quòd ille, qui est sub potestate alterius constitutus in quantum huius secundùm Superioris potestatem regulari debet. Hic est enim ordo naturalis, vt inferiora secundùm Superiora regulentur, & ideò oportet, quod ea in quibus inferior Superiori subiicitur, dispenset, non aliter quàm ei sit à Superiore commissum. Sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus de re secundùm quam Superiori subiicitur, eleemosynas facere non debet, nisi quatenus fuerit ei à Superiore commissum. Ita Tabiensis ad quæstionem respondet illam. Et *versic. Nonò* sic quærit de Religiosis, & quæsitui respondet. Videlicet. 15

Vtrum Monachus possit facere? Resp. secundùm S. Thomam, *vbi suprà in* 2. 2. *ad primum*, quod si habeat dispensationem à Prælato commissam, nomine cuius potest, & debet eleemosynas facere de Rebus Monasterij superfluis, secundùm quod sibi est commissum; si verò non habet dispensationem, quia nihil proprij habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta, nisi forte in articulo extremæ necessitatis. Non tamen propter hoc efficitur peioris conditionis. Quia quamvis bonum sit facultates pauperibus erogare, melius tamen est pro intentione sequendi Deum in simul omnia donare, & absolutum solicitudine, egere cum Christo. Hæc S. Thomas. Omnia præfata, P. Ioannis Tabiensis. 16

Emmanuël Rodericquez *to.* 2. *q.* 57. *art.* 2. Generaliter potest quicumque Religiosus de voluntate expressa, vel præsumpta, qui habet administrationem à Superioribus commissam facere eleemosynas, quod tenet, D. Thomas (2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1.) dicens Regulares, si habent dispensationem à Prælato commissam, possunt eleemosynam facere de Rebus Monasterij, prout sibi ipsis est commissum; si verò non habent dispensationem, quia nihil proprium habent, tunc non possunt facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta. Hactenus Rodericquez *versic. Respondeo*, ex D. Thom. & *versic. Ex suprà dictis*, quæ sequuntur ait. 17

Dixi expressa, vel præsumpta; præsumpta autem inuenietur licentia, quando alij Religiosi simplices faciunt aliquas eleemosynas paruas, scientibus suis Prælatis, & non contra dicentibus.... Quod adeò verum est, vt etiamsi Prælatus direct Regularibus, ne eleemosynas largiantur, non tamen per hoc ipsis præcipere videtur, ne eleemosynas moderatas, & consuetas conferant; at si expressè has etiam prohibeat Prælatus, tenetur subditus cum humilitate obedire. Hæc ibi. 18

Idem

19 Idem Emmanuël *tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 10. *conclus.* 1. ex eodem D. Thoma. vbi proximè, ex Glossa *in Clem.* 2. §. *Sed & tales, de Vita, & honest. Cleric.* Sarmiento *in* 1. *part. sui defensorij, monit.* 11. & Gersonæ *Alphabeto* 24. docet, Procuratores, seu Oeconomus, & quotquot alia bona Conventus administrant (omnia illius sunt verba,) si in alios vsus quàm à Superioribus deputata sunt, ea expendant, peccat mortaliter, & sunt in statu damnationis, ac proindè quandiù non resipiscunt à Confessarijs absolvi neque debent, nec possunt. Et infrà. Porrò, si hanc authoritatem penes Oeconomos residere quis dixerit, attendat verba Concil. Trident. (*sess.* 25. *de Regular. cap.* 2.) vbi præcipitur, vt administratio bonorum Monasterij ad solos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Ex quibus apertè sequitur quàm considerate, ac diligenter intendere Procuratores debeant sua munera executioni, & bonorum Monasterij administrationi, nam quoties citra expressam Prælati licentiam, aut rationabiliter præsumptam notabilem aliquem sumptum faciunt de bonis Conventus, peccant mortaliter, & quandiù ad meliorem mentem non redeunt, vt firmiter statuant secùs facturos se deinceps, sunt in statu peccati mortalis, ac proindè absolvendi à Confessarijs minimè sunt. Ex quo rursùs fit, non solùm in profanos vsus, sed etiam aliàs licitos; vt tunicam, chlamydem, calceos; aut quævis alia vtensilia, & supellectilia emere aut sibi, aut aliis Fratribus sine licentia expressa, aut præsumpta Prælati, esse sibi penitus illicitos, & malos mortaliter. Hæc omnia magnus ille Minorita.

20 Hieronymus Roderiquez suum patruum sequens, *d. art.* 10. & alios, quos infrà recenseo, in hæc prorumpit. Vnde Procuratores, seu Oeconomi bonorum Conventus, seu alij quicumque administratores ea expendentes in alios vsus, quã à Superiore deputata sunt, in notabili quantitate, etiam in vsus licitos sui; vel alterius Fratris, mortalis culpæ rei sunt, adeò, quòd nec Prælato Conventus liceat eadem bona ad libitum in quosvis vsus expendere, extra eos, in quos destinata sunt, nisi vbi consuetudo aliquid modicum permiserit expendere, vel donare. Hactenùs Hieronymus; qui allegat præter Emmanuëlem. D. Thomam, 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. Navarrum *in can. Nullam, num.* 6. *causa* 18. *q.* 2. *comment.* 2. *de Regularibus, num.* 15. & 18. & *lib.* 3. *Consilior. tit. de Regularibus, consilio* 20. *num.* 6. *in* 1. *edit.* & *in* 2. *consil.* 14. *num.* 6. *tit. de Stat. Monachor.* Ioannem de la Cruz *de Statu Religionis, lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 2. Sylvestrum *verbo Religio,* 6. *quæst.* 7. *versic. Tertium.* Cordubam *tract. Casuum conscientiæ, q.* 54. Iacobum de Graffis *part.* 1. *decisionum aurearum, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 53. Emmanuëlem Sà *verbo Religio, num.* 43. Vegam *tom.* 2. *Summa, cap.* 86. *casu* 5. & Thomam Sanchez *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 22. *à num.* 11. & penes eum plores alios.

21 Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *subsect.* 2. vbi inquisito *sub. num.* 293. An faciat contra votum paupertatis Religiosus, qui ex officio distribuens bona Monasterij, ea distribuit, non iuxta mentem Superioris, eiusque præscriptum; sed ex proprio arbitratu? sic resoluit, *n.* 294.

Respondeò, facere, ideòque peccare, saltem venialiter, si det plura, aut pauciora, meliora, aut deteriora, quàm scit Superiorem velle: qua parte enim recedit à mente Superioris, incurrit in vitiũ proprietatis dispensando, ac si esset dominus; & ab alterius arbitrio non dependeret: si quidem quod fit vltra facultatem, censetur fieri, sine facultate, facultate aliàs data impertinenter se habente ad illum actum hoc ipso, quod ea ad illum non extenditur, sive ex intrinseca ratione ministerij, sive ex voluntate concedentis: quod innuit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. dicens. *Monachus, si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monasterij, secundùm quod est commissam.* Quasi dicat, eum è contra non posse facere vltra quod est ipsi commissum, vt observat Suarez suprà, (scilicet) *to.* 3. *de Religione, lib.* 8.) *cap.* 15. *n.* 9. nobiscum sentiens in hac quæstione.

Idem sentiunt Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 78. 22
Sanchez suprà (scilicet *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19.) *num.* 92. alijque communiter: & patet ex dictis, si monuero, Religiosum ex proprio arbitratu dispensantem bona Monasterij, posse interdum excusari à peccato mortali; sive ratione ignorantiæ, ac inadvertentiæ; sive ex bona fide; per quàm puto sæpè excusari Religiosos Laicos taliter dispensantes; sive ex parvitate materiæ, quæ iuxta *quæst.* 9. §. *An autem*, admitti potest; etiam in traditione rerum vsu non consumptibilium, vt si Religioso amico detur vestis melior; quam intendat Superior, ad faciendum illi rem gratam, sive ex qualitate rerum, quæ dispensantur, vt si sint esculenta minus pretiosa; ideòque Superior quoad eorum distributionem factam contra ipsius voluntatem censeri possit invitus solùm quoad modum, vti diximus *quæst.* 2. §. *Dices.* Hucvsque Pellizzarius.

Noster Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 13. ita fatur. 23
Non potest Oeconomus Monasterij, de eius bonis aliquid donare vltra præscriptum, aut ex licentia, nec extraneis, nec Religiosis. Probatur, quia Oeconomus solùm habet potestatem, & administrationem bonorum distinctam ab ea, quam habent Prælati, respectu vsus illorum quæ ordinantur in bonum Monasterij: ergo in cæteros vsus, & dispositiones; in quibus illi facultas concessa non est, non potest magis expendere, quàm Religiosi reliqui. Quod colligit Manuël Roderiquez 3. *tom. Regularium, quæst.* 29. *articulo* 10. *conclus.* 1. ex Glossa; ex Sarmiento, Gerson, & alijs.

Vnde colliges Oeconomum non posse sine licentia Prælati, nec sibi assumere, neque dare aliis, etiam Religiosis extraordinariis vestes, aut supellectilia, neque quid aliud, præter id, quod taxatum est; exceptis tamen parvi momenti, & pretij, & comestibilibus, vel vsu consumptibilibus rebus, in parva quantitate, & inter Religiosos illius communitatis.

Nec valet dicere, Oeconomum plusquam reliquos Religiosos laborare; nec assignatum esse aliquid speciale pro speciali labore, sicut suprà *quæst.* 11. diximus Prælatis, intuitu etiam curæ; & laboris, permitti aliquas quantitates de bonis Monasterij, posse impendere in voluntarios sumptus, (licitos, & honestos quidem) sed alios intuitu vtilitatis Monasterij, & alios proprij Prælati, sed ad ipsorum amicos, aut familiares attinentes.

Respondetur enim, quantum ad Prælatos dictas facultates esse ex iure communi, & particulari, vt suprà diximus *dicta quæst.* 11. & certè, 24

omnis opera Regularis, est debita Monasterio, cui se, cum suis omnibus donavit per professionem Religiosus, vt *ex cap. In præsentia, de Probationibus, Authentica Ingressi, de Sacrosanctis Ecclesiis.* Hucvsque præfatus Magister Fulgentius.

25 Doctrinas plurium aliorum illustrissimorum Doctorum, in medium proferre posse pro demonstranda veritate nostræ resolutionis, & dubij responsionis, sed quia superfluum videtur; recensitis à nobis alias addere, consultò illas reddere lubens omitto. Quia tamen aliqui alias docti, & duo ex illis publici sacræ Theologiæ professores, alter in Collegio nostro Salmantico, alter verò, Moderator primariæ Cathedræ Ovetensis Vniversitaris à me, hac de re consulti, propositioni huic à me prolatæ, non acquiescebant, videlicet: *Mortaliter delinquit Oeconomus, contra votum paupertatis, & proprietarius est, qui contra expressam Abbatis voluntatem Monachis, & Fratribus Conventus sui, meliora alimenta concedit, cum peiora eis dare ordinaverit, Abbas.* Referam, quæ mihi Magistri obiiciebant præfati, & illis, pro viribus, satisfacere conabor.

26 In primis enim officiebant mihi. Abbas, & alij Superiores tenentur Religiosis bona alimenta cócedere, & mala eis dare non possunt: ergo si Abbas Oeconomo, aut alteri ordinet Officiali, vt mala Conventui præbeat alimenta, tali non obstante dispositione, poterit Oeconomus bona reddere alimenta, & peiora seu mala omittere absque peccato, maximè proprietatis.

27 Secundò obiiciebant. Cellerarios, Oeconomus, & quilibet alter Minister, bonorum Conventus dispensator, imò & quicumque Monachus, aut Religiosus subditus erogare potest eleemosynam extremè indigenti, non solùm domestico, sed externo, & independenter à Prælati consensu, & voluntate, absque violatione voti paupertatis, & citra omne peccatum quidem, quin imò ad id sub lethali culpa tenetur, etiam aliena furando: ergo potiori iure, & ratione poterunt Cellerarij, & alij Ministri inferiores, dispensatores bonorum Conventus, sibi & alijs Monachis, & Fratribus, absque voti paupertatis transgressione, & citra omne aliud peccatum, quæ ab Abbate, vel alio immediato Conventus Prælato iniustè negantur, concedere.

28 Quibus, sicut tunc respondi, ita nunc respondeo. Et ad primum dico, verum quidem esse Prælatos Regulares teneri suis Monachis, & Fratribus bona illa alimenta ministrare, quæ à Regula, Constitutionibus, seu diffinitionibus Ordinis, vel à consuetudine legitimè introducta, & præscripta, ministrari disponuntur. Aliàs contra iustitiam operabitur Prælatus, aliter bona expendens Communitatis. Et certè non solùm contra legalem iustitiam, cuius adæquatus finis est externa civium concordia, & pax: ad quam per se tantùm conducunt operationes externæ, quæ sunt materia directa, & per se huius virtutis, simul ac res nostra operatione attingibiles. Vti docet Franciscus Amicus *in Cursu Theologico, tom. 5. disp. 11. sect. 2. num. 33.* Pax autem, & concordia Monachorum diù stare nequit in Conventu, cuius Prælatus quæ ex præscripto Regulæ, Constitutionum, Diffinitionum, aut legitimæ consuetudinis ordinis, Monachis debentur, illis denegat.

29 Sed etiam contra iustitiam distributivam, imò & contra commutativam. Contra illam quidem, quia Religiosi ius habent ad hoc vt bona communitatis illis distribuantur secundùm æquale, si non Arithmeticum, saltem Geometricom; cum proportione scilicet. Distributiva enim iustitia (ait Amicus *dicta disput. 11. sect. 15. num. 180. in Sent. Aristotelis 5. Ethic. 3.* & D. Thom. *2. 2. q. 61. art. 2.*) quia communia bona distribuit civibus secundùm proportionem meritorum, & dignitatis personarum, vt quantò vna persona meritis, & dignitate excedit aliam, tantò bona, quæ illi distribuuntur, excedant bona, quæ conferuntur aliis, fit, vt medium ipsius sit æquale geometricum. Religiosis autem omnia necessaria cum proportione, attentis omnibus circunstantiis personæ, officij, valetudinis, aut ægritudinis, &c. impendere tenetur Prælatus ex officio, & iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator, & non secundùm proprium affectum, vti Clemens Papa VIII. in Decretis contentis in Bulla, *Nullus omninò, §. 6. supra dub. 2. num. 9.* & S. P. N. Benedictus, *c. 34. sanctæ Regulæ.* Sicut scriptom est (inquit) Dividebatur singulis, provt cuique opus erat, (*Actorum 4.*) vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio, vbi, qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Hæc Magister Regulæ, in allegato capite, cui lemma hoc præfigitur: *si omnes æqualiter debeant necessaria accipere: & cap. 37. de senibus, vel infantibus:* sic lego. Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam, in his ætatibus, senum videlicet, & infantium, tamen & Regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio. Hæc Legifer noster.

Ex iustitia igitur distributiva, tenetur Abbas 30
bona communitatis, subditis dispensare, non solùm in vim Iuris Canonici, sed Regularis, Apostolico quidem innixi. De quo quidem iustitiæ debito, sic Nicolaus Bravo *in notis literalibus ad caput 34. sanctæ Regulæ, modò adductum, num. 2.* fatur. Obligatio igitur, ex ipsa lege iustitiæ distributivæ, desumenda est: ea enim tantùm à Regula indicitur ijs, quorum officium, in distributione aliqua rerum Monasterij, versatur. Eaque frangi potest, vel in quantitate, puta ciborum, vestium, &c. quando ea determinata non est legitimè per Constitutionem, aut mandatum, aut alias; vel in qualitate, quando licet determinata sit quantitas, eadem deterioris conditionis, aut in peiori materia, datur ei, qui alijs, iusta, necessitatis, aut alia causa, præferendus erat. Estque peccatum ex suo genere mortiferum, nisi res sit minoris momenti, aut inter personas sit exigua distantia, de quo Lessius *lib. 2. de Iustitia, & Iure cap. 1. dubitat. 4. & cap. 32. per totum, & cap. 34. dubit. 13.* Thomas Sanchez *tom. 1. Consilior. lib. 2. per totum*, iuxta D. Thomam 2. 2. *q. 59. art. 4.* & ex Scripturæ locis, *Deuterom. 1. Levit. 16. Prov. 18. Ecclesiast. 24. Iacob. 2.* & aliàs. Excusabitque à mortali parvitas materiæ, aut alia causa, quæ acceptionem efficiat levem, aut nullam. Vt cum Soto, Aragone, Salonio, Gersone, Sylvestro, &c. ostendit citatus Sanchez *cap. 1. dub. 1. n. 9.* Omnia recensita P. Nicol. Bravo.

Contra iustitiam etiam commutativam opera- 31
tur Prælatus Regularis localis aliter bona expendens Conventus sui, quàm victum, & vestitum suis

suis Religiosis concedendo iuxta Ordinis præscriptum. Quia quando Religiosi solemnem emittunt professionem, & illam Prælatus nomine Conventus, & Ordinis acceptat, tacitus inirut contractus inter Conventum, & Ordinem ex vna parte, & Religiosum profitentem ex altera, in quo obligatur Religiosus omnes suas impendere operas in Conventus, & Ordinis servitium; Conventus autem, & Ordo se obligant administrandum profitenti omnia necessaria ad victum, & vestitum iuxta eiusdem Ordinis præscriptum. Ita docet noster Cisterciensis. Hieronymus Llamas, *parte 3. Methodi, cap. 13. §. 14. pag. mihi 914.* vbi ita fatur.

Dicimus ergo de talibus, quod Abbates Religionum Monasticarum Benedictini, Cisterciensis, sine Sancti Bernardi, siue Præmonstratenses, Priores Cartusiæ, S. Hieronymi, & similes Abbates, siue Priores Canonicorum Regularium, & quarumcumque communitatum habentium bona in communi ad sui sustentationem, vt Clericorum Religiosorum Societatis dictæ IESV, & quatumcumque (vna excepta observantiæ Minorum Congregatione) tenentur omnes suprad icti ex vi officij acceptati, suos subditos alere, vestire, & curare, iuxta suæ Regulæ, & Religionis statuta approbata, ex iustitia; secus peccarent in notabili defectu: quia ex quo tales per professionem, tali Religioni, & Congregationi sunt annexi, & incorporati, servientesque iuxta vocationem suam, digni ex iustitia sunt mercede sua, & participes iure ipso, quoad necessaria naturæ, iuxta instituta suæ Religionis, bonorum ipsius temporalium, sicut spiritualium: & altari servientes, de illo comedant. Insuper est quidam contractus in professione factus virtualis, in quo consurgit obligatio Religionis, quoad victum, & vestitum, sibi convenientia. Et infrà, paulò ante finem. Et sic ad illos primo iuxta suæ paupertatis condecentiam, Monasteria, & Prælati ex iustitia tenentur, in victu, & vestitu iuxta suam Regulam. Non enim tenentur ad quærendum pannum, siue stamineum pretiosum, siue delicatum, in quo vtinam excessus absit, & moderamen Regularum servetur sanctarum.

32 Hæc omnia P. Llamas, quem Laurentius Peyrinus sequitur *tom. 2. de Prelato, quæst. 1. cap. 5. §. 1.* de cura, quam debet habere Prælatus de bonis temporalibus Religionis, *num. 58.* Notandum (inquit) ad Oeconomum nostrum (loquitur de Correctore, Prælato locali) pertinere providere suis Fratribus, tam sanis, quàm infirmis abundanter de cibis, & vestimentis necessariis pro vitæ sustentatione, iuxta suæ Religionis statuta: & hoc est iustitia; vnde peccat, si in hoc deficiat; ex quo enim omnes Religiosi per professionem Religioni nomen dedere, eique incorporati serviunt iuxta vocationem suam, digni sunt ex iustitia, mercede sua, & iure naturæ sunt participes quoad necessaria ipsius Religionis bonorum temporalium, & spiritualium. Insuper per professionem initur quidam tacitus contractus inter Religionem, & Religiosum, quo hic tenetur omnes operas suas in Religionis favorem impendere, & illa se obligat ad illi providendum de necessariis quoad victum, & vestitum. Hæc ille, qui præter Hieronymum de Llamas, allegat Gratianum, disceptationum forensium, *tom. 3. cap. 552. num. 21.* & Lessium *de Iustitia, lib. 2. cap. 41. dub. 8. n. 67. versic. Verum tamen puto.*

Abundanter, inquit Peyrinus debet Prælatus providere, iuxta Religionis statuta; sed quam abundanter, explicat ipse ad finem *d. n. 58.* dicens, Quare prodigalitatem, nec suprà redditum sumptus suadeo, sed solùm prætendo, vt dentur subditis iuxta Religiosam paupertatem omnia necessaria, quoad victum, & vestitum, sub ea forma, qua alij Prælati eiusdem Conventus, discreti, prudentes, & charitativi dare suis subditis consuevere.

Admisso igitur, quod Abbas, & quilibet alter Regularis Prælatus localis, debeat alimenta omnia suis subditis Religiosis præstare, cum ea abundantia, & in ea bonitate, quibus præscriptum in Religione fuerit, & quod sic adimplere nolit, nego posse Cellerarium, Oeconomum, aut vllum alium Ministrum contra voluntatem Abbatis, vel alterius huiusmodi Prælati, eius defectum, & negligentiam, propria ex authoritate supplere; sed in dispensatione bonorum illius dispositioni stare debet; & aliter ea expendens, proprietatis vitium admittit. 33

Ratio potissima est, & fundamentalis, quia vti benè docet Marcus Vidal *in Arca Vitali, in Indice vtriusque iuris textuum, Axiomatum, & sententiarum*, ex Iure naturali, maior supplere debet negligentiam minoris; sed non è contra. Quam certè rationem Doctores Sancti, & Authores, quos suprà recensuimus, & passim alij recognoscentes dicunt, quod nos asservimus.

In primis enim Beatus Ioannes à Capistrano, Tertij Ordinis Sancti Francisci *tract. de Papa, & Concilij, siue Ecclesiæ auctoritate, par. 3. secundæ partis principalis, folio mihi 123. in 2.* ita fatur. Oves igitur, quæ pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitaverit, nec vllatenus accusare possunt; quia facta Pastorum, oris gladio ferienda non sunt, quamquam reprehendenda rectè videantur, dixit Eusebius Papa *2. q. 7. Oves.* 34

Hæc Capistranus. Ex quibus benè colligitur, non posse Oeconomos bona dispensare Conventus, contra dispositionem Prælati: hoc enim esset illius facta, facti ferire gladio, eumque opere reprehendere, & accusare: imò & damnare: & suo iure administrandi, omni iure divino naturali, & humano violato spreto, spoliare.

Clariùs noster D. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus *lib. 3. Epistol. epist. 27.* Priori Baldr. scribens, pro nobis est, *fol. mihi 64.* vbi sic ait. Et cum de omnibus vestris bonis studiis, & operibus gaudeam, in illo maximè cor meum exultat, quod Domino Abbati benigna obedientia concordatis, & laboriosum eius onus, & onerosum laborem vestra consolatione levigatis, nec pati potestis, vt aliquis eius ordinationibus aut detrahat, aut resistat. Certum enim est, & experimento sæpè cognitum, quia Monasterium, in quo subditi facta Prælati diiudicant, benigna Dei dispositione non disponitur; sed per abrupta vitiorum dissolvitur, & discordia scindente destruitur. Vbi verò Prælati facta, & ordinationes velut à Deo spiratæ ab omnibus, communiter suscipiuntur, ibi Deus inhabitat, & quasi proprium domum, cuius tota cura super ipsum iactatur, disponit, & ordinat. Hoc ergo super omnia precor, & moneo vt serveris, & in hoc studio instanter perseveretis. 35

D. Antoninus, loco allegato, sic ait. Nota sextò de habentibus bona Monasterij, vel Conventuum 36

ventuum administrationem pro communitate, vt Procuratores, custodes: id est librarij: vestiarij: Sacristæ, & huiusmodi. Procurator igitur cum habet administrationem rerum iuridicè in ministrando res Ecclesiæ, vel Conventus, conditionem eius meliorare potest, deteriorare non debet, vt dicitur *extra de Donationibus*, *cap. Fraternitatem:* vbi dicit Glossa, quod etsi Episcopus aliqoid modicum donare possit si sit de consuetudine; non tamen Procurator, etiam generalissimam habens administrationem, *ff. de Procuratoribus*, *l. Procurator.* Et hoc est contra abusionem modernorum Religiosorum secundùm Dominum Ioan. Do...... quod constituti Procuratores, & Syndici à Conventibus suis in totum, vel in partem bonorum patrimonialium vendunt, donant, commutant, dissipant, & disperdunt, dicentes se facere licitè: quia cum licentia suorum maiorum; cum nec ipsi Prælati possint donare, vel distrahere bona Monasterij, seu Conventus. Hæc omnia Florentinus. Videantur dicta *suprà dub. 5. n. 1.*

Quo spectat, quod Angelicus Doctor dixit
37 Opusculo de Regimine Principum *lib. 1. cap. 1.* Si ergo naturale est homini, vt in societate multorum vivat necesse est in hominibus esse per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque id, quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens, sicut & corpus hominis, & cuiuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quę ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod considerans Salomon dicit: *vbi non est gubernatio, dissipabitur populus.* Hoc autem rationabiliter accidit: non enim idem est, quod proprium, & quod commune. Secundùm propria quidem differunt; secundùm autem commune, vniuntur: diversorum autem diversæ sunt causæ. Oportet igitur præter id, quod movet ad proprium bonum vniuscuiusque, esse aliquid, quod movet ad bonum commune multorum. Propter quod & in omnibus, quæ in vnum ordinantur, aliquid invenitur alterius regitivum. In vniversitate enim corporum, per primum corpus, scilicet cæleste, alia corpora, ordine quodam divinæ providentiæ reguntur, omniáque corpora per creaturam rationalem. In vno etiam homine, anima regit corpus: atque inter animæ partes, irascibilis, & concupiscibilis, ratione reguntur. Itémque inter membra corporis, vnum est principale, quod omnia movet, aut cor, aut caput. Oportet igitur esse in omni multitudine, aliquod regitivum.

Hucvsque D. Thomas. In quibus non semel, sed sæpissimè docet, gubernium communitatis, seu eorum, quæ ad commune bonum spectant, ad vnum, qui omnibus præest, pertinere, non autem ad plures; aliàs multitudinis bonum in diversos dispergeretur. Ille autem vnus, certum apud omnes debet esse, quod debeat intelligi, non solùm, qui in aliis, sed etiam in distributione eius boni communis Prælatus est. Et si alter supplere vellet eius defectus, & negligentias, iam in Conventu non esset vnum regitivum, sed plura: & pax turbaretur: confusióque magna in communitate daretur. Vide eundem D. Tho. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. quem refero *n.* 15.

38 Nec mihi satis probatur, quod Laurentius de Peytinis putat *loco suprà allegato*, qui post verba recensita *num.* 14. in sequentia prorumpit immediatè. Non putarem autem, Procuratorem peccare mortaliter, qui aliquid necessarium, v. g. par caligarum, aut femoralium largiretur alicui Religioso, iis indigenti, cui Prælatus Conventus, necessitate auditâ, iniustè denegavit. Quia eo casu suppleret Prælati defectum, & censeretur sibi à supremo Prælato dari talis rationabilis licentia. Cum, ob iam dicta. Tum etiam, quia in nostra saltem Religione, talis licentia Oeconomo à Generali dari non censetur. Quia Sancta Regula Cellerario ordinat, *cap.* 31. *vt sine iussione Abbatis, nihil faciat:* & quod *omnia mensuratè faciat, & secundùm iussionem Abbatis sui.* Non igitur rationabiliter præsumi potest, quod Generalis Oeconomo veniam concedat, quam denegat ei Abbas: quia nunquam præsumitur Prælatum vllum Regularem rationabiliter velle aliquid contra suæ Regulæ dispositionem expressam. Imò si contra illam operetur, nulliter aget: quia subiectus & ipse est Regulæ, sicut alij inferiores Religiosi. Inferior autem, & subditus potestatem nullam habet in Superioris sui Regulam, & Constitutionem. Ad observationem item Regulæ, Prælati omnes, supremi maximè, instituti reperiuntur; non verò ad illius inobservantiam, dispensationem, & relaxationem.

Nec obstat Constitutio nostræ Congregationis 39
Hispaniæ, *cap.* 52. *num.* 1. vbi ita decernitur. Ordenamos y mandamos, para la buena administracion de la hazienda de los Monasterios, que en cada casa aya vn Mayordomo, à cuyo cargo esta la cobranza de las rentas, y el gasto de la Casa, y toda administracion de la haçienda della: el qual sea Monge escogido, y nombrado por el Abbad con parecer del Consejo. Et *num.* 5. Mas si la administraçió de la hacienda no se pudiere governar bien por vna sola persona, mandamos, que a los Mayordomos se les den Coadjutores, que les ayuden, losque pareciere convenir; mas todos esten subordinados al Mayordomo, demanera, que ninguno gaste, sino por mano, y orden del Mayordomo, y el Mayordomo provea todo loque fuere menester para todos los officios, y el Official Coadjutor, de cuenta al Mayordomo. Hæc in Constitutione S. Facundi *de anno* 1610.

Non inquam obstat. Quia administratio, quàm 40
Oeconomo præfata attribuit Constitutio, non est cum independentia ab Abbate, sed cum dependentia, & omnimoda subordinatione. I. Quia in fieri, & conservari Oeconomus ab Abbate vnicè dependet: & illi reddere tenetur rationem vilicationis suæ, vti ex eadem demonstratur Constitutione, ibi: el qual sea Monge escogido, y nombrado pot el Abbad. Et ibi: y el Official Coadjutur de cuenta al Mayordomo, y el Mayordomo al Abbad. II. Quia sic semper fuit intellecta huiusmodi Constitutio, in nostra Congregatione, & etiam practicata. III. Quia ita declaravit præfata Congregatio en el ceremonial Monastico dispuesto por el Capitulo General, que se celebro *el año de* 1633. *part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 6. in quo *num.* 4. sic lego. El Mayordomo no ha de hazer cosa de que no guste el Abbad, ni se alargara aloque nole hubiere dado liçençia, ni esca se ara loque el Abbad mandare. Et *num.* 7. El Mayordomo no ha de hazer regalo particular dentro, o fuera del Monasterio, sin licencia del Abbad, para que vaya en su nombre, y del Convento. Et *num.* 8. si vuiere necessidad de hazer se alguna

obra

obra de manos en la huerta, o en otra parte, con ayuda de los Monges, auise dello al Abbad, para hazer la con su licençia: y de ninguna manera corte arboles, ni deçepe viñas, ni haga otra obra por pequeña que sea, sin licencia del Abbad: de loqual, y de otras cosas de su officio se trata en las Constituciones *cap.* 51. & 52. y especialmente, ha de ver el *capitulo*. 31. de la sancta Regla, que se intitula *De Cellerario Monasterij*.

41 Ad secundum, quod mihi obijciebatur, admitto Oeconomum, & quemlibet Ministrum inferiorem, bonorum Conventus dispensatorem extremè indigenti eleemosynam erogare posse, imò & quemlibet Religiosum subditum, vti docent Navarrus *comment.* 2. *de Regularibus, num.* 9. Glossa *in cap. Non dicatis, verbo Possidere*, vbi ita fatur. Nunquid pauperi fame morienti tenentur subvenire sine licentiâ? ita. Nec obstat, 1. *q.* 1. *Non est putanda.* Quia in hoc casu quilibet ei subveniret: res enim, quâ nobis superabundant, pauperum sunt, vt 47. *dist. Sicut hi.* Hæc Glossa. Emmanuel Roderiquez *tom.* 2. *quæstionum Regularium, q.* 57. *art.* 2. *versic. Respondeo*, vbi dicit. Secundò possunt facere eleemosynam etiam contra suorum Superiorum prohibitionem in extrema necessitate, cum tunc omnia sint communia, imò tenentur eam facere, vt tenet Ricardus, *in* 5. *dist.* 15. Tabiena *verbo Eleemosyna, num.* 9. sic inquit, Secundò quandò vi vident aliquem in extrema necessitate, etiam contra Superiorum prohibitionem possunt ei eleemosynam dare, imò possunt furare, & tapere vt dent, imò tenentur, quia in tali causa omnia facta sunt communia secundùm Sanctū Thomam 4. *distinct.* 15. *q.* 2. *art.* 4. *ad* 2. & 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Cardinalis de Lugo *de Iustitia, & Iure, tom.* 1. *disput.* 3. *sect.* 8. *n.* 167. *in fine*. Extra hos casus (inquit) non possunt eleemosynas facere, nece casu extremæ necessitatis. Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *de Subdito, quæst.* 2. *cap.* 2. §. 8. *versic. Multi tamen.* Et addit. Etiamsi Superior licentiam deneget. Quia in necessitate omnia sunt communia. Tandem D. Thom. *loco citato* 2. 2. sic ait.

Ad primum ergo dicendum, quod Monachus si habet dispensationem Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterij secundùm quod sibi est commissum; si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta, nisi fortè in articulo extremæ necessitatis in quo licitum esse ei furati, vt eleemosynam daret. Hactenus D. Thom.

42 Concesso igitur antecedente, in quo asserebant Magistri à me consulti, posse Oeconomum contra voluntatem Abbatis eleemosynam extremè indigenti erogare; nego consequentiam: posse scilicet sibi, aut alijs Religiosis concedere, quod Abbas iniustè denegaverat. *Primò* ob authoritatem tot Doctorum, & talium, antecedens concedentium; & negantium simul consequentiam, *Secundò*, quia Charitas sub mortali culpa omnes obligat Christianos, ad subveniendum in extrema necessitate constitutionis: si propria habeant bona, ex proprijs; si proprijs careant, de alienis: etiam illa furando, aut surripiendo. In quo quidem furtum, aut aliud vitium non admittitur, & multò minus sacrilegium contra Paupertatis votum. Non vtique furtum, Quia in extrema necessitate, omnia indigentibus extremè, & illa possidentis sunt communia. Neque sacrilegium, aut crimen quidem aliud. Quia, quæ pro Charitate instituta reperiuntur; contra Charitatem militare non debent: professio autem Paupertatis in Religionibus approbatis facta pro Charitate fuit instituta, vti constat ex D. August. relato *in canon. Non dicatis*, cuius verba *dub.* 10. *num.* 10. transcribam, & ex D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. expende verba illius. *Cum fratres non solùm facultatibus, sed voluntatibus propr.ijs in ipsa Ordinationis susceptione renunciaverint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & Imperijs in Christo, & pro Christo subdiderunt.* Thomæ autem sequentia. *Melius tamen est pro intentione sequendi Deum in simul omnia donare, & absolutum solicitudine, egere cum Christo.*

Sed replicabis. Omnia bona Communitatis Religiosæ dominij capacis, propria sunt Religiosorum illius, & omnibus illis communia: ergo sicut Oeconomus, aut alter quilibet Religiosus privatus, votum paupertatis non frangit, violatve, bona Conventus extremè indigentibus erogando, contra Abbatis, seu alterius Prælati localis voluntatem, ita & multò minus contra votum præfatum peccabit Oeconomus, si Monacho de bonis Conventus concedat alimenta, vestimenta, & suppellectilia illa, quæ secundùm Religionis præscriptum, & iustitiam tenetur Abbas illi subministrare, & in ea quidem bonitate, & abundantia, quæ fuerit ab Ordine statuta. 43

Respondeo, quòd licet Religiosis communia sint Conventus bona, & illorum dominium, licet non ita vt singuli Domini aliquotarum partium sint, sed taliter illis communia sunt, vt singulis, quod opus fuerit applicetur; non tamen hæc applicatio, ita independenter fieri potest ab Oeconomo, & contra Abbatis voluntatem, sicut fieri potest erogatio eorundem bonorum, in eleemosynam extremè indigentibus. Ratio disparitatis est. Quia huiusmodi erogatio eleemosynæ, à quolibet debet fieri Christiano, ex communi assensu, consensu, & præscripto vniversalis Ecclesiæ, sic præceptum virtutis Charitatis, quæ maior est inter virtutes, interpretantis. Applicatio autem prædicta fieri non permittit eadem Ecclesia alteri, quàm habenti authoritatem propriam, bona Ecclesiæ vniversalis, aut particularis Sæcularis, aut Regularis ministrandi. Vnde Abbas, & non Oeconomus potest bona Conventus, singulis Monachis applicare: quia Abbas solus authoritatem illa administrandi habet, privativè quoad Oeconomum: etsi iste, vti vidimus, vllam administrationem habet, est cum omnimoda dependentia ab Abbatis voluntate.

Quocirca, dignus est vt audiatur, & pro Dubij coronide recenseatur, Nicolaus Bravo, in notis literalibus ad *caput* 31. sanctæ Regulæ, communis Parentis S. P. Benedicti *num.* 9. in hæc prorumpens. Vnum autem sæpiùs in hoc capite inculcat, ibi: *sine iussione Abbatis, nihil faciat.* Iterū. *Sed omnia faciat secundùm iussionem Abbatis.* Rursum. *Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura, à quibus eum prohibuerit, non præsumat.* Vt quid ergo toties repetita præceptio? Non satis erat semel de re loqutum? Nihil sanè redundat, etiamsi fortè centies reiteraslet. Omnis ea voti paupertatis recommendatio necessaria. Ingeminat recordationem, vbi gravioris, & frequentioris transgressionis periculum imminere solet. Atque vt in vno Cellerario, omnem substantiam Mona- 44

sterij

terij administrante, sit constans; quidquid sine requisito consensu Abbatis, aut contra eius placitum distribuit, contrectátve, ipsum reum voti apud Deum constituere.

Cognoscat igitur seriò Cellerarius, & quilibet alius temporalium Minister, imò & quilibet Monachus, quid intra suum ministerium, & sphæram possit, vel ex licentia expressa, aut saltem, suo debito modo, tacita, quæ verè & propriè talis sit; aut quam ipsa consuetudo Ordinis non revocata; ex consensu Prælati, interpretatur, vel rectâ aliqua ratione quando expressior licentia haberi non potest, & tanquam habita præsumitur, ne secùs, à nutu Abbatis, quidpiam independenter faciens, transgressor voti sacrilegus fiat, & se, invito Prælato, iniustitiæ crimine oneret. De quo in terminis Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 8. cap. 15. n. 9.* & quod infrà ad *cap. 33. n. 2.* citabo, ne defectu authoritatis, doctrina necessaria languescat. Hucusq; Olivensis Archimandrita.

DUBIUM X.

An Religiosus eleemosynam faciens, sive Prælati licentia, proprietarius fiat? Idem inquiritur de donante in causas pias. Et de donante gratificationis causa.

BREVIARIUM.

Eleemosyna.

Sine tacita, virtuali, aut interpretativa saltem Prælati venia, introduci nequit consuetudo, in cuius vim Religiosi eleemosynam erogare possunt, n. 4.

Peccat venialiter Religiosus, qui potens facilè, veniam à Prælato non petit ad subveniendum extremè indigenti, n. 6. 7. 8.

Eleemosynam nequit facere Religiosus, administrationem non habens, absque licentia saltem virtuali Prælati, sine vitio proprietatis, à num. 8. ad 11.

Extremè indigenti potest invito Prælato eleemosynam facere, & tenetur: de bonis etiam Conventus, n. 5. 6. 7.

Religiosus intra Claustra existens, sine licentia expressa Prælati, potest eleemosynam facere de his, quæ sibi subtraxit, si id Conventus ferat consuetudo, & in quantitate, quam ista fert, n. 19.

In eleemosyna facienda, consuetudo Religionis servanda est à Prælato, n. 22.

Licentia.

Præsumptam habet licentiam Religiosus ad eleemosynam, aut ad quid aliud, quando alij simplices Religiosi parvam eleemosynam, v. g. faciunt, sciente, & non contradicente Prælato; si tamen iste id non prohibeat, n. 20.

Paupertas Religiosa.

In Religionibus, in quibus quot à Religiosis datur pro itinere, aut scholis, vel extra Monasterium degentibus, ea lege, vt nihil amplius teneatur Monasterium eis dare, nec ipsi rationem de residuo reddere, de residuo possunt donationes facere, aut eleemosynas, à n. 12. ad 15.

Secus dicendum, quando, etsi assignetur quota non tamen recensita lege, & quando quota non assignatur, n. 16. 23.

Secus etiam dicendum de Prælato, & quocumque alio administratore, n. 23.

Religiosus extra Claustrum contractum iniens, habere debet intentionem saltem virtualem acquirendi Monasterio, aut Ordini, eo modo quo licet iure humano, & divino, n. 18.

Religiosus habens de licentia Prælati peculium, potest pauperibus consanguineis semel, & iterum, si eorum exigat, iudicio prudentis, necessitas, decem ducatos, in Peyrini sententia, sed cautè procedat, quia carnis affectus, debitus sæpè non sinit circumstantias pensare, n. 31.

Proprietas.

Nullus Religiosus potest ex his, quæ sibi ad honestos conceduntur vsus, aliquid sine licentia expressa, aut virtuali vendere, aut alio modo alienare absq; proprietatis vitio, aut mutuare, deponere, & commodare, n. 22.

Religiosi.

Non solùm renunciant in professione rebus temporalibus, sed propria voluntati, ita vt penitus aliena potestati se subdantur, n. 10.

Votum.

Minus obligat paupertatis votum, quàm preceptum de vita propria, aut aliena tuenda, n. 6.

1 SVppono, bona Religiosorum, in duplici esse differentia. Alia quidem sunt communitati destinata; alia verò proprio singulorum vsui concessa.

2 Suppono secundò, Religiosos subditos, in duplici etiam esse differentia. Alij enim administrationem quandam habent bonorum Communitatis, dependentem tamen à Prælati localis voluntate: vt i sunt Cellerarij, Oeconomi, Procuratores, & huiusmodi; alij autem sunt simplices Monachi, vel Fratres omni administratione bonorum Conventus carentes.

3 Suppono tertiò, in Religionibus contingere, assignari Religiosis iter agentibus, in studijs, aut alibi degentibus, quotam pro cibo, potu, aliisque necessarijs, ea lege, vt nihil amplius eis Conventus dare teneatur, neque ipsi de residuo rationem reddere. Quod vtique in nostra experimur Congregatione, in vim Constitutionis Sancti Facundi, *cap. 49. nu. 2.* vbi sic decernitur. *Quando algun Monge se muda de vna casa para otra, el Prelado de la Casa de donde se muda, està obligado à darle Cavalgadura en que vaya con decençia del habito, y moço, y dineros, à razon de diez reales por cada dia, contandole la jornada à ocho leguas por dia. Y ha le de dar el dinero, que sea menester para la buelta del moço.*

4 Suppono quartò, dati posse consuetudinem in aliquibus Religionibus, ratione cuius Religiosi subditi, sine expressa licentia Prælati, erogare valeant eleemosynam, in aliquem pium vsum expendere, vel donare aliquam quantitatem, non solùm eorum, quæ proprio vniuscuiusque vsui sunt destinata, sed etiam bonorum Communitatis. Consultò addidi: *expressa*: quia sine tacita, virtuali, aut interpretativa Prælati venia, nequit valida induci huiusmodi consuetudo. Aliàs daretur quod Religiosi independenter à Prælati voluntate, bona benè possent expendere. Quod nefas sit dicere. Quia actum dominij exercere, omninò statui contrariatur Religioso.

CONCLVSIO I.

5 QVilibet Religiosus, siue administrationem habeat bonorum Conuentus, siue non, potest, absque fractione voti paupertatis, & sine vlla Prælati licentiâ, imò & contra illius voluntatem, extremè indigenti, siue domestico, siue externo, eleemosynam facere, tam de bonis, suis vsibus concessis, quàm de destinatis communitati. Quin potiùs illam facere tenetur.

6 Quod possit, tenet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *ad* 1. Glossa *in can. Non dicatis, verbo Possidere, el* 111. *causa* 12. *quæst.* 1. Nauarrus *in comment.* 2. *de Regularibus*, in eundem *canonem, n.* 8. *versic. Ad cuius.* Ioannes Tabiensis *in Summa, verbo Eleemosyna, num.* 9. *versic. Octauò.* Cardinalis de Lugo *de Iust. & Iure, tom.* 1. *disput.* 3. *sect.* 8. *num.* 167. (qui tamen addit, tunc peccare venialiter, si potens facilè licentiam petere, id non faceret Religiosus cui rerum administratio commissa non sit.) Laurentius de Peytinis *tom.* 1. *de Subdito, quæst.* 2. *cap.* 2. §. 8. *dicto* 3. cum Nauarro *in Manuali, cap.* 17. *q.* 57. *art.* 2. cuius verba dubio præcedente recensui, *num.* 41. incipit, *Ad secundum.* Hermannus Bussenbaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *dub.* 3. *resp.* 6. Antoninus Diana *part.* 5. *tract.* 8. *de Eleemosyna, resolut.* 32. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *n.* 227. & 312. & Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 153. & 167. *num.* 1. Lezana *in Summa quæstionum Regularium. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 31. & 53. cum Angles *in Floribus, part.* 1. *tract. de Eleemosyna, q.* 4.

Et ratio est. Quia præceptum de vita tuenda, plus obligat, quàm votum paupertatis: cum naturale illud sit. Vnde, de tali Religioso in nostro Conclusionis casu, ait Pellizzarius operari secundùm ius naturæ.

7 Quod autem teneatur quilibet Religiosus eleemosynam extremè facere indigenti, docent Glossa *in can. Non dicatis, verbo Possidere*, cuius verba ad amussim *dub.* 9. *versic. Ad secundum*, exscripsi. Emmanuel Roderiquez *tom.* 2. *quæstionum Regularium, quæst.* 57. *art.* 2. *versic. Respondeo*, cum Ricardo in 4. *dist.* 15. Tabiensis *verbo Eleemosyna, num.* 9. qui addunt ad id teneri, etiam Superioribus prohibentibus. Vbi proximè istorum Doctorum sententiam ad vnguem recensui. Bartholom. à S. Fausto *dicta quæst.* 153. *num.* 2. cum Nauarro *in Manuali, cap.* 17. *num.* 105. & Roderiquez *loco citato.* Et addit Bartholomæus: si autem in hoc casu licentia non peteretur, non esset Religiosus ille reus fracti voti, quia adest debita Superioris licentia; peccaret tamen venialiter, quia contra debitum Superioris administrationis modum facit.

CONCLVSIO II.

8 EXtra extremæ necessitatis casum, nequit Religiosus priuatus, administrationem non habens bonorum Conuentus, illa, aut, quæ suis vsibus sunt destinata absque expressa, aut virtuali Prælati sui veniâ in eleemosynas, aut alia pia opera expendere, sine proprietatis peccato contra votum paupertatis. Consultò addidi: *administrationem non habens*: quia de illam habentibus, dubio præcedenti, quæ sufficiunt dixi, & aliqua obiter in hoc dicam.

Hanc tenent Glossa *in Clementinam Quoniam, verbo Conuertendum, la* 2. *de Vita, & honestate Clericorum.* Diuus Antoninus *in Summa, parte* 3. *titulo* 16. *cap.* 1. §. 11. *versiculo Nota quartò.* Nauarrus *libro* 3. *Consiliorum, titulo de Statu Monachorum, consil.* 3. *numero* 46. *pagina mihi* 335. & *commentario* 2. *de Regularibus, in canonem Non dicatis, el* 111. *causa* 12. *quæst.* 1. *num.* 8. *versic. Ad cuius notabilis.* D. Thomas, 2. 2. *quæst.* 32. *articulo* 8. *ad primum.* Alphonsus de Vega, *in Summa, parte* 2. *cap.* 86. *casu* 4. *columna* 724. Tabiensis *in Summa, verbo Eleemosyna, nu.* 10. *versic. Nonò.* Emmanuel Roderiquez, *tomo* 2. *quæstionum Regularium, quæst.* 57. *art.* 2. Glossa *in dictum canon. Non dicatis.* Cardinalis de Lugo *tomo* 1. *de Iustitiâ, & Iure, disputat. sect.* 8. *numero* 167. *in fine.* Peytinus *tomo* 1. *de Subdito, quæst.* 2. *capite* 2. §. 8. *versic. Quartus*: vbi ita fatur. Vnde non licet Frattibus in particulari dare pauperibus frustum panis: & quia non præsumitur consensus Prælati, cum hæc cura Ianitori sit demandata: & quia hoc in damnum graue communitatis redundaret, si singuli Fratres darent frustum panis, vel quotidiè, vel bis, aut ter in hebdomada. Hæc ille. Cum quo D. Thom. 2. 2. *quæst. & art. citatis*, & alijs communitet. Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo* 1. *tract.* 4. *capite* 2. *sect.* 3. *num.* 227. Qui tamen cum Peyrino *loco citato*, & alijs notat, supponi licentiam Superioris ad erogandam eleemosynam, non solùm in casu extremæ, sed magnæ necessitatis proximo aduenientis, temporé, quo adiri non possit Superior.

Probatur *primò* Conclusio, ex præallegata 9 *Clementina* 2. *de Vita, & honestate Clericorum*, sic statuente. Sed & tales, & cæteri quicumque Clerici vtentes epithogio, seu tabardo foderato vsque ad oram, & ita breui, quod vestis inferior notabiliter videatur: epithogium ipsum Sæculares Clerici, & Religiosi administrationem habentes, teneantur infra mensem dare pauperibus. Cæteri verò Religiosi administrationem non habentes infra idem tempus illud teneantur suis Superioribus assignare in pios vsus aliquos conuertendum. Hactenùs Clemens V. in Viennensi Concilio: vbi apertè decernitur eleemosynam, quam tenetur facere Religiosus priuatus, ex illius præscripto, fieri non debere, nisi per manus Prælati.

Probatur *secundò* authoritate, & ratione D. Augustini, relati *in can. Non dicatis* recensito. Cum huius nostræ Congregationis Fratres, non solùm facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa ordinationis susceptione renunciauerint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint; Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris licentiâ. Hæc Augustinus. Expende verba illa: *Certum est eos nihil dare debere.* Quæ quidem & eleemosynam prohibent Religiosis subditis dare. Aliàs *nihil* non diceret S. Doctor. & ita certè ibi exponitur à Glossa. 10

Eandem rationem sequutus D. Thomas, loco 11 modo reddito, sic pro nobis locutus est. Regularis si habeat dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus Monasterij, prout sibi est commissum. Si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter

præsumpta. Hæc Doctor Angelicus. Ratio igitur nostræ Conclusionis est, quia nemo potest dare, quod non habet. Religiosus autem nihil habet: ergo si dat eleemosynam, appropriat sibi, quod dat, votum paupertatis frangendo.

CONCLVSIO. III.

12 IN Religionibus, in quibus quota assignantur Religiosis iter agentibus, aut in scholis degentibus, ea lege, vt nihil ampliùs teneatur Monasterium eis dare, neque ipsi de residuo rationem reddere, sed quod suo commodo, vel damno id impendant, licitè possunt eleemosynas largiri de eo, quod per parsimoniam relinquunt, de his, quæ sibi sunt assignata, in expensas quotidianas, menstruas, vel annuas: possúntque dicta residua in pios vsus expendere, & donare consanguineis, vel amicis in signum gratitudinis beneficij recepti, vel in significationem debitæ amicitiæ, vel ad conciliandam eorum voluntatem in favorem Religionis; dummodò tamen in prædictis non excedant eam quantitatem, quam in similibus, eiusdem qualitatis personæ sæculares insumere solent, aut eiusdem saltem Ordinis. Possunt etiam mutuare, & vendere. Et idem est dicendum de Religiosis extra Monasterium degentibus cum simili quota, eis pro victu, vestitu, & alijs necessitatibus, assignata, eadem lege, de qua suprà.

13 Hanc tenet conclusionem Glossa *in canonem Non dicatis, verbo Possidere, el* 111. *causa* 12. *quæst.*1. Item *in Clem. Quoniam la* 1. *de Vita, & honestate Clericorum, verbo Converiendum.* Ferdinandus, Castrus Palaus *parte* 3. *tract.*16. *disp.* 3. *punct.*22. *num.*3. Doctus Navarrus *libro* 3. *Consiliorum, tit. de Stata Monachorum, consil.*3.*num.*46. *pag. mihi* 335. *& commentario* 2. *de Regularibus, in dictum canon. Non dicatis, num.* 8. *versic. Ad cuius.* Laurentius de Peyrinis *tom.*1. *de Subdito, quæst.*2. *cap.*2. §. 8. *versic. Tertius.* Cardinalis de Lugo *tom.*1. *de Iustitia, & Iure, disput.*3. *sect.*8. *num.* 167. Emmanuël Roderiquez *tom.*3. *quæstionum Regularium, quæst.* 29. *art.* 10. *conclus.*3. Iacobus de Graffis *in Decisionibus aureis, part.* 1. *lib.*3. *cap.*5. *de Regularibus, numero* 63. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 60. *dicto* 10. Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resolut.* 32. Ioannes Tabiensis *in Summa, verbo Eleemosyna, num.* 9. Hieronymus Llamas *in Methodo, part.*3. *cap.*13. §. 16. Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, part.*1. *tract.* 9. *cap.*1. *quæstio.* 17. cum Valentia *tom.* 4. *disput.*10. *quæst.* 4. *punct.*3. & Molina *tom.*2. *de Iust.& Iure, disp.*276. §.*vlt.* dicente.

Quod si Prælatus certam pecuniæ quantitatem alicui in scholis, vel alicubi commoranti, quot annis ad sui sustentationem tribuerit, tunc quantum velit sibi subtrahere de sua sustentatione, posset largiri in eleemosynas, vel alias honestas donationes, vel aliter decenter insumere. Hæc Molina. Oviedo autem, quæ sequuntur.

Si Monacho detur ad suum determinatum iter, v. g. transmigrationis ab vno Monasterio ad residendum in alio, aut aliter taxata pecunia, & superfit aliquid, potest retinere illud, & ad suum peculium reducere, sicut & alias eleemosynas, quas accipiat: & hoc etiam, quamvis fortè nihil ex eo, quod recipit, consumpserit, eo quod non ad Villas, & diversoria, sed ad Conventus Ordinis, qui in viâ, aut secùs viam consistant diverterit hospitandus: & sic in praxi apud Benedictinos, & credo de Religionibus, quibus sit in more habere peculium Religiosos, & concedi illis necessaria ad iter faciendum, quia non liceat, vel expediat mendicando iter facere, ex consuetudine, vel constitutione. Hactenùs Oviedo.

14 Pro conclusione ista, allegant Glossæ, & Doctores recensiti, plures alios, & vtriusque Iuris textus. Videlicet *cap. Prætereà, el* 5. *de Officio Iudicis delegati, l. final. Cod. ad Maced. l. Si longius,* §. *Filiusfamilias, ff. de Iudic. l.*2. *ff. de Iurisdictione omnium Iudicum.* Hostiensem *in Summa de Pœnit. & Remissionibus,* §. *Quibus & qualiter, char. penultimo, versic. Quid de facientibus eleemosynam?* Franciscum Suarez *tom.* 3. *de Religione, libro* 8. *cap.*15. *num.*8. Petrum Navarra *de Restitutione, lib.*3. *cap.*1. *dub.*1. *num.* 158. *in* 2. *edit.* Molinam *tom.* 2. *de Iustitia, disput.*276. *versic. Religiosus in Conventu.* Armillam *verbo Eleemosyna, numero* 5. Angelum *eodem versu, num.* 9. Sylvestrum *ibid. quæst.*5. *no. dicto primo.* Thomam Sanchez *oper. Moral. in Decalog. tom.*2. *lib.*7. *cap.*19. *n.*98. infinitos alios citantem. Turrecrematam *in canon. Non dicatis, num.* 6. Hugonem *in Regulam S. Augustini.*

15 Ratio autem nostræ Conclusionis est, quia eo ipso, quod quota in prædictis casibus, vti præfertur Religiosis assignetur, censetur dari facultas tacita disponendi de tota illa portione: sicut videtur habere mandatum tacitum agendi pro suo viatico, & alijs rebus, si eis expolietur, iuxta dictam glossam, & textum *in dictam legem Si longiùs, & legem finalem, Digestis Ad Macedonium.*

16 Consultò addidi in Conclusione *in quibus quota assignatur ea lege, &c.* quia si ea lege non assignatur, nequit Religiosus iter agens aut in scholis degens ex pecunijs sibi pro Viatico, aut pro studiis concessis, & sibi parciùs vivendo subtractis eleemosynas, aut donationes facere, aut libros emere, &c. Quia non præsumitur tacitè concessa ei facultas disponendi de Residuo. Et ita docet Castrus Palaus *vbi suprà, parte scilicet* 3. *tract.*16. *disp.*3. *punct.*22. *n.*2.

17 Notanter dixi: *censetur*: quia in nullo quidem casu præter extremam necessitatem facere queit Religiosus eleemosynam repugnante Prælato, vti expressè docet Cardinalis de Lugo *dicto n.* 167. & Roderiquez *loco mox citando.* Peyrinus *dicto* §. 8. *versic. Quartus,* ibi: secùs autem si non præsumatur.

18 Advertat tamen Religiosus extra Claustrum existens, & contractum aliquem iniens, quod habere debet intentionem acquirendi Monasterio suo, aut Ordini, eo legitimo modo, quo iure humano, & divino licet. Quia volens hoc, vult consequenter & illud, argumento eorum, quæ in vtroque Iure Canonico, & civili notantur, *cap. Prætereà, el* 5. *de Offic. Iudic. Delegati, & l. Illud, ff. de Acquirenda hæreditate:* & ita docent Navatrus *comment.* 1. *de Regular. ad can. Cui portio, num.* 23. *pag.*100. *el* 106. *causa* 12. *quæst.*1. Roderiquez *tom.*3. *quæst.*29. *art.*10. *concl.*3. Graffis *part.*1. *Decision. lib.* 3. *cap.*5. *num.* 63. Sufficit tamen intentio virtualis. Navarr. *ibid.* ex his, quæ docet *in cap. Cum Minister, n.*18. 23.*q.*5.

CON

CONCLVSIO IV.

19 Religiosi intra Claustra existentes, possunt sine licentiâ expressâ Prælati eleemosynas facere de his, quæ sibi subtraxerunt, & poterant honestè consumere, si id consuetudo Religionis, aut Conventus ferat, & in ea quidem quantitate, quâ ipsa fert consuetudo.

20 Hanc colligo ex Castro Palao, *dicta disp.* 3. *puncto* 22. *num.* 3. dicente, ex destinatis proprio vsui Religiosorum, quoad facultatem largiendi eleemosynam, standum esse consuetudini, ex quâ colligitur Prælati voluntas. Colligo etiam ex Emmanuele Roderiquez, *tom.* 2. *quæstion. Regular. quæst.* 57. *art.* 2. dicente, præsumptam inveniri licentiam, quando alij Religiosi simplices, id est, qui Officiales Conventus non sint, faciunt eleemosynas aliquas parvas, scientibus, & non contradicentibus Prælatis. Addit tamen, quod si Prælatus expressè prohibeat fieri eleemosynas iam consuetas, tenetur subditus obedire, si has autem non exprimat, esto eleemosynas non fieri præcipiat, consuetus, & moderatas largiri non prohiberi, opinatur iste Author. Et in hoc sensu intelligo illum, quando *tom.* 3. *quæst.* 29. *art.* 10. *concl.* 3. docet licitum esse Religioso peregrinanti, vel existenti in studio extra Claustra facere eleemosynam moderatam ex his, quæ sibi in propriam sustentationem sunt assignata, non tamen si intra Claustrum exstiterit.

21 Addit Peytinis §. 6. *dicto* 2. Religiosum habentem peculium de licentiâ Prælati ex illo vel aliis, quæ quâ industria acquirit, posse dare suis Consanguineis pauperibus summam decem ducatorum, vel plurium iuxta eorum necessitatem, arbitrio prudentis pensandam, vna, & pluribus vicibus in anno. Allegat Bejan, 4. *part. Casuum, casu* 32. Vegam, 2. *p. Summ. c.* 86. *casu* 30. Roderiquez *in Summ. tom.* 2. *cap.* 32. *concl.* 3. *d.* 9. & Sanchez in Decalog. *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 64. Qui tamen ibi nihil de hoc agit, sed *num.* 98. vbi, quod ait eſt, posse dare modica in signum benevolentiæ, & gratitudinis: imò vsque ad decem ducata si id postulet iusta remuneratio in consanguineos, ob beneficia ab eis accepta in hoc tamen (ait Lugo *num.* 167.) cauti debent esse subditi, ne faciles sibi fingant gravem consanguineorum necessitatem, cui subvenire possint: debet enim attendi ad vires Monasterij ad aliàs etiam necessitates æquales occurrentes, quibus subveniri oportet, & ad alias circunstantias, quas carnis affectus considerare non sinit.

22 Ex dictis convincitur, nullum Religiosum cuiusvis Ordinis posse ex his, quæ sibi ad suos honestos vsus conceduntur, aliquid vendere, vel alio modo alienare, absque Prælati sui licentiâ expressa, aut virtuali, sine proprietaris peccato, contra votum paupertatis, vti benè docent D. Antoninus, 3. *part.* Summæ, *tit.* 16. *de statu Religiosorum, cap.* 1. §. 9. *de paupertate*, Bartholomæus à Fausto, *in Thesauro Religiosorum lib.* 8. *de Voto paupertatis, quæst.* 45. *num.* 18. Emmanuel Roderiquez, *tom.* 3. *quæstionum Regularium, quæst.* 29. *art.* 10. *concl.* 3. Sylvester, *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. *versic. Secundum* Castrus Palaus, *part.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 22. vbi plura docet pro corollarij explicatione. *Primum* est eam pecuniæ distributionem contra votum esse, quæ fieret absque expressa, vel tacita Superioris licentiâ, sive in donatione, sive in mutuo, deposito, aut commodato. *Secundum* est, mortaliter etiam contra votum peccare Religiosum habentem licentiam expendendi pecunias in libros. V. g. si absque alia licentiâ præsumpta aliter expenderet. *Tertium*, pro nunc est, in donationibus, & eleemosynis faciendis debere Prælatum servare suæ Religionis consuetudinem: quia hæc indicat, quid potestatis habeat.

Ratio autem nostri corollarij est. Quia vsuarius de rebus ad vsum tantùm proprium concessis, in alios vsus nullatenus potest disponere. Quia in hoc distinguitur vsuarius ab vsufructuario, vti diximus *dub.* 2. *num.* 20. & 21. sed nullus Religiosus solemniter professus, habet in rebus, quæ ei conceduntur, nisi simplicem vsum facti, vti dictum est, *dicit dub.* 1. *num.* 15. ergo sine licentiâ saltem tacita, illas nequit in alios convertere vsus, quàm in destinatos à Superiore, absque proprietate contra votum paupertatis.

CONCLVSIO V.

Qvando Religioso non datur pro itinere quota pro singulo die; sed vt consumat, quod necessarium fuerit, non potest sibi retinere, quod residuum fuerit de pecuniâ data pro expensis itineris, aut negotij. Et idem dicendum de Prælato, Oeconomo, aut alio quocumque bonorum administratore iter, aut negotium agente. Ita quoad vtramque partem docet Oviedo, *dicta quæst.* 17. Ratio prioris est, quia ad id licentia non præsumitur; posterioris verò, quia Prælati, & alij administratores tenentur modestos sumptus in sua facere sustentatione. 23

DVBIVM XI.

An sit proprietarius Religiosus, qui absque Prælati sui veniâ distribuit, aut expendit bona ab exteris accepta? & quid si in proprium commodum insumat?

BREVIARIVM.

Axioma.

Scienti, & volenti non fit iniuria; n. 8.

Depositarius.

Religiosus fieri potest depositarius alienæ pecuniæ absque voti paupertatis fractione, excepto in nostra Congregatione professo, n. 13.

Dominium.

Non transfertur Dominium, nisi tàm dantis rem, quàm accipientis voluntas intercedat, n. 13.

Iniustitia.

Sine iniuria, dari non potest iniustitia, n. 8.

Paupertas Religiosa.

Non violat paupertatem Religiosus, qui meram administrationem, & curam rerum exterorum accipit, dummodo ei aliquod emolumentum ex administratione non adveniat: sicut nec coqunt Religiosi, si in obsequium sæcularis, & eius nomine, sumptuosum præparant convivium, n. 11.

Verùm etiam hoc est, etiamsi sæcularis intendat rerum Dominium in Religiosum transferre, aut possessionem, dummodo neutram Religiosus acceptet, num. 13.

Depositum, administratio, aut vsus rerum, tunc solùm

lium sunt pretio æstimabiles, quando aliquod ius, seu potestas vtendi absolutum, & independens acquiritur, n.15.

Ius administrandi, seu disponendi de re aliena nomine alieno, non est verum ius, sed improprium, & vsus facti simplex. Vndè non violat paupertatis votum, n.16.

Illustratur à simili de Vicario Ecclesia vnita, n. 17.

Religiosus non acceptans, (nisi ex rationabili, & iusta causa) rem donatam, peccat contra Charitatem, non contra paupertatis votum, n. 19.

Votum paupertatis obligat ad carentiam Dominy, & eiusdem ciuilis, & ad non habendum vsum facti rerum temporalium, nisi ex voluntate Prælati, num.20.

Et ad imitandum statum pauperum n.21.

Peccat contra votum, qui insumit sine licentiâ, saltem tacita Superioris esculenta, aut poculenta ab externis oblata, n.22.

Etiam in convivio à, n.23.

Per votum paupertatis, non solùm res obligavimus nostras, sed principium dominandi, n.22.

Proprietas.

Proprietarius est Religiosus absolutè ab extraneo recipiens distributiones bonorum, & illa distribuens sine veniâ Prælati, & peccat contra iustitiam, num.2.3.4.

Secus si absolutè non acceptat, sed manifestat donanti, se eius nomine distributiones facturum dummodo in proprium commodum Religiosi non sit, num. 7.8.9.

Religiosus, cui volens amicus donare aliquid, rogat, vt tali illud det consanguineo, aut alteri non intendens, saltem tacitè, quoad ius aliquod illud acceptare, proprietarius non est n.5.& 18.

Vbi declaratur, quando contingat tacita acceptatio.

Proprietarius est, qui ab extraneo accipit pecuniam, pro libito, etiam donantis nomine distribuendam sine dependentiâ à Prælato, quamvis donans dicat, se pecunia retinere Dominium, n.6.

Secus si quæreret donans Religiosi ministerium propter eius fidelitatem, etiamsi à donante persona non determinentur & Religiosus bona fide, absque intentione habendi commoditatem in distributione huiusmodi distributionem acceptet, n.6.

Non est proprietarius, qui ab extraneo accipit pecuniam vsum illius non determinante, sed suo arbitrio relinquente, vt nomine ipsius, in vsum, quem elegerit expendat, dummodò in sui vsum non expendat, Superiore non consentiente, n.10.

Neque est proprietarius, qui petit ab amico, vt penes se deponat pecuniam, vt postea quando opus fuerit, petat veniam à Prælato pecunia vtendi: si tamen nullum ius, aut possessionem acquirere intendat, num.10.

Nostræ Congregationis Religiosi, proprietariorum plectuntur pœnis, si absque expressa Prælati veniâ, vltra 24.horas apud se habeant, aut penes alios, aurum, argentum, pecunias, &c. & qui intra idem tempus illa expendant, n.14.

Proprietarius est, qui ab extero accipit pecuniam ad ipsius vsum liberè dispensandam, esto donans Dominium pecunia sibi reservet, n.20.23.

Vicarius.

Ecclesia vnita Vicarius, non habet verum ius Parochialia exercendi, sed improprium, quia nomine illa exercet alieno, n.17.

1 SVppono, pro dubij exacta resolutione, tripliciter posse Religiosum à sæculari persona bona accipere distribuenda, vel expendenda. *Primò* ita vt simul recipiat ab illâ donâre, distributiones, & expensas taxatas, sive determinatas, in quibus expendi velit sua bona & hoc adhuc dupliciter. *Primò*, ita vt expensa aliqua in ipsius Religiosi commodum assignetur. *Secundò*, ita vt nulla bonorum portio mandatario huiusmodi demandetur. *Secundò*, ita vt distributiones & expensas arbitrio Religiosi, committat bonorum Dominus, & illas absolutè recipiat Religiosus. *Tertiò*, ita vt Dominus arbitrio Religiosi expensas, & distributiones absolutè, demandet bonorum; nomine ipsius Domini, ipse tamen Religiosus non acceptet ea voluntate, & animo bona in suum commodum proprium expendendi, & de facto non expendit sine licentiâ, & voluntate saltem interpretativa Prælati. Quo Supposito, sit.

CONCLVSIO I.

RElgiosus recipiens absolutè distributiones bonorum à sæculari ei demandatas, peccat mortaliter contra iustitiam & proprietarius est contra votum paupertatis, si bona expendat, aut distribuat sine sui Prælati licentiâ. 2

Hanc Conclusionem, quoad vtramque eius partem tenet Castrus Palaus, *part.3. tract.16. disput.3. punct.22. num.*4. Peyrinus, *tom.1. de subdito, quæst.2.cap.2.§.4.* Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.1. tract.4.cap.2. sect.3. numero* 221. cum Suarez *tom.3. de Relig.lib.*8. *cap.*15. *num.*17.

Probatur, quoad primam partem, Conclusio. 3 Per absolutam bonorum acceptationem à Religioso factam, incorporata illa fuerunt alijs bonis Conventus huiusmodi Religiosi: quicquid enim Monachus acquirit, Monasterio acquirit. Sed expendens bona, absque licentiâ Domini illorum, aut habentis saltem administrationem eorundem bonorum, peccat mortaliter contra iustitiam: ergo & Religiosus, qui absolutè acceptauit distributiones, & expensas bonorum sæcularis personæ, mortaliter peccat contra iustitiam si illa distribuat, aut expendat absque licentiâ Conventus, vel saltem Prælati, nomine illius administrationem bonorum suorum habentis.

Quoad secundum partem probatur Conclusio. 4 Ille Religiosus proprietarius est, & peccat mortaliter contra paupertatis votum, qui bona in quantitate notabili proprio nomine, & authoritate propria, & independenter à voluntate Prælati distribuit, expendit, insumit. Sed Religiosus, qui à sæculari accipit absolutè bona distribuenda, expendenda, & illa expendit absque licentiâ Prælati, illa insumit, expendit, & distribuit proprio nomine, & authoritate, & independenter à voluntate Prælati: ergo proprietarius est, & peccat mortaliter contra votum paupertatis, si bona sint in quantitate notabili.

Vtramque probationem illustrat Peyrinus *loco citato*, dicens. Neque facit contra votum paupertatis Religiosus, cui volens amicus donare aliquid, rogat eum, vt det tali consanguineo, non intendens tamen illud, quod donatur, acceptare, quia si acceptet, deindè rogat, vt det, cum per talem acceptationem iam Monasterium ius ad illud acquisierit, non est amplius in potestate Religiosi, illud alienare, quod si alienat, peccat peccato proprietatis, vt ait Sanchez *loco citato, n.*74. Nec obstat *Lex* 2.*ff.de Calumniatoribus.* vbi dicitur. *Idem est sive tu ipse accipias, sive per alium dari iubeas.* 5

quia

quia loquitur de iis, quæ iam acceptata sunt. Hæc Peyrinus, cui consonat Diana, *part. 1. tract. 6. resolut.* 8. & *resolut.* 29.

6 Conclusionem etiam primam, quoad secundam eius partem exponit, illustrat Eminentissimus Ioannes de Lugo; cuius doctrinam non gravabor ad amussim recensere. Igitur Cardinalis de Lugo, *tom. 1. de Iust. disp. 2. sect. 3. num.* 54. sic ait. Quare, si ad hoc, vt ego possim dare, & donare aliis, sicut si haberem bona propria, daret mihi aliquis pecunias, quas ego pro libito meo pauperibus dare possem; id quidem esset contra votum paupertatis, si absque Prælati consensu fieret quantumcumque ille diceret, se retinere pecuniæ Dominium, & solùm velle quod ego eius nomine eleemosynam darem; secus tamen dicendum esset, si bona fide, & solùm ad eleemosynas, & ex earum intentione aliquis mihi pecuniam daret, quàm eius nomine pauperibus distribuerem. Si enim hoc fieret, non propter meam Commoditatem; sed solùm quæreret meum ministerium propter meam fidelitatem, credo quod non esset contra paupertatem; etiamsi Dominus pecuniæ non determinaret pauperes, sed relinqueret mihi eorum designationem: quod planè concessit Thomas Sanchez, *lib. 7. de Regularibus, cap.* 30. *num.* 4. similitérque censeo de omni alio vsu nomine ipsius Domini à me faciendo, qui nullomodo ad meum commodum ordinari possit, vt expressis verbis fatetur Suarez *illo lib.* 8. *cap.* 15. *num.* 15. Multum ergo facit intentio, & animus in rebus his; defraudat enim paupertatem, qui ne indigeat Prælati licentiâ, facit vt donator, detineat sibi Dominium rei, & ipse accipit solùm distributionem, & dispositionem pro libito suo, sed donantis, seu Domini nomine faciendum. Hoc certè re ipsa est habere proprium, sicut si non esset pauper, cum possit sine dependentiâ à Prælato liberè disponere de rebus; quam commoditatem intendit, qui ita donat, & qui ita accipit. Hactenus Cardinalis, qui sibi ipsi benè consonat, *disp. 3. sect. 8. num.* 155. cuius verba tecetam *Conclus. 3. num.* 11.

CONCLVSIO II.

7 RELigiosus, qui absolutè non acceptat distributiones, & expensas bonorum, suo arbitrio pet sæcularem, illorum Dominum demandaras; sed demandanti manifestat si, eius nomine, distributiones, & expensas facturum, sive in commodum sit consanguineorum, sive aliorum, dummodo in proprium Religiosi, ipsius commodum non sit, non peccat mortaliter contra iustitiam, neque contra votum paupertatis, & multò minus peccato proprietatis, si bona expendat, & distribuat in aliorum commodum absque sui Prælati licentiâ, nomine donantis.

Tenet hanc conclusionem Castrus Palaus, *loco citato*, quoad omnes suas partes, & allegat Franciscum Suarez, *tom. 3. de Religione lib. 5. cap. 15. num.* 16. & cum eodem ibi asserit, verum habere, etiamsi sæcularis non designaverit personas, quibus pecunia concedenda sit, sed id arbitrio reliquerit Religio mandatarij. Quia sola personarum electio, quæ neque est contra iustitiam, neque contra paupertatem, in dicto casu competit Religioso. Sanchez *de Matrimonio, tom. 1. lib. 5. disp. 4. num. 7. & in decalogum, tom. 2. lib. 7. cap. 19. n.* 74. Peyrinus *vbi proximè* Diana, *part. 1. tract. 6. de Paupertate Religiosa, resolut.* 8. *& resolut.* 29. qui allegat dictum Sanchez *locis citatis, & in dicto, lib. 7. cap.* 30. *num.* 4. Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib. 3. q.* 109. *num. 2. q.* 213. Fagundez *de praeceptis Ecclesiæ, tract. 2. lib. 8. c. 6. num.* 18. Villalobos *in Summa, tom. 1. tract.* 35. *dub. 32. num.* 6. Filliucium, *tom. 2. tract. 4. cap. 3. quæst. 8. num.* 62. Bonacinam, *de contract. 16. disp. 3. quæst. 12. punct. 1. num.* 6. Gallettum in *Margarita casuum conscientiæ, verbo Relig. num.* 9. Suatium, *vbi proximè, num.* 45. Rodeniquez *in exercicijs spiritualibus, part. 3. tract. 3. cap.* 15. Turrianum, 2. 2. *tom. 1. disp. 85. dub.* 3. Cenedum, *de Papertate Religiosa, dub. 29. num.* 4. Gratianum *discep. Forens, tom. 2. cap.* 202. *num.* 17. Sousam, *in explicatione Bullæ Clementis octavi, de largitione munerum*, §. 3. *num.* 73. Paul. Layman, *lib. 4. tract. 5. cap. 7. n.* 16. Nald. *in Summa, verbo Religio, num.* 11. Scortia *in selectas Bullas Summorum Pontificum, epist.* 158. *Theorema* 397. Quibus consonat Lugo, *vbi proximè*.

Quod non peccet contra iustitiam, probatur. 8 Quia distributiones, & expensæ huiusmodi, ex voluntate Domini bonorum, quæ expenduntur, & distribuuntur, fiunt: ergo, qui ea distribuit, & dispendit, esto Religiosus ille sit, contra iustitiam non peccat distribuendo, expendendo. Scienti enim, & volenti non fit iniuria. Iniustitia autem sine iniuria dari nequit.

Quod verò Religiosus contra paupertatis vo- 9 tum non peccet, probatur. Quia Religiosus, in casu nostræ conclusionis, nihil distribuit; expendit, aut donat tanquam suum, aut in proprio nomine, seu ex anthoritate propria, sed ex aliena, concedentis scilicet ei distributionem, & expensas bonorum, quorum ipse retinuit Dominium, & quæ ipsemet distribuit, expendit, dona mediante Religioso: ergo non peccat contra votum paupertatis.

CONCLVSIO III.

RELigiosus, qui ab amico accipit pecuniam 10 vnum illius non determinante, sed suo arbitrio relinquente, vt nomine ipsius in vsum, quem elegerit expendat, si nunquam in sui vsum expendar Superiore non consentiente, neque eam voluntatem habeat; cum pecuniam acceptat, non peccat contra votum paupertatis illam accipiendo, neque in sui commodum postea de Prælati venia expendendo. Et idem est, si Religiosus ab amico petat, vt deponat pecuniam penes aliquem tertium, vel apud ipsummet Religiosum, vt quando opus fuerit, petat à Prælato vtendi pecunia facultatem.

Hanc tenent Conclusionem, Samuellius, *de Sepult. tract. 2. disput. 1. controv. 1. Conclus. 6. cum* D. Bonavent. *in Regul. S. Francisci, cap.* 4. Castrus Palaus, *part. 3. tract. 16. disp. 3. punct. 22. num.* 4. Thomas Sanchex, *tom. 2. in Decalogum, lib. 7. cap. 19. nn.* 50. quem, & Bartholomæum à S. Fausto, in *Thesauro Religiosorum, lib. 8. de voto paupertatis, quæst.* 169. & 115. recenset, & sequitur Diana, *part. 1. tract. 8. de Paupertate Religiosa, resolut.* 43. vbi sic Thomæ præfati doctrinam exscribit.

Non est contra paupertatis votum si Religiosus ab aliquo, absque Superioris licentiâ, petat, vt deponat pecunias apud aliquem non habens voluntatem acquirendi Dominium, possessionem, aut administrationem, aut vsum in illas: sed totum

tum id maneat apud deponentem cum libera evocandi depositi facultate, & solùm habeat voluntatem habendi opportunè pecunias, ex quibus, cum indiguerit, accipiat ex Superioris licentiâ, & non aliter acceptutus; & nullum ius acquirat, donec Superior det licentiam accipiendi. Et idem est dicendum si Religiosus eas pecunias in depositum apud se servet, eodem prorsus modò, quo erant apud amicum: quia te ipsa non aliter eas pecunias habet, quàm si essent apud externum depositarium: & hoc non pugnat cum paupertatis voto. Hactenus Sanchez. Ipsum etiam recenset, & sequitur Card. de Lugo, *de Iust. tom. 1. disp. 3. sect. 8. num.* 150. Bassæus, *tom.* 1. *verbo Paupertas Religiosa, num.* 14. Conclusionem tenet, quoad primam eius partem, cum aliis, quos allegat.

Consonat Castrus Palaus *dicto num.* 4. in sequentia prorumpens. At si sæcularis pecuniam tibi concedat, vsum illius non determinans, sed tuo arbitrio relinquens, vt nomine ipsius in vsum quem elegeris, expendas, affirmat Suarez, *dicto cap. 15. num. 16. (tomo scilicet 3. de Religione lib. 8.)* te peccaturum, contra paupertatem sic pecuniam accipiendo absque voluntate Superioris: quia virtute accipis potestatem eam in tuum commodum expendendi. Verum excusari ab hoc peccato posses, si nunquam in tui vsum expendas Superiore non consentiente, neque eam voluntatem habeas cum accepras. Quia eo casu, comparatione tui, solùm habes eam pecuniam in custodiam, absque potestate convertendi eam in tuum commodum. (eundem Suarez recenset, & sequitur Pellizzarius *in Manuali, tract. 4. c. 2. num. 121.*)

Neque obstat sæcularem tradentem tibi pecuniam nomine suo distribuendam, æquè in tui, ac in aliorum vsum concessisse. Nam esto sæcularis eo modò concedat, tu libet eas in acceptatione: ac proindè acceptare potes illam pecuniam sic in aliorum vsum distribuendam absque Superioris consensu; in tui verò vsum, ex voluntate Superioris. Hucusque Palaus.

11 Infero octavò (inquit Cardinalis Lugo *tom. 1. de Iust. & Iure, disp. 3. sect. 8. num.* 155.) non esse contra paupertatis votum, si aliquis mihi rerum suarum meram administrationem, & curam committat, dummodo administratio illa mihi non afferat aliquod emolumentum temporale. Ita Suarez *dicto tom. 3. lib. 8. cap. 5. num.* 31. Quia mera administratio, non est aliud, nisi obsequium, quod ego præsto, dum eius nomine res ipsius administro. Quare sicut coquus Religiosus non peccaret contra votum, si in obsequium sæcularis occideret eius gallinas, & consumeret alia pretiosa, vt præpararet in sumptuosum convivium, quia hæc omnia non suo, sed Domini nomine facit; sic ego, si bona alterius administrarem, & operarios conducerem, famulis stipendia redderem, triticum emerem, sedes, lecta, & alia similia: quia hæc omnia, vt instrumentum Domini facio, & eius nomine, ac in eius vtilitatem, non in meam. Ita Eminentissimus Doctor, & Cardinalis Lugo.

12 Probatur nostra Conclusio, primò ex *cap. exiit, qui seminat, ante medium. §. Cæterum, & §. Ad maiorem, de verborum significatione*, vbi. Patet ex præmissis, in tali commendatione pecuniæ, ipsos Fratres non solùm à receptione pecuniæ proprietate, Dominio, vsu, à contrectatione qualibet ipsius, & ab ea pecunia penitus esse alienos.

13 Probatur *secundò*, pro vtroque foro, hac fundamentali ratione. Quia in huiusmodi receptione pecuniæ, ea intentione, vt nolit illius Dominium, possessionem, aut vsum absque veniâ Prælati acquirere, sed tantùm intendat illam expendere nomine Domini concedentis, aut illa vti, si Prælato placuerit actum Dominij, & proprietatis nō exercet Religiosus, etiamsi deponens pecuniam, intendat transferre illius Dominium in Religiosum: quia quandiu iste non acceptat, semper Dominium, & possessio, penes deponentem remanet, potestque pro libito suo de pecuniâ illa, sicuti ante depositionem, disponere. Non enim sufficit ad translationem Dominij, voluntas dantis, aut recipientis tantùm; sed vtriusque debet consensus concurrere. Itaque Religiosus, in nostro casu eo prorsus modò se habet, quoad illam pecuniam, ac si esset merus Depositarius: Religiosum autem esse Depositarium alienæ pecuniæ, voto paupertatis non opponitur, vti docent Sanchez, *num.* 51. Samuellius, *Concl.* 3. Barth. à S. Fausto, *q.* 115. *numero* 2.

In nostra tamen Congregatione contrarium statui videtur *cap. 34. alias 30. tit. Pobreza Monachal, n. fin.* per hæc verba. *Finalmente para evitar generalmente de todos los Religiosos el vicio de la propriedad, tan contrario al estado de la Religion, mandamos en virtud de sancta obediencia, y so pena de excommunion mayor, Canon latæ sententiæ, y de las penas que por drecho, y sacros Concilios estan puestas contra los proprietarios: que ningun Monje ni Frayle lego, de qualquiera calidad, o condicion que sea, tenga por si, ni por tercera persona, oro, plata, joyas de piedras preciosas, o perlas, ni dinero alguno, de veinte y quatro horas adelante, sin licencia expressa del Abad, o Presidente del Monasterio, o Priorato, en ausencia suya, sino que todo quanto dinero huviere, por qualquier via que lo aya avido, lo manifieste al Prelado dentro del dicho termino, y con su licencia lo ponga en el deposito general de todos los Religiosos, y del no lo pueda sacar, ni gastar dinero alguno dentro de las veinte y quatro horas, sin la misma licencia del Prelado.* 14

Consultò, *videtur*, dixi, eo quod pœnæ proprietariorum infliguntur, non verò id absolutè asserui, quia non satis exprimitur in teddita Constitutione. Si autem id voluisset, expressisset, ne dicamus illam captiosam esse, aut obscuram. Et cum odiosa illa sit, & pœnalis, extendi non debet, sed arctari iuxta verborum proprietatem, ad solam inflictionem censuræ, & pœnarum staturatum per Iuris, & Conciliorū dispositiones contra proprietarios, quę infligi benè aliis possunt qui proprietarij non sint. Præter quàm quod benè interpretari queit dicta Constitutio, dicendo, intelligi debere, de quacumque acceptione, & habitione pecuniæ, deservientis ad recipientis peculium, non autem de acceptione, quæ solùm deserviat ad custodiam, vel ad expensas, quas fieri vult pecuniæ Dominus.

Nec valet dicere. Ista commoditas, quàm acquirit Religiosus est pretio æstimabilis. Hanc tenet sine Prælati licentiâ: ergo est proprietarius. 15

Non inquam valet. Quia tunc solùm commoditas depositi, administrationis, seu vsus est pretio æstimabilis, quando acquisitur aliquod ius, & potestas ea vtendi absolutè, & independenter; secus autem quando tota facultas, quoad Dominium, possessionem, administrationem, & vsum apud deponentem, potentem quidem quoties voluerit revocare, remanet. Quare cum in nostro casu, tota recensita facultas, penes amicum remaneat, & nulla in Religioso, quia nullam voluit acceptare,

nego

nego suppositum maioris propositionis: & nego etiam minorem, & consequentiam.

16 Sed obiicies cum Cenedo, *de Paupertate Religiosa, dub.24, num.11.* penes Dianam, *par.1.tract. eodem, el 6. resolut. 29.* in tali casu Religiosus efficitur Dominus Iuris administrandi independenter à voluntate Prælati: ergo efficitur proprietarius contra votum paupertatis.

Respond. cum eodem Diana, quod ius administrandi, seu disponendi de re aliena, nomine alieno, & iuxta Domini præscriptum, non est verum, & proprium ius, quod Dominium dici queat, aut ius vsusfructus, vel vsus quidem, nec administrationem habens huiusmodi, dici valet Dominus verus talis Iuris administrandi, sed tantùm lato modo, & impropriè. Votum autem paupertatis non frangitur, nisi per verum Domioium, & per ius proprium vsusfructus, aut vsus: quando sunt quid Iuris: hoc est quando quis rebus vtitur, aut illas administrat nomine proprio independenter à Prælati voluntate, secus autem quando sunt quid solius facti: hoc est quando non proprio nomine, sed alieno illas administrat.

17 Quæ quidem verissima doctrina illustratur exemplo Vicarij Ecclesiæ annexæ, & cuiussis alterius habentis distinctum Rectorem, & Parochum proprium. Huiusmodi enim Vicarius ius habet administrandi sacramenta, & alia Parochialia. Quia tamen administrat illa nomine alieno, Parochi scilicet proprij, & non suo proprio, vt decidit Rota 8. *Nouembris*, 1602. *in Pampilonensi Parochialis de stella*, coram Coccino, & latè probavi *in qq. Pastoralibus de Iure Parochi, part.1.q.2. num.20. & part. 3. quæst. 17. num. 17.* ideò ius illud propriè non residet in vicario, sed in suo principali; in Vicario autem solùm exercitium, seu functio, hoc est vsusfacti simplex, revocabilis per Rectorem principalem, vti Rota & ego *vbi proximè*. Rota item *in Ianuen. Parochialis S. Andreæ, 19. Aprilis* 1617. Coram Vbaldo *n. 2.* & coram eod. Occino, *in alia Sabinens. Archiepresbyteratus* 27. *Decemb.* 1600. *n. 3. 4.* Sic similiter in nostro casu, Religiosus, qui ab amico recipit pecunias administrandas nomine illius, quia Vicarius illius est, & ad nutum eius amovibilis est ab administratione, ideò ius administrandi propriè non habet, sed eius amicus; ipse autem Religiosus solùm habet simplicem vsum facti, hoc est exercitium, & functionem administrandi, quæ non est quid Iuris, sed quid merè facti, cui nihil est commune cum proprietate.

18 Ex dictis sequitur, non esse proprietarium Religiosum, qui volentem sibi aliquid donare, rogat vt alteri donet, v.g. suo Parenti, consanguineo, aut amico; dummodò expressè, aut tacitè donationem non acceptet quoad rei Dominium, aut ius aliquod. Quod continget, si dicat: *ea re non indigeo, si tibi placuerit, gratum mihi facies si dederis Patri meo, &c.* Ratio ea est, quia in hoc nullū Dominij actum exercet Religiosus, sed donans, qui rem suam distribuit ad illius petitionem. Si tamen de facto donationem acceptat, exercet actum Dominij, donando per manus principalis donatoris. Et ita docet Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro, Religiosorum, lib.8.q.117.* Diana *par.1.tr.6.resol.8.* cum Fagundez *in præcepta, tr.1. lib.8.c.6.n.18.* Villalobos, *to.2.tr.35.dub.32.n.6.* Filliucio, *to.2. tract.34. c.3. q.8.n.62.* Bonacina, *de contract.disp.3. quæst.12. punct.1.n.6.* Sanch. *to.2.in Decalog.lib.7.c.19.n.74.* Galeto *in Margar. Casuum, Consi. Verbo, Relig. n.9.*

Suarez *to.3.de Relig.lib.8.c.15.nu.45.* Rodriquez, *in exercit.spiritualibus part.3.tr.3.c.15.* Turriano *2. 2.tom.1.disp.85.* Cenedo, *de Paupertate Religiosa, dub.29.n.4.* Gratiano, *in discept forens.to.2.cap.102. n.17.* Sousa, *in explicat. Bul. de largitione muner. §.3. n.73.* Layman *lib.4.tr.5.c.7.n.16.* Naldus, *verbo Religiosus n.11.* dictus Sanchez, *de Matrim.to.1.lib.6. disp.4.n.7.* Peyrinus, *de subdito, q.2.c.2.§.4. versic. Neque facit.* Delbene, *de immunit. tom.2. cap.17. dub.5.num.26.* cum Navarr. *Consil. 2. de Regularib. num. 32.* & Abb. in c. *Cum ad Monasterium, de statu Monachorum.*

Quod si petas, An peccet Religiosus, qui nulla causa ductus (rationabili tamen, & iuxta) non acceptat rem donatam? Respodet Barth. à S. Fausto, peccare quidem non contra paupertatis votum, benè tamen contra Charitatem, tanquam impediens, absque iusta causâ, Monasterij bonum, cui res illa ipso acceptante, acquirenda erat. Sic ille dicto *lib. 8. quæst.124.* & Peyrinus, *vbi proximè*, in hæc prorumpens. Verum quidem est, quod peccabit forsan talis Religiosus venialiter cōtra Charitatem, suam Religionem privans dicto emolumento, si non amore puro proximo indigentis, sed amore sanguinis tantummodò id suaserit; vt Sanchez *num. 75.* (scilicet *loco citato in Decalogum.*) 19

CONCLVSIO IV.

Religiosus, qui ab extero accipit pecuniam ad ipsius vsum liberè dispensandam prout voluerit, esto donans Dominium talis pecuniæ sibi servet, peccat peccato proprietatis contra paupertatis votum, illa vtendo sine licentiâ Prælati. 20

Hanc statuo Conclusionem contra Ioannem Caramuelem, *in Regulam S.P.N. Benedicti, disp.60. num. 883.* contrarium ducentem, eo ductum fundamento, quod cum vsus à Dominio distinguatur potest illud retineri, & hîc alienam. Sed meritò reiicitur novissimè Caramuelis sententia à Ioanne Martinez de Prado, *to.2. Theologia Moralis, c.21. de Dominio*, vbi ita fatur.

Hæc autem paradoxa positio, destructiva est voti paupertatis Religiosæ, & iamdiu in terminis reiecta ab Authoribus, vt omni carens probabilitate. Ita Navarrus, *comment. 2. de Regularibus, num.2. §. Pro resolutione & num.15. §. Octavò.* & de redditibus Ecclesiasticis, *quæst.1. monito 7.* vbi assignat rationem infrà pondetandam: *quia sunt res pecunia æstimabiles, & pecuniariæ.* Bartholomæus à Sancto Fausto, *de vitio proprietatis, disputat. 34. quæst. 3. num. 7.* Esseque communem Doctorum, sumitur ex Sylvestro, *verbo Religio 6. quæst. 7. §. Tertium*, & Villalobos, *tom. 2. tr. 35. difficult. 24. numero 3. & 4.* Lessius *lib. 2. cap. 41 dub. 9. num. 78. & cap. 4. dubit. 5. num. 28.* & Castrus Palaus *tom. 3. tract. 16. disput. 21. numero 4.* Azor, *tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 2.* Sanchez, *lib. 7. in Decalogum, cap. 19. numero 49. & 53.* Lugo *tom. 1. de iust. disput. 2. sect. 3. numero 50.* (cuius verba refert, & approbat Diana, *part. 7. tract. 11. miscelaneo, resolut. 18.*) dicens. Votum paupertatis Religiosæ, non solùm obligat ex intentione voventium ad carentiam Dominij, vel Iuris alicuius civilis sed etiam ad non habendum vsum facti harum rerum temporalium, nisi ex voluntate Prælati: alioquin, (vt benè notavit Thomas Sanchez, & Azor. ibi adductus) nunquam Religiosus peccaret contra votum paupertatis aliquid ab exteris accipiendo; quia nunquam potest

acquirere

acquirere aliquod ius, sed solùm vsum facti, cuius solius est capax: ergo ipse vsus facti potest esse materia sufficiens contra votum.

21 Ratio verò à priori est. Quia votum obligat semper iuxta intentionem voventis; illi autem, qui in Religione emittunt hoc votum, non solùm intendunt abdicare à se omne ius, sed etiam imitari statum pauperum, ita vt careant his rebus, quibus indigent ad vitam humanam, nec iis vtantur nisi ex arbitrio Prælati: ergo &c. idem sequitur Hieronymus Garcia *in Politica Regulari, tom. 1. tract. 4. part. 3. difficult. 2. dub. n. 4.* dicens, quod opposita, est contra D.Thomam, 2.2.q.186. *art.* 3. & contra torrentem Doctorum. Refert Dianam, Bonacinam, Peyrinis, & Lezanam, qui est videndus, *tom. 1. cap. 6. num.* 30. & 33. & 40. Hæc omnia Ioannes Martinez de Prado.

22 Quam certè verissimam doctrinam sequutus est Franciscus Amicus, *in cursu Theologico, tom. 5. disp. 14. de subiecto Dominy, n.* 54. vbi docet peccare Religiosum contra votum paupertatis, qui poculenta, & esculenta ab externis oblata, comedendo aut bibendo consumit sine tacita saltem Superioris voluntate. Et reddit rationem. Quia iste actus, est verus actus Dominij, quem ex voto paupertatis exercere prohibemur. Quia per tale votum non solùm obligavimus res nostras, sed principium ipsum dominandi, quo in rebus pecuniariis, aut pecunia æstimabilibus sine consensu Superioris vti vetamur. Vndè si materia est notabilis, lethale peccatum est dictum actum exercere.

23 Idem Doctor *num.* 57. in sequentia prorumpit. Hinc sequitur peccare contra votum paupertatis Religiosum, qui sine tacito saltem consensu Superioris invitatus ad prandium à sæculari, edendo, & bibendo consumit materiam notabilis valoris. Nec refert, quòd invitator nullum transfert ius, sed putum vsum rerum in convivas. Quia sufficit purus vsus independenter à Voluntate Superioris, vt sit contra votum paupertatis. I. Quia est actus Dominij, ab aliis accipere, nobisque applicare; non minus quàm aliis donare, quem Lege votivæ paupertatis exercere vetamur. II. Alioqui posset Religiosus contra voluntatem Superioris à, sæculari pretiosas vestes, & comestibilia privato nomine accipere, hac lege, vt semper eorum Dominium sit penes dantem, donec illa fuerint ab accipiente consumpta.

24 Nec satisfacit, qui dicit, convivam, passivè tantùm se habere in cibis absumendis; cum maximo activè se habeat, tum interno imperio voluntatis eos sibi proximè applicando: tum externa actione executricis potentiæ, eos in sui commodum, & alimentum destruendo.

25 Nec est eadem ratio, de eo, cui ab aliquo pretiosus suffitus applicatur. Nam hìc omnino permissivè se habet, permittendo, vt applicatus suffitus suam actionem naturaliter agat. Nec est opus nova, activaque applicatione eius, qui est invitatus, ad huiusmodi suffitum consumendum; vti est opus nova, activaque applicatione convivæ, distincta ab activa applicatione invitantis ad cibos absumendos: cum vi solius primæ applicationis ab invitante facta suffitus destruatur. Hæc omnia P. Amicus.

26 Lugo, *dicto n.* 50. & 51. sententiam tenere videtur, quam hìc impugnat Amicus, passivè scilicet se habere convivam, ideóque excusari à transgressione voti. Mihi tamen magis arridet Amici placitum: capere enim non valeo, quòd conviva merè passivè se habeat in consumptione eorum, quæ eorum apponuntur in mensâ.

Dicta sufficiant pro dubij propositi resolutione. Sed quia illud tantùm discussimus, attento Paupertatis Religiosæ voto, & aliundè possit Religioso non licere, bona ab extero accepta distribuere, expendere, etiam aliquo ex modis, quibus in secunda, & tertia Conclusione asservimus, non peccare contra iustitiam, nec contra votum quidem, sic illa distribuentem, expendentem, operæpretium duxi, breviter discutere, pro pleniori difficultatis resolutione, dubium aliud: Videlicet. 27

DVBIVM XII.

An aliquo ex capite, lethaliter peccet Religiosus consanguineorum, aut aliorum sæcularium bona dispensans, distribuens, eorumque negotia absque Prælati sui licentiâ, saltem interpretativa tractans?

BREVIARIVM.

Religiosi Negotiatio.

Quod Religiosus negotia tractans sæcularium, aut bona eorum administrans, & dispensans absque Prælati veniâ, mortaliter peccet, docet Peyrinus, num. 1.

Limitat, num. 5.

Procurationem negotiorum sæcularium assumere, prohibetur Religiosis, num. 3. 4.

Multis se exponit periculis Religiosus, qui sæcularium negotia assumit, num. 1.

Incommoda non pauca sequuntur, & inconvenientia ex hac negotiatione Religiosi, tam ipsi, quam Religioni, num. 2.

Imo & populo, num. 5.

Religiosi possunt iuvare consiliis amicos, & parentes & favoribus aliquando, n. 4.

Aliqui sunt Religiosi, qui obsequentes personæ nobili, aut in dignitate constitutæ, se obsequium existimant præstare Deo, & diabolo illud præstant, num. 4.

Charitatis aliqua sunt Officia, quæ Religiosos non debent, num. 5.

IN hac difficultatis resolutione, sic P. Laurentius de Peyrinis procedit, *tom. 1. de subdito, quæst. 2. c. 1. §. 9. q. 4.* Respondeo meo videri peccare mortaliter. Et probatur, tum ex D. Paulo 2. *ad Timoth.* 2. vbi ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat, cui se probavit*, seu *Qui ipsum elegit*, vt legitur in Syriaco. Tum quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Tum, quia hoc faciès assimilatur Vlyssi, qui cum difficilimè è manibus illius Gigantis fuisset egressus, retrò tamen rediit ad pileum in spelunca relictum transfunendum. Tum quia indecens omnino est, quod Religiosus res divinas, & cælestes quotidie tractans, hisce se caducis, & terrenis immisceat. Tum, quia exponit se multis periculis, præsertim applicandi animum divitiis, cum pecunias tractet, & tangat contra votum paupertatis. *Qui enim tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* 1

Tum,

2 Tum, quia hæc tractatio non est nisi in contemptum, & particularis Religiosi, & Religionis ipsius. Suspiciunt enim, & venerantur sæculares Religiosos tanquam res suprà humanas, & quasi divinas: & meritò, nam & tanquam tales respexit Apostolos Religiosorum capita, & Religionum primos institutores Christus Dominus cum post illam interrogationem *Mathæi 16. quem dicunt homines esse Filium hominis?* subiunxit, *Vos autem*, qui suprà humani, & quasi cælestes estis, *quem me esse dicitis*. At cum vident, illos hisce se immiscere rebus mundanis, hi, inquiunt, illos similes nobis facti sunt. Hinc Religiosorum contemptus, hinc vilipendia, hinc parvi æstimationes, hinc murmurationes de illis, hinc scandala, hinc Religionum relaxationes, hinc illarum eversiones.

3 Tum, quia id prohibetur expressè in Iure, *cap. Multa, cap. Sacerdotibus, ne Clerici vel Monachi, & cap. Credo, & cap. Cyprianus, 21. quæst. 3.* Tum deniquè, quia omnes ferè institutores in suis Regulis, id suis Religiosis vetuerunt. Strictissimè noster S. P. Franciscus, in Correctorio, *num. 46.* etiam pro negotiis ad Conventum ipsum pertinentibus, quantò magis pro extraneorum.

4 Hæc contemplentur suarum Religionum amatores, & recordentur se illius esse deditos famulatui, qui socium in amore, & famulatu respicit: quique maximè telopia laborat, quique de hoc protestatur, dicens: *Non potestis Deo servire, & mamonæ*: & alibi: *Coangustatum est stratum, & palium breve utrumque operire non potest*. Et verecundentur veri, & æterni Dei, posthabitis negotiis, temporanei Domini negotia peragere. Proh pudor serviens Regi non erubescet, eo relicto, sutori illius inservire? eia Fratres, eia *sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Hæc dixisse volui pro aliquibus Religiosis, qui *obsequium se arbitrantur præstare Deo*, sed præstant diabolo, cum alicui personæ nobili, seu in dignitate constitutæ obsequuntur. Non advertentes miselli, in hoc se ostendere, & animi, & corporis sui vilitatem.

5 Non nego tamen, quin possint Religiosi Conciliis amicos, & patentes iuvare, & etiam aliquándo apud amicos, & devotos favoribus. Neque quod si illis à devotis Conventus dentur dispensandæ aliquæ eleemosynæ, illas dispensare nō possint, absque culpa mortali, (nisi speciale obstet Religionis præceptum) etiam sine licentiā Prælati, sed damno Officium institoris, & Procuratoris facere pro hominibus sæcularibus, & ire quotidie per civitates, per domos, collectum pecunias pauperibus erogandas. Gignuntur enim suspiciones, fiunt iudicia. Faciant hoc genus charitatis, Parochi & alij ad quos incumbit. Vacent Religiosi choro, & Cellæ, & soli Deo, cui se dedicaverunt, inserviant.

6 Videatur pro hoc quæsito Ledesma, *de statu Religios. In Communi, c. 4. Concl. 3. dub. 12.* qui licet non determinet, Religiosum his se immiscentem peccare mortaliter contra paupertatem, non videtur tamen omnino negare, peccare mortaliter cōtra alias virtutes, & videri potest *pag. 111. verso, digo lo quarto*. Hucusque ad amussim Laurentius de Peyrinis. In quibus manifestè tenet, peccare mortaliter Religiosum, se negotiis sæcularibus immiscentem, contra alias virtutes, licet non cōtra paupertatem.

7 Et quidem eius placitum alij doctissimi tenent Viti. Barthol. à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, disp. 6. q. 104.* licet in terminis de negotiatione mercatura: qui certè idem de alia qualibet negotiatione, dicere debuit, ex doctrina à se ipso tradita *quæst. immediatè præcedenti*: nimirum, quod ratio prohibitionis Clericis, & Monachis circa negotiationes, facta per plura Ecclesiastica Iura, est ne impediantur vacare divinis. *in cap. Multa, et 1. Ne Clerici vel Monachi*, quatuordecim negotia secularia prohibentur à Concilio Moguntino Clericis, & Monachis, quorum vnum est, *secularium rerum procuratores esse*: & pro ratione decidendi adducit Apostolum *2. ad Timotheum, cap. 2. vers. 4. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus: vt ei placeat, cui se probavit.*

Eandem rationem reddit Antonius Naldus, *in Summa, verbo Clericus n. 36.* dicens. Clericus prohibetur esse procurator in causis Laicorum, *cap. Sacerdotibus, Ne Clerici, vel Monachi*. Sed hoc intelligitur in procuratore generali, nam in vno negotio posset procurare, nisi hoc esset arduū, & difficile, *quòd haberet eum distrahere*, sicut multa negotia. Hæc ille; vbi quamlibet in causis Laicorum procurationem, valentem Clericum, aut Monachum distrahere, & impedire, ne divinis vacet, prohibitam esse à Iure testatur. In sequentibus subiunxit casus aliquos, in quibus liceat Ecclesiasticis munus procuratorum exercere. I. in causa Ecclesiæ. II. in causa Prælati sui. III. in causa Regis, aut Principis. IV. in foro Ecclesiastico. V. pro miserabilibus personis. VI. pro coniunctis. VII. pro omnibus recensitis in *l. 1 §. fin. Cum quinque legibus sequentibus, de Postulādo*. VIII. In causa necessitatis, & Charitatis. Et deniquè, pro Amico Monasterij sui.

Exornat Lessius *de Iust. & Iure, lib. 2. cap. 21. dubit. 1. n. 4.* in sequentia prorumpens. Ratio aut Ecclesia id (negotiationem scilicet) tàm severè prohibuerit, est, tum, quia valdè indecorum est Clericos lucris captandis incumbere: tum, quia merè occupar animum, & à spiritualibus avocat: tum, quia plena est periculis periurij, fraudum, & iniustitiæ. Vndè *Ecclesiastici, 26. Duæ species, & periculosa mihi apparuerunt: difficile exuitur, negotians à negligentia* (intellige) interpretatur redditus doctor (rerum ad salutem pertinentium) *& non iustificator caupo à peccatis*. Et licet Lessius de negotiatione agat lucrativa, cum de actione differat, & venditione, in illo capite, & dubitatione, dubitari nequit secundam ab eo adductam rationem, in negotiatione etiam procuratoria militare experientia magistra, cum multum animum occupet, & à spiritualibus avocet exercitiis, cogitationibus.

Nec valet dicere cum Pellizzario *in Manuali, tom. 1. tr. 6. c. 10. n. 10.* in præsenti casu, non ita facile damnari debent Religiosi, saltem peccati mortalis, cum in tali modo negotiandi, cesset ex parte ratio prohibitionis, quatenus (inquit) vnusquisque circa res alienas solet esse minus anxius, & consequenter mious distrahitur, quàm si de proprio interesse agatur.

Non inquām valet, quia qui negotium alienum suscipit procurandum, si vir probus ille sit, & notam hominis infimæ sortis, & vilis quidem, velit effugere, debet ita anxiè illud, sicut proprium procurare, aut illud non suscipere. Vndè quod vnus, vel alter negligenter se gerat in alieno negotio, à se procurando suscepto, per accidens se habet, & sic, si negotiatio propria sub mortali est prohibita, quia occupat animum, & avocat à spiritualibus, per se etiam erit sub eodem mortali prohibita procuratio alieni negotij.

DVBIVM XIII.

An Religiosi habeant in particulari Dominium rerum, vnico actu consumptibilium.

BREVIARIVM.

Abbas.

Dominus rerum Monasterij non est, aut Religiosorum, sed Oeconomus ad benè, non ad malè administrandum illas, n.43.

Administrator.

Facultas vtendi re nomine proprio, Administratori, sicut Domino convenit, n.40.

Conviva.

Dominium non habet conviva, esculentorum & poculentorum quibus extruitur mensa, n.12.

Dominium.

Dominium est facultas vtendi re aliqua independenter ab alio, & illam destruendi, n.11.13.

In triplici sunt differentia res, quarum haberi Dominium potest, n.1.

Nullius rei possunt Minoritæ Dominium, etiam in communi habere; sed cuiuscunque ab illis acquisita Dominium, penes Sedem est Apostolicam, numero 10.45.

Dominium non habent servi, neque conviva eorum, quæ eis apponuntur in mensa, sed merum vsum, num.12.13.

Fideles in particulari non habebant rerum Dominium initio nascentis Ecclesiæ, sed in communi, num.14.

Extremè indigens, Dominium rerum divitis non habet, sed habet ius vtendi illis, n.15.

Dominium non transfertur nisi tàm dantis, quàm accipientis intercedat voluntas, n.16.

Distinguitur Dominium in habituale, & actuale. Habituale est facultas per modum habitus, conservandi, & destruendi rem independenter ab alio. Actuale est vsus talis facultatis n.34.

Dominium habituale, Dominium propriè est; actuale verò impropriè tale dicitur: quia est effectus proprij, n.34.

Nullus Religiosus, etiam Prælatus habet Dominium rerum vnico actu consumptibilium, à n.41.

Dominium rerum, quod PP. Minores habent, alienare possunt ex Papæ voluntate, cuius illud est, num.61.62.

Dominium donatarius non acquirit rei donatæ ex animo illud transferendi, si ille incapax sit Dominij, sed illud acquirit, qui nomine donatarij illud potestate equirere, n.64.

Donatio.

Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Iure donare, n.29.

Intellige quando nomine proprio datur; secus quando datur nomine potentis de Iure donare, n.26.

Ioannes XXII.

Quod Ioannes Papa XXII. erraverit tanquam Doctor particularis, in odium Occam, in extravagante Conditorem, & quod errorem revocaverit, dicunt aliqui, n.52.

Legatum.

Vim non habet legatum, nisi post testatoris mortem, num.50.

Revocari non potest post donantis mortem, numero 50.

Legatum ad legatarium non transfertur, quando non est illius capax, sed ad eum, qui nomine legatarij legatum acquirere valet, n.51.

Simile adducitur, n.64.

Mutuum.

Est traditio rei, numero, pondere & mensura constantis, eo animo facta, vt statim fiat accipientis, cum obligatione, vt similis in specie, & bonitate restituatur, n.58.

Paupertas Religiosa.

Excludit paupertas Religiosa rerum proprietatem, possessionem, vsumfructum & ius vtendi independens; & admittit simplicem vsum facti, tanquam ad vitæ sustentationem, necessarium, n.9.10.

Imò excludit ius vtendi dependens, n.37.

Religiosus ius quoddam habituale habet vtendi rebus à Prælato concessis, continuò tamen ab illo dependens, ita vt sine vlla iniuria revocari possit. Vndè propriè non habet ius ad vsum, n.37.

Regula.

Nemo plus Iuris ad alium transferre potest, quàm ipse habet. *Intelligitur proprio ex nomine: nam nomine illius, qui illud habet, benè potest plus transferre*, n.62.

Servi.

Dominium non habent, sed merum vsum, eorum, quæ apponuntur in mensa, n.13.

Vsus.

Respectu rerum, quæ vnico actu consumuntur, duplex datur vsus: proprius, & extraneus, numero. 2.

Earundem rerum, alius est vsus Iuris, alius vsus facti. Et quinam illi sint, n.3.

Vsus Iuris, alius absolutus, & independens, alius dependens, & limitatus, n. 3.

Vsus Iuris independens in rebus, vnico actu consumptibilibus, à Dominio non distinguitur, distinguitur tamen vsus Iuris dependens, n.4.

Vsum dependentem habent Religiosi omnium, quæ habent; habere vsum absolutum, repugnat voto paupertatis, n.4.

Vsus independens, & irrevocabilis, vsus Iuris vocatur; vsus verò revocabilis, & dependens vocatur vsus facti, n.5.

Vsus proprius rerum vnico actu consumptibilium, qui est actualis earum consumptio, in genere moris distinguitur ab illarum Dominio & in diverso potest reperiri subiecto à n.8. & n.33.

Vsus simplex facti, nihil Iuris vtentibus præbet, numero 9.

Aliquarum rerum vsus, est actualis earum consumptio, vini v.g. panis, olei, pecuniæ, n.19.20.

Istarum rerum vsus, abusus dicitur; non quia illicitus, sed quia illarum est consumptio, n.23.

Vsus Iuris, qui est vsus in habitu, seu ius absolutum, & independens ab alterius voluntate, non est moraliter à Dominio distinctus; secus vsus in habitu dependens, n.33.34.39.

Vsus Iuris, seu in habitu, vel per modum habitus, impropriè dicitur vsus, n.34.

Vsus, propriè, in ipso actu consistit, n.34.

Vsus in actu, non distinguitur à Dominio impropriè sumpto, n.34.

Vsus facti, sumptus pro actu vtendi rebus vnico actu consumptibilibus, non proveniens à legitima potestate, à Dominio distinguitur illarum, n.35.

Omnes Religiosi, ius quoddam vtendi rebus omnibus, sibi à Prælato concessis habent, dependens tamen,

men, & revocabile : quod civile, & rigorosum non est, sed nudus vsus Iuris dicitur, à numero 36.
Vsus Iuris, propriè dictus, est independens ab alterius voluntate, n.37.
Non distinguitur iste vsus, à proprietate, & dominio, n.39. 42. 55.
Vsum Iuris rerum vnico actu consumptibilium independentem, nullus habet Religiosus, n.42.
Vsus rerum vnico actu consumptibilium, non est propriè vsus, sed impropriè : quia non est salva rei substantia, n.56.
Vsum rerum multi concesserunt Pontifices Minoribus retento illarum dominio apud Sedem Apostolicam, n.53.54.
Res ad vsum revocabilem concessa, si consumitur, aut alienatur, domino perit, n. 59.
Vsum rei habens absolutum, & illuminatum, potest illam vendere, & alienare ; secus illum habens dependentem, & revocabilem, n.60.
Vsus revocabiliter concessus, in quolibet instanti quo res consumpta non fuerit, potest à concedente revocari, n.63. 65.

Vsusfructus.

Rerum immobilium vsusfructus, non est perpetuus, num. 30.

HVius Dubij resolutio, maximè dependet ex decisione alterius : videlicet: *An in huiusmodi rebus, vsus, à dominio distinguatur, ita vt dominium penes vnum sit, & vsus penes alterum?* Quare de vno & altero, sub præfato titulo agere libuit. Sed vt rectè expendantur, ac debito ordine, præmonere operæpretium duxi, aliqua scitu necessaria.

1 *Primò*, quòd res, quarum dominium haberi potest, sunt in triplici differentia. Aliæ enim sunt, quæ vsu non consumuntur. Huius generis sunt, Domus; vinea, prædium, & id genus alia, quorum quidem vtimur fructibus, rebus ipsis, immutatis manentibus, in propria substantia. Aliæ autem ex opposito sunt, quæ vnico consumuntur, quoad substantiam, actu; saltem respectu illis vtentium. Huiusmodi sunt pecunia, panis, vinum, oleum, caro, pisces, ova, & similia non pauca. Aliæ denique sunt, quæ inter recensitas mediant: & licet paulatim atterantur, consumantur; non tamen vnico actu. Tales certè sunt vestes, libri, tapetes, suppellectilia. De quibus Bart. à S. Fausto *in Thesauro, de Statu Religiosor. lib.8. de Voto paupertatis, q.45. n.1.*

3 *Secundò*, quod in rebus, quæ vnico actu consumuntur, duplex vsus reperitur. Alter, proprius; alter verò improprius, extraneus, accidentarius, & adventitius. In pecunià, v. g. vsus proprius est, vt sit rerum pretium. Improprius autem, extraneus, accidentarius, & adventitius est, vt illa ad ostentationem quis vtatur. Similiter proprius vsus respectu vini, est illud bibere; Adventitius autem, & extraneus est illud odorari, & illo vti ad medicinam. Barth. à S. Fausto *dicta quæst.* 45. *num.*2.

2 *Tertiò*; quod vsus rerum vsu consumptibilium, rursus est duplex. Facti scilicet, & Iuris. *Vsus facti*, est vsus in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio. *Vsus* autem *Iuris*, est vsus in habitu: seu est ius vtendi huiusmodi rebus. Qui quidem vsus Iuris, adhuc subdividitur in vsum absolutum, & in limitatum, seu dependens ab alio. Vsus Iuris absolutus, seu independens, est facultas seu concessio veniæ vtendi re sine dependentia ab alio, etiam consumendo illam, quocumque modo ei placuerit. Vsus verò Iuris limitatus, & dependens, est facultas, seu concessio veniæ vtendi re, cum dependentia ab alio, apud quem illius dominium propriè residet. Ita à S. Fausto *loco cit. num.* 3. Ioannes Martinez de Prado *in Theologia Morali, tom.1. cap.21. de Dominio*, §.3. *nu.* 26. Amicus *tom.5. disp.*13.*n.*60. *& seqq.*

Hunc vsum rerum sic distinguit, explicat, & probat Leonardus Lessius *lib.2. de Iust. & Iure, cap.3. dubit.8.n.*32.*& seqq.* Vbi in hæc prorumpit. Dico primò. Ius vtendi, potest esse separatum à Dominio, etiam in his rebus, quæ vnico actu consumuntur, vel alienantur. Explicatur simul, & probatur. Dupliciter enim potest alicui concedi vsus, & ius vtendi pane, vel pecunia. Primò irrevocabiliter. Et tunc non videtur multum differre à Dominio. Secundò, omninò revocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis, ita vt quovis momento possit revocari sine vlla iniuria vsuarij. Et hoc ius, sine dubio distinguitur à Dominio. Quia Dominium est ius in re absolutum, & firmum, non dependens ex alterius nutu, & arbitrio; hoc autem, est conditionatum, & debilissimum. Habeo enim illud, si velis; non habeo, si nolis me habere. Tale est, quod singuli Religiosi in vestes, libros, cibos, & similia, quæ illis à Superioribus conceduntur, habent. Non enim ita conceditur illis ius vtendi, quin ad nutum Superioris revocari possit. Nam ratio Religiosæ Paupertatis hoc intrinsecè includit. 4

Notandum autem est, vsum irrevocabilem, à Nicolao III. *Extravag. Exijt*, vocari vsum Iuris. Tum, quia in eo habetur Ius absolutum. Tum, quia Iura de eo loquuntur. Vsum autem revocabilem, vocat vsum facti; non quod in eo nihil sit Iuris (sic enim iniustus esset. Vt rectè Ioannes argumentatur) sed quia non est Ius absolutum, & solidum, vtpotè ab alieno nutu dependens, donec res ipsa facto consumatur. Hucvsque Lessius. 5

Quartò, præmoneo, quod quando inquiritur: An in rebus vnico actu consumptilibus vsus à dominio distinguatur? non id inquiritur de distinctione in genere entis. Quia hoc modo distingui, certum esse debet, secundùm Logicæ regulas, Dominium enim panis, v. g. vini, olei, oleum, &c. relatio est; eorum autem vsus, actio, dubio procul est, qua istis vescimur. Relatio autem, & Actio, distincta constituunt Prædicamenta. Quocirca Caietanus, 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. benè adnotat, dupliciter intelligi posse, quod res, de quibus in præsenti, differant, vel non differant ab earum vsu. *Primò*, secundùm esse naturæ; & hoc esse extra propositum. *Secundò*, in ordine ad commutationes, de quibus ibi agitur, & de istarum Iustitia, & iniustitia. Et hoc esse ad propositum asserit. 6

Igitur in præsenti, An differant; vel non differant vsus, & dominium rerum præfatarum, secundùm esse naturæ, non inquiritur. Quia hoc est extra propositum. Sed quæstio procedit de distinctione in genere moris. Et sensus illius est. *An in rebus, quæ vnico consumuntur actu; vsus earum proprius, qui primarius dici potest, & ad quem ex natura ipsarum destinata sunt, qui vsus facti, vsus in actu, & actualis illarum consumptio est, ita queat à dominio separari earum, vt in diverso possit reperiri subiecto?* Dominium enim, & vsum in Physi- 7

 cum

cum distinguimus, & morale cum nostro magno Ioannes Caramuël *in Theologia fundamentali, fundamento* 51. §. 9. *de Vsu*, *num.* 1417. *versic. Esse duplicem*, ibi: & quia datur Physica, & Moralis potentia, dominium, & eius vsum, distinguimos in Physicum, & Morale.

Quibus præmonitis, pro resolutione Dubij,
8 secundò propositi, prima sententia absolutè asserit, in rebus vnico actu consumptibilibus, ita vsum à Dominio distingui, vt in diverso queat subiecto reperiri. Illam tenent Nicolaus Papa III. *in cap. Exijt, qui seminat*, el 3. *de Verborum signific. lib.*6. Clemens Papa V. *in Clem. Exivi de Paradiso*, §. *Sicque declaratum*, *la* 1. *eodem tit.* Ioannes Papa IV. Alexander etiam IV. & Gregorius IX. à dicto Nicolao citati. Azorius *part.* 1. *Institut. Moral. lib.* 12. *cap.* 24. *quæst.* 12. *versic. Tertia Iuris quæstio, in medio.* Roderiquez *tom.* 3. *quæst. Regular. q.* 29. *art.* 10. *conclus.* 3. Sanchez *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 5. Panormitanus Abbas *consilio* 63. *num.* 6. *in responsione ad primum.* Diana *part.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 28. Pellizzarios *in Manuali Regularium, tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 72. Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, par.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 6. *nu.* 41. Cardinalis de Lugo *tom.* 1. *de Iust. & Iure, disp.* 2. *sect.* 3. *n.* 55. D. Bonaventura *tom.* 1. *Opuscul. in Apologia pauperum, art.* 1. *quarta respons. partic.* 2.

Pro hac eadem sententiâ allegantur etiam Tannerus, 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 1. *dub.* 2. *num.* 22. Sotus *lib.* 4. *de Iust. q.* 1. *art.* 1. Bannez 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. Molina *de Iust. tom.* 1. *disput.* 6. Salon *eodem tract. de Dominio, q.* 1. *art.* 1. Sylvius 2. 2. *quæst.* 62. *ar.* 1. *quæst.* 2. Bellarminus *tom.* 1. *Controversiarum, lib.* 4. *de Summo Pontifice, cap.* 14. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 10. *punct.* 1. Rebellius *de Inst.* 1. *part. lib.* 1. *quæst.* 7. *sect.* 4. *num.* 33. Hieronymus Garcia *in Politica Regulari, to.* 4. *par.* 3. *diffic.* 2. *dub.* 3. Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 27. Villalob. *tom.* 2. *Summa, tract.* 10. *diffic.* 2. Franciscus Lopez de Taxada *tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *controv.* 4. *dub.* 1. Martinus Ledesma 2. *part.* 4. *q.* 18. *art.* 1. Navarr. *comment.* 1. *de Regularibus, n.* 13. *comment.* 2. *n.* 2. *& Apologia, de Redditibus Ecclesiasticis, quæst.* 1. *monito* 14.

Probatur *primò* sententia ex *Institut. de Vsu, & habitatione*, vbi dicitur, quod potest aliquis habere olerum horti, & florum pomarij vsum, non autem dominium, vt possit ea vendere, aut alienare: ergo in his rebus vsu consumptibilibus, dominium, & vsus moraliter distinguuntur, & in diversis possunt subiectis reperiri.

9 *Secundò* probatur *ex dicto cap. Exijt, qui seminat*, vbi inter alia ad rem præsentem, hæc ait Nicolaus III. Nec talem abdicationem proprietatis omnimodæ, renunciationem vsus rerum cuiquam videatur inducere: nam cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuum proprietatē, possessionem, vsumfructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum, & vltimo tanquam necessariò egeat, licet primis carere possit vita mortalium; nulla protsùs potest esse professio, quæ à se vsum necessariæ sustentationis excludat. Verùm condecens fuit ei professioni, qui sponte devovit Christum pauperem, in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum, necessariò vsu fore contentam. Nec per hoc quod proprietatem vsus, & rei cuiuscumque dominium à se abdicasse videtur, simplici vsu omnis rei renunciasse convincitur: qui inquam vsus, non Iuris, sed facti tantummodò nomen habens, quòd facti est tantùm, in vtendo præbet vtentibus, nihil Iuris.

Probatur tertiò ex Concilio Viennensi, relato *in dicta Clem. Exivi, de Paradiso*, vbi Clemens V. 10 postquàm recensuit S. Francisci, circa paupertatem, præceptum, sub his verbis. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; sed tanquam peregrini, & advenæ in hoc sæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter. Statim addit. Sicque declaratum extitit per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriecatem intelligi debere tam in speciali, quàm etiam in communi, propter quod & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quas, & quarum vsum, facti scilicet Ordini, vel ipsi Fratribus licet habere) proprietatem, & dominium in se, & Romana Ecclesia ceperunt, dimisso ipsis fratribus in eis tantummodò vsu facti simplicis.

Quartò probatur ratione. Dominium est facultas vtendi re, & illam destruendi independenter 11 ab alio. Sed sic concedi potest vsus rerum vsu consumptibilium, vt ante consumptionem liceat concedenti Domino revocare: ergo separari potest vsus à Dominio in rebus vnico actu consumptibilibus. Maior procedit tam respectu dominij limitati, quàm respectu dominij generalis, & completi: quia sicut in hoc, facultas vtendi, est in omnem vsum, independenter ab alio: ita in illo est in vsum determinatum independenter ab alio: & in vtroque huiusmodi facultas est æquè independens à voluntate prioris domini, res concedentis, ita vt illi non liceat amplius eas revocare, vti benè Sotus apud Ioannem Martinez de Prado *tom.* 1. *Theologiæ Moralis, cap.* 21. §. 3. *num.* 21.

Er confirmatur exemplo conviuæ. Nam quemadmodum (inquit Sotus apud dictum Martinez, 12 *vbi proximè*, Sanchez etiam *tom.* 2. *in Decalogum, lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 5. Roderiquez *tom.* 3. *qq. Regul. quæst.* 29. *art.* 10. *concl.* 3. ex dicto Soto, *lib.* 8. *de Inst. qu.* 1. *art.* 1. *colum.* 8. Amicus *tom.* 5. *disput.* 13. *num* 63. Fulgentius de Oviedo *in Politica Regular. tract.* 9. *cap.* 1. *q.* 4.) cum quis amicos convivio excipit, non facit eos dominos esculentorum, & poculentorum, quibus mensa extruitur; quia neque illis facit facultatem illa surripiendi, vt in proprias domos importent; sed tantùm vt sedentes vescantur illis. Eodem penè modo Papa invitat quotidiè Fratres (Minores scilicet) quibus tantùm facit facultatem edendi, ac bibendi, vestiendi, &c. Quare, & si eis illa de medio tolleret, nullam eis faceret iniuriam; neque esset habendus tanquam fur, & latro, sed tanquam dominus, qui sua repetit. Hæc ille.

Confirmatur etiam, exemplo servorum qui 13 dominiom eorum, quæ illis apponuntur non habent, sed merum eorum vsum acquirunt.

Confirmatur tertiò, exemplum fideliū, quibus, 14 initio nascentis Ecclesiæ, ita bona omnibus erant cōmunia, vt nullus aliquid proprium haberet; & tamen iustè vtebantur rebus vsu consumptibilibus: ergo in his vsus à dominio distinguitur.

Quintò probatur dicta sententia. Extremè indigens ius habet vtendi bonis divitis, non tamen 15 habet illorum dominium; aliàs eleemosynam illi denegans ad restitutionem teneretur: ergo ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus, à dominio distinguitur earum.

Probatur

16 Probatur *sextò*. Ad dominij translationem debent concurrere voluntas dantis, & voluntas accipientis rem, cuius dominium transfertur. Sed res, quæ vnico actu consumuntur benè possunt alteri concedi, sine voluntate transferendi earum dominium in illum: & pariter benè possunt accipi sine voluntate acquirendi illarum dominium: ergo benè possunt res vnico actu consumptibiles alicui concedi quoad vsum tantùm, absque eo, quod etiam concedantur quoad dominium: ergo vsus, & dominium rerum huiusmodi, in distincto possunt esse subiecto: ergo distinguntur vsus, & dominium illarum.

17 *Septimò* probatur ex D. Francisci præcepto Regulari, in quo absolutè, & generaliter Fratribus Minoribus prohibetur aliquam rem habere propriam, & eleemosynam recipere conceditur: ergo dominium ac proprietas, & vsus distinguuntur in pane, v. g. qui Minoribus in eleemosynam conceditur, non minùs, quàm in domo, & fundo. *Nam vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè nō conceditur, intelligitur denegatū*. Verba sunt *Clem. Exivi*. Ex quibus benè fit, concedi præfatis Fratribus vsum panis, non autem dominium eius: quia generaliter prohibetur cuiuslibet rei dominium, & hoc non conceditur expressè respectu eleemosynæ: ac per consequens solùm conceditur vsus facti simplicis.

18 Secunda sententia docet vsum non distingui à Dominio in rebus, quæ vnico actu consumuntur, vel alienantur. Hanc tenet Sylvester *verbo Dominium, quæst. 2.* ibi. Similiter vtor pane destruendo substantiam; sed ille vsus non est à proprietate distinctus. Ioannes Caramuël *in Regulam S. P. N. disput. 59. resol. 9. num. 871.* Diana *par. 2. tract. 6. de Paupertate Religiosa, resol. 28.* Ioannes Martinez de Prado *in Theologia Morali, tom. 2. cap. 21. §. 2. num. 14.* & §. 3. *num. 23.* cum Caietano 2. 2. *q. 78. art. 1.* Ioanne de Neapoli *in qq. disputatis, q. 42. ad 12. & 13.* Turrecremata *in Summa Ecclesiæ, lib. 3. cap. 112. ad finem, & super Decretum, 12. q. 1. art. 3. ad 8.* Gravina *in continuat. 2. part. tom. 4. in Controversia de Papæ infallibilitate, quæst. 2. art. 7. punct. 2.* Maiore *in 4. distinct. 38. quæst. 9. art. 1. contra 1.* & cum Aragone 2. 2. *quæst. 62. tit. de Dominio, dub. 3.* Allegantur pro eadem sententia apud Sanchez *in Decalogum, tom. 2. lib. 7. cap. 18. num. 14. in fine.* Barth. *tract. Minoritarum, libro 2. d. 4. cap. 2. ad finem.* Sarmientus *de Redditibus Ecclesiasticis, part. 1. cap. 1. num. 11. & seqq. & in Defensorio, part. 1. monito 12. & 14.* qui (nimis tamen laxè) etiam asserit Fratres Minores particulares dominium habere vestium, quibus vtuntur. Cenedus *de Paupertate Religiosa, dub. 17. n. 9. & dub. 32. n. 8. & 11.* & D. Antoninus *in Sum. par. 4. tit. 12. cap. 4. & 10.*

19 Illam etiam tenet D. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 1. in corpore*, in hæc prorumpens. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quædam res sunt, quarum vsus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus, eo vtendo ad potum, & triticum consumimus, eo vtendo ad cibum. Vnde in talibus non debet seorsim computari vsus rei, à re ipsa, sed cuicumque conceditur vsus, ex hoc ipso conceditur res, & propter hoc in talibus, per mutuum transfertur dominium. Si quis ergo seorsum vellet vendere vinum, & vellet seorsum vendere vsum vini venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non est: vnde manifestè per iniustitiam peccaret. Et simili ratione iniustitiam committit, qui mutuat vinum, aut triticum, petens sibi duas recompensationes: vnam quidem restitutionem æqualitaris rei, aliam verò pretium vsus, quod vsura dicitur.

20 Quædam verò sunt, quorum vsus non est ipsa rei consumptio, sicut vsus domus, est inhabitatio, non autem dissipatio. Et ideò in talibus seorsum potest vtrumque concedi, puta cum aliquis tradit alteri dominium domus, reservato sibi vsu ad aliquod tempus; vel è converso, cum quis concedit alicui vsum domus reservato sibi eius dominio. Et propter hoc licitè potest homo accipere pretium pro vsu domus, & præter hoc petere domum accommodatam, sicut patet in locatione, & conductione domus. Pecunia autem secundùm Philosophum *in 5. Ethicorum, & in 1. Politicorum* principaliter est inventa ad commutationes faciendas: & ita proprius, & principalis pecuniæ vsus, est ipsius consumptio, sive distractio secundùm quod in commutationes expenditur. Et propter hoc, secundùm se est illicitum pro vsu pecuniæ mutuatæ, accipere pretium, quod dicitur vsura. Hæc omnia. Doctor Angelicus, in quibus manifestè docere videtur, in rebus, vnico actu consumptibilibus; separari non posse vsum à dominio.

21 Probatur *primò*, ista sententia, *ex leg. Si vini, la 7. de Vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur*, in qua sic habetur. Si tibi vini, frumenti, olei vsusfructus legatus erit, proprietas ad legatarium dicenda transferri.

22 Nec valet dicere hanc legem de vsufructu, non verò de vsu loqui. Vsus autem, & vsusfructus distinguuntur, vt ex supradictis *dub. 1. à num. 14.* constat: ergo ex allegata lege neutiquam probatur sententia asserens, in rebus vnico actu consumptibilibus, vsum à dominio non distingui.

23 Non inquam valet, quia in huiusmodi rebus, idem sentiendum est de vsufructu, ac de vsu, & è converso. Patet expressè *ex lege Hoc senatus consultum 5. §. finali, ff. eod. tit. de Vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur*, ibi: Quo in vsufructu pecuniæ dicimus, vel cæterarum rerum, quæ sunt in abusu, eadem etiam in vsu dicenda sunt: nam idem continere vsum pecuniæ, & vsumfructum Iulianus scribit, & Pomponius. Ita in dicta lege, vbi harum rerum consumptionem Iurisconsultus abusum vocat, non quod sit illicitus vsus, sed quia vsus illarum est assumptio, seu consumptio illarum, vt notavit Glossa *in Extrav. Ad conditorem*, mox citanda *verbo Vel abusum*: vbi ita fatur. Licet abusus in mala parte sumi consueverit: vt dixi in Decretali, *Cum inter nonnullos*; hic tamen, in bona sumitur; quia in talibus rebus (vsu scilicet consumptibilibus) vsus, & abusus idem sunt, *ff. de Vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur, lege Hoc Senatus, §. 1. & vlt. Cum si*: & ideò appellatur abusus: quia per vsum, in talibus rebus res ipsæ ad totalem exinanitionem deducuntur: & de esse ad non esse reducuntur, vt hîc. Hactenùs Glossa.

24 *Secundò* probatur sententia *ex Extravagante Ioannis XXII.* incipit, *Ad conditorem, la 3. de Verborum significatione, vbi in 4. part. Constitutionis*, videlicet, §. *Quod autem*, improbatur Fratres Minores habere vsum facti simplicem, in rebus consumptibilibus, *& 6. parte, §. Licet autem in rebus*, asseritur in eisdem rebus non dari simplicem facti vsum: & pluribus probatur non distingui in eis vsum à dominio, ita vt cui concedi-

tur

tur vnum, conferatur & aliud. Edidit hanc constitutionem *anno* 1521.

25 Probatur *tertiò*. In rebus, quæ vnico actu consumuntur, non benè distingui potest vsus à dominio: quia qui alicui facultatem concedit eas res consumendi, nullius vsus ius, aut potestatem sibi, alteri reservat, ratione cuius intelligi queat, aliquod retinere dominium earumdem rerum: ergo in his vsus non distinguetur à dominio, nec ab illo separatur.

26 *Quartò* probatur. Vsus, qui à dominio distinguitur, iuxta ea, quæ diximus *dub.* 1. *num.* 14. est ius vtendi re aliena, salva eius substantia. Sed est impossibile, quod quis vtatur rebus vnico actu consumptibilibus, (vsu, vtique proprio, ad quem suaptè natura quælibet earum ordinatur, de hoc enim procedit, vt præmonui, difficultas (aut quod aliquod indè vtilitatem capiat, salva earum substantia: ergo in huiusmodi rebus vsus, nullo modo à dominio distinguitur.

27 Probatur *quintò*. Quando vsus à dominio distinguitur, potest alteri vendi retento apud se dominio, vti contingit in locatione domus, vineæ, equi, & aliarum certè rerum, quæ vnico actu non consumuntur. In istarum enim rerum locatione venditur earum vsus conductori, retento earum dominio apud locatorem, pretium locationis accipiendum. Sed in rebus vnico actu consumptibilibus, quales sunt panis, frumentum, vinum, oleum, pecunia, & his similes, non potest vendi vsus sine dominio: ergo inter vsum, & dominium rerum vnico actu consumptibilium, nulla est moralis distinctio. Minor probatur. Si vsus istarum rerum posset sine dominio earum vendi, non esset vsurarium, sed omninò licitum, pretium recipere pro mutuo pecuniæ, tritici, &c. Quia vtrumque veluti ab altero separabile, posset iure optimo pretio æstimari. Hoc autem non est dicendum, ex eo enim vsuræ malitia colligitur à Theologis omnibus, quod vsus pecuniæ, v. g. non habet distinctum valorem ab ipsa pecunia, & si distinctum illum haberet, posset alicui dari vsus pecuniæ pretio determinato, retento dominio illius, & sic licita esset vsura. Cum igitur hoc nefas sit dicere, nefas etiam sit asserere, vendi posse vsum pecuniæ, & aliarum rerum vnico actu consumptibilium sine dominio illarum.

28 *Sextò* probatur. Posse rem vendere, alienare, & consumere, ac in nihilum redigere, proprium est dominij, non autem vsus. Sed habens vsum rerum vnico vsu consumptibilium, potest illas vendere, alienare, consumere, & in nihilum redigere: ergo habet rerum illarum dominium.

29 *Septimò*. Fratres Minores, qui vsum habent rerum vnico actu consumptibilium, possunt illas donatione, & venditione alienare, quibus quidem contractibus illarum dominium non minus in donatarium, & emptorem transfertur quando quilibet alius donat, & vendit: ergo dicti Fratres verum habent dictarum rerum dominium. Patet consequentia, cum, *quia nemo potest plus iuris transferre in alium quàm sibi competere dignoscatur, cap. Nemo*, el 79. *de Regulis Iuris, lib.* 6. seu vt habetur, *ff. de Regulis Iuris*, la 55. *Nemo plus Iuris ad alium transferre potest, quàm ipse habet*. Tum etiam, quia nemo dat, quod non habet. *Quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Iure donare*. Verba Alexandri Papæ III. *in cap. Quod autem*, el 5. *de Iure patronatus*, reddo.

30 *Octavò* probatur. Ridiculum est remanere apud aliquem dominium inutile cuiuslibet rei, & absurdum reputatur. Vnde cautum est in iure, *l.* 3. *ff. de Vsufructu*, & §. 1. *Instit. eodem tit.* Vsumfructum immobilium non esse perpetuum, ne illorum dominium esset inutile. Sed res, de quibus in præsenti, per vnicum vsum consumuntur omninò, & pereunt: ergo ridiculum est remanere inutile illarum dominium penes alterum.

Probatur *nonò* sententia. Dominium rerum 31 vnico actu consumptibilium penes aliquem debet esse, aliàs à quolibet possent iustè occupari. Sed non est, v. g. penes dantem panem, vinum, &c. Fratribus Minoribus, aut alijs Religiosis, neque penes Summum Pontificem: ergo est penes ipsos Religiosos. Consequentia inductione patet à sufficienti partium enumeratione. Minor autem probatur, quoad primam partem: quia non dantur mutuò res præfatæ Religiosis, sed in veram eleemosynam: ergo dans illas, earum dominium retinere minimè dici potest. Quoad secundam: quia non potest in Papam transferri dominium rerum, nisi ex dantis voluntate. Sed dans nihil minus cogitat, quàm in Papam transferre dominium illud: ergo non est penes Papam tale rerum dominium.

Vltimò probatur. Quia cum vsus dictarum 32 rerum, sit earum consumptio, intelligi nequit posse tradi potestatem ad vsum earum, nisi istæ personæ subijciantur personæ, cui vsus ipse conceditur. Ac per consequens, nisi huiusmodi persona dominium rerum præfatarum quærat, acquirat.

Tertia sententia, in hac satis controversa difficultate, asserit, vsum Iuris, qui dicitur *vsus in habitu*, seu ius absolutum, & *independens ab alterius voluntate*, & de se ad omnem vsum talis rei se extendens, non distingui, aut distingui posse à verò dominio cuiuscumque rei, vnico actu consumptibilis. Quia, qui habet talem rei vsum Iuris, seu Ius vtendi absolutum, & independens, revera habet illius dominium; secus tamen docet, non solùm de vsu facti, seu de vsu in actu, qui est ipsa actualis rei consumptio (quia dominium est quasi in habitu, vel in actu primo; vsus verò facti, est in actu secundo, seu ipsa actualis actio: vel vti Ioannes Caramuël *in Theologia fundamentali, fundam.* 51. *num.* 1417. fatur, duplex est vsus *Dominicus*, & *Servilis*. Dominicus ille est, qui competit Domino, & est actus secundus dominij:) sed etiam id docet de vsu proprio in habitu, seu de vsu Iuris limitato, & dependente ab alterius voluntate, apud quem est libera facultas revocandi huiusmodi ius limitatum, ante quam res actu consumatur. Quia talis dependentia repugnat rationi veri dominij, consistentis vtique in facultate vtendi re, ad omnem vsum, independenter ab aliena voluntate. Dominium enim (inquit *vbi proximè* Caramuël) est potestas destruendi, & conservandi rem. Ex qua præmissa, hanc educit consequentiam: ergo vsus, aut actus secundus huius potestatis tunc est, quando aliquis, vel ita conservat rem, vt possit destruere, vel ita destruit, vt possit conservare. 33

Hanc sententiam tenent Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *de Voto paupertatis, quæst.* 45. *num.* 13. & *seqq.* Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, parte* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæst.* 3. Leonardus Lessius *de Iustitia, & Iure, lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 8. *à num.* 32. Iacobus Gordonus *in Theologia Morali, tom.* 1. *lib.* 3, *quæst.* 2. *cap.* 6.

*cap.6. num.*18. Martinus Becanus *in Summa Theologia Scholastica, tract. de Iure, & Iustitia, quaest.* 9. Thomas Sanchez *in Decalogum, tom.*2. *lib.*7. *c.*18. *num.* 5. Franciscus Amicus *in Cursu Theologico, tom.*5. *disp.*13. *n.*63.

34 Ioannes Martinez de Prado, pro secunda adductus sententia, tertiam sine dubio tenet *dicto* §. 3. *num.* 25. & 26. quatenus, pro concordia praecedentium notat cum Bannez 2. 2. *quaest.*62. *tract. de Dominio, quaest.*1. §. *Pro huius,* cum Soto *lib.*4. *de Iustitia, & Iure, quaest.*1. *art.*1. *versic. Hac profecto,* cum Serra 2. 2. *q.*66. *art.*1. *dub.*1. §. *An verò.* Henrico Villalobos *tom.*2. *tract.*10. *diffic.*2. *nu.*4. & *ad* 5. & cum dicto Bartholomaeo à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, tract. de Vitio proprietatis, quaest.*6. distinctionem vsus Iuris, seu facultatis per modum habitus, & vsus facti, seu actus vtendi, modò à nobis redditam. Et similiter distinguit dominium in habituale, & actuale : cum hoc discrimine, quod vsus propriè, est in actu ipso; in habitu verò impropriè, & secundùm quid ; Dominium è contrario : nam in habitu est propriè dominium, quia est ipsa facultas, & posse; actus verò, potius est effectus dominij, quàm ipsum dominium. Et concludit dicens. Vsus in habitu, qui dicitur vsus iuris, distinguitur à dominio. Et hoc voluerunt Nicolaüs, & Clemens, & alij Authores prioris sententiae. At verò vsus in actu, non distinguitur à Dominio impropriè dicto. Et hoc voluerunt Authores secundae sententiae. Vel loquuntur de vsu pecuniae independenti,& irrevocabili,qui non potest dari in his rebus, absque eo, quod detur dominium. Hactenùs Martinez. Est igitur tertia sententia, cui lubens subscribo, praecedentium conciliatrix. Pro qua, & pro decisione dubij primo propositi, aliquas libuit statuere conclusiones.

CONCLVSIO I.

35 VSus facti, sumptus pro actu vtendi rebus, vnico actu consumptibilibus, non proveniens à legitima potestate, à dominio illarum distinguitur. Exemplum fit in concedente panem, gallinam, aut quid aliud furto sublatum. Hanc docet Amicus, *loco allegato num.*62. & probat, quia dominium, dicit ius legitimum ad vsum rei, quale ius non habet, qui invito Domino re vtitur aliena. Vnde fur habet solùm vsum facti, comedendo furto sublata.

CONCLVSIO II.

36 OMnes, & singuli Religiosi, tam Monachales, quàm Mendicantes, etiam Minores de observantia,& Capucini,habent ius quoddam vtendi rebus sibi à Praelato concessis, non solùm vnico actu consumptibilibus, sed & vestibus, libris,&c. limitatum tamen, & dependens, ac omninò revocabile, quod non est civile rigorosum, sed dicitur nudus vsus Iuris.

Istam tenent Sanchez *tom.* 2. *in Decalogum, lib.*7. *cap.*18. *num.*7. Nec sic dicuntur,&c. Bannez 2. 2. *quaest.*62. *tract. de Dominio, q.*1. *dub.* 1. *Corollario ex* 4. *conclusione illato.* Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.*5. *dubit.*8. *num.*38. *versic. Respondeo secundò,* ibi : vnde quando vult (scilicet Ioannes XXII.) eos (scilicet Fratres Minores) habere dominium, non loquitur de dominio propriè dicto, sed de quodam iure,quod in effectu aequè valet ac dominium,quia ita liberè consumunt,ac si domini essent.

Tenet & P. Amicus *ubi suprà* in sequentia prorumpens, *n.*61. Tertiò accipitur (scilicet vsus facti, de hoc enim ibi agit:) pro quodam vsu habituali, à nutu alterius continuò dependente. Sic Religiosus habens facultatem vtendi veste, etiamsi habeat ius habituale ea vtendi, quia tamen illud est continuò dependens à voluntate Superioris, qui sine vlla iniuria potest illam ad libitum auferre, non dicitur propriè habere ius ad vsum : quia hoc, vtex vtroque Iure Canonico,& Civili constat, est firmum,ac stabile,independens à voluntate alterius ; nec potest sine iniuria revocari, quale est ius, quod habet vsuarius in rem sibi in vsum traditam. Hactenùs Amicus. 37

Probatur Conclusio,quoad primam partem.Religiosi omnes habent vsum facti,seu actum secundùm vtendi rebus ipsis à Praelato concessis : ergo antecedenter ad actum ipsum vtendi, habebant per modum habitus, & in actu primo ius quoddã vtendi, seu facultatem ad actualem vsum, ab actu enim, ad potentiam benè valet consequentia. 38

Quoad posteriorem etiam probatur. Ius vtendi independens absolutum,& irrevocabile non distinguitur à dominio,& proprietate rerum.Sed nullus omninò Religiosus potest acquirere rerum temporalium dominium,& proprietatem:*quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulae Monachali;* (sententia est Innocentij Papae III. *in c.Cum ad Monasterium, el* 6. *de Stat. Monach.*) *vt contra eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere:* ergo neque ius vtendi absolutum,independes,& irrevocabile potest acquirere:ergo vsus iuris,seu vsus vtendi,quod Religiosi habent in quamlibet rem temporalem, limitatum, est dependens,& revocabile.Maior patet,quia dominium dicit ius ad vsum,firmum,ac stabile,independens à voluntate alterius, continuò revocare potentis.Hoc enim cõtinet definitio dominij:quod vtique authoritatẽ dicit,& independentiam,in disponendo de re,in omnẽ vsum lege non prohibitũ. 39

40 Nec obstat,quod Nicolaüs Papa III.*in Extrav. Exiit,qui seminat la* 3. *de Verbor.signif.lib.*6. distinguat *Proprietatem, & ius vtendi, ac simplicem facti vsum;* & istum Minoribus concedat; illa antem denegat.Quia ibi *ius vtendi* à *simplici facti vsu*,distinguit, quatenùs illud importat facultatem vtendi, nomine proprio. Quae quidem facultas convenit, non solùm vero rei Domino,sed etiam administratori. *Simplex* autem *facti vsus* ab eo vsurpatur, prout Minores illum habent dependenter à Romano Pontifice,& illius nomine.Quod tamẽ non tollit, quin habeant in eodem nomine ius vtendi per modum habitus,& in actu primo. Idem potest obijci *ex Clem. Exivi,de Paradiso la* 1. *eod.tit. de Verbor. signific.* Idemque & responderi.

CONCLVSIO III.

DOminium, & proprietas rerum, vnico consumptibilium actu, non residet penes Religiosum particularem, non solùm Minoritam, sed nec penes Monachum, nec penes Abbatem quidem, aut alium Regularem Praelatum. 41

Hanc tenet Thomas Sanchez *tom.* 2. *in Decal. lib.*7. *cap.*18. *num.*8. & 25. Ioan. Baptista Lezana *in Summa quaestionum Regular. tom.*1. *par.*1. *cap.*6. *n.*12. Fulgentius de Oviedo *in Polit. Regul. par.* 1. *tract.*9. *c.*1. *q.*4.

Quoad P. Minoritam specialiter Conclusio in prima sententia probatur,& generaliter quoad eũ, 42

Pp &

& alium quemlibet Regularem subditum, sive Monachus ille sit, sive Frater, aut Canonicus quidem probatur. Nemo ex hic recensitis habet, aut habere potest ius vtendi rebus vnico vsu, aut actu consumptibilibus, absolutum, independens, & irrevocabile, quia hoc intrinsecè opponitur Paupertati Religiosæ, vtj benè docent communiter Doctores, Becanus *de Iure, & Iustitia, cap. 2. quæst. 9. num. 2. & 3.* Azorius *par. 1. Instit. Moral. lib. 12. cap. 22. quæst. 1. & 2.* Lessius *de Iust. & Iure, lib. 2. cap. 42. dubit. 8. num. 71. versic. Quintò.* Lezana *vbi proximè, num. 7. 9. & 18.* Gabriel Vasq. *Opusculo vltimo, de Redditibus, cap. 3. dub. 2. n. 10. versic. Secundo modo:* ergo nec illarum dominium, & proprietatem habere potest.

43 Quoad Abbatem tandem, & quemlibet alium Prælatum Regularem, conclusionem probo. Quia ille non est Dominus bonorum Monasterij, sed merus dispensator, administrator, & communitatis Oeconomus: ita Sanchez *dicto lib. 7. cap. 19. num. 21.* (vbi addit: neque eorum, quæ dantur Religioso Dominus est,) Ioannes Caramuel *in Theologia fundamentali, fundamento 59. nu. 1778.* vbi sic fatur. Et iudico Monasterium esse absolutum Dominum, & si aliundè non obstet, posse ratione proprietatis in qualescumque vsus has pecunias impendere. Monasterium dico, non Prælatum; nam hic non est earum rerum Dominus, sed Minister, supremus tamen: habens quidem benè administrandi supremam authoritatem, & malè administrandi, nullam. Hactenùs ibi, *& in Regulam S. P. N. Benedicti, disput. 59. num. 830. resolut. 2.* in sequentia prorumpit. Patet: quia est verè Monachus, & Monacho, qua tali, dominium rerum Monasterij non convenit. Hanc veritatem omnes Abbates sciunt, tametsi aliqui dissimulare videantur. Nicolaüs Boucherat, Cisterci Abbas illam vbique, dum visitaret, proclamavit, & legibus severis indixit. In Speciosa Valle extat charta visitationis ab ipso facta *anno 1615.* & in ipsa hæc brevis, sed valdè vtilis concio. *Sæpius recogitet (Abbas) se bonorum Monasterij non Dominum, & Possessorem, sed Administratorem duntaxat esse constitutum, &c.* Hæc Doctor ille. Peyrinus *tom. 2. de Prælato, quæst. 1. cap. 5. §. 1. num. 55. & quæst. 2. cap. 3. §. 17. num. 173.* Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib. 4. cap. 1. dub. 4.* Raggius *de Regimine Regularium, centur. 1. par. 3. dub. 57. num. 1. & 4.* Layman *in Theologia Morali, lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 14.*

44 Quod si dicas contra conclusionem. Vsus separatus à dominio ille est, qui competit alicui, in rem alienam salva eius substantia: ergo vsus, quo quis potest rem consumere, non distinguitur à Dominio. Sed Religiosi tam subditi, quàm Prælati, possunt consumere res vno vsu consumptibiles: ergo habent illarum dominium, & proprietatem.

Respondeo distinguendo antecedens. *Vsu* distinctus à Dominio est, qui competit alicui in rem alienam salva eius substantia, *Vsu* propriè sumptus, concedo antecedens: *Vsus* impropriè sumptus, nego antecedens. Et similiter distinguo consequens. Vsus, quo quis potest rem consumere, non distinguitur à Dominio, si proprio nomine vtatur, concedo consequentiam; si alieno nomine, nego consequentiam. Quia variatur appellatio. In antecedente enim, vt verum illud absolutè sit, accipi debet. *Vsus* pro *vsu* propriè sumpto; in consequenti autem, provt in præsenti difficultate, sumitur pro *vsu* consumptibilium, qui impropriè dicitur *vsus*, iuxta ea, quæ *dub. 1. num. 14.* diximus. Clausula enim: *salva eius substantia*: ponitur in diffinitione *vsus*, ad explicandum, quod *vsus*, quo substantia consumitur, aut alienatur, non est verè, & propriè *vsus*: nudus scilicet seu simplex; sed est verum rei dominium, si fiat proprio nomine ipsius vtentis. Cum autem Religiosi nequeant proprio nomine vti rebus vllis; quia itaeui Religioso, & voto paupertatis contrariatur, hinc est, quod vtendo rebus vsu consumptibilibus, non habeant nec vsum propriè dictum, nec dominium, sed vsum impropriè sumptum. Vnde distinguo etiam minorem. Religiosi possunt consumere res consumptibiles, nomine alieno, concedo minorem; nomine proprio, nego minorem: ergo habent illarum dominium, nego consequentiam: quia non possunt illas consumere nomine proprio.

CONCLVSIO. IV.

Dominium rerum vsu consumptibilium, non residet penes communitatem Minorum de observantia, nec Capucinorum. 45

Hæc Conclusio probata ad satietatem manet, dum de prima egimus sententia i præcipuè ex *cap. Exiit, qui seminat, n. 9.* ibi. Verùm condecens fuit ei professioni, qui spontè devovit Christum pauperem, in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum, necessariò vsu fore contentam. Nec per hoc, quod propritatem vsus, & rei cuiuscumque dominium à se abdicasse videtur, simplici vsu omnis rei renunciasse convincitur. Et clariùs ex *Clem. Exivi, num. 10.* ibi. Sicque declaratum extitit per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices hanc expropriationem intelligi debere, tam in speciali, quàm etiam in communi, &c.

Quocirca Franciscus Amicus *to. 5. cursus Theologici, disput. 13. num. 65.* ita fatur. Infertur probabilius esse, Fratres Minores nullius rei, nec in communi quidem dominium habere, sed vsum tantùm, sive ius ad vsum: quod, quia ad nutum Pontificis, vel concedentis revocabile est, non dicitur vsus iuris, sed facti, ad distinctionem vsus iurisi qui irrevocabilis est, cuinsmodi est vsus, de quo iura loquuntur. Hæc ille. In cuius vltimis verbis satis probatur distinctio vsus propriè, & impropriè sumpti à nobis tradita *n. 3.*

Nec obstat authoritas Ioannis XXII. ob ea, quæ *infrà num. 52.* dicam. Neque obstat secundò, quod qui rem à Minoribus furatur, ipsis teneatur restituere, non verò Summo Pontifici: cum tamen res furto sublata vero sit Domino restituenda. Non inquam obstat, quia vti Amicus ait, Fratres Minores ex Summi Pontificis consensu, talem vsum rerum habent, vt ex tacito eiusdem Pontificis consensu præsumuntur velle, potius Fratribus, quàm sibi huiusmodi bona furto sublata restitui. 46

Restat nunc respondere ad probationes, pro secunda sententia factas, quæ nostris conclusionibus opponi videtur, & contra primam apertè militare apparet. Ad authoritatem in primis Divi Thomæ respondeo, quod in rebus vsu consumptibilibus, vsus rei absolutus, & independens, non debet à re ipsa scorsim computari, & cuicumque huiusmodi vsus, seu ius ea vtendi conceditur, conceditur hoc ipso res, & illius dominium; at vsus dependens, & limitatū ad libitū 47

conce

concedentis revocabilis, vsque ad consumptionem rei concessæ, seorsim computari debet à re ipsa concessa; & non ista, hoc ipso conceditur, ac conceditur talis vsus. Vide Becanum *tract. de Iure, & Iustitia, cap. 2. quæst. 9. num. 6.* Lessium, *eodem tract. libro 2. cap. 3. dub. 8. numero 36.* Thomam Sanchez *in Decalogum, tomo 2. lib. 7. cap. 18. num. 22.*

48 Quod si infertas: ergo dominus retento dominio rei, actu consumptibilis, poterit istum vsum limitatum, & dependentem, ac revocabilem concedere, & posteà novo contractu eiusdem rei dominium vendere. Hoc non est dicendum, cum alias vsuris via plana, & lata sterneretur: ergo nec dici potest concedentem vtcumque, ad vsum proprium, rem vsu consumptibilem, retinere illius rei dominium.

Respondeò cum eisdem, Lessio & Sanchez, absolutè vendi posse hunc vsum, seu ius illius revocabile: quia pretio, dubio procul, est æstimabile; minoris tamen valet, quam dominium rei, seu ius vtendi irrevocabile. Quia ius ad nutum alterius revocabile, tanti non valet, quam ius irrevocabile. Et ius concessum ad solum vsum determinatum, tanti non valet, quanti illud, quod ad indeterminatum. In casu autem, quodpet novum contractum dominium directum rei vendatur, pretium perceptum pro vsu, seu iure vtendi revocabili, computandum venit: quia dominium non potest pluris vendi, quàm per se valet seorsim ab illo vsu. Et sic pretium vsus, & pretium dominij rei, non superabunt iustam rei æstimationem. Et ideò, ita iustum erit pretium, ac si vnico contractu dominium rei, & eius vsus, seu ius vtendi venderentur. Ac per consequens, nullatenus vsuræ crimen in huiusmodi venditionibus admitteretur. Abstinere tamen congruit ab huiusmodi contractibus, propter periculum palliandi vsuras: quamvis per se liciti, vti diximus, sint.

49 Ad *legem Si vini*, & ad argumentum ex ea, pro contraria factum sententia, respondeo, transferri ad Legatarium proprietatem, & dominium vini, frumenti, & olei, per legatum vsusfructus, seu vsus independentis, absoluti, & irrevocabilis ipsius vini, frumenti, & olei; secùs autem si solùm concedatur vsus facti revocabilis a veto Domino. Tunc enim vsus à dominio distinguitur. Et ita respondet Sanchez vbi suprà.

50 Quod si vrgeas. Legatum vim non habet, nisi post obitum testatoris. Sed testator post obitum suum dominium vini, frumenti, & olei retinere non potest, nec ad id Ius ad hæredem transit, nequit enim revocari post mortem donantis legatum, vti apud Sanchez *num. 18.* docent, D. Bonaventura *in Regulam S. Francisci, cap. 4. post solutionem ad 4.* Covarruvias *lib. 1. variarum, c. 14. num. 16.* Corduba *in Regulam dictam, cap. 6. q. 11. punct. 4. & alij.* Emmanuel Roderiquez *tomo 2. quæstionum Regularium, quæst. 126. art. 1. versiculo Quando*, ante finem idem docet: ergo cum dominium prædictorum penes aliquem debeat esse, erit penes legatarium simul cum Iuris vsu.

51 Respondeo, quod si legatarius capax sit dominij, & proprietatis, per legatum vsusfructus, seu vsus vini, frumenti, vel olei legati, transfertur ad legatarium eiusdem rei dominium, & proprietas; si autem non fuerit capax, transferetur ad eum, qui nomine Legatarij dominium, & proprietatem acquirere queat; vsus autem transferetur ad legatarium cum dependentia ab eo, ad quem dominium fuerit translatum, vel ab illius administratore. Vnde si Petrus in testamento, in vim legati, relinquat Ioanni sæculari centum modios tritici; octuaginta Andreæ Monacho; & quadraginta Fratribus Minoribus, sive in communi, sive alicui eorum; Ioannes, simul cum vsu, recipiet dominium centum modiorum tritici; Andreas Monachus non recipiet dominium octoginta modiorum, sed illius Conventus illud percipiet; ipse autem Andreas illorum vsum habebit, si Abbati suo placuerit, & dependentem ab eius voluntate. Quadraginta tandem modiorum dominium Sedes recipiet Apostolica; vsum autem illorum Fratres Minores de licentia eiusdem Sedis, & ab ea revocabilem. Vnde concessa maiori, & minori, nego consequentiam: quia alios est præter testatorem, hæredem, & legatarium, penes quem possit esse dominium rei legatæ, quando Legatarius dominij, & proprietatis incapax est.

Ad secundam probationem *ex Extravagante Ioannis XXII. Ad conditorem*, respondeo, dictum Pontificem, vel locutum ibi fuisse de vsu absoluto, independente, & irrevocabili; vel de limitato, dependente, & revocabili. Si primum, non fuit nobis contrarius, asserentibus huiusmodi vsum Iuris, seu ius vtendi rebus, ab eorum dominio non distingui. Si secundum, dicit Amicus *tomo 5. disput. 14. num. 66.* non obstare nobis: quia id non decrevit vt Pontifex, obligando fideles, ad ita sentiendum; sed vt privatus Doctor. Addunt alij, erravisse, tanquam privatum Doctorem, appropriando Minoribus, in dicta Constitutione, rerum, quibus vtuntur, dominium; iniustè tamen, & in odium forsan Occham, & aliorum sui Ordinis, qui ei fuerant infestissimi. 52

Ita ex Soto *de Iustitia, & Iure, lib. 4. quæst. 1. art. 5. colum. ante penult. versic. Hisce tamen minimè obstantibus*, & Ledesma, *2. part. quæst. 18. art. 4. dub. 2.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib. 8. quæst. 45. num. 17.* & refertur Sanchez *in Decalogum, tom. 2. libro 7. cap. 18. num. 22.* vbi recenset Bellarminum *tom. 1. controversiarum, tract. de Summo Pontifice, lib. 4. cap. 14. column. 2. versic. De prima*, dicentem erravisse Ioannem XXII. sed non in re fidei, nec in re ad vniversales Ecclesiæ mores pertinenti. Cuius quidem errorem admittit Lessius *libro 2. de Iustitia, & Iure, cap. 3. dub. 8. num. 38. versic. Respondeo.* Revocationem factam ab eodem Ioanne XXII. refert Emmanuel Roderiquez *tom. 3. quæstionum Regularium, quæst. 30. art. 1.* postquam recenset *Extravagantem Exijt, qui seminat*, Nicolai Papæ III. & *Clementinam Exivi, de Paradiso*, Clementis Papæ V. *suprà numero 9. & 10.* ad probationem primæ sententiæ adductas, addit.

Et Alexander VI. approbavit, & perpetuæ firmitatis robur obtinere voluit literas Martini IV. Martini V. Eugenij IV. Calixti III. ac Sixti IV. nec-non Pauli II. Romanorum Pontificum, per quas literas huiusmodi Pontifices professoribus Ordinis Minorum concesserunt, quod vsum bonorum eis, & dicto Ordini relictorum (proprietate, seu dominio eorundem bonorum apud Romanam Ecclesiam remanente) cum puritate suæ Regulæ percipere, & habere possint. Ita habetur *in Supplemento, folio 75. concessione 225.* Quæ approbatio confert ad revalidationem Nicolai III. 53

& ad derogationem Extravagantium Ioan. XXII. Et sic in Capitulo Generali Miclenensi, declaratum est, quod Papa Ioannes XXII. revocavit ante mortem suam, quicquid dixerat, vel fecerat contrarium Ecclesiæ, & determinationi Romanorum Pontificum circa hoe.

54 Quare Constitutiones, quas fecerat contra declarationes Nicolai III. & Clementis V. nullius sunt roboris, vt in Monumentis Ordinum refertur *in 1. impressione, fol. 22. tr. 3. & in 2. folio 149. tract. 2.* Quod Capitulum Generale declaravit, quod duplex est ius vtendi, id est licitè vti: & sic vtimus Fratres Minores; aliud est ius vtendi, id est dominium rei habere, vel authoritatem exigendi immediatè habere: & isto modo non habemus alicuius rei ius vtendi, nec habere possumus, vt in eodem libro refertur *in 1. impressione, fol. 228. tr. 2. & in 2. fol. 147. tr. 2.*

Hucusque P. Emmanuël, qui in sua collectione privilegiorum Apostolicorum Regularium, *tomo 1.* privilegium præfatum Alexandri VI. confirmatorium aliorum, vtriusque Martini, Eugenij, Calixti, Sixti, ac Pauli, ad amussim recenset, datum 10. *die Iuly* 1494. & sui Pontificatus *Anno* 2. Estque inter Alexandri Bullas *la* 11. In qua supradicta, quoad concessionem vsus bonorum, proprietate, & dominio eorum apud Romanam Ecclesiam remanente, vti ab eodem recensentur Emmanuël, & sub eorundem tenore verborum, continentur.

55 Ad tertiam respondetur, non benè distingui posse in rebus vnico actu consumptibilibus, dominium ab vsu; & è contra, si vsus sit absolutus, independens, & irrevocabilis. Vnde concedo, quod quando conceditur alicui facultas eas res consumendi absolutè, & irrevocabiliter, nullius vsus ius, aut potestas concedenti, aut alteri relinquitur; nego tamen quando dependenter, & revocabiliter præfata conceditur alicui facultas, & dominium rerum reservatur, vsque ad actualem consumptionem, penes dominum, potentem facultatem revocare, perseveraturum.

56 Ad quartam respondeo, verum esse *Vsum* propriè dictum, esse ius vtendi re aliena, salva eius substantia, & vt tali à dominio distingui. Similiter verum esse, & impossibile, post exercitium, & vsum proprium rerum vnico vsu consumptibilium, remanere earum substantiam; nego tamen dari rerum illarum respectu, vsum propriè dictum, ob istam rationem, ob quam illum suprà negavi, ad finem tertiæ conclusionis. Vnde concessa maiori, distinguo minorem. Impossibile est, quod quis rebus vnico actu consumptibilibus vtatur, vsu proprio, salva earum substantiâ, in actu secundo exercito, concedo minorem: quia vt sic est consumptio, & destructio rerum quibus vtitur; impossibile est salvari substantiam rerum post earum vsum in actu primo, & per modum habitus facultativi vtendi rebus illis dependenter, & limitatè, nego minorem. Et distinguo consequens: ergo in huiusmodi rebus vsus non distinguitur à Dominio. Vsus independens, & absolutus non distinguitur à Dominio, concedo consequentiam; vsus dependens, & limitatus non distinguitur à Dominio, nego consequentiam.

Ad quintam probationem respondeo, *vt suprà*

57 *numero* 48. respondi, benè posse in rebus vnico actu consumptibilibus absque vsuræ labe, seorsim vendi earum vsum dependentem, ac limitatum, & postea eandem rerum substantiam; dummodò, ex vtroque contractu, maius pretium non percipiatur, quàm si vnico rerum proprietas, seu dominium, & eius vsus venderentur. Vnde concessa maiori, nego minorem, si vsus in ea sumatur pro vsu limitato, & dependente, ac revocabili. Et ad eius probationem, nego licitum esse pretium recipere pro mutuo, ob rationem, de excessu pretij vitando.

Et quando concederetur pecunia, aut frumentum ad merum, & simplicem vsum, reservata facultate concedendi apud concedentem rem illam, & dominio illius apud eundem pariter reservato, tunc non esset verum mutuum: *quia mutuum est traditio rei, numero, pondere, & mensura constantis, facta eo animo, & statim fiat accipientis, cum obligatione, vt similis specie, & bonitate restituatur.* Sic illud describit Lessius *de Iustit. & Iure, libro 2. cap. 20. dub. 1. ex instit. tit. Quibus modis re contrahitur obligatio, & ex l. 2. ff. si certum petatur.* Lessio consonat Sebastianus Brant *in expositione titulorum Iuris, lib. 12. tit. de rebus creditis: & si certum petatur condictione:* vbi ita inter alia fatur. *Appellata autem est mutui datio ab eo, quod de meo fit tuum: & ideò, si non fit tuum, non nascitur obligatio.* Restituendi scilicet. 58

59 In casu igitur, quod res ad vsum revocabilem concederetur, liceret pro ea vsus licentiâ, pretium aliquod recipere; sed nullo tamen modo liceret tunc, vt in omni eventu tantumdem reddatur, sed si res illa adhuc extet, à Domino revocari quibit; si verò consumpta, aut alienata sit, non erit aliquid illius loco reddendum, sed Domino peribit.: & ita docet Sanchez *in Decalog. tom. 2. lib. 7. c. 18. n. 22.*

Ad sextam probationem, distinguo minorem. 60 Posse rem vendere, consumere, &c. proprium est dominij, non autem vsus. Non est proprium vsus limitati, & dependentis, ac revocabilis, concedo maiorem; non est proprium vsus absoluti, & independentis, ac irrevocabilis, nego maiorem. Similiter distinguo minorem. Habens vsum rerum consumptibilium vnico actu, potest illas vendere, consumere, &c. Habens vsum illimitatum, independentem, & irrevocabilem, concedo minorem; habens vsum limitatum, nego minorem. Et distinguo consequens: ergo habens vsum dictarum rerum, habet verum dominium illarum. Si habet vsum independentem, concedo consequentiam; si habet vsum dependentem, nego consequentiam.

Ad septimam respondeo Fratres Minores posse 61 alienare res vsu consumptibiles, quibus vtuntur, transferendo illarum dominium, non minus ac illud transfert quilibet alius illarum dominus; sed quia hoc possunt ex voluntate Summi Pontificis, veri illarum Domini, potentis, quidem voluntatem mutare, non indè sequitur ipsos Fratres dominium habere dictarum rerum. Et ita respondet Sanchez *vbi proximè.*

Nec obstant Iura ibi allegata. Quia prædicti PP. 62 Minores ius habent ad alienandum, non vtique proprium; sed à Sede Apostolica delegatum. Vnde ad regulas vtriusque Iuris, dico, verum esse neminem posse nomine proprio, & propria ex authoritate, quod non habet, aut plus quàm habet in aliū transferre; benè tamen id efficere potest nomine, & authoritate Domini, concedentis ad id facultatē. Et tunc quidem transfert quod habet, nomine Domini. Et ad *c. Quod autem,* dico, benè posse de Iure

donare

donare nomine alieno, (Domino scilicet,) qui nomine ptoprio donare nequit, & tunc quidem pro dato habebitur.

63 Ad octavam probationem tespondeo cum Sanchez *loco allegato*, non remanere inutile Dominium rei vsu vnico consumptibilis, penes concedentem revocabilitet illius vsum: cum integrum concedenti sit, in quolibet instante, quo tes consumpta oon fuerit, vsum præfatum revocare. Vndè concedo, ridiculum esse, & absurdum remanere Dominiom rei, iam actu consumptæ, penes concedentem vsus eius. Nos autem id non asserimus, sed quod retento Dominio directo, cum facultate revocandi ante actualem consumptionem rei vsu consumptibilis, possit quis illius vsum, seu ius vtendi illa, alteri dependenter concedere. Quarè concessa maiori, & minori, concedo etiam consequentiam: ergo tidiculum est temanere inutile terum Dominium penes alterum. Quia contraria nobis non est.

64 Ad nonam, concessa maiori, nego minotem. Quia aut ille, qui eleemosynam Fratribus, seu Religiosis confert, vult Dominium tei conferre simul cum eius vsu, seu cum Iure vtendi illa, aut non. Si ptimum, Conventus huiusmodi Religiosotum, si capax Dominij sit, (vt verè sunt omnes, præter Conventus Capucinorum, & Minorum de obsetvantia,) Dominium rei acquirit, si autem Conventus, cui addicti sunt Religiosi eleemosynas recipientes, Dominij capax non sit, illius Dominium Sedes Apostolica acquirit, quamvis id expressè donans noo intendat. Quia vt argumentatur, Dominium penes aliquem debet esse. Non penes dantem, quia intendit donare, & eo ipso Dominium, ptovt vult donare, de facto donat; non penes Religiosos, quia, incapaces Dominij sunt: ergo penes eum, cui de Iure competit: Monasterium, scilicet, aut Papam. Si autem eleemosynam cooferens Dominium non intendit transferre simul cum Iure vtendi illa, penes se illud retinet.

65 Ad vltimam, nego cum Sanchez, *dicto num. 22. in fine*, non posse intelligi, & fieri traditionem vsus, seu Iuris vtendi te vnico actu consumptibili, absque eo quod perfectè tes ipsa tradatur vsuatio. Quia taliter conceditur illi facultas consumendi tem, vt ipsa re stante, libera sit Domino potestas, facultatem concessam revocandi.

DVBIVM XIV.

An Religiosi privati vitium proprietatis admittant, si absque Prælati licentiâ, saltem implicita, & præsumpta, amico, propinquo, aut pauperi in notabili quantitate largiantur pitantiam, portionem, seu rationem sibi pro sustentatione assignatam?

BREVIARIVM.

Conviva.

Solùm vsum simplicem facti habet, non Dominium, respectu eorum, quæ illi apponuntur in convivio, num. 7.

Furtum committit, qui se introducit conviva, cautè illapsus inter invitatos, n. 8.

Dominium.

Rei Dominium conceditur ad concessionem vsus corruptivi illius independentis; secus ad concessionem dependentis, n. 11.

Furtum.

Qui non invitatus ad convivium, inter invitatos illabitur, furtum committit, n. 8.

Religiosus, qui aliquid tollit à communitate, furtum admittit, n. 8.

Paupertas Religiosa.

Religiosi per professionem, non solùm abdicant à se omne Ius temporalium rerum, etiam vnico actu consumptibilium, sed etiam vsum simplicem actualem independentem à Prælati voluntate, num. 7. 9. 14.

Mortaliter paupertatem violare Religiosum, docent Ledesma, & Peyrinus, si extra Ordinem suum pecunias, aut aliud præter comestibilia donet, in quantitate sufficienti ad furtum: & intra ordinem vltra valorem 12. regalium valorem. Comestibilia verò, Bellaria, conservas, & huiusmodi, liberiori manu admittunt posse exteris dari, & largissimè eiusdem Ordinis Religiosis, etiamsi res magni sint pretij, n. 15. 16.

Proprietas.

Religiosus, qui absque licentiâ, pauperi concedit portionem sibi assignatam, in sententia Caramuelis, proprietarius non est, n. 1. 2. 3. 4.

Sed contraria sententia, tanquam vera ampectitur, à num. 5.

Admittit Caramuël peccare contra obedientiam si contrarium iusserit Abbas n. 2.

Et contra vrbanitatem si cum aliis comedat cibo communi sine portionum distinctione; si tamen omnes donare nolint. n. 3.

Religiosus invitatus ad prandium à sæculari sine consensu saltem tacito Prælati, proprietarius est, si comedendo, aut bibendo, materiam valoris insumat, oum. 6.

Servi.

Solùm habent purum, & simplicem vsum facti alimenti, & indumenti, o. 7.

Vrbanitas.

Quanta sit vrbanitatis obligatio, ostenditur. n. 3.

Vsus.

Purus, & simplex vsus independens à Prælati voluntate sufficit ad voti paupertatis fractionem, numero. 6. 7.

IN hac difficultate noster Ioannes Caramuël, *in Regulam S. P. N. Benedicti, disput. 59. resolut. 9.* sententiam tenet negativam. Quatuor enim ibi Conclusiones educit ex secunda sententia quam (sequutus est) & dubio præcedente impugnavimus, quæ vna post altetam, sic se habent.

Prima Conclusio est: *Posse Religiosum sine licentiâ sui Prælati, quin contraveniat voto paupertatis, largiri rationem suam, seu pitantiam pauperi, aut amico.* Pro quâ tationem hanc reddit. Quia iam acquisivit verum Dominium in huiusmodi rationem. Ei enim (inquit) fuerat concessus vsus, qui noo distinguitur ab ipso Dominio vsus inquam (ait) non ille, qui habetur re illæsa, sed corruptivus, qui est actus Dominij vsuarij. 1

Secunda Caramuëlis Conclusio est. *Non poterit talem donatiunculam suæ rationis facere, si contrarium iusserit ei Abbas.* Quia ipse vovit obedientiam secundùm Regulam: & hæc damnat *cap. 54.*

talem actionem, his verbis. Nullatenus liceat Monacho, neque à Parentibus suis, neque à quoquam hominum, nec sibi invicem, litteras, aut eulogia, aut quælibet munuscula accipere, aut date sine præcepto Abbaris sui. Ita ille, qui benè adnotat, huiusmodi donantiunculas non solùm posse prudenter interdici, sed in multis locis de facto esse interdictas. In quâ tamē casu iterum adnotat, quod huiusmodi interdictum violans, peccabit contra obedientiam, non verò contra Paupertatem.

3 Tertia præfati Doctoris Conclusio, huiusmodi est. *Si Monachis non detur portio determinata, sed ponantur cibi communes in mensa, vt vnusquisque comedat, quod voluerit, stando voto paupertatis, possit Monachus accipere in suo orbe aliquid, quod alius comederet, & mittere ad amicum, vel pauperem: stando vrbanitati, non possit* (& vix reperitur obligatio non naturalis vrbanitate maior) ita video ex mensis Principū orbes ad famulos antiquiores, ad digniores mitti (puta ad Capellanos, Oeconomos;) sed quando adsunt convivæ nihil mittitur; est enim in vrbanitatis genus, quòd cibi ante adventum convivarum efferantur. Quod si comederent quatuor, vel quinque Monachi simul, & omnes vellent aliquid mittere ad communem amicum, nihil facerent contra paupertatem, aut contra vrbanitatem.

4 Conclusio quarta Caramuëlis, sic se haber. *Si Grangiario determinetur congrua pro singulis annis, & ipse plus insumpserit, erit gravamini Monasterio; si minus, poterit, sine Monastery gravamine, de residuo pauperibus, amicisque subvenire.* Vera est, nec à me tamen vnquam meis permittenda, nec confulenda amicis; multa enim præyideo inconvenientia: quæ possunt facilè caveri hanc ipsam potestatem regulari præcepto limitando. Probatur ex dictis: quia sicut portio est congrua vnius diei, sic congrua est portio vnius anni. Ita Ludovicus Beja, *in respons. casuum continentie par. 4. c asu* 32. Cenedus, *de Paupertate, resolut.* 19. & Pcyrinus, *de Religioso subdito, tom. 1. quæst. 1. cap. 1. §. 6.* Confirmatur ex Diana, *resolut.* 32. & Authoribus quos ibi allegat. Hæc omnia Ioannes Caramuël.

CONCLVSIO.

5 Sententia nihilominus affirmans, vitium proprietatis admittere omnem Religiosum cuiusuis Ordinis, qui absque licentiâ Prælati sui, saltem implicita, & præsumpta, donaverit, aut alienaverit, quæ sibi ad victum, & honestos vsus conceduntur, etiam pitantiam, portionem, seu rationem sibi assignatam amico, aut pauperi largiendo in notabili quantitate, vera est, & tenenda ab omni, qui paupertaris vinculo adstrictus, suæ salutis memor, lethale crimen fugere velit.

6 Hanc tenent, Pellizzarius *in Manuali Regular. tom. 1. tract. 4. cap. 2. sect. 3. num.* 220. cum Sylv. *verbo Religio 6. quæst. 7.* Soto, *de Inst. quæst. 1. art. 1.* D. Antonino *in Summa, part. 3. tit. 16. cap. 1. n.* 11. & cum communi apud Suarez mox citandum *cap. 15. num.* 8. Augustinus Triumphus, *de Potestate Ecclesiastica, quæst. 79. art. 4. ad 5. argumentum*, Bartholomæus à sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib. 8. quæst. 45. num. 18. quæst. 60. num. 7. & n. 12. versic. Decimò dico, & quæst. 151. & 155.* Emmanuël Roderiquez, *tom. 3. quæstionum Regularium, quæst. 19. art. 10. Conclus.* 3. Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologia, lib 4. de* Statibus, *cap. 1. dub. 4. casu* 4. cum Francisco Suarez, *tom. 3. de Religione, lib. 8. cap. 11.* Layman, *lib. 4. tract. 5. cap. 7.* Lessius, *lib. 2. de Iustitia, cap. 42. dub. 8. n. 72. versic.* Quintò. Sanchez, *in Decalogum, to. 2. lib. 7. cap. 19. n. 53. & cap. 21. à num.* 31. Azorius, *institutionum Moralium part. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 7. versic. Si iterum roges.* Antonius de Escobar, *in Theologia Morali, cap. 6. cap. 3. examine 7. num.* 47. Peyrinus, cum Petro Ledesma. Illius verba *infrà* recenseo, *num.* 15. Amicus, *tom. 5. disp. 14. num.* 54. ibi. Qui poculenta, & *num.* 57. quatenus docet peccare contra votum paupertatis Religiosum, qui saltem sine tacito consensu Prælati, invitatus ad prandium à sæculari, edendo & bibendo consumit materiam notabilis valoris, quia sufficit purus vsus independenter à voluntate Superioris; vt sit contra votum paupertatis.

7 Eandem sequitur noster Fulgentius des Oviedo, *in Republica Regulari, part. 1. tract. 9. cap. 1. quæst.* 4. vbi quæsito, An Religiosos habens vsum rerum vsu consumptibilium, possit dare alteri, vt si det portionem carnis, obsonij, vel panis sibi ad propriam sustentationem taxatam ex dispensatione Ordinis? sic resoluit. Respondetur, & sit resolutio negativa. Quia cum Religiosus non possit habere Dominium talis rei, nec vsum Iuris, sed tantùm vsum facti, seu simplicem, sicut invitatus ad prandium, & seruus respectu indumenti; quo vestitur, (vt dictum est, non potest disponere nisi secundùm vsum sibi concessum. Et sic quidquid residuum fuerit de sua refectione, etiam non comedendo, quod posset, nullo modo licebit illi donare. Licet enim hoc possit referri ad vsum facti, tamen Iure communi, qui profitentur in Religione approbata abdicant à se omnem vsum rei, perindè ac si tacitè promittat non se vsurum rebus renuente Prælato, nesciente: vt insinuant Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharranus, & cæteri, *in cap. Cum ad Monasterium, de Satu Monachorum*, Archidiaconus, Turrecremata, in *cap. Non dicatis, 12. quæst. 1.* Angelus, Sylvester, Tabiena, & reliqui Summistæ, *verbo Religio*: quod quidem maximè est advertendum.

8 Hactenus Oviedo, & benè quidem; non ita benè, & consequenter *quæst. 6. num.* 43. idem Author, quæ sequuntur fassus est. Consumere res etiam in proprios vsus, nempè comedendo extra necessitatem, aves, aut alia cibaria, aut ad vestiendum, rollere de vestuario communitatis, tunicas, aut alios pannos, res inquam omnibus Religiosis deputandas, dividendas, & administrandas ipsis pro necessitate singulorum, ad arbitrium legitimi administratoris debet fieri, qui est Prælatus: & sic iste talis Religiosus, sic delinquens peccaret contra septimum Decalogi præceptum, quia furtum committebat, cum tolleret aliquid à communitate invito Domino, qui est communitas, & Prælatus; non autem directè peccaret contra votum paupertatis, cum illas res consumptibiles vsu (de quibus præcisè procedit doctrina) non virtute alicuius Iuris, qood prætendat ad illas habere, & quod opponitur voto paupertatis, sed solùm ø simplicer sibi vsufacti, sicut si fraude quis se introduceret conviva, cautè illapsus inter invitatos, qui solùm saturari cupiat: vnde nec sacrilegium iste Religiosus committit, cum hoc non sit frangere votum.

9 Hæc ad amussim P. Fulgentius, satis sibi inconsequens, & veræ doctrinæ dissonans. Quia si qui profitentur in Religione approbata, abdicant à se, non solùm omne ius rerum, etiam vsu consumptibilium,

bilium, sed earum vsum, perindè ac si tacitè pro-mittant, non se vsuros rebus, tenente Prælato, aut nesciente, vti benè docent quàm plurimi Doctores. quorum aliquos, & certè non paucos, *dicta quæst.4. vbi proximè, allegat*, & sequitur præfatus Author, quibus addo Amicum *vbi proximè*, & Ioan. Martinez de Prado *in Theologia Morali, tom.2. cap.21. §.4. num.28. versic. Ratio.* quo pacto, verum erit, & consequens, non peccare directè contra votum paupertatis Religiosum, propria ex authoritate, seu invito Prælato applicentem sibi vsumfacti rerum vsu consumptibilium, neque sacrilegium committere? Nullo prorsus.

10 Ratio fundamentalis nostræ sententiæ, affirmantis peccare mortaliter, ex vitio proprietatis, Religiosum largiendo portionem, sibi pro sustentatione assignatam, in notabili quantitate, absque Prælati venia, saltè interpretativa præsumpta, aut virtuali, est. Quia expendere bona, propria ex authoritate, est actus veri Dominij. (Nullus negare quibit, qui doni naturam sciat.) Sed nullus Religiosus Dominus est portionis, sibi pro congrua sustentatione assignatæ, vti dubio vidimus præcedente: ergo nullus Religiosus absque vitio proprietatis largiri potest portionem sibi pro sustentatione assignatam, licentiâ Prælati, saltem præsumpta, non interveniente.

11 Ad id autem, quod dicit Caramuël, per concessionem vsus rerum vsu consumptibilium, concedi Religiosis Dominium illarum, quia conceditur illis vsus rerum corruptiuus; respondeo, non sufficere ad translationem Dominij, huiusmodi rerum, qualemcumque vsum, illarum corruptiuum; sed solùm independentem, absolutum & irrevocabilem: cuius incapaces sunt Religiosi omnes in particulari. Vndè, quamvis illis vsus corruptiuus substantiæ, pitantiæ, seu rationis de facto concedatur, concedi nequit illius Dominium.

12 Ex quo patet, peccare, non solùm contra obedientiam, & vrbanitatem, sed etiam contra paupertatem Deo promissam, Religiosum donantem portionem, sibi pro sustentatione assignatam, amico, aut pauperi, in casibus tertiæ, & quartæ Conclusionis. D.Caramuëlis. Nec contrarium dicunt Diana, & Peyrinus, quos pro sua allegat sententia præfatus Doctor. Diana enim *part. 1. tract.6, de paupertate Religiosa, resolut. 32.* ab illo citata, solùm disserit, An Religiosi post concilium Tridentinum, possint habere peculium, id est, redditus annuos ad nutum Superiorum revocabiles, & ad solos vsus honestos, & pios, idque ex causa legitima? & respondeo affirmativè cum eisdem Cenedo, Peyrino, & Fagundez, Villalobos, Tannero, Fabro, Riccio, Navarro, Graffio, Sà, Sanchez, Miranda. & S.Fausto, quos omnes pro eadem citavi responsione, *suprà dub.2. num. 50.* & eisdem locis, quibus ipse Diana, quem & Caramuëlem, Bejam, ac alios multos pro illa recensui Doctores.

13 Peyrinus nec Caramuëli favet, quia inquisito in allegato §. *vtrum Religiosus possit aliquid donare absque Prælati licentiâ?* Respondet. Dicendum est, Religiosum non posse aliquid notabilis quantitatis donare, etiam ex iis, quæ sibi sunt ad vsum concessa, tàm intra, quàm extra Monasterium, absque Prælati licentiâ tacita, vel expressa, & contra faciens mortaliter peccat contra votum paupertatis. Ità D. Antoninus, *3.part.tit.16. cap.1.§. 11. notab. 2. & 4.* Sylvester, *verbo Religio, 6. quæst.7.dub.4.* Passarellus, *in Compend. privilegiorum Minorum, post cap. 43. tit.de proprietate abdicanda, versic. Si verò Religiosus*, Rodriquez, *tom.3.quæst. Regular. quæst.29. art.10. Conclus.3.* Lessius, *lib. 2. de Iust. cap. 41. dubit.9. num. 79. versic Quintò*, Sanchez, *7.in Decalogum, cap.19. num.64.* Barth.à S.Fausto, *de vitio proprietatis, quæst.42.* Bega, *4.p. Casuum, casu 32. versic. Quod autem spectat.*

Probatur, quia vsurpat rem tanquam propriam, 14 quando eam vsurpat independenter à voluntate Prælati, & sic se gerit tanquam Dominus. Adde, quod vsuarius potest frui re ad vsum sibi concessa, non tamen alteri dare, vt dictum est suprà, & Religiosus est simplex vsuarius facti. Huc vsque Laurentius de Peyrinis, in genere, de concessis Religiosis ad vsum, in specie autem de comestibilibus, eodem prorsus modo quæsitui pro nobis, & contra Caramuëlem, illum pro sua sententia allegantem, respondet dicens.

Notat autem Ledesma, *de statu Religios. in communi, cap.4. Conclus.3. dub. 6.pag.95. versic. Est difficultas*, quod trium bonorum genera, potest 15 subditus de Prælati licentiâ possidere. Primum est pecunia: secundùm res ad ornatum cellæ, & propriæ personæ: tertium rerum aliquarum comestibilium, vt sunt bellaria, conservæ, & aliud genus. Pecuniam nec intra, nec extra Religionem potest distrahere in notabili quantitate, absque Prælati licentiâ. Notabilem autem quantitatem quoad seculares, & Religiosos alterius Religionis dicit esse eam, quæ sublata invito Domino esset peccatum mortale in materia furti. Quoad Religiosos verò eiusdem Religionis, ait non esse materiam notabilem duodecim regalia, quia hîc non transfertur Dominium, sed solùm vsus, & Superior potest optimè disponere de his in manu recipientis, sicut poterat in manu dantis. Circa secundùm genus rerum, ait similiter, esse mortale contra paupertatem donare aliquid sæculari, vel Religioso alterius Religionis, quod ablatum invito Domino esset mortale in materia furti. Religioso autem eiusdem Religionis potest liberiori manu donare, v.g. tunicam, vel librum valentem duodecim regalia.

Quoad tertium verò genus bonorum, habitum 16 de licentiâ Prælati, potest liberiori manu eum sæculari, & Regulari alterius Religionis dispensare; & largissimè eam Religiosis sui Ordinis, etiamsi res illæ comestibiles sint magni pretij, quia in istis semper præsumitur licentia Prælati. Hæc in Summa habet Ledesma, loco citato, *toto illo dub.6.* quæ mihi videntur satis rationi conformia. Hactenus Peyrinus, quem ad amussim reddere libuit, ad demonstrandùm, in nostra fuisse sententia, & non benè pro sua illum Caramuël allegasse.

DVBIVM XV.

An absque vitio proprietatis, res aliqua concedi possit Religioso, ad vsum irrevocabilem?

BREVIARIVM.

Bona.

Prælatus, & Conventus inter se possunt dividere bona, propria authoritate, sed revocabiliter, n. 4.

Omnia Religiosorum bona, Monasterio debent esse incorporata, & Prælati administrationi subiecta, n. 21.

Facere

Facere.

Aliquid facere nolle, est idem, ac vti fraude, vt non fiat, num.20.

Genetalis.

Nostra Congregationis Generalis eximere non potest Religiosum ab obedientia Superioris localis: neque ei licentiam dare, aut privilegium pro Ordinario modo vivendi intra Monasterium, nisi in casu, quo illam denegaverit Superior: & tunc vtroque audito, n.8.

Obligatio.

Civilis obligatio non resultat in Regulari Prælato, & in Domino, ex contractu inito, cum subdito aut servo, num.13.

Resultat tamen naturalis, n.15.

Papa.

Dispensare non potest cum Religioso, Religioso manente, in castitate, neque in habendo proprio, numero 2. 3.

Generalis est Generalissimus omnium Religionum, & cuiuslibet, n.5.

Potest Religiosis rem concedere, quam Prælati Regulares revocare nequeant, n.5.

Paupertas Religiosa.

De essentia illius est, nihil habere, nisi dependenter à Superioris voluntate, n.3.

Religiosus, cui Papa aliquid concessit, tenetur illud suo manifestare Prælato, nisi constet Papam, illam concedere, solùm dependenter à se, n.6.

Probabile est Religiosum de Generalis, aut Provincialis licentià, aliquid habere posse independenter à Prælato locali, n.7.

Sed contrarium probabilius, n.9.

In nostra Congregatione pars negativa certa est, & in Religionibus, quæ id prohibuerint per Constitutiones, Diffinitiones aut consuetudinem legitimè præscriptam, n.8.

Prælatus Regulatis.

Prælatus, qui aliquid subdito concessit, cum promissione illud non revocandi, validè potest revocare, num.10.12.13.14.

Sed non licitè, nisi adsit iusta causa, n.10.15.

Idem dicitur de successore, n.11.

Prælatus successor, stare tenetur contractibus prædecessoris, & sub eadem obligatione, num.11.

Prælatus, & Conventus, propria ex authoritate, possunt inter se bona Monasterij dividere; revocabiliter tamen, n.14.

Ptoprietas.

Parati ex animo esse debent omnes Religiosi ad assentiendum Prælato revocare volenti peculium, & statim ac revocatur, tenetur illud tradere, sub vitio proprietatis, n.16.19.20.21.

Limita in casu, quo aliunde satis Religiosis provideatur, n.17.

Religiosus aliquid occultans Prælato, ne ab eo auferatur, esto ab eo fuerit concessum, proprietarius est, num.17.18.

Excipiuntur casus aliqui, in quibus à culpa mortali excusatur, licet non à veniali, n.18.

Proprietarius est, & peccatum scandali admittit, qui murmurationibus, aut aliis modis nititur, ne sibi id, quod habet auferatur à Prælato, modò murmuratio, aut querimonia, &c. notabilis sit, n.22.

Idem est de eo, qui similibus mediis, vel precibus importunis vi, dolo, aut metu licentiam impetrat ad accipiendum, retinendum, expendendum, n.23.

Religiosi.

Ita se habent ad suum Prælatum, sicut servus ad Dominum suum, n.13.

Nulla eis obedientia ad vitam committi potest, sed amovibiliter ad Superioris nutum, n.12.

Vsus.

Irrevocabilem rerum vsum, nec Summus Pontifex, Religioso concedere potest, n.1.2.3.

CONCLVSIO.

REspondEo, nullum Superiorem posse Religioso rem aliquam temporalem, quæcumque illa sit, ad vsum irrevocabilem concedere. Ita docent Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom.1. part.1.cap.6.num.*26. cum Ludovico Lopez, *par.1. instruct.cap.*154. & Corduba *in Summa, quæst.*54. *notab.* 2. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.8. quæst.*33. Navarrus, *to.1. consiliorum, lib. 3.tit.de Statu Monachorum, consil.* 15.*num.1. pag.mihi* 1017. Laurentius de Peyrinis, *tom.1. de subdito, q.2.cap.2. versic. Nota IV.* Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.1. tr.4. cap.2. sect.3.num.*191. cum Layman, *lib.4. tract.5. cap.7. num.*19. alios adducente. Etsi concedatur (addit Pellizzarius) Superiorem posse nihilominus revocare illum, eo quod inter Monachum, & eius Prælatum, nulla cadat obligatio naturalis: quod tamen negat Sanchez suprà (scilicet *in Decalogum, tom.2.lib.6.) cap.17. num.*33. Aliàs concedens revocationem, si fiat, esse validam, licet sit illicita. 1

Consultò dixi: *nullum Superiorem*: vt etiam 2
Summis Pontifex, à facultate, ita rem aliquam temporalem alicui Religioso concedendi, excludatur. Non enim in hoc dispensare potest, nisi simul dispenset in voto paupertatis, docent Glossa *in cap. Cum ad Monasterium*, verbo *Abdicatio, el 6.de Statu Monachorum*, Lezana, cum Lopez, & Corduba, *vbi proximè*, Sanchez, *in Decalogum, tom.2. lib.7. cap.17. num.*29. cum Rosella, *verbo, Abbas, num.*10. Sylvestro, *eodem verbo, quæst.* 5. *num.6. dicto* 7. Angelo *ibidem, num.*17. & Turrecremata *in con. Non dicatis, causa* 12. *quæst.1.ar.2. num.*3. Bartholomæus à Sancto Fausto, *dicto lib.8. quæst.* 34. Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.1. tract.4. cap.2. sect.3. num.* 192. cum Rosella, & aliis. Et constat apertè ex dicto *cap. Cum ad Monasterium*, vbi ita Innocentius Papa III. Nec » æstimet Abbas, quod super habenda proprietate, » possit cum aliquo Monacho dispensare: qoia ab- » dicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, » adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra » eam, nec etiam Summus Pontifex possit licentiam » indulgere. Hæc in illa Decretali.

Ratio autem nostræ responsionis est. Quia de 3
essentia Religiosæ paupertatis est, nihil habere nisi dependenter à Superioris voluntate. Habere enim temporalia, seu res pretio æstimabiles independenter ab alterius voluntate, est habere proprium, & verum illarum Dominium. Sed habere proprium nullus Superior, neque Summus Pontifex concedere potest Religioso, Religioso manente: ergo neque illi concedere valet rem vllam pretio æstimabilem, independenter à Superioris voluntate, seu ad vsum irrevocabilem.

Pro dubij pleniori resolutione, operæpretium 4
duxi, alia breviter discutere, dilucidare. Primum, *An possit Papa Religioso concedere rem aliquam, quam Prælati Regulares nequeant illam revocare, & ab illis independentem?* Secundum, *An Religiosus, cui Papa aliquid concessit, illud suo Regulari Prælato manifestare teneatur?* Tertium, *An Religiosus de*

sui

sui Generalis, aut Prouincialis licentia, habere possit peculium aliquod independenter ab immediato Prælato locali? Quartum, *An si de facto aliquis Prælatus Religioso aliquid concedat, promittendo se non revocaturum licentiam, possit nihilominus illam revocare?* Quintum, *An Religiosi statim ac à Prælato revocatur licentia habendi aliquid, debeant illud resignare, & Prælati dispositioni tradere?*

5 Ad primum respondeo, benè id posse, non solùm qua Summus Pontifex, sed qua Generalis Generalissimus est omnium, & cuiuslibet Religionis: ita docent noster Graffis *in decisionibus aureis, part.1. lib.3. cap.5. num.42. & numer.52. ex cap. Proposuit, de concessione præbendæ. Et can. Cuncta per modum, causa 9. quæst.3.* Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom.1. part.1. c.6. numer.16.* & Corduba, *in Summa, quæst.* 54. Navarrus, *tom.1. consiliorum, lib.3. tit. de Statu Monachorum, consil.14. numer. 16. & consil.15. numer.2. ex redditis iuribus, & ex cap. Ad nostram, & cap. Porrecta, de confirmatione vtili, vel inutili, & ex inibi adnotatis.* Pellizzarius *dicto, num.* 192.

6 Ad secundum respondeo, teneri. Quia semper est credendum Summum Pontificem concedentem, velle Ordinis iura seruari. Ita Lezana *vbi proximè*, qui tamen bene limitat, nisi constet Papam rem concedere solùm dependenter à se tanquam à Superiore Ordinis. Tunc enim dici nequit, Religiosum possidere aliquid contra Superioris voluntatem: cum illud possideat voluntate Papæ, qui est supremus Ordinum omnium Regulariũ Superior. Quocirca Vrbanus Octavus, *Constitut. 7. de Regulis Chancellariæ, Reg.* 39.
» Ita decreuit. Item voluit, & Ordinauit, quod
» si aliqui Religiosi petunt aliquod beneficium ad
» nutum amouibile cum clausula, quod exindè
» pro solo nutu Abbatis, vel Superioris amoveri
» non possint: literæ, quoad ipsam clausulam,
» nullatenus expediantur, nisi idem D. N. ponat
» in signatura, quod non possint amoveri, vel ad
» partem clausulam ipsam concedat.

7 Ad tertium dico, probabile esse, posse Religiosum independenter à Prælato locali habere peculium aliquod de Prouincialis, aut Generalis licentia, vti sentiunt Pellizzarius, *vbi proximè* cum Sanchez, Bartholomæus à sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum lib.8. quæst.* 35. & Sanchez *in Decalogum, tom.2. lib.7. cap.19. num.*51. ibi: vel statim scribit Prouinciali, &c. Ratio est. Quia sic se habent Generalis, & Prouincialis ad Prælatum localem, seu immediatum cuiuslibet Conventus, sicut se habet Papa in quantum Prælatus supremus Religionis, ad Generalem, Prouincialem, & Conventualem Prælatum. Ergo sicut Papa, qua Prælatus Religionis, potest alicui Religioso peculium concedere omnino independenter à quolibet alio Religionis Prælato, ita Generalis, & Prouincialis, respectiuè id poterunt concedere omninò independenter à Prælato locali.

8 Quod tamen fallit in casu, quo in Religionibus, per suas Constitutiones, Definitiones, aut consuetudinem legitimè præscriptam, aliter statutum inveniatur, provt de facto in nostra Benedictina Congregatione Hispana statutum invenio, in Constitutionibus S. Facundi, *cap.*24. ibi. *El Reuerendissimo no podra eximir à Monge alguno, ni à otro Religioso, ni Religiosa, ni exemptarlos de la obediencia debida à su Abbad, Abbadesa, o Superior que tubiere, ni de que cumplan los mandamientos, y censuras, que respectiuamente, y conforme a constituciones les pusiere: y las licencias, y priuilegios, que se ayan de pidir, para el modo de viuir ordinario, dentro en los Monasterios, como para no guardar los ayunos regulares, comer carne en dias prohibidos, Vsar lienço, tener y gastard dineros, y otras semejantes licencias, todas se ayan de pedir a los Prelados de los Monasterios, y a ellos perteneze el darlas conforme a constituciones. Mas si algun Religioso, haviendo pedido alguna licencia, se sintiere agrauiado de que el Prelado no se la quiere dar, podrà tener recurso al Reuerendissimo General, el qual le guardara justicia oydas las partes.*

Notanter dixi, *probabile esse*: quia probabilius est contrarium. Latè enim probavi *in Disquisitione Canonica, de Iure, & potestate Prioris Conventualis annexi, à numer.* 82. non posse Generalem subditum eximere à potestate inferioris Prælati. Et Navarrus *tom.1. consiliorum lib.3. tit.* de Statu Monachorum, *consil.15, numer. 1. in 2. editione.* Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.2. part.1. tract.9. cap.3. sect. 3. quæst.19. numer.* 69. cum Portellio, quem recenset, *in dubiis Regularium, verbo Prælati potestas, numer.* 8. Hieronymus Garcia, *in Politica Regulari, tom. 2. tract.* 10. *difficult. 8. dub.1. puncto 1. numer.*4. Laurentius de Peyrinis, *de Prælato, quæst.1. cap. 4. §.4. num.* 74. *pag.* 279. cum Corduba, *in compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo Absolutio, versic. Item. Et vers. Accedere ad Monasteria Monialium, ad finem.* Parazello, *in Scholiis*, Miranda, *tom. 2. Manual. quæst. 19. articul.* 5. & alij docent non posse Prælatorum inferiorum potestatem limitare. 9

Ad quartum respondeo, posse Prælatum revocare licentiam validè, non tamen licitè, nisi adsit iusta causa. Ita Navarrus, *vbi proximè consilio 14. in responsione ad secundum dubium à num.* 8. Lezana, *in Summ. quæstionum Regular. tom.1. part.1. cap. 6. numer.* 26. cum Sylvestro, *verbo Abbas, quæst.4. numer.*7. Barth. à S. Fausto, *in Thesauro, lib. 8. quæst.* 36. & 37. Pellizarius, *tract.4. cap.2. sect.3. num.*191. cum Sanchez, *in Decalogum, lib. 6. cap. 17. numer.* 33. quem & Navarrum *lib. 3. consil. de Regularibus, cons. 20. numer.* 13. recenset, & sequitur, *tom. 2. tract.* 10. *cap.4. sect.1. num.*10. & addit cum eodem Sanchez *numer.* 34. non esse vniuersaliter verum, quod ait Surdus de alimentis, *tit.8. priuileg.79. num.*5. posse scilicet Superiorem Regularem pro libito auferre Monacho, quod semel illi permisit: id enim solùm esse verum aiunt, quando nulla intercessit promissio non revocandi, sed mera licentiæ concessio: aut certè quando aliunde consuleretur necessitati Religiosi iuxta moderationem statui Religioso debitam. 10

Et ex proprio addit Pellizzarius, *numer.* 11. hoc esse verum, etiam respectu Prælati successoris, istum scilicet, non posse sine iusta causa revocare rem concessam à suo prædecessore. Et ratio est, quia Prælatus successor tenetur stare contractibus sui Prædecessoris, & sub eodem obligationis genere, quo prædecessor tenebatur. Vnde cum in 11

hoc casu prædecessor renebatur stare promissione solùm ex fidelitate, sic & successor solùm ex fidelitate tenebitur eidem stare promissioni: & sicut prædecessor poterat validè revocare, quamvis illicitè: sic & successor illicitè, sed validè revocare, quatenùs Religiosus nullum ius habet, sicut nec velle.

11 Quod validè possit, probatur *primò* ex *cap. Cum ad Monasterium*, §. *tales*, *de Statu Monachorum*. Vbi sic decernitur. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur; sed cum oportuerit, à Superiore sine contradictione aliqua revocetur.

12 *Secundò* probatur. Quia Monachus ad suum Abbatem, seu Prælatum, ita se habet, ac se habet servus ad Dominum suum. Sed Dominus per nullum contractum servo suo ciuiliter obligatur, etiam per transactionem, *l. inter positas, in fine, Cod. de Transactionibus.* Ergo nec Abbas, aut Prælatos per vllum contractum subdito suo obligati potest civiliter.

14 Probatur *tertiò*. Quia licet Prælatus, & Conventus ex propria authoritate possint dividere inter se Monasterij bona, iuxta textum *in capite Edoceri, el. 21. Rescriptis* & ibi Doctores; non tamen irrevocabiliter. Ergo nec poterunt irrevocabiliter aliquid Religioso concedere particulari.

15 Quod tamen licitè, & in foro conscientiæ, sine iusta causa ad id cogente, nequeat Prælatus revocare, quod perpetuo subdito Religioso concessit, probatur hac firma, ac solida hac ratione. Quia sicut Dominus obligari potest servo suo naturali obligatione descendente à pacto, vel contractu, *l. Naturaliter*, & *l. si aliquod*, *ff. de conditione indebiti*, ita etiam Prælatus obligari potest subdito. Ergo sine iusta causa nequit licitè, & absque iuris naturalis iniuria, revocare peculium, quod se non revocaturum promiserat.

16 Ad quintum respondeo, Religiosos omnes, ex animo paratos esse debere, ad assentiendum Prælato, revocare volenti peculium, & statim ac à Prælato revocatur; illud teneri resignare, & Prælati dispositioni tradere; aliàs mortaliter, ex vitio proprietatis, peccabunt contra votum paupertatis.

17 Ita docent Barth. à S. Fausto, *in Thesaur. libr.* 8. *quæst.* 103. & 126. *numer.* 4. Emmanuël Roderiquez, *tom.* 3. *quæstionum Regular. quæst.* 29. *artic.* 10. & 12. *versic. Vnde.* Fulgent. de Ouiedo, *in Republica Regulari*, *part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 1. *quæstion.* 6. Samuëllius, *de Sepulturis*, *tract.* 2. *disputation.* 1. *contract.* 1. *conclus.* 14. D. Antoninus, *in Summa part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 11. ibi. Proprium dicitur, quod celatur Abbati, seu alij Prælato, Sanchez *in Decalogum*, *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *numer.* 60. cum pluribus quos cumulat, *num.* 62. & 63. Sylvester, *verbo Religio* 6. *quæst.* 7. *dicto* 1. *in principio.* Iacobus de Graffis, *in decisionibus aureis*, *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 58. *versic. Sed quid.* Pellizzarius *in Manuali Regularium*, *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *numer.* 197. & fusiùs *n.* 218. cum Lessio *de Iust. lib.* 2. *cap.* 4. *numer.* 32. Petro Navarra *de restitut. lib.* 3. *cap.* 1. *part.* 3. *disput.* 1. *numer.* 179. Layman, *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 8. zepana, *part.* 1. *cap.* 6. *numer.* 27. & Suarez *de Religione*, *tom.* 3. *lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 14. Peyrinus *tom.* 1. *de subdito*, *quæst.* 2. *cap.* 2. §. 1. *versic. Colligitur quartò.* Qui cum Lessio limitat, modo aliundè satis Religiosis prouideatur.

Quod adeò verum est, vt si Religiosus aliquid occultat Prælato, ne ab eo sibi auferatur, etiamsi cum debita licentia id acceperit, proprietarius est, vti bene, D. Antoninus, Bart. à S. Fausto, Samuellius, Roderiquez, Sanchez, Sylvester, Graffis, & alij. Consultò dixi: *ne ab eo sibi auferatur.* Quia quando probabiliter credit, id non fore sibi auferendum, etiamsi non occultaretur, celat tamen, & occultat illud, ne patiatur confusionem, vidente illud Prælato: vel celat ne ab eo reprehendatur, quod ex sola licentia tacita id tenet: vel quia credit Prælatum esse inuitum, non absolutè quoad rem acceptam, sed quoad modum, quo illam accepetit: vel occultat, ne peccatum proprietatis, quod accipiendo rem sine venia Prælati commisit, detegatur, propositum habens rem illam dimittendi, vel statim licentiam obtinendi ad habendam, illo suo non detecto peccato: in his enim, & similibus casibus non peccat mortaliter, sed venialiter tantum, dummodò sit semper paratus suo Prælato omnia tradere quoties intelligeret illum non ei concessurum, ita Samuëllius, à S. Fausto *quæst.* 126. *numer.* 3. Roderiq. *articul.* 10. *numer.* 5. Sanchez *num.* 61. cum Corduba, *in Regulam S. Francisci, cap.* 7. *quæst.* 4. *in* 2. *casu.* Mendoza *in quodlibetis, quæstion.* 8. *conclus.* 4. Peytinus *tom.* 1. *de subdito, quæst.* 2. *c.* 2. §. 3. *versic. Noto secundò.* Pellizzarius *dicta sect.* 3. *n.* 196. 18

Aduertant tamen Religiosi (inquit, Bartholomæus à Sancto Fausto *dicta quæstione* 126. *n.* 5.) tanquam servi Dei, ne illos decipiat amor proprius, aut alia extraordinaria cupiditas, vt putent non displicere Prælatis supra dictum, cum tamen summopere eis displiceat.

Probatur responsio nostra. Quia Religiosus, qui non habet animum promptum ad reddendum Prælato quod habet, quando illum ab eo auferre voluerit, est proprietarius. Principium est in præsenti, Religiosæ paupertatis, materia. Sed qui abscondit, quæ ad vsum habet, ne ab eo auferatur per Prælatum, & reddere non vult revocare volenti, non habet animum promptum ad reddendum illud Prælato, quando illud auferre vult, vti ex se patet. Ergo est proprietarius contra votum paupertatis. 19

Deinde probatur. Idem est in iure nolle aliquid facere, & vti fraude vt id non fiat. Sed qui resignare non vult omnia, quæ habet, omni momento, quo Superior iusserit, est proprietarius. Ergo etiam est proprietarius, qui fraude, & occultatione vtitur, ne reddatur Superiori, quod reddi vult. 20

Denique omnia bona, secundùm Iura, debent esse Monasterio incorporata, & Prælati administrationi subiecta. Sed qui occultat aliquid Prælato, id ab eius administratione, & à corpore communitatis seiungit. Ergo est proprietarius. 21

Ex dictis infero, proprietarium esse, & peccare mortaliter contra votum paupertatis, & peccato scandali, Religiosum illum, qui de Prælato conqueritur, & murmurat, vel aliis modis nititur, ne sibi id, quod habet, per Prælatum auferatur. Quia licentia illa habendi, coacta est, & magis permisiva, quàm concessiva (Multa enim mala fieri permittuntur, ne maiora comitantur.) & ita docent 22

cent Bartholomæus à S.Fausto *dicto quæst.* 126. *num.* 8. Emmanuël Roderiquez, *quæst.* 29. *allegata artic.* 11. *versic. Secundò.* Leonardus Lessius, *lib.2.de Iust.cap.4. dub.5. num.* 25. Pellizzarius, *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 228. cum Layman *lib.4. tract.5. cap.7. num.* 8. Addit tamen Pellizzarius: quod spectat ad resistentem murmure, & querimoniis, non ita facilè talis resistentia reputari debeat mortalis, nisi sit immoderata, & notabiliter excedens, iudicio viri prudentis. De quo vide *dub.*17.

23 Quocirca Laurentius de Peyrinis *tom.1.de subdito, quæst.2.cap.2.§.3.versic. finali*, ita fatur. Nota quartò. Licentia ad aliquid expendendum, donandum seu accipiendum (& idem dicendum censeo, qui transcribo, ad retinendum.) Debet esse voluntaria, non precibus importunis à Superiore legitimo concessa, ad hoc vt subditum excuset, nec vi, dolo, aut metu extorta. Nam tunc subditum non excusat à violatione voti paupertatis, vt pluribus probat Sanchez, *loco citato.* (scilicet *lib.7. in Decalogum, cap.* 12.) *numer.* 16. 17. 18. Debet autem esse concessa ex iusta causa, alioquin non excusat, vt Sanchez, *loco citato numer.* 19. Hactenus Peyrinus. Et Card. de Lugo, *tom. 1. de Iust. disput.3. sect.7. num.* 129. ita fatur. Licentia vt valida sit, debet esse libera, non per metum, vel fraudem obtenta. Vnde si concedatur, quia timet Superior, quod subditus querelas, & murmurationes effundet, non videtur voluntaria, nec sufficiens.

DVBIVM XVI.

An absque vitio proprietatis, Religiosi ludere possint?

BREVIARIVM.

Abbas.

In nostra Congregatione non possunt Abbates per se ipsos solos, etiam de consensu Conventuum, vllum celebrare contractum: nec debita remittere, sine suffragio decisivo maioris consiliariorum partis, n.24.

Administratio.

In Domini commodum solum administrat Oeconomus, n.16.

Sui peculij est administrator Religiosus, in suum commodum, n.16.

Contractus.

Celebrari non possunt à Prælatis Regularibus sine Conventu, maximè alienationes bonorum, n.23. *Quoad nostros Abbates,* n.24.

Oeconomi nostræ Congregationis non possunt vllum alium inire contractum, nisi cum alio Monacho, de mandato speciali Conventus vulgo poder, *quàm emptionis, & venditionis de Abbatis licentia,* n.24.

Ex contractu nullo, nullum ius acquiritur ab vllo contrahentium, n.44.53.54.58.

Contractus est nullus ex parte vtriusque contrahentis, quoties alicui eorum deest disponendi potestas, num.44.54.

Limita in casu, quo quis sciat alterum potestatem non habere: quia iuri suo cedit, n.55.

Ad contractum gratuitum, non sufficit voluntarium mixtum; sufficit tamen ad onerosum, n.70.73.

Qui cum voluntario mixto, cum involuntario contrahit, ratione iniuria sibi illata, habet ius contractum rescindendi, & recuperandi rem alienatam, n.73.

Contractus, æqualis debet omnibus esse contrahentibus, n.44.54.77.

Exceptio.

Ei cui competit actio, competit & exceptio, n.65.

Furtum.

Qui modica, non rarò, furatur, peccat mortaliter, quando ad notabilem pervenit quantitatem, numero 38.

Iesuitæ.

Scholares Iesuitæ ante factam renunciationem, verum Dominium suorum habent bonorum, n.61.

Iuramentum.

Periurus est, qui se non lusurum iuravit, si alteri dat pecunias, vt suo ludat nomine, n.79.

Iustitia.

Obiectum formale, & motivum iustitiæ commutativæ, est bonum æqualitatis, vt non solum quis, quæ sua sunt habeat, sed etiam vt sine suis rebus non maneat, n.53.

Licentia.

Concedi non potest Religiosis à Prælato nisi ad vsus vtiles, necessarios, & honestos, n.14.

Ad vsus superfluos illam dare non potest: neque illa vti subditus, n.30.39.

Ludus quoad omnes.

Alearum, & taxillorum ludus, sub mortali prohibitus est, saltem Religiosis, & clericis in Sacris, & Beneficiariis, n.1.

Alearum ludus comprehendit omnes ludos fortunæ, seu fortuitos, n.3.

Excluduntur aliqui chartarum ludi, qui in solertia, advertentia, & attenta numeratione, consistunt, & alij, n.3.

Ludus quoad Religiosos.

Ludi contractus vtrinque nullus est, quoties alicui collusorum disponendi potestas deest, n.44.53.54.

Filiusfamilias & qui perdere non potest, quantum possit exponere ludo in quolibet iactu, num.51. *Quantum dum est in studiis,* n.22.

Ludus honestus, ad virtutem eutropeliæ pertinet, num.19.

Mulieres vxoratæ ludere possunt quantitatem suo statui proportionatam, n.22.

Si maius capitale, vulgo resto, *habens in expositione aliqua totum illud exponat, sciens collusorem minus habere capitale, potest iste sine restitutionis onere, excessum lucrari capitalis,* numero 56.

Qui credito ludit, vulgo sobre su palabra, *& deperdit, tenetur soluere secundum plures DD. secundum alios, & Caroli V. leges, non tenetur à,* n.62. ad 67.

Si tamen iuravit soluere, tenetur soluere, vel iuramenti relaxationem petere, n.67.

Ad repetendum deperdita in ludo prohibito, datur actio, n.63.

Non potest quis huic renunciare beneficio, n.66.67.

Invitè ad ludum attractus, tuta conscientia, potest ab attrahente lucrari, quicquid non attractus ab eo lucrare posset, n.76.

Ad ludum violenter, & involuntariè alium attrahens, voluntariè se exponit perdendi periculo, & non lucrandi, n.77.78.

Regulæ.

Regulæ.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, n. 14.

Cui damus actionem, eidem exceptionem competere multò magis qui dixerit, n. 65.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus, n. 65.

Restitutio.

Restitutio est actus iustitiæ commutativæ, quo damnum proximo datum, ad æqualitatem reficitur, numero 53.

Restitutio reficit secundam partem obiecti formalis iustitiæ commutativæ: videlicet: vt quis sine suis non maneat rebus, n. 53. 54.

Qui ludit cum his, qui ius disponendi non habent, v. g. cum fure, vsurario, depositario, pupillo, furioso, filiofamilias, vxore, & Religioso, etiam Iesuita scholastico, restituere tenetur, quod lucratus est, vltra id quod isti deperdere poterant, numero 61.

Qui alium attrahit ad ludendum, aut in ludo detinet efficaciter, ita vt attractio in voluntarium, saltem mixtum canset, attentis circunstantiis, tenetur restituere omne, quod ab eo lucratus fuerit, n. 68. & 69.

Qui lucratur à sæculari, in ludo prohibito per legem, non tamen per illam irritato, restituere non tenetur, quod fuit lucratus ab eo, n. 60.

Religiosus, qui deperdit in ludo maiorem quantitatem quam deperdere poterat, tenetur collusorem suadere, vt Conventui restituat, quod lucratus fuerat vltra iustam quantitatem: qui si restituere renuerit, tenetur Religiosus recompensationem intendere ex peculio sibi concesso, esto ex eodem peculio illam deperderit, n. 42.

Restitutio proprie fieri non potest à Religioso, quia cum nullius rei dominium habeat, non potest ad æquale damnum illatum per rei alienæ distractionem reparare. Debet tamen, meliori, quo possit, modo, recompensare, n. 42.

Religiosus deperditis sex regalibus, quicquid cum alis pecuniis, quas deperdere non poterat, lucratus fuerit, restituere tenetur, n. 43. 44.

Qui à Religioso, vel ab alio, disponendi facultatem non habente, aliquid vltra id, quod iste deperdere poterat, lucratus fuerit, illud restituere tenetur, & è contra, n. 43. 44.

Religiosus restituere tenetur collusori omne, quod ab eo lucratus est, si absque vlla lusit licentia: & cum licentia, quantitatem, quam lucratus est, vltra eam, quam deperdere poterat, n. 54.

Limita in casu, quo collusor scit Religiosum deperdere non posse, n. 55. 56. 78.

Sæculares, & Religiosi diversi Ordinis, aut Conventus restituere tenentur, quæ à Religioso fuerunt lucrati, vltra quantitatem, quam deperdere potuit, n. 57. 61.

Restituere tenetur quicquid quis lucratus est à Religioso in ludo prohibito per legem, sivo annullantem contractum ludi, sive solum illum prohibentem, n. 58. 59.

Vis.

Moralem vim inferunt preces importunæ, ac violentæ, n. 69.

Voluntarium.

Voluntarium, mixtum cum involuntario, simpliciter est voluntarium, n. 70.

Vsus.

Superfluus rerum vsus, non minus voto contrariatur paupertatis, quàm illarum dominium, numero 30.

SVppono in primis prohibitos esse ludos alearum, & taxillorum, per *can. Episcopus*, 35. *distinct. cap. Inter dilectos, de Excessibus Prælatorum.* Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* Quæ iura obligant saltem Religiosos, & Clericos Sæculares, Sacerdotes, & Beneficiarios existentes in sacris, sub culpa lethali, si ludus fit in magna quantitate, vti cum Soto *de Iust. lib.* 4. *q.* 5. *art.* 2. Salone 2. 2. *quæst.* 4. *art.* 6. *concl.* 2. & alijs, docet Oviedo mox citandus, qui tamen *num.* 41. limitat, vbi dicta iura abrogata sint per contrariam consuetudinem. Idem ludi omnibus prohibentur per leges civiles; sunt tamen abrogatæ per consuetudinem contrariam, vti Diana docet, *par.* 2. *tract.* 5. *resolut.* 65. cum Regio *in resolutionibus, casu* 23. *num.* 2. Homobono *de examine Eccles. part.* 2. *tract.* 9. *cap.* 24. *quæst.* 23. Salas *tract. de Ludo, dub.* 3. *num.* 5. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 26. *dubit.* 1. 1

Et quicquid de abrogatione iurium, etiam Ecclesiasticorum sic, ait Peytinus proximè recensendus, posse Religiosos sine vlla culpa, etiam veniali, cattis lusorijs ob honestam ludere causam, v. g. ad recreandum socium, vel seipsos, modo non adsit scandalum, aut præceptum Religionis in contrarium. Ita ille cum Roderiquez *tom.* qq. *Regular. q.* 28. *art.* 1. *in fine.* Et reddit rationem; quia huiusmodi ludi non intelliguntur prohibiti, si instituantur principaliter, propter recreationem, vt notat Valentia, infrà citandus, *versic. Vbi duo.* 2

Per ludum alearum, intelliguntur omnes ludi fortunæ, seu fortuiti, id est in quibus res permittitur casui, & fortunæ, vti ait Peytinus *tom.* 1. *de Subdito, quæst.* 2. *cap.* 2. §. 7. *versic. Quæres secundò,* cum Navarro *in Manuali, cap.* 20. *n.* 6. & Valent. *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8. *versic. Ratione autem prohibitionis.* Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, part.* 1. *cap.* 2. *qu.* 13. *n.* 40. Huiusmodi sunt, (ait Oviedo) taxili, thesares, ludi chartarum; excluduntur tamen à ratione alearum, ludi chartarum, vulgo *Naypes*, qui potius consistunt in solerti advertentia, & attenta numeratione. Et etiam excluduntur ludi dicti de *axedrez, y de las Damas*, qui in attentione, & motuum notitia potiùs, quàm in fortuna consistunt; ludi etiam appellati *de trucos, de argolla, bolos, de Pelota:* & similes, quia in dexteritate, & prompta membrorum exercitatione consistunt. 3

§. I.

Difficultas resolvitur.

CONCLVSIO I.

SIt, Religiosos ludentes, quocumque ludi genere, absque licentia Prælati expressa, aut saltem tacita, peccare mortaliter contra votum paupertatis, & peccato quidem proprietatis; dummodò ludo exponat quantitem notabilem. Docent Peytinus *versic. Dico primò*, cum Sanchez *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 76. Pellizzar. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 3. *num.* 224. cum eodem Sanchez *num.* 78. & Lezana *tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 50. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro Reli-* 4

gioforum, lib. 8. quæst. 132. Machadus tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 1. docum. 11. num. 1. cum D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 7. ad 2. ab omnibus recepto Doctoribus. Navarr. in Manuali, cap. 20. nu. 12. Sylvio 2. 2. q. 168. art. 3. cap. 1. & Basilæo verbo Ludus I I. num. 25. & alij Doctores communiter. Et ratio in promptu est. Quia ludo pecuniam exponere, est actus dominij, & proprietatis: ergo proprietarius est, & contra votum paupertatis peccat Religiosus, qui illum exercet.

5 *Quantitatem notabilem* addidi; vt excluderem parvam: illam scilicet, quam sine gravi fractione voti, in alios vsus impendere valent Religiosi, absque Prælati venia. Licet enim Gerson. D. Antoninus, Vivaldus, & Parasellus apud Cardinalem de Lugo tom. 1. de Iust. & Iure, disp. 3. sect. 8. n. 170. sentiant non dari parvitatem materiæ in hoc peccato, quia licet res, quæ accipitur, aut sumitur parva sit, & exiguum afferat in ordine ad iustitiam detrimentum, infert magnum in ordine ad conservationem Religiosi status detrimentum, ipse tamen Eminentissimus, cum communi, & verissima sententia admittit materiæ parvitatem excusantem à mortali: illam scilicet, quæ non sufficiat ad mortale furti contra iustitiam. Eandem sententiam sequitur Machadus tom. 2. lib. 5. part. 2. tract. 1. docum. 2. num. 4. cum Navarr. lib. 3. consil. tit. de Regular. consil. 75. Sanchez lib. 7. Moral. cap. 20. num. 1. Palao tom. 3. tract. 16. disput. 3. punct. 20. & alij penes ipsum. Et addit ex Sanchez, num. 2. quod ablatis circumstantiis personarum divitum, aut pauperum è quibus res aufertur, debeat quantitas furti in Hispania, & proprietatis in Religioso quatuor ad minus regales complere.

6 Addidi etiam: *contra votum paupertatis, & peccato quidem proprietatis*: quia saltem ob scandalum & in decentiam mortaliter delinquent Religiosi aliquorum Ordinum, si ludant, maximè chartis lusorijs, esto parvam valdè, ludo exponant quantitatem. Fulgentius de Oviedo par. 1. tract. 9. cap. 2. quæst. 13. num. 46. versic. Respondetur, in fine; & versic. Notandum sic ait. Notandum etiam circa dicta verba Constitutionis Benedictinorum (S. Facundi scilicet cap. 46. num. 8.) quæ etiam est conformis Iuri communi, & rationi, quod in prima illa parte prohibitionis, quæ est de qualitate ipsa ludi, dicitur, quod ludus omnis interdicitur, qui aspicientes offendat, vna ex duabus causis ibi assignatis, nempè, quia vetitus, vel quia talis sit aliàs, vt ædificet malè, aut displiceat aspicientibus: quod contingere potest in ludo aliàs non vetito: vt si Religiosus ludat in Monasterio, aut alibi, vbi à Sæcularibus videri possit, aut cum illis ludo pilæ, qui quamvis nec sit vetitus, *neque ex alia parte quantitas sit magna*, erit tamen peccatum, magis, vel minùs grave, respectu scandali, quod Religiosus dederat, si vt (est præcisum) exuatur habitu, vel occultet ad expeditè ludendum pilæ, aut alio simili. Et hæc duplicata, & distincta ludorum prohibitio, non habito respectu *ad quantitatem magnam, vel parvam*, reperitur expressè in Concilio Tridentino sess. 22. Decreto, de Reformatione, capite 1. Hæc omnia Oviedo.

7 In aliquibus verò Ordinibus observantibus (inquit Cardinalis de Lugo tom. 1. de Iustit. disp. 3. sect. 7. num. 114.) non censetur honesta recreatio pecuniam ludo exponere, quia est contra morem, & observantiam Ordinis: & multò magis indecens æstimaretur, si chartis ludendum esset, vel alio simili ludo. Imò non defuit magnus quidam Magister Ordinis Prædicatorum, qui in Salmanticensi Academia dixerit, se non liberaturum à mortali peccato aliquem ex Societate nostra, quem chartis ludentem vidisset. Hactenùs Lugo, qui tamen immediatè addit. Hoc tamen ex circunstantiis pendet, quæ tales esse possent, vt scandalum, & indecentia magna ex parte cessarent, & excusaretur saltem à peccato gravi. Quæ quidem limitatio addi debet doctrinæ Peyrini n. 2. redditæ, & Oviedo,

Eadem etiam addidi, vt excluderem ludentem 8 contra Ordinis præceptum, cuius substantia, sit ista, aut alia similis: *præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ omnibus Monachis, aut Religiosis, ne chartis ludant*. In quo quidem, modus tantùm ludendi, chartis scilicet, prohibetur; non autem materia, seu quantitas. Vnde in dicto Ordinis præcepto, & prohibitione, modus ludendi prohibitus attendi debet, non autem quantitas. Quare in casu similis præcepti, mortaliter peccabit contra obedientiam Religiosus, qui parvam luserit quantitatem, esto adeò parva sit, quæ insumpta sine licentia, non esset ad mortalem culpam sufficiens. Ita Peyrinus cum Roderiquez. Illius verba, numero 2. exscripti. Clariùs adhuc Fulgentius de Oviedo dicta quæst. 13. num. 46. qui sic probat.

Primò. Quia quamvis aliqui Doctores admittant aliquam modicam, seu parvam quantitatem, 9 posse insumere Religiosum sine licentia; semper tamen supponunt hoc debere intelligi, nisi aliàs hoc fuisset prohibitum.

Secundò. Quia licet talis quantitas sit parva respectu consumptionis, si foret in re aliàs licita, 10 non tamen, si parva respectu ludi prohibiti: quia, quod per tale præceptum prohibetur præcipuè, est actus ille indecens, & prohibitus, qui est absolutè completus in quantumlibet parva quantitate.

Tertiò. Quia materia ludi prohibiti, seu quantitas, quæ in eo expenditur, quantumvis parva, 11 est materia prohibitionis sub peccato lethali: quia quamvis in se parva sit, respectu obedientiæ sufficiens est: nam materia præcepti, & obedientiæ, quantum ad sufficientiam requisitam ad mortale, non attendenda est tantùm ex parte substantiæ physicæ rei, quæ præcipitur, quantum ex circunstantiis moralibus, cum sit materia moralis. Istæ autem circunstantiæ magnæ sunt, quia nacta occasione exponendi fortè pecunias, in ludis fortunæ, in quibus breviter sperantur duplicandæ, & multiplicandæ, est maxima occasio, quod ex quantumvis exigua quantitate, perveniatur ad magnam, præcipiti, & effrænato progressu: quæ vtique causa sufficiens est, vt eius attentione, interdicatur omninò, & in quantumvis minima quantitate, quicumque fortunæ ludus.

Dictis consonat Pellizzarius, loco citato, dicens: quæ licentia non potest præsumi, si ludus sit 12 prohibitus à Iure, aut regula, aut Constitutionibus Ordinis, aut Superioribus, vel certè esset scandalosus: cum in tali casu Superior dare non possit facultatem exponendi ludo, nec magnam, neque parvam quantitatem pecuniæ; sicut inter alios advertit Molina tom. 2. disp. 520.

CON

CONCLVSIO II.

13 Secundò assero, Religiosos habentes generalem licentiam à Prælaio, expendendi in quoscumque vsus, peculium ipsis concessum, non posse ludo exponere, immoderatam illius quantitatem absque lethali proprietatis culpa. Ita docet Peyrinos *tom.1. de Subdito, quæst.2.cap.2. §. 7. dicto 3.* com nostro Sayto *in Clavi Regia, lib.11.cap.12. num.16.* Roderiquez *in Summa, tom.1. cap.189. conclus.4.* & *tom.2. quæstionum Regularium, q.37. art.3.* Lopez *par.2. instruct. cap.33. quæst.5.in fine.* Angles *in Floribus, part. 2. quæst. de Ludo, dub.1. proposit.4.pag.168.* & Sanchez *in Decalogum, to.2. lib.7.cap.19. n.81.* quos etiam recenset, & sequitur Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, par.1. tract.9.cap.2. quæst.14. num.30.* vbi improbat sententiam contrarium docentinm, esto ludus ex genere suo licitus sit, cui peculium exponitur. Docent & Tamburinus *tom. 2. de iure Abbatum, disput.22. q.12. à n.7.* Machadus *to.2. lib.5.par.2. docum.11.n.1.*

14 Probatur Conclusio. Quia in generali concessione, non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Verba sunt Bonifacij Papæ VIII. *in cap. In generali,el 81. de Regulis iuris, lib.6.* Sed non est verisimile, Prælatum in illa generali concessione, voluisse veniam concedere subdito ad ludos, etiam aliàs licitos, cum facultate iosumendi immoderatam peculij quantitatem; imò quamvis illam expressè concederet, illa nulla esset, & irrita, ac iniusta. Peyrinus *dict.4.* cum Ledesma *in Summa, par.2. tract.31. cap.2. conclus.10. versic. Lo que toca: pag. 1058. & de Statu Religios. in communi, cap.4. concl.3. dub.9. versic. S'guese lo segundo, pag.106.* & Sanchez *n.80. dicti cap. 19.* Fulgentius *versic. Vnde constat.* Card. Lugo *de Iust.tom.1. disp.3.sect.7.num.145. versic. Rursus, in fine.* Quia nullam omninò concedere valet, nisi ad vsus vtiles, necessarios, & honestos; cum bonorum administrator tantùm sit Prælatus Regularis, non verò Dominus, vti sæpè diximus, & docent omnes Doctores: ergo Religiosi habentes licentiam expendendi peculia in quoscumque vsus, & quidem generalem, & absolutam, ludere nequeunt immoderatam peculij quantitatem.

15 Nec sequitur ex dictis, quod quando quis Religiosus licentiam habet à Prælato, expendendi peculium, in honestos vsus, moderatam illius quantitatem, ludo non possit recreationis gratia exponere, dummodò desit scandalum, aut Religionis prohibitio, vt suprà præmisimus: quod certè potest, vt docet Cardinalis de Lugo, *vbi proximè, num.144.* contra aliquos, quos suppresso nomine recenset, dicentes contrarium; eo ductos; quia cum Religiosi non sint Domini, sed administratores bonorum, non possunt ea ludo exponere, sicut non possunt ij, quibus data est licentia administrandi.

Communis tamen, & vera sententia (inquit Eminentissimus Lugo) id concedit, si ludus sit honestus, nec contra Constitutionem, vel morem illius Ordinis, & quantitas moderata. Ita Sanchez cum aliis, quos refert *dicto cap.19.n.78.* Quare id pertinet ad honestam recreationem, quæ meritò ponitur inter honestos sumptus. Et paucis interiectis, pro solutione fundamenti contrariorum, quam mox referam. Sic prosequitur. Et quidem mirabile esset, quod Religiosus posset donare cum debita moderatione, & non posset ludere, cum tamen minùs detrimentum patiantur bona Religionis per ludum moderatum, in quo est spes lucri, quàm per donationem.

Ad fundamentum adversæ sententiæ respondet 16 Lugo, quod Religiosus non est merus administrator, sicut Oeconomus, qui administrat solum in commodum Domini; sed est administrat or in suum proprium commodum. Quare potest sibi providere, etiam de his, quæ ad honestam requiruntur recreationem.

CONCLVSIO III.

Non est proprietarius, qui de licentia Prælati 17 expressa, aut præsumpta, quantitatem moderatam ludo non prohibito, recreationis exponit causa.

Hanc nostram Conclusionem tenent Abbas Tamburinus *tom.2. de iure Abbatum, disput. 22. quæst.12. à n. 1.* cum Maiore *in 4. dist. 18. qu. 13. solut. ad 2. contra secundam conclusionem:* & Petr. Ledesma *de Statu Religios. in communi, cap. 20. num. 12.* Thomas Sanchez *in Decalogum, tom. 2. lib.7. cap. 19. num.78.* cum Alcozer *lib. de Ludo, cap.11.conclus.8.* Navarro *in Manuali Latino noviori, c.20.n.12.* & *in Hispano, c.19.n.9.* Valentia *2. 2. disput.15. quæst. 6. punct. 5. versic. Tertiò observandum.* Salon *2. 2. post quæst. 61. tract. de Dominio, q.5. art.6. dub. penult. concl.2.* Molina *to.2. de Iustit.disp.520.paulò post principium.* Philiarcho *de Officio Sacerdotis, tom.2. par.2. lib.5. cap.2 n.6. versic. Prædicta igitur circunstantia,* & Veja *in Responsis, par.1. casu 61. diffic. 1. in fine, versic. Tum quia.* Lessius *de Iustit. lib.2. cap. 26. dubit.5. n.37. versic. Duo tamen, in fine.* Eligius Bassæus *tomo 1. verbo Ludus II. num. 2.* cum Filliucio *tract. 37. à num.133.* Soto *de Iustit. lib.4. quæst.5. art.2.* Greg. Sayro *in Clavi Regia, lib. 11. cap. 15. & 16.* ac Sylvio *2. 2. quæst.168. art.3. conclus.3.* Machadus *tom.2. lib.5. par.2. tract.1. docum.11 num.1.* cum Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap.19. n.78.* Trullenc. *in Præcept. lib.7. cap.27. dub.1. num.5.* & communi. Antonius de Escobar *in Theologia Morali, exam.12. n.24.* Lezana *in Summa, quæst. Regular. tom.1. part.1. cap.6. nu.51. cap.9. n. 40.* & *part.2. cap.5. n.5. & 28.* Cardinalis de Lugo *de Iust.to.1. disp.3. sect.7. n. 144.* Peyrinus *tom. 1. de Subdito, qu.2. cap.2. §. 7. dicto 2.* cum Ledesma *vbi suprà, cap.4. concl.3. dub. 9. versic. Siguese lo 2.* Fulgent. de Oviedo *in Republica Regulari, part. 1. tract.9. cap.2. q.15. num.45.* à S. Fausto *in Thesaur. lib.8. q.133.* cum Maiore *4. dist. 18. q.13.*

Limitant tamen Conclusionem Sanchez, Tamburinus & Lezana, cum Salone, & Molina in casibus sequentibus. I. Nisi vel à Superiore vel per Religionis Constitutionem, ludus sit Religiosis prohibitus. Dictis consonant Oviedo *na. 46.* Peyrinus, & alij. Quod & probarunt, *num. 9. & seqq.* II. Nisi Religiosus luderet prohibito aliquo ludo, vel statui Religioso indecenti. Præter Sanchez, Tamburinum & Lezanam, limitant Lugo, & Oviedo. Et probatur. Quia respectu Religiosi huiusmodi ludus honesta recreatio non censetur. Vnde ad illum, nequit Prælatus veniam vllam, nec expressam quidem subdito concedere, aut sibi. III. Nisi eodem anno Religiosus ille, in aliam recreationem, aut in non necessarios vsus aliquid expenderit, quia illud detrahere debet. 18

Et tantò minorem quantitatem ludere potest. Ita præter primò allegatos Doctores, Lugo cuius verba, n.7. exscripsi.

19 Probatur *primo* Conclusio. Quia inter licitos, & honestos vsus, in quos potest Religiosus expendere bona Monasterij, de Prælati licentia, expressa, aut tacita, vel interpretativa, computatur honesta ludi recreatio: cum relaxare animos, & dare se festivæ iucunditati moderatè, vt non semper intendatur Regularis disciplina, sed aliquando remittatur, ad virtutem pertineat, quam *eutrapeliam* vocat D. Thomas, 2. 2. *qu.* 16. *art.* 2. vnde Suarez *tom.*4. *de Relig. lib.*8. *cap.* 8. *nu.*18. docet, necessariò aliquam singulis hominibus intermissionem esse tribuendam. Quod approbat Raggius *in Regimine Regularium, centur.*1. *part.*3. *dubit.*59. *num.*3. Huc spectat quæ *infrà*, *num.* 22. Amicus docet, circa conclusionem primò sequentem.

20 Probatur *secundò* Conclusio. Religiosus ille solùm est proprietarius, qui actum dominij, & proprietatis exercet. Sed qui de licentia licita, & valida Prælati expendit moderatam peculij quantitatem, in vsus honestos, vtiles, & sibi necessarios, actum dominij, & proprietatis non exercet: ergo Religiosus, sic expendens non est proprietarius. At Religiosus, qui de Prælati licentia expressa, aut præsumpta quantitatem moderatam, honestæ recreationis gratia, ludo exponit non prohibito, illam expendit in vsum honestum, vtilem sibi, & necessarium, iuxta modò dicta in prima probatione: ergo non est proprietarius.

CONCLVSIO. IV.

Religiosus, qui in studio, vel negotio aliquo
21 extra Monasterium versatur, & ab eodem Monasterio sustentatur, potest ludo honesto exponere quantitatem, quatuor, aut quinque in centena, quæ ad ipsius sustentationem insumuntur. Ita præfatus Lugo; qui benè limitat, dummodò eodem anno in alios vsus, non necessarios, vel in aliam recreationem, aliquid non expendisset.

Ita & Peytinus *to.*1. *de Subdito, quæst.*2. *cap.*2. *§.*7. *dicto* 2. cum Sanchez *in Decalogum, lib.*7. *cap.*19. *num.*78. Ledesma *de Statu Religios. in communi, cap.* 4. *conclus.*3. *dub.* 9. *versic. Signese lo* 2. Navarro *in Manuali, cap.*20. *nu.* 12. & Valentia *tom.*3. *disp.*5. *quæst.*6. *par.*5. *dub.*8. *de Acquisitis per ludum.* Licet enim ibi non exprimat quantitatem; docet tamen, quod sicut filiusfamilias habet authoritatem ludendi in modica quantitate, iuxta facultates patris, ita Religiosus iuxta suam qualitatem, & paupertatem. Et *versic. Quares primò*, quatuor, aut quinque ducatos quotannis posse, ait, à Religiosis ludi, recreationis causa, in sententia Navarri, & aliorum, quos *dicto* 2. allegaverat. Sed meliùs relinquitur (addit) arbitrio prudentis considerantis Religionem ludentis, quantitatem peculij concessi, personam, & dignitatem. Vbi, dubio procul, permittit vltra quinque ducatos, si id arbitrium iudicaverit prudentis, attentis circunstantijs ab eo recensitis. Bussembaum, *in Medulla Theologiæ*, *libro* 3. *tract.* 5. *dub.* 13. *resolutio* 3. Pellizzarius *in Manuali, tomo* 1. *tractatu* 4. *cap.*2. *sect.*3. *num.*226. cum Sanchez *loco citato, num.*79. cum quo, & cum Rebelio *part.* 2. *lib.* 12. *q.* 2. *sect.*1. *n.* 3. benè limitat sicut Lugo, licentiam præsumptam exponendi ludo, quatuor, aut quinque aureos pro centum Religioso concessorum ad sui sustentationem, in casu, quo eodem anno in alios vsus non necessarios aliquid consumpserit.

Franciscus Amicus *in Cursu Theologico, to.*5. *de Iure, & Iust. disput.* 28. *de Ludo, sect.*3. *num.* 34. 22
pro nostra etiam sententia est. Ait enim notare communiter Doctores, cum Soto *lib.*4. *de Iustit. qu.* 5. *art.* 2. posse filiosfamilias dum in studijs à parentibus aluntur, pro honesta recreatione, quatuor, aut quinque in centena ludere, de aliis, quæ ad sui sustentationem assignantur. Ratio; (inquit) talis recreatio includitur in ipsa honesta, ac decenti sustentatione, quam parentes suis filijs in studijs versantibus debent: cum non minus iuvenes egeāt honesta recreatione ad animum oblectandū, quàm cibo, & potu ad corpus sustentandum. Et statim addit ad intentum nostrum Amicus. Eandem rationem esse putant de Religiosis, qui extra Monasteria in studijs aluntur sumptibus Superiorum, nec-non de mulieribus coniungatis, quæ ad honestam recreationem, possunt aliquam pecuniam suo statui proportionatam ludere.

Hæc Amicus; qui minus benè immediatè infert, posse Religiosum cum consensu Superioris, magnam pecuniæ summam ludere, licet peccet superior id permittendo. Eò ductus, quia sicut Superiores Religionum potestatem habent validè celebrandi, ita & hunc (contractum scilicet ludi, per subditum) præsertim cum hic contractus, sit ex vtraque parte non minus lucro, quàm damno expositus.

Minus benè dixi. Quia, præterquàm quod, 23
non omnes Superiores Religionum potestatem, quam asserit habent, sed nullam omninò, attento Iure communi, maximè ad contractus per quos alienatio bonorum fiat, vti constat ex *Extravag. Ambitiosè, de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, & alijs iuribus, toti vniversali Ecclesiæ communibus, & ex municipalibus diversarum Religionum: inter quas infimum non meretur locum, Congregatio mea Benedictina Hispana, quæ inter Constitutiones, quas observar, in celeberrimo Sancti Facundi editas Conventu, sic, vt sequitur, statuit *caput* 53. cui Titulus est. *Archivos, apeos, y todo contracto en materia de hazienda*, numero 12.

Mandamos so pena de privacion de su Officio 24
al Abbad, no permitta, ni dè consentimiento, para que el Convento dè poder al Mayordomo, ni à otro Monge; ni el mesmo le reciba para si, para otorgar censo, vita, o foro, o arrendamiento, por si solo, sin el Convento. Et in cap. 52. præcedente, *de los Mayordomos de los Monasterios*, ita numero 6. *Mandamos, que el Mayordomo, fuera del gasto ordinario del sustento de la casa, no pueda hazer compras, ni gastos extraordinarios, ni ventas de rentas, ni de ganados, ni de cosechas, ni hazer quitas alos deudores, ni alargales los plazos, ni concierto algunos con ellos, sin licencia expressa del Abbad. Y el Abbad no pueda hazer quitas a los deudores, sin pareçer de los del Consejo, siguiendo el de la mayor parte. De otra manera sea visto haver hecho las quitas, como persona particular, y no como persona publica.* Si ergo Abbas facere non potest quitas, quomodò poterit contractus, maximè ludi in quantitate magna celebrate?

Præterquàm quod (dixi) non omnes Superiores 25
habent potestatem, quam P. Amicus eis attribuere videtur; non ex eo quod illam omnes ad alios habetent contractus, ad contractus ludi, io magna

magna haberent pecuniæ summa. Quia cum non Domini bonorum, sed administratores sint, illa in vsus, qui vtiles, necessarij, & honesti non sint, expendere nullatenus possunt per se, aut per alios, nisi votum paupertatis violando, frangendo, conterendo, vti benè Tamburinus Abbas *tom. 2. de Iure Abbatum, disp. 22. quæst. 12. num. 9.* Lezana *tomo 1. Summæ, quæst. Regular. part. 1. cap. 6. num. 51. & 52. cap. 9. num. 40.* & *part. 2. cap. 5. num. 3. & 28.* Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, part. 1. tract. 9. capite 2. quæst. 14. numero 30. versic. Sit prima resolutio.* Peyrinus *tomo 1. de Subdito, quæst. 2. cap. 2. §. 7. dicto 4.* cum Ledesma, *2. parte Summæ, tract. 31. cap. 2. conclus. 10. versic. Lo que toca, pag. 1058.* & *de Statu Religios. in communi, cap. 4. conclus. 3. dub. 9. versiculo Siguese lo 2. pagina 106.* & Sanchez, *in Decalogum, tomo 2. libro 7. caput 19. num. 80.*

Sed redeundo ad conclusionem nostram, in
26 qua asseruimus, posse Religiosum extra Conventum degentem in scholis, aut alibi negotium Conventus, istius expensis agentem, quatuor, aut quinque decentum, quæ sibi pro annua dantur sustentatione ludo exponere, pro vlteriori illius probatione, addo Antonium de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tractatu 2. exam. 12. num. 24.* Thomam Sanchez, *tomo 2. in Decalogum, libro 7. cap. 19. num. 79.* Lessium *lib. 2. de Iustitia, cap. 26. dub. 5. num. 38.* cum Soto *lib. 4. de Iustit. quæst. 5. art. 2.* & Navarro *in Manuali Latino noviori, caput 20.* Bassæum, *tom. 1. verbo Ludus II. numero 2.* cum Portel, *verbo eodem, in Dubijs Regularium, num. 2.* vbi ait posse ludere extra Monasterium quantitatem, quam potest donare. Quia parum interest, si potens donare, vel alienare, donet, aut alienet gratis, vel per ludum, sibi aliàs licitum. Quam quidem rationem, *suprà num. 15.* reddidi, ex Cardinali de Lugo. Addo & Tamburinum nostrum, *vbi proximè*, argum. eorum, quæ notat Glossa *in Clementinà 2. verbo Convertendum, de Vita, & honestate Clericorum*, circa eleemosynæ largitionem.

27 Fulgentius etiam noster *dicta quæst. 14. versic. Tertiò.* Qui *versic. Secundò*, pro Religiosis itinerantibus de licentia Prælati, & ad assignatum tempus reversuris, docet moderando sustentationem ex pecunijs ad illam à Prælato, seu Conventu acceptis, & ex suo peculio, si secum illud portent, & habeant licentiam illud, in quos voluerint vsus insumendi, licitos tamen, possunt in occasionibus concurrendi, cum coitinerantibus solarium aliquod per ludum capere, vbi decor status, & Religionis non patiatur iacturam, & deperdere, in ludo dicto, vsque ad sex regales, in qualibet occasione omninò distincta ab alia, nec moraliter coniuncta cum alia. Quod contingere (ait) si eadem via, seu ad eandem civitatem, negotij causa, sæcularis, & Regulares iter facientes, in diversorio, æstivo tempore, in meridiano, vel nocturno in hyeme, post recitatas horas, & alijs ex obligatione completis, velint societatem continuantes ludere, & Religiosus deperdat ea vice sex regales, tenebitur surgere à ludo: & ita verè & realiter relinquere, & cessare ab illo vsque dum totaliter, sine aliqua cautela, aut fraude relinquant, aut surgant à ludo collusores: & regulariter loquendo, pro illo meridiano, vel pro illa nocte non ad ludum redeant.

Audit ipse Oviedo, in similibus occasionibus,
tales posse extare circunstantias qualificatarum 29
personarum, specialiter si talis sit Religiosus, & in rarissima occasione, in longo itinere semel ablata, (quod prudentis arbitrio relinquit) si cum gravissimis, modestis simul personis, quibus opponi, & quasi corrigere ex dimissione ludi, perditis sex regalibus videretur præsumptio, vel ignorantia, quod possint deperdi ab huiusmodi Religioso, ob epikiam, quæ tunc attendi debent, non solùm sex regales, sed duodecim: quorum dominium in tali casu, ita in collusores transferri ait, vt ad restitutionem non teneantur.

Idem Author, *versic. Quartò*, vbi de Religio-
sis existentibus, vel in Monasterio, vel in Priora- 30
tu, aut Grangia, pro recreatione statuta in aliquibus Religionibus per octo, aut alios dies, ter, aut quater, v. g. in vnoquoque anno, vbi Religiosis conceduntur solatia, & etiam aliquam pecuniam in ludis expendere licitis ait non facilè assignari posse quantitatem, quam per omnes illos dies deperdere liceat Religioso: dum pro omnibus (inquit) octo diebus aliquos doctos, & timoratos seniores Monachos vidi aliquando, solùm credere duodecim dragmas, posse ludo licito deperdi. Alios itidem Religiosos in maiore quantitate video iudicare, posse, & ipsos etiam ludere, ita vt qualibet occasione, ex pluribus, quæ sese offerunt in illis diebus, plus in qualibet perdere soleant: & dum inter Religiosos eiusdem Conventus, constet ludus, dicunt, Prælatum posse permittere: cùm nullo modo ibi reperiatur alienatio, nec translatio dominij illarum pecuniarum, ex vno Religioso in alium; sed tantùm mutatio sequestrationis, seu peculij; & quod hodie est in peculio Petri, mane post ludum, reperiatur in peculio Pauli: & semper invariabiliter sub dominio Prælati, & communitatis. Vnde nec intervenire, dicunt, peccatum, nisi adessent ludo videndo Sæculares, & scandalum paterentur, dum hæc vident: & multò minus resultaret obligatio aliqua restitutionis.

Hactenùs P. Fulgentius de Oviedo, qui diversa in præsenti materia Religiosorum placita recenset; suum tamen non manifestat. Mihi quidem vnicè arridet primum; & secundùm non parum displicet. Quia non solùm contrariatur voto paupertatis, rerum temporalium proprietas, & dominium, sed vsus illarum superfluus. Vnde sicut Prælatus absque peccato proprietatis, veniam subdito concedere non potest, ad possidendum proprium, ita neque ad vsus superfluos, & dedecentes statum pauperum. Et in vtroque certè casu, subditum licentiâ vtentem peccatum perpetrare, nefas sit dubitare. Vtrumque ex professo docuimus *dub. 4. & 5.* ludere autem in illa maiori quantitate, qualibet occasione recensita, superfluum, & statum paupertatis Religiosæ dedecens esse, nemo sanæ mentis negare quibit. Non ergo potest Prælatus permittere, mutationem peculij, in magna quantitate, mediante ludo, esto non alienetur illius dominium. Quia alienatur illius vsus superfluè, & contradicentiam status pauperum: & si expresè illam concederet, sacrilegè operaretur, & faceret nihil.

§. I I.

Corollaria reddo.

31 EX dictis infero *primò*, Prælatum Regularem ludentem vltra quantitatem, quam permittere potest subditis ad ludendum, mortaliter peccare, & ex vitio quidem proprietatis, contra votum paupertatis: & idem scelus admittere concedendo veniam, ad superflua ludenda, subditis, pariter infero. Quia cum Dominus bonorum non sit, sed tantùm prud ns illorum administrator, illa expendere nullatenus potest per se, vel per subditos, nisi in honestos vsus vtiles, & necessarios.

32 *Secundò* infero, posse Prælatum, eandem licitè dependere, in ludo quantitatem, quam de illius licentia lud re potest subditus. Quia Prælatus non est peioris conditionis, quam subditus. Et peioris quidem esset conditionis, si ea, quæ subditus de eius posset venia honestè insumere in ludo, recreationis causa, ipsemet non posset insumere. Et quia nullam ad id subditus habet potestatem, nisi quam à Prælato accipit: ergo sicut potest subditus de licentia Prælati ludere, potest Prælatus de eadem ludere, cum tantam in se habeat, quoad favorabilia facultatem, quanta pollet in subditos.

Infero *Tertiò*, mortaliter peccare, & proprie-
33 tarios esse Regulares omnes, tam Prælatos, quàm subditos, quicumque exponentes ludo quantitatem notabilem, & immoderatam. Quia periculo se exponunt illam perdendi, cum lethali proprietatis peccato. Qui enim amat periculum, peribit in illo.

34 *Quartò* infero, in statu peccati mortalis proprietaris existere Religiosos subditos, & Prælatos qui semper sunt parati, & dispositi ad ludendum habita opportunitate collusorum. Ratio fundamentalis, & evidens est in promptu, Quia in animi præparatione est dispositus ad exponendum se periculo proximo perdendi, quod de facto perdere, mortale peccatum est proprietatis.

35 Et confirmatur. Qui paratus est ad furandum, seu ad se, in periculo forandi quoties occasio se obtulerit, exponendum, in statu peccati mortalis existit: ergo & qui paratus est ad ludendum quoties se occasio ludendi obtulerit, in eodem existit statu. Consequentia patet, non solùm à paritate, sed potius ex identitate rationis. Religiosus enim, qui immoderatam quantitatem pecuniæ, aut rerum pretio æstimabilium ludit, furest, cum rem alienam, nempè Commoitatis, seu Conventus dominij capacis, aut Sedis Apostolicæ si Franciscanus de Observantia, aut Capucinus ille sit, invito Domino, in quantitate sufficiente ad mortale furtum, expendat illicitè, Bartholomæus à S. Fausto *in Thesauro Religiosorum, lib.8. q.192. nu.* 3. Azorius *Instit. Moral. part.1. lib.12. c.12. q.6. in fine.*

36 Peccatum itaque proprietatis in Religioso duas formalitates, seu circumstantias, specie distinctas, necessariò in Confessione Sacramentali exprimendas, continet. Peyrinus *tom. 1. de Subdito, quæst.2. cap.2. §. 9. quæsitò* 3. cum Petro Ledesma *de Statu Religios in communi, cap.4. concl.3. dub.8. versic. Digo lo primero.* Sanchez *tomo 2. in Decalogum, lib. 7. cap.20. num.* 7. Corduba *in Summa, quæst.* 109. Sayro *in Clavi Regia, lib. 9. cap.16. num.* 21. & Vasquez 1.2. *disput.99. cap.4. nu.20.* Prima, (quæ etsi in se formalis sit, habet se respectu secundæ, quasi materiale, seu subiectum illius,) est ratio, & formalitas furti: quia contra Domini voluntatem, qui est Monasterium, rem vsurpat. Secunda verò est ratio, & formalitas sacrilegij, quæ in præsenti materia supponit appropriationem reialienæ ex propria authoritate, & independenter ab alio, & gerit se tanquam verum rei dominum, sive appropriatio fiat accipiendo, retinendo, aut alienando.

Vtraque deinque ratio formalis, seu formalitas constitutiva, dictarum duarum specierum furti, & sacrileg is, dignoscitur, penes terminos independentiæ. Attento enim verò rei dominio, receptio, detentio, & alienatio facta independenter ab eo, dicitur, & verè est furtum; attento verò Prælato, cui Religiosus in professione non solùm res suas, sed etiam principium dominandi subiecit, & obligavit nomine ipsius Dei, sacrilegium certè est. Vovit enim Deo non habere proprium, neque vsurum rebus temporalibus independentet à Prælato.

Sed petes. Estne idem dicendum de peccato inobedientiæ, à Religioso perpetrato, habere scilicet duplicem malitiam, specie distinctam, alteram contra præceptum iniunctum, alteram contra votum obediendi Prælato Deo factum. Dissentiunt Doctores. Idem esse dicendum, docet Gabriel Vasquez *vbi proximè* & *disput.98. cap.3. n.7.* secutus Caietanum 2. 2. *quæst.*88. *art.5. §. Sciendum secundò.* Quocirca idem Gabriel *disput.126. num.16.* & Sanchez *in Decalog. lib.4. cap. vndecimò, num.25.* penes Machadum *tom.2. lib.5. par.2. tract.1. docum.2. n.2. d.* Contrarium docet Peyrinus *loco allegato, versic. Addit.* cum Soto *de Iustitia, & Iure, quæst.2. art.3. in solutione ad primum, in fine,* & Ledesma *in Summa par.2. tra.10. cap.5.* Quia nullo modo (inquit) debeo obedientiam Prælato, nisi ratione voti. Non enim voveo obedientiam Prælato, sed voveo Deo, quod ero obediens Prælato. 37

Quintò infero, quàm cautè vitam suam debeat instituere Religiosus, & quam rarò ludere, si velit animam suam ab exitiali proprietatis peste, illæsam, incolumenque servare: vel saltem à certissimo eripere periculo. Sicut enim, qui non rarò parva furatur, virtualiter solet ita illa coniungere, vt in quantitatem furti mortalis coalescant. Sic, qui non rarò ludit, quantumvis parva, ita virtualiter ista associare quibit, vt materia proprietatis mortalis pariter coalescat. Quocirca Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.1. tr. 4. cap.2. nu. 157.* & Sanchez *dicto 7. in Decalogum, cap. 21. quæst. vltima, num.30.* asserunt Religiosum modica recipientem, vsurpantem, vel expendentem absque Superioris licentia, mortaliter peccare contra votum paupertatis, quando ad notabilem pervenit quantitatem. 38

Sextò infero ex dictis *num.* 30. proprietarium esse Prælatum concedentem subdito veniam ad 39 donandum alteri subdito superfluè pecunias, aut alia, esto dominium semper remaneat penes Monasterium, & administratio, penes eundem Prælatum, & subditos tali vtentes licentiâ proprietarios etiam esse. Ratio est clara. Quia non minus frangitur votum paupertatis per vsum superfluum, quàm per possessionem proprij. Subditos

Subditos consultò dixi : quia votum non minus violatur per acceptionem, quàm per donationem superflui. Quando autem superfluum Religioso aliquid sit, colliges ex dictis *dub.3.n.1.*

§. III.

Dubiola proponuntur, & resolvuntur.

40 PRo exacta, & plenioti Dubij principalis dilucidatione, nonnulla alia discutienda occurrunt, quæ libuit breviùs; sed qua oportet claritate expendere, resolvere. Primum est, *An Prelatus Regularis possit se liberaliorem ostendere in concedendo subdito licentiam ad ludendum, de alijs bonis aliundè acquisitis, quàm de Monasterij bonis?* II. *An Religiosus possit à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem lucrari, eam scilicet, quam sine proprietatis peccato perdere nequit, etsi eam lucretur, ad illius restitutionem teneatur?* III. *An Religiosus, qui potest quinque aureos, v.g. perdere absque proprietate, possit multos alios, centum, v.g. lucrari?* IV. *An Religiosus possit ludo exponere, omnia quæ lucratus fuerat?* V. *An Religiosus, qui sine licentia lusit, vel quia excessit quantitatem supra id, quod poterat, & lucratus est, debeat lucrum restituere?* VI. *An Religiosus ludens cum Religioso alterius Ordinis, seu alterius Conventus eiusdem Ordinis, teneatur restituere, quod lucratus est vltra id, quod collusor perdere licitè poterat.* VII. *An Religiosus, eo solùm, quo ludat ludo prohibito, vel per ius Canonicum, vel per statum suæ Religionis desinat transferre dominium rei deperditæ?* VIII. *An collusor teneatur restituere, quæ lucratus fuit, & Religiosus perdidit vltra id, quod ludo licitè exponere potuit?* IX. *An intra limites quantitatis, quam perdere potest Religiosus, ludo, si non appareat pecunia quando luditur, teneatur, cui lucratur illam restituere?* X. *An attrahens aliquem ad ludum, possit ab eo aliquid lucrari, quod restituere non teneatur?* XI. *An sic attractus si lucretur aliquid ab attrahente, illud restituere teneatur.* XII. *An impeditus lege, aut iuramento, quod fecit non ludendi, possit alteri dare pecuniam vt suo nomine ludat?*

41 Ad ptimum Dubium, in quo inquiritur, An Prælatus Regularis possit se liber aliorum ostendere, in concedendo subdito licentiam ad ludendum de alijs bonis aliunde acquisitis, quàm de Monasterij bonis, respondet Antonius de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tract. 3. exam. 12. num. 24.* & Bassæus *tomo 1. verbo Ludus II. num. 2.* affirmativè. Quorum sententia mihi non probatur. Quia omnis res, omnéque bonum, quod sub administratione, & licentia Prælati cadere potest, bonum est Monasterij. Quidquid enim, & quacumque via Monachus acquirit, Monasterio acquirit. Tamburinus Abbas *de Iure Abbatum, tom.2. disp.22. quæst.17.n.2.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesauro, lib.8. quæst.136.*

42 Vnde Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, parte 1. tract. 9. cap.2. quæst.16. notabili 3.* rectè docuit, quod quando Religiosus de suo peculio quantitatem non licitam in ludo deperdit, ad duo tenetur: cum omni meliori modo, quo possit, teneatur damnum Monasterij illatum resarciri. Monasterium habet dominium, proprietatem, possessionem, & plenam administrationem bonorum, & etiam pecuniæ sequestratæ, ex licentia Prælati, ad speciales vsus Religiosi; quod dicitur eius peculium; & illius solùm habet ipse vsum simplicem seu vsum facti, vt diximus.

Quando ergo Religiosus deperdit dictam excedeotem quantitatem, aufert illam à communitate, quæ habet dominium. Vnde duo tenetur facere. Primò suadere colludentem, vt restituat Monasterio, id quod ipse deperdidit; & si nolit collusor facere, ipse Religiosus, quamvis restitutionem Monasterio non possit facere, tenetur reparare, & intendere recompensationem, & iste actus, cum sit sine æqualitate, eo quod Religiosus non habeat rei alienius dominium, ac per consequens, nec possit transferri in Monasterium, pro eo, quod abstulit ludendo, dicetur ex hac parte satisfactio: quia cum non faciat (ratione dicta) æqualem reparationem in bonis externis, moraliter intendit facere, faciendo quantum in se est: vt quando pro iniuria datur recompensatio, seu satisfactio. Facit ergo Religiosus, seu intendit facere quantum in se est, vt parti damnificatæ, seu Monasterio reparetur damnum illatum per illum ludum, in quo pecunia perdita ablata fuit, si ex alia pecunia, quæ tunc est in eius peculio deputata suis specialibus indigentijs, & necessitatibus, sequestrata iam, & separata ad hoc ab omnis reliquis communitatis, cuius iam non sperabar communitas adiuvari, reddit communitati ipsi tantam quantitatem, quantam collusor lucravit, tulit, & noluit restituere.

In qua actione non intervenit restitutio, cum tale dominium rei deperditæ non iterum transferatur cum illa pecunia peculij semper fuerit, & sit sub dominio, proprietate, & possessione, (supple communitatis.) Et hanc restitutiooem, seu quasi, & etiam latè dictam satisfactionem, Religiosus sub mortali, præter mortale peccatum, quod commisit ludendo, & deperdendo illam. (supple facere tenetur.) & hæc doctrina notetur pro restitutione, ad quam tenentur Religiosi: de quo infrà.

Hucvsque P. Fulgentius, cui consonat Bartholomæus à Sancto Fausto *in Speculo Confessariorum, disput. 34. quæst. 56. num. 3. pag. 719.* in sequentia prorumpens. Illud tamen notandum est, Religiosum non teneri ad restitutionem, si non alienavit, vel ipse sine consensu Superioris consumpsit. Ratio est, quia restitutio debet fieri ex proprio, non ex alieno. At Religiosus nihil habet proprium: ergo sicut verè impotens, liber est à restitutione.

Ad duo tamen in hoc casu Religiosus tenebitur. Primò ad inducendum eum, cui dedit, vt restituat, docens se non habuisse potestatem alienandi.

Secundò, ad abstinendum ab vsu aliquarum rerum, pro quibus habet licentiam à Superiore expendendi aliquid, vel ad magis laborandum manibus suis, si fortè ex aliquo artificio hoc posset facere, non defraudando observantiam, vt sic satisfaciat aliquo modo dicto Monasterio. Ita Petrus Navarra *lib.3. de Restitutione, cap. 1. num. 240.* & Roderiquez *tom.3. de Regul. quæst. 29. art. 10. & 2. parte Summa, capite 21. numero 13.* Hæc omnia Bartholomæus à Sancto Fausto.

43 Ad secundùm Dubium, videlicet, An Religiosus possit à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem lucrari, &c. respondet Laurentins de Peyrinis *tom.1. de Subdito, q.2. cap.2. §.7. versic. Secundò sequitur*, cum nostro Gregorio Sayto *in Clavi Regia, lib.11. cap. 12. num.16.* & Angles *in Floribus, part. 2. quæst. de Ludo, dub.1. proposit.4. pag.268.* non posse Religiosum lucrari à collusore immoderatam pecuniæ quantitatem; & teneri ad restitutionem faciendam collusori; si lucretur. Eandem sententiam tenet Magister Oviedo *allegato loco, q. 17. nu. 60.* dicens. Colligitur ex ijs, quod si Religiosus in casu posito iam amisit, v.g. sex regales. Si posteà cum alijs pecunijs, quas perdere non poterat, lucretur aliquid, tenetur illud restituere: cum non potuisset pecuniam, quam exposuit, exponere, nec deperdere. Dictis consonat P. Franciscus Amicus *in Cursu Theologico, tom. 5. disput. 28. num. 36.* vbi sic ait. Secundò non solùm ad restitutionem teneri eum, qui cum filiofamilias, Religioso, aut quovis alio potestatem disponendi non habente, ludit; sed etiam filiumfamilias, Religiosum, aut quemvis alium, potestatem disponendi non habentem, cum quocumque alio. Et paucis interiectis, sic se explicat. Hæc autem intelliguntur de ea pecuniæ summa, de qua filiusfamilias, aut Religiosus ius disponendi non habet. Nostram sententiam tenet Machadus *tom. 2. lib.5. par. 2. tract.3. docum.11. num.4.* cum Sanchez *lib.7. Moral. cap.19. nu. 8.* & pluribus apud eum. Angelo *v. Ludus, n.8.* Sylv. *eod. v. quæst.17. d.3.* Covarr. *in Regula peccatum, 2.par.§.4.n.4.*

44 Ratio à priori est, quia ex contractu nullo, nullum acquiritur ius, aut dominium ab vllo contrahentium. Sed contractus ludi celebratus inter aliquos, quorum alter, saltem perdere nequeat, est nullus: ergo Religiosus ius, aut dominium non solùm sibi, sed nec Conventui suo acquirere potest, quantitatis, quam perdere nequit; absque vitio proprietatis. Et per consequens, si illam lucretur, collusori tenetur illam restituere. Minor in qua difficultas posse esse videtur, cum tamen revera non sit, probatur. Contractus ludi, sicut quilibet alius nullus est ex parte vtriusque contrahentis quoties in eorum quolibet non reperitur potestas disponendi: quia æqua debet esse vtriusque contrahentis sors, & potestas. Sed ludus in quo aliquis collusorum perdere nequit, deest illi potestas disponendi: ergo est nullus.

Non reticeam tamen aliquos sequentes contrariam sententiam esse probabilem; scilicet non teneri Religiosum sic lucrantem, excessum illum collusori restituere. Quia novum non est, quod contractus aliquis validus sit ex vna contrahentiũ parte, ex altera autem invalidus. Pro quo allegantur *cap. Si qua, de Rebus, 12. q. 2.* & *§. Pupillus, Instit. de Inutilibus stipulationibus*, & *l. 55. Tauri, hodie, l.2. tit.3. lib.5. recopil.* pro qua *sent. allegantur* apud Machadum, Gabriel *in 4. distinct. 15. quæst.13. art. 6. dub. 6.* Sarmientus, Toletus, & alij apud Sanchez *num. 85.* Navarr. *in man. c.20. n.12.* Armill. *v. Ludus, n. 8.* Nostra tamen communior, & receptior sententia est.

45 Ad tertium Dubium, in quo inquiritur, An Religiosus, qui potest quinque aureos perdere, absque proprietate, possit multos alios lucrari? respondeo cum eodem Amico *n.37.* Eminentissimo Cardinale de Lugo *tom.1. de Iustitia, & Iure, disput.3. sect.7. nu. 145.* & Fulgentio de Oviedo *dicta quæst. 17.* I. Non posse Religiosum vno actu, seu iactu, vulgo *en vna mano*, maiorem quantitatem lucrari à quolibet collusore, quàm vno iactu potest ipse deperdere, sive illa sit quatuor, aut quinque aureorum, sive sex regalium, aut alterius summæ, iuxta suprà in Dubio principali dicta. Hæc certè responsio, fundamentaliter probatur ratione modò adducta pro præcedente.

II. Si Religiosus cum pluribus ludat, v. g. 46
cum quatuor aut quinque, potest ab eorum quolibet, vno iactu tantam lucrari quantitatem, quantam eo iactu potuit ipse deperdere. Et ratio est, quia sic servatur æqualitas cum quilibet collusorum eandem summam, & quantitatem ab eodem Religioso lucrari poterant.

III. Eodem ludo moraliter perseverante, 47
potest Religiosus in secundo, & in quolibet ex sequentibus iactibus, totam illam quantitatem, quam à collusoribus, in præcedentibus lucratus fuerat, simul, & illam, quam ipse perdere potuit, ludo exponere, & totidem ab vnoquoque lusorum lucrari. Atque ita licet ab initio non posset amittere, nisi quinque poterit lucrari centum, & mille: quia iam posteà potest perdere partem sibi correspondentẽ singulis iactibus: & semper exponit ludo, quòd licitè potuit primo iactu deperdere. Ratio autem responsionis est. Quia lucrum non censetur simpliciter acquisitum, donec totus ludus moraliter est finitus: illo autem moraliter finito, iam lucrum absolutè acquisitum est Conventui Religiosi lucrantis, sine cuius facultate, non potest novo periculo exponi. Responsio tamen nostra procedit, dummodò non adsit scandalum; tunc enim ratione illius non licebit Religioso magnam quantitatem lucrari, supra illam, quam primò, absque illo, de licentia saltem Prælati tacita deperdere potuit, non solùm in primo, sed nec in sequentibus iactibus, vti innuit Oviedo *resol. d. quæst. n. 61.*

Quod si petas, quando idem ludus censeatur 48
moraliter durare? Respondet Sanchez *in Decalog. tom.2. lib.7. cap.19. num. 84.* penes Cardinalem de Lugo, *loco citato*, tunc durare ludum, quando ludentes ad aliud non divertunt, animo desistendi; nam si divertant animo redeundi statim, vt ad colloquium cum aliquo, vel ad subveniendum necessitati corporis, non intelligitur finitus ludus. Vnde durare censetur, etiamsi species ludi mutetur ex scacchis in chartas, vel è contra, cum eisdem personis; secùs si personæ mutentur.

Ipse tamen Lugo putat hæc magis moraliter,
& humano modo accipi debere. Quare (inquit) 49
etiamsi vna, vel altera persona à ludo discedat, vel accedat, idem ludus dicitur permanere: atque ideò posset (addit) qui denuò supervenit lucrari à Religioso, quidquid ipse in eodem ludo lucratus fuerat, ab alio qui discesserat: quod à fortiori verum erit quando discedens aliud sibi substituit, qui meliori fortuna ludat, facta cum eo saltem societate quoad partem lucri, vel damni. Imò licet successivè omnes colludentes mutati fuissent, adhuc posset moraliter idem ludus perseverare. Quid enim si ludus talis sit, in quo non nisi duo simul ludere possint, & victus semper locum cedat alteri advenienti, atque ita successivè omnes secundùm ordinem ludant?

Deinde, licet de rigore iuris, die sequenti non
videatur posse ludo exponere totam illam summam, quam præcedenti die lucratus fuerat, ex 50
æqui

æquitate tamen quadam videtur, quod ex communi licentia ludendi, id facere aliquando posset. Nam si in rigore iuris loquamur singulis etiam iactibus acquiritur lucrum illud Conventui, & tamen potest iterum totum illud lucrum exponere: quia & vrbanitati, & humanitati adversaretur, statim cum lucro surgere, non concesso tempore adversarijs tentandi iterum suam fortunam. Eadem autem ferè vrbanitas, & humanitas exigit, vt redeunte adversario ad ludum die sequenti, & lucrante quinque aureos ex mille, quos perdiderat, non recedat Religiosus sub prætextu, qood non possit vltra illam summam perdere: ergo sicut ex æquitate potest, durante eodem ludo, perdere summam maiorem; sic ex eadem ferè æquitate poterit cum eodem, qui perdidit, si proximè redeat, id totum lucrum exponere.

Ad quod probandum adduci potest, quod idem
51 Sanchez dicit *lib.* 1. *Consiliorum, cap.* 8. *dub.* 8. *n.* 2. vbi loquens in simili de filiofamilias, dicit, quod licet de subtilitate iuris, non possit ludere totum, quod lucratus fuerat; ex æquitate tamen conscientiæ, quando altera die lucratur ab eo is, qui præcedenti die perdiderat, posse id sibi retinere. Quia æquitas exigit, quod pater, qui lucrum sensit, patiatur & damnum. Quod intelligit, nisi filius lucrum primum dissipasset. Et affert Sylvestrum, Navarrum, Angelum, Ludovicum Lopez, Tabienam, Philiarchum, & alios. Cur ergo ex eadem conscientiæ æquitate, non poterit qui à Religioso recuperat, quod paulò ante cum ipso perdiderat, id totum retinere: cum militet eadem ratio vt Conventus, qui lucrum senserat, sentiat etiam & damnum: Quare hanc sententiam videtur tenere Rebellus in præsenti *part.* 2. *lib.* 22. *quæst.* 4. *sect. vlt.* vbi id extendit ad alios ludos tempore distantes. Et loquitur generaliter de omnibus, qui alienare, & perdere non possunt in ludo.

Hucvsque Eminentissimus Lugo, cui noster
52 Fulgentius de Oviedo *loco recensito, num.* 63. consonat, quatenùs docet Religiosos, qui in Prioratu, Grangia, aut Monasterio, solatio recreationis octavariæ, v. g. potiuntur, & gaudent posse in quolibet recreationis die ludo exponere, & perdere, omne quod in alio, etiam ex primis lucratus fuerat, etiam ab externis; dum tamen in omnibus recreationis diebus, vltra quantitatem, quam eis ludo exponere Prælatus permittit, non deperdant. Et probat, quia omnes illi dies pro recreatione assignati reputantur pro vno termino, & actu morali recreationis: & videtur velle Prælatum, vt quod ibi lucretur, maneat expositum licitè, vt id perdere possint reliquis diebus assignatis. Ex dictis constat responsio ad quartum, quod inquirit, An Religiosus possit ludo exponere omnia, quæ lucratus fuerat?

Ad quintum in quo inquiritur, An Religiosus,
53 qui sine licentia lusit, vel quia nullam habebat, vel quia excessit quantitatem supra id, quod poterat, & lucratus est, debeat lucrum restituere? vt respondeam, suppono I. ex dictis, contractum ludi celebratum per Religiosum, qui perdere nequeat, esse nullum. II. ex contractu nullo, nullum acquiri ius, aut rei dominium ab vllo contrahentium: ab eo maximè, cuius defectu, aut causa contractus sit nullus. Suppono III. restitutionem esse actum iustitiæ commutativæ, quo damnum proximo datum reficitur. Ad æqualitatem scilicet. Quia obiectum formale, & motivum iustitiæ commutativæ, vti benè Cardinalis de Lugo docet *tom.* 1. *de Iustitia, disput.* 1. *sect.* 3. *num.* 52. ita est bonum æqualitatis, vt non solùm quis habeat, quæ sua sunt, sed etiam vt sine suis rebus non maneat. Et hanc secundam partem motivi formalis, seu obiecti commutativæ iustitiæ, scilicet; vt sine suis rebus quis non maneat, reficit restitutio.

Quibus suppositis facilis est responsio: Teneri 54
scilicet Religiosum, qui perdere non potuit in ludo, ob defectum licentiæ, vel ob illius excessum, quæ lucratus est, restituere collusori; integrè quidem, si nullam, etiam tacitam, habuit ad ludum licentiam; & excessum, si vllam habuit: iustam tamen. Ratio est, quia contractus ille fuit nullus, ob defectum potestatis disponendi, ex parte Religiosi, vnde dominium pecuniæ lucratæ neque ad ipsum; nec ad Conventum quidem suū transivit, neque possessio, aut aliquod illius ius: ergo restituere illam tenetur collusori. Iustitia enim commutativa præcipit hoc fieri æquale: quod collusor, sine pecunia sua non maneat.

Et hæc responsio est Cardinalis de Lugo *disp.* 3. *sect.* 3. *num.* 146. pro qua allegat Thomam Sanch. *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 8. & penes eum communem sententiam Doctorum, quos recenset. Et etiam Amici *tom.* 5. *disput.* 28. *sect.* 3. *num.* 38. dicentis. Defectu potestatis disponendi in vno ludente, contractus est nullus ex parte vtriusque colludentis: cum hic contractus potestatem disponendi in vtroque colludente requirat: Alioqui non æqua foret vtriusque collusoris sors. Ex contractu autem nullo, nullum acquiritur ius, aut dominium. Hæc autem intelliguntur de ea pecuniæ summa, de qua filiusfamilias, aut Religiosus, ius disponendi non habet. Hactenùs Amicus.

Limita tamen resolutionem, in casu, quo col- 55
lusor benè sciret, quod Religiosus non poterat ludere, ob defectum potestatis disponendi. Tunc enim licet de rigore iuris, non posset Religiosus ab eo lucrari, quod perdere non poterat, potest tamen ex tacita renunciatione sui iuris; per collusorem facta, ab eo lucrari, quæ ludo exposuit, absque restitutionis onere. Quia scienti, & volenti, non fit iniuria: nec inæqualitas quidem, quæ per actum iustitiæ commutativæ refici queat. Et ita docent Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 2. *q.* 14. *versic. Respondetur*, cum Greg. Sayro *in Clavi Regia, lib.* 11. *cap.* 12. *dub.* 2.

Confirmatur à simili exemplo, scilicet duo- 56
rum colludentium, quorum alter maius capitale, vulgò *resto* habet, alter verò minus: si primus enim in sponsione aliqua totum capitale exponat, poterit secundus, qui minus scilicet habet, sponsionem acceptare, & illud plus lucrari sine restitutionis onere, quamvis æqualis ludi conditio ex parte vtriusque non adsit; si tamen ille, cuius pecunia maior est, inæqualitatem norit, & consentiat sponsioni. Et ita docet Diana *par.* 1. *tra.* 8. *resol.* 46. & *par.* 2. *tract.* 17. *ref.* 40. cum Bonacina *de Contractibus, disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 19. Salas *tract. de Ludo, dub.* 23. *num.* 13. & Bartholomæo à Sancto Fausto *in Speculo Confessariorum, disput.* 32. *quæst.* 36. *numero* 3. Azotius *part.* 3. *libro* 5. *cap.* 25. *quæst.* 7. ea ducti ratione, quia scienti, & consentienti non fit iniuria. Bussemb. *in Medulla Theologiæ, libro* 3. *tractatu* 5. *dubio* 13. *resol.* 4. addit Navarrum, Medinam, & Sanchez.

57 Ad sextum Dubium, quod inquirit, An Religiosus ludens cum Religioso alterius Ordinis, seu altetius conventus eiusdem Ordinis, teneatur restituere, quod luctatus est vltra id, quod licitè collusor perdere potetat? sic respondet Magister Fulgentius de Ouiedo, *vbi proximè, dub.*15. Secularis, vel Religiosi diuersi Monasterij, vel Ordinis, colludentes cum Religioso, vel Religiosis, tenentur restituere Monastetio, vel ipsis Religiosis deperdentibus, quantitatem illam, quæ excedit id, quod depetdere possent. Ita ille. Cuius quidem resolutiu patet ex dictis. Conttactus enim ille fuit nullus ob defectum potestatis disponendi, ex parte Religiosi depetdentis, & sic dominium pecuniæ deperditæ vltra quantitatem, quam potnit ludo exponere, ad collusotem, aut illius quidem Conventum transire non potuit, nec possessio, aut vllum certè ius. Eadem ratione vtitur Amicus, *tom.*5. *disp.*18. *sect.*3. *num.*37. ad probandum, non solum teneri ad restitutionem eum, qui cum filiosfamilias, Religioso, aut quovis alio potestatem disponendi non habente ludit, sed etiam filiumfamilias, Religiosum, aut quemvis alium potestatem disponendi non habentem, cum quocumque alio ludentem. Quod intelligit, quoad pecuniæ summam, de qua collusores, ius disponendi non habent. Eius verba citca quintum recensui.

58 Ad septimum Dubium, in quo inquititur, An Religiosus eo solum, quod ludo ludat prohibito per ius Canonicum, vel pet statum suæ Religionis, desinat transferre dominium rei depetditæ? Vt respondeamus, suppono leges, & statuta ludos prohibentia, in duplici posse dari differentia. *Primò*, si non solum ptohibeant ludos, sed etiam exptesè contractus annullent. *Secundò*, si expresè tantum ludos ptohibeant, & nihil de huiusmodi anuullatione contractus exptimant. Si igitur adsit constitutio, quæ Religiosu non solùm ludum prohibeat, sed contractum ludi per eum celebratum annullet, cettum est Religiosum non transferre dominium rei depetditæ in collusotem: quia ex conrractu nullo, nullum acquititur ab vllo contrahentium ius, aut dominium. Ac per consequens, qui tem lucratus est, illam statim restituere tenetur. Et in hoc æquales sunt omnes collusores, tam sæculates, quàm Regulares contractum ludi per legem irritum, & nullum celebrantes, vti benè docet Fulgentius de Ouiedo, *q.*19.*n.*67.

59 Imò, esto Constitutio expresè non annullet conttactum transferendi dominium tei, quæ depetditur, dummodò Religioso ludum ptohibeat, si contra illius prohibitionem aliquid ludo exponat, & deperdat, illius dominium ad collusorem non transfettur. Ita Ouiedo, *dicta quæst.*19. *num.*68. quæ vtiquè resolutio vera est, non solum in sententia D. Bonavent. *in* 4. *dist.*15.2. *part. dist. art.*2. *quæst.*1. *ad obiecta D. Thom. ead. dist. quæst.*2. *art.*4. *ad vlt. quæst. ad* 2. *&* 2.2. *quæst.*32. *art.*7. *ad* 2. Ricardi *eadem distinctione, quæst. vlt.* Paludani, *ead. dist. quæst.* 3. *art.*5. *post.* 3. *concl.* quos tecenset Amicus, *tom.*5. *disp.*28. *sect.*2. *n.*11. Abbatis, & aliorum assetentium, quod eo solum quod ludus sit prohibitus pet legem, sit contractus uullus rei deperditæ per ludum prohibitum; sed etiam ob hanc fundamentalem rationem. Quia cum Religiosus nullius tei pretio æstimabilis dominium habeat, de uulla omnino huiusmodi te potest disponere, nisi de licentia Prælati, exptessa quidem, aut saltem præsumpta. Sed Prælatus non potest validè licentiam concedere ad ludum lege prohibitum, cum non legislator sit, sed potius legislatore Papa, scilicet, aut Religione, inferior legis executot. Etgo Religiosus, etiam de Prælati licentia, ludo prohibito aliquid exponens, deperdens, vtpotè sine vera licentia, illius dominium in collusorem transferre non potest. Et ita docet Ouiedu, *loco vlt. allegato*, & *num.* 70.

60 Et non est eadem ratio de sæcularibus, pecunias ludo ptohibito exponentibus, si contractus ludi, per legem illum prohibentem non annulletur. Quia cum rerum suarum dominium babeant, illas liberè alienare possunt: & licet malè agant, legem ludum prohibentem violando, ttansferunt tamen rerum suatum dominium, illas deperdendo, si lex ludi contractum non annullet, irritet, sive expresè iuxta communiorem sententiam; sive in sententia Abbatis, & aliorum, per solum absolutam ludi prohibitionem.

61 Ad Octavum Dubium, quod inquirit, An collusor teneatur restitnete, quæ lucratus fuit, & Religiosus perdidit vltra id quod licitè ludo exponere potuit? constat ex dictis, teneri scilicet collusores, sive sæculares, sive Regulares, restituete, quæ Religiosus perdidit vltra id, quod licitè potuit ludo exponere, docent Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.*2. *disp.* 22. *quæsito* 12. *n.*9. Sanchez *in Decalogum, tom.*2. *lib.*7. *cap.*19. *n.*81. Lezana, *tom.*1. *part.*1. *cap.*6. *num.*52. cum Petro Ledesma 2. *part. Summa tract.* 31. *cap.*1. *post.*10. *conclusionem*, & Alcozer, *lib. de ludo, cap.*39. & *part.*2. *cap.*5. *num.*28. Quia cum non haberet dominium, nec licentiam, validam saltem, non potuit illud in collusores transferre. Vndè ex contractu ludi cum Religioso celebrato, nullum ius acquirete potuerunt, quia nullus ille fuit ex parte Religiosi, nullam ad excessum illum facultatem habentis. Quocirca Amicus, *dicta disputat.* 28. *num.*31. ait. Si quis ludat cum eo, qui alienandi potestatem non habet. Huiusmodi sunt fures, vsurarij, depositarij, qui ludunt pecunia suffurata, per vsuras accepta, apud se deposita; filijfamilias, Religiosi, Monialis, pupilli, furiosi, vxores, & quicumque ius disponendi non habent, vt sunt Scholastici nosttæ Societatis, qui ante factam renunciationem, retinent verum dominium suorum bonorum, de quibus tamen nequeunt absque Superiorum facultate validè disponere: vndè omnis contractus, ab ipsis absque Superioris consensu, factus, invalidus est, & insufficiens ad dominium transfetendum. Qui igitur cum fure, vel aliquo ex enumeratis ludit, etiamsi ignorantet, & bona fide ludat, tenetut postea cum rescivetit, rem ab ipsis lucratam, vero Domino restituete, licet teneatur, qui tem ludo perdidit victori de evictione rei. Hucvsque Doctor præfatus.

61 Nonum dubiolum, in quo inquiritur, An intra limites quantitatis, quam perdere potest Religiosus ludo, si non appareat pecunia quando luditur, teneatur cui lucratur illam restituere? commune est omnibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus: & idem illud est (intra limites tamen quantitatis, quam ludo respectivè collusores exponere possunt) ac inquirete, *An si non appareat pecunia, quando luditur, & deperditur, teneatur illam deperdens, cui lucratur eam soluere?* Affirmant apud Dianam, *part.*2. *tract.* 17. *resol.*8. Azorius *part.*3. *lib.*5. *cap.*24. *quæst.*7. Bannez 2.2. *quæst.*32. *art.*7.

Rebellus

Rebellus *part.1. lib. 12. quæst. 8. numero* 6. & 7. Valentia, *tom.3. disp.5. quæst. 6. punct. 5. dub.* 8. Salonius, 2.2. *quæst.62. art.6. quæst.5. de Dominio*. Garsias, *de Contractibus lib.2. cap.19.* & alij. Pro eadem sententia refert Fulgentius de Ouiedo, *in Republica Regulari, part.1. tract.9. cap.2. q.18. pag.301.* Gregorium Saytum *in clavi Regia lib.11. cap.17.* & plures apud eum, quorum placitum ipsemet Ouiedo sequitur. Illam tenet Amicus, *vbi proximè, num.15.* pro loco, vbi nullum obstat ius positivum.

63 Huius sententiæ fundamentum duplex est, I. Quia per leges solùm datur actio ad repetendum, *l. Alearum, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum.* II. Quia iure naturæ, promissio mutua, obligat in conscientia, licet autem lex civilis laica, annullare possit vim civilium contractuum, & sic anoullare obligationem ludentium ad translationem pecuniæ, tamen obligatio adimplendi fidem datam, vtpotè à iure naturæ inducta, non ita potest per legem civilem irritari.

64 Sententiam negativam tenet Diana, *loco citato*, cum Maldero, 2.2. *tract.1. cap.1 2. dub.3.* Lessio *de iure, & Iust. lib.2. cap. 26. dubit.* 4. Aragonio, *cap.2. quæst.21. art.7. & quæst.26. art.1.* Ledesma, *in Summa, tom.2. tract. 31. cap.2. conclus.* 1. Molina, *tom.2. tract. 2. disp. 515. conclus.* 4 Philiareho, *de officio Sacerdotis, tom.2. part.2. lib.5. cap.12. num.11.* Toleto, *lib.5. cap.27.* Medina, *in Summa, lib.1. cap. 14. §. 29.* & Covarruuia, *in Regula peccatum, part.2. §.4. num.8.* pro eadem recenset sententia Fulgentius de Ouiedo, Sotum, *de iustitia, & Iure, lib.4. quæst.5. art.2.* Navarrum, *in Manuali, cap.39. n.17. ad quintum*, & Ioannem Gutietrez, *de iuramento confirmatorio, part.1. cap.53. num.1.*

Ita sententia fundatur, I. in duplici lege Caroli V. Imperatoris, & Hispaniarum Regis, *la* 8. & 9. *Nova Recopilationis, tit.7. & lib.* 8. quibus disponitur, quod qui aliquid credito, vulgo *sobre su palabra*, ludo alias licitu deperdit, illud soluere non teneatur. Et sic videtur, quod non solum in foro exteriori, & contentioso, sed neque in conscientia teneatur. Nam in illis legibus, non solum prohibetur credito ludere ludis alias licitis, & denegatur actio ad petendum, quod quis lucretur, sed etiam contractus irritatur, & annullantur promissiones, & obligationes, quæ indè oriri possent, aut essent factæ.

65 Secundò fundatur in hac ratione. Quia cui datur actio ad repetendum, conceditur à fortiori exceptio ad non soluendum, iuxta vtriusque iuris Regulas, *l. invitus, la 149. de Regul. Iuris*, ibi: *cui damus actionem eidem, exceptionem competere multò magis quis dixerit*, & *capit.71. eod. tit. lib.6.* *Qui ad agendum* (inquit) *admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.* Sed in ludo prohibito datur actio, ad repetendum, *l. Alearum, Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum.* Ergo conceditur exceptio ad non soluendum.

66 Nec valent collusores renunciare beneficio legis, concedentis repetitionem præfatam, iuxta sententiam Rebelli, *part.1. lib.12. cit. quæst.2. n.8.* post Covarruuiam. Quia provt ex dictis Doctoribus refert Diana, *vbi suprà, versic. Secundò*, facultas repetendi, concessa est non tantum in perdentis fauorem, sed etiam in Reipublicæ favorem, & in commune bonum.

67 Qui autem iuravit se soluturum, quod credito perderet, tenetur ratione iuramenti illud soluere, vel relaxationem illius impetrare, vti docet cum Sayro *vbi suprà*, Ouiedo, *num.6. ex cap. Debitores, de Iureiurando*. Et si de facto soluerit, ludo illicita deperditam, potest illud in iudicio repetere, secundum Navarrum *vbi suprà*, & Ioannem Gutierrez, *num.7. &* 8. apud Fulgentium, *vbi proximè.*

Ad decimum quod inquirit, An attrahens aliquem ad ludum possit ab eo aliquid lucrari, quod restituere non teneatur? respondeo, quod si attractio tam efficax sit, attentis circunstantiis, vt causet involuntarium saltem mixtum, vt contingit quando quis ad attrahendum aliquem ad ludum vtitur violentiis, v.gr. opprobriis, conviciis, insultationibus, vel minis: aut etiam si sit Superior, aut Dominus, cui inferior, subditus, seruus, vel famulus contradicere non audeat, & obiiciat quod ex miseria, aut pusillaminitate non ludit, aut ægrè fert eum à ludo abstinere; vel quod iam lucratum non soluet: vndè, quis præ verecundia, vel timore, non audeat, vt volebat, à ludo cessare: quomodocumque attractio moraliter invitum aliquem reddat, non potest attrahens aliquid lucrari ab inducto, & si lucretur, omne illud tenetur perdenti restituere. Ita docet Fulgentius de Ouiedo, *in Republica Regulari part.1. tract.9. cap.2. quæst. 20. num.71.* cum pluribus, quos recenset, & sequitur Saytus, *in Clavi Regia, lib.1. cap.13.* 68

Ita etiam docet Amicus, *tom.5. disp.28. sect.3. num. 22.* cum Soto *de Iust. lib.4.q.5.* Medina *Cod. de rebus restituend. q. 21. §. Corollaria sequitur.* Covarr. *Regula Peccatum 2. part. relect. §.4. n.7.* Rebellio, *lib.12.q.3.* Sylvio, 2.2. *quæst.168. art.3. conclus.* 3. distinguentibus de attractione tantum invitatoria, & de coactiua, sive vi, sive precibus violentis, & importunis! (nam importunæ, ac violentæ preces moralem vim inferunt) & de prima attractione asserentibus, ad restitutionem non teneri attrahentem; secus de secunda. Iuxta quam distinctionem inquit explicari posse Bonav. *in 4. dist.15. in 2. p. dist. art.2. q.1. ad obiecta. D. Th. 2.2. q.32. art. 7. ad 2.* Caiet *ibidem §. Circa quæsita.* Palud. *in 4. dist. 15. q.3. art.3. post.2. conclus.* Sylv. *verbo, Ludus, q.11.* Navarr. *in Summ. cap.20. num 17.* Tolet. *lib.15. cap.27.* & Lessium, *de Inst. lib.2. cap. 26. dub.2.* absolutè affirmantes, teneri restituere, qui alium ad ludendum attraxit, quod ab eo lucratus fuit. 69

Sed dices cum Molina, *disp. 516.* quod esto quis invitus ad ludum attrahatur voluntariè tamen trahitur, iuxta *Arist.3. Ethic. cap.1.* quia voluntarium mixtum, est simpliciter voluntarium. Quod voluntarium, etsi non sufficiat ad transferendum dominium in contractibus gratuitis; sufficit in onerosis, qualis est ludi contractus, in quo collusores lucro, & damno exponuntur. 70

Confirmatur I. Si talis contractus non esset validus, ex parte attracti, defectu voluntarij, neque esset validus ex parte attrahentis: & per consequens, non solum teneretur ad restitutionem attrahens, sed attractus. Sed nemo dicet, quod iste teneatur restituere, quod lucratus est. Ergo neque quod ille. Maior patet, quia ex contractu nullo, nullus potest ius, aut dominium aliquod comparare. 71

Confirmatur II. Vitalis contractus vterque æquali exponitur lucro, ac damno, cum vterque vincere possit, ac perdere. Ergo. 72

Ad argum. respondeo cum Amico *numero* 23. quod 73

quod licet voluntatium mixtum eum involuntario sufficiat ad efficiendum contractum validum; qui tamen sic contrahit, ratione iniuriæ sibi illatæ, semper habet ius contractum rescindendi, & recuperandi rem alienatam. Vndè licet invitè attractus, ius non habeat rescindendi contractum, cum ille amplius non extet (consistit enim in mutua vnius in alterum iuris translatione) habet tamen ius petendi compensationem inde sequuti damni.

74 Ad I. Coofir. nego sequelam, cum eod. Amico, n. 24. Quia vti mox dicam, qui attrahit, spontè se subdit oneri perdendi, & non lucrandi.

75 Ad II. nego antecedens: quia coactus, non spontè, & plenè voluntariè ludit: vndè non est æqualis vtriusque sors. Quam inæqualitatem tollere nequit hoc quod vterque perdere possit, ac lucrari.

76 Ad vndecimum Dubium, quod petit, An sic attractus, si aliquid ab attrahente lucretur, illud teneatur restituere? respondetur, invitè, & violenter attractum ad ludum, tuta conscientia, & absque vllo restitutionis onere, posse lucrari ab attrahente, quantum ab eo lucrari benè posset, si omnino voluntariè, & liberè ad ludum accessisset. Ratio est, quia collusor attrahens, sciens, & volens, exponit se periculo perdendi, quæ ludo exponit. Ergo attractus nullam facit ei iniuriam, pecuniam illius lucrando. Et per consequens, illam tuta conscientia retinere potest. Et ita docet Ouiedo, *quæst.* 20. *n.* 72. & Amicus *num.* 24. dicens: qui alium invitum, aliàs non lusurum secum, ad lodendum cogit, spontè se sobdit huic oneri, vt possit perdere, & non lucrari: quarè non alteri, sed sibi imputet, qui ita ad ludendum accedit.

77 Sed dices. Ludus est colludentium contractus, qui debet esse omnibus illis æqualis, ita vt si vnus perdere non potest, non possit lucrari. Peyrinus *tom.* 1. *de subdito*, *q.* 2. *cap.* 2. §. 7. *versic. Secundò sequitur*, cum Sayro, *in clavi Regia, lib.* 11. *cap.* 12. *n.* 16. & Angles, *in Floribus, part.* 2. *quæst. de ludo, dub.* 1. *proposit.* 4. Fulgentius de Ouiedo *q.* 17. *n.* 60. & *dicta q.* 20. *n.* 72. & communis Doctorum. Sed violenter, & involuntariè ad ludum attractus, perdere non potest. Ergo nec potest lucrari. Aliàs enim colludentium sors, non esset æqualis, neque ludi contractus.

78 Respondeo, maiorem propositionem veram esse in rigore iuris, quia tamen iuri suo attrahens renunciare benè potest, & de facto tacitè renunciet, exponendo pecuniam suam iacturæ ludi sciens, & volens, & violenter in ducendo collusorem ad lodom, hine est quod attractus, & inductus nullam faciat ei iniuriam tollendo, & retinendo, quod ab eo lucratus est, vti benè, vbi proximè docet Oviedo, & in simili de sæculari, scienter ludente, cum Religioso deperdere non potente, docuit ipse *quæst.* 14. *versic. Respondetur*, cum Greg. Sayro, *dicto c.* 12. & in alio simili, de deperdente maius capitale, seu *resto*, quam lucrari potest à collusore suo, docet Diana, *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 46. & *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 40. cum pluribus, quos *suprà in responsione ad quintum, versic. Confirmatur*, recensui, *num.* Videlicet. 56.

79 Ad duodecimum inquirens, An impeditus lege aut iuramento, quod fecit non ludendi, possit alteri dare pecunias vt suo ludat nomine: respondet Ouiedo, in sæpè allegata *q.* 20. *num.* 73. ex Fulgosio, *in Authentica interdicimus, Cod. de Episcopis, & Clericis*, quod talis, qui iuramentum non ludendi fecit, & alteri pecunias dat, vt suo ludat nomine, non liberatur à periurio. Si tamen animus iurantis fuit, non ludendi per seipsum tantùm, aliter dicendum credo. Vide casum non dissimilem, *dub.* 24. *n.* 10.

DVBIVM XVII.

An absque vitio proprietatis, vti possit Religiosus, licentia ad accipiendum, habendum, expendendum, ad donandum, vel ludo exponendum aliquid pretio æstimabile, vi, dolo, metu, aut importunis precibus, à legitimo Prælato obtenta?

BREVIARIVM.

Involuntatium.

Importunæ preces, querelæ, murmurationis, vis, dolus, fraus, involuntarium causant, etiam in Prælato, num. 1. 2. 3. 4. *imò & fauores*, n. 5.

Licentia.

Legitima, & vera licentia, ex iusta causa concedi debet à Prælato, & omnino liberè, non ad preces importunas, &c. à n. 1.

Dolo, vel fraude extorquet licentiam, qui ea tacet, quibus declaratis, non solet concedi licentia, & qui ea falsò exprimit, quorum ratione licentia conceditur, aliàs non concedenda, n. 2. 3.

Secus si taceantur, vel exprimantur, quibus tacitis, vel expressis, non solet per se licentia concedi, tamesi difficilius concedatur, n. 2. 3.

Proprietas.

Religiosus, qui vtitur licentia non legitimâ & verâ, & omnino liberè concessâ, & ex iuxta causa, proprietarius est, à n. 1.

Vis.

Moralem vim inferunt preces importunæ, querelæ, murmurationes, fauores, &c. à n. 1.

CONCLVSIO.

Resolutio est negativa. Ratio fundamentalis 1 est. Quia licentia vt legitima sit, & vera, debet omnino voluntariè, liberè, & ex iusta causa à legitimo Prælato concedi, non autem ex causa aliqua involuntarium, in concedente causante: qualis, dubio procul, contingit, quoties importunæ, preces, qoerelæ, murmurationes, vis, dolus, aut aliundè metus oriuntur. Et ita docent Fulgentios de Oviedo, *in Republica Regulari, part.* 1. *tract.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 19. *num.* 69. Laurentius de Peyrinis, *tom.* 1. *de subdito*, *q.* 2. *c.* 2. §. 3. *versic. Noto quartò*, & §. 4. *versic. ex quibus colligitur*, cum Thoma Sanchez *tom.* 2. *in Decalogum, lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 16. 17. 18. & 19. & addit Oviedo *n.* 70. verum tenere resolutionem, etiamsi Prælatus veniam concedat, ex pusillanimitate, levitate, seu ex ignorantia. Ei consonat Lezana, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *n.* 56. & 57.

Palaus, in Summa Morali, *part.* 3. *tr.* 16. *disp.* 3. *punct.* 13. *n.* 1. vbi ita fatur. Dicendum est, solam 2 licentiam

licentiam voluntariam, & iustam, siue tacita sit, siue expressa te à paupertatis transgressione excusare. Quia ea posita non operaris nomine proprio, sed alieno, scilicet Superioris. Primò igitur debet esse licentia voluntaria absque ullo metu, coactione, dolo, vel fraude extorta: quia hæc reddunt actum simpliciter involuntarium. Sanchez *lib.4. cap. 19.n.16.* Suarez, *tom.3. de Relig. lib.8. cap.11.n.14.* Ad dolum, vel fraudem reducitur, si ea taceas, quibus declaratis, non solet licentia concedi, vel ea falsò exprimas, quorum ratione conceditur licentia, aliàs non concedenda. Suarez, & Sanchez, *locis allegatis* Secus verò si ea taceas, vel falsò exprimas, quibus tacitis, vel expressis non solet per se licentia concedi; tametsi difficiliùs concedatur. Suarez, *dicto cap.11.n.14.* Hactenùs Palaus *pag. mihi 315.*

3 Tamburinus, *tom.2. de Iure Abbat. disput. 22. q.8.n.10.* sic ait. Potest etiam licentia esse iniusta ex parte modi, nempe quia Religiosus precibus importunis, aut per vim, dolum, metum, aut fraudem illam extorqeet: & tunc certum est Religiosum, non excusari à transgressione voti paupertatis: quia talis licentia nulla esset, cum non fuerit voluntaria: quia vis, & metus causant involontarium, & idem est de dolo, & fraude. Hæc Tamburinus, subdens ex Suarez & *loco citato, & c.15.n.3.* quod si licentia fuit subreptitia, ex falsa causa, Religiosus non erit tutus in conscientia. Idem dicens, si Superiori narrentur circunstantiæ, quæ probabiliter eius voluntatem mutarent; vt talem licentiam non concederet. Secus si taceret aliquid, quod forte difficiliorem redderet Superiorem ad talem licentiam concedendam; non tamen illum absolutè impediret, quantum probabiliter iudicari potest.

4 Resolutionem etiam tenent Pellizzarius, *tom.1. tract.4. c.2. sect.3. n.128.* quatenus cum Layman, *lib.4. tract.5. c.7.n.8.* & Lessio *de Iust.l.2.c.4.n.32.* docet, quod si Religiosus Superiori resistat, siue vi, siue murmure, siue querimoniis, revocare, & auferre aliquid volenti, peccat contra votum paupertatis, vtpote exterens actum dominij independentis; seu iuris proprietarij voto Religiosæ paupertatis repugnantis. Qui quidem actus, æquè exercetur, quando Religiosus querelis, & murmure, &c. veniam impetrat ad accipiendum, expendendum, donandum, & ludendum, ac quandò, habet, & retinet, mediis, querelis, & murmure, vti ex se manifestè patet. Eadem enim licentia necessariò requiritur in Religioso, ad aliquid acquirendum, ac ad illudmet retinendum, & è converso, vti omnes Doctores, de Paupertate agentes Religiosa, bene tradunt. Et probari etiam potest ex Regula Iuris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur; la 1. de Regulis Iuris.*

5 Notanter addidi: *Importuna*: quia vti Pellizzarius, *vbi proximè*, adnotat, quod spectat ad murmur, & querimoniam, non ita facilè resistentia, seu exactio licentiæ, reputari debet mortalis; nisi sit immoderata, & notabiliter excedens iudicio viri prudentis. Absolutè tamen magis mihi probatur sententia Lezanæ, *n.57.* dicentis. Licentia ista requisita ad hoc, qood Religiosus possideat, accipiat, det, aut expendat, &c. aliquid, debet esse voluntaria, & non coacta, vel precibus importunis, vel favoribus, metu, aut dolo. Ratio est, quia talis licentia, potius esset violenta, nec Religiosus per eam operaretur secundùm voluntatem sui Superioris, sed suam. Navarrus, *comment.2. n.21. concl.7.* Sanchez, *lib.7.in Decalogum, c.19. à n.16.* Idem dico, quando Prælatus dat istam licentiam subdito, eo quod timeat ipsum, quia est futurus rixosus, contentiosus, & excitabit rumores in Conventu si non illi conceditur. Propter eandem rationem Cordubà, *in Summa, quæst.54.* Lessius *2. de Iust. cap.4. dubit.5.* Hucusque Lezana.

DVBIVM XVIII.

An Religiosus, qui celebrat aliquas Missas ad intentionem alicuius extranei; sciens illum stipendium pro illis accipere, proprietarius sit?

BREVIARIVM.

Actus.

Actus interni hominis, nulli humanæ potestati subduntur, n.8. & quare, n.11.

Dominium.

Ius, & dominium bonorum spiritualium, nomine proprio habent Religiosi, & illa possunt propria ex authoritate donare, & possidere absque voti paupertatis violatione, n.2.

Dominium habet Religiosus in manuscripta sua, & in discipulos, qua tales, n.5.

Habet dominium naturale in filios, non verò politicum, & civile, n.6.

Habet dominium in suas actiones naturales internas, & externas, n.7. 14.

Habet & ius, & dominium in honorem suum, & famam: in ius eligendi, & præsentandi, & conferendi beneficium Regulare, n.15.

Honor.

Non renunciant Religiosi honoribus Magisterij, & aliis Ecclesiasticis, qui sancti sunt, n.2.

Ius naturale.

Constitutionibus non subiacet humanis, Ius naturale, nom.6.

Paupertas Religiosa.

Voti paupertatis materia, alia remota, quicquid scilicet pecuniâ æstimari, aut comparari potest: alia proxima, quæ est habitudo illa, aut actio hominis circa materiã remotam, nimirũ dominiũ rei, vsusfructus, vsus independens, & possessio propria, n.3.

Prælati.

Sine testibus culpa politicè corrigere possunt publicè subditos circa ea ad quæ tenentur in foro exteriori; non tamen illa ad quæ graviter tenentur in foro interiori, n.13. 12.

Proprietas.

Proprietarius est Religiosus; qui acceptant ius ad stipendium Missarum, quas celebrat, illud remittit extraneo, aut pauperibus, n.1.

Secus dic de animum suum ad stipendium non applicante, & negativè se habente respectu stipendij, & Missas se obligat celebrare pro eo, qui scit eleemosynas illarum percipere, n.2.17.19.

Proprietarius non est Religiosus cedens iuri Missarum ei debitarum, etiam ob stipendium solutum, aut ab alio, quàm ab ipso soluendum Religioso, n.4.

Nec proprietarius est Religiosus, si offerenti stipendium pro Missis, dicat; celebrabo Missas gratis pro te: sub hac conditione, quod stipendium, quod non accepto, gratis des tali amico, *n.32.*

Simonia.

Non committitur in venditione quarumcumque rerum spiritualium, sed in sola supernaturalium, aut etiam moralium, num. 21.

Non est simonia actum virtutis, pro actu virtutis commutare, n. 22. 23.

1 SVppono, pro dubij resolutione, illud non procedere in casu, in quo, de ordine Religiosi Missas celebrantis, & ius ad stipendium acceptantis, extraneus ille stipendium pro suis accipiat vsibus. Quia tunc, ratione acceptationis Religiosi, eius Conventus ius ad stipendium acquisivit. Ac per consequens, sine Prælati saltem licentia, Religiosus ille absque vitio proprietatis, disponere nequit de stipendio, non solum in extranei commodum, sed nec in proprium. Vtraque namque dispositio, vti ex se patet, actus esset dominij, & proprietatis. Quocirca Barth. a S. Fausto, *in Thesauro Relig. lib. 8. q. 130.* quæsito, *An Religiosus possit pascisci, vt quis det eleemosynam pauperi, & ipse faciat sacra?* respondet non posse. Quia revera hic pecuniam illam, suo sacro sibi acquirit, & dat pauperi: & ita non posse dici, gratis facere sacra illa. Procedit igitur difficultas in casu, quo celebrans Missas, quarum stipendium extraneus, seu quilibet alter percipit, animum suum ad stipendium non applicet, sed illud suspendat, & quasi negativè se habeat stipendij respectu, dicendo v. gr. *Tot Missas pro tua celebrabo intentione, applicare illas poteris prout libuerit.*

CONCLVSIO.

2 IN quo quidem casu, resolutio dubij est negativa. Ratio illius est. Quia in casu nostro, nihil concedit Religiosus, quod spirituale omnino non sit. Sed omnino spiritualia benè potest Religiosus, propria ex authoritate, accipere, & donare sine voti paupertatis fractione, aut iniuria. Ergo Religiosus, qui celebrat Missas ad cuiuslibet intentionem, recipientis illarum eleemosynas, seu stipendia, proprietarius non est.

Maior cum consequentia patet; minor autem illustratur sic: Iurium, & bonorum spiritualium dominium benè possunt habere Religiosi iure, & nomine proprio, quia his nullo modo in professione renunciarunt. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 186. *n. 7. ad* 4. & ibi Caietanus dicens. Vbi advertendum est, quod quia honor Ecclesiasticus procul dubio, honor sanctus est, quia Ecclesia ipsa sancta est: ideo non spectat ad perfectionem Religionis renunciare Ecclesiasticis honoribus. Quocirca, reprehensione digni sunt Religiosi abdicantes à suis, honores Magisterij in Theologia, sicut reprehendendi essent, si Presbyteros nollent habere suos, quia honorandi sunt loco, & aliæ reverentiæ signis. Hactenùs Caietanus.

Quod Iurium, & bonorum spiritualium dominium, & proprietatem habere valeant Religiosi, absque voti paupertatis iactura, docent etiam Bartholomæus à Sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib. 8. q. 8. n. 5. & q. 119. & 120.* Thomas Sanchez, *in Decalogum, tom. 2. lib. 7. cap. 18. n. 25.* Leonardus Lessius, *de Iustitia lib. 2. cap. 4. dubit. 5. num.* 26. Ferdin. Castrus Palaus, *tom. 3. tract. 16. disp. 3. punct. 2. n.* 2. Ioan. Baptista Lezana, *in Summa quæstionum* Regularium, *tom. 1. part. 1. c. 6. n. 4.* quo loci doctrinam ad ea omnia, quæ non sunt pecunia, aut pretio æstimabilia, meritò extendit.

Consonat Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 4. c. 2. n. 16.* vbi postquam voti paupertatis materiam, in proximam distinguit, & remotam, ait. Remota sunt divitiæ: nomine divitiarum intelligendo quicquid pecunia æstimari, aut comparari potest, cuiusmodi (inquit) non sunt vita, propria membra, facultates activæ, fama, honor, beneficium Ecclesiasticum vt sic, & vxor. Proxima, est habitudo illa, aut actio hominis circa supra dictam materiam remotam: nimirum dominium rei, vsumfructum, vsum, & propriam possessionem; non item vsum facti, & omnem rei apprehensionem, retentionem, aut administrationem, quæ non proprio iure, & nomine fiat, solúmque consistit in facto, & dependet ex iure, & concessione alterius. Ita ille cum Suarez, *tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 4 & 5.* 3

Clarius ipse Pellizzarius, *loco cit. n.* 288. vbi inquirit, *An Regularis, non obstante voto paupertatis, possit cedere iuri Missarum debitarum ex stipendio ante professionem dato Sacerdoti, ad talem effectam?* Et respondet posse, sive earum dilationem indulgendo, sive eas absolutè remittendo. Et probat, quia votum huiusmodi facit Religiosum incapacem solum iuris temporalis versantis circa res pretio æstimabiles, non autem iuris spiritualis, quale est ius Missarum de quo agit. Vndè colligit, quòd faciente Religioso hanc Missarum remissionem, Sacerdos obligatus dicere Missas, liberetur ab onere Missarum; & nihilominus retinere possit illarum stipendium. Quod non procederet si Religioso non cedente dicto iuri, Sacerdos nollet Missas celebrare. Tunc enim teneretur restituere hæredi Religioso stipendium pro Missis solutum. 4

Ad hanc suam responsionem procedere, *ait*, etiam in casu quod post professionem Religiosi, pecunia pro Missis relictis tradenda esset Sacerdoti ab hærede Religiosi: ita vt si iste dicto Missarum iuri cedat, Sacerdos maneat liber ab onere illas celebrandi, & tamen hæres teneatur ei soluere pecuniam pro illis debitam: quippè, qui pro sua parte debet implere onus ei in testamento iniunctum, & aliàs non remissum; Religioso interim libero manente ad cedendum Missarum iuri, si voluerit: quod est post professionem disponere de Iure spirituali Missarum, non autem de iure temporali pecuniæ pro illis soluendæ.

Idem Author, *tract. 6. c. 9. sect. 1. n.* 20. inquirit, *An stante Bulla Clementis Octavi, de largitione munerum, possint Regulares donare magnum numerum Missarum?* Cui difficultati respondet posse, si solum Missas donent, non autem lucrum, quod ipsis indè proveniat. Allegat, Dianam, *part. 1. tr. 6. resol. 9.* cum Sousa, & Valero, & probat, quia in dicta Constit. solum prohibetur donatio facta ex bonis Monasterij: Missæ autem vt sic, si aliàs non sint obligatæ Monasterio, non sunt Monasterij, sed ipsorum Religiosorum ac proindè, de iis benè possunt disponere. Et infrà inquirit, *An Regularis violet dictam Constitutionem si magno numero Missas donet ei, qui ad illas tenetur ex iustitia, nimirum ex stipendio accepto, aut ex legato ipsi relicto 1. cum sic videntur donare ei pecuniam, quam ille aliàs soluerit in procurandis dicti Missis?*

Et huic quæsitui, sic ait. Respondeo, non violare. Quia Regulares vi Constit. Clem. VIII. solum prohibentur donare de bonis Monasterij acquisitis: cum donatio sit alienatio rei iam acquisitæ; pecunia vero, de qua hîc, non est acquisita, cùm Religioso eam verè non acceptaverit, (vt suppono)

ſuppono) & res non dicatur acquiri ſine acceptatione, ſaltem tacita, vt patet.

Nec obſtat, quod idem Author dicat, Religioſos ſcientes ſtipendium dandum eſſe illis, cui donant Miſſas, violare prohibitionem Clementinæ: cum ſic (inquit) donent bonum temporale, quod eſt de iure Monaſterij, iuxta regulam: *Quidquid acquirit Monachus, &c.* Non inquam obſtat, quia ſupponit ſtipendium eſſe de iure Monaſterij, cum verè non ſit: ſiquidem illud non acceptaverunt huiuſmodi Religioſi, vt ſupponimus, ſed omnino gratis, ſe Miſſas lecturos promiſerint, animos ſuos ad ſtipendium non applicando.

5 Conſonat & noſter doctiſſimus Ioannes Caramuël: plura ad rem docet *in Theologia Regulari, ſeu in Commentario in Regulā S. Parentis Benedicti, diſp. 59. & in Theologia Fundamentali, fundamento 51.* In primis enim docet Religioſum verum habere dominium in manu ſcripta ſua. De quo in dubio proprio, infrà redibit ſermo. Secundò docet, Religioſum habere verum dominium in diſcipulos, qua tales. Et probat, quia diſcipuli, qua tales, ſunt effectus ſolius directivæ cauſæ, & illam ſolummodò reſpiciūt. Ergo directrix cauſa, quæ eſt Magiſter, verè habet dominium in ſuos diſcipulos, qua tales. Ex quo infert, Magiſtrum etiam Religioſum habere dominium in diſcipulos, non qua corporeos, ſed qua ſpirituales. Quia ideas, quas Magiſter delineavit in intellectu, velut in charta, non egent corpore, ad ſui conſervationem; egent tamen anima. Ita *in diſp. 59. n. 839. & fundam. 51. n. 1421.*

6 Tertiò docet *diſput. allegata, n.* 849. Monachum habere verum dominium naturale in filios ſuos. *Naturale* dicit, quod vbique idem eſt, & immutabile; non *politicum*, quod pendet ab hominum conſtitutione, & diverſum eſt pro Provinciarum diverſitate, & occurrente cauſa, alteratur, mutatur. Patria (inquit) poteſtas, prout dominium politicum potuit legibus limitari, vt tollerentur abuſus; prout dominium naturale, non potuit. Quia ius naturale hominum conſtitutionibus non ſubiacet. Vnde, quæ in Iure de filiis Presbyterorum, & de ſpuriis ſtatuuntur, authoritatem patriam, qua politicam, non qua naturalem limitant. Per profeſſionem igitur (addit Caramuël) perdit Religioſus omnem authoritatem civilem, & politicam, quam in filios habebat; non verò naturalem, contra quam nihil potuit profeſſio ſolemnis operari. Imò ſi poſt profeſſionem filios habeat, acquirit in eos verum, ac immediatum dominium naturale. Qua filij enim illi, non ſunt Prælati, conventus, aut alterius quidem, quàm genitoris. Hactenus ibi.

7 Quartò *in diſp. citata, n.* 852. docet, Monachum eſſe verum naturalem Dominum ſuarum actionum naturalium. Quod tam de extrinſecis, vt videre, audire, loqui, comedere, dormire, &c. docet, quàm de intrinſecis, vt intelligere, velle, meminiſſe: ita vt eas eliciendo, non operetur contra paupertatem: Quia earum omnium (inquit) eſt cauſa naturalis: ac proindè habet in eas dominium naturale.

8 Quintò docet ibidem, quod actiones mere internæ nulli hominum ſubditæ ſunt authoritati: ſunt enim (inquit) ſolius agentis, ac proindè Prælatus non poteſt diſponere de actionibus interioribus ſubditi. Probat. Si ſubditus tenetur Prælato ſubiicere actiones merè internas, maximè in quantum pauper, aut in quantum caſtus, aut in quantum obediens. Sed nullo iſtorum modo tenetur. Ergo non tenetur illas Prælato ſubiicere.

Minorem quoad primam partem probat ſic, 9
num. 854. Tunc peccat quis contra paupertatem, quando ſibi dominium, cuius non eſt capax vſurpar. Sed dominium actuum internorum tale eſt, vt ſolum operantem reſpiciat, nec poſſit commutari, cum actus interni non alienentur, vendantur, oppignorentur, aut donentur. Ergo Religioſus, ſubditus, qua pauper, ſubiicere non tenetur Prælato actus ſuos merè internos.

Quoad ſecundam partem probat minorem, 10
n. 853. dupliciter. *Primò.* Quia plures actiones internæ, v. gr. diſcurſus, ratiocinatio, theologizatio, luxuriam non reſpiciunt. Ergo illas eliciens Monachus, non tenetur, qua caſtus, illas Abbati ſubiicere. *Secundò*, quod nec teneatur ſubiicere actiones internas, quarum obiecta ſunt peccata contra caſtitatem, probat. Quia omnes actiones, quæ militant contra caſtitatem, ſunt ſemper peccaminoſæ. Sed cognitio, & ſpeculatio peccatorum contra caſtitatem, ſæpiùs eſt vtilis, laudabilis, & neceſſaria: quomodò enim poſſemus mala fugere, ſi ea non noſceremus: quomodò confiteri peccata præterita, ſi in memoria ſpiritualia eorum idola non conſervarentur? Ergo.

Quoad tertiam verò partem minoris propoſi- 11
tionis, in qua maior poterat eſſe difficultas, ſic *num.* 855. probat. Illa poteſt Prælatus præcipere politicè propter quæ contempta, poteſt inobedientem politicè corripere. Sed non poteſt politicè corripere ſubditum propter omiſſionem actus merè interioris. Ergo circa actus merè interiores nihil poteſt politicè præcipere. Minorem hanc probat demonſtratione. Correctio politica fit per denunciationem, aut accuſatorem, & teſtes, quibus vtique deficientibus, non poteſt fieri. Sed contra actus merè interiores nullus Iudex habet denunciatorem, & teſtes. Ergo nullus Iudex poteſt politicè corripere ſubditum propter omiſſionem actus merè interioris. Secundò eandem probat minorem, *n.* 857. Sic illa poteſt corrigere, quæ poteſt cognoſcere: vnde in Iure, cognoſcere de aliqua cauſa, eſt contra illam procedere. Sed non poteſt cognoſcere actus merè interiores; vt ex ſe patet. Ergo propter illos neminè poteſt corrigere.

Ex quo ſolido fundamento, vtiliſſimam menti 12
omnium Superiorum tenendam doctrinam, *n.* 856. tradit, dicens. Noveris hîc obiter methodum correctionis politicæ: quia licet Prælatus ſine teſtibus poſſit corrigere ea ad quæ Monachus tenetur in foro exteriori; non tamen illa ad quæ graviter tenetur in foro interiori. Benè poterit Prælatus extra formam Iuris dicere: *habe talem pœnitentiam, quia loquebaris.* Ibi enim non agitur de honore Religioſi, ſed de commoditate. Et hanc etiam poterit Prælatus innocenti Religioſo indicere, ſolummodò vt mortificetur. Cæterum non poterit, ſi deficiant teſtes, illum corrigere publicè, licet evidenter ſciat quod fuerit inobediens, proprietarius, aut incontinens: quia hîc ageretur de honore ſubditi, quem poſſidet, non autem ante ſententiam iuridicam te poſſeſſa privari.

Hactenùs Ioannes Caramuël, qui hanc ſuam 13
doctrinam, hac interrogatione explicat, & reſponſo, *n.* 857. videlicet. Petis, *vtrum extra fori, & Iuris ſolemnitates, poſſit Prælatus publicè corrigere peccata ſecreta venialia?* Poteſt, ſi ex tali publicatione nec levis ignominia oriatur contra Religioſum. Poteſt tamen accidere, quod Prælatus

publicans secretam culpam venialem, peccet non venialiter solum, sed mortaliter.

14 Docet randem præfatus Doctor, *eadem disp.* 59. *num.* 858. actiones extrinsecas, titulo dominij ad operantem pertinere; titulo autem obedientiæ posse subiici Prælato. Vndè (infert) qui contra mandatum Prælati aliquam exercuerit, non erit proprietarius. Ratio, ex dictis, est manifestissima, quam penetrant etiam indocti. Ille etenim, qui tacere iussus, loquitur, ab omnibus vocatur inobediens, à nullo proprietarius.

15 Præallegatos Authores sequitur Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib.* 4. *de Statibus cap.* 1. *dubit.* 4. dicens. Religiosus ex voto paupertatis obligatur, vt nihil habeat proprium. Nomine proprij autem intelliguntur bona temporalia pretio æstimabilia, quorum dominium, vel certè facultatem disponendi liberam, & independentem, in perpetuum abdicavit. Constat *ex cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *cap. Monachi.*

Dicitur I. *Bona temporalia*: quia retinet Religiosus dominium bonorum spiritualium honoris, famæ, & similium. Item ius eligendi, præsentandi, conferendi Regulare beneficium, &c. S. Th. 2. 2. *quæst.* 166. (cum dicere deberet 186.) *art.* 7. Sanchez *lib.* 7. *cap.* 18. Lessius, *lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. Hactenus Bussembaum.

16 Præter doctrinas in medium prolatas, plures alias, & fine numero quidem, reddere benè possem, pro illustranda, demonstrandaque veritate propositionis nostræ, in qua asseruimus, posse propria ex authoritate Religiosum, sine voti paupertatis iactura de bonis omnino spiritualibus disponere. Sed quia superfluum est alias cumulare, libuit præfatis solum addere diffinitionem paupertatis Religiosæ, vitio proprietatis oppositæ, quam penes Lautentium de Peyrinis, *tom.* 1. *de subdito, quæst.* 2. *cap.* 1. tradit Aluarez *tom.* 2. *de vita spirituali, lib.* 5. *part.* 1. *cap.* 1. dicens *Paupertas Religiosa, & abdicatio omnium rerum temporalium opere, & voluntate ob amorem Dei, & desiderium perfectionis.* Paupertas igitur est abdicatio rerum temporalium, non spiritualium.

17 Quo ductus fundamento, resolutionem nostram tenuit Antonius Diana, *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 17. *in fine*, sic resoluit. Potest igitur Religiosus gratis scribere, pingere, &c. orare, celebrate pro Paulo, licet sciat eum venditurum manu scripta, aut recepturum eleemosynam pro orationibus. Quia ipse non dat Paulo pecunias, sed suæ industriæ, aut orationis extrinsecos actus, & hos gratis, quos ni contrarium Prælatus iusserit, liberrimè donate potest (idem & eisdem prius dixerat verbis Caramuël, *in Commentario, in S. Regulam, disp.* 59. *sub num.* 670.) & *part.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 9. sequutus Franciscum Sousa, in explicatione Bullæ Clementis Papæ Octavi, de largitione munerum Religiosis interdicta, §. 3. *n.* 74. *in fine*, cuius sententiam, & verba sic sequitur, & recenset. Respondi negativè, & authoritate P. Francisci de Sousa, *in explicatione, &c.* Vbi sic asserit. *No seria contra esta ley, dezir tantas Missas, por la intençion de vno, aunque entienda sea el de aprovechar de la pitança. Porque en este caso no se da* (scilicet *cosa*,) *que no sea meramente spiritual. Loqual entiendo, si no està obligado a celebrar por su convento.* Hæc ex Sousa Diana, ad probandum Religiosum celebrantem aliquas Missas ad intentionem alicuius amici, scientem amicum stipendium pro illis accipere, non peccare contra paupertatem, nec includi in Bulla præfata. Quam Sousæ doctrinam, & rationem magnificat Caramuël, vbi proximè, *n.* 880. *& seq.* in sequentia prorumpens. Monachus potest celebrare Missas pro quocumque amico sine licentia Prælati, dummodò non recipiat eleemosynam. Hæc sententia in nostra Religione Benedictina est clara, est certa: quia non habemus particulares obligationes celebrandi quotidiè, quod autem facimus ex devotione, possumus cuicumque applicare. Interim in Religionibus, in quibus Monachi tenentur Missas legere pro Communitate, non potetunt eas pro amico dicere, cum Communitatis detrimento: puta, si amicus recipiat novam eleemosynam, aut velit non devotioni, sed obligationi ortæ ex aliquo pretio satisfacere: Et sub hac limitatione intelligatur resolutio subsequens. (videlicet.)

Potest celebrare Missas ad intentionem cuiuscumque amici, licet sciat, hunc amicum recipere stipendium pro illis. Ita Sousa, in explicatione Bullæ, §. 3. *n.* 74. cui subscribit Diana, *tract. de Paupertate resol.* 6. Ratio qua vtitur Sousa, est efficacissima: quia Monachus nihil dat amico, quod non sit spirituale: quod alter accipiat stipendium, aut non, est Monacho per accidens, ideoque nullus locus scrupulo. Hactenus Caramuël.

18 Eandem limitationem tenet Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 128. cum Molina, *tom.* 3. *de iust. disp.* 687. & Roderiquez, *tom.* 3. *quæstionum Regular. quæst.* 29. *art.* 13. *& in Summa, part.* 2. *cap.* 31. *n.* 6. & aliis, quatenus ex eis docet, esse proprietarium Religiosum, qui contra sui Ordinis Constitutiones recipit iustum stipendium pro prædicationibus, Confessionibus, aut Missis, &c. Ex quo enim (inquit) in professione promisit vivere sine proprio, capiens dictum stipendium invito Superiore, committit actum proprietatis, licet non detineat dictum stipendium in sua potestate. Si igitur proprietarius est, qui stipendium promissis recipit, eo quod prohibita sit per Constitutiones huiusmodi receptio: à fortiori, in ista sententia proprietarius erit, qui prohibitus celebrare pro alio, quàm pro Conventu, pro alio celebrat, qui stipendium accipit.

19 Idem Author, *quæst.* 130. *num.* 2. nostram tenet dubij resolutionem, quatenus docet, quod si alter Religioso liberè trigintatribuat argenteos, & Religiosus illi triginta Sacra merè gratis promittat, non est iste proprietarius: neque si absque pacto Religiosus promittat Sacra, & illi alter, cui illa promisit, illi, in gratitudinis signum, liberè pecuniam tribuat. Et pro vtroque, eandem reddit rationem hanc. Videlicet, quia revera, hæc omnia gratis dantur. Supponit tamen, & bene P. Bartholomæus, Religiosum habere licentiam pecuniam illam accipiendi.

20 Sed contra resolutionem suam, & nostram, sic obiicit Caramuël, *num.* 881. *allegato.* Nihil dat Religiosus amico, quod spirituale non sit, hoc est, supernaturale: hoc enim hîc nomine spiritualis intelligitur. At ille amicus pro hoc ipso spirituali recipit stipendium. Ergo committit simoniam: non enim potest stipendium recipi pro re spirituali.

Nec valet dicere, quod ille amicus laborem vendat: non enim potest ipse suum, nec alterius. Non suum, quia ipse nullo modo laborat: non alterius, quia Religiosus non dat amico materia-

lem

lem laborem, sed valorem supernaturalem: aut si laborem dat, falsum est dicere, quod nihil dat amico, quod non sit spirituale: labor enim veniendi ad Ecclesiam induendi se, & legendi materialis, & non spiritualis est.

21. Dupliciter respondet præfatus Doctor. Primò, nomine spiritualis, non solum supernaturale, sed etiam naturale intelligit. Spiritualis enim est intellectus, spiritualis est voluntas, & spiritualis istarum potentiarum actus. Ire, redire, legere, & similes actus non sunt purè materiales: nam cum liberi sint, & propter finem facti, mixti sunt, è corporeis, & incorporeis coaliti. Ergo si Religiosus hos omnes spirituales actus suo cedit amico, habet ille, quos vendere queat. Non enim simonia in quarumcumque rerum spiritualium committitur venditione; sed in sola venditione rerum supernaturalium, aut etiam si velis, moralium.

22 Respondet Secundò, permittendo, vt nomine spiritualis, supernaturale in nostro casu intelligatur: & dicendo etiam nomine stipendij in Missis, intelligi eleemosynam: neque esse simoniam actum virtutis, pro actu virtutis commutare. Vt si ex. gr. tecum contraherem dicens: commenda me Deo, & ego te etiam commendabo. Lege pro me vnam Missam, & ego tres Ecclesias pro te visitabo. Rosarium pro me recita, & ego pauperi eleemosynam dabo: & si tu pauper es, tibi illam dabo. Ita doctissimus Caramuël, qui n. 882. iterum vt sequitur, fatur.

23 Dico non esse illicitum facere conventionem in rebus spiritualibus: putà, si Petrus ex conventione celebret Missam pro Paulo sub conditione onerosa, quod Paulus recitet pro ipso Psalmos pœnitentiales, vt ante paucas lineas dicebamus. Quam vtique doctrinam expendit hoc casu, scitu dignissimo, quia fortè non rarò, sed frequenter evenit. Petiit Petrus à quodam Monacho viginti Missas, pro earum stipendio offerens, tot florenos: respondit Religiosus: (1.) ego legam Missas pro te gratis, sub hac tamen conditione, quod istud stipendium, (2.) quod non accepto, (3.) des tali gratis amico meo. *Quid dicendum?* Respondeo omnia esse licita. *Primum* ex *resolutione* 16. & 17. *Secundum*, ex 13. *Tertium*, ex 15. & interiectis, quæ in principio huius versiculi ex eo recensui, resolutionem concludit dicens. Sic similiter potuit ille Monachus celebrare pro Petro sub hac conditione, quod Petrus illius intuitu, faceret opus misericordiæ, largiendo talem pecuniam amico vel pauperi.

DVBIVM XIX.

An Religiosus, sine Prælati sui venia, possit per contractum se obligare ad celebrandum numerum aliquem Missarum, & de quantitate stipendij, pitantiæ, seu eleemosynæ conventionem facere, absque peccato proprietatis?

BREVIARIVM.

Paupertas Religiosa.

Religiosum reddit omninò incapacem iuris, & actionis civilis independentis, n. 3.

Proprietas.

Non est proprietarius, qui conventionem facit dicendi certum numerum Missarum pro tali stipendio; dummodò hoc non recipiat de facto sine licentia, n. 2.

Debet tamen non habere animum aliquod Ius, seu actionem acquirendi ad stipendium proprio nomine, sed Conventus, n. 3.

Non procedit difficultas respectu Religiosi, qui ex Lege, aut instituto sui Conventus tenetur pro ipso Conventu, aut Prælati intentione omnes Missas applicare. Quia certum est huiusmodi Religiosum non posse licitè Missarum applicationem dilatare, & extendere, vti docet Fulgentius de Oviedo *in Republica Regulari, par. 1. tract. 9. cap. 2. quæst. 12.* cum Francisco Suarez, & Dubio præcedente vidimus ex Sousa, Diana, & Caramuële, non posse pro alio, quàm pro Conventu Missas celebrare. Procedit itaque in Religionibus, vbi ex lege, aut consuetudine, secundùm diversorum Conventuum dispositionem, est statutum, vt omnibus Sacerdotibus permittatur aliquibus diebus pro se, & ad percipiendum pro suis indigentiis stipendium, & gravioribus etiam Patribus, v. g. Prælatis, tàm præsentibus, quàm præteritis, Magistris, Lectoribus, &c. quod omnes Missas, quas celebrant, pro sua applicent intentione. 1

CONCLVSIO.

Resolutio est affirmativa, ita vt Religiosi cum proportione ad Missas, quas pro sua intentione applicare possunt, possint obligationem Missarum contrahere, & super stipendio, seu eleemosyna illarum conventionem facere; quando autem stipendium Religiosi accipiunt, illud Prælato manifestare debent, Ita docet præfatus Fulgentius de Oviedo *loco nuper allegato*, Et probatur. Quia huiusmodi in illo contractu ad nihil se obligat, quod de facto nequeat absque vitio proprietatis, persolvere. Quod enim ipse permittit spirituale est. Sed rerum spiritualium liberam habet Religiosus dispositionem: ergo absque vitio proprietatis potest ad Missas celebrandas obligari. 2

Vnum tamen hîc advertere libuit, quod talis Religiosus, vt immunis sit à proprietatis vitio, debet non intendere, per huiusmodi contractum, acquirere Ius, seu actionem ad exigendum stipendiū promissum, nomine proprio, & independenter à Prælati voluntate. Si enim talem haberet intentionem, dubio procul proprietarius esset: quia Religiosus solemniter professus incapax omninò est omnis iuris, & actionis independentis rerum pretio æstimabilium: imò & vsus illarum pariter independentis. Intendat igitur ius illud acquirere nomine Conventus sui, dominij capacis, & proprij Prælati, & dependenter ab illius voluntate, quæ quidem rationabiliter præsumitur intervenire in recensito sui subditi contractu. 3

DVBIVM XX.

An Religiosus proprietarius sit, si negligens deprehendatur in conservandis, & custodiendis rebus, sibi ad vsum suum concessis, & quænam cura ei sufficiat, vt tantum flagitium euadat?

BREVIARIVM.

Culpa.

Lata culpa, dolo æquiparatur, n. 7.

Dominium.

Posse rem perdere, destruere, & deteriorem efficere est actus dominij, n. 3. 8.

Paupertas Religiosa.

Peccat contra votum paupertatis si res suo vsui concessa pareat, aut deterior fiat, dolo aut culpa sua, & contra iustitiam, à n. 1.

Exemplo horribili comprobatur, n. 2.

Peccant contra iustitiam Prælati, & Officiales, quibus ex officio, rerum custodia commissa est, & contra paupertatem, si eorum negligentia pereant, vel deteriores fiant: priuati autem contra charitatem si possint impedire, & non impediant: & omnes quidem mortaliter, n. 9.

Restitutio.

Restituere tenetur Conventui Religiosus, de suo peculio damnum illi illatum ex destructione, alienatione, aut deterioratione culpabili rei, sibi ad vsum concessa, n. 4.

Tenetur Religiosus iste negligens in rebus ipsi concessis, de culpa lata, imò de levi, n. 5. 7. 8.

Vsuarius.

Qui precario vtitur, de culpa lata tenetur, numero 5. 6.

DVas continet partes difficultas proposita quarum cuilibet sigillatim fieri satis oportet. Quod libuit duabus efficere conclusionibus.

CONCLVSIO I.

1 PEccat contra votum paupertatis Religiosus, si res eius vsui concessa, non solùm destruatur, aut deterior fiat dolo ipsius Religiosi, sed etiamsi eius culpa pereat, aut deterior efficiatur.

Hanc tenent Laurentius de Peytinis *tom. 1. de Subdito, quæst. 2. cap. 2. §. 9. quæsito 6.* Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo 1. tract. 4. cap. 2. sect. 3. quæst. 19 nu. 229.* cum Paulo Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 9.* Sanchez *in Decalogum, tom. 2. libro 7. cap. 19. num. 115.* Iacobus Aluarez *de Vita Religiosa instituenda, lib. 6. cap. 21. pag. 1009.* Lessius *de Iustitia, & Iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 9. num. 78.* Cardinalis de Lugo *tract. eodem, tom. 1. disput. 3. num. 169.* Lessius *dicto loco, versic. Decimò*, addit peccare etiam contra iustitiam.

2 Veritas Conclusionis illustratur exemplo cuiusdam Monialis excalceatæ Conventus S. Iosephi Pampilonensis, quæ post mortem apparuit Virgini Franciscæ à sanctissimo Sacramento, eiusdem Conventus Sanctimoniali: *que traya encendidos los pies en vivo fuego* (periodum exhibeo Lanuzæ *in Vita V. Franciscæ, lib. 2. cap. 5. nu. 4. pag. 208.*) *Y le dixo, que aquello padecia por la falta de la pobreza, no reparando enque se le quemaban las alpargatas por calentarse.*

3 Probatur ratione Conclusio. Posse rem perdere, destruere, & deteriorem efficere, est actus proprius dominij, & indicat vsum proprietarium. Sed omnis actus dominij, & proprietarius, prohibitus est Religioso in vim voti paupertatis: ergo in vim voti paupertatis, prohibetur Religioso, rem perdere, destruere, & deteriorare dolo saltem aut culpa, quæ dolo æquiparetur.

4 Ex quo infertur, Religiosum huiusmodi, si habeat peculium suæ administrationi concessum, teneri in isto casu, ex eo Conventui restituere, cui ex tali destructione, aut quacumque alia inutili alienatione, damnum fuerat illatum. Ita Layman, recensitus, & non improbatus à Pellizzario.

Ita etiam in simili de Religioso deperdente in ludo vltra quantitatem sibi licitam, docet noster Fulgentius de Ouiedo *in Republica Regulari, par. 1. tract. 9. cap. 2. quæst. 16.* qui licet neget dari posse veram restitutionem ex parte Religiosi, respectu Conventus sui, aut alterius quidem tertij, quia restitutio fieri debeat ex bonis proprijs, quorum incapax est Religiosus; asserit tamen posse, & debere Conventui suo facere satisfactionem meliori, quo possit modo. Facit ergo Religiosus (inquit, *versic. finali, post medium*) seu intendit facere quantum in se est, vt parti damnificatæ, seu Monasterio reparetur damnum illatum per illum ludum, in quo pecunia perdita ablata fuit, si ex alia pecunia, quæ tunc est in eius peculio deputata suis specialibus indigentijs, & necessitatibus sequestrata iam, & separata ad hoc à bonis reliquis communitatis, cuius iam non sperabat communitas adiuvari, reddat communitati ipsi tantam quantitatem, quantam collusor lucravit, maluit, & noluit restituere. Et paucis interiectis concludit. Et hanc restitutionem, seu quasi, & etiam latè dictam satisfactionem, Religiosus sub mortali, præter peccatum mortale, quod commisit ludendo, & deperdendo illam. Et hæc doctrina notetur pro restitutione, ad quam tenentur Religiosi, de quo infrà. Hactenùs P. Fulgentius.

CONCLVSIO II.

5 TEnetur Religiosus eam præstare diligentiam in rebus ipsi ad vsum concessis conservandis, quam præstare tenetur Vsuarius, qui precario vtitur. Vnde culpam latam debet vitare, quæ dolo æquiparatur. Ita docent Lessius *dicto versic. Decimò.* Bartholomæus à Sancto Fausto *in Speculo Confessariorum, disput. 34. quæst. 10. num. 28. & 29.* Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 1. tr. 4. cap. 2. sect. 3. num. 229.* vbi docet Religiosum habentem peculium suæ administrationi concessum, teneri in casu culpæ, aut negligentiæ latæ, ex eodem peculio Monasterio restituere damnum illatum ex tali destructione, aut ex quacumque alia inutili alienatione. Pro quo remittit ad Ioannem de Lugo *de Iustit. disp. 3. nu. 169.* verba Leonardi reddere libuit.

Tenetur præstare eam diligentiam in rebus ipsi permissis conservandis, quam Vsuarius, qui precario vtitur. Vnde tenetur vitare culpam latam; hanc enim tenetur vitare omnis, qui aliquid precario

rio accepit, *l. Quæsitum est*, §. *Eum quoque*, *ff. de Precario*: itaque si res ipsius negligentia pereat, vel deterior fiat, peccat contra iustitiam, & consequenter contra obligationem voti.

7 Quod confirmatur: quia si dolo eam destrueret, vel deteriorem redderet, peccaret contra votum: ergo si etiamsi ex culpa lata: nam hæc ad eandem speciem pertinet, & culpa lata dolo æquipatatur.

8 Hactenùs Lessius, cuius verbis, & sensu eorum vtitur Bartholomæus à Sancto Fausto. Imò addunt hi duo Authores, quod si res concessa sit Religioso, etiam in ipsius proprium commodum (vti de facto, dubio procul, conceditur, quicquid de Prælati licentia ad suum vsum habet) tenearur ex culpa levi, sicut in commodato, quod in commodantis, & commodatarij vtilitatem præbetur, iuxta *l. In rebus*, §. *Hoc itaque*, §. *Commodati*, & *cap. vnico de commodato*. Vnde si res sic Religioso concessa, culpa ipsius levi pereat, peccat contra iustitiam, ac proindè contra obligationem voti paupertatis. Lessius tamen, mitiùs in hoc puncto se habet, cum illud concludat dicendo. Sed non videtur hoc ita severè in Religione interpretandum.

Prædictus Bartholomæus à Sancto Fausto, eundem, quam loco allegato tenuit sententiam in *Thesauro Religiosorum*, *libro* 8. *de Voto paupertatis*, *quæst.* 170. vbi etiam illam probat ex hac duplici ratione. *Prima*, quia poste res consumere, & deteriores facere pro suo libito, proprium est veri dominij: quo caret omninò Religiosus. *Secunda*, quia Religiosus in rebus sibi ad vsum concessis, solùm habet vsum facti: ergo si res huiusmodi, culpa ipsius pereant, aut deteriores fiant, esto culpa levis sit, peccat contra iustitiam, & votum paupertatis. Et adducit pro se eundem Lessium, & Thomam Sanchez *in Decalogum*, *tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 26 *n.* 115.

9 Et addit, quod non solùm Superiores, & Officiales Monasterij, quibus ex officio, rerum custodia commissa est, peccant mortaliter contra iustitiam, & contra votum paupertatis, si illorum negligentiis res ipsæ pereant, aut deteriores fiant, sed etiam Religiosi particulares peccent mortaliter contra charitatem, si vident aliquam destrui, vel perdi, quod damnum possint impedire, & ex negligentia non impediant; quod dubio procul in materia gravis momenti intelligendum est.

DVBIVM XXI.

An proprietarius sit Religiosus, qui suis vtitur manuscriptis tanquam proprijs?

BREVIARIVM.

Obedientia.

Qui vovit parere in omnibus, quæ non sunt manifestè peccata, non tenetur obedire, nisi in licitis, & honestis, n. 5.

Paupertas Religiosa.

Religiosus ad aliam transiens Religionem potest secum deferre vestes, n. 2. 6.

Et Breviarium, n. 6.

Potest etiam deferre secum scripta à se. à n. 4.

Manuscripta à se, vel ab alio, illæsa paupertate potest Religiosus donare, n. 4. 14.

Qui sua, aut aliena manuscripta renuit alteri commodare Religioso, etiam præcipiente Prælato, contra charitatem, obedientiam, aut paupertatem videtur peccare iuxta Pellizzarium, n. 5.

Dominium directum habet Religiosus in manuscripta sua, prout continent ideas interioris hominis, & indirectum, prout continet charta folia, n. 7. & 15.

Dominium directum, quod habet in sua manuscripta, non est dominium proprietatis, sed altioris ordinis, scilicet intentionalis, n. 16.

Scripta.

Sunt quasi pars scientiæ, & doctrinæ, & deserviunt vt adminiculum memoriæ, à qua scientia dependet, n. 17.

Dominium habet, & quale Religiosus in sua manuscripta, n. 4. 5. 7. 14. 15. 16.

Dvplicem invenio sententiam circa difficultatem propositam, seu ex qua resolutio elici possit. Inquitunt enim Doctores, *An Religiosus ad aliam transiens Religionem, possit secum deferre sine licentia, & beneplacito Prælati prioris Conventus manuscripta à seipso elaborata?* & inter se divisi; alij sentiunt posse secum manuscripta deferre; alij verò non posse defendunt. Qui primum tenent, supponunt, licet non omnes se explicent, Religiosum habere dominium suorum manuscriptorum; è contra verò, qui secundum. Vnde ex hac opinionum varietate, circa delationem dictorum manuscriptorum ad aliam Religionem, inferri benè potest cuiuslibet Doctorum placitum, pro nostri dubij resolutione. 1

Sententia igitur negans defenditur à Bartholomæo à Sancto Fausto *in Thesauro Religiosorum*, *libro* 5. *quæst.* 375. *num.* 5. *pag. mihi* 444. cum Navarro *lib.* 5. *Consiliorum*, *tit. de Regularib. conf.* 55. *num.* 9. & 10. dicens: Religiosus ad aliam Religionem transiens, nihil potest secum deferre ex acquisitis priori Monasterio præter solas vestes, & has quidem ex tacita licentia Superioris. Quare nec scripta à se elaborata portare secum potest, nisi essent inutilia priori Monasterio, vel nisi crederet non fore ingratam Superiori delationem. Hæc P. à S. Fausto. 2

Eiusdem sententiæ fuit Emmanuël Rodetiquez *tom.* 2. *qq. Regularium*, *quæst.* 79. *artic.* 2. *in fine*, vbi ita fatur. Ex quibus infertur, quod potest secum deferre scripta, quæ inutilia essent suæ priori Religioni, & alia quorum delationem probabiliter crederet præfato, non suo fore ingratum; reliqua verò minimè, nisi relictis originalibus, vel eorum copijs, per quas fieret translatio eorum, esset Religioni damnosa. Hæc ille, quem eius nepos Hieronymus Rodetiquez sequitur *in Compendio*, *resolut.* 123. *num.* 82. *in princ. pag.* 893. Idem tenet Villalobos *in Summa*, *tom.* 2. *tr.* 35. *diffic.* 14. *n.* 5. quam sententiam probabilem esse ait Diana *par.* 5. *tr.* 2. *resol.* 63. *pag.* 46. 3

CONCLVSIO.

Sententiam tamen contrariam, asserentem posse Religiosum transeuntem ad aliam Religionem sine licentia Superioris Religionis prioris secum deferre manuscripta à se elaborata, defendunt Diana *loco allegato*, & *part.* 1. *tract.* 6. *resolut.* 25. cum Ioanne Valero *in Differentiis vtriusque fori*, *verbo* 4

verbo Munera, *num.* 106. asserente quod libri manuscripti semper sunt Religiosi, & eos secum potest semper deferre quocumque vadat, etiamsi se transferat in aliam Religionem. Et *verbo Regularis*, *differentia* 8. *num.* 2. vbi docet id esse verum, etiam nulla petita licentia, & nullis eorum relictis copiis, & sic se vidisse testatur, quendam Religiosum doctissimum è Societate Iesv ad suam Carthusianam Religionem transisse secum deferentem duos libros à se compositos, nulla ad id à suo Prælato licentia petita. Et addit Diana, posse Religiosos inter se manuscripta donare, sine contraventione Constitutionis Clementis VIII. de largitione munerum, ita ipso Clemente declarante, vti notarunt Coriolanus, *tract. de Casibus reservatis, part.* 2. *casu* 16. *num.* 19. & Homobonus *in examine Ecclesiast. par.* 1. *tract.* 7. *cap.* 22. *q.* 100. ac per consequens absque vitio proprietatis. Noctinot *in Compendio*, *verbo Paupertas Religiosa*, *num.* 3. Dianam recenset, & sequitur.

5 Pellizzarius etiam *in Manuali Regularium*, *tomo* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 306. *pag.* 323. cum Alphonso de Leone *de Officio Confessary, recol.* 11. *num.* 227. negat Religiosum peccaturum contra charitatem (imò nec contra paupertatem, aut obedientiam innuit) si renueret commodare aliis suis Correligiosis sua manuscripta propriis studiis, ac laboribus confecta, idque etiam in casu, quo Superior suum interponeret præceptum. Non enim (inquit) videtur Superior id posse præcipere, & si Religiosus subditus voverit parere in omnibus, quæ non sint manifestè peccatum. Hoc enim intelligendum de rebus, tum licitis, tum honestis: qualis non videtur esse, quod Concionator, aut Lector se privent suis manuscriptis. Et addit Pellizzarius id procedere, etiam quoad aliena manuscripta aliàs concessa Religioso: quippè quæ eodem iure censentur, & à quocumque Religioso liberè solent deferri, Prælatis scientibus & non dissentientibus. Hæc ille. Ex quibus omnibus convincitur Pellizzarium in nostra fuisse secunda sententia. Illam expressè approbat *eodem tomo, tract.* 3. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 156. & *cap.* 2. *cit. num.* 318. docet libros manuscriptos semper esse Religiosi, & donare posse illos. Vide infrà, *dub.* 22. *num.* 26.

6 Illam tenet Cardin. Lugo *de Iustitia*, *disput.* 3. *sect.* 11. *num.* 30. qui licet dominium expressè non concedat Religioso respectu suorum manuscriptorum, concedit tamen licentiam dicens. Certè vsus omnium hoc habet, vt omniasua scripta, & partus proprij ingenij secum deferant, qui ad alium Ordinem transeant: ad quod saltem est tacitus prælatorum consensus, qui eo ipso quod abeundi licentiam concedunt, permittunt eiusmodi scripta deferri, quæ sunt maximè cum persona connexa, magis quàm vestes, ad quas est etiam tacita licentia: quia quæ quisque sibi scribit, sunt quasi subsidia propriæ memoriæ, seu lucubrationes, & meditationes in charta expressæ; ad quas secum deferendas nec ipsi quidem Religiosi quando ex vno loco ad alium mutantur, vel ab vna provincia ad aliam, licentiam vnquam petunt. Sicut neque ad Breviarium, aut vestes, quia hæc omnia videntur vnum facere cum persona, quæ mutatur. Hæc omnia Eminentissimus præfatus *tom.* 1. *de Iustit. pag.* 91.

7 Illam præ omnibus tenet noster Ioannes Caramuël *in Theologia Regulari, Commentario in Regulam S. P. N. Benedicti*, *disput.* 59. *num.* 831. & *in Theologia fundamentali*, *fundam.* 51. *sub* §. 10. *num.* 1421. *versic. Respondi.* In priori hanc lego resolutionem. *In manuscripta sua habet verum dominium Religiosus.* Et sic se explicat ibi. Manuscripta possunt considerari, provt tot continent chartæ folia; & provt continent ideas interni hominis. Et in hac secunda consideratione docet, Religiosum habere directum dominium in manuscripta sua, & indirectum in prima: ita vt illa possit deferre quocumque vadat, etiamsi transeat ad aliam Religionem; nulla obtenta, aut petita quidem licentia. Quod prius ait docuisse Valerum, *dicto num.* 106.

Quod habeat dominium directum in manuscripta, provt ideas continet, probat sic. Manuscriptum in quantum est idea, totum *esse*, est esse imaginem: quia idea nihil est aliud, quàm mentalis imago. Atqui non est imago communitatis, non Abbatis, sed tantummodò hominis interioris discurrentis, & philosophantis: ergo manuscriptum, quantum idea est, non pertinet ad Abbatem, neque ad communitatem, sed solum ad Authorem. Ita ille *n.* 832. 8

Sibi hanc opponit Caramuël obiectionem, sequi scilicet hinc Regem Hispaniæ, v. g. habere verum, ac directum dominium in picturam suam, quæ est in Artificis officina, quod est manifestè falsum. Sequela probatur. Totum *esse* picturæ qua talis, est esse imaginem. Atqui hæc pictura est imago solius Regis: ergo in quantum est imago, est solius Regis: ergo solvendo aliquid pro linteo, & coloribus, potest eam Rex detinere, nulláque fiet iniuria pictori, cum totum id commutetur, quod est præter imaginem in tabula, seu linteo. Sic Caramuël *n.* 833. sed in sequenti numero. 9

Respondet negando sequelam, cum Rex nullum habeat in picturam illam, dominium, sed totum ad pictorem pertineat tam pro materiali, quàm pro formali. Ad probationem, concessa maiori, negat minorem. Quia in rigore, pictura illa non est Regis imago, sed ideæ pictoris, quia huius ideæ, est imago perfecta, & naturalis. Regis autem largo quodam modo, mediato, indirecto, & metaphorico. Atque ideò, in rigore iustitiæ, dominium picturæ habet pictor, qui est dominus materiæ, & formæ, qua talis, cuius totum *esse*, est ad pictoris ideam. 10

Sed instat: ergo qui contemplatur picturam, fit dominus formæ picturæ. Quia pictura qua talis est similis ideæ contemplantis: ergo totum suum esse habet ad talem ideam. Ac proindè picturæ forma ad mentem pertinebit speculatricem. 11

Respondet tamen negando primam consequentiam, & ad probationem, distinguit assumptum illud: pictura, qua talis, est similis ideæ contemplantis: vt causa, concedit; vt effectus, negat. Et similiter distinguit consequens: ergo totum suum esse habet ad talem ideam: vt causa, concedit; vt effectus, negat. Pariter & distinguit vltimum consequens: ergo picturæ forma ad mentem speculantis pertinebit: vt ad effectum, concedit; vt ad causam, negat. 12

Hinc autem nihil probatur, quia effectus non habet dominium in causam; sed è contra, causa dominium habet in effectum. Vnde si picturæ fuisset dominij capax, dominium vtique in contemplantis actum haberet, non quidem sub ratione entis; sed solùm sub imaginis 13

ginis ratione. Et concludit Author allegatus dicens. Maneat igitur inconcussa illa ratio, qua directum dominium Religiosi in sua manuscripta comprobavimus.

14 Confirmat suam, & nostram sententiam, ex Declaratione Clementis Papæ VIII. qui (vt notant Homobonus, & Coriolanus, *locis suprà recensitis*) asseruit Monachos posse alienare sua manuscripta, absque peccato contra Bullam de largitione munerum, quam publicaret. Atqui si manuscripta ad Communitatem pertinerent assertio Clementis fuisset falsa: ergo manuscripta pertinent ad suum Authorem, non autem ad Communitatem. Probat minorem. Quia manuscripta sæpè maximi sunt valoris: & præfatus Pontifex in dicta Bulla elargiri prohibet Religiosis, non solùm res magni pretij, sed parui.

15 Quod manuscripta sumpta pro materiali, prout dicunt chartam, papirum, scilicet, & atramentum, non pertineant ad suum Authorem, tanquam ad verum dominum directum, sed ad communitatem, concedit noster Caramuël; asserit tamen ad illum pertinere indirectè. Quod sic probat, *num.* 838. ad illa extenditur dominium indirectè, quibus dominium directum indiget ad sui conseruationem. Sed talis idea manoscripti scilicet, indiget charta, & atramento ad sui conseruationem, vt de se patet. Ergo si Religiosus habet dominium directum in huiusmodi ideam, habebit etiam indirectum dominium in chartam, & atramentum. Maiorem probat. Petrus est dominus vitæ suæ, non quod possit alteri illam dare, sed quod nullus præter ipsum habet directum dominium in illam, non est dominus ciborum pertinentium ad Paulum; verum si aliquandò contingeret, quod eius vita non possit subsistere sine talibus cibis, haberet in illos ius, atque dominium indirectum (fortè, & directum, id non disputo.) sic similiter in nostro casu. Si ideæ illæ, & imagines possent subsistere sine charta, Monachus non haberet in hanc ius, siue dominium indirectum. At subsistere nequeunt sine charta. Ergo Author, qui in illas habet ius directum, opus est habeat indirectum in chartam.

16 Idem Doctor *dicto fundamento* 51. *& n.* 1421. suam doctrinam declarat dicens, hoc dominium directum, quod habet Religiosus in manuscripta suâ, non esse dominium proprietatis, sed alterius ordinis valdè diuersi: nam iste liber iure proprietatis illius est, qui illum emit, & hoc non obstante, (inquit ille.) est Caramuelis, non qua res, sed qua liber. Sic similiter philosophatur circa manuscripta Religiosi, ita vt ille habeat dominium in illa, qua librum, prout scilicèt continent ideas interioris hominis ipsiusmet Authoris; Communitas autem, seu Conuentus huiusmodi Religiosi, habeat dominium proprietatis in eadem manuscripta, qua folia chartæ. Et vtrumquè dominium distingui certum est: quia qui hunc librum emerit, illius dominium proprietatis habebit: & si illum vendiderit, proprietas illius transibit ad nouum emptorem, si liber vt res consideretur, seu qua folia; si verò qualibet, semper eundem habet dominium: semper est meus. Dominium denique qood habeo in hunc librum, qua talem intentionale est; quod autem in eundem habet Caramuël nobium meum, qua talem, reale est, vti bene Caramuël.

Pro coronide huius dubij, libuit reddere doctrinam Francisci Suarez, *tom.* 2. *de Religione, lib.* 6. *de Voto, cap.* 3. *num.* 10. quam recenset Pellizzarius *in Manuali, tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *sect.* 3. *num.* 156. *pag.* 217. Eandem refert Castrus Palaus, *part.* 3. *tr.* 16. *de statu Religioso, disp.* 3. *punct.* 17. §. 1. *num.* 2. *pag.* 304. ex eodem Suarez; *de Religione, tomo* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 10. Suarez vero non citato (sic in Pellizzarij lego) quamuis sub aliqua formidine, videtur inclinari in contrariam sententiam, ex eo quod scripta sunt quasi pars scientiæ, & doctrinæ acquisitæ in Religione, deseruiuntque in adminiculum memoriæ, à qua maximè pendet scientia: sicut ergo Religiosus transiens potest secum deferre suam scientiam, & doctrinam; ita & par est, vt deferre possit propria scripta, quæ alioquin non potest relinquere sine notabili præiudicio propriæ doctrinæ: accessorium quippè sequitur principale: ideòque cum scripto sint vel vt accessorium respectu doctrinæ, possunt, & debent comitari personam, ad cuios propriam scientiam, pertinent; quæ ratio magis probaret intentum in casu, quo Religiosus defferat scripta sibi vnica, & singularia, quorum copiam alioqui inuenire non possit: iis enim (inquit Suarez) maiorem aliquam excusationem haberet, ita vt non audeam illum condemnare: præcipuè, si solum ad vtilitatem propriam ea deferat, animo illa restituendi, cum primum, vel ea potuerit transcribere, vel saltem in fine vitæ, si prius non potuerit absque magno incommodo. Hucusque ibi.

Libuit etiam recensere eundem Pellizzarium, 18 *tract.* 6. *cap.* 9. *sect.* 1. *num.* 19. vbi inquirit. *An vi Bullæ Clementis Octaui, de Largitione munerum prohibeantur Regulares donare partus ingenij: nimirum conciones, lectiones, & alia id genus?* & sic respondet.

Respondeo non prohiberi, licet aliàs plurimi æstimentur, ac magno pretio vendi possent. Ita Diana suprà (scilicet *part.* 1. *tract.* 6.) *resol.* 25. ex Coriolano, & Valero. Patetque: tum, quia hic solum prohibetur largitio facta ex bonis Monasterij, vt diximus, *quæst.* 6. Eiusmodi autem partus ingenij non videntur communerandi inter bona Monasterij, vtpote, qui sunt Religiosi particularis, ita vt eos possit absque Superioris licentia secum deferre quocumque ierit, & quidem etiamsi transeat ad aliam Religionem; quod Valerus testatur factum fuisse à quodam viro doctissimo, se transferente, ad Ordinem Carthusiensem. Tum quia teste Coroliano, de casibus reseruatis, *part.* 2. *casu* 16. *num.* 19. ipse Clemens declarauit, Religiosos sine contrauentione huius Constitutionis posse inter se donare supradictos partus ingenij; cum tamen sit eadem ratio, & quoad alios, quod attinet ad præsentem prohibitionem. Hæc omnia Pellizzarius præfatus, *vbi proximè.*

***

DVBIVM XXII.

An Religiosus delineans pro extraneo picturam, aut quid alind artefactum magni valoris, absque venia Prælati sui faciens, sit proprietarius?

BREVIARIVM.

Artefacta

Quæ fiunt à Monacho quà talia non pertinere ad communitatem, ait Caramuel, secus quæ à Converso fiunt, à n. 5.

Neque à Converso facta in die festo, n. 13.

Potest Religiosus horis vacantibus, nisi contrarium præcipiat Prælatus, industria sua amicis servire, pingendo, transcribendo, &c. n. 14.

Esto sciat amicum pretium pro artefactis recipere, num. 21.

Artefacta non sunt Monachi, quà Monachi; sunt tamen Conversi, quà Conversi, numero 6.

Dominium habere Religiosum in picturas, & alia artefacta suâ, sentire videtur Caramuel, n. 24. *&* 26.

Conversi.

Ex vi suæ professionis tenentur ad actiones vitæ activæ, & omnes actiones suæ artis, obtulerunt communitati, ita vt non sint Magistri in officina, sed Ministri, n. 4. 5.

Conversi artifices tenentur operari pro Communitate 12. horas: & quod in eis operantur extraneo dare nequeunt, n. 9. 27. 32.

Artefacta enim sunt Conversi, quà Conversi, num. 6.

Consumptis 12. horis in operibus pro servitio communitatis, vnam, aut alteram horam in obsequium amici, si non adsit mandatum Prælati, in contrarium, insumere possunt, n. 10. 32.

Conversos non fuisse tempore S. P. N. Benedicti, multis est evidens. n. 15.

Dominium.

Religiosus dominium habet suarum actionum corporalium, & spiritualium, esto commutabiles pretio sint, n. 23.

Sua artefacta si vendat Religiosus, non sibi, sed Monasterio pretium acquirit, n. 15.

Obedientia.

Contra obedientiam solam peccat Religiosus, qui contra Prælati præceptum, pingit, &c. ex materialibus amici, & amico pingit & donat, num. 16. *&* 17.

Æqualiter peccat contra obedientiam, qui vilissimam tabulam amico pingit, & donat, & qui pretiosissimam, si æquale tempus in pingendo insumpsit, num. 18.

Opinio

Diversas referens opiniones, illam sequi censetur, quam vltimò recenset, si aliud ex eius non constet verbis, n. 14.

Proprietas.

Proprietarius est Religiosus, qui picturam, aut aliud artefactum, absque licentia facit animo dandi illud amico; secus si ante picturam factam, ex primaria intentione ad eius petitionem fiat, numero 26.

Si Religiosus, contra Prælati præceptum, picturam donet pretiosam, aut aliud à se factum ex materialibus donatarij, contra obedientiam, non contra paupertatem peccat in Caramuëlis sententia, n. 2. 16. 17. 25.

HAnc difficultatem excitat P. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo 1. tract. 4. de Votis Regularium, cap. 2. de Voto paupertatis, sect. 3. subsect. 2. quæst. 22. an. 295.* vbi illam resolvit affirmativè. Quia pictura illa (& idem est de alio quocumque artefacto) quæ pretio æstimabilis est, statim artifici acquiritur, & consequenter Conventui. Sic ille ex Cardin. de Lugo *de Iustit. disput. 3. sect. 8. num.* 149. concedente tamen, Religiosum istum posse excusari (sicut de facto excusat Antonius Diana *de Paupertate Religiosa, resol.* 6.) si ante picturam factam, ex primaria intentione fiat ad eius petitionem; non autem, si fiat à Religioso cum intentione dandi illum amico. Ita Pellizzarius. Et rationem reddit, quia Religiosus sine licentia absque paupertatis præiudicio alteri inservire, eique gratis suam exhibere operam: v. g. ad transcribendum librum: quo casu liber nunquam esset in dominio scribentis: cum Religiosus scribendo suam operam alteri præstet, cui inservit eius nomine scribens: quod videtur posse sine licentia facere, sicut sine licentia potest acceptare obsequium ab alio sibi præstitum: de quo Daletus *in Differentijs vtriusque fori, verbo Munera, num.* 69. §. *Non etiam.* Quæ omnia approbat, & docet Diana *par. 7. tract. 11. resol. 57. pag.* 270.

2 Quinetiam Caramuël, *disput. 59. in Regulam S. Benedicti, num.* 859. (addit Pellizzarius) putat, quod si Religiosus insignis Pictor, picturam à se factam valentem mille florenis, donet Sæculari viro contra voluntatem expressam Superioris: si colores, & tabula pertineant ad dictum Sæcularem, Religiosus non facit contra paupertatem; sed solùm contra obedientiam, & quidem mortaliter, pingendo notabili tempore contra Prælati voluntatem. Hincque infert, duos Religiosos contra Prælati prohibitionem pingentes tabulam, eámque Sæculari dantes, peccare æqualiter, si tempus æquale insumant: & si tabula vnius sit pretiosissima, alterius verò vilissima. Nam peccatum non consistit in valore picturæ, sed in quantitate temporis insumpti in pingendo contra voluntatem Superioris.

Ita Caramuël addens, quod cum Monachus Chorista ex officio teneatur canere, non autem pingere; Monachus autem Laïcus teneatur pro Monasterió servilia exercere; ideò artefacta à Religioso Chorista, non pertinent ad Conventum, sicque de his potest Religiosus disponere; artefacta verò à Religioso Laïco spectant ad Conventum, adeóque de iis nequit talis Religiosus disponere: quam distinctionem non approbat Diana *par. 7. tract. 11. resol. 17.* Hactenùs Francisc. Pellizzarius. 3

Sed vt altius doctrina nostri Caramuëlis, à Diana, & Pellizzario non approbata, intelligatur, 4 libuit illam recensere, & ea, quæ ipsemet Caramuël Dianæ, post illius impugnationem, respondet. In primis igitur *disput. 59. in S. Regulam, resolutionem*

solutionem 8. *statuit quærendo, An artefacta pertineant ad Artificem, an ad communitatem?* & quæstioni quatuor conclusionibus, seu dictis respondet. *Prima*, eius conclusio est huiusmodi. *Conversi (Professos solemniter intellige) ex vi sua professionis tenentur ad actiones vita activa secundum capacitatem suam, & Abbatis dispositionem. Omnes actiones sua artis obtulerunt communitati. Atque inde artefacta, qua fiunt à Conversis, sunt Communitatis. Ipsi enim non sunt Magistri in Officina, sed ministri.*

5 Quam conclusionem sic probat. Conversus Aurifex, v. g. qua Conversus Aurifex, & minister Communitatis, & servit Monasterio (vota enim emisit in ordine ad exercitia artium extrinseca.) Igitur qua Conversus artifex ordinatur ad servitium Monasterij: ergo & artefacta ordinantur ad servitium Monasterij. Patet consequentia; aliàs enim non esset effectus similis suæ causæ. Quia applicando singula singulis, sicut ab artificiosa mente artificis procedit effectus, artificiosa delineatio, sic ab ordinatione mentis artificiosæ debet procedere artificiosæ delineationis ordinatio: ergo sicut causa, qua talis, est ad servitium Monasterij, sic similiter effectus, qua tales debent servire Monasterio.

Secundò sic breviùs, & efficaciùs probat. Artefactum est Artificis. Sed Artifex, qua talis est Monasterij: ergo Artefactum est Monasterij. Quia si ignis est Petri, eius erit, & splendor.

6 *Secunda*, Caramuëlis conclusio talis est *Artefacta, qua fiunt à Monachis, qua talia non pertinent ad Communitatem.* Vt hanc assertionem probet Doctor iste, supponit discrimen, quod reperitur inter Artificem Monachum, & Conversum Artificem, quod Conversus scilicet qua Artifex est Conversus; alius verò non est Monachus qua Artifex, sed qua Chorista. Et reddit rationem: quia Religiosus est genus morale ad Monachum, & Conversum. Differentiæ contrahentes sunt Chorus, & Ars. Monachus, est Religiosus Chorista. Conversus, est Religiosus Artifex. Vnde artefacta nascuntur à Converso per se, à Monacho per accidens. Tam essentiale est Converso artificere, quàm Medico mederi. Artificere comparatur Monacho, vt mederi Artifici, aut aurificere ipsi Medico. Ideò Conversus tenetur artificere pro Communitate, non cantare; Monachus è contrario tenetur cantare, & contemplari in Choro, non autem artificere.

7 Quo supposito inter Monachum, & Conversum discrimine, sic secundam probat conclusionem. Artefactum, qua tale pertinet ad Artificem vt effectus ad causam. Sed Monachus Artifex, qua Artifex non pertinet ad Communitatem: ergo neque illius Artefactum.

8 Præterea. Ratio propter quam Artefacta elaborata à Conversis pertinent ad Communitatem, est, quia Conversi, qua Artifices, ad eandem pertinent: qua artifices enim sunt Conversi. Sed hic est ratio Contradictoria: ergo & contradictoria resolutio, iuxta illud pronunciatum certissimum: *Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita & negatio negationis.* Minorem probat. Monachi, qua Artifices non sunt Monachi, neque ad Monasterium ipsum pertinent: quia Monachus Artifex est qualis Musicus Principis, Medicus: qui ratione prioris officij, est de familia Principis, non ratione secundi.

Pro praxi, duas alias theses statuit præfatus doctissimus Author, *prima*, & *tertia* in ordine hæc est. *Horis, quibus Conversus tenetur operari pro Communitate (sunt in mea sententia vt plurimum duodecim, nunquam plures) non poterit aliquid facere, quod det amico extraneo.* Quam sic probat. Quia qua Artifex pertinet ad Monasterium, & iis horis tenetur operari in actu secundo: ergo qoidquid tunc fecerit, pertinebis ad Communitatem ex natura sua, & ideò non potest alienare. 9

Addidit illam temporis determinationem: quia non videt cur Conversus (qui per 12. horas laboraverit, vt serviret Monasterio, & in somno consumpserit tempus necessarium) non possit vnam, aut alteram horam, quam consumpturus erat in fabulis, occupare in amici obsequium, sine licentia expressa Abbatis, si non adsit mandatum in contrarium: quia vel non est necessaria talis licentia, vel supponitur interpretativa. Esset enim (inquit) rigor nimius, & austeritas maxima, quod Converso solicitè servienti, denegaretur hæc facultas. 10

Determinat operum tempus. Quia si mancipia non vltra duodecim horas in opere perseverent, cur ad maius pondus Conversi condemnari debeant, qui mancipia non sunt, sed famuli Monasterij? Et addit in dictis duodecim horis comprehendi debere tempus, quod Conversi consumunt in audienda Missa, & Lectione, ita vt auditio Sacri, Lectio, & manuum labor quotidianus, tale non superet tempus: sed hoc prudentia, & benignitate moderandam esse concludit. 11

Si non adsit mandatum in contrarium, ideò addidit, quia benè potest Abbas, ex præscripto Regulæ sanctissimi Parentis Benedicti, *cap. 57.* praxim suarum Artium Artificibus prohibere. In quo qnidem prohibitionis casu, si Artifex artificeret, vti Caramuël advertit, contra obedientiam peccaret, non contra paupertatem: si aliquid videlicet contra mandatum Abbatis horis liberis operaretur, ad alicuius extranei petitionem. 12

Concludit, de Artefactis à Conversis in die festo, eandem esse resolutionem, ac de factis à Monachis. Quia sicut Monachus non vovit vitam activam, sic nec Conversus vitam activam operativam diebus festis. Vnde (ait) si aliquid diebus festivis egerit, peccabit contra tertium Decalogi præceptum: de cæteto, vt Monachus est iudicandus. 13

Quarta conclusio, & secunda practica Caramuelis est. *Potest Monachus (nisi Abbas contrarium praceperit) industria sua horis vacantibus servire amicis, puta pingendo, transcribendo, celando.* 14

Probat. Quia illæ actiones non sunt Monachi qua Monachi: illud tempus est vacans, licentia Superioris, præsumitur; ideoque nisi contrarium constet poterit huiuscemodi facere. Allegat Bonacinam *in tract. var. disput. 3. punct.* 1. Dianam *part. 1. tract 6. de Paupertate Religiosa, resolut. 6.* & Scortiam *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Epit. 158. & Theorem. 396. pagina mihi 603. versiculo Sed nunquid*: vbi approbat sententiam Valeri docentis, posse Religiosum donare artificium licitè, quia non agit de alienanda, seu donanda re, quæ sit Monasterij, sed de non acquirenda approbat inquam,

quia hanc opinionem poſt contrariam refert, & nihil addit, ex quo colligi queat, primam ſequi. Quam vtique regulam tradunt Doctores, ad cognoſcendum Authorum mentes, contrarias opiniones referentium. Naldus verbo Doctor, *numero* 8.

Addit Caramuël: *niſi Abbas contrarium præce-*
15 *perit*: ob diſpoſitionem Regulæ ſanctæ *in cap. 57. recenſito*. Quod illa procedat non ſolum reſpectu Converſorum, ſed etiam reſpectu Monachorum, inde probat, quia multis eſt evidens non fuiſſe Converſos tempore S. P. N. Benedicti, ideóque omnia, quæ habentur in Regula, non debere de talibus interpretari.

In omnibus ſupradictis intelligit Author præ-
16 fatus artefacta, qua talia: & non agit de materia: aurum ſcilicet, argentum, colores, ſericum, &c. Si enim illam miniſtraverit amicus cui fit artefactum tenebit reſolutio; ſi autem illa ſumatur à communitate ſine licentia tacita, vel expreſſa, peccabit artifex contra paupertatem iuxta materiæ aſſumptæ gravitatem; quod ſi materia nullius ſit valoris, non peccare aſſerit, *n*.870.

Pro maiori explicatione ſupradictorum ponit
17 hunc caſum. Monachus egregius pictor pinxit imaginem vendibilem mille florenis, illam dedit Sæculati contra præceptum formale Abbatis; *qualiter peccabit?* Reſpondet, peccare quidem mortaliter contra obedientiam: quia longo tempore pingere contra mandatum Abbatis, eſt actio notabilis. Contra paupertatem autem peccare, ſi materia colorum, & tabulæ conſumpta ſit à communitate, aſſerit: non ſecundùm valorem artis, ſed ſecundùm valorem materiæ; ſi autem materialia ad Sæcularem pertinebant, nullo modo peccato delinquere proprietatis, ſed inobedientiæ tantum. Cuius quidem doctrina non parum illuſtratur ab Eminentiſſ. Cardinale de Logo *tomo* 1. *de Iuſt. & Iure, diſput*.3. *ſect*. 8. *num*. 155. dicente coquum Religioſum non peccare contra votum (paupertatis ſcilicet, de illo enim diſſerit ibi) ſi in obſequium Sæcularis occideret eius gallinas, & conſumeret alia pretioſa, vt præpararet ei ſumptuoſum convivium: quia hæc omnia, non ſuo, ſed Domini nomine facit. Et idem docet de Religioſo res alienas adminiſtrante. Quia adminiſtratio mera, non eſt aliud, niſi obſequium, quod ego præſto, dum eius nomine res ipſius adminiſtro. Ita Cardinalis. Ex quo benè pro Caramuële deducitur, poſſe Pictorem, ſeu alium artificem Religioſum, ſine voti paupertatis iactura, obſequium Sæculari præſtare, inſumendo eius nomine, res ab eo acceptas ſecundùm propriam artem.

18 Ex à ſe dictis deducit Caramuël duos Monachos, qui contra Prælati mandatum pingunt tabulas, quas donant Sæculari, etiamſi vnus delineet pretioſiſſimas, & alter viliſſimas, ſi æqnale tempus inſumant, æqualiter (contra obedientiam ſcilicet) peccare. Quia peccatum non conſiſtit in valore picturæ, ſed in quantitate temporis expenſi in arte pingendi contra voluntatem Abbatis.

19 Nec valet dicere, illos habuiſſe pingendi licentiam, ſed non dandi; ſi enim benè conſideres, in tali caſu non habuerunt licentiam pingendi tabulas dandas: ergo quas dandas pinxerunt, pinxerunt equidem contra obedientiam.

20 Si Monachus pictor ſuas picturas vendat, pecuniam adquirit Monaſterio; ipſe enim eſt incapax dominij pecuniarum.

Poterit gratis ſcribere, pingere, &c. orare, 21
celebrare pro Paulo, licet ſciat eum venditurum eſſe manuſcripta, aut recepturum eleemoſynam pro orationibus: quia non dat Paulo pecunias, ſed ſuæ induſtriæ, aut orationis extrinſecos actus, & hos gratis; quos ni contrarium Prælatus iuſſerit, liberrimè donare poteſt.

Sed obiicit. Monachus non poteſt habere 22
dominium in pecuniam, nec in rem pro pecunia commutabilem. Sed manuſcripta, & artefacta commutabilia ſunt, & ſæpè pro magna pecunia, vt patet: ergo Monachus non habet dominium in manuſcripta, nec in artefacta.

Reſpondet Caramuël, Religioſum non ha- 23
bere, nec habere poſſe dominium, in pecunias, nec in res extrinſecas materiales; habere tamen de facto dominium in multa, quæ ſunt commutabilia pretio: v. g. in res vnico actu conſumptibiles, & in ſuas actiones corporales. Vtræque vtique pretio commutabiles. Pingere, ſcribere, delineare, celare, ſunt ſimul actiones ſpirituales, & corporeæ, ex vtroque modo titulo dominij pertinent ad operantem: poſſunt Prælato ſubiici ratione obedientiæ; ſed nullo titulo pertinent ad Monaſterium. Quia ſicut loquens contra Abbatis imperium, eſt inobediens, non tamen proprietarius: ſic ſimiliter, pingens contra obedientiam, peccat contra votum obedientiæ, non contra votum paupertatis.

Reſolutioni finem imponit, obiter adnotan- 24
do, inter manuſcripta, picturas, & reliqua artefacta, non reperiri differentiam, quæ iudicium alteret: cumque Clemens VIII. declaraverit Religioſos in manuſcripta adquirere verum dominium (Caramuëlis verba ad amuſſim reddo) videtur idem omninò de pictura, & artefactis declaraſſe.

Hucvſque noſter Caramuël *in commentar*.59. 25
allegato. Qui rurſùs *in Theologia fundamentali, fundamento* 51. §. 10. eandem quam nos difficultatem diſcutiendam proponit. *An Regularis delineans pro amico picturam, aut aliquid aliud, quod ſit magni valoris, violet votum paupertatis?* & *à num*.1418. ſic in illius reſolutione procedit.

Negativam ſententiam tenet Diana *parte* 1. *tract. de Paupertate Religioſa, reſolutio* 6. allegans Bonacinam, Scortiam, & Ioannem Valerum, modò ille amicus miniſtret omnia neceſſaria; nam ſi materia ſumitur ex bonis Monaſterij, tunc aliter erit philoſophandum.

Eminentiſſimus Cardinalis de Logo, adhuc 26
limitat iſtam ſententiam. Aliud eſt enim pingere tabulam pro amico, ita vt pictura illa ex primaria intentione ad amici petitionem formetur, & aliud facere pro ſe, & poſteà dare amico. Quam tamen ego limitationem, ſtando ſententiæ, quæ negat in manuſcripta ſua Religioſos acquirere verum dominium, eſſe certam admitto: quia, qui pingit pro ſe, adquirit illam picturam Monaſterio, cum ſibi non poſſit: & cum donat, actum proprietatis exercet; & quia ſibi arrogat rem non ſuam, & de illa ſicut de ſua diſponit, in votum Paupertatis delinquit. At ſtando opinioni contrariæ, dico, Religioſum, qui pro ſe pingit, ſibi acquirere

acquirere dominium, cuius est capax: & illam posteà posse dare amico (ni lege impediatur) non enim peccat dando illa de quibus disponere potest. Consultò posui illud: *ni lege impediatur*: quia si contrarium Superiores præcipiant, & præcipuè in Ordine Benedictino, in quo Regula dari, aut recipi munera inhibet, peccaret ille contra legem, hoc est contra obedientiam, non verò contra Paupertatem.

27 Caramuël *disp.59. in Regulam D. P. Benedicti, resol.8. num.* 859. aliter opinionem eruditissimi Dianæ limitat. Nam Conversi, seu Laici non adquirunt dominium in sua artefacta, sunt enim Ministri communitatis, & quibus horis laborare pro communitate tenentur, non possunt laborare pro alio.

28 Reiicit hanc limitationem Diana, (*parte* scilicet 7. *tract.*11. *Miscelaneo, resolut.* 17. *versic. Sed acutissimus Caramuel.*) aitque, *ego, vt verum fatear, non invenio apud Doctores, quoad præsentem casum, differētiam inter Regulares Laicos, & choro addictos; vndè quidquid circa præsentem quæstionem in ordine ad votum paupertatis erit licitum Professis, erit licitum Laicis. Quia actiones de quibus loquimur, non sunt Monachi, qua Monachi suppono tempus esse vacans, neque sumi aliquid de communitate sine licentia tacita, aut expressa Superioris. Ergo.*

29 Singula relego, & multa sunt, quæ altiùs discere velim. *Primò* enim puto me multum studuisse Dialecticæ, multum inquam, nam in huius studij genere, opinione æmulorum excedo. Scripsi Logicam Moralem, seu virtualem, & tamen non video cur ista debeat admitti consequentia: *Hoc apud Doctores non reperio. Ergo verum non est.* Limitationem, quam posuit paulo antè Cardinalis de Lugo, ne longiùs abeam, non reperit apud Authores Diana, sed neque ego: & tamen stando alteri opinioni, vt posui, vera est.

30 *Secundò*, Professos Diana contra ponit Laicis, sed malè: nam & Laici etiam professi solemniter sunt.

31 *Tertiò*, ratio, qua Diana vtitur, videtur contrarium probare. *Ideo*, ait, *de Chorista, & Laico pariformiter philosophandum est, quia actiones de quibus loquimur, non sunt Monachi, qua Monachi.* Imò contrariam inquam ego: quia actiones de quibus loquimur, non sunt Monachi, qua Monachi, & tamen sunt Conversi, qua Conversi; ideò dicam aliter debere de Monacho discurri, aliter de Converso.

32 Quartò supponit Diana tempus esse liberum, & tunc casum hunc totaliter tollit, & ponit alium, & in ipso, Caramuëli subscribit, *num.* enim 864. ait Caramuël. Horis, quibus Conversus tenetur operari pro communitate (sunt in mea sententia, vt plurimum duodecim, non plures) non poterit aliquid facere, quod det amico, &c. Addidi illam limitationem, quia non video, cur Conversus qui per duodecim horas laboraverit, vt serviret Monasterio, & in somno consumpserit tempus necessarium, non possit vnam, aut alteram horam, quam consumpturus erat in fabulis, occupare in amici obsequium, &c. Hæc Caramuël.

33 Dico igitur iterum, magnum esse discrimen inter Laicum, & Choristam; iste enim vi professionis suæ non tenetur manibus operari, ad quod ille tenetur. Quamobrem assero, quandiu Conversus tenetur operari pro communitate, tandiu non potest sine communitatis iniuria operari pro extraneo. Quod ipsum tranquillo animo esse verum concludo, & si apud Doctores hanc limitationem non reperiam. Non enim opus est vt particularem invenias, quando reperias vniversalem; aliàs enim ligaretur discursus, si non licet homini ex fundamentis admissi sub Authoribus dialecticari. Sic discurro. Famuli, & Operarij, qui alteri locarunt suas operas, sive conducti sint pro tota vita, sive pro tempore determinato, horis quibus tenentur operari suo hero, non possunt alteri operari. At Conversi, seu Laici sunt famuli Monasterij, conducti vsque ad mortem, & obstricti solemniter conventui. Ergo horis, quibus communitati operari tenentur, non poterunt extraneo operari. Maiorem Doctores admittunt, nullo dempto. Minor apud Regulares, & præcipuè Benedictinos, indubitata est. A nullo igitur negari consequentia poterit.

Hactenùs Ioannes Caramuël, quibus bene Dianæ fieri satis, non dubito.

DVBIVM XXIII.

An vitium proprietatis admittant Prælati Regulares, sive locales sint, & immediati, v. g. Abbates, qui immediatè conventibus præsunt, Priores, Guardiani, Commendatores, Doctores, Ministri, & alij huiusmodi; sive mediati, vt sunt Provinciales, Generales, Abbates habentes Filiationes, imò & ipsi vocales capituli Provincialis, seu Generalis & Conventus admittentes, seu ponentes in Conventu aliquo plures Religiosos, quàm redditibus, vel eleemosynis consuetis commodè ab illo sustentari queant?

§. I.

Iura, & Decreta varia recensentur circa hanc materiam.

BREVIARIVM.

Clerici.

Poni debent in Ecclesiis in eo numero, in quo sustentari commodè possunt, n.1.2.3.27.33.

Monasteria.

Ædificari prohibentur Monasteria, & Regulares domus, nisi servatis conditionibus à Greg. XV. & Vrbano VIII. præscriptis, n.20.24.

Numerus.

In Monasteriis Monachorum, & Monialium plures suscipi prohibentur Religiosi, quàm de illius bonis sine penuria ali possint à, n.2. ad 8.

Non solum sine penuria, sed qui commodè ali possint, n.16.27.28.

In Monasteriis, in quibus de eleemosynis viuunt, plures suscipi prohibentur, quàm de eleemosynis communibus ali possint à, n.5. ad 8. *& de eleemosynis particularium Religiosorum*, n.8.16.22.

Numerum pro Monasteriis Monialium etiam exemptarum, præficere debet Episcopus, cum interventione Superiorisuorum, n.7.11. 12.38.

Vltra numerum præfixum, nulla Monialis, nec de Superioris licentia recipi potest, n.4.6.36.

Numerus Religiosorum, pertinet maximè ad Religiosorum reformationem promovendam, & conservandam, n.6.28.

Omnia ferè mala, quæ Religiosorum evertunt disciplinam, in excessu numeri eorum consistunt, n.16. 39.42.44.45.

A quibus, & quibus attentis præfigendus sit Religiosorum numerus, n.10.16.17.20.33.35.

Laici, & necessarij servientes, & omnium in domo viventium victus, & vestitus, iuxta proprij instituti, & Religionis morem, & medicinalia ad numerum præfigendum attendi debent, n.17.

Si vltra substantiam domus numerus constituatur, constitutio nulla est, n.4.

Substantia redditunm, proventuum, & eleemosynarum consuetarum communium, & particularium, ad numerum præfigendum attendi debet, n.5.6.8. 10.16.22.29.

Capacitas Monasterij, cellarum, & lectorum, quantitas attendi præcipitur ad numerum, num. 11. 30. 31.

Numerus Religiosorum in Monasteriis edificandis post Greg. XV. ad 12. debet pervenire, n.14.20. *eius dispositio extra Italiam etiam obligat*, n.25.

Numerus semel præfixus, à nemine augeri potest, etiam prætextu augmenti redditunm, nisi de S. Congregationis licentia, n.19.

Admissi iam ad habitum, & Novitiatum postquam numerus est adimpletus, admitti possunt ad professionem, si habiles sunt; in alio tamen Monasterio collocandi, vbi commodè ali queant, numero 23.

In Monialium Monasteriis, si vltra numerum aliqua suscipiatur, duplicem eleemosynam, vulgò, Dote, *afferre debet, & subrogari nequit in decedentium locum*, n.12.36.

Si vltra numerum aliqua recipiatur, irrita est, & nulla illius receptio, n.4.13.

Nisi secuta vera, & reali vacatione per mortem Monialis de numero, alteri, nec dari nec promitti potest eius locus, aliàs nulliter fiet, n.13.

Pœnæ, quibus subiacent admittentes ad habitum, ante quam locus vacet, aut illum promittentes, num. 13.

Pœna inflicta numerum non præfigentibus, & præfixum augentibus, n.19.

Pœnæ, quibus puniuntur non publicantes in publica mensa ordinationes istas, feria 2. post Dominicam 1. Adventus, & feria 6. post octavam corporis Christi, n.21.

DE materia huius dubij agunt Scortia *Epitom.* 164. & *Theorum* 405. Delbene *de imm. tom.2. cap.* 14. *dub.22. num.*14. Barbosa, *Decisionum Apostolic. verbo Monasteria. Et verbo, Numerus, de potest. Episc. allegat.*98. *& in Tridentin. sess.*25. *de Regular. cap.*3. Tamburin. *de Iure Abbatissar, disp.*33. *quæst.*1. *& de iure Abbat. tom.*3. *disp.*5. *quæst.*1. *& disp.* 11. *q.*11. *& tom.* 2. *disp.*5. *quæst.*9. *num.*9. Bassæus, *verbo Missa VII. num.*8. Lezana, *tom.*1. *part.* 1. *cap.*6. *num.*10. Quaranta, *in Summa Bullar, verbo, Monasteria Monialium, & verbo, Monasteria, & Conventus.*

1 Pro dubij propositi exacta resolutione operæpretium duxi præmittere nonnullas Conciliares, & Pontificias, dispositiones; in primis noster Gregorius Papa VII. *in cap. Quoniam, el 9. de vita, & honestate Clericorum*, sic decernit. Statuimus, vt facultatibus Ecclesiarum vestrarum, proventibus, & expensis diligenter inspectis, certum in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & statuere, vt bona eorum veniant in commune.

2 *Secundò.* Concilium Arelatense relatum, *in cap.*1. *de Institutionibus*, in hunc modum diffinit. Non amplius suscipiantur in Monasterio Monachorum aut Clericorum, seu etiam puellarum, quam quot se regere de bonis Ecclesiæ absque penuria possint.

3 *Tertiò.* Clemens Papa III. *in cap. Authoritate, el.*4. *eiusdem tituli*, ita referibens Clero Constantino decernit, Statuimus insuper, vt nullus in Ecclesiis vestris, vltra quàm facultates earum sustineant, vobis instituatur invitis.

4 *Quartò.* Bonifacius VIII. *in cap. Periculoso, §.* 1. *el vnico de statu Regularium.* Sic statuit. Sane, vt hoc salutare statutum commodius valeat observari, districtiùs inhibemus, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in Sorores nisi quot poterunt, de ipsorum Monasteriorum bonis, sive Proventibus, absque penuria sustentari; si secus actum fuerit, irritum decernentes.

5 *Quintò.* Concilium Tridentinum, *sess.* 25. *de Regularibus, cap.*3. incipit, *concedit.* Sic decernit. In prædictis autem Monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

6 *Sextò.* Pius Papa V. in Constitutione, *Circa pastoralis Officij* la 8. apud Bullarium Angeli Cherubin, *tom.*2. *pag. mihi* 184. §.7. ait. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausuræ observatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ Constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earum Monasteriis recipiant, & admittant sive recipi, & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint. Recensent etiam hanc Constitutionem Delbene *de immunitat. tom.*2. *cap.* 14. *dubit.*22. *n.*14. Scortia, *Theorem.*405. Barbosa, *de potest. Episcopi alleg.* 98. *n.*2. & Collectan. *in Tridentin. sess.* 25. *de Regularib. cap.*3. *num.*18. Lezana, *tom.*1. *cap.*6. *n.*10. illam exscribit Quaranta *in Summa Bullar. verbo Monasteria Monialium in princ.*

7 *Septimò* Gregorius XIII. in Constitutione *Deo sacris*, §.6. *la* 8. *eod. tom.*2. *Bullarij pag.*369. eleemosynarum verò prædictarum contributionem & applicationem durare, & valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere donec numerus Monialium etiam Tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios, etiam in Monasteriis ab eorum cura & regimine, quomodocumquè exemptis cum illarum Superiorum interventu stabiliri, & ordinari, neque supra illum numerum aliàs recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus, & mandamus) Ita imminutus fuerit, vt reliquæ Moniales, & Tertiariæ, ex propriis redditibus Monasteriorum ipsorum

ipsorum vel consuetis eleemosynis, se commodè sustentari queant. Super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus. Istam referunt Constitutionem, Barbosa *Collectan. in Concil. Trident. sess. 25. de Regularib. cap. 3. num. 19. & de potest. Episc. part. 3. allegat. 98. num. 2.* Scottia *in Selectas summorum Pontificium Constitutiones Theoremate* 405. Thomas Delbene *de immunit. Eccles. tom. 2. cap. 14. dubit. 22. n. 14.* illam ad longum tradit Quaranta, verbo *Monasteria Monialium pag. mihi* 443.

8 *Octauò.* Clemens Papa VIII. *in Decretis generalibus pro Reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cuiuscumque Ordinis, & instituti contentis in* Constitutione. *Nullus omnino la* 60. huius Pontificis apud Angeli Cherubini Bullarium, *tom 3. pag. mihi* 97. quam exscribit Quaranta, *verbo Monasteria & Conventus pag. mihi* 418. quam & referunt Barbosa *in Collect. ad Concilium Trident. loco citato, & dicta allegat* 98. *n.* 3. Lezana, *tom. 1. part. 1. cap. 6. n.* 10. & alij: inter alia decernit, §. 7. in vnoquoque Conventu Fratrum, is tantum deinceps constituatur; & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illis propriis, vel ex communibus consuetis vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscumque obventionibus in commune, vt præferrur, conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto diligenter asservantur. Hæc Clemens in Constitut. præfata, *sub die* 20. *Martij de Anno* 1601.

9 *Nonò.* Idem Pontifex; *Anno* 1603. 23. *Iulij* edidit constitutionem suam 99. apud dictum Cherubinum, *pag.* 142. eiusdem voluminis, quam etiam exscribit ad amussim Tamburinus *de iure Abbatum, tom. 3. disput. 5. quæsito. 1. num. 16. & tom. 4. de Iure Abbatissarum disput. 33. quæsito.* 1. Quaranta, *pag.* 437. in cuius exordio sic ait. Quoniam ad institutam Regularium locorum, & personarum reformationem promovendam, & conservandam maximè pertinet, vt in quibuscumque domibus & Monasteriis is tantùm numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit, contineatur, &c. In quibus causam condendi illam Constitutionem reddit.

10 *Decimò.* Paulus Papa V. in Constitutione sua *Sanctissimus in Christo Pater la* 9. apud dictum *tom. 3. Cherubini pag.* 186. de certo Religiosorum numero cuicumque Monasterio, Conventui, ac domui Regulari præfigendo, *sub die* 4. *Decembris, de anno* 1605. & sui Pontificatus *Anno* 1. edita, quam etiam exscribit Quaranta, *verbo Monasteria, & Conventus, pag.* 432. & cuius meminit Scortia, *Theoremate* 405. Barbosa, *allect. ad Concil. loco citato, n. 21. & de potestate Episcopi allegat.* 98. *n.* 5. & penes eum Castellim *in additionibus ad tractatum de election. pag.* 502. Lezana, *tom. 1. part. 1. cap. 6. n.* 10. sic §. 2. decrevit, & præcepit ac præsentis Decreti virtute præcipit, & mandat, omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus, Monasteriorum, Conventuum, & Domorum quovis nomine nuncupentur Ordinum, Congregationum, & institutorum tam Monachorum, quàm Mendicantium, & non Mendicantium, Regularium, quotcumcumque, existentium inter fines Italiæ, & Insularum adiacentium vt singuli, ad quos pertinet in qualibet Provincia adhibitis duobus, aut tribus Monachis, Fratribus, vel sui Ordinis vel congregationis probatioribus & rerum vsu peritioribus bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum diversorum habita ratione diligenter, ac maturè recognoscant iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliavè cuiusvis generis onera consueuerunt absorbere, eaque omnia in scripto fideliter exarata idem Superior cuius interest in primo Capitulo, seu Congregatione Provinciali coram tribus iudicibus ab ipsomet Capitulo vel congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, ac oneribus, vt superius detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, in vnoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, iuxta regionis, & proprij instituti morem, victum, & vestitum in communi habentes, conuenienter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Congregationi, Capitulove Provinciali exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuicumque familiæ Conventus, Monasterij, & Domus Regularis, quovis nomine nuncupatæ in singula quaque Prouincia certus earum tantum personarum numerus communi Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, vt superius sufficienter ali possint.

Vndecimò. referunt duplex Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium declaratio, à Tamburino, *tom. 4. de Iure Abbatissarum, disp. 5. quæst. 1. n. 4.* Thoma Delbene, *de immunitate Ecclesiastica part. 2. c. 14. dub. 22. n. 14.* à Barbosa *in Summa decisionum Apostolicarum, verbo, Numerus, collectan.* 106. *num.* 3. & à Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 2. part. 3. verbo Episcopus, n.* 9. altera in vna Sorrentensi 27. *Maij de Anno* 1603. & altera 6. *Iuny* 1615. petente Catholico Rege vt omnibus Sancti Monialium Monasteriis Regni Portugaliæ certus Monialium numerus præfigarur & S. D. N. audita Sacræ Congregationis sententia, collectori Lusitaniæ, per Breve *sub die, Mense, & Anno recensitis* iniungi mandavit, vt iuxta normam à Concilio Tridentino præscriptam, in omnibus, & singulis Monasteriis Monialium istius Regni, eum tantum numerum ab Archiepiscopis, & Episcopis denuo præfigi, ac in posterum conseruari curet, qui ex redditibus propriis eorundem Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis congruè possit sustentari, & iuxta dictorum Monasteriorum capacitatem; nec non cellarum quantitatem, commodè ibi commorare valeant, tamen quod in his, quæ Regularibus subiecta sint, iidem Regulares Superiores numeri præfixioni assistant, vt supra numerum huiusmodi, nulla deinceps admittatur Monialis absque sedis Apostolicæ, aut eiusdem Sacræ Congregationis expressa licentia. 11

Duodecimò. Eadem sacra Congregatio Regularium, & Episcoporum aliam edidit Declarationem, quam ex Piasec. In Praxi Episcop *p. 2. cap. 3. n. 55. in fine*, & Campin. in Diuersor. Iuris Canonici, *rub. 12. cap. 16. n.* 14. recenset Barbosa *in* 12

Summ.

Summ. Decisionum Apostolicarũ, dicta *collect. 706. verbo Numerus*, n. 3. & sub hoc tenore exscribit *de Potestate Episcopi*, *allegat.* 98. n. 4. videlicet.

„ Quemadmodùm Sacri olim Canones, & novissimè Sacrum Generale Concilium Tridentinum summa ratione decrevit, vt in Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari: ita quoque Sacra Congregatio S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qua negotiis, ac consultationibus Episcoporum, & Regularium præest, cui antiquius nihil est, quàm salutaria huiusmodi Decreta debitæ executioni demandari curare, sæpius locorum Ordinariis rescripsit, vt certum numerum in singulis Monasteriis Monialium, etiam curæ Regularium, seu Militiarum subiectis, iuxta cuiusque Monasterij facultates præscriberent, et si quæ supra statutum numerum reciperentur *duplicem eleemosynam* afferre, & supra numerarium locum tenere deberent. Verùm, quia in dubium plerumque venit, num supranomerariæ prædictæ, aliquibus ex numero in quolibet Monasterio desfioito decedentibus, in eorum locum subrogari possent, aut deberent, eadem Sacra Congregatio, quæ peculiariter super ea re sæpè numero rescripsit, providere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis Decreti tenore statuit, & declarat, Moniales, quæ supra numerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur in locum Monialium decedentium intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse, quin aliæ in locum earumdem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasteriis Moniales intra numerum possint admitti, quiò imò easdem sic supra numerum receptas, supra numerarias semper quoad hoc remanere, etiamsi in cæteris ab aliis nihil differant, sed illis omnibus pares, & æquales ius cuiusque Monasterij institutum esse debeant. Declarat insuper eadem Sacra Congregatio duplicis eleemosynæ nomine, intelligi semper debere, duplicatam summam eius, quæ in receptione cuiusque Monialis intra numerum in quolibet Monasterio constitutum erogari pro tempore consuevérit; ita tamen, vt vbi summa, quæ confertur minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ soluenda sint scuta quadraginta, & non minus.

13 Eadem quoque Sacra Congregatio districtè prohibet ne loca per obitum Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura cuiquam puellæ ad habitum Regularem recipiendæ concedantur, neque promittantur, nisi sequota vera, & reali illorum vacatione, atque ita demum, & non antea de eis disponi, ac in Monialis demortuæ locum, promissionem, aut receptionem in Capitulo, seu quovis alio modo fieri debet, dummodo tunc temporis puella ipsa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requisitas, quibus etiam præditas esse debere vult eas puellas, quæ supra numerum recipiendæ sunt, iam tunc, cum eis loca, vel promittuntur, vel dantur. Siquid verò è contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alios quoscumque Monasteriorum Superiores, qui cuiusvis puellæ receptioni, vel admissioni, aut locorum vacatorum promissioni, seu concessioni adversus præsentis Decreti dispositionem consenserint, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis obstrictos, & obnoxios fore declarat, saluis etiam semper, & in suo robore permanentibus aliis quibuscumque ipsius Congregationis Decretis aliàs latis, præsenti Decreto non contrariis, præsertim circa Monialium admissionem, & receptionem ad habitum, & professionem, & circa eleemosynarum dispositionem, solutionem, & erogationem in loca stabilia, quibus nullatenus derogare vult, & intendit Romæ *die 6. Septembris*, 1604.

Alexander Cardinalis Florentiæ.

Hactenùs Sacra Congregatio in præfato Decreto quod repetiisse Piaregium apud impressores Camerales, & vidisse subscriptum manu Illustrissimi Cardinalis Florentiæ, Campanileo, refert ex ipsis Barbosa, *vbi suprà*.

14 *Tertiodecimò*, Eadem Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, approbante Gregorio Papa XV. *die 17. Augusti*, 1622. *in Constitutione* 31. apud Angelum Cherubinum præfatum, *tom. 3. pag. mihi* 427. incipit *cum aliàs*, quam refert Barbosa *allegat.* 98. *n.* 6. & cum Castellin. *de electione cap.* 5. *in fine*, sic §. 3. decernit. Volens, quod de cætero, Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacumque civitate, vel Oppido, seu quocumque alio loco, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu institutorum huiusmodi, non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos, Monasterij, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea civitatibus, seo locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manutenari, & ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas huiusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatorum, quotum & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, vt præmittitur instituendis commodè alere, & manu teneri valeant.

15 *Quarto-decimo*, Sacra Congregatio Concilij Tridentini, authoritate Vrbani Papæ VIII. Decreta edidit circa celebrationem Missarum, contenta in Constitutione, *cum sæpè contingat*, 45. huius Pontificis apud Angeli Cherubini Bullarium *tom.* 4. *pag.* 88. *sub die* 21. *Iunij*, 1625. edita, quam etiam exscribit Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.* 2. *disp.* 5. *quæsito* 9. *sub num.* 9. & Bassæus *tom.* 1. *verbo Missa VII. num.* 8. & quam refert Barbosa, *de potestate Episcopi*, *allegat.* 98. *numero* 7. *in Summa Apostolicarum decisionum*, *collectan.*

collectan. 256. verbo *Numerus*, *num.*2. & penes eum Ioannes Anton. Novar. *in Summa Bullarum*, *titulo de Missarum celebratione*, *& reductione*, & Alphonsus de Leone, *de Officio Capellani part.* 1. *quæstio.* 5. *sect.* 20. idem Barbusa, *in Collect. ad Concilium Trident. sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 3. *num.* 25. Inter quæ quidem Decreta hæc edidit §.10. *& sequentibus.* Videlicet.

16 Postremò illustrissimi Patres, non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus, Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Religiosorum numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Monasterij; inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij Decretis hac de re editis, S. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, quibuscumque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, & Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium, vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum eiusdem Provinciæ, quam etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem vsum deinceps, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliæque cuiusvis generis onera consueverunt absorbere.

17 Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus vniversis, & oneribus vt suprà extractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus in vnoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, iuxta regionis, & proprij institutionem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redditumm, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiusque familiæ Monasterij, Conventus, aut Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, vt superiùs sufficienter ali possint.

18 Ne verò Superiores, qui id præstare debent, segniùs, aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant; Mandat Sacra Congregatio, vt infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant.

Numerúmque familiæ, singulorúmque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, & authoritate præfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditumm absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi; quæ prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt suprà præscriptum, quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit. 19

Deinceps verò Monasteriorum, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem patres, aut Monachi; seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt suprà detrahendis competenter, sustentari valeant, ad præscriptum Decreti felicis recordationis Gregorij XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà, sustentari, ac inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint Ordinariis, loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur. 20

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem habeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda; vt in perpetuum, sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam aduentus, Et feria sexta post Octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

Circa quæ Decreta Sacræ Cōgregationis, nonnulla exorta fuere dubia quæ ipsamet declarauit. Habetur apud præfatum Angelum Cherubinum, Tambutinum, & Bassæum immediatè post Decreta. Decimum septimum est huiusmodi. *Super septimo eiusdem Sacra Congregationis Decreto, quo cauetur vt in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentare. Quæritur, An, vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis Decreti Sanctæ memoriæ Pauli V. absque tamen computatione redditumm cuiusque Religiosi sit denuo facienda, nec ne*: Declaratio autem talis est: *Ad decimum septimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam seruata forma vltimi decreti hac de re editi.* 21

Decimum Octauum est. *An Nouitij ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita (vt suprà) præfixione numeri, commodè ali non possint*: Declaratio verò: *Ad decimum octauum, esse admittendos ad professionem si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo* 22

alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos vbi commodè ali possint?

24 Decimo-nono, super vltimo Decreto, quo cavetur, vt nullibi recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ. *Quæritur An hoc Decretum quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones, Capucinorum, ac Societatis Iesu? Declaratio. Ad Decimum-nonum, censuit comprehendere.*

25 Vltimò dubitatum fuit, *An idem Decretum, vbi disponit vt nullibi recipiantur Monasteria nisi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an vero etiam extra Italiam.* Declarat. *Ad vltimum habere locum extra Italiam.*

26 Has, & Declarationes, & responsiones alias circa dicta Decreta edita à S. Congregatione confirmavit, & approbavit Vrbanus Papa VIII. vti tradit Angel. Cherubinus, & Tamburinus, & Bassæus, *locis suprà allegatis.* Et illas originales præ manibus, se habuisse testatur Barbosa, *dicta allegat.* 98. *n.* 8. *in fine*, ex illis, & circa ea aliqua adnotanda veniunt, scitu dignissima, nec non circa reliqua iura suprà reddita.

§. I.

De his, quæ adnotari oportet.

BREVIARIVM.

Numerus.

Ad constituendum numerum in Domibus, quæ fructus & proventus recipiunt ex administrationibus, Vulgo Grangerias, *detrahi debent omnes administrationis sumptus*, num. 33. 34.

Detrahi etiam debent sumptus omnes, qui vulgo apud nostram Congregationem, partidas honrosas, *dicuntur*, num. 35.

Peccant mortaliter generales ponentes in aliqua domo plures Religiosos, quàm illius capacitas, & cellarum, & lectorum quantitas permittant, num. 35.

Iura numerum præfigi præcipientia, quædam de Monialibus loquuntur, quædam de Religiosis viris, quædam de omnibus vtriusque sexus Regularibus, num. 40.

27 In primis enim adnotare oportet, in qualibet Ecclesiastica communitate numerum competentem assignari debere personarum, iuxta illius substantiam, vti habetur in omnibus recensitis dispositionibus: quod & procedit in Ecclesiis sæcularium, *numero* 1. 2. & 3. Competens autem numerus ille erit, qui commodè, & sine penuria & abundanter ex bonis Ecclesiæ, seu Domos, sive propriis, sive ex consuetis eleemosynis, degere possint in victu, vestitu, & medicinalibus iuxta proprij instituti, & regionis morem, *num.* 2. 3. 4. & 17. declaratur. Et iuxta qualitatem personarum in illo Conventu degentium, addit Peyrinus, *de Privileg. tom.* 1. *ad Constitutionem Pyrrhi* §. 9. *n.* 49. Palaus, *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 7. §. 6. *num.* 3.

28 Consultò dixi *abundanter*, quia vti noster Mellifluus Doctor dicit, relatus ab Antonio Perez, in S. Regulam, *cap.* 32. *num.* 7. & vterque à Peyrino mox citando, & à Cardinali de Lugo, *tom.* 5. *de Iust. disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 188. *vbi non est abundantia non est observantia.* Et Magnus Gregorius, *lib.* 2. *Registri*, *in dict.* 11. *Epist.* 17. ad Graciosum Subdiaconum, sic ait. *Religiosam vitam eligentibus congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cuiusdam necessitatis occasio, aut desides faciat, aut robur, quod absit conversationis infringat.* Et Hugo *lib.* 2. *de claustro animæ*, *cap.* 2. à Laurentio de Peyrinis recensitus, *tom.* 1. *de Subdito, quæst.* 2. *cap.* 2. §. *versic. In particulari*, in sequentia prorumpit. *Tenenda est primum circumspectio in numero Fratrum, vt tot simul habitent, qui ordinante vivere possint, ne vel excusante paupertate, irregulariter vivant, vel præ multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant.* Scotria etiam in *Selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theorematæ* 227. *in fine*, ita ait. Nisi enim necessitati subvenies Religiosorum, nunquam exactam, perfectamque videbis observantiam votorum in Religiosibus, & Monasteriis. Quocirca Gregorium XIII. *in Const. Deo sacris* la 8. huius Pontificis apud Angelum Cherubinum, *tom.* 2. *pag. mihi* 368. dicere ait Peyrinus, *de Privilegiis, tom.* 2. *ad constitut.* 2. *Clem.* 8. *num.* 17. *quod quominus Religiosi distrahuntur in quærendis sibi necessariis, eò ferventius in Dei servitio occupantur.* Et licet verum fatear hanc propositionem esse iuxta mentem Gregorij, in allegata constitutione fateor quidem sedulò illam legisse, semel, & iterum perlegisse, nunquam tamen in ea propositionem huiusmodi formaliter invenisse. Vnde libuit dicere Peyrinum non verba, sed sensum sumpsisse de Gregoriana Constitutione, vt in simili fecit D. Hieronymus in *cap.* 2. *Mathæi*, dicens Evangelistam, dicentem: *quod dictum est per Prophetas*, ostendisse se non verba sumpsisse de scripturis, sed sensum. Non tamen abundantia tanta esse debet vt superfluat, & Religiosi impinguati, & incrassati recalcitrent, vt vellent aliqui, quorum tota mens, atque felicitas est, vt benè pascantur, & bene vestiantur, & summo studio cuticulam curent (periodum exhibeo prædicti Laurentij, *tom.* 2. *de Prælato, quæst.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 58. *in medio*,) quique Christum sequuntur, non amore Christi, sed amore, panis Christi; sed vt sufficientia iuxta exigentiam vniuscuiusque, prudenter inspectam, & dispositionem propriæ Regulæ, aut Constitutionis Ordinis, Religiosis singulis ministrentur & iuxta regionis morem, vti ex S. Congregatione, *n.* 17. diximus.

29 Substantia autem attendenda ad præfigendum numerum præfatum, sunt reddiros, proventus, & eleemosynæ consuetæ, vt sæpè vidimus, præcipuè in *numero* 5. 6. & 8. & si vltra substantiam numerus constituatur, augmentum irritum decernitur, *numero* 4. Neque attendi tantum debent ad numerum constituendum eleemosynæ consuetæ Communitatis, sed etiam quæ assignatæ fuerint particularibus Religiosis, *numero* 8. 10. 16. Ita vt si numerus iam fuerit præfixus sine computatione eleemosynarum particularium, denuò debeat constitui, illis attentis, *numero* 22.

30 *Secundò* adnotatur, quod numerus præfigi debet iuxta Domus, aut Monasterij capacitatem, & cellarum quantitatem, sic Sacra Congregatione declarante,

declarante, suprà *numero* 11. Vnde Tamburinus, *tom.* 4. *de Iure Abbatissarum, disp.* 5. *quæsito.* 1. *in princ.* ait. Antiquitùs in sacris Conciliis Iure cautum est, tot esse cuiuslibet Monasterio Moniales præfigendas, quot Monasterium commodè capere queat propriisque redditibus, vel saltem eleemosynis sustentare possit. Allegat *cap. Periculoso cit.* & *cap. vnic. de statu Regular. in* 6. *Conc. Arelatense* 1. *cap.* 8. relatum *in cap.* 1. *de institutionibus. Concil. Arelatense V I. can.* 8. *Conc. Turonense I I I. Can.* 31. *& Capitulare Caroli Magni Imperatoris sub Leone I I I. cap.* 6. circa annum Domini 813. vt testatur Iacobus Sirmondus, *tomo* 2. *Conciliorum antiquorum Galliæ sub anno illo.*

31 Vnde non video quomodò à lethali culpa gravissima excusari queant Generales, ponentes in aliquo Monasterio plures Monachos, quàm illius capacitas, & cellarum quantitas permittant, maximè si non solum in vna cella duo degant, sed in eodem lecto, contra sanctæ Regulæ dispositionem, *cap.* 22. dormiant, & licet Nicolaus Bravo in notis litteralibus ad dictum locum, *numero* 1. *pag.* 171. dicat, quod transgressio vt sic, dictæ dispositionis, non sit plusquam venialis; addit tamen, *nisi vbi honestatis, aut alterius circunstantiæ pravæ, periculum ingrueret: quo pacto,* (inquit) *iuxta materiam eius iudicandum erit de culpa.* Quod autem periculum illum honestatis ingruat, in frequenti saltem duorum iuvenum, in eodem lecto dormitione, quis non videat?

32 Consultò dixi: *in frequenti dormitione*: quia si aliqua necessitas interveniat foris in aliqua occasione, aut domi penuriæ lectorum, propter insolitum plurimum hospitum adventum, aut quid simile, & maximè dispensante Abbate, ex causa, culpa nulla erit in sententia præfati Authoris.

33 Adnotatur tertiò, ad Constituendum numerum dettrahi debere omnes reparationes, præstationes, contributiones, grandines, sterilitates, & alia cuiusuis generis onera consueta, vti sub apertis verbis decernitur suprà, *numero* 10. 16 *&* 20. Quod verum esset, etiamsi definitum minimè in allegatis dispositionibus fuisset. Est textus elegans *in Clementina Statutum la* 7. *de electione, & electi potestate,* ibi *ita tamen quod in istis, & similibus rationabiliter deducantur expensæ.* Vbi Glossa, *verbo Expensæ.* Et in *cap. Quoniam, verbo Et expensis, el* 9. *de vita, & honestate Clericorum,* vbi in hæc prorumpit. Istud notabile est, quod in facultatibus æstimandis habenda est ratio expensarum, quæ fiunt in hospitalitate, ad quam tenentur Ecclesiæ. Item in Episcopalibus persoluendis, infrà *de præbendis, de Monachis* (in quorum locum apud nostram Benedictinam Congregationem succedunt Contributiones, quæ vulgò *Repartimientos, de la Orden* nuncupantur.) Et recipere Nuncios, & Legatos Apostolicæ sedis infrà *de Censibus, Cum instantia,* & argumen. ad hoc 12. *quæst.* 2. *Nobilis.* Illi enim fructus æstimandi sunt, qui super sunt deductis expensis. *Cod. de Fructibus & litis expensis, l.* 1. Et ita tot sunt ponendi in Ecclesiis, quot ex fructibus illis possint honestè sustentari, vt hic evidenter patet, & infrà *de institutionibus cap.* 1. *& cap. Authoritate.* & infrà *de Concessione præbendæ Ex parte in fine* Et suprà *de Constitutionibus cum. M. Ferrariensis* & infrà *de Verborum significatione, cap. Vltra.* Et hæc exceptio legitima est, cum facultates non sufficiunt, sive sint distinctæ

præbendæ in Ecclesia, sive non. Hactenus præfata Glossa, quam sequitur Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theorematæ* 405. *in fine* vbi præter illam, & dictam legem 1. ab ipsa allegatam adducit Bartholom. *in l. fructus, ff. soluto matrimonio quomodo dos petatur.* Glossam *in l. Diversas, Cod. de Mandato* §. *Quam aliæ causa,* & communem sententiam Theologorum, & Peyrinus, *de Privileg. tom.* 1. *ad Constit. Pyrhi* §. 9. Quocirca Rota *in vna Conchensi Decimarum,* 12. *Maij* 1623. coram Buratto, apud Abbatem Tamburinum *de Iure Abbatum, tom.* 3. *Decis.* 96. *pag.* 406. *num.* 7. sic ait; Et nihilominus si deducerentur expensæ necessariæ pro servitio, & reparatione Ecclesiæ, & conservatione redditruum, & aliæ, quæ sunt extra victum, & vestitum Monialium, quæ sunt deducendæ, vt per Seraphinum *decis.* 955. *numero* 2. vtique apparebit, redditum etiam fore minorem, quam testes deposuerint. Hactenus Rota.

Vnde evidenter apparet ad numerum Religiosorum Constituendum, pro Monasterio, seu Domo, quæ fructus, & proventus recipit ex administratione, v. g. ex hæreditatibus, quas propriis expensis colit, ex gregibus, & huiusmodi, detrahi debere omnes sumptus, ita vt in consideratione solùm haberi debeat, quòd deductis expensis, ex fructibus administrationis superat. Quare si Domus percipit Regularis ex fructibus ovium, v. g. mille aureos, pro vnoquoque anno, & quingentos in illarum insumit administratione, in herbis scilicet, & Pastorum sustentatione, & salarij eorundem solutione, solùm quingentos aureos computare debebis pro numeri præfixione Religiosorum. 34

Evidenter etiam sequitur, detrahi debere omnes sumptus fabricarum, litium, eleemosynarum, & omnes alios, qui vulgò in Congregatione nostra, *partidas honorosas* nuncupantur, & qui immediatè ad Religiosorum sustentationem non spectant. Huc spectare non dubito, Medicum, Chirurgum, & omnes Officiales, servitores, & famulos non Religiosos, sed Laïcos; Conversos enim, seu Fratres Laicos adnumerandos esse cum Monachis, seu Fratribus Clericis, Firmiter credo, ex Decreto Sacræ Congregationis *numero* 17. reddito. 35

Tertiò adnotatur, recipi non posse aliquam personam supra numerum, etiam de Superioris consensu, ita decernente Gregorio X I I I. *suprà n.* 7. & Sacra Congregatione, *numero* 11. si tamen supra numerum aliqua recipiatur Monialis, *duplicem eleemosynam*, Vulgò, *dote* afferre debet: nunquam tamen subrogare valebit in locum Monialis demortuæ *num.* 12. 36

Quartò. Numerus semel præfixus, nunquam augeri potest, etiam prætextu augmenti proventuum, aut reddit

uum, absque prævia Sacræ Congregationis licentia, sub pœnis *numero* 19. inflictis. 37

Quintò. Ordinarij locorum possunt numerum præfigere, etiam exemptis Monialium; cum assistentia tamen Prælatorum eorundem Monasteriorum, iuxta ea, quæ dicta sunt *num.* 7. 11. 12. & docent Tamburinus, *tom.* 4. *de Iure Abbatissarum, disput.* 5. *quæsito* 1. *numero* 4. & Barbosa *collect. Summ. Decisionum Apostolicarum, verbo, Numerus.* 38

Sextò. Ad reformationem Regularium promovendam, maximè conducere numerum præfigere: cum 39

cum mala fere omnia quæ disciplinam evertunt regularem, ex maiori Religiosorum numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cuiusque Regularis Domus proveniant. Constat ex *num.* 9. 16. 28. Quare prohibetur erigi novum Monasterium, aut Domus Regularis, nisi sub hac inter alias conditione, vt sustentare valeat ex propriis redditibus, aut consuetis eleemosynis duodecim Religiosos. Ita statuitur supra, *n.* 14. *&* 20. quod vtique Decretum etiam extra Italiam locum habere decernitur, *n.* 25.

40 *Vltimò* adnotatur cum Barbosa, *de Potestate Episcopi, alleg.* 98. *num.* 2. & Tamburino *tom.* 4. *de Iure Abbatissarum disp.* 5. *quæsito* 1. *num.* 1. *versic. Notat*, differentia inter ius antiquum, *in cap. vnico, §. sanè, de Statu Regularium, lib.* 6. & ius novum Concilij Tridentini *sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 3. quod illud loquebatur solum de Monialibus Ordinum non Mendicantium; hoc verò loquitur de omnibus Regularibus, tam viris quàm fœminis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium. Quæ quidem differentia etiam reperitur inter alias dispositiones, suprà à nobis redditas. De Monialibus enim loquuntur Pius V. *num.* 6. Gregorius XIII. *num.* 7. & Sacra Congregatio, *num.* 11. 12. *&* 13. De Religiosis masculis, Clemens VIII. *num.* 8. *&* 9. & Paulus V. *num.* 10. & Sacra Congregatio, *num.* 14. 16. 20. Quibus præmissis, & adnotatis, fit pro dubij resolutione.

§. III.

Quæstio resoluitur proposita.

BREVIARIVM.

Administrator.

Servare tenetur conditiones, & limitationes ei præfixas, n. 46.

Dominium.

Rerum Ecclesiasticarum omnium principale dominium, penes Ecclesiam vniversalem residet, quæ potest revocare dominium, & administrationem rerum, quæ Ecclesiæ particulares, Monasteria, & Ecclesiastici habent, conditionibus eis præfixis, non impletis, n. 49. 50.

Dominium quod habent Conventus dominij capaces non est absolutum, sed restrictum, per Ecclesiam vniversalem, & per votum paupertatis, n. 50.

Donator.

Qui sua, ea lege donavit, vt ei donatarius alimenta præberet, ista illo non præbente, statim recipit dominium, & possessionem rerum, quas donaverat, num. 50.

Ecclesia.

Rerum omnium Ecclesiasticarum, dominium absolutum habet, n. 49.

Numerus.

Mortaliter peccant Episcopi, & Regulares ponentes in aliqua domo plures Religiosos, aut Religiosas, quam commodè, sine penuria, & abundanter, ex redditibus illius aut ex consuetis eleemosynis sustentare valeat, n. 41.

Imò Religiosi, tam Prælati, quàm subditi proprietarij sunt, n. 43.

Papa.

Absolutus dispensator est omnium rerum Ecclesiasticarum, n. 49.

Præceptum.

Ad culpam obligat mortale præceptum de re gravi, num. 42.

Prælati.

Regulares Prælati Domini non sunt bonorum Monastery, sed fideles administratores, n. 46.

Dantur non ad sui commodum, & vtilitatem, sed subditorum & Monasteriorum, n. 46.

Conditionem Monasteriorum meliorare possunt, sed non deteriorare, n. 46.

Proprietarij.

Religiosi omnes, qui in causa sunt, vt in domo Regulari ponantur plures quàm commodè, sine penuria, & abundanter sustentari possint, proprietarij sunt, à, n. 43.

CONCLVSIO I.

PEccant mortaliter Prælati omnes tam immediati, & locales, quàm mediati, & supremi, & vocales etiam Congregationum, constituentes in aliquo Conventu, Monasterio, aut Domo Regulari maiorem Religiosorum, aut Religiosarum numerum, quàm commodè, sine penuria, & abundanter sustentari possit ex redditibus propriis Domus, aut ex consuetis eleemosynis. Conclusio comprehendit etiam locorum Ordinarios, permittentes recipi in Monasteriis Monialium sibi subiectarum vltra eum numerum. 41

Nostram tenent Conclusionem Bartholomæus à Sancto Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *quæst.* 32. *num.* 6. *pag. mihi* 612. Iacobus Raggius, *de Regimine Regularium, centuria* 1. *part.* 3. *dub.* 78. *num.* 3. *pag.* 282. Eligius Bassæus, *tom.* 1. *verbo Paupertas Religiosa, num.* 13. Laurentius de Peyrinis, *tom.* 1. *de subdito, quæst.* 2. *cap.* 2. *§.* 12. *versic. In particulari, & de Privilegiis, tom.* 1. *ad constitutionem Pyrrhi, §.* 9. *num.* 49. *in fine.* Palaus, *tom.* 3. *tract.* 16. *disp.* 1. *punct.* 7. *num.* 3. *in fine.* Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. Augustinus Barbosa, *de Potestate Episcopi part.* 3. *allegat.* 98. *num.* 3. *in collectan. ad Concilium Tridentinum sess.* 25. *de Regularibus cap.* 3. *num.* 19. vtrobique allegat Navarrum *in cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. *num.* 57. *versic. Tertiò nota.* Homobonum de bonis, *de Examine Ecclesiastico tract.* 12. *cap.* 3. *quæst.* 15. *resolut.* 3. *pag.* 455. & Thomam Sanchez, *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 3. & non obscurè Chassaing, *in Prælato Regulari, cap.* 14. *§.* 6. *in princ.* ibi. Fit enim cum summo Regularis disciplinæ malo, ac hominum sæcularium scandalo, vt etiam virorum, Monasteria sæpè alieno ære obruantur, quod à triplici capite oriri potest, ac primo quidem si Regulares legem Tridentini impunè transgrederentur, de non pluribus in Monasteriis admittendis, quàm quos commodè Monasteria alere possunt.

Probatur conclusio. Quia est præceptum Episcopis, & Prælatis Regularibus iniunctum in iuribus suprà redditis, & de re gravissima, & ad observantiam Regularium valdè necessaria, vti vidimus *suprà*, *n.* 9. 16. *&* 28. & docet Lugo *de Iust. & Iure, tom.* 1. *disp.* 3. *sect.* 8. *num.* 188. dicens. Et quidem maximum est in observantiæ, & relaxationis periculum si Communitas non prouideat abundanter subditis intra limites paupertatis Religiosæ: singuli enim statim attendunt ad providendum sibi, & sub specie necessitatis incipit natura nostra quærere etiam commoditates. Quare multò 42

multò melius est alere competenter, & sufficienter centum Religiosos, quàm 150. minus sufficienter: quia illi centum conseruabunt disciplinam, & obseruantiam Regularem, quàm plures alij omnino euertent. Hæc Cardinalis præfatus. Sed præceptum de re, non solùm grauissima, sed gravi obligat sub culpa mortali. Peyrinus, *dicto num*.49. Lezana, *loco citato*, *cap*.8. *num*. 8. *circa finem*, *& tom*. 2. *part*. 4. *verbo leges Regularium*, *num*. 49. Bassæus, *tom*. 1. *verbo Lex IV. num*. 5. cum Suarez *de legibus*, *lib*.3.*cap*.25. *num*. 2. 4. *& sequent*. Salas, *eod.tract*. *disput*. 10.*sect*.9.*num*.46. *& sect*. 10. *num*. 72. Bonacina etiam *de legibus*, *punct*.7. §. 4. *num*. 13. *& seq*. Sanchez *in Decalogum*, *lib*. 1. *cap*. 4. *num*. 4. & Reginaldo, *lib*. 15. *num*.43. Gabriel Vasquez, *in* 1.2. *D.Thom.tom*.2. *disp*.158.*cap*.4. *num* 30. vbi ita fatur. Porrò materiæ, quæ præcipitur, grauitas, & vtilitas tantæ considerationis est, vt non pendeat ex voluntate Legislatoris, ad mortalem, aut venialem culpam obligare, posito semel præcepto, sed ex ipsa materiæ grauitate, & leuitate respectu finis, cuius gratia præcipitur, culpa venialis aut mortalis iudicanda sit. Ita ille: ergo Tridentinum, & aliæ dispositiones recensitæ statuentes numerum Religiosorum pro vnoquoque Monasterio, vel domo Regulari iuxta illius capacitatem, & iuxta redditus, & prouentus, aut consuetas eleemosynas detractis omnibus oneribus, instaurationis Monasterij; reparationis Ecclesiæ, hospitalitatis, ratarum Superioribus debitarum & aliis detrahendis, obligant ad mortale Prælatos, tàm Regulares, quàm Episcopos.

CONCLVSIO II.

43 PRoprietatis peccatum incurrunt Prælatos Regulares, & Religiosi admittentes, seu ponentes in Monasterio aliquo, seu in Domo Regulari plures Religiosos, quàm commodè & sine penuria sustentari possint de redditibus, & prouentibus, seu eleemosynis consuetis illius.

Hanc Conclusionem expressè docent Bart. à S. Fausto, Iacobus Raggius, & Eligius Bassæus *locis suprà pro prima Conclusione citatis*, quorum verba recensere libuit.

44 S.Faustus ita fatur. Hinc, peccat mortaliter contra votum paupertatis Prælatus qui suscipit plures Religiosos, quàm redditibus, vel eleemosynis commodè sustentari possint. Quia facit contra præceptum Concilij Tridentini, *sess*.25.*cap*.3. & hoc in re gravi, & valdè necessaria ad conseruandum status Religiosi bonum progressum. Ibi enim sic dicitur. In Monasteriis is tantùm numerus Constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Hæc Bartholomæus.

Bassæus autem sic ait. Item peccat mortaliter contra votum paupertatis Prælatus, qui recipit plures Religiosos, quàm redditibus, vel eleemosynis commodè sustentari possint. Quia facit contra præceptum Concilij Tridentini &c. vti Bartholomæus à S. Fausto, cuius verba ad amussim exscripsit.

45 Raggius, in sequentia prorumpit. Qui recipit plures Religiosos, quàm redditibus vel eleemosynis sustentari possint, lethali culpa obstringitur contra votum paupertatis, vt aiunt Barth. à S. Fausto, *in Thesauro Relig*. *lib*. 8. *quæst*. 31. & Bassæus, *Summa*, *tit*. *Paupertas Religiosa*, *num*. 13. quia facit contra præceptum Concilij Tridentini, *sess*.25. *cap*. 3, & videtur esse res grauis, & valde necessaria ad conseruandum status Religiosi bonum progressum: ibi enim sic dicitur: Monasteriis is tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Igitur Provincialis, qui plurimos Religiosos ad habitum assumpsit, ex quo sequitur relaxatio præcepti prædicti, censendus est reus mortis æternæ: nam certè violavit præceptum Concilij Tridentini, augendo Religiosorum numerum, qui commodè ex eleemosynis sustentari nequeunt: maximè quia Fratribus Minoribus, vt de mendicitate viuant, est essentiale ad bonum progressum status Religiosi, imò Regulæ. Hactenus. P.Raggius.

Probo istam conclusionem fundamentaliter, & quoad Prælatos, primò. Nullus Regularis Prælatus Dominus est bonorum Monasterij, sed solùm fidelis dispensator, administrator, procurator, Æconomus, qui administrationem exequi tenetur, iuxta conditiones, & limitationes statutas per Sacros Canones, Constitutiones, Ordinis, & Consuetudines legitimè præscriptas suprà, *dub*.5.*num*.1.6.7.10. 14. *&* 17. Datúque ad vtilitatem, & commodum non sui ipsius, sed subditorum, & Monasterij. *ibidem num*. 4. & 10. Et conditionem Monasterij meliorare potest, & non verò deteriorare, *num*. 1. Sed administrator Religiosus, quicumque ille fit, si aliud faciat expendendo bona suæ administrationi commissa, non seruatis conditionibus, & limitationibus prædictis, peccat mortaliter ex vitio proprietatis. Latè id probauimus contra Æconomos, *dubit*.9. authoritate plurimorum Doctorum, & ratione, quæ æquè militant contra Prælatum, cum iste etiam dispenset bona aliter, quàm eis sit è Iure, & Superioribus commissum. Ratio autem ea est: quia quilibet administrator, qui in administratione non adimplet conditiones, & limitationes ei præfixas, actum exercet Dominij, & proprietatis, ita enim bona expendit, ac si sua essent: ergo Prælati Regulares proprietatis incurrunt peccatum, ponentes Religiosos vltra numerum, qui commodè & sine penuria sustentari possint in Monasterio. Patet consequentia. Quia Prælatis omnibus Regularibus, districtè præcipitur in iuribus suprà redditis, ne plures Religiosos in Conventibus recipiant, quàm ex redditibus illorum, vel consuetis eleemosynis commodè, & sine penuria sustentari valeant: ergo plures recipiendo, limitationem suæ administrationis excedont. Ac per consequens, proprietatis peccatum incurrunt, insumendo bona in illo Religiosorum excessu, propria ex authoritate, qui est proprius, & rigorosus proprietatis, & dominij actus.

Quoad Religiosos particulares, facilior probatio occurrit. Qui administrationem non habent bonorum Monasterij, nec per se, nec per alios, illorum aliqui, quod notabile sit, insomere possunt, absque vitio proprietatis, sine licentia legitima, (quæ in casu nostro, nec datur, nec supponi quidem queit) Sed admittere, seu ponere in Monasterio Religiosos aliquos, vltra eos, quos sustentare valet, est insumere per alios notabilem quantitatem sine legitima licentia. Ergo Religiosi particulares admit- 46 47

tentes in Monasterio, plures Religiosos, quàm illud commodè sustentare valet, proprietatis vitio peccant.

48 Secundò probatur. Religiosi priuati, tantâ non pollent facultate, quoad bonorum Monasterij insumptionem, quantâ Prælati eius gaudent, imò nullâ. Sed Prælati Monasterij, tam immediati, quàm mediati, vti ex modo prædictis constat, facultate non gaudent ponendi in Monasterio, aut Regulari Domo aliquem vltra numerum, quem sustentare commodè valeat, nisi ex vitio proprietatis peccando. Ergo multò minus priuati Religiosi illa gaudent.

49 Procedit Conclusio, quoad priuatos Religiosos, quando quomodocumque concurrunt, ad augmentum numeri, siue suffragio, siue intercessione, siue alio modo. Ratio in promptu est, quia sunt in causa, & positiuè quidem, vt bona insumantur Monasterij, contra præscriptum Sacrorum Canonum, & Decretorum Apostolicorum, & independenter à voluntate veri illorum Domini, est absoluti dispensatoris, Pontificis scilicet Summi, & Ecclesiæ vniuersalis, penes quam principale dominium rerum Ecclesiarum est, in sententia quam approbat Abbas, *in cap. Cum super, num.* 18. *el* 4. *de causis possessionis, & proprietatis*, ibi. *Secunda opinio est, quam ipse refert* (Innocentius scilicet) *quod Ecclesia habet possessionem, & proprietatem, id est Congregatio fidelium cuius caput est Christus.* Quam, quidem approbari videtur à Symmacho Papa, *in Can. Non liceat, el* 20. 12. *quæst.* 2. vbi sic decernit. Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ, alienare. Sed Religiosus, qui per se, vel per alios bona insumit independenter à voluntate domini, vel dispensatoris illorum, peccatum proprietatis committit. Ergo illud etiam admittit, qui positiuè ad augmentum numeri quomodolibet concurrat Religiosorum.

50 Nec modò dictis obstat, quod Conuentus dominij capaces, Domini sint, & proprietatem habeant bonorum suorum, & quod Prælati sint istorum administratores. Quia dominium, & administrationem huiusmodi absoluta non habent, & libera, sed limitata, & restricta non solum per votum paupertatis, sed per ipsammet Ecclesiam vniuersalem, quæ tanquam vera bonorum Ecclesiasticarum Domina, benè potuit illa inter Ecclesias particulares, & Monasteria distribuere, etiam quoad dominium, cum conditionibus, & limitationibus sibi bene visis, & sibi reseruare, & Romano Pontifici supremam, administrationem: Imò dominium, recuperare potest bonorum, & eorum possessionem, conditionibus, & limitationibus non adimpletis. Si enim, qui alteri bona sua donauit, ea lege, & conditione, vt donatori donatarius alimenta præberet, ista illo non præbente, statim donator recipit dominium, & possessionem bonorum donatorum, vti docent Lessius, *de Iust. & Iure, lib.* 2. *cap.* 3. *dubit.* 3. *num.* 16. & Amicus, *tom.* 5. *Cursus Theologici disp.* 13. *num.* 21. ex *l.* 1. *Cod. de Donationibus, quæ sub modo conficiuntur.* Quare Ecclesia recipere non poterit dominium, possessionem, & administrationem bonorum, quæ Monasteriis sub modis donauit, sub conditionibus, & limitationibus recensitis?

DVBIVM XXIV.

An Religiosus contra votum peccet Paupertatis, capiendo delectionem morosam de dominio, aut libero diuitiarum vsu?

BREVIARIVM.

Carthusianus.

An habere possit delectationem morosam de esu carnium, sine peccato, n.6.

Delectatio morosa.

Participat de obiecto prauo malitiam eiusdem speciei ad summum quando malitia obiectiua, de qua sumitur delectatio est intrinsecè mala, non quando est mala, quia prohibita, n.1.2.3.4.5.8.

Delectatio morosa de dominio, aut de independente vsu rerum in Religioso, mortalis non est, nec de esu carnium in Carthusiano, dummodò excludat propositum agendi contra votum, & periculo agendi non se exponat, n.2.3.4.6.9.

In his, quæ iure naturæ non sunt prohibita, sed aut voto, aut iure positiuo, potest per rationem præscindi, quod ante prohibitionem erat licitum, & prout sic in eo mente delectari sine culpa lethali, num. 18.

Morosa delectatio, tunc propriè datur, quando plenè aduertis opus esse illicitum etiam sub dubio, si voluntas consentiat, & delectatio positiuè placeat, etiam per breuissimum tempus, n.11.

Discrimine assignatur inter delectationem de re intrinsecè mala, & de re mala, quia prohibita, n.5.6.9.

Ieiunium.

An violetur, per delectationem morosam esus carnium? n.7.8.9.

Lex.

Lex positiua humana per se non prohibet actus internos, sed solùm externos, n.4.

Paupertas Religiosa.

Non violatur mortaliter à Religioso ex vi obiecti, capiendo delectationem morosam de dominio, aut de vsu libero rerum, dummodo excludat propositum agendi contra votum, n.1.2.3.

Peccatum.

Absque voluntatis consensu, ex plena deliberatione, seu animaduersione intellectus procedente, non potest dari mortale peccatum: ex imperfecta, veniale erit, n.11.

Periculum.

Qui se exponit periculo violandi præceptum, aut votum, mort. peccat, n.2.4.5.

Votum.

Displicentia in Religioso de voto facto, non est per se mortalis; modo tamen non se exponat periculo, contra votum delinquendi, n.2.

CONCLVSIO.

SI huiusmodi Religiosus excludat propositum agendi contra votum paupertatis, per se, & ex vi obiecti, contra paupertatis votum non peccat mortaliter. 1

Ita Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regular.*

gular. tom.1. tract. 4. de Votis Regularium, cap.2. quæst.5. num.264. cum Suarez, *tom. 3. de Religione, lib.8. cap. 10. num. 3.* Sanchez, *lib. 1. operum Moralium, cap.2. num.10.* & Vasquez, *1.2. disp.3. cap.3.* Probationem, ex eodem Pellizzatio reddo. Patetque (inquit) quia quòd dicitur delectationem morosam de obiecto pravo participare malitiam eiusdem speciei, ad summum locum habet, quando illa maliria obiectiva est intrinsecè mala; de qua sumitur delectatio; non item quando materia solùm est mala, quia prohibita, tunc quippe malitia potest separari per cogitationem in otdine ad delectarionem internam; quamvis non sit separabilis ab executione, durante prohibitione. Sic delectatio morosa de vsu carnium in die prohibiro, non est per se peccatum mortale, si aliàs voluntas sit firma in proposito servandi præceptum: quod omnino evenit in proposito; cum quoad hoc æquiparetur materia voti panpertatis, quod per se, & intriosecè non est mala; sed solùm quia eius carentia voto promissa est.

2 Sic etiam Religiosus desiderans habere divitias, per se loquendo, non peccar contra votum paupertatis, si in tali actu exeludat ipsum votum: vt si dicat: *Cuperem habere divitias, nisi votum paupertatis obstaret.* Vel. *Nollem fecisse votum paupertatis, vt possem esse dives.* In priori enim actu omnino excluditur affectus voto contrarius; imò per ea verba non tàm videtur explicari aliquis affectus, qui de præsenti habeatur, quàm ille, qui haberetur, si votum non fuisset emissum: constat autem, tunc talem affectum non fuisse futurum voto contrarium: vnde si aliquis simplex affectus in præsenti habetur, talis est quoad bonitatem, aut malitiam, qualis esset, si eliceretur à non habente votum paupertatis, per conditionem quippe appositam excluditur votum; & materia est talis, vt possit separari à voto; in altero autem actu, vltra hunc talem affectum, solùm includitur quædam displicentia de voto facto, quæ tamen per se non est mortalis; vt inde patet, quod vovens aliquid oon promittir perseverare in complacentia voti facti, vt nunquam ipsi displiceat; sed solùm promittit perseverate in proposito implendi votum emissum. Ita Suarez suprà, àddens, quod si Religiosus pet tales actus se exponit periculo delinquendi contra votum paupertatis, ex hoc capite poterunt præfati actus esse contrarij voto, sicut & ex eo, quod actus inutiles. Hactenus Pater Pellizzarius.

3 Gabtiel Vasquez, loco ab isto Authore allegato, de hoc puncto non agit; agit tamen, *tom. 1. in dictam 1.2. disp.11. cap.3. numero 9.* vbi consequenter ad ea; quæ *disp.110. cap.2. num. 7.* dixerat: videlicet quod delectatio, quæ est simplex affectus non accipit malitiam ex opere externo circa quod versatur, sicut accipit voluntas efficax, sed secundùm se, quatenus sub hac, vel sub illa ratione capitur, malitiam habet alicui virtuti oppositam, ac proindè prohibitio opetis externi non derivatut in delectationem intetnam, sicut in voluntatem efficacem: & hac sola tatione, quod opus de quo quis delectatur, sit prohibitum, non satis probatut, delectationem quam aliquis ex eo capir esse peccatum mortale, sub quocumque respectu ea capiatur, nisi aliunde delectatio ex se ob aliquem respectum alicui virtuti opponatut: denuo dicit dicto *num. 9.* Contta verò malitia operis, non ita derivatur in affectum simplicis complacentiæ, qui interius consumatur. Et infrà. Contra etiam aliqua delectatio de opere mortali sub aliquo respectu, potest esse absque culpa mortali, vbi in exemplis allatis de bello iniusto, & de duello. Adde etiam Religiosum cogitatione posse delectari in magnis sumptibus, & pecunia, propria auctoritate eroganda, absque mortali, quæ tamen ei non liceret facere, nec velle efficaciter: ergo delectatio non semper habet derivatam malitiam, ab opere: quod si in delectationem malitia effunderetur ab opere exteriori, citca quod versatur, eodem modo hæ delectationes essent mortaliter malæ, sicut affectus efficax malus est, nec vlla inter vtrumque affectum differentia esset. Hæc omnia Vasquez, satis opportuna pro nostra Conclusione firmanda.

Pro quâ etiam adduci potest Bassæus, *tom. 1. verbo Delectatio, num.13.* vbi docet quod quando opus aliquod ex se non est malum, sed propter solam legem positivam, probabilius est non peccare illud imaginando, & delectationem inde capiendo, nisi esset vanum, aut periculosum. Vnde (inquit) potest quis in quadragesima imaginari se comedere carnes, & sic delectari sensibiliter, si habeat iustum finem. Quod probat dicens. Ratio est, nam præceptum positiuum humanum per se non prohibet actus internos, sed solùm externos: quod si non habeat finem bonum, erit actus otiosus, & peccatum veniale; si verò exponat se periculo violandi præceptum Ecclesiæ, erit peccatum mortale, ita ille, qui pro se allegat Sylvium, in *1.2. quæst.74. art.8. quæsit.5.* & alios. 4

Non gravabor hic addere Leonardum Lessium, *de Iust. & Iure, lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 112. & seq.* plura dicente, ex quibus Conclusio nostra, & doctrinæ traditæ, non parum illustrentur, ac clariores evadant: & ex quibus amicus Lector benè capere queat, quando delectationes morosæ in diversis materiis, non rarò contingentes, gravitatem lethalis culpæ attingant. Sic fatur præfatus Doctor. 5

Verum quia opus imaginatione propositum non potest placere ac proinde nec oblectare, nisi ipsum secundùm se sit conforme affectui voluntatis, vel appetitus inferioris, vt rectè docet D.Thomas *1.2. quæst.74. art.8.* (ideò enim res per imaginationem præsens delectar, quia ipsa per se est conformis affectui, & apprehenditur vt bonum hominis) hinc fit, vt eo ipso quo consentis in delectationem, etiam consentis in affectum, & complacentiam opetis externi; quia illud opus, quà parte est obiectum delectabile placet affectui. Vnde si talis complacentia, sit illicita, necesse est etiam consensum in illam illicitum esse: idque pto gravitate, vel levitate illius complacentiæ, quæ pendet ex conditione obiecti, seu opetis externi, quod placet. Itaque cum affectio, & complacentia circa res venereas in materia sit illicita, & censetur gravis; consensus in illam erit peccatum mortale. Idem dicendum de complacentia occisionis inimici; & aliorum operum; quæ lege naturæ sunt prohibita. Vnde manifestè sequitur; etiam delectationem, quæ ex horum imaginatione percipitur, si materia gravis sit, mortiferam esse.

Ex his intelligi potest; curis qui imaginatione rei venereæ delectatur, potius mortiferè peccet, quàm Chartusianus imaginario carnium esu, supposito neutrum velle ad opus externum procedere. Ratio enim est, quia ille consentit in veneream imaginariam, & phantasticam fornicationem, (vt 6

D.August.

D. August. *lib.* 12. *de Trinitate, cap.* 9. loquitur) & consequenter in corporis commotionem, ac libidinosam prurigìnem, quæ ex tali imaginatione naturaliter sequi solet, & ex quâ immediatè illa sensibilis voluptas fluit: atqui phantastica illa actio, sicut & corporalis immutatio inde consequens est illicita, cum ad pollutionem disponat, ac proinde etiam voluntas inde resultans illicita est. Item consentit in complacentiam operis externi, quâ parte est delectabile, sine qua complacentia, non apprehenderetur illud opus, vt delectabile: atqui hæc complacentia etiam est obiectum sufficiens peccati mortalis: nam affectum habere conformem operi, quod per se est peccatum mortale, est grave malum: & consequenter consensus in illud, mortalis.

Chartusianus autem ille, solùm consentit imaginarias carnium epulas, & in corporalem commotionem, (siqua fortè in spiritibus, humoribus, aut corde sequatur,) & in voluptatem hinc resultantem, quorum nihil illi est prohibitum. Sola enim actio externa illi vetita: idque non tàm causa vitandæ voluptatis, quàm mortificandæ carnis, per externam abstinentiam. Itaque satisfacit præcepto exteriùs abstinendo, & volendo abstinere; quantumuis imaginario esu, & sapore delectetur.

7 Nec obstat, quod videatur consentire in affectum erga carnes: quia hic affectus malus non est; sicut nec affectus comedendi tempore ieiunij. Sepono omne periculum vlterioris consensus in opus externum. Est tamen in huiusmodi sæpe peccatum veniale, quia superflua delectatio quæritur.

8 Confirmari hæc possunt, ex his, quæ tradit Gabriel, in 4. *dist.* 15. *quæst.* 13. *art.* 3. *dub.* 3. vbi ex Rosella, *verbo ludus*, §. 2. docet non esse peccatum mortiferum delectari opere cogitato, vel viso, si illud non iure naturæ, sed solo positivo est prohibitum: vt cum quis imaginatione, vel aspectione ludi vetiti recreatur. Quod intellige, etiamsi illa recreatio talis sit, qualem ipsi ludentes percipiunt. Secus esse cum opus Iure naturæ est illicitum. Ex qua doctrina sequitur, delectationem illam ex imaginario carnium esu, non esse peccatum mortiferum, cum realis earum esus Iure naturæ non sit illicitus.

Petes, quæ sit ratio huius discriminis.

9 Respondeo. Quia id, quod per se malum est, non solùm exterius, & re ipsa facere non licet, sed neque interius vi phantastica per imaginationem: neutro enim modo licitum est, illud appetere, aut voluntatem ei habere conformem. Non vt exterius, quia per se malum est. Non etiam, vt faciendum per imaginationem, quia affectus in opus imaginarium, includit affectum operis in se considerati. Non enim potest placere opus in imaginatione, nisi etiam placeat in se ipso: atqui omnis affectus, & simplex complacentia obiecti per se mali, est mala, & teoratio, quæ non est à Deo, iuxta illud Iacobi 1. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*; eámque oportet à se depellere, & nullo modo ei consentire. Quod autem solo Iure positivo est illicitum, id non est vetitum practicati per imaginationem, cum solùm externum exercitium operis prohibeatur. Suppono enim Iure positiuo non prohiberi te ipsa actus merè internos. Neque affectus ille ad opus externū in se spectatum malus est, quando solùm est simplex complacentia appetitus inferioris, non movens ad externam executionem prohibitam. Affectus enim naturales ad bona adiaphora, per se mali non sunt, etiamsi voto vel præcepto positivo veteris illa sectari, vt affectus cibi, vel potus tempore ieiunij, affectus opum, honorum, dignitatum, affectus vitæ, longævitatis, &c. Vnde tales affectus interdum sine peccato directè appeti, & excitari possunt, vt si quis appetat famem, vel sitim, vt difficultate ieiunij plus mereatur. Sic Dominus in se ipso naturalem affectum vitæ, & horrorem mortis excitavit, quamvis præceptum de morte subeunda haberet. Quando autem obiectum per se est illicitum, eius affectus, seu complacentia nullo modo appeti potest, aut voluntariè excitari.

His adde, cum opus solo Iure positivo vetitum est, facilè posse à ratione illiciti præscindi, & solitariè tanquam licitum menti obiici; quæ præcisio in opere per se malo fieri nequit. 10

Ex quibus infertur, eum, qui vovit abstinere ab vsu fœminæ, solùm intendens se voto illo obstringere ad abstinentiam actus externi, non peccare peccato sacrilegij contra votum, etiamsi interius morosè delectetur: quia per votum hanc delectationem sibi non præscidit, sed solùm opus externum. Idem dicendum de aliis similibus; secus si absolutè vovit continentiam, non intendens votum suum ad actum externum restringere.

Dixi, *si voluntas in eam consentiat*: Quia absque consensu, peccatum esse nequit. Debet autem iste consensus esse ex plena deliberatione seu animadversione intellectus. Si enim nullo modo advertas illam cogitationem, aut delectationem esse illicitam, nullum erit peccatum, etiamsi per diem in ea verseris, vt passim DD. tradunt, quia vt illicita, nullo modo est voluntaria, quod enim nullo modo est cognitum, non potest esse volitum. Si imperfectè advertas, erit solùm veniale. Imperfectus enim rationis vsus in opere aliquo, non potest nisi imperfectum consensum, & consequenter, imperfectum peccatum causare: talis autem animadversio est cum res confusè se offert, instar mali certi, vel dubij, sed mens aliis intenta, & vix sui compos, tenuiter id apprehendit, ita vt ad pleniorem considerationem remissè, & languidè excitetur. Si plenè advertas quid agas, & opus esse illicitum, etiamsi sub dubio se offerat, tamen si voluntas consentiat, & positivè illa delectatio placeat, erit peccatum mortiferum, & tunc propriè dicetur delectatio morosa, eo quod homo illi post plenam considerationem immoretur, quamvis brevissimo tempore id faciat. 11

Hæc omnia Lessius, quæ ad amussim libuit reddere, tàm vt præmisi, pro altius stabilienda Conclusionis nostræ, & doctrinarum, quas pro illa recensui, veritate; quàm pro perfecta mei, & Lectorum instructione, ad benè dignoscendas delectationes *morosas*, & sanum iudicium proferendum de illarum malitia, & peccatorum gravitate.

* * *

DVBIVM

DVBIVM XXV.

An præter privationem Ecclesiasticæ Sepulturæ, aliis pœnis obstringantur Religiosi proprietarij.

BREVIARIVM.

Abbas.

An primam tonsuram aliis, quàm suis conferre possit subditis, n.16.

Habet Iurisdictionem Episcopalem, n.16.

Habet potestatem Ordinis limitatam ad Tonsuram, & aliquos Ordines, ad Altarium, & Calicum consecrationem, n.16.

Præcedit Generalibus, qui Abbates non sunt, n.22.

Est in primo dignitatis gradu: & non est de dignitatibus Episcopo inferioribus, n.22.

Nostræ Congregationis Abbates cognoscunt in prima instantia de omnibus subditorum suorum causis, vsque ad sententiam diffinitivam, & eius executionem inclusivè; exceptis causis privationis, & perpetui carceris, quæ Generali sunt reservatæ, num.25.

Concilium.

Tridentinum Pius IV. confirmavit, & strictè præcepit omnibus Prælatis, vt illud observent, & observari faciant, n.23.

Declarare.

Aliquem incurrisse in pœnam inflictam, spectare ad solùm illam infligentem, ait Pellizzarius, n.15.

Meliùs Lezana docet pertinere etiam ad habentem Iurisdictionem Episcopalem, vel quasi in delinquentem, à num.16.

Episcopi.

Iure Ordinario sunt Iudices in omnibus Ecclesiasticis causis, n.17.

Possunt in suis diœcesibus declarare subditos in pœnas incurrisse Pontificias, n.19.

Transgressores Sacrorum Canonum puniunt, numero 20.21.

Possunt in suis territoriis omnia, quæ Papa in toto Orbe, exceptis Papæ reservatis, n.18.

Interpretatio.

Legis, aut statuti interpretatio Iudicialis, ad illius pertinet conditorem tantùm, n.15.

Interpretatio iudiciales seu diffinitio Canonum, & Constitutionum Concilij Tridentini, & Papæ, si verba obscura sint, ad Papam pertinet solùm; doctrinalis verò, etiam ad alios spectat Prælatos, & viros doctos, n.15.26.

Imò si verba clara sunt, interpretationem facere possunt Iudices inferiores, n.27.

Iurisdictio.

Prælatorum Regularium iurisdictio quasi Episcopalis, non verò Episcopalis dicitur, quia Regulariter (Abbatibus exceptis) potestate Ordinis carent, n.16.

Licentia.

Excepto casu appellationis, non conceditur in nostra Congregatione ad accipiendum, retinendum, & insumendum à Generali, sed à Prælato locali, numero 33.

Omnis licentia in eadem Congregatione feria 2. post Dominicam 1. Quadragesimæ expirat, n.33.

Concessa à Præsidente, adveniente Abbate, expirat, numero 33.

Mori. Mors.

Communiter benè moritur, qui benè vixerit; & è contra, qui malè vivit, malè moritur, n.32.

Nominatio.

Prior nominatio, maiorem arguit dignitatem; regulariter saltem, n.22.

Pœna.

Sententiam exigit criminis declaratoriam ad sui executionem, omnis pœna, etiamsi ipso facto sit inflicta, num.12.

Prælati.

Regulares Prælati annuatim requirere debent fugitivos, & eiectos sui Ordinis, n.78.

Præter Abbates, potestatem non habent Ordinis; habent tamen omnes illi Iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos, & quantam in suos habet Episcopus, num.16.17.

Omnia possunt in subditos, quæ Episcopus in suos, & Papa in fideles, exceptis reservatis Papæ ipsi, numero 18.19.20.

Possunt declarare subditos incurrisse in pœnas Apostolicâ inflictas authoritate, n.19.

Possunt punire transgressores Apostolicarum dispositionum, num.20.

Et puniunt, n.21.

Proprietarius.

His, qui proprium habent pœnas infligit Ius commune; non autem accipientibus, aut insumentibus temporalia, contra votum, propria ex authoritate, num.2.

Proprietarius peccatum mortale Sacrilegij committit, num.3.

Communione Altaris, perceptione scilicet Eucharistiæ privatur, num.4.

A Monasterio expellebatur iuxta antiquiora iura, non autem iuxta recentiora n.5.6.7.8.

Voce activa privatur, & passiva per biennium, numero 9.10.

Retinens tamen sine licentia, non autem accipiens aut expendens, num.13.

Ad quæ si extendas talis pœna, declaratur, n.11.

Proprietarius de Iure communi nullo excommunicatus est vinculo obstrictus, n.28.30.

Hæc pœna inflicta est in Conciliis Provincialibus Coloniensibus, n.29.

Proprietarius non privatur sepult. Eccles. nisi interrogatus tempore mortis à Prælato, an haberet peculium, & responderit non habere, n.32.

Qui subitò mortuus invenitur cum pecunia crumena; non statim tanquam proprietarius sepultura privandus est. n.33.34.

Esto eclari non possit modo aliquo pio, quod pecunia sit sua, modò occultum sit, n.35.

Proprietarius in sterquilinio sepeliendus est cum parte pecuniæ, aut materia proprietatis suæ, non cum tota, num.36.

Proprietarius in loco sacro sepultus, extrahi non debet, si absque scandalo fieri nequeat, numero 37.38.

Neque quando eius ossa discerni non possunt, numero 39.40.

Pœnas proprietariis inflictas non incurrit, qui in quantitate 12. denariorum proprietarius existit, num.41.

Sepultura.

Proprietarius, qui sine licentia accepit, aut insumpsit pretio æstimabilia, & dummodo in extremis, cum eis inventus non fuerit, & dignam egerit pœnitentiam, sepultura Ecclesiastica non privatur, n.31.

Vide alia, verbo Proprierarius.

Venditio:

Christus, & Patriarcha Ioseph, triginta nummis venditi sunt, num. 36.

1 Difficultas proposita procedit in terminis Iuris communis, non autem Iurium municipalium, Statutorum scilicet, Constitutionum, aut Diffinitionum Religiosorum. Ideò vnusquisque Regularis, vltra ea, quæ hîc dicta fuerint, pro Dubij resolutione adæquata, à propria Religione stabilita, sedulò consulat. Quoad pœnas, à mea Benedictina Congregatione contra proprietarios statutas, nonnihil dixi in præsenti disquisit. præcipuè *dub.*2. *n.*60. id quod omnibus Religionibus cõmune est, sequentibus exponã Conclusionibus.

2 Sed libuit admonere, prius quàm illas statuam, Ius commune non omnibus proprietariis pœnas infligere, sed iis solùm, qui possident, aut habent proprium, non autem iis, qui votum paupertatis contemendo bona, propria ex authoritate accipiunt, aut insumunt, vel expendunt temporalia: quod, præterquàm quod, ex Iuribus constat, in medium proferendis, priùs admonuerunt, Bassæus *tom.* 1. *verbo Paupertas Religiosa*, *num.* 20. Bart. à S.Fausto, *de statu Religiosorum*, *lib.*8. *q.*198. *num.*4. Lezana, *in Summa qq. Regular. tom.*1. *part.*1. *cap.*6. *n.*86. cum Palacios *in* 4. *distinct.*38. *disp.*1. *ad finem* Sanchez *lib.*7. *in Decalogum c.*20. *n.*13. Fagundez, *eod. tract. tom.*2. *lib.*7. *c.*5. *n.*14. Augustinus Barbosa *collectanea DD. ad Tridentinum*, *sess.*25. *de Regularibus*, *cap.*2. *num.*32. *pag. mihi* 521.

CONCLVSIO I.

3 Prima pœna proprietariis inflicta, præter peccatum mortale sacrilegij, quod in fractione voti admittunt, & privatio communionis Altaris.

Hanc tenent Ascanius Tamburinus, *tom.*4. *de Iure Abbatissarum*, *disp.*8. *quæsito.*12. *n.*2. Barth. à S.Fausto, *vbi proximè*, *n.*1. Lezana, *loco allegato*, *n.*82. Barbosa, *in cap. Monachi*, *n.*1. *mox citando.*

4 Et probatur ex *cap. Monachi*, 2. *de Statu Monachorum*, vbi sic statuitur per Concilium Lateranense, videlicet. *Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à Communione removeatur Altaris.*

De qua pœna ait Lezana, excommunicationem non esse, sed interdictum, aut aliam spiritualem pœnam. Lessius autem, *de Iust. lib.*2. *cap.*20. *dubit.* 23. *num.*186. docet esse privationem perceptionis Eucharistiæ, quæ communio dicitur altaris.

CONCLVSIO II.

5 Secunda pœna à Iure proprietariis imposita, est, vt à Monasterio expellantur.

Ita Abbas Tamburinus, *loco reddito*, *n.*5. Bart. à S.Faust. *n.*1. Lezana *n.* 83. Pellizzarius, *in Manuali*, *tom.*1. *tract.* 4. *cap.*2. *sect.*3. *subsect.* 1. *num.* 246. Barbosa, *in cap. Cum ad Monasterium num.*6.

6 Probatur ex *cap. Cum ad Monasterium* el 6. *de statu Monachorum.* vbi Innocentius III. ita decernit. *Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlteriùs, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam.*

7 Hanc tamen pœnam nostris temporibus non subsistere, docet Tamburinus, *num.*6. cum Sanchez *lib.*7. *in Decalogum cap.*20. *num.* 12. Panormitano in dictum *cap. Cum ad Monasterium n.*13. & Barbosa, *de Iure Ecclesiastico lib.*1. *cap.*43. *n.*88. Idem Barbosa *in cap. Cum ad Monasterium*, *cit. n.*6. Pellizzarius, *n.*246. Bassæus, *dicto num.*20. Lezana, *num.*83. Et probatur primò, ex *cap. Ne Religiosi*, el 24 *& finali*, *de Regularibus*, vbi sic lego. *Statuimus, vt Præsidentes Capitulis celebrandis secundùm statutum Concilij Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores fugitivos suos, & eiectos de Ordine suo requirant solicitè annuatim.* Hæc Gregorius IX. in Decretali illa, cum qua benè stare non potest dispositio Innocentij de proprietarij eiectione.

8 Secundò probatur ex Decreto S. Congregationis Concilij Tridentini, authoritate Vrbani VIII. edito *anno* 1624. *de Apostatis, & electis*, quod recenset Lezana, *num.*84. vbi sic habetur. *Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis: verè autem incorrigibiles minimè censeantur, nisi solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex Iuris communis dispositione requiruntur: sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus, cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis.*

CONCLVSIO. III.

9 Tertia pœna proprietariis inflicta, est privatio vocis activæ, & passivæ per biennium, & acris punitio iuxta Regulæ suæ, & Ordinis Constitutionum dispositiones.

Docent Tamburinus, *num.*4. S. Faust. *numero* 2. Lezana, *num.*85. cum Navarro, *in cap. Non dicatis*, 12. *quæst.*2. *notab.* 1. *à num.*33. Ludovico Beia *in responsis casuum conscientiæ*, *part.*3. *casu* 36. *& part.*4. *cas.*17. *&* 32. Sanchez, & Fagundez, *locis suprà redditis*, & cum Thoma à IESV *tract. de Proprietate*, *part.* 2. *c.*2. Augustinus Barbosa *collect. ad Concilium*, *sess.* 25. *de Regularibus*, *cap.*2. *num.* 38. & in *cap. Cum ad Monasterium* cit. *n.*6. Bassæus, *verbo Paupertas Religiosa*, *num.*20. Laur. Peyrinus, *tom.*1. *de subdito*, *q.*2. *c.*2. §.9. *in fine.* Pellizzarius, *in Manuali Regular. tom.*2. *tract.*7. *c.*6. *sect.*2. *num.*29.

10 Probatur Conclusio ex Tridentino, *sess.*25. *de Regularibus*, *cap.*2. in fine, vbi in hunc modum statuitur. *Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam iuxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

11 Circa quod Decretum, tria adnotare duxi. *Primum* est, Religiosum privatum, voce activa & passiva, omni iure dandi vocem ad aliquem actum faciendo in Capitula & iure patiendi vocem datam de ipso à Capitulo, Conventu, vel Collegio, quoad ea, quæ sibi sunt oneri, & pœnæ, privatum censeri. Ita Barbosa, *in dicta collect. ad Concilium*, *n.*33. cum Navarro, *Concilio* 6. *de electione in antiquis*, *aliàs in novis tit. de Verborum significatione*, *cons.*6. relato à nostro Sayto, *in floribus decisionum*, *sub tit. de electione*, *decis.*6.

12 *Secundum* est, hanc pœnam à Tridentino inflictam, non incurri ante Iudicis sententiam. Sic docent Barbosa, *vbi proximè*, *n.*32, cum Sanchez, *in Decalogum lib.*7. *c.*20. *n.*17. Pellizzarius, *vbi proximè*, *sect.*1. *n.*10. cum eodem Sanchez *cap.* 39. *lib.*2. *in Decalog. num.*32. ex Navarro, Molina, Soto, & Ledesma, & cum Portel, *de Dubiis Regular. verbo Inhabilitas*, *n.*32. & aliis pluribus relatis à Diana, *p.*2. *tract.*17. *resolut.*67. cum quibus omnibus docet, verum id esse, etiamsi feratur incurrenda ipso

facto,

facto, seu ipso iure. Bassæus, *dicto num.*20. Barth. à S. Fausto, *dicto num.* 2. *in fine.* ibi. Quæ pœna apertè sententiam Iudicis postulat, vt ea verba, *tenere deprehensus, aut convictus fuerit*, denotant. Laurentius de Peyrinis, *tom.* 1. *de subdito, quæst. cap. & §. citatis*, ex eisdem verbis. Lezana *num.*88. in hæc prorumpens. Attento, quod ad incurrendas pœnas, etiam ipso iure incursas (maximè si in ipsis non ponitur hæc clausula *absque vlla declaratione*, vel simili) requiritur legitima declaratio, iuxta Glossam singularem, & receptam *Clement I. de Censibus*, Felinum, in *cap. Rodulphus, num.*41. *de Rescriptis.* Navarrum, *lib.*5. *Consilior. de sent. excomm. cons.*23. *num.*2. *in impressione Romana* 1590. & plures alios infrà recensendos. Hæc ille. Plura de hoc puncto cumulavi *disquisi. I. c.* 14. *de Pœnis Hæreticorum.*

13 *Tertium* est, hanc pœnam non incurrere dantes aliquid sine Prælati licentia, aut contra illam, vti benè Peyrinus *vbi suprà* cum Sanchez *in Decalogum tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 11. & 13. Constat ex Conciliari recensito textu: *quod si quis aliter quidquam tenere. &c.* vbi non dicit dare, aut accipere quidem, sed *tenere*, quod vtique diversum omnino est, & cum materia sit odiosa, extendi non debet, sed restringi. *Cap. Odia de Regulis Iuris.* Pro hac adnotatione & nobis, præter Peyrinum, & Sanchez, sunt DD. allegandi *num.*31.

14 Difficultas autem hîc occurrit, *quisnam sit Iudex ad quem spectet declarare Religiosum incurrisse pœnam istam privationis, & quomodo id facere debeat?* & idem dubitari potest in similibus casibus, quibus contingat Religiosos pœnas alias incurrisse à Iure communi, Conciliis aut Constitutionibus Apostolicis extra Ius commune vagantibus, inflictas. In omnibus enim illis eadem est dubitandi ratio.

15 Ad primam difficultatis partem respondet Pellizzarius, *loco proximè allegato, sub quæst.* 9. *n.* 11. *pag. mihi* 159. Iudicem illum esse, qui tulit pœnam, adeoque si ea (inquit) lata est in aliqua Constitutione Pontificia, spectare ad Papam (ferre scilicet sententiam) si in aliquo Decreto S. Congregationis, ad ipsam S. Congregationem; si in Constitutionibus Ordinis, ad Prælatos Regulares, & quidem etiam locales, saltem de Iure communi. Probat responsionem suam sic. Quia illius est declarare pœnam fuisse incursam, cuius est pœnam imponere, alioqui facultas imponendi pœnam esset frustranea, ac inutilis; præsertim attenta probabilitate sententiæ, q. præcedente relatæ (*num.* scilicet 10. quam paulo ante *num.* 12. egomet recensui, & cum eodem sequutus fui Doctore) quod hæ pœnæ Ecclesiasticæ, non incurrantur, nisi post Iudicis sententiam; sic enim non rarò evitatur, pœna incursa, si alius ab eo, qui illam tulit, deberet declarare ipsam fuisse incursam, eo parum curante eiusmodi declarationem; cum aliàs Iudex, qui eam pœnam tulit, præsumi possit futurus diligentior in facienda ea declaratione tanquam de re concernente ipsius Iurisdictionem.

Hæc Pellizzarius, cui favet, quod cuius est legem concedere, eiusdem est eandem legem interpretari. Expressè habetur in *Canone*, *Sicut enim* §. *Ex his omnibus*, el 30. 11. *quæst.* 1. desumpto ex Epistola D. Petri ad Clementem I. Missa, vti Gloss. ait, super canonem *To quidem*, immediatè præcedenté. In can. igitur *Sicut* sic lego. *Sicut enim ille solus habet ius interpretandi Canones, qui habet potestatem condendi eos: ita ille solus civilium legum debet esse interpres, qui eis ius, & authoritatem impartitur.* Favet etiam Innocentius Tertius, in *cap. Inter alia* el 31. *de Sent. excommunic.* dicens. *Vt igitur, vnde ius prodiit, interpretatio quoque procedat, &c.* Et vtrobique Glossa. Allegantur etiam pro Pellizzario à Mezana, *n.*89. *l. fin. Cod. de legibus, & l. In prætoriis, ff. Prætoriis stipulationibus.*

Sententia tamen Lezanæ, quàm tenet *num.*90. 16
Videlicet ad Prælatum Regularem Religiosi delinquentis pertinere declarare, illum incurrisse in dictam privationis pœnam, mihi plausibilior est, ob ea, quæ doctè tradit. Pro cuius probatione, cum eodem suppono Magistro, duo, ex quibus validissimum conficitur, & efficacissimum argumentú.

Suppono *primò*, Regularium Prælatos, habere in eos Iurisdictionem quasi Episcopalem. Pro comperto omnibus est, inquit Lezana, & allegat Navarrum. *lib.* 1. *Consiliorum, tit. de Temporibus Ordinationum cons.*36. *n. vnico, & im Summa c.*12. *num.*75. Sanchez, *lib.*8. *de Matrim. disp.*3. *num.*9. Glossam, *in Clementinam* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis, verbo Proprij*, quam & præcedentes DD. recenset etiam, & sequitur Peyrinus *mox citandus* Marcus Vitalis, *tit. de Casibus reservatis, inquisit.* 1. *num.* 87. *pag.* 60. Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 3. *in praxi Criminali, quæst.* 1. *num.* 11. ex *cap. Ea quæ, de statu Monachor.* Abbate ibi, *& in cap. Si quis contra Cleric. de foro competente*, & Iulio Claro, *lib.* 5. *receptar. sententiar.* §. *fin. quæst.* 35. *versic. Quæro, quis sit Iudex Monachorum.* Textus est expressus in *cap. Abbates* el 3. *de Privilegiis, lib.* 6. ibi. *Ne eis licitum sit* (loquitur de Abbatibus) *aliis quàm Monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem Iurisdictionem, obtinent, primam Clericalem conferre tonsuram.* Hæc Alexander IV. in Decretali illa. Latè hoc ipsum suppositum probavi, *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.* 113. *& seq.* & quod tanta sit potestas, quoad Iurisdictionem in subditos, in huiusmodi Prælatis, quanta est in Episcopis erga oves suas, dixi *num.*117. & docent Peyrinus, *de Privilegiis tom.* 1. *ad Constitutionem Pyrrhi*, §. 8. *num.* 46. *pag. mihi* 9. Marcus Vidal, *vbi proximè.* Consultò, *quoad Iurisdictionem* dixi, quia potestate Ordinis, nulla in plurimum in eos pollent, præter Abbates: & isti limitatam ad primam tonsuram, & aliquos Ordines, & ad Calicum, & Altarium, vulgò *Aras*, consecrationem. Et quia potestate Ordinis regulariter Regulares Prælati carent, eorum Iurisdictio, non Episcopalis, sed quasi Episcopalis dicitur, vti docent Peyrinus, Lezana, *locis citatis*, & Glossa *in dicto Cap. Abbates, verbo Quasi Episcopalem.* ibi. *Hoc dixit, quia verè Episcopalem habere non posset, scilicet ve posset Chrismare, & alia facere, quæ sunt Episcopalis Ordinis.* Ita Glossa DD. autem allegati, sic. *Illud quasi Episcopalem excludit tantummodò ea, quæ Ordinis sunt Episcopalis, vt conficere Chrisma, conferre Ordines, &c.* ex quo fit Abbatum Iurisdictiunem, Episcopalem dici benè posse.

Secundò suppono, Episcopos, iure Ordinario esse Iudices in omnibus causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus. Decernitur à Tridentino, *sess.* 24. *de Reformatione, cap.* 20. *Causæ omnes.* Et docet Lezana *tom.* 1. *part.* 1. *c.* 6. *num.*90. cum Mar. Anton. *variar. lib.* 1. *resol.* 15. *num.* 3. Francis. Leo *in Thesauro fori Ecclesiastici, p.* 2. *cap.* 1. *num.* 70. Praxi nova Episc. *part.* 2. *cap.* 4. *numero* 3. Viviano, *in Praxi Iuris patronatus, part.* 2. *lib.* 7. *capite* 3. 17

num. 5. Zerola *in praxi Episcop. part.* 1. *verbo instantia*, §. 4. Tuscho *de Visuatio. lib.* 1. *cap.* 13. *post. num.* 3. Monald. *consil. decis.* 94. & Alojsio Riccio, in Collect. decisionum, *part.* 4. *decis.* 1353. *in fine.*

18 Quod, dubio procul, verum habet iuxta Vulgare axioma Theologorum quod refert, & reficit Legana, *num.* 91. argumento textus in *cap. Ad honorem, de Authoritate, & vsu Palij*, *in cap. Novit* in fine *de Iudiciis*, & authoritate Soti, *de Inst. lib.* 10. *quaest.* 1. *art.* 3. *Conclus.* 1. & aliorum Videlicet, *quod Episcopi possint in suis Diœcesibus, omnia, qua Summus Pontifex in Vniverso Orbe, specialiter reservatis exceptis.* Quod quidem axioma, in vniversum ad satietatem probavi, *dicta disq. Past. de Iure Prioris annexi*, *à num.* 17. cum, Iuris dispositionibus, tum Doctorum multorum, ac Glossarum doctrina, & authoritate. *In vniversum* dixi, quia non solùm id ibi de Dominis demonstro Episcopis, sed de Prælatis Regularibus.

19 Quibus suppositis, probatur nostra sententia sic. Episcopi possunt declarare incursum in pœnas canonicas, quemcumque sibi subditum, transgressorem quarumcumque Constitutionum Apostolicarum. Sed Prælati Regulares habent in suos subditos æquam cum Episcopis iurisdictionis authoritatem, & potestatem: ergo possunt dicti Prælati similem declarationem facere, quando eorum subditi Apostolicarum Constitutionum transgressores existunt: ergo possunt Religiosum proprietatium declarare, incurrisse pœnas statutas per Concilium Tridentinum, & alias Apostolicas sanctiones, contra Religiosum proprium tenentes.

20 Deinde, ad Episcopum pertinet sacrorum Canonum transgressorem, per debita cohibere remedia, Lezana, *num.* 92. cum Francis. Cesped. *tract. de exemp. Regul. cap.* 16. *dub.* 247. *num.* 1. ex Cartario, & Marco Antonio Genuensi, maximè circa S. Concilij Tridentini observantiam. Sed Prælatus Regularis habet erga suos subditos iurisdictionem quasi Episcopalem, & tantam, quantam Episcopus habet erga suos. Ergo etiam poterit Prælatus Regularis suos subditos cohibere per debita Iuris remedia circa eiusdem Tridentini, & aliarum Apostolicarum dispositionum observantiam.

21 Deinde probatur ex communi stylo, & praxi tàm Episcoporum, quàm Prælatorum Regularium, qua semper ex Officio, & in vsu proprij muneris puniunt respectivè subditos suos transgressores, non solùm Concilij Tridentini, sed sanctionum quarumcumque Apostolicarum, in sacris Canonibus, Decretalibus, & Constitutionibus aliis contentarum. Nec vnquam pro illis inquirendis, declarandis, aut puniendis, recursum habent ad Apostolicam Sedem; quin potius ad eandem referri solent Sedem, si negligentes reperiuntur in huiusmodi causis gerendis. Quorsum ergo in hac causa, quæ propriissima Religiosorum est, transgressione videlicet voti paupertatis, non poterunt ea omnia Prælati facere Regulares, quæ ipsi, & alij Iudices in similibus agere possunt, solent, & debent? Addit Lezana *num.* 93. praxim etiam S. Congregationis sæpissimè remittentis delicta Religiosorum ab ipsorum Prælatis, & speciatim se id factum S. Congr. Regular. ann. 1631. vidisse testatur.

22 Vlteriùs probatur nostra difficultatis responsio ex eodem Concilio Tridentino, *sess.* 28. *de Regularibus cap.* 22. vbi postquam Decretum redditum ex cap. 2. statuit, & alia, decernit. *Hæc omnia, & singula in Superioribus Decretis contenta observari S. Synodus præcipit in omnibus Cænobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, nec non quarumcumque Sanctimonialium Virginum, ac viduarum.* Et infrà *Et quid S. Synodus desiderat, vt omnia, & singula suprà dicta, quam plurimum executioni demandentur, præcepit omnibus Episcopis in Monasteriis sibi subiectis, & omnibus aliis ipsis in Superioribus Decretis specialiter commissis, atque omnibus, Abbatibus, Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur.* Expende benè verba illa, *observari S. Synodus præcipit in omnibus Cænobiis*, &c. & illa: *atque omnibus Abbatibus, Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum vt statim prædicta exequantur*: & percipies mentem Concilij fuisse, privationem vocis activæ, & passivæ dicto *cap.* 2. eiusdem sessionis, Religiosis proprietariis inflictam, executioni demandandam esse à Superioribus eorum, & consequenter ad eosdem Superiores Regulares spectare, & pertinere, declarare subditos suos proprietarios repertos, in huiusmodi pœnam incidisse: nollo enim alio modo illam executioni demandare possunt, nisi isto, vti Lezana *num.* 94. observat.

Hic obiter observa Abbates Generalibus præferri. Et meritò quidem, quia Abbas dicitur constitutus in primo gradu dignitatis, nec est de dignitatibus Episcopo inferioribus, vtì docet Tamburinus, *de Iure Abbatum*, *tom* 1. *disput.* 1. *quæst.* 2. *num.* 7. cum Lapo, *allegat.* 84. *numero* 12. Franco *in cap.* 2. *num.* 5. *de Præbendis in* 6. & Prob. ibi ad Menochium, *num.* 48. Sarnen, *in regula annal, quæst.* 11. *num.* 4. Rota *in Burgensi Iurisdictionis*, coram Otano *la* 41. *ad calcem sui tom.* 3. Plura addit idem Tamburinus scitu dignissima *disput.* 25. *qq.* 3. & 4. & allegat *Can. si quis deinceps*, 16. *q.* 7. vbi Episcopatus, & Abbatia æquiparantur, *ex. de Indic. c. Dilectus*, & c. *fin. de Offic. Ordinarij, eod. lib.* in quibus post Episcopos, primo Abbates nominantur, ex qua priori nominatione, arguit in Abbatibus maiorem dignitatem, cum Glossa in *c.* 24. *de electione in* 6. Quod omne demonstro ex *extravagante Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alienandis*, *quam exscripsi disquis.* 1. *Dub.* 13. *num.* 33. ibi *Si Pontificali, vel Abbatiali.* Et infrà. *Inferiores verò Prælati, &c.*

Confirmatur argumentum ex Tridentino de- 23
sumptum, ex Constitutione *Benedictus Deus*, Concilij eiusdem confirmatoria, in qua Pius Papa IV. inquit, mandamus autem in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à S. Canonibus Constitutis, aliisque gravioribus etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, vniversis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & aliis quibusuis Ecclesiarum Prælatis, cuiuscumque status, gradus, Ordinis, & dignitatis sint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, vt eadem Decreta, & statuta in Ecclesiis suis, Civitatibus, & Diœcesibus, & in iudicio, & extra iudicium diligenter observent, & subditis quisque suis ad quos quomodolibet pertinent inviolabiliter faciant observari; contra factores quoslibet, & contumaces per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, etiam in ipsius Decretis contentis, appellatione postposita compescendo, invocato etiam si opus fuerit brachij sæcularis auxilio.

xilio. Hactenùs Pius IV. qui dubio procul, sub illis verbis, *& aliis quibusvis Ecclesiarum Prælatis, cuiuscumque status, &c.* & comprehendere voluit Regulares Prælatos.

24 Addit Lezana, ex Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ, gloss.* 56. *num.* 121. quod esset molestissimum Summo Pontifici, aut Sacræ Congregationi onus imponere declarandi, Religiosos pœnam præfatam incurrisse. Præsertim, quia cum habeamus declarationes eiusdem Concilij, & Pij IV. modò relatas, frustrà esset ab illis alia declaratio spectanda.

25 Vnum hîc pro nostræ Congregationis Prælatis libuit advertere, quod licet Abbates, & Superiores immediati sint veri Iudices Ordinarij, vti Constitutionibus S. Facundi, *cap.* 24. aliàs 20. *n.* 7. *& sequent.* in Declaratione tamen dicti capitis, *num.* 10. sic habetur. Declarasse, *que los Padres Abbades, cada vno en su casa, como Ordinarios immediatos de sus Monges, y demas Religiosos conozcan en primera instançia de todas sus causas, hasta la sentencia diffinitiua inclusiuè applicando, per executando todas las penas de Derecho, y Constituçion, y arbitrarias*, excepto las de priuaçion, *y carcel perpetua, las qua les se reseruan solo al Reuerendissimo* (General) *aquien, y no a otro perteneze sentenciarlas, y executarlas.* Hæc in dicta Declaratione facta per Capitulum Generale *anno* 1613. Ex qua convincitur, solum Rever. Generalem posse pœnam privationis proprietariis inflictam, illis applicare, & exequi.

26 Ad ea, quæ in contrarium ex Pellixzario adduxi, respondet Lexana, *ad finem capitis sexti sæpè allegati*, nihil nobis obesse; quia solùm probant, iudicialem diffinitionem, seu interpretationem Canonis Concilij Tridentini, & aliarum sanctionum, seu Constitutionum Apostolicarum, ad Summum pertinere Pontificem, propter iura ibi recensita; non verò, quod illis adhiberi nequeat doctrinalis interpretatio, seu declaratio ab alio, quàm ab eodem Summo Pontifice. Contrarium enim Doctorum sententia tenet. Emmanuël enim Rodetiquez 1. *tom. quæstionum Regular. quæst.* 11. *art.* 5. quæsito: *Vtrum Prælati Religionum habeant facultatem ad Iura & privilegia interpretanda?* Sic difficultati immediatè respondet. Respondet dicendo, quod iudicialis diffinitio, seu interpretatio privilegiorum Sedis Apostolicæ reservatur Summo Pontifici, vt iura, *cap. cum venissent, de Iudiciis*, decernunt; non tamen prohibetur doctrinalis, seu magistralis declaratio, quam non solùm Prælati Religionum, sed etiam quicumque litterati secundùm naturalem rationem, & iuris fundamenta præstare possunt privilegiis, & legibus quibuscumque, non solùm respondendo particularibus quæsitis, sed etiam publica commentaria edendo. Hæc Emmanuël *pag.* mihi 59. & eis simillima Miranda, *tom.* 1. *Manualis Prælator, quæst.* 7. *artic.* 8. vti Lexana refert.

27 Imò respondeo, posse Iudicem iudicialem interpretationem & declarationem Iuribus præstare, & privilegiis, dummodò verba illorum sint manifesta. Ita Glossa *in dicto cap. cum venissent verbo Iudicari*, el 12. *de Iudiciis.* Postquam enim ibi dixerat, illius esse interpretari, cuius est condere, ob iura pro Pellizxario allegata, quæ eadem recenset Glossa, addidit: *Dicas, quod hoc habet locum cum verba obscura sunt, & ambigua: quia tunc eius interpretari, cuius est condere; vbi verò aperta sunt, & clara, potest Iudex dicere: obstat privilegium, vel non obstat; argument. prædictæ Decretalis, Accepimus.* Hæc Glossa cui favet Ioannes Andreas in marginali, cum Gof. Abbas, in dictum *caput*, *num.* 2. ibi inferior verò citra mandatum Papæ cognoscere potest incidenter, si sunt verba clara, & non aliter. Favet etiam Lexana, *n.* 97. *in fine*, licet ibi loquatur de doctrinali declaratione in casu, quo deberet à Papa fieri. Et hæc, pro responsione ad primam partem difficultatis incidenter propositæ, sufficiant. Pro secunda verò, quia longa indiget indagatione, & præsentis non est instituti, consulat meus Lector Tamburinum, *de Iure Abbatum tom.* 3. *ad finem, in Praxi Criminali*, Paulinum Bertum in simili *tractatu pro* 4. *tom. quæstionum Regular.* Emmanuëlis Roderici edito, Sanctum Iulianum, & alios, qui dictam Praxim, & institutionem Regularium, pro ordine Iudiciario, latè, & doctè satis scripserunt. Nunc nos ad dubium redeamus principale, pro cuius decisione, sit.

CONCLVSIO. IV.

De Iure communi Religiosus proprietarius, nullo existit excommunicationis vinculo obstrictus. 28

Hanc tenent Lezana, *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 80. cum Sanchez, *in Decalogum*, *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 14. Fagundez, *eod. tract. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.* 8. *de voto paupertatis*, *quæst.* 198. *num.* 4. Tamburinus Abbas, *de Iure Abbatissarum, disp.* 8. *quæsito.* 12. in fine.

Pro contraria sententia recensentur Turrecremata, *in cap. Non dicatis art.* 3. *num.* 6. Spinus, *in Speculo testamentorum*, *Glossa* 12. *num.* 15. eo fortassis ducti, quod in aliquibus Conciliis Provincialibus excommunicationis pœna proprietariis Religiosis infligitur. Recensentur à Lezana ista Concilia Coloniæ celebrata. Primum, *anno* 1260. sub Conrado Archiepiscopo, in quo *tit. de Monachis, & eorum conversatione, & vita, cap.* 11. statuitur, quod Abbates excommunicationis sententiam, semel in anno, scilicet Sabbato proximo ante Dominicam *Lætare*, contra proprietarios, solemniter in capitulo publicent. Secundum, *anno* 1310. sub Henrico Archiepiscopo, *cap.* 28. *tit. de Monachis, & Monialibus.* Syphridus etiam Archiepiscopus Coloniensis, in quibusdam statutis, postea authoritate Apostolica confirmatis à Nicolao Cussano Cardinali, in Concilio Provinciali *anno* 1452. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcepit, vt Monachi proprium non habeant. Horum Concilij Decretorum, meminerunt etiam apud Lezanam, *num.* 82. Trullus, *lib.* 1. *de Ordinat. Canonicorum Regularium*, *c.* 23. & Thomas à Iesu, *tractatu de Proprietate part.* 2. *cap.* 2. 29

Nostra tamen conclusio certa est, quia in Iure communi, aut in aliquo Concilio Generali, aut Constitutione Apostolica vniversali pro toto Religioso statu condita, non invenitur inflicta proprietariis Religiosis, præfata excommunicationis pœna. Vnde gratis asseritur, huiusmodi criminis reos in vniversum, excommunicatos esse. Notanter, *in vniversum* dixi, vt non ab hoc vinculo absoluam eos, qui iure municipali, Constitutione, vel deffinitione Ordinis, aut Congregationis suæ illi subiecti existant. 30

31 Vltima pœna proprietatiis à Iure commune inflicta, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, de qua in Conclusione principali disquisitiouis huius: circa quam aliqua notatu digna, operæpretium duxi aduotare, & necessaria quidem pro illius iusta executione.

Primò aduoto, istam pœnam non afficere omnem proprietarium, eum scilicet, qui sine licentia accepit, aut insumit pecunias, aut quid aliud pretio æstimabile, vel eum tandem, qui sine illa possedit aliquando aliquid, dummodo in extremis cum eo inventus non fuerit, & sine digna mortuus fuerit pœnitentia. Ita Bartholomæus à S. Fausto, *in Thesauro Religiosorum, lib.8.quæst.198. num. 4. versic. Hinc.* Et non obscurè Bassæus, *tom.1. verbo, Paupertas Religiosa num.* 20. ibi: *Prima, Religiosum proprium habens tempore mortis inventus, nec illud abiecerat.* Pellizzarius, *tom.1. tract.4. cap.2. sect.4. num.* 244. ibi, *Religiosus tempore mortis inventus habere proprium, &c.* Barbosa *in cap. Monachi, num.1.* ibi: *& sic decedens, &c.* & *in cap. Super, num.1.* ibi: *qui proprietarius moritur sine pænitentia, &c.* & *num.2.* ibi: *tempore mortis inventus habens proprium, &c.* & *in c. cum ad. Monasterium, num.5.* ibi: *Notatur ad hoc quod Religiosus proprium habens tempore mortis inventus, &c.* Quæ iura sunt, *cap. 2.4. & 6. de Statu Monachorum*, Iacobus de Graffis, *in decis. aureis, part.1. lib.3. cap.5. num.* 48. ibi: *quod si proprietarius invenitur in morte cum periculo, si non pænituerit, &c.* Laurentius de Peyrinis, *tom.1. de subdito, quæst.2. cap.2. §.9. quæst.7.* ibi: *Nisi illud ante mortem renunciet.* Et constat apertè ex iuribus interdicentibus sepulturam Ecclesiasticam proprietariis, videlicet *ex cap. Monachi, cap. Super eo, & cap. cum ad Monasterium*, modò recensitis. In primo enim, ibi: *& qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pænituerit, &c.* in secundò ibi: *qui in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium, quod contra Regulam latenter habuerat noluit resignare: & sic diem clausit extremum.* In Tertiò tandem, ibi. *Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium, in sterquilinio subterretur,* vbi Glossa, *verbo in morte,* ait: *Secus si in vita, quia tunc debet converti in vtilitatem Ecclesiæ.*

32 *Secundò* adnoto, Religiosum de quo non certè constat eum fuisse mortuum proprietarium, eo scilicet modo, quo sciri debet: nimirum quod interrogatus à Prælato tempore mortis, an haberet aliquod peculium, responderit, non habere, in terminis capitis *Super quodam*, modo redditi, sepultura Ecclesiastica privandum non esse. Ita Peyrinus *tom.1. de subdito, q.2. c.2. §.9. quæsito.7.* versic. *Secundum.* Vbi ita fatur. Secundum, (quod scilicet notat) quod debet esse certum, eum mortuum fuisse proprietarium, eo scilicet modò, quo sciri debet: nimirum quod interrugatus à Superiore tempore mortis an haberet aliquod peculium, responderit non habere, vt notatur *in cap. Super quodam.* Et infrà. Vnde quando relinquitur aditus coniiciendi de mortuo, quod non decesserit in proprietate, non est illi talis rigorosa, & terribilis pœna infligenda. Quod innuit Glossa, *in cap. Monachi, verbo Sepulturam*, dicens id esse intelligendum quando constat decessisse in peccato mortali; sed cum dubitatur non constat: & dubitatur cum non est ita clarum, eum decessisse, attenta semper vita anteacta defuncti. Nam qui benè vivit, communiter benè moritur; & è contra, qui male vivit, malè moritur.

Hæc omnia Peyrinus, qui addit, quod si quis decederet ex subitanea, & improvisa morte, qui relinqueret aliquod peculium, quod non potuisset revelare, non per hoc iudicandus esset proprietarius; etiamsi nullus ex Superioribus illius temporis haberet notitiã de tali peculio. Quia iudicari poterit eum habuisse licentiam retinendi talem pecuniam à Generali, vel ab aliquo Superiore, temporibus præteritis: nam diximus suprà, quando legatum est verum, etiamsi solvendum sit in differentibus temporibus, sufficere primam licentiam Superioris.

Hæc Author præfatus, cui non assentior, quoad meæ Congregationis Religiosos, quibus veniam ad peculium accipiendum, habendum, vel expendendum concedere non valet Generalis, sed Prælati immediati illam concedere solùm possunt. Patet ex Constitutionibus S. Facundi, *cap.24.* aliàs 20. *num.6.* cum recursu tamen ad Generalem in casu iniustæ denegationis, per immediatum Prælatum factæ, & vtraque parte in iustitia audita. Nec nostris sufficit licentia præteritis temporibus obtenta, cum saltem semel in anno, feria scilicet secunda post primam Dominicam Quadragesimæ, non solum quoad habendum peculium, sed quoad omnia alia, licentiæ priùs obtentæ, penitus expirent, invalidentur, annullentur, & Religiosi vltro se vsu omnium, quæ habebant abdicent. Vidimus *dub.2. num. 55. dub.3. num.20.21.22. & 37.* Et in Capitulis Generalibus celebratis *anno* 1653. & 1657. diffinitum fuit, quod licentiæ in absentia Abbatis à Priore, aut Præsidente concessæ ad expendendum, seu insumendum, redeunte Abbate, penitus nullæ, & invalidæ sint. 33

In aliis tamen, libenter Peyrino subscripto cum S.Fausto *dicta quæst.198. num. 5.* & Bassæo. *verbo Paupertas Religiosa num.* 20. referentibus Navarrum, & Roderiquez *in Summa, part. 1. cap. 194. num. 1. vel c.150.* quem etiam *in qq. Regularibus* recenset, & sequitur Pellizzarius, *vbi supra n.245.* in sequentia prorumpens. Monet tamen Rodriq. *tom.3. quæst.56. art.1.* quod si Religiosus reperiatur mortuus cum crumena pecuniæ, non ideò statim privari debet Ecclesiastica Sepultura, cum Iura non privent Officio Altaris talem Monachum viventem peculio, nisi quando prius monitus noluit crumenam dimittere, & consequenter solùm in tali casu ei denegent Ecclesiasticam sepulturam. Prætetquàm quod, potest Religiosus se purgare asserendo, pecuniam apud se inventam, non esse suam, sed amici, aut consanguinei: & fuisse commissam ad illam, aut deferendam, aut restituendam; idque putat Portell, *de Dubiis Regularium, verbo Sepultura, num.* 11. posse habere locum etiam in Minorita, si ex concurrant circunstantiæ, vt iudicio prudentis probabiliter credi possit, pecuniam apud ipsum inventam, non esse suam, sed alienam., quod negat Rodriq. *vbi suprà.* Hactenus Pellizzarius, similia profert Diana, *part.4.tract.4. resol.* 23. firmiter eidem subscribens sententiæ, & recenset Villalobos pariformiter sentientem, & loquentem, *in Sum. tom.2. tract.31. diffic.3. num.6.* 34

Pro nobis faciunt plura, quæ Disquisitione de suicidis diccmus, *à num.* 17. ex probatissimis Authoribus desumpta, quæ quilibet mediocri pollens ingeniu, hîc adaptare bene quibit. Quare

ad

ad illum locum meum remitto lectorem benevolum.

35 *Tertiò* adnoto, quod dato, quod Religiosus mortuus reperiatur cum pecunia cognita sua, ita vt id celari non possit, modo aliquo pio; ex modò adnomeratis, modò factum sit occultum, non sit omnino privandus Ecclesiastica sepultura. Ita Pellizzarius, *vbi proximè*, cum Portell. *allegato loco*, Hieronymus Roderiquez, *in Compend. quaestionum Regular. resol.* 128. *num.* 20. Notetur illud *vel quod doluit de peccato*, Antoninus Diana, *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 13. Vbi sub his verbis recenset Villalobos, *vbi proximè*, concludentem sic. *Tal fin ha de constar muy claro, que sea proprietario, y mas que siendo secreto, no puede el Prelado por esso condenarle. y pocas vezes sucedera en platica, ser esse caso publico, pues nadie sabe, si el Prelado le dio licençia secreta, sino es que el imprudentemente lo diga.* Ita ille, (verba sunt Dianae) cuius vltima verba cum audisset supradictus Superior, qui mecum hunc casum consulebat, obmutuit, & satisfactus decessit.

36 *Quartò* adnoto, quod in casu, quo Proprietarius careat sepultura Ecclesiastica & sepeliendus sit in sterquilinio, vt in Iure statuitur, & cum pecunia quidem, aut re alia, quae fuit materia proprietaris, non tota pecunia sepelienda sit cum eo, sed pars aliqua. Adnotaot Peyrinus, *tom.* 1. *de subdito*, *quaest.* 2. *cap.* 2. §. 9. *quaesito* 7. *versic. Respondeo*, cum Ioanne Andrea, *in cap. Cum ad Monasterium*, *num.* 4. *el* 6. *de Statu Monachorum* cum eodem, & cum Zatabella, Hostiense, Archidiacono, & Abbate, Bartholomaeus à Sancto Fausto *de Statu Religiosor. lib.* 8. *quaest.* 198. *n.* 3. Pellizzarius, *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 4. *subsect.* 1. *num.* 144. cum Layman, *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 22. & Sanchez, *lib.* 7. *in Decalogum cap.* 20. *num.* 11. & cum aliis Canonistis penes eom, Tamburinus, *tom.* 4. *de Iure Abbatissarum*, *disput.* 8. *quaesito* 12. *num.* 3. cum Ancharrano, *in dict. cap. Cum ad Monasterium*, *num.* 10. *notab.* 5. Panormitano ibidem, *n.* 5. & Gregorio Lopez, *lib.* 4. *Glossa* 3. *tit.* 7. *part.* 2. quem *lib.* 14. *Glossa* 3. *tit.* 7. *part.* 1. recenset, & sequitur Barbosa *in dict. cap. num.* 5. vbi allegat Hostiensem, *num.* 7. Andr. Anchar. *locis citatis*, & Abbatem *num.* 15. Fundamentum Doctorum istorum, & aliorum est, quia aequitati videtur inconsonum, ac repugnans, vt magna rei quantitas, in cassum proiici debeat. Ad quid enim perditio haec? Vnde communiter improbatur I. quod tota materia proprietaris, simul cum proprietario, in sterquilinium proiiciatur. II. quod pecunia proiecta, debeat esse in quantitate triginta nommorum, eo quod totidem venditi fuerint Patriarcha Ioseph, & Christus Dominus. Nullibi enim ad hoc invenitur fundamentum, vti benè Barbosa *vbi proximè*, cum Sanchez, *loco reddito*.

37 *Quintò* adnoto, quod Religiosus proprietarius in loco sacro sepultus, inde extrahi non debeat, nec proiici, si absque scandalo id fieri nequeat. Ita Bassaeus, *verbo Paupertas Religiosa*, *num.* 20. Pellizzarius *dicto num.* 144. post Glossam *in cap. Super quodam*, mox citando, *verbo*, *Maximo scandalo*. Et marginalem, Innocentium, & Ioannem Andream.

38 Probatur *ex cap. Super quodam el* 4. *de Statu Monachor.* ibi. *Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod ille Canonicus, non tantùm fuit Christiana Sepultura privandus, verum etiam, si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa proiici dignus est Ecclesia. Hoc autem cum forte contigerit, in similibus est agendum.* Hactenùs Clemens Papa III. in Decretali illa.

Sextò, exhumandum non esse proprietarium, quando eius ossa decerni non possunt. Sic Glossa, *in dictum caput. Super quodam*, *verbo*, *Proiici*, Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis*, *part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 48. 39

Et probatur argumento *capitis Sacris*, *el* 12. *de Sepulturis*, vbi Innocentius Papa III. sic decernit. *Vnde si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora, per violentiam aliquorum, vel alio casu in Caemeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari.* 40

Septimò adnoto, poenis non subiici supradictis, Religiosum proprietarium per paruam quantitatem retentam, absque licentia Praelati. Ita Bassaeus *vbi suprà*, cum Roderiquez *in Summa Latina*, *cap.* 149. *num.* 1. Graffis, *num.* 49. Hieronymus Roderiquez, *resolut.* 128. *de Sepulturis num.* 20. Bartholomaeus à S. Fausto, *in preallegata q.* 198. *num.* 5. cum dicto Emmanuële *cap.* 150. *num.* 1. Et rationem hanc reddunt. Quia, vt colligitur ex Iure, illi solùm debent privari sepultura, qui cognoscuntor evidenter mori in peccato mortali. Imò Hieronymus praefatus addit, cum Villalobos in Summa, *part.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 3. *num.* 6. Navarro, & Emmanuële Roderiquez, Religiosum Chartusianum inventum mortuum cum duodecim denariis, non obstante huius Ordinis statuto, privandum non esse Ecclesiastica sepultura, quia id (inquir) debet intelligi, quando constaret per contemptum legis, vel animo maiora appropriandi, id fecisse. 41

DISQVISITIO VII.

De Parricida.

HAEc vox *Parricida*, variè accipitur apud Doctores. Aliquandò enim vsurpatur pro exeidio, aut pro vi patriae illata quae meritò parentis loco, piè, & sanctè ab hominibus colitur. Aliquandò etiam sumitur pro occisore proprij cognati, videlicet fratris, sororis, patrueli, filij, filiae, nepotis, nuri. Imò & non rarò accipitur, pro interfectore cuiuslibet hominis etiam extranei, & alieni. Strictè tandem, & in propriissimo sensu, sub dicta intelligitur voce, patris, aut matris propriae occisor. In qua vtique finali acceptione, & communi quidem, procedit disquisitio praesens, in qua inquiritur. 1

AN PARRICIDA INVENTVS, privari debeat Ecclesiastica Sepultura?

BREVIARIVM.

Adulterium.

Gravius est furto, n.8.

Impedit prolis nasciturae certitudinem, n.8.

Albinus

CONCLVSIO.

2 Difficultati negativè respondeo. Et ratio est, quia nullum pro resolutione, contra Parricidam præcisè, & seclusa impœnitentia, invenisse me textum in Iure Canonico fateor, illum sacra privantem sepultura. Aliquos tamen legi, gravitatem facinotis tanti demonstrantes. Libuit nonnullos in medium proferre. Et vt illius malitia clariùs appareat, addam aliquos, simplicem homicidium alieni cuiuslibet hominis, nota grauissimi, & horribilissimi criminis inurentes.

In Canone igitur, *Latorem*, 33. *causa*, *quæst*.2. Nicolaus Papa, cuidam, qui matrem occiderat, hanc iniunxit pœnitentiam: vt per annum integrum, Ecclesiam non ingrediatur: sed ante fores Basilicæ stans, orans, & deprecans Deum perseveret: qualiter tanto eripiatur piaculo; completo vero anni circulo, introeundi in Ecclesiam licentiam habeat: tantùm inter audientes stet; sed non communicet. Completis autem trium annorum curriculis, Sacræ Communionis ei gratia concedatur. Oblationes verò non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur. His autem omnibus annis, atque temporibus, carnem non manducet: nec Vinum bibere præsumat, exceptis festivis diebus, atque Dominicis, & à Pascha vsque ad Pentecostem. Et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo dedocatur, sed pedibus proficiscatur. Arma non sumat, nisi contra Paganos. Ieiunet autem tribus diebus per hebdomadam vsque ad vesperam. A propria, ac legitima coniuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod ne fiat optamus. Si autem ante annorum trium cursum, finis vitæ illius appropinquaverit, corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps fiat; sin autem, vt suprà statuimus, efficiatur. Tamen si illius conversionem, & lachrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, & optimis operibus pullulare, humanius circa eum solitudo pervigil appareat, mitisque in omnibus demonstretur. Hactenùs Nicolai sententia.

In Concilio Votmatiensi, *Canone* 30. anno 3 Domini 866. sub Ludovico II. celebrato, similis pronunciatur contra Parricidam & fratricidam sententia. Vide illam apud nostrum Crespetium, mox citandum, verbo, *Homicidium patris*, *&c.* Iniungitur tamen in illa, perpetua carnis abstinentia, & ieiunium vsque ad horam nonam diei quotidie, exceptis festivis diebus, & Dominicis.

Telesphorus Papa I. *Epist*.1. ad omnes Episco- 4 pos ignominiam infamiæ inurit adversus patres armantibus. *Omnes* (inquit) *qui adversus Patres armantur, infames esse censemus. Patres enim omnes venerandi sunt, non respuendi, aut insidiandi.* Eandem promulgavit sententiam Pelagius Papa II. *Epist*.1. ad eos, qui Constantinopoli conveneÂtant, &c. *cap*.4. in hæc prorumpens. *Sanctorum Patrum statuta sequentes Synodali authoritate, omnes, qui adversus patres armantur, vt patrum invasores, & mactatores, infames esse censemus: quoniam ea vulnera, quæ fomentis non sanantur, ferro abscindi, vel curari necesse est*, *&c.* Sub his recensentur verbis præfatorum Pontificium sententiæ à Crespetio, *in Summa Ecclesiastica disciplina verbo Parentes*, *& verbo*, *Parentum irrisores*, *& etiam verbo*, *Parentum necatores*. Recenset denique Concilium Monguntinum secundum, prout sequitur *Canone* 20. diffiniens. Videlicet.

Parricidium, quàm sit detestabile crimen, in iu- 5 *dicio facto inter Caim, & Abel fratrem suum, Dominus ostendit ipse, cum ad Caim parricidam ait: Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus, & profugus eris super terram. In quo etiam posuit signum, hoc est, vt tremens, & gemens profugus semper viveret, nec auderet sedes habere quietas. Sed quia in modernis tēporibus parricidæ profugi currunt per diversa, & variis vitiis, atque gulæ illecebris deserviunt, melius nobis videtur, vt in vno loco manentes pœnitentia districta semetipsos castigent, si forte à Domini bonitate indulgentiam facinoris sui percipere mereantur. Non enim eis licebit, vltra militiæ cingulum sumere, & nuptiis, vel coniugiis copulari, quia Sacri Canones, hoc eis non consentiunt.*

Hucvsque Concilium allegatum, celebratum 6 anno Domini 848. sub Rabano Mauro Archiepiscopo Monguntino, Monacho Benedictino, celebris Fuldensis Monasterij olim Abbate, viro doctissimo, Albini Flacci Alcuini, eiusdem professionis Monachi, Caroli Magni præceptoris, & Venerabilis Bedæ Presbyteri discipuli, auditore.

Dicta sufficiant iura pro demonstranda enormitate criminis Parricidæ, interfectoris scilicet, non solùm patris, aut matris, sed etiam fratris. Quàm etiam grave sit homicidium cuiuslibet alieni hominis, latissimè patricidium dictum, ex sequentibus discere poterit.

In capite *Quæsitum*, el 17. *de temporibus ordina-* 7 *tionum*, admittuntur ad Ordines, post pœnitentiam factam, adulter, periurus, & falsi testes, & repelluntur homicidæ. Ea scilicet de causa, quia vti benè Augustinus Barbosa *num*. 4. observat, homicidium inter graviora, & horribilia crimina computatur. Bernard. *in pract. Canon. cap*.94.*n*.1. *Alias* 97. Affert enim nocumentum immediatè personale,

personale, & irreparabile. Barbosa *ibidem. Et de Officio, & Potestate Episcopi, part. 3. allegat. 51. nu. 16.* & maius malum est fornicatione, D. Thom. *1. 2. quæst. 73. art. 8. ad 3.* Est etiam in multorum opinione gravius periurij peccato. Barbosa *in dict. cap. Quæsitum*; cum Bellamera *in cap. Duo mala, distinct. 13. num. 3.* & Angelo *verbo Periurium, n. 8.* Leonardus Lessius *de Iust. & Iure, lib. 2. cap. 42. dubit. 14. n. 75.* cum Gabriele *in ... dist. 39. quæst. 2. art. 3. dub. 4.* Richardo, & Maiore.

8 Estque horribilius adulterio. D. Thomas, *1. 2. quæst. 100. art. 6. in corp.* vbi ita fatur. Inter alia verò præcepta etiam apparet ordo secundùm ordinem gravitatis peccatorum. Gravius est enim rationi repugnans peccare opere, quàm ore, & ore, quàm corde. Et inter peccata operis gravius est homicidium, per quod tollitur vita hominis iam existentis, quàm adulterium, per quod impeditur certitudo prolis nasciturae: & adulterium gravius est quàm furtum, quod pertinet ad bona exteriora. Hactenùs D. Thomas.

9 Homicidium denique crimen est depositione dignum. Patet *ex cap. Cum non ab homine, el 10. de Iudiciis.* Ex quo, & aliis suprà redditis, satis demonstrata manet veri Parricidij gravitas, & horribilitas: & quam dignè mereantur tanti facinoris, flagitijque patratores pœnam privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ. Quia tamen illam à Iure latam Canonico non invenio, applicandum tantum censeo Parricidæ, qui impœnitens decesserit: non vtique qua parricidæ, sed qua finaliter impœnitenti.

Et in hoc quidem sensu, veram iudico senten-
10 tiam, privantium Sepultura Ecclesiastica parricidam. De quorum numero est Augustinus Barbosa *de Iure Ecclesiastico, par. 2. lib. 2. cap. 10. num. 51. & de Officio, & potestate Parochi, part. 3. cap. 26. num. 51.* & penes eum Menochius *de Arbitrariis, casu 387.* Est & Franciscus Maria Samuëllius *in Praxi de Sepulturis, tract. 2. disp. 1. controv. 4. conclus. 9. pag. mihi 324.* cum Aristot. *in l. Quod si nulla, num. 10. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum.* Lavorio *tom. 1. variarum lucubrationum, c. 12. n. 15. & 50.* Petro de Vbaldis *de Canonica portione, cap. 14. num. 3.* & dicto Menochio *de Arbitrat. Iudic. qq. lib. 12. cent. 4. casu 387.* allegato.

DISQVISITIO VIII.

De Suicidis.

An seipsos occidentes Sepulturâ careant?

BREVIARIVM.

CONCLVSIO.

Respondeo, ex industria seipsos occidentes, Ecclesiastica privari sepultura. 1

Communissima est ista responsio inter Doctores. Illam tradunt D. Antoninus *in Summa maiori, part. 3. tit. 10. de Sepulturis, cap. 5. §. 8.* Thomas Delbene *de Immun. Ecclesiast. part. 2. cap. 10. dub. 1. sect. 1. supposito 2. n. 34.* Ventriglia *in Praxi rerum notabilium, annot. 52. num. 1. pag. 484.* Moure

in Examine Theologia Moralis, part. 4. *cap.* 20. §. 3. Sylvester *verbo Sepultura, num.* 9. Machadus *enel perfecto Confessor y cura de Almas, tomo* 2. *lib.* 4. *par.* 2. *tract.* 2. *docum.* 25. *num.* 4. Franciscus Maria Sannuëllius *in Praxi de Sepulturis, tract.* 2. *disp.* 1. *controv.* 4. *conclus.* 2. *&* 3. Azorius *Instit. Moral. part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 31. *quæst.* 5. *colum. mihi* 1206. Navarrus *tom.* 1. *Consilior. tit. de Sepulturis, consil.* 7. incipit, *Quidam Monachus.* Ioannes Sanchez *in Selectis, disput.* 36. *nu.* 2. August. Barbosa *de Iure Ecclesiastico, part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 49. & *de Officio Parochi, par.* 3. *cap.* 26. *num.* 49. cum Roman. *singul.* 264. Covatruvia *lib.* 2. *variarum, cap.* 1. *num.* 11. Parladoro *different.* 66. §. 1. *nu.* 17. Gregorio Sayto *in Floribus decisionum, tit. de Sepulturis, decis.* 6. Belleto *Disquisition. Clericorum, part.* 1. *tit. de Clerico debitore,* §. 3. *nu.* 33. Hieron. Catat. *de Iuribus Parochi, tit.* 7. *cap.* 8. Galganat *de Iure publico, lib.* 3. *tit.* 109. *num.* 34. Possevino *de Officio Curati, cap.* 14. *num.* 4. *versic. Occidens se.* Farinacio *in Praxi criminali, part.* 1. *quæst.* 20. *num.* 133. *&* *part.* 5. *quæst.* 128. *num.* 16. & cum Vgolino *de Officio, & potestate Episcopi, cap.* 17. *num.* 4. *versic. Item qui seipsos.* Tradunt etiam Emmanuël Roderiquez *tom.* 3. *quæst. Regularium, quæst.* 61. *artic.* 1. *versic. Vndecimo*, Iacobus Gordonus *in Theologia Morali, tom.* 1. *lib.* 5. *quæst.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tomo* 2. *tractatu* 8. *capite* 5. *numero* 148.

2 Probatur resolutio *primò, ex can. Placuit, causa* 25. *quæst.* 5. ex Concilio Bracharensi desumpto, ita diffiniente. *Placuit vt is, qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim hoc sibi per ignorantiam vsurpant. Similiter, & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus moriuntur impœnitentes subaudiatur.*

3 *Secundò* probatur ex Rituali Romano Pauli Papæ V. *in Rubrica de Exequiis*, ibi: *Negatur igitur Ecclesiastica Sepultura.....seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, (non tamen si ob insaniam hoc accidat) nisi ante mortem dederint signa pœnitentia.*

4 Dicta tamen resolutio explicationibus nonnullis indiget. *Prima* sit. Si quæ fœmina, v.g. se præcipitet, vel in flumen se proiiciat, vel per fenestram, non eo fine vt se interficiat, sed quia malum ipsi impendens, aliter vitare nequeat: ne scilicet in manus incidat inimicorum, vel volentis eam violate, si ob tale moriatur factum, non est sepultura Ecclesiastica privanda. Et idem est dicendum si ex cymba in flumen cadat, quamvis fugiendo cecidisset in flumen. Pro quo est textus elegans *in cap. Ex parte, el* 11. *de Sepulturis*: vbi ita Innoc. Papa III. decernit. Videlicet.

5 *Ex parte parentum M. nobis est intimatum, quod cum nobilis vir Dominus I. de Insula Butardi eidem posuisset insidias, quam sollicitaverat sæpè de stupro, & ipsa gartionibus, qui eam rapere nitebantur, super quendam pontem occurrisset, tandem fugiens manus illorum in amnem de ponte cadens fuit casu submersa. Quocirca mandamus, quatenùs cum illa non spontè præcipitaverit se de ponte, sed (sicut superiùs est expressum) casu ceciderit, corpus eius tradi faciat Ecclesiastica Sepultura, præsertim cum lex honesta causa fugisse noscatur: & cui communicabatur viventi, communicandum sit iam defuncta.*

Hactenus Decretalis Innocentij. Vbi Glossa, 6
verbo Non spontè, ita fatur. Quia si spontè, non esset sepelienda in Cœmeterio Ecclesiæ, 23. *q.* 5. *Placuit.* Sed si sic credebat evadere posse, non imputaretur ei, etiãsi spontè se præcipitasset de ponte, vbi videbatur, quod evadere posset. Argumento 13. *distinct. Nervi.* Cum pro bono, aut licito hoc facere posset. Vnde si quid contrarium eveniat, non imputatur. 23. *quæst.* 5. *de occidendis.* Hæc Glossa. Vnde fit illum se sic præcipitantem non peccare mortaliter saltem: quia si mortaliter peccavisset, in loco sacro tumulari non potuisset, iuxta *disquisit.* 20. dicenda.

Exornat D. Antoninus, *in Summa, part.* 3. *tit.* 10. 7
cap. 5. *de Sepulturis* §. 8. vbi resolutionem limitat sic. Quod intelligendum est secundùm Guill. si interfecerit se ex desperatione, vel iracundia; secus si ex fatuitate, & huiusmodi. Vnde sic dicit Bernardus, extra eodem, *Ex parte.* Si quis propter fugam præcipitaret se in aquam, quia sic credebat inde evadere, non imputatur ei, etsi contrarium eveniat: & hoc cum pro bono, & licito hoc facit argum. *dist.* 13. *Nervi.* 23. *q.* 5. *de Occidendis.* Hactenus Florentinus Archipræsul.

Consonat Sannuellius *in Praxi, de Sepulturis,* 8
tract. 2. *disp.* 1. *controv.* 5. *Concl.* 1. *pag. mihi* 326. & doctissimus Navarrus, *lib.* 3. *Consiliorum tit. de Sepulturis, consil.* 7. *in* 2. *editione pag* 691. in hæc prorumpens. Tum, quia de nemine præsumendum est, quod deliquerit. *l. Meritò, ff. pro socio & cap.* 2. *de Regulis Iuris* præsertim tàm grande delictum, & tàm abominabile conditioni, *& inclinationi* humanæ.... Vnde mulier cadens de cymba in fluvium, iubetur sepeliri in loco sacro, etiamsi fugiendo cecidisset. Quia non præsumitur voluntariè ad se occidendum deiecisse. Dicto *cap. Ex parte el* 12. Hæc Martinus ab Azpilcueta.

Franciscus item Pellizzarius, *dicto num.* 148. 9
sic ait. Quod autem spectat ad voluntariè se occidentes, notat Sancius, *in Selectis disp.* 36. *num.* 14. non videri probabile quemquam se occidere, nisi insania laboret, (cum amor vitæ homini sit adeò vehemens, vt ratione existente sana, ob nullum bonum acquirendum, aut malum evitandum eligi possit privatio ipsius vitæ) ideoque non videri privandum Ecclesiastica Sepultura eum, qui ex desperatione se occidit; quamquam iure oppositum decernente, ab eo recedi non debeat, vsque dum re per Papam melius inspecta, aliter statuatur. Ita Sancius.... Cum Sancio sentit Mancinus, *in brevi tract. de infirmis, in ordine ad Sepulturam, d.* 34. §. *Decimò, occidentes*, dicens, interficientes seipsos ex industria non debere privari Ecclesiastica Sepultura, nisi id clarissimè, ac evidentissimè, & ex fortissimis coniecturis constet; alioqui semper supponendum esse, quod vel ab aliis occisi fuerint, vel quod casualiter sine eorum culpa id contigerit, vel quod ex furore, aut gravi mentis alienatione id egerint: siquidem in dubio favendum est reo, iuxta regulam 68. *de Regulis Iuris in* 6. & vnusquisque semper supponitur bonus, vsque dum non probetur malus: quæ sunt benè advertenda. Hæc omnia Pellizzarius.

Illustrissimus noster Nicolaus Tudeschus, dictus
Abbas Panormitanus, Monacensis quondam Ab- 10
bas, posteà Archiepiscopus Panormitanus vti testatus Ioan. Bapt. de Gazalupis, *in brevi tractatu de*

modo

modo studendi in vtroque Iure, *docum.* 5. per Sebastianum Brant *ad calcem expositionum titulorum vtriusque Iuris*, *addito*: & dignitate Cardinalitia condecoratus, ac à Concilio Basileensi Legati à Latere per vniversam Germaniam titulo honestatus, vti Henricus Spondanus *in Continuatione Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Barony*, *to.* 1. *Anno Christi* 1443. *num.* 4. *pag. mihi* 901. sic, vt sequitur, ad rem fatur præsentem *in dict. cap. Ex parte*, *n.* 2. & doctissimè, vt solet, casum recensitum, & alios notatu dignos, & menti fixè tenendos in hunc resolvit modum.

11 Nota secundò ibi: *sponte*: à contrario sensu, quod non præsumitur quis se præcipitare, vel manu propria perimere propter virginitatem conservandam, sed ob aliam honestam causam, quod clariùs voluit Gof. hîc, nihil allegans. Sed ego allego textum Augustini, 23. *quæst.* 5. *cap. Si non licet*, & ibi vid. Archidiac. *in cap. Non est*, eadem causa, & quæstione, vbi concludit, quod non debet quis seipsum occidere, ne alius peccet in corpus suum, vel propter molestias, vel propter passiones huius sæculi vitandas, seu vt perennem vitam citiùs consequatur. Omnia enim prohibuit Deus sub illo generali præcepto: *Non occides*. Eodem modo dicit de falso testimonio ferendo. Nam sicut peccat quis falsum testimonium ferendo contra proximum, ita & contra seipsum. Per quod infero, quod isti, qui timore tormentorum falsa confitentur crimina contra se, graviter peccant; ita quod puto, & si mortem patiuntur ob illam confessionem, quam saltem in extremo non revocant, recedunt in peccato mortali: & sic sunt damnati per illum textum, & not. eius rationem. Idem è contra dico, quod peccant ij, qui in iudicio constituti veritatem negant. Quin imò existens in manibus Iudicis peccat in fugiendo carcerem, etiam vt evitet pœnam legitimè inferendam. Et hoc vltimum notat Bar. *in l. Relegati*, *ff. de Pœnis*. Hucvsque magnus ille Ecclesiasticæ disciplinæ Coryphæus.

12 Libuit pro vlteriori explicatione prima resolutionis nostræ, Doctissimum nostrum Ioannem Caramuëlem recensere *in Theologia fundamentali*, *num.* 1632. duos hos casus resolventem, de Fœmina ob pudicitiæ defensionem oppressorem, aut seipsam occidentem, vnum post alium, sic proponit, resolvit.

Sollicitat Antoniam Petrus, & ipsa periculum proximum iudicat, è quo non possit probabiliter evadere innocens. Ergone mortaliter peccet consentiendo libidini, cum aliter se à Petri invasione liberare non potest, illum licitè occidit, & vi repellit vim; & se, conscientiámque suam securam reddit. Hanc tenent sententiam vniversi: nemo enim condemnat castam virginem, quæ lascivum invasorem interimit: nemo asserit debere illam stuprum permittere potius, quàm se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

13 Sed quid dicendum erit, si non possit invasorem occidere, nec aliter eius manus evadere, quàm per fenestram exiliendo? An se præcipitare poterit, & hoc modo periculum peccandi effugere? Et quid dicendum tandem, si Antonia invadat seipsam? Quid eo casu, quo pruriente seminis abundantia, & vrgente consuetudine peccandi, illa evidenter videat se peccaturam esse? Anne in tali poterit casu contra seipsam procedere cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Debet ponere remedia omnia, quæ ipsam securam reddant. Nempè ieiunia, disciplinas, cilicia, & orationem.

14 Quid si omnia hæc posuerit, nec sufficiant? Sed negas casum esse possibilem: quia putas omnia mortificatione vinci, omnia oratione impetrari. Sed quid obsecro dicendum erit, si casus possibilis sit? Quid, si Deus auxilia efficacia eidem neget? Quid, si Antonia hæc ipsa à Deo neganda prævideat, aut esse concedenda certò, & evidenter non videat? An in tali casu poterit dicere, *Potius mori, quàm peccare?* Annon in tali casu poterit sibi mortem consciscere? Et, si hoc non, an saltem, se poterit ita flagellis excipere, aut ferire, vt excessu doloris tentatio superetur, & hoc, etsi prævideat è vulneribus his se morituram? Annon in tali casu finis macerationis, & flagellationis esset continentia, & morbus; & etiam mors, si fortè sequeretur, esset omninò præter intentionalis.

15 Resolutio. Fortè videretur alicui gravis hæc difficultas; mihi videtur facilis, & quæ vno verbo decidi possit. Dico igitur casum, in quo fæmina libidini sit consensura, ni se occidat, impossibilem esse. Si roges, quid dicendum sit, si casus admittatur: respondeò, hypothesim esse, me iudice, Deo iniuriam, neque admitti debere. Rogabo, vt legas, quæ scripsi *art.* 5. *de gravida*, *n.* 1619. Hæc omnia Caramuël.

16 Secunda nostræ principalis resolutionis explicatio sit. Si quis repertus fuerit in puteo, vel flumine mortuus, aut laqueo suspensus, non est Ecclesiastica sepultura privandus, nisi certò constet, quod data opera, ex industria, & voluntariè se suspenderit, aut præcipitem in flumen, vel puteum dederit. Docent Samuëllius *in praxi de Sepultur.* *tr.* 2. *disp.* 2. *controv.* 5. *concl.* 2. Diana *part.* 5. *tr.* 3. *resol.* 100. cum Villalob. *to.* 2. *tr.* 31. *diffic.* 3. *n.* 4. recensente Covarr. & Socin. Iunior. cum Marchantio *in Resolut. Pastor. tract.* 5. *c.* 3. *q.* 4. *casu* 3. Gennuensi *in Praxi Archiepisc.* *c.* 61. *n.* 16. & cum Lavorio *in variis lucubrat. tit.* 2. *c.* 12. *n.* 31. *&* 32. August. Barbosa *de Offic. Parochi*, *par.* 3. *c.* 26. *n.* 49. *in fin.* & *in can. Placuit*, *n.* 2. *el* 12. 23. *q.* 5. Machad. *en el perfecto Confessor, y cura de Almas*, *to.* 2. *lib.* 4. *par.* 2. *tr.* 2. *docum.* 25. *n.* 4. Emman. Roder. *tom.* 3. *quest. Regul. q.* 61. *art.* 1. *versic. Vndecimò.* Navar. *to.* 1. *consil. de Sepultur. consil.* 7. Ioan. Caramuel *in Theol. fundam. fundam.* 55. *n.* 1633. *& seqq.* & alij passim Doctores. Placuit aliquorum, ex recensitis, doctrinam ad amussim recensere, quia vtilissimam pro casibus frequenter contingentibus, & necessariam iudico, tam ad sedandas timoratorum conscientias, quàm ad bonam famam fidelium hominum conservandam.

17 Ioannes Machadus vtique ait, duo requiri ad hoc, vt quis ex causa Suicidij Ecclesiastica privetur Sepultura. *La primera* (inquit) *que conste, que el se quitò la vida, y que no se la aya quitado otro. La segunda, que aya sido desesperadamente el quitarse la vida, y no algun furor, o passion grande, que le perturbase la razon.* Facit elegans placitum Martiani, *lege* 3. §. *Si quis autem*: & §. *Sic autem, de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt.* Hactenùs Machadus.

18 Barbosa *d. n.* 2. Illud tamen advertere oportet, quod licet seipsum occidens non sit in Ecclesia sepeliendi, vt probat hic textus, (scil. *in can. Placuit*) tamen si reperiatur aliquis mortuus in puteo vel laqueo suspensus, non debet privari Ecclesiastica sepultura. Quia vbi nõ cõstat, quod seipsum interfecerit,

fecerit, vel præcipitaverit, non est præsumendum, cum potuerit per insidias, aut in puteum proiici, vel suspendi, aut ex furore, seu mentis alienatione, id facere. Nemo enim in dubio delinquere præsumitur. *l. Merito, ff. pro socio*, cum concordantiis per me citatis, *intract. Axiomatum usu frequentiorum, verbo Delictum, axiomate* 68. *n.* 14. Quare ita tenent Marianus Socinus, *consil.* 51. *volum.* 2. Marcus Antonius Gennuensis *in Practica Archiepiscopatus Neapolitani, cap.* 61. *num.* 20. Iulius Laborius, *variarum lucubrationum, tom.* 1. *tit.* 2. *c.* 12. *n.* 31. *& seq.* Ista Aug. Barbosa.

19 Exornat explicationem eandem magnus ille Doctor Navarrus, Martinus ab Azpilcueta, qui hunc casum proponit, & consilium à se in facti contingentiæ datum, sub his tradit verbis. Videlicet. Quidam Monachus manè confessus, & absolutus à Confessario, qui tota die, & vespera stetit lætus: fuit inventus manè mortuus intra suam cellam, ostio clauso, habens laqueum pendentem ex collo, ipse autem non pendebat, nec omninò iacebat, sed quasi genu flexus stabat. *Queritur, an possit, & debeat in loco sacro sepeliri?*

Perpensis, quæ narrantur in facto, & viso responso cuiusdam viri eruditissimi, iusti, ac Religiosissimi super hoc prudenter, & eruditè reddito, respondeo eiusdem opinionis esse me, cuius est ille: nempè, quod cadaver prædicti Monachi potuit, & debuit in loco sacro sepeliri, & quod malè fuit sepultum in loco profano. Et consequenter potest, & debet transferri ex loco illo profano in quo fuit sepultus, & inferri in locum sacrum, propter ea, quæ præfatus vir eruditissimus citat in suo responso, partim accepta à viro eruditissimo Covarruvia auditore, olim nostro in Academia Salmanticensi ferventissimo, *in* 2. *tom. tit. variarum resolutionum, lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 11. & alia, quæ de suo addit.

20 Quæ confirmari possunt illa firmissima ratione, quod regulariter omnis Christianus debet, si fieri potest, in loco sacro sepeliri, iuxta textum, & Glossam, *cap. Ex parte, el* 2. *de Sepulturis*, nisi in casibus exceptis.

21 Nec obstat *caput Placuit*, 23. *q.* 5. quatenus habet, se ipsum occidentem, carere debere sepultura. Quia intelligendum est de illo, qui scitur esse occisus à seipso. At prædictus Monachus non scitur esse occisus à seipso, nec præsumitur. Tum, quia de nemine præsumendum quod deliquerit. *l. Merito, ff. Pro socio. & cap.* 2. *de Regulis Iuris*: præsertim tàm grande delictum, & tàm abominabile conditioni, & inclinationi humanæ: & maximè de confesso, & communicato eodem die. Vnde mulier cadens de Cymba in fluvium, iubetur sepeliri in loco sacro, etiamsi fugiendo cecidisset: quia non præsumitur voluntariè ad se occidendum deiecisse, *Dicto cap. Ex parte, el* 2. Tum, quia indicia, quæ in contrarium inducuntur, sunt exilia, & multis modis frangibilia. Itaque intrepidè hæc pars tenenda est. Hactenus Azpilcueta.

22 Similes casus refert Ioannes Caramuël in fundamento allegato, pariter & resoluit. *Num.* 1634. ita ait. In Bohemia, dum Eminentissimi Principis Cardinalis Harrach essem Generalis Vicarius, debui ius dicere cadaveri, cuiusdam miserrimi Parochi. Vtebatur mediocri valetudine, sed hypondriaco morbo vexabatur interdum, interim serviebat diligenter Ecclesiæ, & muneri suo satisfaciebat, ita saltem vt nullæ querelæ venirent. Quadam die tamen surgens manè, vadit ad Iudicem, amicum suum, & dicit. O Domine, quàm eram ego felix, quandiu habui vnicum caput; & iam temo isto gravor, & vellem duo deponere, & levari. Obstupuit Iudex, Chirurgum advocat, vult illum verbis ad bonam mentem reducere; non proficit: quidquid illi dicant, se tria habere capita Parochus protestatur. Hac imaginatione præventus redit Parochus domum, & se suspendit laqueo.

Quæris igitur *primò*, An ille se occidendo peccarit? *Secundò*. An debuerit Carnificis manu deponi, & sepeliri? An potuerit à viro honesto tangi? *Tertiò*. An fuerit Ecclesiastica sepultura privandus?

Ad primum respondeo videri vero simile, vi morbi pressum, dum bina imaginaria capita conabatur avellere, laqueo caput verum cinxisse, & hoc infortunio vitam cum morte permutasse.

Ad secundum, debere manu honesta tractari. At fuit à Carnifice depositus, sepultusque: nemo enim voluit illud corpus attingere: quoniam tanta est gentis Bohemæ superstitio, vt si quis canem, aut carum mortuum moveat, iudicetur infamis: & illum corpus esse honestum illis persuaderi non potuit.

Ad tertium, posse sepeliri in loco sacro. At fuit in profano sepultus. Volebant enim rustici partim pago excedere, partim ossa maiorum suorum aliò transferre, partim armis se opponere: & Carnifex, cum nollet vitam suam exponere manifesto periculo, cadaver sepelivit in campo. Hucusque Caramuël ibi: & immediatè *num.* 137. in sequentia prorumpit.

Quidam Frater Laïcus in Monasterio N. dum indiscretè à Magistro suo regitur, & meditationibus supra vires turbatur, incipit habere revelationes, vt putabat, & favores à Deo recipere. Narrat amicis die Dominica sibi Deiparam sui Virginei corporis reliquias sanctissimas communicasse. Iussus illas ostendere, duas partes albæ ceræ produxit. Manet in hoc præiudicio illa die, & nocte sequenti se extrangulat. Vt scivit Prior (Aberat enim Abbas) congregat Communitatem; infortunium exponit; secretum indicit; curatque à duobus iunioribus cadaver in loco profano sepeliri. Post annos quatuor Ordinis Visitator recognoscit hæc omnia, & iubet transferri ad locum sacrum; sed non fuit factum. 23

Legis hæc; & eruditionis gratia inquiris. *Primò*, An illud præceptum Prioris obligaverit sub peccato mortali? *Secundò*, An illud corpus debuerit in loco sacro sepeliri? & *Tertiò*, An benè iussetit Visitator, & inobedientia Abbatis sit culpabilis?

Respondeo ad primum, Priores in Abbatum absentia non posse præcipere in virtute obedientiæ, adeòque eos, qui eorundem præcepta non observent, non esse periuros, nec votum solemne violare. (Ago de Monasteriis Abbatialibus; in Prioratibus enim nulli Abbati subditis, aliter Philosophandum est.) Addo tamen eosdem Priores in Abbatum absentia esse Patresfamilias, & posse imponere præcepta, quæ obligent ad mortale: & hoc virtute quarti præcepti Decalogi. Cum igitur in casu materia fuerit gravissima, & secretum necessariissimum, pronuncio illius Monasterij subditos, debuisse obedire sub mortali. 24

Ad secundum aio, miserum illum Conversum delirasse, & se strangulasse in delirio, ac debuisse in loco sacro sepeliri. Addo excusandum fuisse 25

Priorem,

Priorem, si habuit rationes, ob quas iudicaret contrarium.

16 Ad tertium, benè processisse Visitatorem, si illud cadaver sine scandalo, & infamia Monasterij ad locum sacrum teduci poterat. Benè processisse Abbatem non obediendo, si id non poterat. Ego ingressus viam mediam consului, vt potius locus benediceretur secretò, quàm quod corpus exhumaretur. Vix enim id fieret sine confusione, & scandalo.

17 Sic resoluit casum Ioannes Caramuël. Sed eius primæ responsioni, quatenus docet Priores in Abbatum absentia non posse præcipere in virtute obedientiæ, & eos, qui illorum præcepta non observant, votum solemne non violare, absolutè non adquiesco. Quia prolixè probavi *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris Conventualis annexi, à num.99*, non solùm istum esse verè Prælatum, & dignitatem habere, cum omnimoda potestate, & iurisdictione pro vtroque foro, sed etiam Priorem Claustralem, in casu, quo Præsidens fit Monasterij per Abbatis defectum, vel absentiam (exceptis excipiendis, iuxta Ordinum, aut Congregationum limitationes: ideò addidi, *absolutè non adquiesco*.) Ibi pro mea recensui sententia, Sayrum, Alcan. Tamburinum, Lessium, Thom. Sanchez, Sa, Pellizzarium, Bauny, Castrum Palaum, Franciscum Suarez, Hieronymum Garcia, Lezanam, Thomam Delbene, Naldum, Marcum, Vidal, Dianam, Ausonium, Noctinot, Emmam. Rodriquez, Bonacinam, Terolam, & alios.

18 Idem Doctor, *num*. 1637. alium casum proponit dicens. In Monasterio N. quispiam Religiosus Sacerdos, qui sanctus esse vellet, & peccare soleret, tædio sui affectus, cum se semel Deo reconciliarum iudicaret, ne iterum in novas miserias laberetur, generali Confessione præmissa, & Missa multis lachrymis recitata, cella, it: Sacra Biblia aperit: & plicato folio illud *Iobi* 7.15. *Elegit suspendium anima mea*, notat, laqueum collo aptat, & se à trabe suspendit. Intrat Præses rei nescius infortunio percellitur. Suum Confessarium consulit, & eiusdem instinctu cines attondet, ne corona videatur, faciem vulnerat, & deformat; cadaverque in fluuium, qui transit apud Monasterium, præcipitat. Nocte illud tota aquæ fluxu subvehitur, & mane hæret in littore apud pagum, qui distat tribus leucis. Extrahunt nudum, & vulneratum corpus rustici: occisum à latronibus credunt, & sepeliunt. Agri erant grandini obnoxij, & annis sequentibus mirè servantur. Miraculum inclamant rustici, & adscribunt emerso, & sepultum eius multo flore coronant: & tamen etiamnum dicitur pagus à cœli inclementia præservari.

19 Hic ego tantisper te moror, & doceri volo, quid de hoc homine iudices? Anne sibi mortem consciscendo peccavit? Si sic: cur illud subsequitur prodigium? Anne decredendum est rusticis, & cœli tranquilitas attribuenda est naturalibus causis? Anne rusticæ devotioni potius, quàm meritis illius submersi? An ad ignorantiam invincibilem recurri potest, debetque, & dici illum insuperabili ignorantia excusari? Anne in Republica benè gubernata huius rei potest inveniri ignorantia inculpabilis? Quid igitur sentiendum, aut dicendum?

30 Puto miracula non fieri frustrà; sed ad ædificationem hominum. Cum autem in hoc casu nulla appareat miraculi patrandi necessitas, aut vtilitas, dicam eum Religiosum ignorantia non debere excusari, adeòque, aut delirasse, aut peccasse. Cætera, quæ accidisse dicuntur, partim causis naturalibus, partim erroti rusticorum attribuam. Sunt enim illæ variæ, & isti in suis opinionibus valdè vehementes. Omnia præfata Caramuël.

Ex dictis fit, non omnes, qui se occidunt, desperasse, & ad infernum descendisse, dici posse. 31
In casibus igitur contingentibus, quod aliquis reperiatur vel laqueo suspensus, vel in puteo, aut flumine mortuus, magna attentione, ac prudentia debent considerari, & inspici circunstantiæ personæ, temporis, & occasionis: adhuc dato, quod non appareat possibile per alium fuisse laqueo suspensum, aut in flumen, puteumve proiectum. Etsi omnibus, vt præfertur, attentè, prudenterque perpensis, coniecturæ tales sint, quæ vehementem ingerant præsumptionem de eo, quod stante in suo integro sanòque mentis iudicio, se præcipitaverit, aut laqueo suspenderit, in loco sacro sepeliri, neutiquam debet, nec potest; secus autem quando adsit præsumptio, quod ex vi furoris, insaniæ, seu ex mentis alienatione, tale facinus fecerit: aut saltem, quando coniecturæ, & indicia contra defunctum vehementia non sunt, sed exilia, & frangibilia, vt ait Navarrus, privandus ille minimè est Ecclesiastica sepultura, & publicis Ecclesiæ suffragiis.

Consultò dixi *publicis*. Quia Concilium Bracharense in suprà reddito *Canone*, *Placuit*, non prohibuit orationes privatas fieri pro his, qui sibi mortem consciverunt, sed publicas tantùm, quæ in Sacrificio Missæ, aut alias ab Ecclesia fiunt. Patet ex textu ibi: *In oblatione, neque cum psalmis* & Glos. *informatione casus*, ibi: *vtrum commemoratio debeat fieri in Altari?* Quare valdè mihi arridet, quod cum Paludano docet Samnellius, *de Sepulturis, tract.2. disp.1. controv.5. n.11.* dicens. Vnde est in præsenti sciendum, ex Paludano, *in 4. dist.20. quæst.1.* quod qui se ipsos occiderunt, pro his privatim licet orare: quia potuit esse, vt in extremo vitæ spiritu contritionem peccati commissi habuerit, & ex vero corde, *disquisit. 1. dub. 13. à num. 51.* non pauca dixi, quæ pro præsenti multum possent deservire. Illa autem non repeto, ne meo Lectori oneri sint, & nemoras traham inutiles. Consultò tamen, vt illa legere non omittat, ingemuerit. Hæc ille. 32

Pro pleniori resolutionis principalis explicatione, libuit discutere.

DVBIVM VNICVM.

An qui seipsos occidunt, alia pæna puniantur in Iure, quàm privatione Sepulturæ Ecclesiasticæ, & suffragiorum Ecclesiæ?

BREVIARIVM.

Accusatio.

Inchoari potest post mortem reorum in criminibus Repetundarum, Peculatus, Læsæ Maiestatis, &c.

Confiscatio.

Quando accusatio inchoari potest post mortem, scil. in criminibus. Heresis, Læsæ Maiestatis, Pecu-

latus, & Repetundarum, auferuntur ab hæredibus bona; secus quando incboari nequit, nisi, qui crimem patraverit, ob illius conscientiam conscieverit sibi mortem post litem contestatam, n.x.

Læsæ Maiestatis crimen.

Illud est per quod imminuitur maiestas, dignitas vel amplitudo Populi, aut Principis, num.9.

Illud committit, qui falsificat monetam, vel falsam cudendo, vel veram tondendo, num.9.

Potest hoc crimen obiici post mortem, solùm quando molitum fuerat contra Principem, vel Rempublicam, non in aliis casibus, n.10.

Moneta.

Qui illam falsificat cudendo, aut tondendo, crimen admittit Læsæ Maiestatis, num.9.

Peculatus.

Est furtum pecunia publica, aut Fisci, num.8.

Repetundæ.

Crimen repetundarum committitur à, Magistratu, qui pecuniam, aut munus ab bis accipit, quibus praeest in Provincia ad quam missus fuit, aut in vrbe, numero 5.

Suicida.

Pœnâ confiscationis bonorum plectitur, qui se occidit ob conscientiam patrati criminis, ob quod confiscatio debebat fieri, & ob quod accusari potuit post mortem, n.2.

CONCLVSIO.

1 REspondeo, quod in Iure Cæsareo, *tit. de bonis eorum, qui ante sententiam, mortem sibi consciverunt*, tàm in Digesto novo, quàm in Codice, statuitur confiscatio bonorum illorum, qui, vt præfertur, sibi mortem consciverunt. Si tamen hoc fuerit ob conscientiam patrati criminis; non autem si ob impatientiam doloris, ob pudorem æris alieni, ob amentiam, ob vitæ tædium, aut desperationem quidem, &c. Ita Sebastianus Brant. *in expositione dicti tituli in ff. pag. mihi* 205. & Samuellius, *de Sepulturis tract.* x. *disp.* 1. *controv.* 5. *num.* 10. *pag.* 327. *ex l. eorum demum, Cod. de bonis eorum cit.* cum Menochio, *de Arbitrariis lib.* 1. *casu* 284. Decio, *cons.* 438. Rolando, *cons.* 20. *volum.* 2. ex *l. Pactum* 72. *Cod. de Accusationibus, & inscriptionibus. l. in fraudem*, 45. §. *bona, ff. de Iure Fisci.*

2 Hæc tamen pœna confiscationis bonorum, non est imposita omnibus, qui se occiderint, ob conscientiam patrati criminis, vti advertit Brant. sed aliquibus. Pro quo distinguit iste Author. Aut crimen ob cuius conscientiam sibi mortem conscivit, tale erat ob quod non erant publicanda bona, seu confiscanda, puta furtum, & tunc non confiscantur bona, seu hæredibus auferuntur, aut tale erat crimen, ob quod bona erant publicanda. Et in hoc casu, iterum distinguit. Aut crimen tale erat, cuius accusatio poterat inchoari post mortem, vt Repetundarum, Peculatus, & Læsæ Maiestatis: & tunc auferuntur hæredibus bona; aut non poterat inchoari accusatio post mortem. Et tunc non auferuntur hæredibus bona, nisi cōsciverit sibi mortem post litem contestatam, vel postquam fuerit deprehensus in crimine *ex l. in fraudem*, §. 2. & 3. *de iniusto, rupto & irrito facto testamento. l. Si quis ex hæredato*, §. *sibi autem l. vltim. vsque ad* §. *vltim. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt. Et Cod. eodem titulo, l.* 1. & 2.

3 Quando autem non apparet, an sibi mortem consciverit, ob conscientiam patrati criminis, & in casibus in quibus hæredibus auferuntur bona, iuxta nuper à Sebastiano Brant. expositum, an verò ob aliam causam, Fiscus vt bona hæredibus auferat, intentionem suam probare debet, id est, quod defunctus delictum commiserit, ob quod debeant eius bona publicari, & quod illius conscientia, & metu se interfecerit & probatio plena esse debet, & adæquata, vti Samuellius docet, ex Petro Caballo *resolution. criminal. casu* 37. *n.* 24.

Talis, dubio procul, inventa est contra Secretarium Bacherum, de quo sic refert Ioannes Caramuel, *in Theologia Fundamentali, num.* 1634. Bruxellis capitur quidam Catholici Regis Secretarius, examinatur, & convincitur pecunias annuas recepisse ab Auriaeo, & secreta revelasse vniversa. Vt videt omnia in malo statu, laqueo se strangular. Mane reperitur cadaver laqueo pendens: Iudices illud iubent Carnificis manu deponi, & extra vrbem in patibulo per pedes pendi. Et interrogas, an fuerit sententia crudelis? 4

Respondeo sententiam fuisse æquissimam: quia, cum nullus præcesserit morbus, censendus ille fuerat peccavisse ex malitia, & debebat eo rigore tractari ad aliorum exemplum. Hæc Caramuël.

Sed petes, quæ sint crimina Repetundarum: Peculatus: & Læsæ Maiestatis? 5

Respondeo primò. Crimen Repetundarum dicitur quidquid à sociis, & Provincialibus per Magistratus contra leges exactum, acceptumve est: à repetendo ita dictum, quod iudicio Romæ repeterent, & domum suam reportarent id quod sociis legibus fuit concessum. Prima Repetundarum Lex à *L. Pisone*, cognomento *Frugi*, lata fuit, *deinde* cum tractu temporis propemodùm exolevisset, à D. Iulio relata. Hac cavebatur, ne quis cum potestate in provinciam missus pecuniam vllam à provincialibus, aliisve acciperet, præterquam à consanguineis suis. Item vt Vrbani Magistratus ab omni sorde se abstinerent, neve plus doni, munerisve in anno acciperent, quàm quod esset aureum centum Martian. *l.* 1. *ad Iuliam repetundarum.*

Lex Iulia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in Magistratus potestate curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico cepit. Hac item lege plectebantur, qui ob rem iudicandam, aut non iudicandam: ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium, pecuniam accepissent. 6

Præcipuè, tota lex repetundarum, sociorum causa lata fuit, nam si quid eius generis in Vrbe accidisset, privatis magis iudiciis repetebatur. De omnibus his videatur Passeratius in Calepinum, *verbo Repetunda*. Quo loci ait, huius nominis soli genetiuus, & datiuus pluralis sunt in vsu. 7

Respondeo *secundò*, *Peculatus*, est pecuniæ publicæ, aut Fisci furtum. Ita Passeratius, *verbo Peculatus*. Stephanus Datij, *tom.* 2. *indicis Iuris communis civilis*, duo dicit *verbo eodem. Primum* sic. Peculatus est furtum pecuniæ publicæ, vel privatæ ab eo factum cuius periculo fuit. *l. Sacrilegij* 9. §. 1. *ad legem Iuliam Peculatus. Secundum* autem sic. Peculatus crimen, proprie dicitur, cum subtrahitur pecunia Reipublicæ Romanæ, sed quando subtrahitur pecunia alterius civitatis, propriè non dicitur Peculatus Gloss. *in l.* x. *Cod. ex quibus causis infamia.* 8

Respondeo *tertiò*. Crimen Læsæ Maiestatis, est iuxta Passeratium *verbo Maiestas*, per quod imminuitur 9

minuitur maiestas dignitas, vel amplitudo populi, aut Principis. Huiusmodi est offensio circa personam Principis non recognoscentis in temporalibus Superiorem: coniuratio, & machinatio contra Principem, vel contra Patriam: falsificatio monetæ, siue fiat falsam cudendo, siue veram tondendo: Offensio etiam statuæ, seu imaginis Principis: offensio illius, qui à Principe saluum conductum habet: Fingere se Regem, cum talis non sit. Hæc & alia recenset Ausonius Noctinot, *verbo Immunitas*, *n.*30.

10 Crimen læsæ Maiestatis post mortem obiici potest, si contra Principem, vel Rempublicam erat molitum, non in aliis casibus. Ita Daoyz *verbo Crimen.* Qui rursus ait. Crimen læsæ Maiestatis etiam post mortem potest inchoari, vt memoria eius damnetur, & bona successoribus auferantur, & alienationes factæ à die commissi criminis rescindantur. *l.fin.Cod.ad legem Iul.Maiestat.* Et tandem addit crimen læsæ Maiestatis, Repetundarum, Apostatarum, & Manicheorum, morte non extinguitur, & delinquentes finguntur retro non habuisse factionem testamenti. Glossa finalis, *Cod. de Testamentaria manumissione.* Hæc omnia Stephanus præfatus, quem recensere libuit, vt quæ, supra ex Brant. retuli, melius percipiantur.

DISQVISITIO IX.

De his qui in Torneamentis, & in Hastilidiis decedunt. An Sepultura priventur Ecclesiastica? idem de adstantibus, & & Armigeris quæritur. Et An contrahant irregularitatem?

BREVIARIVM.

Axioma.

Omnia concessa intelliguntur de Iure communi, nisi in certis casibus prohibita inveniantur, n.11.

Agentes, & consentientes, pari pœna plectuntur, num.15.

Crimen.

In crimine criminoso communicant, qui scienter auxilium, consilium, vel favorem delinquenti, circa criminis præstant materiam, n.15.

Damna.

Non tenetur quis ad damna sequuta ex ludo non prohibito, num.4.

Excommunicatio.

Excommunicantur, qui in eodem communicant crimine, num.15.

Facultas.

Ad id, quod non est expresse prohibitum, habet quilibet facultatem à iure, n.11.

Hastilidium.

Idem est, ac hastarum lis: quia hastis exercetur, n.1.

Irregularitas.

Incurritur ab omnibus, qui in causa belli iniusti sunt, seu illiciti, aut ad illud accedunt, etiamsi ipsi nec occiderint, nec mutilaverint, n.19.

Incurritur etiam ab omnibus, qui ad Torneamenta accedunt animo se exercendi, n 19.

Dispensari possunt ab Episcopo super irregularitate, qui adfuerunt bello, aut Torneamento, in quo quis fuit occisus, aut mutilatus; non tamen, qui in illo occiderunt, aut mutilarunt, n.20.

Lex.

Pœnalis, & odiosa, extendi non debet ad casus in ea non expressos, etiamsi eis maior sit ratio, sed restringi ad expressos, n.8.

Qua Lex non exprimit, censetur negligere, n.10.

Ludus.

Omnis ludus periculosus, est omni iure prohibitus, num.3.

Ludus causa virium experiendarum, vbi regulariter, nullum imminet mortis periculum, nullo iure prohibetur, num.4.

Pœna.

Nulla imponi debet; nisi exprimatur, quod sit imponenda, n.9.

Prælati.

Prohibere possunt Prælati Ecclesiastici ea, quæ animæ communiter periculum afferunt, n.2.

Sepultura.

Qui in Torneamentis, & Hastilidiis decedunt, sepultura privantur, n.5.6.

Si tamen probabiliter periculosa fuerint, n.13.

Probabile est privari Sepultura Ecclesiastica, qui ex vulnere in Torneamento recepto decessit extra Torneamenti locum, n.7.

Probabilius est per principia intrinseca illa non privari, num.8.

Probabile est per principia extrinseca privari Sepultura Armigeros servientes periculosis Torneamentis, num.14.

Probabilius est per principia intrinseca non privari, num.14.16.

Illa non privantur, qui ad locum Torneamenti accedunt, animo illud videndi tantum, n.17.

Torneamenta.

Ex eo sic dicuntur, quia circumeundo vadunt, & circumeundo se percutiant, n.1.

Dicuntur aliquando Feriæ, seu Nundinæ, aliquando Hastilidia, n.1.6.

Ad ostentationem virium, & audacia fiunt, n.2.6.

Ex Torneamentis; seu Hastilidiis; sæpe animarum pericula, & mortes proveniunt, n.2.6.

Prohibita sunt vtroque Iure, n.3.

Si tamen exerceantur cum periculo probabili mortis, aut vulneris gravis, n.6.

PRo tituli, dubitationis propositæ, intelligentia, præmittere duxi, *Torneamenta* dici, ex eo; quod qui illa exerceant, circumeundo vadunt, & circumeundo se percutiunt, & feriunt. Ita exponit dictionem *Torneamenta*, noster Panormitanus Abbas, *in capite Felicis el 1. de Torneamentis*, vbi etiam ait, huiusmodi ludos, *à feriendo*, appellari aliquando etiam, *Ferias* seu *Nundinas*; sed vulgariter *Torneamenta* nuncupari. Idem ludus *Hastilidium* etiam dicitur, quia hastis exercetur, vulgò *Lanzas*: ita vt idem *Hastilidium* sit, ac hastarum lis. 1

Fiunt Torneamenta ad ostentationem virium, & audaciæ, vti Panormitanus; & Augustinus Barbosa *in præallegato cap. Felicis*, inquiunt vnde mortes, & animarum pericula sæpè proveniunt. Qua ex causa, benè Prælati Ecclesiæ illa prohibere queunt, sicut quemlibet alium periculosum ludum, & apponere pœnam contra facientibus, vt optimè adnotat Abbas, licet contrarium constitui videatur *in l.1.§.Bestias,ff.de Postulando*. Ratio fundamentalis est, quia non licet exercere ludum, etiam ad ostentationem virium, & causam virtutis demonstrandæ, si imminet ex eo animarum periculum, 2

periculum, & mortis. Qui enim amat periculum, peribit in illo.

3 Vnde Sylvester, *verbo Torneamentum*, ex eodem Abbate, & Hostiensi docet, de facto ludum istum esse prohibitum, & omnem alium, ex quo probabiliter, mortis imminet periculum. Et quidem non solùm de Iure Canonico, sed etiam de Civili. *Cod. de Gladiatoribus, l. vnica.* Et asserit Legem primam, *§. Item senatus, ff. de Postulando*, de alio debere intelligi ludo. Quod etiam Abbas tenet, cum Hostiensi, exponens Glossam *in dictum cap. Felicis verbo secundùm Leges.*

4 Concordant etiam Hostiensis, Abbas, & Sylvester in hoc, quod ludus, causa virtutis, seu vizium experiendarum, vbi nullum mortis periculum regulariter imminet, nullo Iure, nec Canonico quidem prohiberi. Et sic ad damnum ex eo sequutum quis non teneri, nec ei imputari. *l. Qua actione, §. Si quis in colluctatione, ff. ad Legem Aquiliam.* Concordant cum allegatis Doctoribus, Azorius, Sà, & alij, quos *num. 6.* recensebo.

Quibus præmissis, difficultati propositæ respondeo, per sequentes Conclusiones.

CONCLVSIO. I.

5 QVi in Torneamentis, & in Hastilidiis obeunt Ecclesiastica sunt Sepultura privati.

Hanc Conclusionem tenent D. Antoninus, *in Summa maiori, part. 3. tract. 10. de Sepulturis, cap. 5. §. 8.* Sylvester *verbo Sepultura, quæst. 9. & verbo Torneamentum.* Sebastianus Brant, *in expositione titulorum vtriusque Iuris, lib. 48. titulo de Cadaveribus punitorum.* Samuellius *in praxi de Sepulturis, tract. 2. disp. 1. controv. 8. Conclusio. 1. pag. 344. & Conclus. 6.* Augustinus Barbosa, *de Iure Ecclesiastico, part. 2. lib. 2. cap. 10. num. 45. & de Officio, & potestate Parochi, part. 3. cap. 26. num. 45. & in dictum caput Felicis, num. 1. & 7. el 1. de Torneamentis.* Allegat Barbosa Vgolinum, *de Officio Episcopi, cap. 17. num. 4. in princ. & versic. Secund.* Possevinum, *de Officio curati, cap. 14. sub num. 3. versic. Caret item.* Cenedum, *collect. 13.* Vivianum, *in Rationabili, lib. 5. Iuris Pontificij, pag. 129.* Alagonam, *in Compendio Iuris Canonici pag. 6. 76.* Galet. *In Margarita Casuum Conscientiæ, verbo Sepultura vlt.* Martinum Carillo, *en la Explicacion de la Bulla de los difunctos, part. 2. cap. 4. num. 55.* Reginaldum, *in praxi fori pœnitentiæ, lib. 22. n. 79. versic. Accedit*, Stephanum Gratianum, *disceptationum forensium, cap. 410.* & alios, quos ad faciendum, pro more recenset suo. Tenent etiam Conclusionem nostram Emmanuël Sà, *verbo Torneamentum* cum Molina *disp. 111.* Emmanuël Roderiquez *to. 3. quæstionum Regularium quæst. 61. art. 1. versic. Decimo.* Ioannes Baptista Ventriglia, *in Praxi verum notabilium, annotatione 52. num. 21. pag. 474.* Moure, *in examine Theologiæ Moralis, part. 4. cap. 20. §. 3.* & noster Abbas Panormitanus, qui vnus pro mille sufficeret, vtpote Pontificij Iuris Coripheus Doctor, præ omnibus aliis, facilè Princeps, illam docet *in cap. Felicis*, mox recensendum.

6 Conclusio expressè deffinita est in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III. ex quo desumptum est caput primum de Torneamentis, in quo sic statuitur. *Felicis memoriæ Innocentis, & Eugenij prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentis, detestabiles illas nundinas, vel ferias, quas Vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audacia temerè congredi, vnde mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat Sepultura.* Hactenus Decretalis præfata.

Procedit tamen illius dispositio, & Conclusio nostra, solùm quando exercentor huiusmodi ludi cum morali periculo mortis, aut vulnerum, vti colligitur ex Iacobo de Graffis, *in decision. aureis, part. 1. lib. 2. cap. 121. num. 3.* Azorio, *part. 3. lib. 2. cap. 18. versic. Si tamen*, cum Navarro *cap. 15. n. 8. & 9.* ex Naldo *verbo Ludus, num. 1.* Marco Vitali, *tit. de Chantatis præcepto, inquisit. 3. num. 58.* & aliis asserentibus non peccare mortaliter huiusmodi lusores, Funambulos, & taurorum agitatores, quando talis cautio adhibetur, vt raro mors, aut vulnus grave ex huiusmodi sequatur ludis.

CONCLVSIO II.

PRobabile est privatos esse Sepultura Ecclesiastica, qui extra locum Torneamenti, & Hastilidij ex lethali vulnere in eo accepto decedunt. 7
Probabile etiam est, huiusmodi non esse, dicta Sepultura privatos.

Partis affirmativæ probabilitas, fundatur in principiis extrinseco. Authoritati enim innititur D. Antonini, Augustini Barbosæ, Emmanuëlis *locis citatis*, & Sylvestri, *verbo Sepultura, quæst. 7.* cum Hostiensi, dictam tenentium partem. Et in simili, de eo, qui ex vulnere in duello accepto extra locum duelli obiit, docent Petegrinis *de Duello, quæst. 7. num. 4.* Samuellius *vbi suprà.*

Hæc sententia sic potest suaderi. Ecclesia polluta dicitur sanguine, si quis in Ecclesia vulneratus, extra Ecclesiam sanguinem effundat: ergo similiter dici potest mori in loco Torneamenti, & in ipso conflictu, qui ex vulnere in eo accepto extra illum decedit.

Pars verò negativa, mihi magis per principia probatur intrinseca. *Primò*, quia lex privans Sepultura Ecclesiastica, se in Torneamentis exercentes, est odiosa, & pœnalis. Ergo extendi non debet ad casus non expressos in illa, etiamsi eadem, aut maioratio in eis militet, sed restringi debet ad casus expressos, servata propria significatione naturali verborum, Palaus *part. 1. tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 3. num. 7. iunctis 8. ad princ.* Lezana, *to. 2. part. 3. verbo Leges Regularium, num. 33.* Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disp. 14. quæsito 15. num. 3.* Marcus Vidal, *in Arca vitali, tit. de Monialibus, num. 106.* & ego ipse *in disquisit. Pastorali, de Iure Prioris annexi, num. 50.* & sæpè alibi, cum communi scribentium, *ex cap. Odia el 15. de Regulis Iuris, lib. 6.* Sed Lex privans Ecclesiastica Sepultura ex causa, Torneamenti, solùm exprimit in loco Torneamenti decedentes: *Quod si quis eorum (inquit) ibi mortuus fuerit, &c.* Quod declaravit Alexander III. *cap. Ad audientiam, el 2. eod. tit.* dicens. *Nos attendentes qued his tantùm Ecclesiastica Sepultura debeat interdici, qui ad Torneamenta animo id faciendi tantùm accedentes, decedunt ibidem.* Non autem extra locum, conflictus ex vulnere in eo accepto, obeuntes: ergo illi tantùm, & non isti, Sepultura Ecclesiastica privantur. 8

Secundò probatur. Nulla pœna imponi debet, nisi exprimatur, quod sit imponenda. Glossa celebris, communiter recepta *in cap. Transmissa,* 9

verbo

verbo Ex vi ri 31. *& finali de Iure patronatus.* Navarros, *tom.* 2. *Consiliorum tit. de Simonia, consil.* 91. *num.* 3. Sed in Iure non exprimitur quod denegetur Sepoltura Ecclesiastica morienti extra Torneamenti locum, ex vulnere in illo inflicto: ergo non est ei deneganda.

10 *Tertiò.* Si Concilium Lateranense in capite *Felicis* aliud, quàm docemus voluisset, illud expressisset. Vnde quia ibi non expressum est, censetur neglectum. Videantur Emmanuël Roderiquez, *tom.* 2. *quæstionum Regularium quæst.* 44. *artic.* 4. *versic. Quartum.* Marcus Vidal, *tit. de Duello, num.* 13. & Raggius, *de Regimine Regularium, tr.* 8. *centuria* 2. *dub.* 161. *num.* 2. *versic. Huiusmodi.* Vbi in hæc prorumpit. Præterea, regula admissa est, quod ea, quæ Lex Vult exprimit, *l. vnica* §. *Sin autem ad deficientis, Codice de caducis tollendis l. Si seruus,* §. *Prætor ait. versic. Non dixit. ff. de Acquirenda hereditate.* Tiraquellus *in l. Si vnquam, tit. de libertis, num.* 3. Surdus, *consilio* 88. *num.* 4. *& decis.* 322. *numero* 22. *& consilio.* 245. *numero* 45. *volum.* 2. Gutierrez, *Practic. lib.* 3. *quæst.* 22. *num.* 7. Alexander, *consil.* 94. *lib.* 2. Hucusque Iacobus Raggius.

11 *Quartò*, omnia concessa intelliguntur de Iure communi, nisi in certis casibus prohibita inveniantur. *Cap. Nuper* §. *In Secundo*, vbi Glossa *verbo, Non retinuit, el* 19. *de Sententia excommunicationis.* Glossa, *in Can. Consuluisti, el* 20. *causa* 2. *quæst.* 4. *verbo Superstitiosa.* Glossa item *in cap. Excommunicamus, verbo Apostolica speciali, el* 1. *&* 13. *de Hæreticis.* August. Barbosa *de Potestate Episcopi, part.* 2. *allegat.* 33. *num.* 16. Ausonius Noëlinot, *in Summa Diana, verbo Missam applicare, num.* 4. Quæ quidem regula verissima est, etiamsi ea in nullo casu, sint expressè concessa. Sed Sepultura Ecclesiastica est in vniversum Fidelibus concessa expressè, & nullibi reperitur expressè prohibita in casu, quo in Torneamentis vulnerati, extra Torneamentorum obeant loca: ergo huiusmodi sic obeuntibus, Sepultura Ecclesiastica censetur concessa.

12 Ad fundamentum in contrarium adductum, respondeo similiter, probabiliùs esse per principia intrenseca non pollui Ecclesiam per effusionem extra eam factam, etiamsi sanguis ex vulnere intra eam accepto effundatur; esto per extrinseca principia probabilius sit pollui. De quo larius in tract. *de Exsacratione loci sacri tom.* 1. *tract.* 2. *disquisit.* 2. *dub.* 11.

CONCLVSIO III.

13 **P**Robabile est armigeros, & servientes in armis eis, qui se in Torneamentis exercent periculosis, Sepultura Ecclesiastica privari; Probabile atiam est illos ista non privari.

Consultò addidi, *periculosis*; quia si periculosa Torneamenta non fuerint, non sulùm armigeri, & in armis servientes, sed nec collusores ipsi, pœnæ privationis Sepulturæ subduntur, cum solùm illa infligatur quando Torneamentum ita sit periculosum, vt ex eo probabiliter mortis immineat periculum, quod tantùm prohibetur Torneamentum, vti docent Ioannes Azotius *in Institut. Moralib. part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 15. *in principio.* Sà, *verbo, Torneamentum* cum Molina *disput.* 111. Navarro, *in Manuali, cap.* 15. *numero* 9. & Victoria, *in relectione de Homicidio, numero* 32. Sylvester, *verbo Sepultura, quæst.* 9. Roderiquez *tom.* 3. *quæstionum Regularium quæstio.* 61. *artic.* 1. *versic. Decimò*, & Barbosa, *in cap. Felicis numero* 2. ex quo vtique textu, bene id inferri licet, cum dicat. *Vnde mortes hominum & animarum pericula sæpè proveniunt.* Duo vltima, ad intentum, expende verba.

Prima Conclusionis pars affirmativa, authoritati D. Antonini, Sylvestri, & Roderiquez in recensitis locis, & Barbosa *dicto cap. Felicis numero* 7. id sentiendum innititur. Secunda verò negativa fundatur in his, quæ pro secunda parte secundæ Conclusionis, etiam negativa, adduxi, quæ æquè hîc, ac ibi militant. 14

Nec valet dicere, Armigeri, subministrando arma his, qui Torneamenta exercent, participes fiunt criminis illorum: & sic iustè eadem pœna privationis Sepulturæ Ecclesiasticæ plecti debent. Sicut enim excommunicati manent communicantes in eodem crimine cum excommunicatis à Papa, sic decernente Innocentio Tertio, *in cap. Nuper el* 29. *de sententia excommunicationis*: in secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut aliàs in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo; In primò quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis, videatur in eum delinquere, qui damnavit: ab eo, vel eius Superiore merito delicti, tunc erit absolutio requirenda: cum facientem, & consentientem, par pœna constringat: sic pariter privari debent Sepultura Ecclesiastica, qui scienter in crimine criminoso communicet impendendo auxilium, & arma ei, qui ob tale armorum exercitium eadem Sepultura privatur, cum per huiusmodi armorum subministrationem, videatur in eum delinquere, qui Torneamenta damnavit. 15

Non inquam valet, quia *in hoc capite, Nuper,* ideò eadem pœna facientem, & consentientem constringit, quia in eo exprimitur; quod quidem non contigit in capite *Felicis*, vti vidimus; vnde pœna privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ in eo inflicta, exercentibus Torneamenta, extendi non debet ad Armigeros, esto digni sint, vt ad illos per Constitutionem extenderetur. 16

CONCLVSIO IV.

ADstantes Torneamentorum ludis pœnam privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ non incurrunt. 17

Hanc tenent D. Antoninus *in Summa, part.* 3. *tit.* 10. *de Sepulturis, cap.* 5. §. 8. Sylvester, *verbo Torneamentum num....* Emmanuël Roderiquez *tom.* 3. *quæst. Regular. quæst.* 61. *art.* 1. *versic. Decimò*, & August. Barbosa, *in cap. Felicis num.* 7. *el* 1. *de Torneamentis.*

Probatur *ex cap. Ad audientiam, el* 2. *de Torneamentis*, vbi Alexander Papa III. sic caput *Felicis* declarat. *Nos attendentes, quod his tantùm Ecclesiastica Sepultura debeat interdici, qui ad Torneamenta animo id faciendi tantùm accedentes, decedunt ibidem.* Hæc Alexander: ergo non debet interdici Sepultura, iis qui, animo tantùm videndi spectaculum accedunt. 18

Probatur etiam omnibus fundamentis, quibus probavi partem negativam Conclusionis secundæ.

CONCLVSIO V.

19 SI aliquis occidatur, aut mutiletur in Torneamento, & Hastilidio (periculoso scilicet, ex quo probabiliter, talis immineat effectus) omnes, qui illic venerant causa pugnandi, seu se exercendi in dicto ludo, etiamsi ipsi non occiderint, vel mutilaverint fiunt irregulares, sicut illi, qui in Bello iniusto, seu illicito, est causa bellandi. 15. *quæst. 1. can. Si de pœnitentia dist. 1 Si quis cum telo, dist. 2. Si quis post acceptam.* Hanc tenet Sylvester, *verbo Torneamentum, in fine*, cum Hostiense, & Grofedo. Cui consonat Bussembaum, *in Medulla Theologia, lib. 7. cap. 5. dub. 4. resol. 6.* cum Bonacina *disp. 7. quæst. 4. punct. 4. num. 3. dicens*, quod si in bello iniusto vous occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione fit cooperatus.

20 Quod si petas, quis possit dispensare in hac irregularitate. Respondet Sylvester *ubi proximè*, quod Episcopus dispensare valet, non cum occidentibus, & mutilantibus, sed cum adstantibus, sicut potest dispensare cum existentibus in bello iniusto.

DISQVISITIO X.

De his, qui in agitatione Taurorum obeunt.

An Sepultura priventur Ecclesiastica? Idem inquiritur de morientibus in congressu cum aliis bestiis, feris.

BREVIARIVM.

Ordinarius.

Ordinarius.

Religiosorum exemptorum, non est Episcopus, sed eorum Prelatus localis: imò nec aoa exemptorum, nisi in acta visitationis, iuxta sententiam probabilem, n.21.

Piscare.

Monachis licet retia, ad capiendos pisces, texere, n.7.

Pœna.

Proportionari debet pœna culpæ, n.43.

Regula.

Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur, 20.

Sententia.

Contra non citatum, & auditum lata, iniqua est, iniusta, & nulla. 22.

Iuxta allegata, & probata, pronunciari debet, numero 26.

Fallit quando Index scientiam habet contrariam, etiam privatam, 27.28.29.

Sepultura.

Qui in agitatione decedunt Taurorum, & ferarum, privari debent sepulturâ, in sententia D. Aug. & aliorum, n.4.5.14.15.

In praxi tamen contraria tenenda est, n.16.17.

Spectaror.

Non censetur, qui ex occulto aspicit, sed qui in publico se exhibet, & sua præsentia cohonestat spectacula, n.44.46.

Taurorum agitatio.

Barbara est, & gentilica ferarum, & Taurorum agitatio, 45. *Bestialis est, & Diabolica*, n.39.

Prohibita fuit à Pio V. omnibus fidelibus à, n.1.

Et sub censuris Religiosis, & Beneficiariis, n.2.

Greg. XIII. pro Hispania Regnis Bullæ Pij V. derogavit quoad Laicos, & Fratres Milites, dummodò diebus festivis non agitentur, & ne mors sequatur, provideatur, n.12.

Clemens VIII. dictam Bullam ad terminos redaxit Iuris communis; excepit tamen, quoad redactionem Regulares Monachales & Mendicantes, num.13.15.

Bulla Piana in suo permanet vigore quoad Monachales, Mendicantes, & Freyles sacro initiatos Ordine, n.18.

Illius excommunicatio non est lata, sed ferenda, 0.19.

Prohibita est agitatio feraram, non tàm earum, quæ ex genere animalis feræ sunt, quàm quæ ex propria individuali feritate, n.11.

Religiosi ex occulto videntes taurorum agitationem, non incurrunt, qua spectatores, excommunicationem, nec mortaliter peccant, n.44.

S.Thomas à Villanova.

Ad Cœlum advolavit die 8. *Septembris*, 1555. n.38. *in fine.*

Venatio.

Alia arenaria, alia saltuosa, n.5.

Venatio arenaria est quando quis in arena cum bestia pugnat; saltuosa, quando venatur in sylvis, & saltibus, n.5.

Venatio arenaria mortalis est, tàm venantibus, quàm aspicientibus, n.5.

Qui illam exercet, infamis efficitur, nisi ad experiendas vires suas illam exerceat, n.5.

Venatio saltuosa ex se licita est, nisi in Quadragesima, & iejuny diebus, extra casum necessitatis, n.6.

Nunquam est ista licita Clericis, etiam pauperibus, si fiat cum clamore, strepitu, & canibus, vel accipitribus: estque illis mortalis, nisi raro, & absque scandalo fiat, n.7.

Parochi frequenter canes, & instrumenta ad venationem pertinentia præ manibus habente in periculoso degunt statu, n.8.

Monachi, Prælati, & subditi, ex proposito interessentes venationi; aut aucupationi clamorosæ, aut cum canibus, vel avibus, suspensionem incurrunt. Prælati, à collatione beneficiorum per trienniam; subditi ab administratione per biennium, si illam habent: etsi non habeat, inhabilitantur per biennium ad illam, & ad beneficium, n.9.

Veritas.

Tenenda semper est, etiamsi oriatur scandalum, 0.36.

Vsura.

Vsurario infligenda est excommunicatio, num.8.

PRo exacta resolutione huius difficultatis, aliqua lobens supponere duxi. *Primò* suppono, Pium Papam V. die prima Novembris, *de Anno* 1567. per suam Constiturionem, incipit *De salute gregis*: *la* 48. in Bullario novissimo Angeli, Cherubini, *tom.* 2. *pag. mihi* 243. publicatam 15. *die eiusdem mensis, & anni*, *in* §. 2. prohibete omnibus, & singulis Principibus Christianis, quacumque tàm Ecclesiastica, quàm mundana, etiam Imperiali, Regali, vel quacumque alia dignitate fulgentibus, vel quibus suis Communitatibus, & Rebus publicis, sub excommunicationis, & anathematis pœnis, ipso facto incurrendis, ne in suis ditionibus fieri permittant spectacula publica, aut privata, vbi Taurorum, aliarúmque ferarum agitationes exercentur. Militibus quoque, cæterisque personis, ne cum Tauris, & aliis bestiis in præfatis spectaculis, ipsi tàm pedestres, quàm equestres congredi audeant, interdicit. 1

Et in §. 3. sic ait. *Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, Ecclesiastica careat Sepultura, & §.4. Clericis quoque tàm Regularibus, quàm Saecularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in Sacris Ordinibus Constitutis sub excommunicationis pœna ne eisdem spectaculis intersint, similiter prohibemus. In* §.5. cassat omnes contractus, vota, & iuramenta facta de huiusmodi agitationibus. 2

In §. 6. statuit, vt si Feudatarij Ecclesiæ illas permittant, amittant, quæ habent feuda. Tamdem §. 7. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione æternæ maledictionis, omnibus, Patriarchis, Primaribus Archiepiscopis, Episcopis, & cæteris Ordinariis, vt præfatas litteras sufficienter publicari faciant, & sub pœnis, & censuris observari faciant. 3

Circa quam Constitutionem, ait Ioannes Baptista Scortia, *in selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theoremate* 244. *pag.* 351. quod in ea, eadem fuit Pio V. mens; quæ fuit Alexandro Tertio in Concilio Lateranensi, *cap.* 20. Innocentio, & Eugenio, vt refertur *in cap. Felicis el* 1. *Torneamentis*, Disquisitione nona recensito, prohibentibus Ferias illas, vulgò Torneamenta, in quibus Milites conveniunt ad ostentationem audaciæ, & virium suarum, & ex quibus sæpè animarum pericula, & hominum mortes proveniunt, sub pœna, si quis ibi moriatur, privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ: & eadem, quæ fuit D. Augustino, *psalmo* 147. relato in Canone, *Vident*, *el* 10. 86. *distinct.* vbi in hæc prorumpit verba. *Vident homines venatores, & delectantur. Væ miseris si se non correxerint. Qui enim venatorem vident, & delectantur, videbunt Salvatorem, & tristabuntur.* 4

D. Augustinum exponens Glossa *in can. Qui venatoribus, verbo eodem, el 9. eiusdem distinctionis*, qui ex eodem desumptus est Augustino in *psalmã* 102. venationem distinguit in Arenariam, & Saltuosam: venatio *Arenaria* (inquit) est, cum quis pugnat in arena cum bestia detentata: & ad hoc 5

locat operas suas. Venatio *Saltuosa*, est quæ fit in sylvis, & saltibus. Venatio *Arenaria*, illicita est, & peccant mortaliter, qui eam exercent, & qui eam aspiciunt, vti apertè Docet D. Augustinus *in dicto Canone Vident*, & Glossa citata; vbi addit, quod qui eam exercet infamis est, nisi gratia virium suarum experiendarum. *l. 1. §. item Senatus ff. de Postulando.*

6 Et de *Saltuosa* dicit, quod ex se sit licita. Illicita tamen, *Primò* ex tempore, vt in quadragesima, in diebus ieiuniorum, *ex Canone An putatis, el* 13. *eiusdem distinctionis*, nisi in necessitate. Argumento 23. *quæst.* 8. *Si nulla. Secundò*, ex persona, quia Clerico non est licita, etiamsi pauper sit, secundùm quosdam, *vt* 33. *distinctione, Quorundam*. Quia potest aliàs victum quærere. Nam faciat cistas, & calathos, & tetia. *De consecratione, distinct.* 5. *Nunquam.*

7 Explicat tamen Glossa venationem *Saltuosam*, Clericis illicitam, esse illam, quæ cum clamore exercetur, strepitu, & canibus; licitum autem esse Clericis ponere laqueum, vel rete sine strepitu, clamore, & canibus, cum licitum sit (inquit) Monacho texere linum pro capiendis piscibus, iuxta D. Hieronymum relatum *Canone Nunquam el 3. de Consecratione distinct. 5.*

Et adeò est Clericis illicita venatio clamorosa, & quæ fit canibus, vel accipitribus, vt dicat Eligius Bassæus, *tom. 1. verbo Venatio, num. 3.* Hæc venatio, nisi fortè rarò fiat, & sine scandalo, Clericis est prohibita sub mortali.

8 Ex quibus convincitur, quàm in periculoso statu sint Clerici, curæ animarum, & officio Parochorum addicti, qui rarò librum casuum conscientiæ manibus tangunt suis, vt eo pulverem saltem excutiant, & frequenter præ manibus, & ferè indesinenter habeant, contrectent canes, & instrumenta ad venationem destinata: imò & arma non solùm ad eam apta, sed ad omne facinus accomodata, cum armorum delatio, Clericis sub excommunicationis pœna, sit interdicta ex Concilio Pictaviensi, *in capite Clerici, el 2. de vita & honestate Clericorum*, sub hoc tenore verborum. *Clerici arma portantes, & vsurarij, excommunicentur.*

9 Monachis autem, tàm Prælatis, quàm subditis, qui ex proposito venationi, aut aucupationi clamorosæ, vel aliàs cum canibus, aut avibus interfuerint, *in Clementina, Ne in agro Dominico, la 1. de statu Monachorum, §. Si quis autem*, istæ infliguntur pœnæ; quod Abbas, vel Prior Abbatem proprium non habens, *Conventualis* scilicet, suspensus sit per biennium à beneficiorum collatione, ipso facto, & quod collatio devolvatur beneficiorum ad Priorem Claustralem cum consilio, & assensu Conventus, vel maioris illius partis. Si verò Superior non fuerit Prælatus, ab administratione, si quam habeat, sit per biennium suspensus ipso facto; quod si nullum habeat, ipso facto, sit per biennium inhabilis ad administrationem, & beneficium Ecclesiasticum obtinendum.

10 Et in eadem *Clementina §. Quia verò*, excommunicatio ipso facto infligitur Monachis intra septa Monasteriorum arma tenentibus sine licentia Abbatum suorum. Vbi Gloss. *verbo Arma*, notat, quod ista propriè illa sunt, quibus defendimur, tela autē, quibus impugnamus: ea scilicet omnia, quæ manu, & arcu mittūtur, inter quæ adnumerat fustes, & lapides; & à fortiori inter ea adnumerari debet scopleta. Et ait, Ioannes Andreas: non tamen puto authorem sic latissimè intellexisse. Tela scilicet sub armorū prohibitione. Et *verbo Tenentes* ait Glossa, quod veniens de foris ad Claustrum cum armis non animo tenendi nec tenet, ex delatione ligari non videtur, vt verbum cum effectu, *cap. Relatum de Clericis non residentibus* Consonat Peyrinus *de Privileg. tom. 3. ad Constitut. Clement. 8. c. 9. num. 77.* Nam modica (inquit) non sunt in consideratione. *l. scio ff. de in integrum restitutione.* Et allegat Baiardum ad practicam Clari, *lib. 5. §. fi. quæst. 82. num. 74.* libuit ad amussim istum recensere Authorem aliquos exprimentem casus, ad se dandas conscientias timoratorum, scitu dignos, necessarios. Sic enim fatur,

Noto 26. quod in eadem constitutione 4. Clementis VIII. *n. 9.* dicebam, quod in statu Mediolanensi extabat excommunicatio, & privatio officiorum contra Regulares tenentes arma in suis Collegiis, & Monasteriis. Sed modò occurrit quærere, An ille, qui per momentum temporis ab alio arma conservanda accepisset, dictas pœnas incurreret. Riccius *1. p. Praxis, decis.* 691. *n. 4.* putat incurrere. Sed ego existimo contrarium esse verius, quando quis bona fide ad modicum tempus, seu pro faciendo aliquo opere Charitatis, ne scilicet venientes satellites, quos venire videt, dicta arma portantem carceratum ducant, cum gravissimo ipsius, & familiæ suæ damno; vel quando inconsideratè illa suscipit. Nam modica non sunt inconsideratione, *leg. scio ff. de in integrū* restitutione. Ita Bajard ad practicam Clari, *lib. 5. §. fin. q. 82. a num. 74.* quin 66. habet quod statutum prohibens simpliciter portare, aut retinere arma, intelligitur de offensivis, non defensivis. *Et n. 71.* habet, quod cultellus panis non venit appellatione armorum, nisi excedat mensuram taxatam. *Et. n. 78.* quod portans arma ligata, non habet malum animum. Et *n. 79.* ait, quod statutum prohibens retentionem, aut delationem armorum, intelligitur de armis aptis ad offendendum. Quod tamen non admittit de Scopletis, nam posset quis tenere canam sine rota, quam etiam haberet in domo, & sic ad libitum scopletis vti.

11 Quod præfata Taurorum seu aliarum bestiarum ferarum agitatio, cum lethali culpa exerceatur, asserunt præter Glossam allegatam, penes Scortiam, Turrecremata *in canonem Qui venatoribus*, recensitum, *n. 7.* Speculum conscientiæ, *lib. 1. c. 74.* Bernardus Diaz in Pract. criminal. *q. 66.* & alij, ob periculum mortis, cui se exponunt certantes cum feris. Alij verò sentiunt esse veniale cum illis certare. Ipse autem Scortia docet, nec veniale esse, si adhibeanter cautelæ, & refugia opportuna, ita vt probabiliter credatur non sequuturam mortem, aut eius periculum. Ita ille versic. *Reprobat. & versic. Quin etiam* advertit, *Bestias*, quas agitari prohibuit Pius Papa V. accipi debere magis ex feritate, quàm ex animalis genere, *ex l. 1. de Postulando.* Quia multæ sunt bestiæ, quæ non sunt feroces, etiamsi ex his, quæ ex natura feræ sunt, & feroces.

12 *Secundò* suppono, Gregorium Papam XIII. ad instantiam Philipi II. Hispaniarum Regis, concessisse Bullam quandam, 25. *Augusti de Anno* 1575. quæ incipit, *Exponi nobis*, & exscribitur per extensum à Quaranta, *in Summa Bullary, verbo Torneamenta, pag. mihi* 629. per cuius tenorem, pro Hispaniarum Regnis Pianæ Constitutionis suprà recensitæ, derogat pœnis quoad Laicos, & Fratres milites, cum vna, & altera limitatione. *Prima*, quod Tauri, aut feræ aliæ diebus festis non agitentur: *Secunda*, quod per eos, ad quos spectabit, providea-

tur,

tur, quod ex huiusmodi ludis, alicuius mors quoad fieri poterit, non sequatur. Verba concessionis libuit ad amussim reddere,

Nos ipsius Philippi Regis, nobis in hac parte humiliter porrectis supplicationibus inclinati, excommunicationis, anathematis, & interdicti, aliarumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum in ipsius Pij prædecessoris Constitutione, contentas pœnas, in Hispaniarum Regnis quoad Laicos, & Fratres milites tantum quarumcumque Militiarum, etiam preceptorias, & Beneficia ipsarum Militiarum pro tempore obtinentes, dummodò dicti Fratres Milites sacris Ordinibus initiati non fuerint, & agitationes Taurorum festis diebus non fiant, auctoritate Apostolica tenore præsentium tollimus, & amovemus, præmissis, aliisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Proviso tamen per eos ad quos spectabit, quod exindè alicuius mors, quoad fieri poterit, si qui non possit.

Hucusque Gregorius: cuius Constitutionis, etsi Cherubini non meminerint in Bullario Magno, illius tamen meminerunt, præter Quaranta, Scortia *in dicto Theoremate* 244. Augustinus Barbosa *in cap. Felicis el* 1. *de Torneamentis*: & penes eum Slazedo, ad Bernardum Diaz, Practicarum *cap.* 72. *aliàs* 175. Azorius *Instit. Moral. lib.* 2. *c.* 15. *versic. Tertiò notandum*, in 3. parte.

13 *Tertiò* suppono, Clementem Papam VIII. aliam edidisse constitutionem *die* 13. *Ianuarij, de Anno* 1596. quam exscribunt Quaranta *allegato in loco*, & Emmanoël Roderiquez *tom.* 3. *quæst. Regularium*, *quæst.* 68. *art.* 2. *pag. mihi* 227. cuius etiam meminerunt Scortia *Theorem.* 244. *& seqq.* Barbosa *d. c. Felicis.*

In qua quidem Constitutione, sic Clemens decemens ait. *Nos considerantes pœnas omnes, excommunicationis præsertim, & anathematis, salutares esse debere, quod eo consilio adhibendæ sint, vt omnes illarum timore perterriti, eas res, quæ prohibentur omninò evitent, & animadvertentes commemoratas censuras, & pœnas parum, in dictis Hispaniarum Regnis hactenus profecisse; atque hoc tempore non solum animabus non mederi, sed plurimum obesse, quin imò materiam scandali plerisque afferre, his sanè malis, atque periculis, pro debito Pastoralis officij, quantum cum Domino possumus occurrere cupientes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, excommunicationis, atque anathematis, cæterasque pœnas in dictis literis contentas* (Pij scilicet Papæ V. suprà relatis) *quoad omnes in illis expressos in Regnis Hispaniarum dumtaxat (Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæterisque cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularibus exceptis) tollimus, removemus, & amovemus easdem, quæ Pij prædecessoris literas ad terminos Iuris communis, cui per præsentes non intendimus derogare, perpetuò reducimus, ac restituimus, reductásque, & restitutas esse decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, nec non cæteris Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, aliisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt huiusmodi Taurorum agitationes in eisdem Hispaniarum Regnis festis diebus non fiant: & per eos, ad quos spectat, provideatur, ne indè alicuius morte, quoad fieri poterit, sequatur.* Hucusque Clemens præfatus, qui in sequentibus, admonet Clericos, & hortatur, ne hac sua abutantur benignitate.

Quibus suppositis, difficultati propositæ, An scilicet hodiè denegandi sit Ecclesiastica Sepultura in congressu cum Tauris, aut aliis feris morientibus, respondeamus.

Duæ sunt in hac controversia sententiæ. Prima affirmat. Illam tenet Samuëllius *in praxi, de Sepult. tract.* 2. *disp.* 1. *controv.* 8. *conclus.* 1. Ioann. Bapt. Ventriglia *in praxi rer. notab. annot.* 52. §. *vnico, num.* 11. 14

Probatur hæc sententia *primò*. Ideò Concilium Lateranense *cap.* 20. relato *in cap. Felicis, el* 1. *de Torneamentis*, Torneamenta sub pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ prohibuit, quia indè mortes hominum sæpè proveniunt. Sed ex Taurorum & aliarum ferarum agitatione sæpissimè etiam hominum mortes proveniunt: ergo Concilium præfatum etiam prohibuit huiusmodi Taurorum, & ferarum agitationes sub eadem pœna privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ. Maior ex textu ipso *Disquisit.* 9. *præced. n.* 6. exscripto apparet. Minor experientiâ quotidianâ constat. Consequentia etiam patet. Quia vbi eadem est Iuris ratio, eadem est Iuris dispositio, *l. Illud, ff. ad legem Aquiliam.*

Secundò. Clemens VIII. in recensita Clementina, literas Pij V. agitationem Taurorum, & aliarum ferarum prohibentes ad Iuris communis reduxit terminos. Ergo supponit Clemens præfatus, prohibitionem contentam in Piana Constitutione, & illius materiam in iure contineri communi. Sed in nullo Iuris communis textu habetur expressè huiusmodi prohibitio, vti admittunt vterque Roderiquez, & Barbosa, contrariæ assertores sententiæ. Ergo implicitè, & virtualiter in aliquo continetur. Hoc non potest aliud esse, quàm in quo ratio adsit eadem. Ergo cum eadem sit in Piana, ac in *cap. Felicis*, reducendo Pianam Clemens ad terminos Iuris communis, illam ad terminos *cap. Felicis* reduxit. Et per consequens necessariò, pœna in illo inflicta morientibus in Torneamentis, privatio scilicet Ecclesiasticæ Sepulturæ inflicta etiam erit, & certè hodiè applicanda decedentibus in congressu cum Tauris, aliisve feris. 15

Sententiam negativam tenent Emmanuël Roderiquez *tom.* 3. *quæst. Regul. qu.* 68. *art.* 2. *versic. Tertiò notandum est*, cum Alcocer *tract. de Ludo, cap.* 53. *concl.* 5. *pag.* 198. Hieronymus illius nepos *in Compend. dict. quæstion. resol.* 134. *num.* 3. *pag. mihi* 950. Augustinus Barbosa *in d. cap. Felicis, nu.* 7. & illam approbare videtur Scortia *in Select. Summorũ Pontificum Constitutionum Theorem.* 245. *in fine.* Huius sententiæ vnicum est fundamentũ. Videlicet, quod lex pœnalis, non debet extendi ad casus, etiam similes. In Lege autem *cap. Felicis*, solùm agitur de Torneamentis, non verò de Tauris, aut alias feras agitantibus. Ergo isti non veniunt in illius dispositione. 16

CONCLVSIO.

Probabilis quidem hæc sententia est, sed prima mihi probabilior probatur, & verior, ob ea, quæ pro illa adduxi, quæque maximè meum vrgent intellectum ad illi assentiendum, illam propugnandam. Sed quia in favorem animarum in prædictis spectaculis decedentium, & in solatium pariter vivorum deservit negativa sententia, & ad sedandas conscientias in casibus contingentibus, in praxi ab illa non discedo. 17

Miror tamen aliquos ex Doctoribus hanc sententiam negativam tenoribus extendere dispositionem *cap. Felicis*, factam circa torneamenta,

ad Hastilidia tanquam ad diversos ludos, ea de causa, quia militer eadem ratio in istis ac in illis, & quod extendere illam nolint ad Taurorum agitationem, in qua quod eadem sit, & fortè maior, nefas sit dubitare. Congredi enim, & pugnare cum bestiis ad ostensionem vitium, & audaciæ, quoddam bestialitatis genus est, & inhumanitatis facinus.

18 Pro coronide resolutionis istius, tria ex diplomatibus Pontificiis in ea recensitis, pro Regularibus, tàm Monachalibus, quàm Mendicantibus, imò & pro fratribus cuiuscumque ordinis militaris, quos vulgò *Freyles* vocant sacris Ordinibus initiatis, adnotari duxi. *Primum* est, Constitutioni Pianæ minimè per Gregorium XIII. aut Clementem VIII. quoad præfatos derogari Regulares, sed in suo robore, & firmitate hodie permanere, quod in illa Sanctissimus disposuit Pontifex. Ita Emmanuël Roderiquez *d. quæstione* 68. *art.* 2. *versic. Quartò notandum.* Hieronymus Roderiquez *illius Compendio, resol.* 143. *n.* 2. Ioann. Bapt. Scortia *Theorem.* 246. Ioannes Azorius *Institutionum Moralium, par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 15. *versic. Tertiò.*

Et patet ex vtraque Gregoriana, & Clementina Constitutione, excipiente recensitos omnes Regulares. Et licet in Clementina de Militaribus, sacris Ordinibus initiatis expressa mentio non fiat comprehenduntur tamen in eius exceptione, sicuti & Canonici Regulares, vti benè Hieronymus Roderiquez *dicta resol.* 134. *n.* 4. Lezana *tomo* 1. *Summæ quæstionum Regularium, part.* 1. *cap.* 10. *num.* 6. & alij docent. Quia omnes illi sunt Regulares Ordinum, & Institutorum à Sede Apostolica approbatorum. Imò & dicti militares professi, etiamsi sacris non sint initiati, per Clementinam excipiuntur, vti idem Hieronymus asserere videtur, & verba absoluta Constitutionis illius demonstrant, ibi: *Cæterisque cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularibus exceptis.*

19 *Secundò* adnoto, Pium V. Regularibus interdixisse, assistentiam agitationis Taurorum, & ferarum aliarum, sub excommunicationis pœna, non latæ, sed ferendæ, & comminatoriæ. Ita ex illius apparet contextu, & docent Lezana *vbi proximè* Emmanuël Roderiquez *loco allegato, versic. Secundò est notandum,* Scortia *dicto Theorem.* 246. Azorius *cap.* 15. *recensito, versic. Tertiò notandum,* ibi: Item nota, esse sententiam excommunicationis non latam, sed ferendam, & ipso facto incurritur, sed post monitionem, Episcopus potest excommunicationem ferre.

20 Hæc Azorius; sed quod de Episcopo ille dicit (quia scilicet ibi agebat non de Religiosis, sed præcipuè de Clericis Sæcularibus, vti legenti patebit) dico ego de Prælato Regulari, qui Regularium est Iudex proprius, privativè quoad Episcopum, qui nequit Regulares exemptos excommunicare, vtpotè à sua iurisdictione exemptos. Nec potest illos declarare incursos in censuris à Iure, aut Constitutionibus Apostolicis contentis, vti benè, latéque probat doctus Bruno Chassaing *in Privilegiis Regularium, tract.* 2. *cap.* 5. *proposit.* 6. *Primò*, Quia denunciare, & declarare aliquem excommunicatum est illud excommunicare, cum denunciatio, aut declaratio vltimatos excommunicationis effectus producat. Sed Episcopus non potest Regulares excommunicare, vtpotè à sua exemptos iurisdictione: imò nec potest in casibus in quibus ratione curæ animarum Ecclesiarum Religioni vnitarum, eius subest visitationi, vti dixi *in quæstion. Pastor. part.* 1. *q.* 2. *divis.* 1. *n.* 10. Ergo nec potest illum declarare excommunicatum à Iure.

Secundò, quia ad eum spectat declarare excom- 21
municatum, qui est Ordinarius excommunicati, in sententia Toleti *in Summa, lib.* 1. *cap.* 12. Abbatis, Innocentij *in cap. Pastoralis*, & Decij ibi, §. *Verùm, in fine, colum.* 4. & 53. *de Appellationibus*, argumento *can. Iure,* 11. *quæst.* 3. & *cap.* 1. *de Tregua & pace*; nisi sit excommunicatus ab homine, vt dictus limitat Decius, quia tunc causa per vnum cœpta non potest ab alio perfici. Sed Episcopus non est Ordinarius Regularium exemptorum, sed illorum Regulares Prælati. Doctores *in cap. Decernimus, verbo Ecclesiarum Prælati, el* 2. *de Iudicijs*, & *in cap. Exigit, el* 2. *Censibus, lib.* 6. expressè in Tridentino *sess.* 14. *de Reformatione, cap.* 15. habetur distinctio inter Episcopum, & alium Superiorem Ordinarium: & latè ego ipse probavi *in Disquisitione Pastorali, de Iure, & potestate Prioris Conventualis annexi, num.* 95. 96. 97. 113. *&* 133. *in quæstion. Pastor. de Iure, & potestate Paroch. Ecclesiar. vnitar. par.* 3. *quæst.* 13. *num.* 7. Superiorem quemlibet localem, quocumque appellatum nomine esse suorum subditorum verum, proprium, & rigorosum Ordinarium, iurisdictione quasi Episcopali pollentem, imò neque respectu Religiosorum particularium non exemptorum est Episcopus Ordinarius, nisi ad summum in actu visitationis suorum Prælatorum localium, qui sunt illorum veri Ordinarij, vti benè noster docet doctissimus Ioannes Caramuel *in Theologia fundamentali, fundam.* 43. *nu.* 1120. quem recensui *Disquisit.* 6. *dub.* 3. *in fine.* Ergo ad huiusmodi Prælatos Regulares privativè, quoad Episcopum spectat declarare, & denunciare excommunicatum subditum suum. Duos enim Ordinarios immediatos, simul circa idem crimen, subiecto non patitur.

Tertiò, quia quotiescumque media necessaria ad 22
declarationem prædictam alicui prohibentur, consequenter prohibetur potestas declarandi. Sed media necessaria ad declarationem excommunicati Religiosi, saltem exempti, Episcopo prohibentur. Ergo prohibita est Episcopo potestas declarandi excommunicatum Religiosum exemptum. Maior patet. Quia nisi per media necessaria ad finem perveniri non potest.

Minorem autem sic probo. Media necessaria ad hoc vt aliquis, seu quilibet legitimus Superior possit denunciare, & declarare aliquem excommunicatum à iure, siue iste Sæcularis, siue Regularis sit, est illum citare, eius defensiones audire, vt dignoscatur, an incurrerit censuram, nec-ne. Navarrus *tomo* 2. *Consiliorum, lib.* 5. *tit. de Sententia Excommunicationis, consil.* 2. *num.* 2. cuius verba infrà recensebo *coroll.* 1. Fagundez *in Præcept.* 1. *Ecclesiæ, lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 12. & Covarruvias *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 2. *num.* 7. quos refert, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 14. Bruno Chassaing *in Privilegijs Regularium, tract.* 2. *cap.* 5. *proposit.* 6. *versic. Atque hic.* Aliàs enim daretur sententia, contra inauditam partem indefensam, & non citatam: quæ quidem non solùm iniqua, & iniusta, sed etiam penitus existeret nulla, iuxta diffinitionem Clementis Papæ V. *in Concilio Viennensi*, quæ habetur *in Clem. Pastoralis, la* 2. *de Sent. & re Iudic.* ibi: *Dicine ergo sententia meruit, quæ à Iudice.... in absentem non citatum*

tum legitimè, ac inauditum per consequens, & indefensum non maturo fuit iudicio, sed præcipitio, & de tanto præsertim crimine promulgata? & infrà in fine. Nos tam ex superioritate.. sententiam, & processus omnes prædictos, & quidquid ex eis sequuntum est, vel occasione ipsorum, & Fratrum nostrorum consilio declaramus fuisse, ac esse omninò irritos, & inanes, nullumque debere, aut debuisse sortiri effectum, seu nocumentum, vel notam afferri cuiquam, vel quomodolibet attulisse. Sed Episcopus citare non potest Regulares exemptos. Peyrinus de Privileg. tom. 1. ad Constit. 2. Sixti IV. §. 10. n. 5. & tom. 3. cap. 2. ad eandem Constit. num. 5. cum ex l. 2. si quis in ius vocetur: tum ex Armilla verbo exemptio, num. 1. in fine. Vancio de nullit. tit. de nullit. ex defectu cit. n. 28. & Kochier de Exempt. part. 2. q. 6. n. 23. in casu tamen, quod certò sciatur quod sint exempti: nec cognoscere de eorum contractibus, delictisve, iuxta vnam, & alteram Eugenij IV. Constitutionem, pro nobis Benedictinis, incipientem, Etsi ex debito, datam septimo Kalendas Martij, de Anno 1434. lit. 6. & 7. Bullarij authentici nostræ Hispaniæ Congregationis, penes me habiti fol. 15. & 23. & iuxta Constit. Pij Papæ V. Cum intra mentis nostræ arcana in eiusdem Congregationis favorem editam octavo Kalendas Septembris, de Anno millesimo quingentesimo sexagesimo-septimo, in Archivio mei dilectissimi Hyrachensis Cœnobij, authenticam quidem, impressione sigilli illustrissimi Cardinalis Iacobi Sabelli, eiusdem Sanctissimi Pij, Vicarij Generalis, & totius præfatæ nostræ Congregationis Protectoris, munitam, & per Notarium publicum subscriptam, ad servatam, continentemque aliam pro omnibus Mendicantibus Constitutionem, etsi Mendicantium Ordines, decimo-septimo Kalendas Iulij eiusdem Anni editam, ibi: Nec etiam Ordinarij ipsi Regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subiicere, ac eorum Conventus occupare ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt præmittitur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliquid aliud facere possint, vt sua ditioni subiiciantur. Ergo Episcopo prohibentur media, ad declarandum Regularem excommunicatum à Iure, necessaria.

Et sic in facti contingentia declaravisse Senatum Burdigalensem die vndecima Iulij, de Anno 1645. in causa ad illum delata à quibusdam Regularibus, quos Vicarij Generalis Archiepiscopi Burdigalensis denunciaverunt excommunicatos, testatur præfatus Bruno Chassaing; loco recensito, sub his; quæ sequuntur verbis. Videlicet. Curia, faciendo ius super appellationibus, tanquam de abusu interpositi, declarat, Vicarios Generales abusisse, & attentoriè se gessisse in excommunicationis sententia adversus dictos Regulares pronunciata: Decernit insuper, quod processus adversus eosdem Regulares confecti, è Registro Secretariæ Archiepiscopatus extrahantur appellantibus consignandi. Et nihilominùs certis de causis, & rationibus mota Vicarios Generales ab emenda præstanda exonerat. Hactenùs Senatus ille, prout exscribit allegatus Author.

23 Ex dictis infertur, & concludenter quidem; primò, Episcopum non posse declarare excommunicatum Religiosum Clericum notoriè percutientem. Quod & docent noster Iacobus de Graffis in decisionibus aureis, part. 1. lib. 2. cap. 49. nu. 68. fol. mihi 174. ibi. Quod intellige nisi esset exemptus ratione delicti, etiam in loco non exempto, quia tunc non posset denunciari excommunicatus, facit textus in Clem. 2. §. fin. versic. Sibi subiecti, de Pœnis. Doctor Navarrus tomo 2. Consiliorum, lib. 5. tit. de Sent. Excomm. consil. 2. num. 1. in hæc prorumpens. Secundò, quod esto præfati Patres incurrissent excommunicationem, non tamen ab Episcopo, nec ab alio potest, aut debet mandari, vt evitentur, donec citati, & auditi declarentur esse excommunicati per suum Iudicem competentem, iuxta Extravagantem, Ad evitanda, quam etiam nos per alios referimus, & declaramus in Manuali Confess. cap. 27. num. 35. & manifestum est, Episcopum præfatum, non esse Iudicem competentem ad denunciandos præfatos fratres esse excommunicatos: quia non est Iudex eorum, cum sint notoriè exempti ab huiusmodi iurisdictione. Hucusque Azpilcueta.

Tenet etiam Bruno Chassaing de Privilegiis Regularium, tract. 2. cap. 5. proposit. 6. versic. Ex quibus, cum Zerola in Praxi Episcop. part. 1. verbo Excommunicatio, Sorbo in Annotationibus ad Compendium privilegior. Regularium, verb. Exempt. §. 14. & 15. & Portell. verbo Episcopus. Emman. Roderiquez tom. 3. quæst. Regul. quæst. 63. art. 7. versic. Et in favorem: ibi: Adeò hoc est verum, vt quidam affirment, quod si Regularis exemptus percusserit Clericum Regularem, extra Claustra, in Diœcesi Episcopi; non potest Episcopus ipse ipsum denunciare excommunicatum. Hactenùs ille, qui pro se, & nobis allegat redditam Clem. 2. de Pœnis. 24

Laurentius etiam de Peyrinis de Privilegiis; tomo 1. ad Constitutionem 2. Sixti IV. §. 10. n. 13. & 14. constanter tenet, non posse Episcopum declarare excommunicatos à Iure, vel Apostolicis Constitutionibus Regulares privilegium exemptionis habentes, nisi in illis tantum casibus, in quibus id illis specialiter permittitur. Quod ego ipse docui in qq. Pastor. par. 4. q. 1. sect. 2. num. 4. versic. Sed vt scias velim, cum Lezana tom. 1. par. 1. cap. 11. num. 15. Ratio autem est (inquit Peyrinus) nam in vniversaliter exemptos Ordinarius non habet iurisdictionem, nisi ei specialiter in aliquo casu tribuatur, vt constat, & habetur in Clem. vnica de Excessibus Prælatorum. Bariola in Aphorism. verbo Episcopus. In quibus tamen casibus docet Peyrinus non posse sic declaratos absolvere, quia non sunt eius subditi, sed id ad Superiorem pertinere Regularem. Pro quo allegat Abbatem in cap. Significasti, de foro competente, num. 11. Angelum, & Armillam verbo Exemptio, num. 6. & 9. Piasecium in praxi Episcop. parte 3. cap. 3. de Visitat. Regular. versu Ad extremum ponendum, pag. 193.

Et advertit præfatus Doctor numero 12. quod censura contra Regulares exemptos ab Episcopo lata in neutro est servanda foro ex cap. Sanè, cap. Cum ad quorundam, de Excessibus Prælat. Navarr. in Manuali, cap. 27. nu. 3. & 4. & Sylvestro verbo Excommunicatio 2. num. 1. casu 1. Henriquez lib. 7. de Indulgentiis, cap. 25. num. 7. Et reddit rationem hanc: quia exemptio Religionis est notoria populo, & Ordinarijs, cap. Ex parte, el 1. de Privilegiis. Et num. 15. ait, quod si Ordinarius citet Regularem, citatio est ipso iure nulla, cum sit à Iudice non competente; & contra privilegium notorium. Et quod censura non ligetur si non comparet. Addit tamen; comparere tamen debet, & allegans privilegium proponere declinatoriam 25

riam fori, & sic recedere. Henriquez *loco citato, num.* 8.

Comparere (inquit) *decet*, non dicit comparere *debet*; quia revera non tenetur. Cui innixus doctrinæ, Didacus de la Fuente Hurtado, Societatis Iesv, Rector Collegij Annunciationis Pampilonensis, vir quidem valdè doctus cum ad instantiam cuiusdam illius civitatis cives, Vicarius Generalis Domini Episcopi, illi sub excommunicationis pœna præcepisset, vt N. Novitium dicti Oratoris filium, in libertate constitueret, vt ipsemet Vicarius illius voluntatem exploraret, an statum illum liberè elegerit (quod de puellis Novitijs statuit Sancta Tridentina Synodus, *sess. 25. de Regularibus, cap.* 17.) noluit obedire, nec comparare quidem ad suam allegandam exemptionem, sed tantùm ad intimationem prædicti præcepti respondit, quod sine animo prorogandi iurisdictionem appellabat ad S. Sedem Apostolicam, & ad eius Illustrissimum Nuncium. Et cum ob prætensam dicti Patris Rectoris contumaciam, Vicarius ad vlteriora processisset, pronunciando declaratoriam contra P. Rectorem, qua certè intimata, ille nihilominùs, tam in publico, quàm in secreto, & tam in divinis, quàm in profanis, veluti non excommunicatum, in omnibus se gessit. Et quod multò magis est, cum pro parte P. Rectoris, eius Procurator in Consilio Regio libellum produceret, in quo dicebat, quod Ordinarius, contra illum, notoriè exemptum, mandata prædicta expedierat: & non obstante appellatione ab illo interposita, volebat eum excommunicatum denunciare, causa ad Supremum Regium Senatum delata, vt declararet vim intulisse Vicarium in relatis, & nihil amplius allegato coram eodem Consilio, nec probato super, dicti P. Rectoris exemptione, fuit per illum declaratum per sententiam, vulgò *Declaracion*, quæ in rem transivit iudicatam, vim intulisse Vicarium. Quod certè contigit *anno* 1659. vt videre licet in actis causæ, quæ coram Ordinario versa fuit in Officio sui Secretarij Michaëlis de Ollo, & coram Regio Senatu, in Officio Marci de Echauri illius Secretarij, coram quo fuit dicta sententia pronunciata *die* 22. *Octobris* 1659.

26 Sed dices, sententia iuxta allegata, & probata debet pronunciari Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 4. *cap.* 5. *dub.* 2. *art.* 4. *respons.* 3. cum D.Thom. 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. Navarro *in Manuali cap.* 25. Bonacina *tom.* 2. *disput.* 10. *quæst.* 2. *pun.* 2. Quomodò ergo licuit Regio Senatui in favorem præfati P. Rectoris, declarare Vicarium Generalem attentatè, & per vim processisse, illum excommunicatum declarando, si ex actis non constabat de P. Rectoris exemptione, nec istam pro illo fuisse allegatam?

27 Respondeo, licuisse Senatui Regio, sic vt præfertur declarare, imò & debuisse illam sententiam pronunciare: quia Dominis Consiliatiis benè constabat extraiudicialiter de exemptione P. Rectoris, & scientiam privatam omnes, & quilibet eorum de illa habebant, & consequenter, de illius innocentia. Vnde quamvis in actis, per testium depositiones probaretur nocens, seu non exemptus, quod tamen non contigit, debuit Regale Consilium, suo modo, illum exemptum pronunciare, vim scilicet Vicarij declarando, iuxta veriorem doctrinam, quam tenet dictus Bussembaū *vbi proximè, respons.* 4. cum Lessio *de Iust. & Iur. lib.* 2. *cap.* 19. *dubit.* 10. Sà *verbo Iudex*, Petro Navarra, Filincio, Bonacina *loco citato, n.* 2. Toleto, Card. de Lugo *de Iust. & Iure, disput.* 37. *sect.* 14. *& alijs.* Laurentius de Peyrinis *in Formulario Prælatorum, lit. P, cap.* 16. *num.* 13. Layman *in Theologia Morali, lib.* 3. *tract.* 6. *de Iudicijs, cap.* 2. *de Iudice, quæst.* 1. *dicto* 3. cum Adriano *quodlibet* 6. *art.* 3. Abbate *in cap. Super quæstionum*, §. *Quia verò, de Officio delegati*, Rosella *verbo Iudex, n.* 16. Navarra *lib.* 2. *cap.* 3. ibi & Angelo *verbo Iudicare, nu.* 7. Lira *in cap.* 23. *Exodi, versu* 2. & Tostatus *ibidem, q.* 1. *circa fin. & q.* 2. *maximè post medium*, ibi: *Dato tamen quod contingat vnum solùm Iudicem tenere veram sententiam secundùm suam conscientiam, & videat cæteros multos quidem in malam conformiter convenire sententiam, repugnare debet.*

Et probatur *primò*, quod Iudex habens scientiam, quod aliquis sit innocens, licet aliàs per legitimos testes probetur nocens, non possit illū cōdemnare in sententia Doctorum istorum, quam sequimur, ex illo *Exodi* 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero devies.* II. probatur *ex cap. Cum æterni* 1. *de sententia, & re iudicata, lib.* 6. vbi punitur Iudex quicquam faciens contra conscientiam III. Quia contra ius naturale est innocentem condemnare: quod quidem ius cuicumque alteri præponderat iuri. 28

IV. Quia si totus populus petat aliquem occidi, quem scit Iudex esse innocentem, non potest Iudex populo consentire, vti Lira, Tostatus, & alij *in locum exodi recensitum*, & Peyrinus *dicto num.* 13. ex textu expresso *in l. Decurionum, Cod. de Pœnis*: vbi Glossa ex hoc colligit, Pilatum malè Christum Dominum condemnasse. 29

Nec inconvenit, aut obstat, quod in communitate scandalum sequatur, si Iudex secundum allegata, & probata in actis non iudicet, sententiam ferat. Quia noster D. Bernardus *in Apologia ad Guillelmum Abbatem*, ita pro veritate fatur. *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Meliùs est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* Et in *cap. Qui scandalizaverit, el* 3. *de Regulis Iuris*, sic decernitur. *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Bernardus ibi agebat de scandalo orto ex prædicatione sanæ doctrinæ. Si ergo sentit, & docet, meliùs esse vt illud ex ista oriatur, à fortiori idem iudicaret in nostro casu, de non relinquenda veritate in iudicio publico, cum præiudicium innocenti inferatur illa relicta: quod quidem mendacium est intrinsecè malum. 30

Deinde (ait Peyrinus) poterit Prælatus declarare habere se scientiam de innocentia existimari rei. Neque refert, quod in dicto casu remaneant infamati denunciator, vel accusator, aut testes: quia si fuerint in dolo, sibi debent imputare; si autem decepti sunt, caveant in posterum à deceptione. Ita Peyrinus *d. n.* 13. *in fin.* & quidem benè. 31

Adnotant tamen aliqui Doctores ex nostræ sententiæ Patronis, quod si causa est civilis, in qua tantum agitur de rebus pretio æstimabilibus, potest Iudex contra suam privatam scientiam, simpliciter ad sententiam ferendam secundùm allegata, & probata procedere. Cum, quia innocens per appellationem potest in integrum restitui. (Quod maximè eveniet, si in secunda instantia se in testem offerat Index primæ, vti potest, & tenetur, & alium favorabilem producat innocens, 32

præsentet

præsentet testem.) Tum etiam, quia Respublica potestatem in suorum civium habet bona, quando bonum publicum id requirit. Quod in hoc casu contingere dicunt, ne scilicet iudiciorum publicorum forma evertatur, maximè cum communi populi scandalo. Ita Paulus Layman *dicto libro* 3. *tr.6. cap.* 2. Busembaom *recensita respons.* 4. cum Lessio *dub.*10. *reddita*, & Bonacina.

Imò addunt, idem efficere posse, in causis criminalibus minoribus, vbi tantùm de pœnis agitur pecuniarijs. Quod eisdem rationibus fulciri potest, eùm censeantur civiles ratione finis earum. Busembaum.

33 Sed redeundo ad corollaria promissa infertur *secundò*, Episcopum non posse declarare Religiosos exemptos, interdictos ab ingressu Ecclesiæ *per cap. Episcoporum, el 8. de Privilegiis in 6.* eo quod scienter celebraverint, vel fecerint celebrari divina in locis interdictis ab Ordinarijs, sive delegatis Iudicibus, vel à iure: aut eo quòd publicos interdictos, vel excommunicatos ad divina officia, seu Sacramenta, vel ad Ecclesiasticam admiserint sepulturam. Et ratio est suprà adducta, quia Episcopus non potest in exemptos Regulares procedere per censuras, aut declarando in illas incurrisse; & illos publicando, nisi ei specialiter per Summum committatur Pontificem, quod vtique in Corollarij casu, non fecit, vt textum allegatum videnti, manifestè constabit. Vnde illud tenet Peyrinus *vbi suprà* in genere, ob istud validissimum fundamentum, & in specie Bruno Chassaing *de Privil. Regul. tr.* 2. *cap.* 5. *propos.*6. *versic. Concluditur secundò.*

34 Cui tamen non assentior asserenti, non posse Episcopum declarare, & denunciare Religiosos exemptos, excommunicatos per *Clement. Religiosi, la* 1. *de Privil.* eo quòd ministraverint absque licentia proprij Parochi Eucharistiam, vel extremã vnctionem, aut Matrimonium authorizauerint, vel eo quod sine facultate absolutionem à censura reseruata per Canonem impertierint. Ducor, quia in prædicta Clementina expressè conceditur ad id plena Episcopis potestas. Nobiscum sentit Laurentius de Peyrinis, *de Priuilegiis tom.* 1. *ad constitutionem* 2. *Sixti IV.* §. 10. *num.* 13. cum Panormitano *in dictam Clementinam num.* 22. Cardinalis *n.*24. & Henriquez *de Indulgentiis, lib.* 7. *cap.* 25. *num.*7. Et in his casibus (inquit Peyrinus) potest Episcopos, citare Regularem ad videndum se declarari excommunicatum. Felinus *in capite Non potest, numero* 3. *de re iudicata.* Verba autem præfatæ Clementinæ, huiusmodi sunt. Videlicet,

„ *Religiosi*, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum vnctionis extremæ, & Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali: aut qui excommunicatos à Canone, præterquam in casibus à iure expressis, vel per priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententiis per statuta prouincialia, aut Synodalia promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna, & culpa absoluere quenquam præsumpserint: excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendã: quos etiam locorum Ordinarij (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè denunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.

35 Hæc omnia Concilium Viennense, in præallegata constitutione *Religiosi* §. *primò* ex qua, *verbo Constiterit*, conuincitur, quod *suprà numero* 22. dictum reliquimus. Videlicet; non posse Ordinarios locorum, in casibus in illa contentis, Religiosos validè excommunicatos denunciare, & publicare, nisi illis priùs citatis, ac auditis, & causæ cognitione præmissa. Ratio est, quia agitur de Religiosorum præiudicio, & Ordinarius in huiusmodi declaratione, fungitur vice Iudicis. Ita docet expresse Glossa *in Clementinam Iudices, verbo Repererint, in fine vnica de officio Iudicis delegati, & in Clementinam Multorum, verbo Constiterit, la* 3. *de Pœnis.*

Potest igitur Ordinarius citare Regulares exemptos in his, & similibus casibus; etsi in citatione exprimat causam, quæ suam fundet iurisdictionem, vt si, v. gr. vocatos Regulares ad processiones publicas, & ipsi accedere neglexerint (loquor de non exemptis ab huiusmodi processionibus) ad comparendum citet, & in citatione causam exprimat citationis: tenentur comparare. Quia Tridentinum *sess.*25. *de Regularibus cap.* 13. concedit Ordinariis facultatem, vt possint Regulares compellere ad interessendum Processionibus publicis. Et idem est in similibus casibus, vti benè Peyrinus, *dicto* §. 10. *num.* 15. docet. 36

Si autem in casu dubio de Iurisdictione, & potestate Ordinarij loci, ab eo citentur exempti Regulares; esto non possit ille de causa cognoscere; ne sit Iudex in causa propria; vti cum Innocentio *in cap. Venerabili de censibus num.*2. & Henriquez *de Indulgentiis lib.*7. *cap.*25. *nu.* 8. docet, vbi proximè Peyrinus, tenentur comparare, & suum exemptionis priuilegium, & rationes allegare. Idem Peyrinus *de Priuilegiis tom.* 3. *cap.* 2. *de addendis circa eandem constitutionem* 2. *Sixti IV. num.* 5. cum Baldo. Perus *de statutis verbo Comparere num,* 3. *tom.* 2. & Syloestro, *verbo Citatio, n.*3. Vbi denuo docet cum, Armilla, *verbo exemptio n.* 1. *in fin.* Vantio *de Nullis. tit. de nullit. ex defectu citationis*, & cum Chokier, *de Exempt. part.* 2. *quæst.*6. *num.*23, citare non posse Ordinarium Religiosos; in casu, quo certò sciatur exemptos illos esse. Et ex eodem Chokier *quæst.*12. *à num.*1. rursus docet; non posse cognoscere, an sibi in exemptis iurisdictio competat. Et cum eodem, *part.* 1. *quæst.* 8. *num.* 11. & Baldo *vbi proximè* docet, quod exemptus, priuilegium emptionis non tenetur Ordinario exhibere, sed vitis probis, vtrinque assumptis. Et tandem cum vtroque asserit, quod si Religiosus citatus non compareat, (in casu scilicet, quod certa sit exemptio, dat dubia quidem) & nihilominùs Ordinarius processum formet, processus nullus sit. 37

Tertium, quod circa Regulares agitationi Taurorum, & aliarum ferarum interessentes, adnotare duxi, in vim Pianæ constitutionis suprà exscriptæ, est mortaliter illos delinquere. Ita docent Petrus de Lorca, *tract. de legibus disp.* 22. *subsit. Secunda Regula, versic. Spiritnales, in fine pag.* 455. vbi ex Caietano *in Summ. verbo Præcepti transgressio.* Navarro, *in Man. cap.*23. *n.*53. & Driedone, *lib.*2. *de libert. Christi cap.*1. *propositi.*2. Gabr. in 4. *dist.*18. *q.*2. *art.*2. & Couar. *in c. Alma mater.*1. *p.*§. 3. *n.*3. hanc tradit regulam. *Excommunicationem maiorem (scilicet) etiam quæ non est lata sententia, sed ferenda esse argumentum culpæ nisi requirat, vt ante-* 38

quam feratur, pracedat admonitio. In quo saltem sensu, veram sentir communem sententiam asserentem omnem excommunicationem (maiorem scil.) sive latam, sive ferendam mortalem arguere culpam. Ex quo sequitur (inquit) minùs benè quosdam opinatos fuisse, non peccasse mortaliter Ecclesiasticas personas assistentes agitationi Taurorum contra prohibitionem Pij V. quam posteà Gregorius X I I I. confirmavit, & Clem. V I I I. restrinzit ad solos Religiosos. Omnes enim qui contra præceptum egerunt, vel egerint, absque dubio mortaliter peccant, eo quod pœna excommunicationis imposita est. Hæc Lorca, cui plurimum favet Caietanus 2.2. *q.*186. *art.*9. circa responsionem *ad* 2. *in medio:* vbi ita ait. Constat in primis, vt tactum est, quod quædam pœna, scilicet excommunicationis maioris, vim contioet præcepti: ita quod quandocumque imponitur, aut inhibetur aliquid sub pœna excommunicationis, sive latæ, sive non latæ sententiæ, obligatur quis obedire, si vult peccatum mortale evadere: quia excommunicationis pœna tantæ indignationis est, vt non nisi propter mortale incurrat, aut demereatur quis illam. Ita Eminentissimus ille Cardinalis. Ioan. Azorius *in Instit. Moralibus, parte* 3. *lib.*2. *cap.* 15. *versic. Tertiò.* Ioan. Baptista Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theorem.* 246. *versic. Ex quibus,* cum Bernardo Diaz *in Pract. crimin. cap.* 66. & Gutierrez *lib.* 1. *quastionum Canonicarum, qu.* 9. *num.*20. Emmao. Roderiquez *tom.*5. *quastionum Regularium, q.* 68. *art.* 2. *versic. Ex quo Brevi.* Hieronymus eius nepos *in Compendio dictarum quastionum, resolut.* 134. *num.* 2. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quastionum Regularium, tomo* 1. *parte* 1. *cap.*10. *nu.*6. Et novissimè Barnaba Gallego de Vera *in docto suo tractatu Explicacion de la Bula de la Sancta Cruzada, cap.*9. *clausula* 9. *part.*2. *dub.*128. cum doctissimo Francisco de Araujo, Primario sacræ Theologiæ in Salmantina Vniversitate Moderatore, Iubilaro, & Episcopo Segoviense *in* 1.2. *D.Th. tom.*1. *quast.* 97. *dispu.* 3. *sect.*3. *diffic.*3. *fol.* 661. Ludovico Lopez 2. *part. Instructory, cap.*31. cum dicto Gutierrez *tomo* 2. *qq. cap.* 7. Palacios *in* 3. *distinct.* 37. *qu.*7. Suarez *in* 3. *par. tom.*5. *disp.*18. *sect.*3. Salas..... *sect.* 9. *num.*58. Villalobos *tomo* 2. *Summa, tract.*12. *difficul.* 20. alios referente Gabriel Vasquez *in* 1.2. *D. Thom. disput.* 158. Ægidius Trullench *in Pracepta Decalogi, tomo* 2. *lib.*5. *cap.* 2. *dub.* 14. idem Magister Gallego eandem sententiam tenens, *cap.*14. *claus.*14. *dub.* 128. circa illius, & operis finem, *fol.* 201. & 202. pro illa allegat, ex Thoma Hurtado *tom.* 2. *suarum resolutionum Moralium, cap.* 7. *resol.* 78. *digressione* 2. illam valdè probabilem iudicante, Petrum Navarra, *de Restitutione, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 368. Marianam, *tomo opusculorum, de spectaculis, cap.* 20. & 21. & Hieronymum Roderiquez.

Quibus addit ipse Gallego, D. Thomam à Villanueba, *serm.* 2. *de Sancto Ioanne Baptista,* qui ad æternam advolavit vitam, octava die Mensis Septembris *de Anno* 1555. ac per consequens 12. *ann.* ante editionem Pianæ Constitutionis, prohibentis Taurorum, & ferarum spectacula, & sic absque vlla ad illam relatione docuit Sanctus ille, peccare mortaliter, seu non esse omninò tutos à mortali spectatores, non solùm Religiosos, sed omnes alios.

39 Verba D.Thomæ provt à P. Gallego recensentur, fideliter reddo. *Certè quis tolleret bestialem illam, & diabolicam consuetudinem Hispania nostra de Tauris agitandis?* (& aliquibus interiectis.) *Ego autem, & scio, quod non proderit, faciam, quod debeo, vt animam meam liberem, non tacebo anima, & vestrarum periculum. Itaque denuncio vobis in Nomine Domini nostri Iesu Christi, quod omnes, qui hoc agitis, vel consentitis, vel non prohibetis cum possitis, non solùm mortaliter peccatis, sed estis homicida, & rationem reddetis coram Deo in die Iudicij de hoc, & à vobis exigetur sanguis omnium, qui ab illa bestia, sive in arena, sive in itinere trucidantur: nec solùm vos, sed Spectatores non sunt omninò tuti à mortali, quamvis eos non audeam condemnare; tamen mihi facit de hoc magnam persuasionem Decretum illud Augustini* in cap. Vident homines, 86. *distinct.* vbi sic ait. *Vident homines venatores, & delectantur: va miseris si non correxerint: videbunt enim Salvatorem, & tristabuntur. Hac verba non videntur veniale peccatum, sed mortaliter redarguere vt liquet. O sancte Baptista his profanis. Ludis tuam se putant celebrare Festivitatem, & non celebrant, sed profanant.*

Hæc omnia D. Thomas, ex quibus benè P. Gallego inquit Thomam Hurtado cautelosè, & absque pura fidelitate retulisse mentem huius Sancti, siquidem vt probaret intentum suum, quod non careret probabilitate, venialiter tantùm peccare Religiosos agitationi interessentes Taurorum hæc, & non alia D. Thomæ verba recenset, ex allegato desumpta sermone. Videlicet. *Se non audere condemnare spectatores ludi taurorum.* Truncavit igitur Hurtado Sancti præcipua, & substantialiora verba, quibus suam declarabat sententiam, propalat mentem, inclinatam potiùs ad assentiendum peccare mortaliter, quàm venialiter agitationis Taurorum spectatores.

Libuit pro nostra sententia firmanda Doctissimum Franciscum de Araujo, provt à P. Gallego refertur, recensere. Hinc colligo primò, peccasse mortaliter olim, quoscumque Clericos sacris initiatos, Beneficiarios, & Religiosos assistentes agitationi Taurorum, contra prohibitionem Pij V. & Gregorij X I I I. & modò peccare mortaliter Religiosos, qui tali agitationi assistunt, contra prohibitionem Clementis V I I I. qui dictam legem pœnalem, & prohibitionem prædecessorum Pontificum ad solos Religiosos restrinxit. Intellige etiam secluso scandalo, & contemptu. 40

Hoc corollarium probant Ludovicus Lopez, *secunda parte Instructorij, cap.* 31. Gutierrez *to.* 2. *quastionum Canonicarum cap.*7. Palacios *in Tertiò, distinct.* 37. *quast.* 7. Lorca hîc, *disp.* 22. *dicto* §. *Secunda Regula.* Suarius *disp.*18. *sect.*5. *tomi citati,* & Salas *sect.*9. *n.*58.

Primò, quia habet pœnam gravem arguentem in transgressione lethale peccatum, scilicet excommunicationem maiorem ferendam. Fit enim huiusmodi prohibitio sub pœna excommunicationis absolutè, quæ in Iure supponit pro maiori excommunicatione: eo quod analogum per se sumptum, stat pro famosiori; dum autem non additur verbum aliquod significans latam, aut ipso iure incurrendam, supponit proferenda. 41

Secundò, quia Lex humana in materia gravi, non minùs obligat secluso scandalo, aut contemptu, quàm Lex divina. Hæc autem obligat ad mortale. Ergo & illa. Minor est nota, 12

&

& maior patet, quia authoritas huius Legislatoris, etiam est à Deo, de qua propterea Paulus dixit, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et Christus in Evangelio, *Qui vos spernit, me spernit.*

43 *Tertiò* probatur, quia semper iudicatur obligatio sub mortali, quoties à Iure Canonico, vel à Iudice Ecclesiastico aliquid præcipitur sub excommunicatione absolutè, & simpliciter, nam intelligitur de maiori, quæ incurri non potest, nisi propter peccatum mortale *ex cap. primò, & cap. Romana, de Sententia Excommunicationis in sexto, & cap. Nemo, 11. quæst. 3. & cap. Corripiantur, 34. quæst. 3.* desumpto ex Augustino *q. 39. in Deuteronomium, & libro 2. de Civitate, capite undecimo,* dicente: *Hoc agit nunc excommunicatio, quod in veteri testamento interfectio.* Vnde Theologi citati suam Regulam desumpserunt. Ergo cum dicta prohibitio assistentiæ agitationi Taurorum, sit sub excommunicationis pœna absolutè, ac proindè maioris, quæ gravissima est, & aliàs debet proportionari culpæ, vt docet Augustinus *de Correctione, & gratia, cap. 11.* & quia nullus prudens Rector aliquando pro levi culpa, seriò minatur mortem, qualis est excommunicatio, etiam comminata, seu ferenda, consequens est eam obligare sub mortali.

44 Hucvsque Illustrissimus, Doctissimusque Magister Araujo, cui in explicatione nostræ sententiæ, quod peccent scilicet mortaliter Religiosi agitationi interessentes Taurorum, etiam secluso scandalo, & contempto, consonant quàm plures ex Doctoribus pro ea suprà à nobis recensitis: addentes illam esse veram, etiam in casu quo Religiosi possent adesse dicto spectaculo, sine aliquo scandalo aut nota. Vrget præ omnibus illis P. Luisius de Torres *in Selectis disputationibus Theologicis, centur. 2. dub. 63. pag. mihi* 167. vbi sic inquirit, & resolvit. Videlicet. *An post motus proprios Pontificum prohibentium, vt Religiosi ne intersint agitationi Taurorum, sit probabilis opinio asserentium posse Religiosos interesse tali ludo sine peccato mortali?* Respondeo, iudicio Sapientum, placitum esse omninò improbabile, scandalosum, & parum tutum in praxi, quod nullum habet probabile fundamentum, contra apertum præceptum Pontificum. Hactenùs P. Turrianus. Quia tamen non pauci, & graves Authores docent, quod si quis ex occulto spectet duellum, non peccet mortaliter, nec incidat in pœnas contra spectatores duellorum latas, de quorum numero sunt Ægidius Bassæus *tomo 1. verbo Duellum, num. 9.* cum Filliucio *tract. 15. cap. 5. num. 114.* Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 31.* & Valerio Reginaldo *in praxi, lib. 22. num. 77.* Marcus Vidal *in Arca Vitali, de Duello, inquisit. 5. num. 2.* cum Bonacina *tomo 3. de Censuris in particulari, disp. 2. quæst. 3. punct.* 48. Antoninus Diana *part. 3. tra. 6. resolut. 1. versic. Dico quartò.* Ioannes Baptista Scottia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theorem. 392. versic. Quæres:* & Lessius *de Iustitia, & Iure, lib. 4. cap. 4. dubit. 11. nu. 83.* in hæc prorumpens verba: crediderim quoque aspectum duelli, vel alterius spectaculi prohibiti, non esse mortale peccatum, si quis casu aliquo ex occulto spectet; ac proindè talem non esse excommunicatum... quia tales spectatores non censentur. Nam spectatores vocari non solent, nisi qui in publico se exhibent, & sua præsentia spectaculum cohonestant: & aliàs pœnæ sunt restringendæ. (Hæc Leonardus) non audeo sub lethali condemnare culpa Religiosos agitationem Taurorum ex loco occulto videntes, in vim prohibitionum Pij V. Gregorij XIII. & Clem. VIII. præcisè. Non enim est maior ratio ad hoc vt in isto casu, istæ obligent Constitutiones, (immò multò minor) & quod non obligent, quæ statutæ reperiuntur contra Duellorum spectatores.

Sed dices. Lex, quæ de se iusta est, & honesta, etiam sine scandalo, ad sui adimpletionem, & observantiam obligat. Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 10. num. 6.* cum Roderiquez *tom. 3. qq. Regul. qu. 68. art. 2.* & Flavio Cherubino *in Compendio Bullarum to. 2.* Sed de honestate Constitutionum præfatarum, agitationem prohibentium Taurorum, nemo sanæ mentis dubitare potest, cum barbaros, & gentiles ludos, cruentáque prohibeant spectacula. Ergo obligant Religiosos ad earum observantiam; ad non aspicienda, etiam sine scandalo, & ex occulto spectacula agitationis Taurorum, aliarúmve ferarum. 45

Respondeo, maioré veram esse, quoties voluntas Legislatoris id intendit, & iusta causa, ratióve subditum ab observantia legis non excusat. At in nostro casu non præsumitur Summos Pontifices Pium, Gregorium, & Clementem, voluisse sub mortali obligare Regulares ne agitationem Taurorum, aut aliarum ferarum aspicerent ex occulto, aut sine aliquo scandalo, vel nota: quia sic aspicientes, non censentur interessentes, aut spectatores: quia sic vocari non solent, qui in publico non se exhibent, & sua præsentia spectacula non cohonestant. Quæ quidem ratio, & opinio Doctorũ, quos recensuimus, iustam subministrant causam ad exonerandum à culpa lethali Religiosum aspicientem ex occulto taurorum spectacula, aut sine vllo scandalo vel nota, quamvis Pontifices sub illa id prohibuissent. Opinio enim probabilis, in his, quæ de iure sunt humano, omnimodam tribuit facultatem, concedit à prohibitionibus plenam absolutionem, vti latè probabimus *infrà disquisit. seq. dub. 17. concl. 5.* 46

DISQVISITIO XI.

De ijs, qui in Duello moriuntur.

An Ecclesiastica priventur Sepultura?

BREVIARIVM.

Anathema.

Ab excommunicatione distinguitur tanquam species à suo genere, n. 53.

Dictio *incurrant.*

Denotat latam sententiam, non ferendam, n. 50.

Duellum.

Est duorum bellum: id est, singularis pugna numero 1.

Aliud decretorium est, in quo duellantes hac lege arma mouent, vt cessare non debeant, quo vsque alter occidatur. 20.

Aliud propugnatorium, in quo quis non prouocat, sed prouocatur, & pugnat non animo occidendi, sed se, & suum honorem defendendi: & animo desistendi, si aduersarius desistat, n. 21.

Aliud est satisfactorium, in quo quis graui iniuria

affectus, ad capiendam pugnat satisfactionem cum animo à provocatione desistendi, cum primum adversarius ei satisfacere velit, n.22.

Aliud est purgatorium, quod fit ad purgationem imputati criminis, n.23.

Et aliud est probatorium, quod ad probandum fit aliquam occultam veritatem, n.23.

Aliud denique est decisivum alicuius litis, & causa, num.23.

Proprium, & formale est, quod exercetur inter duos, aut plures in pari numero privata auctoritate, deliberate ab vtraque parte sponte, & ex pacto invicem inito, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, aut vulneris, n.2.

Improprium duellum, est quodcumque certamen inter duos, sive licitè, sive illicitè fiat, n.2.

Duellum proprium committitur quando quis, causa pugnandi, dicit: veni ad talem locum, ibi te expecto: si ab altero acceptatur cum designatione loci, & temporis, n.3.

Quando quis armis carenti, dicit: eas ad capiendum ensem, hîc, vel tali loco te expecto, si ab altero acceptatur; modò non fiat actuali rixa, aut contentione moraliter perseverante, n.4.

Non committitur, si conventio de pugnando in rixa, vel contentione fiat, & in continenti, calore iracundiæ, ad locum aliquem accedunt, & pugnant. 5.

Neque quando duo contendunt, quorum alter, quia arma non habet, in domum se confert, vt eis acceptis, cum altero iam armato pugnet, si in contentione ipsa, se pugnaturos convenerint, & armatus spectet, & postea pugnent, n.6.

Neque si Conventio de pugnando facta sit in rixa, etiamsi tempus intercedat inter conventionem, & pugnam; dummodò intra illud, non se vertant ad actus extraneos à pugna, & prudentis arbitrio, iracundiæ duret calor, n.7.

Neque regulariter si eodem die, quo in contentione fuit pugnandi, conventio, pugna fiat, n.8.

Neque quando vnus alteri pugnam offert, & eodem tempore, quo Duellum offert, gladio aggreditur, & alter cogitur ibi statim pugnare, n.9.

Neque quando exorta rixa in Ecclesia, aut coram aliis, quos reverentur, aut timent, enses non educunt, sed conventione facta de pugnando, in viam aut alium determinatum locum exeunt, vt pugnent, & pugnant, licet tempus intercedat, si ad actiones extraneas non se vertunt, & calor perseverat iracundiæ, n.10.

Neque rixa, quæ ex subita concitatur ira, aut ex altercatione aliqua, n.11.

Neque, qui propter inimicitias, quas habent, cum sibi obviant, se ad pugnandum provocant, & eo pugnant loco, n.12.

Neque duella sunt concertationes, quæ fiunt evulsione capillorum, vel pugnis, aut instrumento non periculoso, n.13.19.

Neque pugna, quæ ad necessariam sui fiunt defensionem, n.14.

Neque si aggressor capessit pugnam cum altero, duellum committit, n.15.

Neque proditor, qui consultò aliquem ex insidiis invadit, num.16.

Neque si Dux vnius exercitus aliquos mittat milites, vt pugnent cum totidem exercitus contrarij, num.17.

Neque bellum authoritate Principis indictum, n.18.

Neque ludrica, seu scrima, n.19.

Prohibuit Duellum Constatinus imperator, n.2.

Prohibuit Nicolaus Papa 25. *Calestinus III.* 26.27 *Alexander III.* 28. *Iulius II.* 30. *Leo X.* 31. *Clemens VII.* 32. *Pius IV.* 45. *Gregorius XIII.* 34. *Clemens VIII.* 42. *Paulus V.* 52.

Prohibuit Concilium Valentinum, n.29.

Tridentinum, n.33.46.

Duellum privatum, ex quacumque causa initum, prohibitum est, n.35.42.

Sub excommunicatione lata sententia, 34.36.42.46.50. *est reservata*, n.42.

Afficit excommunicatio, mandantes, instigantes, favorem duellantibus dantes, &c. num. 34. 37. 42.46.

Afficit eos, qui ex industria, & non casu duella aspiciunt, n.34.38.42.46.

Afficit comitantes, nisi comitentur, vt duella impediant, n.39.42.46.

Non afficit duellatores, etiam post accessum ad locum designatum, si non pugnent, n.40.

Excommunicatio Tridentini in causa duelli, non est lata, sed ferenda, & non reservata, n.50.

Clericus duellator deponendus venit, n.28.

Sepultura Ecclesiastica privantur morientes in duello, n.54.

Communicates duellum permittentes, interdicto Papa reservato subiacent, n.45.

Pœna duellantibus, & duellum permittentibus in terris Ecclesiæ, inflicta, recensentur, n.44.43.45.

Pœna pro toto mundo inflicta Christianis, in causa duelli non privati, sed solemnis, n. 46.

Duellum inter Turcas permittens, dummodo aliquis Christianus non sit ex exercentibus illud, pœnas Tridentini non incurrit, n.49.

Effectus Formalis.

Non datur esse existentia, sine eius causa formali, num.2.

Monomachia.

Græcum nomen est, idem significans, quod latinum Duellum, n.1.

PRo disquisitionis istius intelligentia suppono. 1
Duellum idem esse: quod *duorum bellum*: id est singularis pugna, seu Græcè *Monomachia* Ioannes Bapt. Lezana, *in Summa quæstionum Regularium tom.2. part.3. Verbo Duellum num.2.* cum Sylvestro, *verbo eod. num.1.* & Ioanne Beck, *in quinque præcepta, exposit. 3. cap. 4.* Eligius Bassæus, *tom.1. verbo Duellum num.1.* Passeratius *in Dictionario,* ibi *Duellum, i, à duobus ab antiquis dicebatur, quod postea dictum bellum.* Ioannes Caramuël *in Theologia Fundamentali, num.412.* Ioannes Bapt. Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theoremate* 390. Marcus Vidal *in arca vitali, de Duello in prænotatis, num. 2.* Antonius de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali examine 7. cap.2. §.7. num. 22.* Ausonius Noctinot, *in Compendio Dianæ, verbo Duellum, num.1.* Martinus Becanus, *de Virtutibus Theologicis capit.26. de Duello, num.1.* Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.1. tract. 6. cap. 2. num. 36.* Binsfeldius *in Enchirid, part.3. cap. 12. de 5. præcepto §.5. de Bellis fin.* Hermannus Busembaum, *in Medulla Teologiæ, lib. 3. tract. 4. cap. 1. dubit. 5. art. 1. in princ.* Glossa *in can. Monomachiam, 2. quæst.3.*

Dupliciter accipitur Duellum, propriè, & impropriè. 2
Impropriè sumitur pro quocumque certamine inter duos, sive illicitè, sive licitè illud fiat. Propriè autem Duellum, *est certamen, bellum, seu pugna inter duos, vel plures in pari numero, privata authoritate, deliberata, ab vtraque parte, sponte, &* ex

ex condicto, id est ex pacto invicem inito, statuto loca, & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. Ita Bassæus, Busembaum, *vbi proximè*, Ludovicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tom.2. tract.17. disp.7. sect.2. num.23.* Lezana, *loco citato*, cum Bonacina, *de Censuris, disp.2. quæst.6. punct. 2. num. 1.* Vidal *de Duello, inquisitione 4. num.2.* vbi pro Constitutivis essentialibus Duelli proprij, & formalis assignat *locum determinatum, & statutum tempus*, vtrumque *sponte, & ex communi consensu assignatum.* Sic enim ait. Per Bullam Clementis V I I I. excommunicantur committentes Duellum formaliter tale: Sed huiusmodi non est quando decertatur nullo statuto tempore, vel determinato loco: ergo neque etiam incurritur excommunicatio. Maior est evidens. Minor probatur. Locus determinatus, & statutum tempus ingrediuntur essentialia constituentia Duellum proprium, & formale: ergo his sublatis, pugna illa, quamvis sponte, & ex condicto pro vtraque parte commissa, nunquam erit duellum formale, & proprium: quia destructo constitutivo essentiali rei destruitur etiam res ipsa. Quoniam in esse existentiæ non datur effectus formalis sine eius causa formali: ergo per duellum commissum sponte, & ex condicto, nullo tamen assignato loco, & statuto tempore, non contrahitur excommunicatio Bullæ Clementis V I I I. Nam illud erit tantùm duellum de nomine, non de re. Hucusque P. Vidal.

3 Ex quo infero *primò*. Duellum committi, quando causa pugnandi vnus dicit, *veni ad talem locum, ibi te expecto*: Ratio est, quia ibi adest (si tamen ab audiente acceptatur) pactum cum designatione loci, & temporis, scilicet præsentis. Et ita docent Lezana *dicto, num. 2.* cum Sanchez *in Decalogum tom.1. lib.2. cap.39. num.28.* & Bonacina *vbi proximè, num. 6.* Ioannes Bapt. Scortia, *Theoremate 392. versic. Ex dictis*, cum Valerio Reginaldo *lib.21. c.7. n.73.* Martinus Delrius, *Disquisitionum Magicarum lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect.2. prope finem*, ibi: immò, &c. Caspensis, *num.23*, August. Barbosa in Collenea Doctorum in Tridentinum, *sess.25. reformat. cap. 19. num.10.* cum Peregrino, *de Duello, quæst. 15. num. 3.* & Bonacina, *de censuris in particulari, disp.2. quæst. 3. punct.48. num.7.* idem Barbosa, *in cap. Cura, num.6. et 1. de Purgatione Vulgari.* Bassæus, *num.2.*

4 I I. Infero, Duellum committi, quando qui videt alterum ense carere, aut aliis armis ad pugnandum aptis, illi dicit, *eas ad capiendum ensem hic, vel in tali loco te expecto.* Si enim acceptatur cum periculo mortis, mutilationis, aut vulneris, pugna initur ex prævia conventione, statuto loco, & tempore. Et sic cum essentialibus duelli. Docet Bassæus cum Florono, *de Duello, cap.1. & 2.* Peregrino *eod. tract. quæst.18.* Filliucio, *tom.1. tract. 15. c.5. num.112.* Ioannes Baptista Lezana, *num.3.* cum Sanchez *in Decalogum, tom.1. lib.2. cap.39. n.28.* & Bonacina, *de Censuris, disp.2. quæst. 6. punct. 2. num.6.* Sic enim fatur Lezana. Similiter, quando aliquis iniuria ab alio affectus, videns ipsum ense carere, dicit ei; abi, affer ensem, hic te expecto, vel in tali loco. Propter eandem rationem. Scilicet nam ibi adest pactum, cum designatione temporis, & loci. Hoc tamen Corollarium, intelligi debet in casu, quo dicta non contingant in actuali rixa, aut contentione, quæ moraliter perseveret, iuxta Corollarium sequens.

5 I I I. Infero, non esse essentialiter Duellum, si conventio de pugnando, in rixa sit facta, aut contentione, & in continenti, calore iracundiæ; ad locum aliquem accedunt ibique pugnant. Ita Barbosa *in Collect. Doctorũ in Trident. loco citato n.14.* quatenus cum Iosepho Ludovico Lucensi, *decisione 11.* Cenedo *ad Decretales, collect.117. num.4.* & Aloysio Riccio, *in Praxi rerum fori Ecclesiastici, decis.634. in 1. editione, alias resolut. 573. in 2. edit.* docet à pœnis excusari Duelli, qui calore iracundiæ in continenti ad locum accederent aliquem, ibique pugnarent. Ita & Lezana *tomo Consultorum, consulto 49. num.31.* cum eisdem Ludovico, & Cenedo, & cum Florono *tract. de Duello, cap.6. §.2.* & cum Filliucio, *dicto, tom.1. tract.15. cap.5. quæst.5. num.107.* Antoninus Diana, *part.3. tract.6. resol.1. versic. Dico vndecimò*, cum Flavio Cherubino, & aliis. *Et part.6. tract. 6. resol. 21.* Bassæus, *tom.1. verbo Duellum, num.9.*

I V. Infero, quod si duo invicem contendant, 6 quorum alter, quia ensem non habet, in domum se confert vt eo accepto, cum altero iam armato pugnet, dato quod in contentione ipsa se pugnaturos convenirent, & vt armatus expectet, & postea pugnent; non committunt formaliter duellum, quia non tàm ex condicto, quàm ex contentione & rixa, exorta fuit pugna. Ita Diana, & Bassæus, *vbi proximè.* Et ratio est. Quia licet duæ sint actiones physicæ distinctæ conventio, & pugna; est tamen vna actio Moralis, cuius principium fuit in rixa.

V. Infero, non esse Duellum, si conventio de pugnando facta sit in rixa, esto inter conventio- 7 nem, & pugnam tempus intercedat, dummodo intra illud temporis spatium, non se vertant pugnantes ad actus extraneos, & alienos ab ipsa pugna, & prudentis arbitrio duret iracundiæ calor. Ratio est. Quia conventio, & pugna est vna actio moralis continuata, & in ipso iracundiæ calore facta: & durante calore, prudentis arbitrio est pugna sequuta: ergo pugna illa rixa dicenda est, & non duellum ex condicto factum. Quia in actionibus Moralibus semper principium attenditur. Ita Diana *part. 6. tract. 6. resol. 21.* cum Suarez *tom. 4. in 3. part. disp.22. sect.15. n. 21. & 22.* Bassæus, *verbo Duellum, num.2.*

V I. Infero, quod si pugna eodem die fiat, quæ 8 in contentione, & rixa facta fuit pugnandi cõventio, (regulariter saltem) non committitur in ipsa, pugna formale duellum: Et ratio est quia ex prudentium existimatione, creditur ex ipso iracundiæ calore factum. Ita docet. Diana *vbi proximè*, cum Menochio *de Arbitrariis Iudicum lib. 2. centuria 4. casu 361. num. 53. &* Mascardo *de Probationibus, consilio 98. num. 28.* Ac per consequens est vna moralis actio, ex rixa procedens. Idem Diana cum Bonacina, *tom.3. disp.2. quæst.3. punct.48. num.8.* & Peregrino, *de Duello quæst. 22. num. 21.* Vnde à fortiori, infero.

V I I. Duellum non committi, quando Petrus 9 v.g. offert Ioanni pugnam, illumque eodem tempore, quo Duellum offert, gladio aggreditur, & Ioannes cogitur ibi statim pugnare. Quia ex parte Petri aggressio, & ex parte Ioannis defensio est, quam non sponte, sed coactè suscipit: nec assignatio loci, & temporis adest. Docet expressè Barbosa, *in Collect. ad Concilium Trident. sess. 25. de reformat. cap.19. num.13.* cum Peregrino, *vbi proximè, quæst. 23.* Filliucio, *tom. 1. tract. 5. capit. 5. num. 10. & tract. 29. cap. 8. num. 107.* & 110. & Bonacina *to.3. de Censuris, disp.2. quæst.3. punct.48.*

*num.*8. *&* 9. Et adde. Quia non intercedit tempus inter aggressionem. & defensionem. Idem Barbosa, *in cap.Cura, num.*4. *el* 1. *de Purgatione Vulgari.* Et ibi, *num.*10. ita fatur.

Calor iracundiæ excusat quem à pœnis duelli, si in continenti accederet ad aliquem locum, ibique dimicaret, vt per Iosephum Ludouicum, Lucensi *decis.* 11. Cenedum *ad Decretales, collectanea* 117. *num.*4. Aloysius Riccius, *in Praxi rerum fori Ecclesiastici*, *decis.*634. *in prima editione aliàs resolutione quingentesima, septuagesima tertia, in secunda editione.* Sic Augustinus præfatus. Cui consonant Bassæus, *tom.* 1. *verbo Duellum*, *num.* 2. & Diana, *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 21. ex Suarez *tom.*4. *in* 3. *part. disp.*22. *sect.*5. *num.* 21. *&* 22.

10 VIII. infero, quod si duo, exorta in Ecclesia rixa, ibi ob loci reuerentiam enses non educunt, sed conuentione facta de pugnando, in viam, vel in alium determinatum exeunt locum vt pugnent, & de facto pugnant, licet inter conueorionem, & pugnam temporis intercesserit spatium, & illa sit in assignaro loco sequuta; tameo si ad actiones extraneas, & à pugna alienas non se vertunt, sed calore iracundiæ durante, in rixa excitato, pugnam committunt, non est duellum ex condicto dicendum, sed pugna ex rixa exorta. Et consequenter, non incurrunt duellantium pœnas. Ita Diana, *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 21. Lezana, *verbo Duellum, num.* 3. qui non solùm id docet in casu proposito de Ecclesiæ reuerentia, sed in omni duellanti, seu potiùs pugnaoti periculoso, eo quod inimicus ibi habeat adjurores. Air enim. Aliter tamen dicunt sentiendum (scilicet Sanch. *lib.* 2. *in Decalog. cap.*39. *num.*28. & Bonacina, *de Censuris, disput.* 2. *quæst.* 6. *punct.*2. *num.*6. ex Farinacio *volum.* 1. *cons.* 9. *in fine.*) quando aliquis inimicum suum in Ecclesia, aut loco sibi periculoso existentem, eò quod alter habeat ibi adjutores, dicit, exeamus hinc, non determinando locum, sed solùm fugientes Ecclesiæ irreverentiam, & suum periculum. Doceretiam Barbosa *in cap. Cura, num.* 9. *el* 1. *de Purgatione vulgari*, & *in Collect. DD. in Tridentinum, loco citato, num.*11. cum Peregrino *de Duello, quæst.*18. Florono *eod. tract. cap.*1. & Filliucio *tomo* 1. *tract.* 15. *cap.* 5. *num.* 11.

11 IX. Infero, quod Rixa, quæ ex subita concitatur ira, aut ex aliqua altercatione, Duellum non sit, cum ex condicto, & pacto inito non fiat, sed veluti casu. Docent Lezana *num.* 2. Bassæus *verbo Duellum*, *num.* 1. Scotria *Theoremate* 390. Caspensis *tom.*2. *tract.*17. *disput.*7. *sect.*2. *num.*3. Barbosa *in cap. Cura, num.*4. *el* 1. *de Purgatione vulgari*, cum pluribus, quos pro more recenset suo. Vidal *in Arca vitali*, *de Duello*, *inquisit.* 4. *n.*35. *&* 38.

12 X. Infero, Duellom non committere, qui propter inimicitias, quas inter se habent, cum sibi obviant, se ad pugnandum iovitant, & eo loco pugnant: etiamsi vnus alteri dicat: Distringe ensem vt pugnemus. Ratio est. Quia non fit conventio mutua circa locum, & tempus. Ita Lexana *num.*2. Bassæus *n.* 2. Barbosa *in Collectanea Doctorum in Tridentinum, sess.* 25. *de Reformat. cap.* 19. *numero* 20. cum Bonacina *de Censuris extra Bullam Cœnæ*, *disputat.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 48. *numero* 7.

13 X I. Infero, concertationes, quæ vel inter mulieres, vel inter viros fiunt evulsione capillorum, vel pugnis, aut instrumento aliquo non periculoso, Duella non esse. Quia non exercentur cum periculo mortis, mutilationisve; docet Lexana, cum Filliucio *tom.*1. *tract.*15. *cap.*3. *n.*107. Peregrino *de Duello*, *quæst.* 2. & Bonacina, *de Censuris*, *disputat.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 1. Marcus Vidal *inquisit.*6. *de Duello*, *n.*37. Bassæus *num.* 1.

14 X I I. Infero, pugnam, quæ fit ob necessariam sui defensionem, Duellum non esse. Ratio est, quia in ea regulariter non est deliberatio, saltem ex parte aggressi. Et quia non exercetur ex condicto, & pacto mutuo. Docent Abbas Panormitanus *in cap. Porrò*, *num.* 1. *el* 1. *de Clericis pugnantibus in Duello.* Bassæus, *numero* 2. Vidal, *num.*52. Ioanes Baptista Lezana, *tom.*2. *part.* 3 *verbo Duellum*, *num.* 18. cum Sanchez *in Decalog. lib.*2. *cap.*39. *n.*18.

15 XIII. Infero duellum non committere aggressorem, qui ex proposito capessit pugnam cum altero. Quia non intervenit mutua pugnantium Conventio. Ita Bassæus *num.* 1. Allegat Gregorium Sayrum, *in clavi Regia lib.*7. *cap.*13. *num.* 11. Valentiam, *tom.*3. *disp.*3. *quæst.*17. *punct.*1. Bannez 2.2. *q.*40. *art.*1. Filliucium, *tract.*5. *num.*107. Bonacinam *de Censuris*, *disp.*2. *quæst.*6. *punct.* 2. Salonem *q.*64. *art.* 3. *conc.*3. & Sylvium, 2.2. *quæst.*41. *artic.*2.

16 X I V. Infero, nec Duellum committere proditorem, qui consultò aliquem invadit ex insidiis. Ratio est, quia noo intervenit mutua conventio deliberata ab vtraque parte, sponte, statuto loco, & tempore. Docet Bassæus, *dicto num.* 1.

17 X V. Infero, Duellum non committi, quando dux vnius exercitus aliquos mittit milites, decem v.g. ad pugnandum, cum aliis decem exercitus contrarij. Et est ratio: quia huiusmodi pugna non ex privata, sed ex publica fit authoritate. Ita docent Lezana, *verbo Duellum, num.*2. Scortia, *theoremate* 392. *versic. In altera.* Cum Gregorio de Valentia, 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 1. Gregorio Sayro *in Clavi Regia*, *lib.*7. *cap.*13. *num.*16. Valerio Reginaldo, *lib.*21. *cap.*7. *num.*78. *&* 80. & Peregrino, *de Duello, quæst.*1. Axorius, *part.* 3. *lib.*2. *cap.*5. *quæst.*4. sed de hoc latiùs *infra dub.* 3. *Conclusione*, 8.

18 X V I. Infero Bellum, Duellum oon esse, ob rationem modò in præcedenti redditam corollario. Indicitur enim Principis authoritate, & non ex privata pugnâtim. Docent Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, num.*412. Lezana, *n.*2.

19 X V I I. Infero Ludicram, quæ scrima dicitur, Duellum non esse. Ita Æligius Bassæus, *tom.*1. *verbo Duellum, num.*1. vbi in sequentia prorumpit. Ex hac diffinitione Duelli benè perpensa, Duellum non est Indicra, quæ dicitur scrima, Ludus Troianus, hastiludium, item concertatio, quæ vel inter mulieres fieret evulsione capillorum, vel inter viros, pugnis solummodò, aut alio iostrumento non periculoso. Hæc ille.

20 Duellum propriè dictum, & de quo in præsenti dissero disquisitione, dividit noster Ioannes Caramuël *in Theologia Fundamentali, fundamento* 10. *quæst. de honore, num.*412. *pag. mihi* 111. in Decretorium: Propugnatorium: & satisfactorium. Decretorium Duellum, est illud in quo duellãtes hac lege arma movent, vt cessare non debeant quovsque alter occidatur. In Duello enim decretorio (inquit) confligunt, qui in vivis simul super esse non volunt.

21 *Propugnatorium* Duellum contingit, quando quis

quis arma miscet qui invaditur, qui ad locum designatum egreditur animo suum honorem conservandi, non autem adversarium occidendi: putans adversarij mortem per accidens eventuram: non sibi, sed provocatori imputandam. Quia ipse paratus desistere à Duello, si alter à provocatione desistat. Est igitur Propugnatorium Duellum, in quo homo non provocat, sed provocatur.

12 *Satisfactorium* Duellum: illud est quando quis gravi affectus iniuria, instituit, & satisfactionem in Martis postulat tribunali, paratus tamen à provocatione desistere, cum primum adversarius satisfactionem congruam ei dare velit.

13 Praeter has tamen Duelli differentias, quin aliae sint, non dubito. Quia aliquando fieri solet, ad purgationem criminis imputati; aliquando ad probandam aliquam veritatem occultam, vel iustitiam. Quod certè constat ex Canone *Monomachiam 2. quaest. 5. & ex capite Cura & 1. de Purgatione Vulgari*. Et videte licet in Busembaum, *in Medulla Theogia, lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 5. art. 5. respons.* 1. cum Trullench, *lib. 5. cap. 1. dub. 13. n. 12.*

14 Deinde suppone Duellum prohibitum esse, tàm à Iure Caesareo, quàm à Sacris Canonibus, varijs in locis, & sub diversis poenis temporalibus, & spiritualibus. Constantinus enim Imperator in *l. vnica Cod. de Gladiatoribus*, sic statuit. Cruenta spectacula in otio civili, & domestica quiete non placent: quapropter omnino Gladiatores esse prohibemus. Huius Constitutionis meminerunt Iulius Papa Secundus, in Constitutione sua, incipit *Regis pacifici*. Glossa in *Canone Monochiam 2. q. 5.* Scortia, *theoremate 391. num. 3.*

15 In Iure Canonico prohibetur I. à Nicolao Pa-„ pa, in dicto Canone *Monomachiam*, ibi. Cum haec „ & huiusmodi sectantes Deum solummodò tenta-„ re videantur.

16 II. A Caelestino Papa III. prohibetur, in capite *Cura, el 1. de Purgatione Vulgari*, vbi ita decernendo rescribit. Cura suscepti regiminis. Et in-„ frà. Cùm tua Fraternitas duxerit Sedem Apostoli-„ cam consulendam, vtrum super Ecclesiarum pos-„ sessionibus, Duella debeant sustineri. Tuae duxi-„ mus solicitudini respondendum, quod in eo caso, „ vel aliis etiam hoc non debes aliquatenus tolera-„ re. Haec in textu: cuius Summa sic habet. Duella, & aliae Purgationes Vulgares prohibitae sunt, quia per eas multoties condemnatur absoluendus: & Deus tentari videtur.

17 III. Ab eodem Caelestino, in cap. *Henricus 2. & fin. de Clericis pugnantibus in Duello*, decernitur pravam esse consuetudinem duellorum, & esse irregularem Henricum Clericum, qui quodam pugilem introduxerat, vt pro se Duellum cum quodam altero committeret, quem vsque adeò ictibus vulneraverat, quod coactus fuerit expirare.

18 IV. Alexander Papa III. in capite *Porro, el 1. eodem titulo, de Clericis pugnantibus in Duello*, sic „ statuit. Porrò si Clericus alicui sponte Duellum „ obtulerit, vel oblatum susceperit: sive victor fi-„ ve victus fuerit, de rigore Iuris, est meritò depo-„ nendos. Sed quantumcumque eius in hoc gravis „ sit, & enormis excessus evadere potest dispositionis „ sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit mi-„ sericorditer dispensandum; dummodò ex ipso „ Duello homicidium, vel membrorum diminutio, „ non fuerit subsecuta.

19 V. In Concilio Valentino Galliae, el 3. sub Lothario imperatore, *Canone 11.* etiam prohibitum invenio Duellum. Canonem recenset, exscribit noster Petrus Crespetius, *in Summa Ecclesiasticae disciplinae, verbo Duellum pag. mihi 272.*

VI. Duellum deinde pro statu Ecclesiae Iulius 30 prohibuit Secundus, in Constitutione *Regis, la 19. apud Bullarium magnum Cherubini, tom. 1. pag. mihi 109.*

VII. Illud prohibuit Leo Papa X. in Constitutione *Quam Deo la 31. pag. 600.* eiusdem voluminis Bullarij, in qua praefatam Iulij innovavit, & novas addidit duellantibus poenas. 31

VIII. Clemens Septimus, vtrasque modò recensitas Constitutiones confirmavit, in Constitutione, *Consuevit*, nihil addendo praeter simplicem praecedentium confirmationem, vti adnotavit Cherubinus circa Constitutionem Pij IV. *Ea qua* infrà recensendam. 32

IX. Pro vniverso Christiano orbe Sacrum Concilium Tridentinum Monomachiam, seu Duellum prohibuit *sess. 25. cap. 19. de Reformat.* cuius Decretum infrà ad amussim reddam. 33

X. Gregorius item Papa XII. in Constitutione *Ad tollendum la 72. to. 2. dicti Bullarij, pag. 460.* Nonis Decembris edita *anno* 1582. dispositionem Concilij praefati, & aliarum Apostolicarum Sanctionum innovavit, & extendit ad eos, qui privatim Monomachiam ex condicto, statuto tempore, & in loco convento commiserint. Sic enim statuit §. 1. 34

Nos ad haec coercenda pleniùs, evidentiusque „ providendum esse rati, considerantesque Duellum „ privatum non minus cruentum, & animae, & cor-„ pori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur, „ authoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui „ ex condicto statuto tempore, & in loco convento „ Monomachiam commiserint, etiamsi nulli patri-„ ni, socijve ad id vocati fuerint, nec loci securitas „ habita, nullaeve provocatoriae litterae, aut denun-„ ciationis chartulae praecesserint, Censuris, & poe-„ nis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, „ proinde ac si publico, & consueto abusu singulare „ certamen iniuissent. Volentes etiam locorum Do-„ minos, si certamen ex condicto huiusmodi per-„ miserint, aut, quantum in se fuerit, non prohibue-„ rint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, „ auxilium, Consilium, vel favorem dantes, equos, „ arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia „ scienter subministrantes, aut ex composito expe-„ ctatores, vel socios, quovis modo se se praebentes, „ eisdem Censuris, & poenis subiacere, etiamsi illi, „ qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, „ impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos „ non steterit, quominus illa committatur. „

In §. 2. addit. Non obstantibus privilegiis, im-„ munitatibus, & exemptionibus, caeterisque con-„ trariis quibuscumque. „

Et §. 3. Constitutionibus tamen, & aliis San-„ ctionibus Apostolicis, hac de re dispositionibus, in „ suo robore duraturis. „

Publicata est haec Constitutio Romae eodem Mense Decembris *de Anno* 1582. Circa quam nonnulla libuit adnotare. I. Prohiberi in ea Duellum, etiam privatum, ex quacumque initum causa, vti docent Lezana *verbo Duellum, n. 8.* Scortia, *Theoremate 392. versic. Caeterum.* Iacobus de Graffis *in decisionibus aureis, part. 1. lib. 4. cap. 25. num. 23.* Ascan. Tamburinus *de Iure Abbatum, to. 2. disp. 13. quaestio 13. num. 83, pag. 160.* August. Barbosa *in Decisionum Apostolicarum Collectaneis, verbo Duellum, Collect. 469. num. 2.* Ioannes Sancius, *in Selectis, disputat. 36. num. 5. & 6.* 35

II. Excom

36 II. Excommunicationem in dicta inflictam Constirutione latam esse ipso facto, non ferendam. Ita Lezana *dicto num.* 8. cum Thoma Sanchez *in Decalogum, tom.*1. *lib.*2. *cap.*39. *n.*24. & 26. Graffis *num.*23. *reddito.*

37 III. Afficere mandantes, in stigantes, & favorem Duella committentibus dantes, quos Tridentinum non comprehendebat Concilium. Docent Graffis, & Lezana, *locis allegatis* Scottia *Theoremate* 392. *versic. Quintò.*

38 IV. Comprehendere etiam spectatores ex composito: idest eos, qui ex industria, & non casu Duellum aspiciunt. Ita Lezana cum Filliucio *to.*1. *tract.*15. *cap.*5. *num.* 114. Naldus *in Summa verbo Duellum, num.*6. Scottia, *versic. Ex dictis* & addunt, comprehendi eos, qui ad videndum accedunt, etiam pugna non secuta. Nec valet dicere: ergo actio acc ssoria magis punitur, quàm principalis? Respondet Scottia, *versi. Dices*, cum Comitolo *q.*18. spectatores censeri etiam principales, dum, aut cum certantium conflictu, aut cum eorum accessu ad pugnæ locum, copulanrut, cum ob huiusmodi concursum, pugiles ob aliorum irrisiones, non omninò liberè possint se subtrahere à pugnandi exercitio.

39 V. Comprehendi socios, seu comitantes; nisi fortè comitentur, vt Duellum impediant. Lezana *verbo Duellum, num.*8. cum Bonacina, *de Censuris, disp.*2. *q.*6. *punct.*2. *num.*10. Graffis *dicto num.*23.

40 VI. Non afficere duellatores, si de facto non pugnent, adhoc post provocationem, & accessum ad locum designatum, & tempore statuto. Ita Scottia *versic. Ex dictis citato.* Antonius Naldus *num.*6. Lezana *num.* 14. cum Sanchez *in Decalogum tom.*1. *lib.*2. *cap.*39. *num.*28. Bonacina, *n.*16. Diana, *part.*6. *tom.*3. Covarruvia 2. *parte relectionis de homicidio*, *à num.* 6. Delrio *Disquisitionum Magicarum, lib.*4. *cap.*4. *quæst.*4. *sect.*2. *n.*26. Quos etiam, & alios Scottia allegat.

41 VII. Adnoto excommunicationem in dicta Gregoriana Constitutione inflictam, reservatam non esse. Docent Graffis *dicto num.* 23. Lezana, *n.*12. Scottia, *versic. Quintò*, cum Sanchez *num.*27. Comitolo, *lib.*6. *quæst.*13. *n.*5. Delrio, *dicta sect.*2.

42 XI. Prohibita reperitur Monomachia, seu Duellum per Clementem Papam VIII. in Constitutione *Illius vices, la* 11. apud Bullarium Angeli Cherubini, *tom.*3. *pag. mihi* 15. edita 16 Kalendas Septembris, Anno Incarnationis Dominicæ 1592. publicata Romæ die 2. eiusdem Mensis, & Anni. In qua quidem Constitutione, prædictas antecessorum suorum, & Concilij Tridentini dispositiones recenset, & confirmat præfatus Pontifex, & §.7. sic, vt sequitur, statuit.

Quinimò de novo etiam per præsentes, ex parte
„ Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus
„ Sancti, excommunicamus, & anathematizamus,
„ maledicimus, & execramur omnes, & quoscun-
„ que, publicè, vel privatim, palam, vel occultè, in
„ quibuscumque locis, modis, & formis, ac casibus,
„ sub præsenti nostra, vel aliis prædictis Constitu-
„ tionibus, ac Decreto comprehensis, singulare cer-
„ tamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex compo-
„ sito ineuntes, nec non id scelus suadentes, aut pro-
„ vocantes, opem, consilium, vel favorem præstan-
„ tes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut
„ comitantes, vel citra chartulas, seu libellos, lit-
„ teras, nuncios, aut quæcumque alia scripta huius-
„ modi quomodolibet peccantes, huiusque delicti
„ socios, de industria spectatores, Patrinos, fauto-
res, defensores, quæcumque, tàm superiùs expres- »
sa, quam alia Ecclesiastica, vel mundana præful- »
geant dignitate. Ita vt singulares etiam personæ »
cuiuslibet Communitatis, Vniversitatis, Colle- »
gij, aur Reipublicæ, quæ huius criminis partici- »
pes quo quo modo fuerint, nequaquam excusen- »
tur, sed suprà dictos omnes, eorumque singulos, »
ipso facto absque vlla monitione, Iudicis Decre- »
to, aut ministerio, perpetui anathematis, excom- »
municationis maioris, & maledictionis æternæ »
mucrone percussos, & damnatos, harum serie de- »
claramus, & si in ipso conflictu obierint, Sepul- »
tura Ecclesiastica perpetuò privatos esse volumus. »
Ipsas verò, Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, »
& loca in quorum territoriis, facinus scientibus, & »
tacitè, vel expresè permittentibus, aut toleranti- »
bus Dominis, aur Magistratibus, vel Senatu, aut »
Populo admissum fuerit, Ecclesiastico supponi- »
mus interdicto: cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem, ab alio, quàm à Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibusuis personis, tàm Ecclesiasticis cuiuscumque Ordinis, aut Militiæ, status, aut gradus, aut conditionis existentibus, quàm Laïcis, etiam imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam, in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia, quoad præmissa, nolumus cuiquam in aliquo suffragari, pœnis aliis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

Hæc omnia in Clementina *præfata*, *circa* quam 43
aliqua libuit adnotare. I. in ea innovari Constitutionem *Regis Pacifici* de Annō 1309. prohibentis ex quacumque causa, etiam à legibus permissa Monomachiam, seu Duellum in terris subiectis, mediatè, vel immediatè Romanæ Ecclesiæ Iurisdictioni: & statuentes vt pugiles transgressores, sint eo ipso excommunicati; (non tamen excommunicatione reservata) & possint vbique capi, & iuxta Iuris dispositionem, de homicidio, vel vulnere puniri: etsi moriantur in conflictu, & certamine, Ecclesiastica careant Sepultura. Et temporales Domini, Civitates, ac Vniversitates, & quicumque alij locum ad pugnam concedentes, similem incurrant excommunicationem, & interdictum, & mulctam, quatuor millium aureorum pro qualibet vice: & vltra primam transgressionis vicem, sint feudis, quæ ab Ecclesia obtinent, privati. Non obstantibus quibuscumque statutis, & consuetudinibus, privilegiis, indultis, & concessionibus, quavis authoritate editis, & quibusuis concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

II. Adnoto, per hanc Clementinam innovari 44
Constitutionem, *Quam Deo*, Leonis X. in qua pariter Iulij Constitutionem præcedentem confirmaverat, & innovaverat, & adiecerat, quod pugnantes ipsi, non solùm pœnis prædictis subiaceant, sed eorum memoria perpetuò damnata sit, ac bona proscripta sint, & Cameræ Apostolicæ confiscata eo ipso. Et quod Duces, Barones, Comites, Marchiones, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, atmorum Capitanei, Communitates quoque Civitatum, Terrarum & Locorum Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subiectorum, campum ad pugnandum præstantes, non solùm pœnas prædictas incurrant, sed

ſed ab omni Iure, quod in locis, & territoriis ſuis obtinent, ipſo facto cadant, illudque ad Cameram præfatam devoluatur, & devolutum eſſe cenſeatur abſque alia declaratione deſuper facienda. Et quoad ſpectatores Duellorum, ſic Leo. Qui verò ad talia cruenta Spectacula, videnda convenerint, ſi nobiles Quingentorum, ſi mediocris fortunæ, Centum, ſi verò ignobilis, Vigintiquinque ducatorum, nec non excommunicationis, & perpetuæ maledictionis pœnam incurrant, ac ipſe locus Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto. Hæc omnia Leo Papa, cum deputatione Iudicum executorum, cum facultate Brachij ſæcularis invocandi: cum clauſula, *Summariè*. Et finem impoöit cum clauſula, *Non obſtantibus.*

45 III. Adnotare libuit prædictam Clementinam confirmare Conſtitutionem *ea qua* Pij papæ IV. editam idibus Novembris, Anno Incarnationis Dominicæ 1560. & ſui Pontificatus primo. In qua præter Confirmationem Conſtitutionum prædeceſſorum ſuorum, prohibitionem Duellorum continentium, ſtatuit: ſingulos, quos litteræ ipſæ
» (prædeceſſorum ſcilicet ſuorum) concenunt, &
» concernent, ſub excommunicationis, anathema-
» tis, maledictionis, perpetuæ infamiæ, diffidatio-
» nis, criminis læſæ Maieſtatis, ſeditionis, rebellio-
» nis, confiſcationis, & privationis ſtatutuum, &
» dominiorum, ac feudorum, & Vicariatuum, ac
» aliorum bonorum ſuorum, ac depoſitionis illo-
» rum, nec non inhabilitatis ad illa, & alia in po-
» ſterum obtinenda, ac interdicti, ac aliis Cenſuris,
» ac pœnis Eccleſiaſticis, & temporalibus, aliiſque
» in eiſdem litteris contentis. quas contravenientes
» eo ipſo incurrant, & inteſtabiles fiant, ac vltra
» pœnas prædictas, carceribus mancipari, & detine-
» ri, & pœnis prædictis irremiſſibiliter puniri de-
» beant, perpetuò obſervari, & per executores in di-
» ctis litteris deputatos adverſus eoſdem contra fa-
» cientes ad totalem executionem dictarum pœna-
» rum, procedi debere decernimus. Illaſque tàm
» ad pugiles taliter pugnantes, quam eos ad id ten-
» tantes, & provocantes, aut locum ſeu campum
» dantes, ſeu concedentes, ac in illis aſtantes, & in-
» tereſſentes, ac certantes, comitantes, & comitivam
» præſtantes, nec non conſulentes, ac adhærentes, &
» fautores, nec non Chartas certaminis, ſeu Duelli
» ſubſcribentes, vel affigentes, aut publicantes,
» etiamſi prædictæ, ſeu cuiuſcumque alterius digni-
» tatis, nobilitatis, ſtatus, gradus, & Ordinis, tàm
» Eccleſiaſticæ, quàm mundanæ exiſtant, etiam ad
» hoc vt ipſi vltra pœnas prædictas, excommunica-
» tionis maioris latæ ſententiæ pœnam, à qua non
» niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore
» exiſtente abſolui poſſunt, eo ipſo incurrant, etſi
» Eccleſiaſtici fuerint, etiam omnibus, & ſingulis
» Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, & aliis bene-
» ficiis Eccleſiaſticis per eos obtentis, ſeu in quibus,
» & ad quæ ius eis competit, eo ipſo privari, & ad
» illa, ac alia in poſterum obtinenda inhabiles exi-
» ſtant, nec non in illa, tanquam per priuationem
» huiuſmodi vocantia, ab aliis impetrari poſſint,
» extendimus, & ampliamus.

Quæ vtique Piana Conſtitutio, ſeverior omninibus præcedentibus eſt, vti benè advertit Scortia, *Theoremate* 391.*verſic.Tertio*. Pœnis enim illarum confirmatis, novas adiungit. Quia excommunicationem extendit §.7.ad omnes ſe in his immiſcentes (exceptis tantùm Imperatoribus, & Regibus,) vbicumque exiſtentes. Quamvis ſubiectos mediatè, vel immediatè Iuriſdictioni Eccleſiæ in Civilibus, velit etiam teneri pœnis perpetuæ infamiæ, & criminis læſæ Maieſtatis, ſi in hoc delinquant.

IV. Deinde Confirmat Clemens VIII. De- 46
» cretum Concilij Tridentini, *ſeſſ.*25. *cap.*19. *de re-* »
» *formatione*, in quo ſic decrevit. Deteſtabilis Duel- »
» lorum vſus, fabricante Diabolo introductus, vt »
» cruenta corporum morte, animarum etiam per- »
» niciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus ex- »
» terminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, »
» Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine »
» Domini temporales, qui locum ad Monomachiam »
» in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo »
» ſint excommunicati; ac Iuriſdictione, & dominio »
» Civitatis, Caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem »
» Duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia ob- »
» tinent, privati intelligantur, etſi feudalia ſint, dire- »
» ctis Dominis ſtatim acquirātor. Qui verò pugnam »
» commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, ex- »
» communicationis, ac omnium bonorum ſuorum »
» proſcriptionis, ac perpetuę infamiæ pœnam incur- »
» rant; & vt homicidæ, iuxta Sacros Canones puni- »
» ri debeant: etſi in ipſo conflictu deceſſerint, per- »
» petuo careant Eccleſiaſtica Sepultura. Illi etiam, »
» qui Conſilium in cauſa Duelli, tàm in Iure, quàm »
» facto dederint; aut alia quacumque ratione, ad id »
» quemquam ſuaſerint; nec non ſpectatores, excom- »
» municationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo »
» teneantur. Non obſtante quocumque privilegio, »
» ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili. »

Hactenus Conciliare Decretum, circa quod aliqua occurrunt adnotanda. I. Solùm in eo prohiberi Duella publica, & ſolemnia; non autem privata, & ſine ſolemnitate inita. Docent Lezana, *in Summa quæſtionum Regularium, to.*2.*part.*3.*verbo Duellum, n.*6. cum Farinacio, *conſil.*9. *n.*10.13.18.19. 21. & 34. Sanchez *in Decalogum, to.*1. *lib.*1.*c.*39.*n.*21. & Paulo Laymano, *lib.*3.*de Iuſtitia tr.*3. *part.*3.*cap.*5. *n.*4. Naldus *in Summa, verbo Duellum n.*6. Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Conſtitutiones, theoremate* 392. verſic. *Quartò* Marcus Vidal, *in Arca vitali, tit. de Duello, notabili* 8. Ioannes Sanctius, *in Selectis, diſputatione* 36.*num.*5. 47

II. Concilium loqui de Duello ob quamcumque cauſam inito. Lezana, cum Sanchez *n.* 24. 48

III Solùm loqui Tridentinum de Duello inter Chriſtianos. Vnde Princeps Duellum permittens inter Turcas, hac lege non comprehenditur, ſicut nec ipſi Turcæ. Docent Mart. Delrio *Diſquiſitionum Magicarum, lib.*4.*c.*4.*ſect.*2. Lezana, cum Sanchez *n.*29. & cum Bonacina, *de Cenſuris extra Bullam diſp.*2.*q.*3.*punct.*48. *num.*10. Scortia *dicto, verſic. Quarto.* 49

Limitant tamen Doctores citati, & benè quidē, dummodo alter duellantium Chriſtianus non ſit. 50

IV. Excommunicationem per Concilium inflictam, latam, non ferendam eſſe, cōtra omnes, Quia dicto *Incurrant*, latam denotat. Ita Lezana *vbi ſuprà* cum Suarez, *tom.*5.*in* 3.*partem D. Thomæ diſp.*23. *ſect. vltima, n.*11. Scortia *loco citato*, cum Sanchez *dicto cap.*39.*n.*26. Toleto, *in Summa, lib.*5.*c.*6.*n.*32. Delrio *ſect.*2.*recenſita*, & aliis.

V. Præfatam Tridentini excommunicationem non eſſe reſervatam. Eligius Baſſæus, *tom.*1.*verbo Duellum, n.*8. Scortia, cum Delrio, & Toleto, *locis allegatis.* Sa *verbo Excommunicatio, n.*14. Iacobus de Graffis *in deciſionibus aureis, par.*1.*lib.*4. *c.*5. Lezana, *verbo Duellum, n.*12. Marcus Vidal, *de Duello, in notabilibus præmiſſis, notabili* 8. 51

Confirmat denique Clemens Papa Gregorianam ſuprà redditam, & explicatam.

52 XII. Et vltimò prohibita reperitur Monomachia, per Paulum Papam V. in Rituali Romano, *in Rubrica de Exequiis.*

53 Quod si petas, quid sub nomine Anathematis intelligatur in Constitutionibus Pij IV. & Clementis VIII. quas suprà exscripsi, & aliis in locis vbi illa invenitur dictio. Dico, quod in sententiæ nostri Gregorij Sayri, *in Thesauro, tomo scilicet de Censuris, lib. 1. cap. 3. num. 5.* qui pro se allegat Navarrum, *in Commentario, de datis, & promissis, notabili 5. num. 10. versic. Addo VIII.* & Hugolinum *de Censuris Ecclesiasticis tabula 2. c. 33. §. 1. num. 3.* Anathema non distinguitur ab excommunicatione, nisi tanquam species, à suo genere, est enim, inquit, Excommunicatio Genus, quod de Anathemate tanquam de sua specie prædicatur.

CONCLVSIO.

54 His suppositis, & præmissis, facilis est difficultatis propositæ resolutio, in qua inquiritur, *An priventur Ecclesiastica Sepultura, qui in Duello decedunt.* Respondetur enim affirmativè, & Constitutionibus Iulij Secundi, Leonis Decimi, Clementis VII. & Pij IV. quoad duellantes in terris mediatè, aut inmmediatè Ecclesiæ Romanæ subiectis, provt vidimus *suprà num.* 30. 31. 32. & quoad omnes Christianos, vbique Duellum committentes, constat ex Concilio Tridentino, & ex Constitutionibus Gregorij XIII. & Clementis VIII. de quibus, *num.* 33. 34. *&* 42. in quibus prætet confirmationem, & innovationem Constitutionum, dictam pœnam insligentium Monomachiam committentibus in terris Ecclesiæ, extenditur illa ad Duellum exercentes vbique. Constat etiam ex Rituali Romano, in Rubrica de Exequiis, *tit. Quibus non licet dare Ecclesiasticam Sepulturam*: ibi: *Morientibus in Duello, etiamsi ante obitum, dederint pœnitentiæ signa.*

Resolutionem nostram tenent Thomas Delbene *de Immunitate Ecclesiastica, par. 2. cap. 16. sect. 6. num. 2.* Augustinus Barbosa *Decisionum Apostolicarum, collectanea* 269. *verbo Duellum, num. 1. de Iure Ecclesiastico, part. 2. lib. 2. cap. 10. num. 45. & in Collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum, sess. 25. de reformatione cap. 19. num. 20. & in Collect. in cap. Felicis, num. 7. el 1. de Torneamentis,* allegat *dicto, num.* 45. Vgolinum *de Officio Episcopi, cap. 17. num. 24. versic.* 2. Galet. *in Margarita Casuum conscientiæ, verbo Sepultura, vlt.* Reginaldum *in praxi fori pœnitentia, lib. 22. num. 76. versic. Accedit.* Stephanum Gratianum, *Disceptationum forens. cap.* 410. & Carrillum, *en la Bulla de los Difuntos part. 2. cap. 4. num. 55.* Ludovicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tom. 2. tract. 17. disput. 7. sect. 2. num.* 32. Ventriglia *in praxi rerum notabilium adnotat. 52. num.* 21. Moute *part. 4. cap. 20. §. 3.* Lezana *verbo Duellum, num.* 14. Samuellius, *de Sepulturis, tract. 1. disp. 5. controv. 9. Conclus. 7. pag. 256. tract. 2. disp. 1. controv. 8. Conclus. 1. 2. & 6.* Barnabas Gallego, *in Cruciatam cap. 9. clausula 9. dub.* 119. Diana, *part. 11. tract. 6. resol.* 26. Marcus Vidal, *in Arca vitali, tit. de Duello, inquisit. 6. num.* 45. Scottia, *Theoremate* 392. Bartholom. Gavantus, *in Manuali Episcoporum verbo Duellum, num.* 5. Castrus Palaus *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 7. num. 5.* Martinus Becanus, *tract. de Virtutibus Theologicis, capite 26. quæst. 8. num.* 2. Ioannes Sancius, *in Selectis, disp. 36. num. 5. & 6.* Binsfeldius *in Enchirid. part. 3. cap. 12. de 5. præcepto §. 5. de bello, in fine.*

Pro pleniori huius disquisitionis intelligentia, & iurium in illa adductorum, non paucæ in praxi difficultates oriri queunt. Nonnullas graviores, scitu dignissimas, & apprimè necessarias pro casuum, non raro contingentium, celeri, prudente, ac debita resolutione, disquirere lubens duxi. Sit ergo,

DVBIVM I.

An ad hoc, vt Sepulturâ privetur Ecclesiastica, qui in Duello obiit, Duellum debeat esse evidenter notum?

BREVIARIVM.

Axioma.

In dubio, standum est pro custodia Legis. Non habet locum in Lege pœnali, neque in dubia, n. 6.

Iudex.

Gravissimè peccat, si interroget reum dubitans, an possit illum iuridicè interrogare, n. 5.

Lex.

Dubia est, quoad pœnæ executionem, non solùm, quæ talis, ex propriis apparet verbis, sed quæ habet varia Doctorum placita, n. 6.

In dubio pro legis custodia, quando standum sit, declaratur, n. 6

Opinio.

In his, quæ Iuris humani sunt prohibita, opinio probabilis omnimodam dat facultatem, n. 2.

Quod contra se habet opinionem probabilem, non est notorium, famosum, aut publicum, n. 2.

Pœna.

Correspondet culpæ: & pœna certa, culpæ certæ, n. 4.

Pœna publica infligenda non est, nisi publico peccatori, num. 1. 7.

Multæ sunt pœnæ, quæ licet ipso Iure sint latæ, pro sui executione, requirunt iudicis declarationem, n. 9.

Reus.

In dubio est reo favendum, potius quàm actori, n. 4.

Sententia.

Super tumulando, aut non tumulando cadavere, inappellabilis est, n. 11. 12.

Sepultura.

Quilibet Catholicus ius habet, vt sepeliatur in loco sacro, num. 4.

Qui dubitans an quis sit Sepultura privandus, eum de facto privat illa, graviter peccat, n. 5.

Iudicio Parochi standum est in executione privationis Ecclesiastica Sepulturæ, n. 10.

Si tamen facilè consuli potest S. Congregatio, vel Ordinarius, ei causa fideliter relata, ab eo resolutionem spectet, n. 13.

In puncto tumulationis dilatio non admittitur, ob facilem cadaveris corruptionem, n. 11.

Propter Duellum Sepultura non privatur, qui in eo decessit, si notorium non sit in Duello obiisse, ita vt nulla tergiversatione celari possit, n. 1. 7.

Nec privatur, que decessit in Duello licito secundùm opinionem probabilem, 2.

Nec qui in vero Duello non decessit, quæ duellator saltem, n. 3.

Nec qui in Duello dubio, & illicito, n. 4.

Qui in Duello vero, & notorio decessit, absque Iudicis declaratione, Sepultura privatur, num. 8. 9. 10. 11.

CON

CONCLVSIO.

1 HVic difficultati breviter respondeo, Ecclesiastica Sepultura priuari non debere, nec licere illum, qui in quocumque decessit Duello, si notorium non sit in Duello obiisse, ita vt nulla id tergiversatione celari queat.

Ita docent Eligius Bassæus, *tom. 1. verbo, Duellum, numero 9. versic. Preterea.* Ioannes Machadus, *en el perfecto Confessor y Cura de Almas, tom. 1. lib. 2. part. 3. tract.* 16. *documento* 5. *num.* 11. cum Fagundez *in quintum Decalogi praeceptum, lib. 5. cap. 8. numero 9. & 51.* Sanchez, Suarez, Filliucio, & aliis. Ioannes Sanctius, *in selectis disputationibus, disputat.* 36. *numero* 12. in hæc prorumpens verba. Advertere quoque debebit Parochus, quod si notorium non sit in Duello decessisse aliquem, non debet illi negare publicè Sepulturam. Quia publica pœna infligenda non est nisi publico peccatori, vt docet Peregrinus, de Duello, *quaest. 7. num. 3. in fine.*

2 Ex quo fit non debere negari sepulturam morienti in Duello, seu pugna, quæ licita sit, secundùm opinionem probabilem. Ratio est duplex. *Prima*, quia cùm prohibitio Sepulturæ, à Iure procedat Ecclesiastico humano, & opinio probabilis facultatem concedat in his, quæ iure humano interdicuntur, data opinione probabili, de licito Duello, aut pugna, dabitur plena facultas tumulandi Ecclesiastico more, & ritu in illo decedentes Duello. *Secunda*, quia notorium non est, immò nec publicum dici valet, quod contra se habet probabilem opinionem. Non quidem notorium, quia notorium illud est, quod ita omnium oculis patet, vt negari nequeat: seu, quod nulla possit tergiuersatione celari. Nec publicum dicitur, quia publicum, seu famosum (quod idem est) dicitur, quod fama publica proclamatum est.

3 Sequitur *secundò*, & à fortiori quidem sepulturam negari non posse Ecclesiasticam, decedentibus in pugnis, quas Duella non esse, diximus in *disquisitione, à num.* 5. Duelli naturam, & essentiam exponentes. Quod intellige, qua Duellatoribus.

4 *Tertiò* sequitur, nec negari posse Sepulturam decedenti in pugna, si dubium adsit de eo, quod Duellum verum fuerit, & illicitum; vel de eo, quod in Duello vero, & prohibito obierit. Quia in neutro horum casu notorium est, illum hominem, contra leges sub pœna priuationis sepulturæ Duellum interdicentes deliquisse. *Secundò*, quia nemo pro culpa dubia, & incerta, puniri debet pœnâ certâ. Tanta enim connexio debet esse inter pœnam certam, & culpam certam, quanta inter pœnam, & culpam. Sed pœna nulla infligi potest nisi pro culpa. Vti latè probani, *in disquisit. de Iure Prioris n. 76. & etiam hic dub. 3. num.* 10. Ergo nec pœna certa, nisi pro culpa certa. *Tertiò*, quia in dubio, melior est conditio possidentis suam libertatem, & exemptionem, aut Ius: Sed quilibet Catholicus Ius habet, vt in loco sepeliatur sacro. Ergo in casu dubio non est illo iure priuandus. *Quartò*, quia in dubiis reo est fauendum, eo quod in criminalibus, probationes contra reum, luce clariores esse debent. Vnde Regula Iuris sic statuit. *Cum sint partium iura obscura, reo fauendum est, potius quàm actori, l. 12. de Regulis Iuris lib. 6.* Quæ vti ibi glossa *verbo Cum sint*, desumpta est ex *Lege Fauorabiliores, ff. eodem titulo.*

5 Quocirca, Laurentius de Peyrinis, *in Formulario, Prælatorum, litt. R, cap. 9. num.* 8. Duabus vltimis rationibus innixus, & authoritati Dominici Bannez, 2. 2. *quaest. 69. artic. 1. dub. 2.* & Salonis *ibidem controuer. 3. conclus.* 2. docet, quod Iudex grauissimè peccat, interrogans reum, dubitans, an possit Iuridicè interrogare. Quantò igitur grauiùs peccabit, qui dubitans an debeat quis sepultura priuari, illum ad talem priuationem subeundam de facto, & sine recursu vllo condemnet.

Sed si quis obiiciat axioma illud, quod *in dubio standum est pro custodia legis.* Respondeo cum P. Francisco Amico, *in Cursu Theologico, tom. 5. disp. 5. sect. 11. num.* 249. axioma præfatum, intelligi de Legibus non pœnalibus, qualis dubio procul est, non solùm defunctis, sed etiam viuis, omnis illa, quæ Christi fidelibus defunctis sepulturam Ecclesiasticam denegat. *Secundò*, iuxta mentem eiusdem Doctoris respondeo, dictum axioma posse intelligi de dubia executione legis, certæ, & indubitatæ, non autem intelligi de lege dubia. In casu autem nostro non solùm executio excludendi à Sepultura, sed legem istam interdicentes dubiæ sunt, & incertæ: quia dubiam legem quoad pœnæ executionem ipso facto incurtendam (verba sunt Amici) non solùm faciunt verba ipsa legis, sed etiam varia Doctorum placita. 6

Placuit tamen recensere Machadum *dicto n.* 11. quia vltra id, quod docuimus, addit, non debere priuari Sepultura morientem in Duello, nisi præcedente sententia, quod mihi saltem non satis probatur. 7

Ita ille ait. *Debe tambien advertirse con cuydado la doctrina tan importante, que enseña Peregrino* (loco scilicet citato, *de Duello, quaest. 7. num. 7.*) *à quien sigue Sanchez, conviene à saber, que si no constare notoriamente, que alguno murio en el mismo conflicto del desafio, no lo debe el Parocho negar publicamente la Sepultura: porque pena publica, no es justo, que se dè, sino por peccado publico. Y entonces, segun advierte Fagundez*, (in quintum scilicet Decalogi præceptum, *lib. 5. cap. 8. num. 9. & 51.* ex Sanchez, Suarez, & Filliucio,) *y otros, es necessaria sentencia declaratoria, para privarle de la Sepultura: porque es privarle de su derecho: y esto no se puede hazer sin sentencia.*

Hactenùs Ioannes Machadus, cui fauere videntur Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quaestionum Regularium, tom. 2. verbo Duellum, num.* 15. & in tomo Consultorum, *consulto*, 49. *num.* 32. cum Baunio *in Theologia Morali, disp. 3. tract. 2. quaest.* 19. Eligius Bassæus, *tom. 1. verbo, Duellum, num. 9. versic. Preterea.* Ioannes Sanctius *disp.* 36. *num.* 13. Diana, *part. 11. tract. 8. resolut.* 21. Castrus Palaus, *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 7. num.* 21. *pag.* 658. Ioannes Baptista Scortia *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theorem*ate 352. *à versic. Quæreri.* Et Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 2. tract. 8. cap. 5. num. 148. versic. Cæterùm.*

Hæc tamen sententia, in plurimum saltem, mihi non arridet. *Primò*, quia Clemens Papa VIII. *in Constitutione illius vices*, in disquisitione reddita, *num. 42. §. 7.* decernit sic. Etsi in ipso conflictu obierint, Sepultura Ecclesiastica perpetuo priuatos esse volumus. Verba autem: *priuatos esse volumus*: latæ sententiæ pœnam importat, vti docent August. Barbosa, *tract. de Clausulis, & Dictionibus, verbo Careat*, & Franciscus Maria Samuëllius, *in Praxi de Sepulturis, tr. 2. disp. 1. controu. 8. conclus.* 2. Cum igitur pœna ista sit latæ sententiæ, vt in terminis 8

terminis docet Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Duello, inquisit. 6. n. 42.* nullo alio eget ad hoc vt incurratur. Scortia *dicto versic. Quarenti.*

9 Sed dices. Multæ pœnæ inflictæ sunt ipso Iure, & sunt latæ sententiæ, quæ licet ipso facto incurrantur, data legis illas iniungentis violatione, & absque vlla sententia; non tamen exequi debent, nisi præcedente sententia, criminis declaratoria iam patrati, vti latè probatum est *suprà disquisit. 1. dub. 13. de Pœnis.* Vnde licet non desideretur sententia, ad hoc vt decedentes in Duello pœnam incurrant privationis Sepulturæ à Clemente VIII. inflictam, desideratur tamen sententia declaratoria Duelli commissi, & mortis in ipso conflictu passæ, ad hoc vt pœna illa, per aliam sententiam lata, debitæ demandetur executioni.

10 Respondeo, Doctrinam à nobis *loco allegato* traditam, nobis in præsenti non adversari. Quia Paulus Papa V. in Rituali Romano, *Rubrica de Exequiis*, ita ait. *Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica Sepultura ipso Iure sunt excludendi: ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta vnquam admittant.* Quibus benè expensis verbis, facilè venit intelligi, Parochum nulla alia sententia, ad excludendum à Sepultura indigere, præter Sacrorum Canonum Decreta, ipso Iure hos, & illos à Sepultura excludentia: & præfatorum Canonum notitiam Parocho, pro illorum sufficere executione. Et iudicio Parochi standum esse, in executione privationis Sepulturæ, tanquam sententiæ criminis declaratoriæ standum esset, in aliis pœnalibus causis. Et hæc Paulina dispositio, est mihi secundùm fundamentum, ad dissentiendum Ioannis Machadi placito.

11 Tertiùm est. Quia cum sit periculum in mora, non potest, in plurimum, insepultum detineri cadaver, vsque ad sententiæ pronunciationem. Cadaver enim ob sui facilem corruptionem, dilationem non admittit in puncto tumulationis. Ob quam vtique rationem, sententia lata super sepeliendo, aut non sepeliendo humano cadavere, inappellabilis est, & appellatio non est admittenda quoties res tempore perit, vti docet Samuëllius *vbi suprà, controv. 1. conclus. 1. & controv. 8. conclus. 8. num. 28. & tract. 1. disp. 1. controv. 8. conclus. 7.*

12 Quocirca Pater Illuminatus Moronus, *in volumine, Centum responsa, responso 51. numero 12.* Sic ait. Sacra Congregatio admonet Parochos, ne propter ius Sepulturæ, non solùm retineant, cadaver inhumatum, cum enim petlatum esset ad dictam Sacram Congregationem cuiusdam Leonotæ Forestæ cadaver, occasione lutis Sepulturæ prohibitum fuisse humari, scribit Episcopo Contoniens. Vt statim ac litteras receperit, dictum cadaver Sepulturæ tradi faciat. Nec Sepultura mortuorum sub quocumque prætextu compositionis Quartæ funeralis retardari, aut impediri debet. Eadem Congregatio in Cassanens. 5. *Maij* 1617. Hactenus Moronus. Et Gavantus, *in Manuali Episcoporum, verbo Exequiæ, num. 1.* hanc Sacræ Congregationis Episcoporum Declarationem refert.

13 Consultò semel, & iterum, *in plurimum* addidi. Quia rarò contingit, non longè abesse Sacras Cardinalium Congregationes, & Ordinarios locorum, ad quos causa defferatur, & à quibus declaratio, seu sententia spectetur, super sepeliendo, aut non sepeliendo cadavere, cui ipso Iure denegetur Ecclesiastica Sepultura. Quare si in casibus occurrentibus adsint Eminentissimi Cardinales, vel locorum Ordinarij, vel sine mora consuli benè possint, prudentet se geret Parochus, si causam ad illos mittat, & fideliter relato casu, vti invenerit contigisse, Declarationem executioni tradendam spectet.

DVBIVM II.

An qui ex vulnere in Duello accepto, cum signis obiit pœnitentiæ, debeat Sepultura privari Ecclesiastica?

BREVIARIVM.

Duellum.

Qui in loco conflictus ex vulnere ibi accepto decedit, etiamsi Sacramenta receperit, Sepulturâ privatur Ecclesiasticâ, n. 1. & seq.

Iudex.

Suspendens malefactorem, vir sanguinis appellatur in Iure, esto sanguinem non effundat, n. 6.

Lex.

Verba legis pœnalis, strictè, quantum ipsa patiuntur, interpretari debent, n. 12.

Lex si aliud voluisset, id expressisset, n. 14.

In Legis interpretatione, proprietas verborum, est servanda, n. 19.

Lex clara debet esse certa, manifesta, non obscura, nec captiosa, n. 20.

Regula.

Odia restringi, favores convenit ampliari, numero 12. 13.

Sepultura.

Qui extra locum pugnæ obiit, cum pœnitentia signis, sive eodem, sive alio die, ex vulnere ibi accepto, Sepulturâ non privatur, n. 4. 5.

Stylus Praxis.

Pro Iure habentur, & Lege, si pro tali sint, à Communitate recepti, aut à Principe, qui legem condere possit, sint sua authoritate firmati, n. 15.

Stylus in dubio non præsumitur, & qui illum allegat, probare debet, n. 16.

Stylum Curiæ Romanæ non obligare in foro conscientiæ, neque sequendum in partibus, nisi sit speciali Papæ decisione firmatus, dicunt aliqui, numero 17.

Verba.

A forma verborum, sine certa scientia recedendum non est, n. 14.

1 DVpliciter contingere posse, mori aliquem ex vulnere in Duello accepto, certum est, vel in ipso Duelli loco, vel extra illum. De vtroque casu dubium procedit propositum. In cuius resolutione, vt à faciliori iuxta Philosophi præceptum, incipiamus, dico, quod si pugil in ipso Duelli loco ex vulnere ibi inflicto decedat, privandus est Ecclesiastica Sepultura, esto dederit pœnitentiæ signa, immò etiamsi Sacramenta receperit, & illis omnibus munitus, hotam clauserit extremam. Vnde pro primo casu, hæc sit pro difficultatis præsentis resolutione.

CON

CONCLVSIO. I.

1 COmmunissima est inter Doctores sententia negans sepulturam decedenti in eodem conflictus loco. Ioannes Baptista Lezana *tom.2.par.3. verbo Duellum, num.14.* illam firmat, sicut Marc. Vidal *in Arca vitali, inquisit.6. de Duello, nu.45.* Ioan. Sanctius *in Selectis disputationibus, disp. 36. num.7. & 9.* Ioannes Machadus *enel perfecto Confessor, y cura de Almas, tom.1. lib.2. part.3. tr.16. docum.5. num.10.* Diana *part.4. tract.4. resol.192. versic. Verùm his non obstantibus, part.11. tract. 6. resol.26. versic. Sed ego,* cum Remigio *in Practica Confess. tract.2. cap. 5. §. 1. num. 11.* Samuëllios *in Praxi, de Sepultur. tract.2. disput.1. controv. 8. concl.2. num. 3.* Augustinus Barbosa *in Collectan. in Concilium Tridentinum, sess.25. de Reformatione cap.19. num.20.* & *in cap. Felicis, num.7. el 1. de Torneamentis,* cum Stephano Gratiano *Discept. forensium, cap. 410.* Castillo *en la Explicacion de la Bula de Difuntos, part.2. cap.4. num.55.* & cum Valerio Reginaldo *in Praxi fori Pœnitentia, lib.22. num.76. versic. Accedit.* Thomas Hurtado, *tomo variar. resolut. tract. vlt. resol.5. §. 6. num. 196.* & subscribere debent omnes docentes, privari Ecclesiasticâ sepulturâ illum, qui ex vulnere in Duello accepto, extra locum Duelli pœnitens decessit.

3 Ratio autem Conclusionis nostræ est. Quia qui in loco Duelli ex vulnere in eo inflicto moritur, verè decedit in Duello: quod solùm exigunt Iura in Disquisitione reddita. Nec refert quicquam, quod maior, aut minor mora intercesserit inter cessationem, certaminis, & mortem. Quia sive brevis, sive longa intercesserit, semper erit verum, mortaliter præcipuè loquendo, pugillem in Duello obiisse. Hæc pro primo sufficiant casu; pro secundo sit.

CONCLVSIO II.

4 ILle, qui ex vulnere in conflictu Duelli inflicto, extra Duelli locum cum signis decessit pœnitentiæ, sive eodem Duelli die, sive altero ex sequentibus, privandus non est Ecclesiastica sepultura.

Hanc tenent Marcus Vidal, *vbi suprà, num.46. & seq.* Ioannes Machadus *dicto num. 10.* Lezana *loco reddito,* & *tomo 4. consulto 49.* cum Portell, *in Responsionibus casuum conscientia, par.3. casu 10. num.3. & 4.* Diana *part. 2. tract. 16. resolut. 52. part.4. tract.4. resol.192. par.5. tract.3. resolut.99.* cum Hurtado *2.2. disput.170. sect.1. §.178.* cuius doctrinam recenset *& part.11. tract.6. resolut. 26. versic. Sed ego,* cum Carafa *de Duello, tr.2. sect.3. quæst.19. num.9.* Baucio *in Miscellan. pract. tc.1. quæst. 438. versic. Petes 8.* Possentio *in Resolut. quæstionum Moralium, verbo Duello, num.6.* Mancino *in pract. de Infirmis in ordine ad sepulturam, numero 34.* Ioannes Ægidius Trullench. *de Iure Parochi, cap. 9. dub. 7. num.7.* & cum Remigio *vbi suprà.* Augustinus Barbosa *de Officio, & potestate Parochi, par.3. cap.26. nu.45.* ibi: Et quamvis Peregrinus, &c. *& Collectan. in Concil. Trid. sess.25. cap. 19. de Reform. num. 20.* ibi. Asserunt Sanctios, &c. *& de Iure Ecclesiast. par. 2. libro 2. cap. 10. num. 45.* Et ante omnes recensitos Doctores Ioannes Sanctius *in Selectis disputationibus, disput.36. num.9.* vbi sic suam, & nostram firmat sententiam, & impugnat Peregrini placitum, ab aliis, quos infrà recensebo, *num. 8. 9.* sequutum. Videlicet.

Sed tamen, quia verba Concilij restrictiva 5
sunt, dum dicit non esse concedendam Ecclesiasticam sepulturam decedentibus in ipso conflictu, colligitur posse concedi si extra locum Duelli vbi pugnaverunt, vivi essent deportari, & tunc signa pœnitentiæ manifestassent, quamvis statim morerentur: cum tunc non verificetur in ipso conflictu decessisse, sed extra conflictum, quamvis illico recesserint. Vnde non assentior Peregrino, *de Duello, q.7. n.4. §. Primum non obstat, fol. 77.* dicenti denegandam fore Ecclesiasticam sepulturam vulnerato in ipso conflictu, licet altero die moriatur, eo quòd in eodem conflictu dicatur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moritur, sicut Ecclesia dicitur sanguine polluta, si quis in Ecclesia est vulneratus, licet sanguinem non effundat in Ecclesia, sed extra illam, vt docet Navarr. *cap.25. num.251.*

Non inquam huic doctrinæ assentior. Tum, 6
quia pœnam Concilij, extendit vltra rigorem literæ. Tum, quia esto admittamus Ecclesiam pollui ex vulnere in ipsa inflicto, ideo est, quia Iura sumunt formaliter sanguinem fundere, pro vulneratione, sicut Iudex suspendens Latronem, vir sanguinis in Iure appellatur, quamvis ex suspenso homine, sanguis non effundatur: At Concilium non dicit idem esse in Duello decedere, ac ex vulnere illato in illo vitam finire. Et cum verificetur satis literæ proprietas, negando sepulturam decedenti in ipso loco Duelli, non oportebit huiusmodi pœnam extendere, vt inflictam quoque illis, qui ex vulnere in loco illato decedunt, licet vivi discesserint à loco conflictus. Et odia restringenda sunt, ex Regula *Odia in 6.*

Hæc omnia Ioannes Sanctius, quem sequutus 7
Ioannes Machadus *dicto num. 10.* dixit. *Si à caso sucediesse, que alguno quedasse mortalmente herido en el lugar del desafio, y del le sacasen, y muriese con señales de contricion, no debe ser privado de la sepultura Ecclesiastica: porque el Concilio solamente privade ella alosque* in ipso cōflictu *murieren, y siendo pena tan grande, como ya hemos dicho, antes se debe restringir, que ampliar.* Ita ille; & ferè eodem contextu, quo duo recensiti Doctores omnes alij pro conclusione allegati.

Sed vt illius veritas magis elucescat operæ pre- 8
tium duxi recensere Samuëllium *de Sepult. tract.2. disp.1. contr.8. concl.4. pag.364.* pro sua contraria sententia, præter Doctores aliquos praxim sacræ Pœnitentiariæ Romanæ allegantem, & Thomam Hurtado *Variar. tom.2. tract. vlt. resolut.5. n.196. §.6.* pro eadem, in sequentia prorumpentem, prout in Diana legi *par.11. tr.6. Miscell. resol.26.* & illis pro meis satisfacere viribus.

Addo cum gravissimis Doctoribus (ait Tho- 9
mas præfatus) quod si quis certantium obierit ex vulnere in Duello accepto, taliter quod evidenter constet ex illo obiisse, etiamsi Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ acceperit, non debet humari Ecclesiastica sepultura; nam moritur ex vulnere in Duello accepto, & mori in Duello dicitur. Bonacina, & Peregrinus addunt, (& est contra Ioannem Sanctium, *num. 9.*) hanc doctrinam verum tenere, etiamsi mors sit postridie Duellum; nam verè dicitur in Duello mori, qui tale vulnus in Duello accepit, ex quo nisi interveniente miraculo superstes esse non potest. Idem tenet Hur-

tado §.177. vbi ait: Quòd si vulnus lethale sit, vt hominem reddat ineptum actionibus humanis, vt omnino desperetur eius salus, hîc censetur in ipso conflictu decessisse, etiamsi post duos, aut tres dies, quia tota causa mortis fuit.

10 Neque hoc est extendere verba Concilij, sed in sua propria significatione accipere; si enim quis in loco conflictus moritur, & sibi ibi recipiat Sacramenta, non debet sepeliri in loco sacro, vt tenet Sanctius ipse: ergo neque etiamsi extra locum conflictus moriatur, si moriatur ex vulnere lethali in Duello accepto, mortem, nisi miraculo, necessariò inducente. Nam quod sit in loco conflictus, vel extra, nimis accidentale est, & quod per se attenditur, est, quod moriatur in Duello, quod tunc fit verè, & propriè, quando moritur ex vulnere lethali, vt diximus. Sicut sanguine dicitur pollui Ecclesia, etiamsi in Ecclesia accepto vulnere, sanguis extra Ecclesiam fundatur.

11 Neque obstat, quod Concilium Lateranense *cap. 1. de Torneamentis* dicat: si ibi moriatur; nam hæc verba accipi debent secundùm vsum communem, secundùm quem dicitur in Duello mori, qui ex illo ita lethaliter vulneratus exivit, quod vivere, citra miraculum nequeat. Benè verum est, quòd si vulnus ita lethale non sit, quod aliquis vitæ locus relinquatur, iuxta Chirurgorum informationem, quamvis ex illo decedat, poterit loco sacro sepeliri. Hæc omnia Thomas Hurtado, in quibus fundamentum præcipuum suæ tradit sententiæ.

12 Quo tamen, & per Dianam adducto non obstantibus, à nostra sententia, quæ magis pia est, & probabilior per principia extrinseca, authoritatem scilicet plurium gravissimorum doctorum, & in rigore Iuris, neutiquam esse recedendum censeo. Verba enim legis pœnalis, strictè, quantùm ipsa patiuntur, interpretari debent; minimè autem ea, eorúmque sensum ampliari licet. Hoc enim proprium est favorum, & gratiarum: ita diffiniente Bonifacio Papa VIII. in *cap. Odia, el 15. de Regulis Iuris, lib. 6.* scilicet: *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

13 Quocirca Marcus Vidal, *in Arca vitali, tit. de Duello, inquisit. 6. num.* 10. sic fatur. Confirmatur. Odia sunt semper restringenda, & non amplianda *l. Cum quidam, ff. de liberis, & posthumis. cap. Odia, de Regulis Iuris in 6. cap. Statutum, de Electione, in* 6. & alibi. In quibus Iuribus tàm Civilibus quàm Canonicis habetur, pœnas esse potius emolliendas quam exasperandas: & id videtur charitati Christianæ magis consentaneum, ac magis æquitati conforme. Hæc Vidal. Et Caramuel, *in Theologia Fundamentali, fundam.* 38. *num.* 924. ita inquit. Odia sunt restringenda ad minimam, congruam tamen verborum significationem: ideo & pœnæ. Et *num. 925. sequenti, littera P.* Odia sunt restringenda. Est ex *Regula* 15. Et *littera Q.* in pœnis benignior interpretatio est facienda. Est *Regula.* 2. Hactenus ibi.

14 Verba autem Tridentini Concilij, & Constitutionum Apostolicarum prohibent in loco sacro sepeliri cadavera decedentium in Duello: hoc est, in ipso conflictu, & pugna actuali: ac per consequens, in certaminis loco; non autem decedentium ex vulnere in Duello illato, vti legenti facilè patebit. Etsi aliud voluissent statuere, ac decernere, illud expressissent. *cap. Ad audientiam, §. Mandamus, el 12. de Decimis*, vbi Glossa, *verbo Intelligeremus*, in hæc prorumpit. Argumentum, quod à forma verborum, sine certa scientia, non est recedendum 31. *distinct. Omnino. ff. de Legatis 3. Non aliter. 31. quæst. 1. §. Quomodo Virginibus. Cod. de Caducis tollendis, l. vnica §. Si verò, De Consecrat. distinct. 4. si quis Presbyter. De translatat. Inter corporalia. Cod. de Peculio eius, qui libertatem meruit. l. vnica 18. quæst. 1. Si enim. Versic. Cum verò dicit, ego dico, non Dominus.* Hæc dicta Glossa. *Cap. Contra eum, el 57. de Regulis Iuris, lib.* 6. Caramuël, *in dicta Theologia, num. 944. versic. Similiter.* Emmanuël Roderiquez *tom. 2. quæstionum Regularium, quæst. 44. art. 4. versic. Quartum.* Vidal. *tit. de Duello, num.* 13. cum Rolando à Valle *consl. 56. num. 5.* testante de Communi Doctorum. Iacobus Raggius, *de Regimine Regularium, tract. 8. centuria 2. dub. 161. num. 2. versic. Huiusmodi, ex citata l. vnica, de Caducis tollendis, §. Sin autem ad deficientes, ex Lege etiam Si servus, §. Prætor ait. versic. Non dixit. ff. de acquirenda hereditate.* Tiraquello *in l. Si vnquam tit. de libertis, num.* 3. Surdo, *consil. 88. n. 4. & decis. 232. num. 22. consil. 245. num. 45. volum. 2.* Gutierrez, *Practic. lib. 3. quæst. 22. num. 5.* & Alexandro *consil. 94. lib. 2.*

Ad ea, quæ in contrarium dicuntur, respondeo, 15
& in primis ad Praxim Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ, à Samuellio assertam, dico, de illa minimè constare: & multò minus, quod pro Iure, aut Lege sit recepta, aut introducta Papæ authoritate. Praxis itaque, & Stylus Romanæ Pœnitentiariæ, aut Curiæ, tunc solùm vim habet legis, quando habet Summi Pontificis præceptum formale, aut virtuale, vti benè communiter docent Doctores Theologiæ, & Iuris vtriusque periti. Hurtado de Mendoza, 2.2. *disp. 170. sect. 1. §. 201.* quem recensent, & sequuntur Marcus Vidal, *de Duello, inquisitione 3. conclus. 2. numero* 22. & Diana *part. 5. tract. 14. resolut. 102. in fine.* Vndè quamvis communissimum sit, quod Stylus, seu Praxis Curiæ faciat Ius, Navarrus *tom. 1. Consiliorum, lib. 3. tit. de Testamentis, consilio 6. num. 10. & tom. 2. lib. 5. tit. de Privilegiis, consil. 7. num.* 20. Augustinus Barbosa, *in cap. Ex litteris, num. 3. el 11. de Constitutionibus*, cum Gutierrez *Canonicarum lib. 1. cap. 33. in fine*, & Modern. *de Cognit. per viam violentiæ, part. 2. quæst. 135. num. 4.* Nicolaus Garcia, *de Beneficiis part. 1. cap. 5. num.* 87. ex dicto Capite *Ex litteris*, & Felino, *ibi, num. 4. & in cap. Quàm gravi, el 6. de Crimine falsi.* Crescen. *decis. 1. num. 4. de rebus Ecclesiæ.* Caputaquen. *decis. 331. n. 2. part. 3.* Millis, *in Repertorio, verbo Stylus Curiæ* Hieronymo Gabriel, *consil. 193. num. 1. lib. 2.* Mandosio, *de Commissionibus, secunda Commissione, verbo Sanctitati vestræ*, & ad Lapum, *allegat 51. littera D. & Consilio 4.* & cum Everardo, *in loco à Stylo.* Idem Garcia, *part. 11. cap. 5. §. 2. num.* 254. qui loco allegato primæ partis, *num.* 88. addit. Et sic facit Ius vniversale, etiam in partibus. Orescius, *in l. De quibus, num. 27. ff. de legibus.* Antono Gravatius *ad Vestrium, in Practica, lib. 5. cap. 3. num.* 6. Gutierrez, *Canonicarum quæstionum, lib. 1. capit. 33. num. 35. in fine.* Et Bogtius, *in tract. de Authoritate magni Concilij, num.* 170. Et quod pro lege observetur sive sit ad ordinationem, sive ad decisionem causarum. Barbosa *in allegatum caput, Ex litteris eodem num.* 3. cum Cacher. Pedem. *decis.* 22. 7. Stephano Gratiano *Marchia, decis. 237. n.* 18. Alexandro Raudens. Pisana *decis. 6. num.* 67. Camillo Borello, *in Summa omnium decis. tit. 13. de legibus, & Constitutionibus, num.* 208. Pereg. Iannin. *de Realicitat. lib. 1. cap. 1. num.* 19. Melchiore Phæbos Lusitano,

Lusitano *decis.* 42. *num.* 8. & Flaminio Patisio *de Resignatione Beneficiorum*, *libro* 10. *quæst.* 2. *numero* 17. idem Barbosa *in capite Quàm gravi*; *num.* 4. *el* 6. *de Crimine falsi cit.* Hæc tamen verum babent, si Stylus à Communitate pto Iure, aut Lege sit teceptus, vel à Principe, qui legem condere potest, & Ius, sit sua authoritate confitmatus. Ita enim ait præfatus Batbosa *in Rubricam tituli*, *de Constitutionibus*, *num.* 4. Stylus verò nihil aliud, quam Ptaxis Curiæ recepta, seu confirmata, vt tradunt Baldus *in Lege finali*, *Cod. Qua sit longa consuetudo.* Felinus *in cap.* 2. *de Rescriptis*, *num.* 16. Rochus *in cap. fin. n.* 25. *de Consuetudine.* Ludovicus Gomez *in Procemio Regul. quæstio.* 2. Cassad. *decis.* 7. *de Rescriptis.* Cabed. Lusitanus *decis.* 2. *n.* 11. *part.* 1. Hactenùs Barbosa.

16 Addo, quod in Dubio, Stylus non præsumitur. Idem Barbosa *in allegatum caput Quàm gravi*, *nu.* 5. cum Mascardo *de Probationibus*, *concl.* 258. *sub num.* 1. & *conclus.* 1338. *num.* 1. & Menochio *de Præsumptionibus*, *libro* 2. *præsumpt.* 8. *num.* 7. & *conclus.* 717. *num.* 6. *versic. Respondetur primò*: & Petegt. Ioannin. *de Reali citatione*, *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 72. Vnde tanqoaio quid facti, Stylum qui allegat, probate, illum adesse, debet. Ipse Barbosa *ibidem* ex Mascatdo *concl.* 1338. *recensita*, *num.* 2. ex Farinacio *part.* 4. *consilio* 59. *num.* 12. Et licet verùm sit quod Batbosa, cum Viviano *decisio.* 297. *num.* 6. excipiat ab obligatione probandi, immò & allegandi Stylum Cutiæ, & dicat, quod Iudex in eo debeat supplete; addit tamen, hoc intelligi debere, de stylo notorio. Addo & ego, de vim legis habente, iuxta supradicta.

17 Cùm igitur non constet adesse Stylum seu Ptaxim sacræ Pœnitentiatiæ allegatam à Samuellio, neque vim legis habere, argumentum, quod ex huiusmodi stylo fotmat ille Authot, parum, immò potius, nihil vrget. Etsi hoc est verum in sententia, quam pto nunc admittimus, qoid dicendum erit in sententia plutium Doctorum quos recenset Antoninus Diana *parte* 12. *tractatu de Collocutione, & scriptione vetitis*, *tempore Conclavis*, *versic. Immò aliqui*, *pag.* 177. docentiom, Stylum non obligate in foro conscientiæ? Et qoid dicendom in sententia Ferreti *consil.* 52. *num.* 3. docentem, ptovt refertura Garcia *parte* 11. *cap.* 5. §. 2. *num.* 8. Stylum Curiæ non esse seqnendum in partibos, nisi sit fitmatus speciali decisione Papæ, cum sit varius, modò albus, modò niger? Ferratios allegat Zavallum *in suis communibus*, *contra communes*, *quæst.* 737. *à num.* 20. Albericum *in Dictionario*, *verbo Curia.* Felinum *in cap. Rodulphus*, *de Rescriptis*, *num.* 22. *versic. Vbi autem*: & Cochum *in Instit. Maioribus*, *lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 2.

18 Ad alia verò à Thoma Hurtado asserta, dico non verè mori in Duello, qui ex lethali vulnere in Duello accepto decedit, qoamvis sine miraculo superstes esse nequeat. Aliod enim est mori in Duello, quod est mori in actuali pugna, certamine, conflictu; Aliod verò est mori ex vulnere, & effectu causato in actuali pugna, vti ex se patet. Concilium Tridentinum, & Constitutiones Apostolicæ prohibent quidem sepelıri in loco sacro cadavera decedentium in Duello; nihil autem statuunt citca decedentes extra Duellom, & ex vulnere in Duello accepto. Ergo pœna inhumationis Ecclesiasticæ, illis, non istis, ex dictorum Iurium vi, iniungenda venit.

Vnde manifestè appatet extensio vetborum Concilij; qoam ptæfatus Doctot facit, & negat. Quis enim percipere quibit, eundem esse sensum, *mori in loco conflictus*: &, *extra locum conflictus ex vulnere lethali in Duello accepto decedere?*

Nec tespecto Concilij, & Constitutionum 19 dictarum, accidentale est, quod pugil, in actuali conflictu, & pugna moriatur, vt Ecclesiastica careat sepoltuta; sed per se intenditur à Legislatoribus, Iutium istorum conditotibus. Hoc enio commune est, omnium legam tespectu, vt in earum interpretatione, proprietas sit verborum servanda: & secundùm illam proprietatem, lex lata intelligatut. Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium*, *tomo* 1. *tractatu* 4. *cap.* 5. *num.* 331. & *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 9. *in fine*. Lezana *tomo* 2. *parte* 4. *verbo Leges Regularium*, *num.* 32. Castrus Palaus *tomo* 1. *tract.* 3. *disput.* 5. *punct.* 8. §. 3. *num.* 2. cum Suarez *de Legibus*, *libro* 6. *cap.* 1. *num.* 7. Salas *eodem tract. disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 4. & Bonacina *disputat.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 8. *num.* 15. Et constat (addit) ex *lege Non aliter*, *ff. de Legatis* 3. & *in lege Prospexit*; *Digest. Qui, & à quibus.* Et satis benè colligitur *ex capite* 2. *de Translatione Episcopi*, §. *Sed neque*.

Et ratio est. Quia Legislator procurare de- 20 bet legem claram esse, ac distinctam, vt firma illa sit, & cavillationes vitentur. Est textus elegans *in capite Abbate*, §. *Prætereà*, *el* 25. *de Verborum significatione*, vbi ita Innocentius Papa III. Hic autem sensus rectior esse videtur, quia cum privilegium sit Lex privata, & Lex non deboat esse obscuta, vel captiosa, sed certa, & manifesta, &c. Ergo Translator in condenda Lege, debet verbis vti, in eorum significatione propria. De quo fusè egi *in Disquisit. Pastorali*, *de Iure Prioris annexi*, *à num.* 43. vbi *numero* 50. dixi cum Lezana, *vbi proximè*, *numero* 33. Marco Vidal *tit. de Monialibus*, *inquisitio.* 2. *num.* 106. *pag.* 376. & Castro Palao *loco citato*, *num.* 7. & 8. legem pœnalem, odiosam, & ptæceptivam, esse intelligendam secundùm proprietatem naturalem verborum ipsius Legis, seu secundùm sensum, qui communi hominum acceptione, & vso habetut. Sed sic est, quod verba Concilij Tridentini *sess.* 25. *cap.* 19. *de Reformatione*: *& si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura*: communi hominum acceptione, & vsu, intelliguntur de moriente in actuali certamine, ac pugna, non autem de decedente extra locum, & actum pugnæ, ex vulnere in ipsa accepto. Ergo præfata Concilij lex, ptæcipiens inhumationem Ecclesiasticam morientis in conflictu, intelligenda est vt naturalitet sonat, de decedente in ipso conflictu actuali, non verò de moriente extra conflictum ex vulnete in pugna ipsa accepto.

* * *

DVBIVM III.

An Duellum sit aliquando licitum, ita vt pugiles privationem Sepulturæ Ecclesiasticæ, & alias pœnas Duellantibus inflictas non incurrant?

BREVIARIVM.

Agere.

Id possumus privatâ authoritate agere, quæ leges permittunt, & Respublica, non quæ his contrariantur, n. 19.

Argumentum.

Ab vno correlativo, ad aliud valet argumentum, num. 61.

Axioma.

Nemo fraudem facit, aut damnum, nisi qui facit id, ad quod ius non habet, n. 45.

Nullam facit iniuriam, qui iure suo vtitur, n. 45. & 46.

Bellum.

Sæpè est licitum, n. 7.

Bona fortunæ.

Sunt vitæ necessarium instrumentum, subsidium, & ornamentum, n. 36.

Communitas.

Finis vivendi in communitate fuit, vt in homines in causis propriis, alieno regerentur arbitrio, numero 19.

Correlativa.

Correlativorum idem est iudicium, n. 61.

Dispositum de vno correlativorum, ad aliud trahitur, num. 61.

Quando vnum licet correlativum, licet & aliud. Et quod vni prohibetur alteri videtur prohibitum, num. 61.

Vnum correlativum, sine alio, esse nequit, numero 61.

Vales ab vno ad aliud argumentum, n. 61.

David.

Duellum acceptando Goliat, non peccavit David, num. 48.

Defensio.

Ex improviso oppressi, & invasi authoritate privata se defendunt, publica authoritate præcipiente, aut permittente, n. 20.

Licet vnicuique se defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ab iniusto aggressore, etiam cum morte illius, si aliter mortem suam vitare nequit, n. 32. 33.

Duellum.

Est bellum inter duos, aut plures, in æquali numero privata authoritate, deliberatè, sponte ex vtraque parte invicem initum, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, aut vulneris, num. 7. & 12.

Duellum impropriè sumptum est, cui aliquod ex modò recensitis requisitis deest, n. 12.

Dividitur Duellum in Decretorium; Propugnatorium; Satisfactorium; Purgatorium criminis; Probatorium occultæ veritatis; & Decisivum litis, n. 13.

Duellum suo esse intrinseco consideratò, non est malum, nec peccatum, n. 15.

Dicitur contra naturam, & à natura prohibitum vt quid humano generi perniciosum; prout in plurimum exercetur absque iusta causa, n. 8.

Duella, Decretoria, Purgatoria, Probatoria, & Decisiva semper cum culpa exercentur mortali, & qui in eis decedunt, Sepultura privantur Ecclesiastica, n. 15. 16. 17.

Semper etiam peccat mortaliter, qui ad vindictam injuriæ acceptæ, pugnat in Duello, n. 18. 21.

Duellum est fallax, & superstitiosum medium ad purgationem criminis, ad probationem veritatis, & ad iustitiæ adiudicationem, n. 16.

Duellum satisfactorium, liceret inire privata authoritate, si leges non extarent, Civiles prohibentes, ne quis sibi ius dicat privata authoritate, n. 2. 3. 4.

Duellum ad virium ostentationem, ad delectationem, aut ad spectaculum, est omninò peccaminosum mortaliter, & in eo decedens, sepultura privatur, n. 22. 23.

Quod sine iusta, & legitima exercetur causa, contrariatur ex diametro legibus, naturali, divina, & humanis, 23.

Licitum est Duellum iusta interveniente causa, n. 6. 9. 31. & seqq.

Pœnæ non infliguntur Duellantibus, quà Duellantibus; sed quà Duellantibus absque legitima causa, num. 11.

Existente iusta, & legitima causa, v. g. defensionis propriæ vitæ, quæ aliter defendi non possit, licitè acceptatur Duellum, & ad illum invitatur, n. 34. 36. 37. 50. 51. 52. 53. 63.

Vnde licitè potest innocens acceptare Duellum, & illud indicere ad fugiendam mortem iniustam, sive in iudicio, sive extra; dummodò non habeat aliud ad illam fugiendam, remedium, n. 31.

Idem est pro bonorum defensione, si notabilia sint, n. 35. 36. 37.

Idem etiam pro vitando falsò testimonio, n. 37.

Idem si ad totius exercitus æstimationē conservandā: ad consulendum honori, & famæ militum: ad avertendam communem ignominiam: ad vires hostium debilitandas, & suorum militum animos corroborandos, n. 47. 48.

Licitum etiam est ex parte bellum gerentis iustum, quando hoc in illud resolvitur, ne totus pereat exercitus, dummodò spem habeat vincendi, numero 47.

Etiamsi Principis iustè bellum gerentis, aut Ducis, non interveniat authoritas, n. 50. & seqq.

Item, quando in casu extraordinario, ad maiora mala vitanda, Duellum, Princeps permittit, licitum illud est, n. 55. & seqq.

Ex parte tamen iustam habentis pugnandi causam, n. 61. 63.

Et licitè Princeps designat locum, n. 59.

Censuras non incurrunt, n. 55. 58.

Causæ istæ, quibus Princeps duci potest, ad Duellum in casu extraordinario permittendum, assignantur, num. 64.

Provocare ad Duellum formale, aut illud admittere, pro honore defendendo, non licet, numero 24.

Fallit, quando ex non acceptatione Duelli incurreret quis grave nocumentum, n. 22.

Fallit etiam, quando ab iniustis convitijs, ac à subeundo dedecore, se liberare nequiret, n. 29.

Licitum esse speculativè, Duellum formale ad honorem tuendum, in actuali aggressione, vel in actu primo, dummodò in illo, tunc alia via, illē

tueri

tueri nequeat, sunt, qui asserant; practicè consulere recusant, n. 30.

In Duello iusto, licitum est ad illud provocare, quando licitum est illud admittere, n. 14.

Honor non defenditur medio Duello formali, sed læditur apud probos, & doctos, n. 25.26. 8.

Facultas.

Licitè quis vtitur facultate, qua licitè fuit ei concessa aut promissa, n. 61.

Homicidium.

Dicitur contra naturam, quia illud abhorret; sit tamen licitè à Iustitiæ ministris, n. 8.

Honor.

In pretio esse, aut non esse apud viles, improbos, & imperitos, perindè est, n. 28.

Injuria.

Nullam facit iniuriam, qui iure vtitur suo, num. 45. *&* 46.

Ius.

Nemini licet ius sibi dicere, degenti sub legibus humanis, & in communitate, n. 4. 19. 21.

Lupanar.

Licitè solet permitti, & locus ad meretrices designari, n. 58. 59. 60.

Mala.

Permittit Deus mala, quæ prohibere posset; ne eis sublatis, maiora mala tollerentur, vel peiora mala sequerentur, n. 60.

Intrinsecè mala non sunt, quæ absolutè, & simpliciter legi non contrariantur, n. 9.

Nunquam licent intrinsecè mala, n. 6.

Eligere, & consulere, minus malum, & ad illud invitare, licet ad maius vitandum, num. 37. 56. *&* 64.

Miles.

In statione sua tenetur stare, etsi moraliter sit certus se occidendum, n. 54.

Occidere.

Cum moderamine inculpatæ tutelæ, vitæ, aut bonorum fortunæ magni valoris prudentum arbitrio, aggressorem licet, quando alia nequeunt defendi via, n. 38. 42. 43. 44.

Licet & occidere, ad grave damnum, alicui certò moraliter eventurum, vitandum, n. 53.

Peccatum.

Transgressio materialis præcepti, non est peccatum; sed formalis transgressio, peccatum constituit, numero 9.

Peccati originalis effectus recensentur, n. 19.

In Catholici remanent ad agonem, & virtutum exercitium. n. 19.

Pœna.

Non infligitur nisi pro culpa, n. 10.

Est culpæ mensura, n. 10.

Permissio.

Malorum permissio sæpè bona est; si tamen participatione admixta non sit.

Præcepta.

Affirmativa formaliter non violantur, quando ex iusta causa transgrediuntur, sed materialiter, numero 9.

Regimen.

Humanum regimen à divino derivatur, & illud imitari debet, n. 60.

Regula.

Cui licet, quod est plus, licet vtique, quod est minus, num. 50.

Sepultura.

Omnes Catholici ius habent acquisitum ad sepulturam Ecclesiasticam, n. 10.

Species.

Non constituitur neque in naturalibus, neque in Moralibus, nisi per id, quod per se intenditur; non quod per accidens, n. 40.

Spoliare.

A iure acquisito, nemo spoliari potest; sine culpa, & magna, n. 10.

Vis.

Vim vi repellere licet, n. 32. 33. 42.

Vita.

Propria vita, maius, & excellentius bonum est vnicuique, n. 35. 46.

Vita etiam aliena, maius bonum est; quàm externa bona, n. 46.

Periculo propriè se exponere potest vita, privatus pro communi bono conservando, & promovendo, n. 48. *& debet* 53.

PRo dubio proposito dilucidando suppono primò, Duellum, suo esse intrinsecè constitutivò inspecto, non esse malum, & peccaminosum. Ita Marcus Vidal *in Arca vitali, tit. de Duello, inquisit. 1. n. 2.* cũ Caietano *2. 2. q. 95. art. 8. circa solutionem ad tertium.* Thoma Sanchez *in Decalogum; tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 2.* Lanfranca *tom. 2. de Duello, Opuscul. 5. cap. 1. n. 3.* & Gregorio Valentia *tom. 3. disput. 3. quæst. 317. puncto 1. versic. Est autem assertio*, Ioannes Baptista Scortia *in Select. Summorum Pontificum Constitutiones, theorem. 391. in principio* cum Menchaca *in controv. illustr. lib. 1. cap. 48. num. 19.* Reginaldo *in Praxi fori Pœnitentia, lib. 21. cap. 7. num. 74.* Gregorio Sayro *in Clavi Regia, lib. 7. cap. 13. num. 12.* Toleto *in Summa lib. 5. cap. 6.* & Navarro *in Manuali, cap. 11. n. 39. & cap. 15. num. 9.* Emmanuel Sà *verbo Duellum, num. 1.* Ioannes Caramuël *in Theologia fundamentali, fundam. 10. quæst. de Honore, conclus. 3. sub n. 412.* vbi in sequentia prorumpit. 1

Stando iuri naturæ, & præscindendo ab omni lege humana, homo, qui habitaret in Insula nulli Principi subiecta, & nullis legibus politicis obnoxia, fortè posset Duello satisfactorio sibi prospicere, si divitias, aut honorem perdidisset iniustè; at hodiè non potest, quia ratio ob quam id tentare in illa posset Insula, cessat in benè gubernatis Provinciis, in quibus iniustè læso, authoritate Regia, Cæsarea, &c. succurritur. Vt conclusionem hanc exponam, casum pono. 2

Sumus in Insula diversi homines nulli mortali subditi. Fridericum Casimirus expoliat: & Hortesium Albericus criminum falsa impositione maculat, & infamat. Aio iniustè læsos, in tali casu posse se tueri, & res iniustè raptas recuperare. At non possunt authoritate publica, vt supponitur; sunt enim in loco, vbi non est Ius civile. Ergo potuerunt sibi prospicere privata authoritate. Possunt igitur armis se indemnes reddere: Poterit igitur Casimirum armis Fridericus vrgere quovsque pecunias furto ablatas restituat: & cum primùm eas recipiat, debebit à violentia cessare. Ergo similiter Hortensius gladio poterit Albericum cogere vt honorem iniustè detractum restituat: quo semel restituto, non poterit vlterius progredi, nec amplius detractori nocere. 3

Id fortè in illa Insula licuit Friderico, & Hortensio; at non liceret in Europa, non etiam in Affrica, aut Asia, non in Indijs: non in illa regione, quæ publica potestate regatur. Iubent leges, vt nemo sibi ius dicat, nemo proximum gravet privata authoritate. Hæ leges iustæ sunt: iam ac- 4

ceptatæ ab vniversis, multorum annorum possessione præscriptæ: potenteísque innocentes iuvare. Deberent igitur Fredericus, Hortensiúsque, Casimirum furti, Albericum calumniæ apud publica tribunalia accusare, & indè sperare iustitiam: & si omissis medijs à Republica positis, ad arma, & violentiam consurgerent, peccarent.

Hæc omnia Doctissimus Caramuël: in quibus apertè docet Duellum intrinsecè, & secundùm propriam naturam consideratum, si satisfactorium illud sit, non illicitum, sed licitum esse; per accidens tamen esse illicitum; ratione legum humanarum prohibentium, ne quis sibi ius dicat.

Præter Doctores allegatos, quod nos, docent, Augustinus Barbosa *in cap. Cura, el 1. de Purgatione vulgari*, & *in Collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum, sess. 25. de Reformatione, cap. 19. num. 15.* cum Reginaldo *vbi suprà, nu.* 80. Bernardo Græva *ad Practicam Cameræ Imperialis, lib. 2. conclus.* 100. *consider.* 1. Luca Florono *cap. 5. §. 3.* Peregrino *de Duello, quæst.* 16. Filliucio *to. 1. tract. 15. cap. 5. q. 5. n.* 109. Bonacina *tom. 3. de Censuris extra Bullam Cœnæ, disput. 2. quæst. 3. puncto* 48. *num.* 18. & cum Sanchez *loco recensito, num.* 16. Ioannes Azorius *Institut. Moralium, part. 3. lib. 2. cap. 5. quæst. 3. columna mihi* 116. Martinus Becanus *tract. de Virtutibus Theologicis, cap. 16. quæst. 3. pag.* 649. Hermann. Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 5.* & alij quàm plorimi, quatenùs admittunt aliquos casus, in quibus Duellum sit licitum.

6 Ex quo sic ratione probo suppositum. Stante legitima causa Duellum satisfactorium est licitum aliquando. Ergo natura sua non est intrinsecè malum, & peccaminosum. Antecedens commune est apud Doctores, vt vidimus. Consequentia autem probatur. Quidquid intrinsecè malum est, & peccaminosum, nunquam est licitum, quavis causa interveniente. Ergo si Duellum aliquando est licitum, non est intrinsecè malum, & peccaminosum.

7 Secundò probatur, Duellum, est bellum duorum, aut plurium in pari numero. Sed bellum sæpè est licitum, & bonum. Ergo & Duellum aliquandò saltem erit licitum, & bonum. Ergo non est intrinsecè malum Duellum, saltem satisfactorium.

8 Sed obijcies primò. Duellum est contra naturam. Ergo intrinsecè malum.

Respondeo cum Vidal *de Duello, inquisit. 1. n. 5.* Duellum non ideò contra naturam, quia à natura ipsa absolutè prohibeatur, quia intrinsecè fit contra naturam oppugnando semper illam; sed ideò dicicontra naturam, & à natura prohibetur, vt quid generi humano perniciosum, prôvt plurimû illud exercetur absque iusta, & legitima causa. Quòd exemplo illustratur homicidij. Homicidium enim dicitur etiam contra naturam, quia illud abhorret; nihilominùs tamen sæpissimè licet, & impunè à Ministris Iustitiæ fit. Vnde distinguendum est antecedens, & neganda consequentia.

9 Obijcies secundò. Quod legi divinæ, & humanæ contrariatur, est intrinsecè malum. Sed Duellum est huiusmodi legibus contrarium. Ergo & in se malum.

Respondeo distinguendo maiorem. Quod legi divinæ, & humanæ ex diametro contrariatur absque legitima causa, est intrinsecè malum, concedo maiorem; quod contrariatur existente iusta causa, est intrinsecè malum, nego maiorem. Quia in præceptis affirmativis, communissimum est illa non violati, seu transgredi formaliter, sed materialiter tantum, quando ex iusta, & legitima causa superveniente violantur: & tunc transgressio legis, peccatum materialiter dicitur, non formaliter: quia ad peccatum, formalis transgressio requiritur. Et distinguo minorem: Duellum contrariatur legi divinæ, & humanæ simpliciter, & absolutè, nego minorem; contrariatur quando sine iusta causa, & legitima exercetur, concedo minorem. Et nego consequentiam. Quia non est intrinsecè malum, quod absolutè, & simpliciter legi non cótrariatur.

Tertiò obijcies. Pœna non infligitur, nisi pro culpa *cap. Cognoscentes, el 2. de Constitut.* vbi ita Pontifex. Cognoscentes, quia res, quæ culpa caret, ad damnum vocari nonconvenit, vbi Glossa *verbo Culpa caret*, ait. Quia quod legitimè factum est, pœnam non meretur. Et marginalis Glossa. Qui caret culpa, caret me iudice pœna. Et Gl. *in Regul. Sine culpa, la 23. de Regul. Iur. lib.* 6. huius exactam hanc redditationem. Quia pœna est mensura culpæ: vbi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet. Ergo vbi non est culpa, nec pœna. Hæc Glossa. Faciunt etiam *can. Non afferamus, el 22. causa 24. q. 1.* & *cap. Felicis, el 5. de Pœnis, §. Illud autem. Lex Sancimus, Cod. de Pœnis, & Lex Respiciendum, ff. eod. tit.* Et nemo à iure acquisito potest spoliari sine culpa, & quidem magna *can. Satis, el 7. distin.* 56. (desumptus ex D. N. Gregor. Magno *lib. 10. Registri, epist.* 8.) & iuncta Glossa *verb. Nisi gravi, can. Cum inventum, el 38. causa 16. q. 7.* & *c. Monachi, §. Priores autem,* vbi Gloss. *verb. Non mutentur, el 2. de Statu Monach.* Sed in Iure Canonico, sacro Concilio Trident. & in pluribus Summorum Pontificum diplomatibus, vti suprà vidimus, multæ, variæ, gravissimæque spirituales, & temporales pœnæ Duellantibus infliguntur, & inter alias, privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, ad quam omnes Catholici ius habent acquisitum. Ergo Duellum est intrinsecè, malum. 10

11 Respondeo concessa maiori, distinguendo minorē. Infl guntur Duellantibus pœnæ simpliciter, & absolutè qua Duellantibus, nego minorem, qua Duellantibus sine iusta, & legitima caus, concedo minorem. Et nego consequentiam. Quia ad hoc vt ex pœna colligeretur Duellum esse intrinsecè malum, illa infligi deberet Duellantibus absolutè quà talibus; non quà Duellantibus sineiusta, & legitima causa.

Secundò suppono, Duellum dupliciter sumi, strictè scilicet, & latè, propriè, & impropriè. Propriè sumitur, pro pugna, & cóflictu inter duos, aut plures, in plurimum, in pari numero, privata authoritate, deliberatè, & spontè ex vtraque parte invicem inito, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. Impropriè verò accipitur pro conflictu cui aliquod ex requisitis pro Duello propriè sumpto, modò recensitis desit. Vt si v. g. non fiat pugna privata authoritate, sed publica, aut si fiat sine deliberatione, & sponte: si non fiat ex mutuo pacto: aut loco, & tempore præfixo: aut si absque periculo mortis, mutilationis, vel vulneris exerceatur. Quocumq; enim ex his deficiente conflictu, propriè Duellum ille non erit, ac verè, sed impropriè, & latè. 12

Suppono tertiò, Duellum proprium, & verum, aliud esse decretorium, aliud propugnatorium, aliud satisfactorium, aliud purgatorium criminis obiecti, aliud probatorium occultæ alicuius veritatis, & aliud decisivum alicuius litis, & causæ, 13

per

per quod illius Iustitia, pugilli vincenti adiudicetur, non minùs ac si per sententiam diffinitivam adiudicaretur, quæ in rem iudicatam transiret.

Suppono vltimò, pro casibus, quibus licitè in
14 Duello pugnatur, quod generaliter loquendo, licitum est ad Duellum invitare, quoties licitum est admittere. Nam hæc duo correlativa sunt ad invicem, & eiusdem rationis. Ita Vidal *de Duello, inquisit. 2. n. 52.* cum Valentia, Sanchez, & alijs, quos recenset, & sequitur Fagundez *in precept. 5. Decalogi, lib. 5. cap. 8. n. 41. in fine.* Quanta autem sit correlativorum vis, infrà exponitur *concl. 9.* Quibus suppositis, pro difficultatis resolutione, sit.

CONCLVSIO I.

15 NVnquam est licitum Duellum proprium, & formale initum ad purgationem delicti obiecti, vel ad indagandam veritatem aliquam occultam, aut ad litem, seu causam terminandam; sed lethaliter peccaminosum: & pugil, qui in eo succubuerit, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi non potest.

Hæc conclusio, quoad secundam partem, de privatione sepulturæ, supposita primæ partis veritate, constat ex dictis in disquisitione, circa finem: quod & pro aliis conclusionibus, in quibus Duellum illicitum dixero, menti tenendum moneo.

Quoad primam igitur partem, eius veritas probatur authoritate Doctorum illam propugnantiũ. Pro illa sunt Ludov. Caspensis *in Cursu Theolog. tomo 2. tr. 17. disp. 7. sect. 2. n. 24.* Becanus *tr. de Virtutibus Theolog. cap. 26. q. 3.* Herman. Busemb. *in Medulla Theolog. lib. 3. tr. 4. cap. 1. dub. 5. ar. 1. resol. 1.* cum Trullench *lib. 5. c. 1. dub. 13. num. 12.* Marcus Vidal *de Duello, inquis. 2. nn. 51.* Azorius *par. 3. lib. 1. c. 5. qu. 1. 2. & 5.* Lezana *tom. 2. par. 3. verbo Duellum, n. 16. in fine.* Bassæus *tom. 1. verbo eod. n. 3. & 5.* Castrus Palaus *tom. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 7. n. 4. 5. & 6.* cum Caietano *2. 2. q. 95. ar. 8. circa solutionem ad 13. causa 2.* & *in Summ. verbo Duellum.* Suarez *disput. 13. de Bello, sect. vlt. n. 1.* Navar. *in Manuali, c. 15. in fine.* Coninch *disp. 32. dub. 2. n. 13.* Sanchez *in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 39.* & Valentia *2. 2. disp. 3. qu. 17. punct. 1. versic. Nec tertiò.* Abbas Panorm. *in c. Porrò, n. 3. el 1. de Clericis pugnantibus in Duello.* Aug. Barbosa *in c. Henricus, n. 2. el 2. & fin. eod. tit. in c. Cura, n. 1. & 2. el 1. in c. Significantibus, n. 1. el 2. de Purgatione vulgari,* cum Delrio *disquisit. Magic. lib. 4. cap. 3. quæst. 4. sect. 2. versic. Vt est,* & cum pluribus aliis, quos pro more recenser suo. Navarr. *tom. 2. Consil. tit. de Purgatione vulgari, consil. 1. n. 1.*

16 Secundò probatur ratione, Quia Duellum est fallax, & superstitiosum medium ad fines illos intentos, cum innocens ita in Duello mortem pati possit, sicut alter congrediens: & multoties condemnaretur absolvendus: & Deus tentari videretur.

17 Tertiò probatur, non solùm ex Trid. Concilio *sess. 25. de Reform. c. 19.* & ex variis Constitutionibus Apostolicis, suprà recensitis, omne Duellũ strictè prohibentibus; sed ex *Can. Monomachiã, 2. causa q. 5.* & *ex cap. Cura, el 1. de Purgatione vulgari,* vbi in specie omninò damnatur Duellum initum ad purgationem criminum, ad terminandas lites, & ad similia, ob rationes modo adductas.

CONCLVSIO II.

ILlicitum est, & mortaliter criminosum,
Duellum ad vindictam iniuriæ iam acceptæ 18
initum.

Hanc tenent Vidal *loco citato* Busembaum *vbi proximè, resol. 2.* Azorius *dicta quæst. 2.* Ferdinandus Castrus Palaus *operis Moralis, par. 1. tract. 6. de Charitate, disput. 5. punct. 7. num. 7.* Caietanus *2. 2. quæst. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. causa 4.* ibi. Contrarium autem huius fit in Duello: quia dum vnus solus ponitur ad resistendum vni, & ad propulsandam iniuriam ab eodem, debiliter, ac nimis periculosè consulitur huic defensioni. Et propterea, nisi actualiter vnica persona invadatur, debet defendi iustitia cum multitudine forti; & non committi vnius periculo, secundùm rectam rationem à communitate, seu Principe cuius est bellum etiam defensivum assumere. Aliena est ergo natura Duelli à natura iusti belli, tam defensivi, quàm vindicativi. Hæc Caietanus.

Probatur ratione. Quia nullus privatus sibi li- 19
citè Ius dicere potest; sed illud à Iustitiæ Ministris publicis expectare debet.

Quocirca Caramuelem ausculta *in Theologia fundamentali, num. 412.* qui quæ hîc à *numero 2.* reddidi, fassus est. Et *nu. 1581.* in sequentia prorumpit. Considerato amore proprio, irritatione adversùs inimicos, temeritate suspicandi, præcipitatione operandi, & aliis plurimis peccati originalis reliquiis, quæ vel ab ipso peccato originali foventur in Ethnicis, vel illo per baptismum extincto, ad agonem, & exercitium virtutum remaneant in Catholicis; necesse omninò fuit, vt homines in communitatem convenirent, & arbitrio alieno in causis propriis regerentur. Hinc fundamentalis Rerum publicarum omnium Lex, *Vt nemo sibi Ius privatim dicat, sed illud singuli à publicis Iudicibus audiant.* Eà igitur die, qua homines voluerunt, & debuerunt convivere, cesserunt omni privato iure, res suas privata prudentia dirigendi, & potestatem omnem transtulerunt in communitatem. Hinc est, quod illa singuli possint privatim agere, quæ permittit Respublica; illa non possint, quæ legibus fuerint contraria. Cum igitur possideamus animas, vitas, honores, & divitias, omnia hæc propugnant orthodoxæ Reipublicæ, legibus sanctissimis, & prudentissimè latis. Ergo iuxta istas Leges vivendum est: & si quispiam nobis molestus sit, iuxta istas leges, est compescendus.

Sed dices. Est interdum periculum in mora, 20
nec datur tempus, vt aliquis recurrat ad Principem. Ergo in tali casu non sunt curandæ leges publicæ.

Respondeo, quod fuissent valdè improvidi Legislatores, si non prævidissent hos casus, & oppressos, & invasos ex improviso, non iuvissent lege, & licentia salutari. Ergo in talibus casibus, quia Respublica iuvare authoritate publica nequit, vt vnusquisque se defendat authoritate privata Ecclesiasticæ, & Sæculares leges, authoritate publica, præcipiunt, aut permittunt.

Hucvsque Doctissimus Caramuël: cuius doctrina menti teneri debet: & in ea adnotari, quod privatæ authoritati, in casibus, in quibus periculum est in mora, defensionem ex legibus vtriusque Iuris, Canonici, & Civilis permittit, non autem vindictam.

21 Palaus *dicta disput. 5. punct. 7. anm. 7.* ita fatur. Quarta causa est (suscipiendi scilicet Duellum) vindicatio iniuriæ factæ, illiusque teparatio etiã sufficiens iudicatur ab omnibus suprà dictis Doctotibus ad honestandum Duellum. Quia nemini particulati licet, ob vindicandam propriam iniuriam alterum occidere. Ergo nec procurare: ad hoc enim officium Principis est constitutum. Adde huiusmodi effectus non certo per duellum obtinetur: eum sæpè qui putatur victurus, succumbat. Hæc ille.

Consultò in Conclusione dixi: *ad vindictam:* vt excluderem opportunam sui, & rerum suarum necessariam defensionem, quæ motam non patitur.

CONCLVSIO III.

22 DVellum initum ad ostentationem vitium, aut delectationem, vel spectaculum, omninò peccaminosum, est, & illicitum.

Hanc tenent Marcus Vidal, Bussembaum, & Azorius *locis proximè allegatis.* Palaus *dicta par. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 7. n. 4. & 5.* cum Caietano *2. 2. q. 95. art. 8. circa solutionem ad 13. in secunda causa, & in Summa, verbo Duellum.* Navarro *in Manuali, cap. 15. in fine.* Valentia *2. 2. disput. 3. q. 17. punct. 1. causa 5. & 6.* Suarez *disput. 13. de Duello, sect. vlt. num. 1.* Coninch. *disput. 32. dub. 2. num. 5.* Petro Navarra *lib. 2. de Restitut. cap. 3. in 2. part. dub. 13. num. 296.* Thomas Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 12.* Ludovicus Caspensis *tom. 2. tract. 17. disp. 7. sect. 2. num. 25.* Becanus *tract. de Virtutibus Theolog. cap. 26. qu. 2.* quem omninò vide. Gabriel Vasquez *Opusc. de Restit. cap. 2. §. 1. dub. 9. nu. 36.* Delrios *Disquisit. Magic. lib. 4. c. 4. q. 4. sect. 2. ad fin.*

Ratio I. conclusionis est, præter prohibitiones non semel recensitas, quia huiusmodi Duellum exercetur sæpè cum mortibus hominum, & animarum periculis. Quæ Concilio Lateranensi, & Alexandro Papæ III. *in cap. Felicis, cl 1. de Torneamentis*, fuit tota ratio prohibendi sub simili privatione Ecclesiasticæ sepulturæ, nundinas, & ferias, quas Torneamenta vocant, ad eandem ostentationem vitium, & audaciæ, & delectationem factas.

23 Secunda. Quia Duellum, quod sine iusta, & legitima exercetur causa, absolutè, & simpliciter ex diametro contrariatur legibus, non solùm Ecclesiasticis, sed etiam Divinæ positivæ, & naturali. Ergo cum huiusmodi sit Duellum initum, ad ostentationem virium, & audaciæ, ad delectationem, & Spectaculum, omninò illicitum illud, & peccaminosum erit: & per consequens in illo decedens, privandus venit Ecclesiastica sepultura.

CONCLVSIO IV.

24 PRo honore defendendo, seu tuendo, non licet provocare ad Duellum, nec illud admittere in sensu formali, proprio, & rigoroso sumpto.

Hanc tenent apud Marcum Vidal *de Duello, inquisit. 2. a. 1.* Sanchez *in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 39. n. 6.* Valentia *2. 2. tom. 3. q. 17. punct. 1. versic. Nec secundò licet.* Bonacina *de Censur. disp. 2. quæst. 6. punct. 2. n. 11.* Lanfrancus *de Duello, opusc. 5. cap. 1. num..* Megala *in 3. part. D. Thom. tom. 4. lib. 4. cap. 4. n. 9.* Trullench, *tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 13. n. 4.* Fagundez *in 5. precept. Decalog. lib. 5. cap. 8. n. 39.* Filliucius *tract. 19. cap. 8. nu. 147.* Quibus addo, Scortiam *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones Theorem. 391.* præcipuè *versic. Obijcies.* ibi: Tum, quia pluris, &c. & ibi: Tum, quia provocatus, &c. & *versic. Ad primum, in fine.* Barbosam *in cap. Cura, num. 5.* cum ibi recensitis, *cl 1. de Purgatione vulgari.* Hermannum Bussembaum *in Medulla Theolog. libro 3. tract. 4. cap. 1. dub. 5. art. 1. resolut. 3.* Antonium de Escobar, & Mendoza *in Theolog. Morali, tract. 1. exam. 7. cap. 2. num. 23.* Azorium *part. 3. lib. 1. cap. 5. qu. 6.* Bassæum *tom. 1. verbo Duellum, num. 6.* Naldum *verbo eodem, n. 5.* Dianam *par. 5. tract. 13. resol. 27. versic. Nota.* Navarrum *tom. 2. Consilior. libro 4. tit. de Divortiis, consil. 2. aa. 4.* Caspensem *tomo 2. tract. 17 disput. 17. sect. 2. n. 26.* Becanum *tract. de Virtutibus Theolog. cap. 26. q. 5.* Pacem Iordanum *tom. 3. lib. 4. tit. 17. nu. 157.* cum Riccio *in Praxi, lib. 3. resol. 47.* Gabriel. Vasquez *Opusc. de Restit. cap. 2. §. 1. dub. 9. a. 36.* quem vide. Castr. Palaum *part. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 7. n. 8.* cum Caiet. *2. 2. q. 95. art. 8. circa solutionem ad 3. argument.* Suarez *disp. 13. de Bello, sect. vlt. n. 5.* Petro Navarra *de Restit. cap. 3. in 2. part. dub. 13. n. 286.* & Ægidio Coninch. *disp. 32. dub. 2. n. 8.* Ioan. Caramuel *in Theolog. fundament. tom. 2. fundamen. 55. n. 1592.* & clariùs ac fusiùs, *n. 412. 414. & 1584.* cuius verba infrà exscribam.

Rationem I. pro Conclusione nostra firmanda 25
desumo ex Caspensi. Quia si liceret Duellum admittere, aut ad illud invitare, & provocare, esset, quia alter tuum honorem aggreditur, & tu mediante Duello, illum defendis. Sed invitans, & provocans ad Duellum, tuum non aggreditur honorem, nec illum defendis, sed offendis acceptando Duellum, & multò magis ad illud provocando: potius enim ex Duelli repulsa, quàm ex eius invitatione, aut admissione honor sequitur. Ergo Duellum nullo modo licet offerre, aut acceptare ad honorem defendendum.

Secundam sic Caramuël format *d. num. 1584.* 26
Venio ad honorem. Si iudicasset Respublica, posse honorem instantanea invasione deperdi, & dari casum in quo esset periculum in mora, etiam permisisset vt gladio honorem tuereris cum moderamine inculpatæ tutelæ. At quia iudicat talem casum non dari, non concedit, nec permittit gladiũ privata authoritate stringi, & calumniatorem occidi. Nullum enim est periculum in mora, & qui loquuntur temerè, possunt, & solent pœna gravi puniri. Hæc Ioannes Caramuël.

Conclusio tamen vnam, vel alteram limitatio- 27
nem admittit, in opinione valdè probabili aliquorum, ex allegatis Doctoribus. *Prima* est, quando vir Equestris in aula Regia, Miles in exercitu, aut Castris, Dignitate, Officio, aut Principis favore excidere debeat, ob ignaviæ suspicionem, nisi identidem provocanti se sistat, meræ tamen defensionis gratiâ, cum spe prævalendi.

Ita Bussembaum *resol. 6.* dicens. Layman *lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 3.* Hurtado *2. 2. disp. 170. sect. 8. §. 76.* Lessium *lib. 2. de Iust. cap. 9. dub. 8.* Filliucium *tract. 29. cap. 8. quæst. 6.* & Navarrum *in Manuali, cap. 15.* non audere damnare huiusmodi virum nobilem, vel Militem Duellum in proposito admittentem casu. Pro eadem limitatione refert, Ioannes Caramuël, Gregor. Carafa *in libro de Monomachia, Romæ edito, anno 1647. tract. 4. sect. 6. respons. 6. num. 16. pag. 347.* cuius verba exscribit *in Theologia Fundamentali,*

par. 2.

par.2.fundamento 55. *num.*1592. & sententiam illius probabilem pronuntiat, dicens. Contrariam sententiam defendunt, vt probabilem multi, non vt certam: & si illa est probabilis, etiam hæc erit: vel Dialecticam moralem ignoramus. Libuit Doctorem, pro Conclusione nostra, & limitatione, recensere istum, qui sub *num.*414. tertiam decimam hanc Conclusionem ponit, per quam, Conclusionem tenere, & limitationem convincitur.

28 Qui non acceptat Duellum, non perdit honorem apud viros probos, & Doctos, sed solùm, apud viles, improbos, & imperitos. Esse in pretio apud istos, aut non esse, perindè est. Cæterum si horum sit dignitates conservare, aut conferre, posset quis acceptare Duellum, si aliter habeat, aut privari Officio, aut ad munia sibi alias debita non promoveri. Et statim ad huius explicationem progreditur, & dicit. Stat igitur acceptasse Duellum nullomodo esse licitum, nisi ad Summum eo casu, quo ex non acceptatione, provocatus incurreret damnum grave distinctum à læsione honoris apud improbos; aut certè periculum probabile damni notabilis; qui casus raro, aut nunquam continget. Ergo concludimus, honoris conservandi causâ apud improbos, nec licere ad Duellum provocare, nec acceptare Duellum.

Hucusque Caramuël, satis opportunè ad regulam generalem Conclusionis nostræ, & eius exceptionem, & limitationem firmandas. Expende verba, nisi eo casu, quo ex non acceptatione provocatus incurreret damnum grave, distinctum à læsione honoris apud improbos, &c. Satis enim benè præscindit iste eruditissimos Doctor, læsionem honoris apud improbos, ignorantes, & viles homines à damno gravi certo, aut probabili. Et concludit quod ob honorem apud illos conservandum præcisè, non licet ad Duellum provocare, nec illum quidem admittere: quia esse in pretio apud illos, aut non esse perinde est; Secùs autem ob grave, aut notabile damnum, saltem probabile vitandum: sive illud in amissione eorum, quæ possidet provocatus, sive in non acquisitione eorum, quæ sibi aliquomodò debentur, consistat.

Idem tenent Diana, *part.* 5. *tract.* 13. *resol.*27. *versic. Nota*, cum Mendoza 2.2.*disp.* 170. *sect.*8. §.78. Ausonius Noctinot, *in Compendio*, *verbo Duellum*, *n.*2. Dianæ verba recenseo. *Nota etiam, quod licet non possit acceptari Duellum honoris causa, tamen licita erit acceptatio certaminis, ne amittantur honores, & munera publica.... quando acceptatio est vnicè necessaria ad dicta bona conservanda.* Hæc ille.

29 *Secunda* Conclusionis limitatio est, quando quis ab iniustis convitiis, ac subeundo dedecore, aliter se liberare nequeat, nisi cum provocante congrediatur. Hanc tenent Paulus Layman, & Gregorius Carafa *locis allegatis suprà*, & probabilem iudicat Ioannes Caramuël.

30 Contra Conclusionem nostram, sunt qui sentiant, licitum esse Duellum proprium, & formale ad honorem in actuali aggressione, vel in actu proximo tuendum; qui tamen alicuius sit momenti, habitâ ratione personarum, & circumstantiarum secundùm se concurrentium in illo tunc; dummodò tamen in illo instanti temporis, alia via non pateat pro honore defendendo. Ita Marcus Vidal *de Duello*, *inquisit.* 2. vbi asserium hoc vatiis, & multis admodum argumentis, prolixè probat. Concludit tamen *num.* 49. *in fin.* Ergo à ptimo, vsque ad vltimum nostra assertio est bona, ac probabilis, non solùm speculativè, verum etiam practicè secundùm se, quamvis ob fragilitatem humanam proclivem ad iniuriæ vindictam, fiat practicè valde difficilis: ideo non est omnibus indifferenter consulenda, sed tantùm secundùm iudicium viri prudentis.

In eadem sententia videtur fuisse Leonardus Lessius, de Iustitia, & Iure, *lib.*2. *cap.*9. *dubit.*12. *num.* 80. in simili de occisione contumeliosi, ob honoris defensionem. Postquam enim *num.* 78. probaverat licere contumeliosum occidere quando aliter ea iniuria arceri nequit, in hæc prorumpit. Ob has rationes hæc sententia est speculativè probabilis; tamen in praxi non videtur facilè permittenda. *Primò*, ob periculum odij, vindictæ, & excessus. Si enim D. Augustinus ob has causas, ægrè admittit, vt quis pro vita tuenda alterum possit occidere, quantò minus in tali casu, ob honorem tuendum concederet? *Secundò* ob periculum pugnarum, & cædium. Vnde, qui in tali casu occideret, puniretur in foro externo, vt docet Gomez, *suprà num.* 24. etsi mitius: tum, quia alter dedit causam: tum: quia homo intenso dolore permotus, non est omnino sui compos. Hactenus Lessius, qui si occisionem pro honore tuendo non admittit in praxi, multò minus Duellum admittet. Ex quo, & ex Conclusione Marci Vidal, fit, istos DD. Conclusionem nostram in praxi admittere; quamvis speculativè loquendo, contrariam sequi videantur, vel saltem probabilem iudicent.

CONCLVSIO V.

Licitè potest Innocens acceptare Duellum el oblatum, & etiam illud indicere ad fugiendam mortem iniustam siue in iudicio, sive extra; dummodo tamen aliud non habeat remedium ad propriam defendendam vitam, & necessariò debeat mortem subire, aut Duellum committere. 31

Hæc Conclusio communissima est. Illam tenent Caspensis *tom.*2. *tract.* 17. *disp.* 7. *sect.* 2. *num.*28. & 30. cum Navatro, *in Manuali cap.*11. *num.*39. & *cap.*15. *num.*9. & Petro Nauarra *de restit. lib.*2. *cap.*3. *dub.*13. *n.*289. Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali*, *tom.*1. *lib.*5. *quæst.*4. *cap.*1. *numero* 7. Becanus, *tract. de Virtutibus Theologicis*, *cap.*26. *de Duello*, *num.*1. & ibidem, *quæst.*3. *num.* 4. 5. & 6. quem vide, & *quæst.*7. Barbosa, *in Collectanea DD. in Concilium Tridentinum*, *sess.* 25. *de Reformatione cap.*19. *num.*17. cum Bonacina, *tom.*3. *de Censuris extra Bullam Cœna*, *disp.*2. *quæst.*3. *punct.*48. *n.*18. *versic. Secundus*. Pellizzarius, *tom.*1. *tract.*6. *cap.*2. *num.*32. & *tract.*8. *cap.* 5. *num.* 148. cum Mancino *tract. de infirmis in ordine ad Sepulturam*. Gabriel Vasquez *opusculo de Restitutione*, *cap.*2. §.1. *dub.*9. *num.* 36. Petrus Binsfeldius *in Enchiridio Theologia Moralis*, *lib.*3. *part.* 3. *cap.* 12. *de* 5. *precepto Decalogi* §.5. *de Bello*. Vidal, *de Duello*, *inquisit.*1. *num.*10. & *seq.* cum Filliucio, *tom.*1. *tr.*15. *cap.*1. *num.* 109. Sanchez in Decalogum, *tom.*1. *lib.* 2. *cap.*39. *num.*4. & 5. Valentia 2.2. *tom.*3. *disput.*3. *quæst.*17. *punct.*1. *versic. Est autem*. Layman *lib.*3. *de Iustitia tract.*3. *part.*3. *cap* 5. *num.*2. Lanfranco, *tom. de Duello*, *opusc.*5. *cap.*1. *num.* 6. Bonacina *de Censuris*, *disp.*2. *quæst.*6. *punct.* 2. *num.*12. Megalio *in* 3. *part. tom.*4. *lib.* 4. *num.* 9. Trullench, *tom.* 2. *lib.*5. *cap.*2. *dub.* 13. *num.* 7. & Fagundez *in quintum Decalogi præceptum*, *lib.*5. *cap.*8. *num.*42. & 44. Naldus *in Summa*, *verbo Duelluni*, *num.*1. cum Caietano *in Summa*, *verbo eodem*: Viguerio *Instit.*

*n.*124. *per totum.* Antonius Diana, *part.*5. *tr.*13. *resol.*25. *versic.Sed quanam, & resol.*27. cum Hurtado de Mendoza, 2.2. *disp.*170. *sect.*8. §.70. & 77. & *sect.* 9. §. 82. Ioannes Baptista Lezana, *tom.*2. *part.*3. *verbo Duellum*, *num.* 16. *casu* 2. & 3. cum Bectz *in Decalogum, circa praceptum* 5. *expositione* 3. *cap.*4. Castrus Palaus, *part.*1. *tract.* 6. *dispue.*5. *punct.* 5. *num.* 9. Bassæus, *tom.* 1. *verbo Duellum, num.* 5. & 7. Busembaum *in Medulla Theologia lib.* 3. *tract.* 4. *cap.*1. *dub.*5. *art.* 1. *resol.*5. Escobar de Mendoza *in Theologia Moralitract.* 1. *examine* 7. *cap.*2. *num.* 23. Sa, *verbo Duellum n.*2. Azorius *part.*3. *lib.*1. *cap.*5. *quast.*8. & 9. *in fine.* Caramuël, *in Theologia Fundamentali, fundam.*55. *num.*1583. & Lessius *de Iustitia lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *num.*49. cum Angelo *verbo Duellum*, *num.* 2. & Lirano *in lib.*1. *Regum cap.*17.

32 Ratione probatur Conclusio. Vnicuique licitum est se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ ab iniusto aggressore, etiam cum morte illius, si aliter vitam propriam salvare nequeat. Quia defensio est de Iure naturæ. *Can. Ius naturale el* 7. *distinct.*1. vbi inter alia, quæ de Iure naturæ sunt, D. Isidorus noster, *lib.* 5. ethymologiarum recenset: *violentia per vim repulsio.* Vbi Glossa marginalis ait *vim vi repellere licet.* Ergo quando aliquis aliter vitam suam defendere nequit, neque effugere ab iniusta morte sibi imminente, nisi Duellum acceptando, aut ad illud provocando, licitè vtrumque potest, & pugnam committere. Quia in hoc casu Duellum, seu pugna, defensio est propriæ vitæ.

33 Huc spectat, quod Caramuël ait, *in Theologia Fundamentali*, *num.* 1124. *Vim vi repellere licet.* Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.*1. & 3. sic ait. Iure hoc evenit, vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, Iure fecisse existimetur. At in mea præter intentionali Theologia, licere quidem aggressorem occidere, at hanc ipsam licentiam, & occisionem non esse directam, sed solummodò præter intentionalem ostendo. Hactenùs Dominus Caramuël.

34 Secundò probatur. Duellum existente iusta, & legitima causa licitum est: sed inter legitimas & iustissimas causas, primum obtinet locum, propriam vitam ab iniusta morte defendere, maximè si aliud Remedium non supperat ad illam defendendam: ergo Innocens licitè potest acceptare Duellum, immò & illud indicere, ad fugiendam mortem sibi iniustè necessariò inferendam nisi congrediatur.

35 Tertiò. Ad defendenda bona fortunæ, licitum est acceptare Duellum, immò & ad illud provocare, si notabilia illa sint, & alia via illorum defensio consequi non possit, vt probabimus Conclusione seq. Sed vita propria maius, & excellentius bonum est: ergo si ad illa defendenda Duellum licet, à fortiori licebit ad istam in æquali defendendam periculo. Minor Peyrino de Privilegiis *cap.*13. *n.* 5. *in fine* probatur diceoti: nullum enim maius bonum est, quàm propria vita.

CONCLVSIO VI.

36 Licitè acceptatur Duellum, & ad illud provocatur pro defensione bonorum (notabilium scilicet) si aliâ viâ eorum defensio nequeat consequi.

Istam tenent Vidal, *de Duello*, *inquisit.*1. *n.*25. cum Megalio *in* 3. *part. tom.*4. *lib.*4. *num.*9. Bonacina *de Censuris disp.* 2. *quast.* 6. *punct.* 2. *num.* 12. & Fagundez, *in praceptum.*5. *Decalogi*, *lib.*5. *c.*8. *num.*42. & 44. Antonius Diana *part.*5. *tract.*13. *resol.*27. *versic. Verum.* cum Sanchez modò allegando, *num.*7. Bannez 2.2. *quast.* 64. *art.*7. *dub.* 4. Caietano 2. 2. *quast.*95. *art.*8. *ad* 3. (licet incuria fortassis Typographi *q.*25. dicat) & *in Sũma, verbo Duellum.* Et cum Hurtado de Mendoza, 2.2. *disp.*70. *sect.* 8. §. 70 Ludovicus Caspensis *tom.*2. *tract.*17. *disp.*7. *sect.*2. *n.* 27. & 28. Lessius *de Iustitia*, *lib.*2. *cap.*9. *dub.*8. *n.*49. vbi ita fatur. Eadem videtur ratio in invasione fortunarum, vt colligitur ex eisdem Authoribus: traduntque in specie Angelus, & Bannez. Nam fortunæ sunt necessariæ vitæ instrumentum, subsidium, & ornamentum. Hæc ille, postquam dixerat licere Duellum, pro vita tuenda.

Tenent & Castrus Palaus, *part.* 1. *tract.* 6. *disp.*5. *punct.*7. *num.* 9. vbi in hæc prorumpit. Si minetur tibi, aliquis mortem, aut falsum testimonium, aut gravem iacturam divitiarum, nisi Duellum cum illo acceptes, & credas sine dubio tibi, illud malum inferendum esse recusato Duello; in hoc casu tibi licitum est Duellum acceptare, immò ad illud invitare. Quia non invitas ad malum, sed ad minus malum. Neque eligis periculum mortis absolutè, sed certum periculum mortis, infamiæ, amissionisque bonorum commutas in periculum dubium, & incertum. Sic Sanchez *lib.* 2. *cap.* 39. *num.*8. Valentia 2.2. *disp.* 3. *quast.* 17. *punct.* 1. *versic. Talis autem casus*, Coninch, *disp.*32. *dub.*2. *n.*4. *in* 7. *casu*, & *num.*17. & clariùs Lessius, *lib.* 2. *de Iustitia*, *cap.*9. *dub.*8. *num.* 49. Hactenus Palaus. 37

Rationibus ab istis Doctoribus tactis, aliam addo. Quia scilicet huiusmodi *Duelli acceptatio*, aut ad illud provocatio, & *actualis pugna*, & conflictus, non tàm Duellum, quàm fortunarum defensio est. Sed licitum est fortunarum aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliâ viâ non potest ea defendere. Vidal, & Diana, *locis allegatis*, Caramuël *in Theologia Fundamentali, fundam.*55. *num.*1583. Palaus, & Lessius *suprà*, cum Doctoribus, quos recensent. Et non obscurè decernitur *in cap. interfecisti*, *el* 2. *de Homicidio*, vbi permittitur occisio aggressoris personæ, & bonorum, dummodò id sine odio fiat. *Si autem* (ait Decretalis illa ex Pœnitentiali Romano desumpta) *sine odij meditatione, te, tuaque liberando, huiusmodi Diaboli membra interfecisti (secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei) si aliquid ieiunare volueris, bonum est tibi.* Ergo si nulla alia suppetat via ad defendenda bona præter Duellum, illud licitè ad hunc acceptabitur finem ab aggresso, & licitè aggressor provocabitur. 38

Consultò dixi Duellum ob bonorum defensionem, non tàm Duellum, quàm defensionem esse. Quia licet vtrumque illud sit: & Duellum, & defensio; aliter tamen, & aliter. Est enim materialiter Duellum, & defensio formaliter bonorum. Vnde est, quod licet aggressus ad pugnam aggressorem invitet, provocet, materialiter tantùm dici queat provocator ad Duellum; formaliter autem bonorum suorum iustus defensor, Vti benè Vidal, *de Duello*, *inquisit.* 1. *num.* 29. 39

Et ratio est, quia vti idem Vidal *inquit*, *inquisit.*2. *num.* 45. in moralibus semper attenditur id quod per se fit, non autem quod per accidens. Nam sicut in naturalibus, quod est per accidens speciem non constituit, ita in moralibus, quod 40

præter

præter intentionem sequitur operantis, quasi per accidens est, & nullum Iuris effectum operatur, argumento Textus in l. 2. in fine ff. de Conditionibus, & demonstrationibus, & causis & modis eorum, quæ in testamento scribuntur. Ergo cum in nostro casu bonorum Dominus per se tantùm intendat in pugna, seu Duello illorum defensionem, vt supponimus, & Duello vtatur tanquam medio vnico pro illo tunc ad; huiusmodi finem intentum, tàm pugna, quàm occisio aggressoris bonorum, per accidens se habebunt, & sola illorum defensio per se.

41 Non reticeam tamen Martinum Becanum, tract. de Virtutibus Theologicis, cap. 26. quæst. 6. contrariam sententiam, quàm communem appellat, docentem ex duplici principio, Primò quia in Duello, vita vtriusque pugilis exponitur præsenti periculo, non ex necessitate, sed ex condicto. Sed non licet exponere ex condicto v. tam vtriusque præsenti periculo pro sola defensione rerum externarum, cum vita vtriusque sit maioris momenti, quàm res externæ alterius. Ergo.

42 Secundò, quia sunt alia duo media aptiora ad hunc finem. Vnum, per simplicem defensionem extra Duellum. Possum enim, non ex pacto (vt in Duello fit) sed bona occasione, si offertur, invasorem repellere, etsi necesse sit interficere, vt res meas mihi conseruem, præsertim si sint magni pretij. Alterum per vias Iuris, quia si simplici defensioni, non esset locus, ob periculum propriæ vitæ, (vt si inuasor esset fortior, quàm ego) possum illum accusare de iniuria, & per sententiam Iudicis compellere ad restitutionem. Ex his duobus mediis, alterum potest eligi. Nam si advertam me fortiorem esse invasore, possum vi illum repellere; sin minus, ad sententiam Iudicis recurrendum est, Vtrobique cessat periculum propriæ vitæ; At in Duello, tàm mea, quàm invasoris vita periculo exposita est.

43 Hæc omnia Becanus, in quibus non satis probatur nostræ Conclusionis contrarium. Non quidem ex secundo, quod dicit. Quia supponimus, quod alia via non suppetat ad bonorum defensionem, quàm Duellum. Ruit ergo secundùm fundamentum, duas ad istam supponens, vnam iustitiæ publicæ, & alteram defensionis personalis simplicis, repulsionem scilicet, per vim iovasori bonorum factam. Fateor igitur, quod in casibus, in quibus côtigerit adesse quodlibet existis duobus mediis, conclusio non procedat nostra, sed alterum pro libito benè queat aggressus, pro rerum suarum defensione, & licitè quidem eligere.

44 Neque etiam ex primo. Quia licet in Duello vita vtriusque pugilis præsenti periculo exponatur; non tamen sine necessitate, ex parte Domini bonorum aggressi: & certè magna, vt supponimus: quia fortunæ bona, vti ait Lessius num. 36. sub hac Conclusione recensitus, sunt necessariæ vitæ instrumentum, subsidium, & ornamentum. Supponimus dixi, vt indicarem bona aggressa magni pretij, ac valoris debere esse prudentis arbitrio, attentis omnibus circumstantiis, maximè personæ illorum Domini, & indigentiæ istius, ad hoc vt illi liceat exponere periculo proximo vitam suam; immò & vitam aggressoris: quia maioris momenti est hominis vita, quàm res externæ parvi valoris.

45 Et licet aggressori nullam faciat iniuriam istarum Dominus, in illarum defensione cum periculo mortis illius, esto parui sint pretij, quia iuxta verum axioma tàm Theologorum, quàm Iuris vtriusque peritorum, Nemo fraudem, aut damnum facit, nisi qui facit ad quod Ius non habet. Ioannes Caramuël, in Theologia Fundamentali, num. 1161; cum Layman lib. 3. tract. 1. sect. 5. cap. 5. num. 16. seu: Nullam facit iniuriam, qui Iure suo vtitur. Caramuël ibidem, cum eodem Layman part. 1. tract. 4. cap. 15. num. 10. Rota in Pampilonensi de Stella 29. Octobris 1621. coram Coccino Decano: & quilibet Ius habeat ad bona, quantumuis parva, defendenda: peccabit tamen contra charitatem, si vitam propriam, & alienam periculo exposuerit, causa defendendi bona parui momenti. Quia non interveuit iusta ad id causa.

46 Neque vrget, quod in minori dicit, non licere vitam, vtriusque exponere periculo pro sola defensione rerum externarum, eo quod vita vtriusque sit maioris momenti, quàm res externæ alterius. Cum, quia non solùm vita vtriusque, sed quælibet seorsim sumpta absolutè maioris est momenti, quàm res externæ, quamvis maximi sint valoris; nihilominus, ex legitima causa, potest exponi periculo incerto, cum spe vincendi, & res proprias conseruandi. Tum etiam, quia cum istarum Dominus Iure suo vtatur in illarum defensione, nullam aggressori iniuriam facit, etiam cum illius occisione, quæ primariò non intenditur ab aggresso, sed bonorum defensio; & per accidens; & secundariò occisio, tanquam medium hîc; & nunc ad illam omnino necessarium. Vnde sibi imputet aggressor periculum, cui se exponit in invasione iniusta alienorum bonorum. Et quod ex condicto, seu pacto pugnandi inito, aut ex subita defensione rerum suarum, aggressori quis mortem inferat, iusta existente causa, perinde est.

CONCLVSIO. VII.

47 Licitum est Duellum initum ex condicto, & pacto ad totius exercitus æstimationem conservandam, vel ad consulendum honori, & famæ militum, & ad avertendam communem ignominiam, vel ad vires hostium debilitandas, & suorum Militum animos corroborandos.

Hanc tenent Hermannus Busembaom in Medulla Theologiæ, lib. 3. tr. 4. de 5. & 6. Decalogi præceptis, cap. 1. dub. 5. art. 1. resol. 4. Escobar de Mendoza, in Theologia Morali, tract. 1. examine 7. cap. 2. num. 23. Sà verbo Duellum, num. 2. Caspensis, tom. 2. tract. 17. disp. 7 sect. 2. num. 31. Becanus, tract. de Virtutibus Theologicis, cap. 26. quæst. 1. n. 3. Vasquez, opusc. de Restitutione cap. 2. §. 1. dubit. 9. num. 36. cum Navarro, quem etiam Azorius, to. 3. lib. 1. cap. 5. quæst. 4. recenset; & sequitur ex Manuali, cap. 15. num. 47. de casu nostræ conclusionis illum interpretatur. Marcus Vidal, de Duello, inquisit. 1. num. 12. cum Sanchez in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 13. & 14. Valentia. 2. 2. tom. 3. disp. 5. quæst. 17. punct. 1. versic: Quanquam; Bonacina, Layman, & Franco. Ioannes Lezana, tom. 2. part. 3. verbo Duellum, num. 16 casu 1. Castrus Palaus, tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 7. n. 15 cum Suarez disp. 13. de bello, sect. vlt. num. 9. Sanchez num. 15. & 16. Valentia, versic. Talis autem casus. Petro Navarra, lib. 2. cap. 3. part. 2. dub. 13. num. 294. & Conineh. disp. 32. dub. 2. num. 28.

Ratio I. Conclusionis est. Quia Duellum in hoc casu est pars belli, & ad victoriam consequendam sæpè conveniens: ac proinde ex eisdem conditionibus, quibus honestatur bellum, Duellum ipsum tunc honestatur. Palaos.

Secunda. Quia homo privatus potest se exponere vitæ periculo pro communi bono conservando & promovendo. Becanus *dicta quæst. 1. in fine.*

Hæc illustratut veritas in saera pagina I. Regum, *cap.* 17. exemplo Davidis, qui ad singulare eettamen cum Philisteo fuit progressus. Et non in eo peecavit, quod Duellum acceptavit, & pugnavit. Non solùm, quia id ex Spiritus sancti inspitarione fecit: sed quia pugna illa, & conflictus, æstimationem exercitus sui Principis conservavit, hostium animos debilitavit, ac victotiam de inimicis teportavit.

CONCLVSIO VIII.

49 QVando etuentum, perieulosum, ac iustum bellum resoluitur in Duellum ob indulgentiam multitudinis, ne totus pereat exercitus, tunc licitum est Duellum ex parte iustum bellum gerétium; dummodò tamen eognoscant ipsi transferre quasi certum damnum in dubium, & in victoriæ spem; non tamen trahendo victoriam ad statum magis dubium, quàm per Bellum.

Hanc Conclusionem tenent Barbosa *in collectanea Doctorum in Coucilium Tridentinum, sess. 25. de Reformatione cap. 19. num. 7. & 16. & in cap. Cura, num. 5. el 1. de Purgatione vulgari*, eum Reginaldo *in Praxi fori Pœnitentia, lib. 21. cap. 7. n. 79.* Florono, *de Duello, cap. 3.* Petegrino *eod. tract. q. 2. ad finem*, Bonacina, *de Censuris disput. 2. quæst. 6. punct. 2. num. 3. & de Censuris in particulari, de Censuris extra Bullam, disp. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 4. & 18.* Sanchez, *in Decalogum tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 11. & 14.* Sayro, *in clavi Regia lib. 7. cap. 15. num. 16.* Caietano, 2. 2. *quæst. 95. art. 8. in respons. ad 3. versic. Quinta causa.* Filliucio, *tr. 29. cap. 8. num. 142.* & cum Lira *in lib. 1. Regum c. 17.* Gabtiel Vasquez, opusculo de Restitutione, *c. 2.* §. 1. *dub. 9. num. 36.* Azotius *part. 3. lib. 1. cap. 5. quæst. 3.* Martinus Delrio, *Disquisitionum Magicarum lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect. 2. prope finem.* ibi. Tertiò non pohiberi, vbi addit. Non tamen liceret illis animi eausa, vel gloriæ solius ad ostendendum robur militum facere; sicut olim fecerunt Ioab, & Abner, 2. *Regum, 2. versic. 15.* & sicut pro sola gloria humana Bellum non licet, suscipere, sic nec Duellum licet permittere. Hæc ille.

Tenent etiam Conclusionem nostram Petrus Binsfeldius *in Enchirid. Theologia Moralis, par. 3. de decem Decalogi preceptis cap. 12. de 5. precepto, §. 5. de Bello, in fine.* Marcus Vidal, *de Duello, inquisit. 1. num. 10.* cum Caietano *vbi suprà, versic. In quinta causa, & in Summa, verbo Duellum.* Sanchez, *num. 16.* Lanfranco, *tom. 2. in opusc. de Duello opusc. 5. cap. 1. num. 9.* Valentia, 2. 2. *to. 3. disp. 3. quæst. 17. punct. versic. Talis autem,* Megalio *punct. 3. tom. 4. cap. 4. num. 9.* Layman *lib. 3. de Iust. tract. 3. part. 3. cap. 5. num. 3.* Trullench, *tom. 2. lib 5. cap. 2. dub. 13. num. 8.* & aliis. Castrus Palaus *par. 1. tr. 6. de Charitate disp. 5. punct. 7. num. 15.* cum Suarez, *disp. 13. de Bello sect. vlt. nu. 9.* Petro Navarra *lib. 2. de restitut. cap. 3. in 2. part. dub. 13. num. 294.* Lezana *tom. 2. part. 3. verbo Duellum, num. 16.* eum Navarro *in Manuali, cap. 15. n. 27.* Basilæus, *to. 1. verbo Duellum, num. 7.* Busembaum, *in Medulla Theologia, lib. 3. cap. 1. de 5. precepto, & de cap. 1. dub. 5. art. 1. resolut. 4.* Antonius de Escobar, & Mendoza, *in Theologia Morali tract. 1. examine 7. cap. 2. num. 23.* Caspensis, *tom. 2. tract. 17. disp. 7. sect. 2. num. 31.* Becanus, *tract. de Virtutibus Theologicis, cap. 26. quæst. 2. in fine, & quæst. 4.* vbi ait posse acceptari, & offerri in hoc casu.

Et licet Doctores in plurimum loquantur in 50
casu proposito, de Duello inito interventione Principis iustum Bellum gerentis, in dubium mihi est, conclusionem procedere, etiamsi Principis non adsit authoritas. Ista enim mediante, nunquam datur verum, proprium, & rigorosum Duellum, sed impropriè & latè sumptum, vti in disquisitione dixi, *num. 2. & Corollario 15. & 16.* Doctores autem allegati absolutè docent, licitum esse Duellum, in quod resoluitur Bellum, ex causâ in conclusione expressâ, & cum conditione in illâ explicatâ. Et sic de vero loquuntur Duello. De congressu autem authoritate Principis, aut Ducis exercitus, inter aliquos ex suis Militibus cum totidem ex adversariis, quis vnquam dubitare quivit licere, resoluto Bello multitudinis, in Bellum paucorum? Nemo quidem, quia nullus princeps, aut Dux adstringitur periculo totum suum exponere exercitum: & quia si totum exponere benè potest, vt sæpè solet, à fortiori poterit partem minimam, ex conventione cum adversario dicto exponere periculo. Quod patet ex Regula, *Cui licet, quod est plus, licet vtique, quod est minus la 53. de Regulis Iuris in 6.* ex Lege *Non debet, cui plus licet, quod minùs est non licere la 188. ff. de Regulis Iuris.* Et Glossa *in Reg. Cui licet, verbo Cod.* ita ait. Cui licet plus, & minùs. *Et in cap. Cum illorum verbo Minora & 32. de sententia excommunicationis*, sic fatur. Et è converso, cui conceditur maius, & minus. Procedit igitur Conclusio nostra in casu, quo aliqui Milites vnius exercitus, ex privato pacto, cum totidem Militibus ex adversariis pugnent, assignato tempore, & loco ex causa, & cum conditione, de quibus in eadem met Conclusione, quod magis ex sequentibus patebit rationibus.

Prima. Duellum proprium, rigorosum, & for- 51
male per quod minus malum eligitur ad maius, necessariò sequendum, vitandum, licitum est. Sed à Iure Canonico, Concilio Tridentino, & Constitutionibus Apostolicis tantùm interdicitur, & prohibetur Duellum peccaminosum. Ergo non prohibetur Duellum per quod minus malum eligitur. Sed Duellum, de quo in nostra Conclusione est huiusmodi: ergo non est prohibitum, sed licitum.

Secunda. Tunc solùm illicitum est Duellum, 52
quando irrationabiliter sine iusta scilicet causa, quis se exponit mortis, aut gravis mali periculo. Sed Duellum de quo in Conclusione, satis rationabiliter, & ex iustissima exercetur causa, cum minuatur periculum, & multorum homicidia vtrinque in Bello contingentia, in paucorum homicidia commutentur, & spes augeatur victoriæ. Ergo præfatum Duellum non est illicitum.

Tertia. Licitum est ex causa legitima, & iusta 53
hominem occidere, ad vitandum scilicet damnum grave alicui moraliter certò eventurum: ergo à fortiori erit licitum, seipsos, privatos milites, periculo moriendi in Duello exponere, ad impediendam communem cladem moraliter eventuram. Bonum enim commune, & Reipublicæ, præfertur particularium bonis. Et singuli omnia sua, & seipsos, ac vitam ita debent bono communi, & publico postponere, vt teneantur in vrgentissima Reipublicæ indigentia, illa omnia deponere, & vitam saltem proximo periculo exponere, & ita evidenti quidem, vt necessariò illa amittenda sit.

Vnde

54 Vnde miles in statione sua persistere tenetur, etsi moraliter sit certus se occidendum. Busembaum *in Medulla, lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 1. *resol.* 1. *cum Card. de Lugo, disp.* 10. *q.* 1.

CONCLVSIO IX.

55 Licitè congrediuntur, & pugnant in Duello, quibus Princeps in casu extraordinario, ad maiora vitanda mala, illud permittit. Et in tali casu licitè Duellum permittit princeps, & sine censuratum aliarúmve pœnarum incursione.

Hanc Conclusionem, quoad secundam eius partem, tenent Marcus Vidal, *de Duello, inquisit.* 1. *num.* 43. Azorius, *part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 3. Lezana, *tom.* 2. *part.* 3. *verbo Duellum num.* 16. Emmanuel Sà, *eodem verbo*, *num.* 2. Becanus, *tract. de Virtutibus Theologicis, cap.* 26. *quæst.* 4. Caspensis, *tom.* 2. *tract.* 17. *de Charitate disp.* 7. *sect.* 2. *num.* 24. Scortia *in selectas Summorum Pontificum Constitutiones, theoremate* 392. *versic. Quæres.* cum Caietano 2.2. *quæst.* 95. *art.* 8. *& in Summa verbo Duellum.* Armilla *eodem verbo.* Valentia 2.2. *disp.* 17. *quæst.* 3. *punct.* 1. Navarro, *in Manuali, cap.* 11. *num.* 39. Antoninus Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 1. *versic. Nota secundò.* cum Reginaldo *to.* 2. *lib.* 21. *cap.* 7. *n.* 37. Idem Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resolut.* 10. *versic. His tamen non obstantibus.* cum Fragoso, *in Regimine Christianæ Respublicæ, part.* 1. *lib.* 1. *disp.* 2. *num.* 23. Cœlestino *in Compendio Theologiæ Moralis, tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 10. & cum Hurtado de Mendoza, 2.2. *de* Fide, Spe, & Charitate, *volumine* 2. *disp.* 170. *sect.* 21. *num.* 173.

56 Et probatur primò. Quia minora mala, non solùm permittuntur licitè, sed etiam licitè consuluntur, quando aliter maiora mala vitari nequeunt moraliter loquendo. Diana, & Hurtado *locis citatis.* Quibus consonant alij Doctores, quos *num.* 37. recensui.

57 Secundò. Ius naturale, & Ecclesiasticum permissiones prohibent Duellorum ad vitanda damna inde sequenda: ergo si ex non permissione damna sequantur maiora, non intelligitur prohibita permissio.

58 Tertiò probatur. Ob vitanda adulteria, & alia gravissima sensualitatis peccata, licitè meretrices permitti solent. Vidal *num.* 44. Diana, Hurtado, Scortia *ubi proximè*, & D. Augustinus *lib.* 2. *de Ordine cap.* 4. *tom.* 1. dicens. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaberis omnia libidinibus: ergo ad maius malum vitandum, in casu rarissimo, & ex gravi causa licitè, & absque ulla pœnarum incursione, poterit Princeps Duellum permittere.

59 Et in tali quidem casu licitè designare quibit certamini locum, sicuti licet locum lupanari designare, quando sine lupanari vitari nequeunt graviora obscœna peccata. Et designare certamini locum, non est cooperari certamini, sicut nec designare lupanari locum, est cooperari ad meretricum impudicitiam. Est itaque designatio utraque conditionata, ut scilicet ibi pugnent, & non alibi, qui pugnam inierint: & ibi exerceat meretricium, quæ meretrix esse velit. Ita Hurtado, & Diana.

60 Confirmatur argumentum ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 11. *in corpore*, his hæc verba, menti tenenda, prorumpente. Respondeo dicendum, quod humanum regimen derivatur à Divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit Omnipotens, & summè Bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in Universo, quæ prohibere posset: ne eis sublatis, maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano, illi qui præsunt rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur, sicuti Augustinus dicit, in libro de Ordine, Aufer meretrices de rebus humanis, turbaberis omnia libidinibus. Hactenùs Angelicus Doctor. Vbi Caietanus addit. Et propterea ad has causas examinanda est permissio; sed cave, ne permissio sit admista participatione. Ita Cardinalis, cuius consilium præ oculis habere debet omnis ille, qui permittit.

61 Quoad priorem verò partem, probatur Conclusio, supponendo illam procedere, respectu illorum, qui iustam habent pugnandi, & confligendi causam; non autem illorum respectu, qui iniustè causam, Duellum exercendi præstant. Cui licitè aliquid conceditur, vel permittitur, licitè utitur concessione, vel permissione: hæc enim duo, *concessio*, (& idem de permissione) & concessionis *usus*; eiusdem rationis sunt, & ad invicem correlativa: & quando unum correlativorum licet, necesse est ut aliud liceat: quia correlativorum idem est iudicium, & eadem disciplina, & dispositum de uno ad aliud trahitur. *L. fin. ff. de Acceptilationibus, l. Sin, Cod. de indicta viduitate tollenda.* Vnde Baldus ait, quod valet argumentum de uno ex correlativis, ad aliud. Ita *consilio* 14. *super legitimationem, lib.* 4. *num.* 2. & Navarrus, *commentario* 3. *de Regularibus, num,* 44. dicit, quod unum ex correlativis sine aliquo esse nequit: ac per consequens destructo uno eorum, & aliud destruitur: & quod uni est prohibitum, & alteri prohibitum videtur. Sed sic est, quod liceat Principi Duellum permittere, & locum pro Duelli conflictu designare, in casu extraordinario ad vitanda maiora mala, moraliter necessariò sequenda, uti satis est probatum. Ergo in huiusmodi casu, qui iustam habet pugnandi causam, licitè utitur permissione, licitè pugnat.

62 Secundò probatur, ex sæpè dictis. Licitum est Duellum propriè sumptum, per quod minus malum eligitur, ad maius malum vitandum, necessariò sequendum, moraliter loquendo. Ergo licitè pugnant in Duello, quibus ad maius malum vitandum illud Princeps permittit. Patet consequentia, quia eadem assistit pugili, ad confligendum causa, quæ assistit Principi ad Duellum concedendum, seu permittendum.

63 Tertiò, quia solùm est illicitum Duellum, quando sine iusta exercetur causa. Sed in casu nostræ Conclusionis aliqui ex pugilibus iustam habent confligendi causam. Ergo illi saltem (quòd solùm intendimus) licitè in Duello pugnabunt.

64 Quod si petas, quænam sint legitimæ causæ, quibus Principes permoti, permittere licitè Duellum valeant, & locum pro conflictu designare?

Respondeo, tres ab Hurtado de Mendoza *loco citato* tradi, quæ prout à Diana recensentur *ubi suprà*, quæ sequuntur sunt.

Prima. Quando inter duos Principes fervent odia minitantia bellum exitiale: quod quidem averteretur, & restinguerentur odia, si Monomachiam permittat Princeps tertius, qui non solùm (inquit) posset eam permittere, sed consulere; si omnibus prudenter expensis, iudicaret nullam esse aquam illi incendio. Consulere inquam, non absolutè, sed ut potest consuli minus malum.

Secunda, quando duo Principes peterent à Principe tertio campum, vt ex ipsorum Vasalliis, pauci in eo duellarent, si Princeps ille tertius illum negate non posset sine periculo, vt illi in eum atma verterent, illique imminetet, aut amissio Regni, aut periculosum bellum.

Tettia, si Vasalli Principis ita tumultnentur in civilibus odiis, vt prudenter timeatut illos eacervatim, & ex insidiis coogressuros; neque ipse Princeps posset eos legibus coercete, nec compescere, immineatque seditio, & rebellio. Tunc si possent ea damna vitati permissa, aut consulta Monomachia, esset petmittenda, aut consulenda. Minusenim malum est, vt pauci congrediantut, quàm vt multi.

DVBII TERTII APPENDIX, Additamentum.

BREVIARIVM.

Bonum.

Publicum bonum, privato debet anteferri, n.88.

Carnifex.

Eo modo tenetur occidere, quo Iudicis sententia declarat, & alio non potest diverso, n.83.

Peccat, si hostis rei est, & causa explendi odij eum occidit, n.83.

Caro.

Chartusiano sub mortali prohibetur, etiamsi non comedendo illam mori deberent, n.88.

Cessio.

Iuris naturalis cessio, legitima est ob commune bonum: & illa ad mortale obligat, n.88.

Duellum.

Leges Duelli, communis opinio hominum militiarum condit, n.65.

Duellum Decretorium transire potest in satisfactorium, n.76.

Duella sunt Iure naturæ prohibita, n.77.

In nullo casu ea licet acceptare, vbi absolutè Lege prohibentur Ecclesiastica, aut ciuili, & exclusis omnibus limitationibus illa permittentibus, numero 87.88.

In Duello vulneratus, sine honoris iactura desistere potest, & contrarius desistere tenetur, n. 76.79.

Ad tuendum honorem proprium, non tenetur invitatus Duellum propugnatorium acceptare, cum sufficiant verba: & quænam sufficientia sint, numero 67.72.73.81.84.

Vt conservent honorem, Duellum acceptare non tenentur, qui eorum in statu sunt, qui armis non vtuntur, v.g. Mulieres, n.68.

Ecclesiastici, maximè Religiosi, n.69.

Iuris periti, & Medici, n.70.

Qui armis non ad vsum, sed ad adornamentum vtuntur, n.71.

Nec inter Milites, Superior ab inferiore provocatus, nec è contra, n.72.

Nec provocatus à patre, à patruo, à filio, nepote, &c. & è converso, n.74.82.

Nec Regia persona à Nobilibus provocata, num.75. 76. 78.

Nec senex à iuvene provocatus, & è contra, n. 81.

Nec, qui vitam alteri concessit, si ab eo provocatur, 82.84.

Nec qui nomine provocatur alterius, n.85.

Duellum acceptare ad conservandum honorem apud viles, improbos, & imperitos, licet solum quando horum sit dignitates conferre, aut conservare, & se illud non acceptando, privaretur Officio: aut si ad munia sibi debita, non promoveretur: aut damnum notabile probabiliter, ex non acceptatione, provocatus incurreret, ab honoris lesione distinctum, n.86.

Fabrilia.

Tractent fabrilia fabri, n.65.

Occidere.

Inimicum occidere alio modo, quo militibus, aut aliis ministris Iustitiæ iubetur, mortalis culpa est, numero 83.

PRo complemento eorum, quæ circa quartam 65
diximus Conclusionem, libuit disquirere, *An provocatus ad Duellum, Duelli legibus attentis, teneatur illud acceptare, & ad arenam descendere?*

Leges Duelli voco, communem hominum militiarum opinionem, de hac diffidationis materia. Ad illos enim res bellica spectat, non ad Theologos, Canonistas, Legis peritos, aut Physicos. Non ad auri, argenti, ligni, aut ferri fabros. Sicut enim fabrilia debent tractare, tractantque fabri, ita & militaria, milites. Multa, variaque circa quæsitum dici solent: omnia obscura, difficilia, & implexa omnia. Varij sunt hominem sensus, ac placita. Nobilibus, non consentium ignobiles; nec militibus cives. Quid ergo pro dubij istius resolutione tenendum sit, non à civibus, nec ab aliis, quàm à militibus, petere, & recipere debemus.

Quod dixero, à Doctissimo nostro Ioanne Caramuel accepi, qui *in Theologia Fundamentali, fundamento* 10. *num.* 612. *pag. mihi* 111. ad dicenda præfatur. Possem me breviùs expedire, nec plus examinare, quàm proposita difficultas inquirit: at quia multis annis inter milites egi, & multarum nationum mores præiudiciis bellicis depravatos observavi, & qua licuit correxi, multa poteto dicere, quæ viri Doctissimi ignorant. In iis enim, quæ à placitis militum pendent, ingenium inexpertum cæspitat. Volo igitur examinare breviter, quid in Duelli materia sentiant, & asserant milites, & nobiles: & Vtrum benè? Sic præfatus Doctor, quem in dicendis, pro Dubij resolutione, tanquam fidelissimum interpretem militum, & nobilium, multarum, vt ipse asserit, nationum, sequar. Omitto plura ex his, quæ disertè, eloquenterque ibi docet. Nonnulla quidem, quia in præcedentibus illa recensuimus; altera verò, quia pro huius dilucidatione dubij, non ita necessaria creduntur.

Difficultas procedit circa Duellum *propugna-* 66
torium. Illud scilicet, in quo quis non provocat ad certamen, & pugnam, sed provocatur, & ad quod descendit animo suum defendendi honorem, seu illum conservandi; non autem ad provocantem occidendum: cuius tamen si mors sequatur, per accidens erit respectu animi, & intentionis provocati, & imputanda diffidanti, & provocanti.

Inquitit igitur Dominus Caramuël *sub prædicto n.*412. *versic. Manet igitur*: *An semper potero licitè acceptare necessitatem confligendi, & venire ad designatum locũ, tempore designato?* Et respondet quæsitui suo, aliquas Conclusiones statuendo, illásque non tam probationibus, vti videbimus fulciendo, quàm exemplis exornando. Libuit ad amussim eius doctrinam recensere, quia codex rarus est, & illam dignissimam,

dignissimam, vt præ manibus ab omnibus habeatur, iudico. Respondet igitur incipiendo à Conclusione, quæ licet in ordine quinta sit in quæstione de Honore, prima est pro dubij resolutione.

67 Conclusio V. *Quoniam sufficiunt verba ad tuendum honorem proprium, non tenetur acceptare Duellum provocatus.* Sed quæ verba sufficerent? Posset dicere. *Ego non teneor, nec possum acceptare Duellum, quod Leges Divinæ, Canonicæ, & Civiles inhibent: at sciam me defendere vbicumque invadas.* Et hæc verba inter Cives, sunt sufficientia; & sufficiunt inter nobiles, militesque, quos obtinere debet pietas & sinceritas. Quod si ita improbi homines sint, vt his verbis non se possit provocatus tueri, debebit tranquillo, & moderato animo considerare assertiones sequentes. Interim nihil curare existimationem improborum. (Similia ad idem intentum offerunt verba, Becanus *tract. de Virtutibus Theologicis cap. 26. quæst. 5.* Bassæus, *tom. 1. verbo Duellum, num. 6.* Busembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 5. art. 1. resolut. 3.* cum Trulleneh, *tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 13. numero 4.* & Lezana *tom. 2. parte 3. verbo Duellum, num. 16.* qui & Bissæus hæc etiam tradunt. Qui Duellum ineunt, infames in Ecclesia sunt, & propter hanc causam, inter alias illud non admitto.)

68 Conclusio VI. *Qui est in eorum statu, qui non vtuntur armis, non tenetur ad Duellum egredi provocatus: quin immò egrediendo, non conservabit suum honorem, sed perdet.* Primò Fœminæ, nec provocant, nec provocantur: & *anno 1642.* tisu Bruxellis excepimus generositatem, aut temeritatem cuiusdam Principis Gallæ, quæ Hispanam provocaret ad sclopos, & gladios. Sed si Deus non iuvisset, tisus iste fuisset versus in lachrymas, ob multorum vesaniam; qui hinc inde stantes volebant ad arma venire.

69 Secundò Ecclesiastici, & Religiosi præcipuè, non solùm non profitentur arma, sed profitentur carere armis. Vnde, qui Ecclesiasticum provocaret ad Duellum, censeretur delirus: & Ecclesiasticus provocatus, nisi suam vellet opinionem, & authoritatem prodigere, teneretur in tali casu, difficultatem bonis verbis componere, & provocationem ridere.

70 Ecclesiasticis adscribendi sunt Iurisperiti, & Medici. Et quia ista pendent ab experientia, aio me vidisse carpi ab amicis Nobilem, qui Medicinæ Doctorem provocarat: laudari Medicum à pietate, & prudentia, quod bonis verbis difficultatem composuisset.

71 Conclusio VII. *Non omnes, qui gerunt arma, illa gerunt ad vsum: nam plurimi ferunt ad ornatum: & isti egredi non tenentur ad Duellum.* Patet Conclusio. Sæpè enim videmus famulos, & inferioris fortunæ homines, enses deponere, & pugnis controversias dirimere: quod censeant se non teneri militum, & Nobilium imprudentibus legibus; sed gerere enses vt ornamentum, non vt arma.

72 Conclusio VIII. *inter ipsosmet milites, non censetur debere ad Duellum egredi, quia superiore, aut inferiore provocantur.* Nomine Superioris intelligo, non illum, qui in dignitate altiori positus, sed Prælatum. Quid enim sit de Milite provocato à Colonello, cui non subest: ille ipse si provocetur à suo Centurione, aut à suo Chyliatcha, Duellum acceptare non debet: sicut nec vllus militiæ Princeps (Centurio, Chyliatcha &c.) si provoce-

tur ab aliquo milite, quantumuis nobilissimo, & magno, si est sibi subditus. Superior ab inferiore sibi subdito provocatus, solet dicere: *Superiores propriis punire manibus irreverentes subditos non solemus: habemus enim huius rei causa lictores, carnifices, & alios.* Et in expeditionibus benè gubernatis huiusmodi provocationes luuntur capite: & Antuerpiæ quendam signiferum Hispanum vidi vltima condemnari sententia, quod contra Centurionem suum ensem extinxerit. Quid autem, si subditum provocet superior? Referam Historiam, quæ in Belgio accidit, *sub annum 1640.*

73 Neoporti, quidam militiæ Princeps, cœpit Tesserarium suum fastidire; & vt se expediret citò, cum ad Duellum provocat, hoc vt videbatur, bimembri ratiocinio abutens:

Aut se sistet, aut non. Si primum, damnabitur rebellionis, & temeritatis; si secundum, damnabitur pusillanimitatis.

Ergo Superior subditum in præcipitium protrudebat. At iste iratum patiens, sedato animo, perfido Superiori sic inquit. An sim strenuus miles, sciunt Hollandi, meo ingenio, & brachio interdum cæsi. Sciunt commilitones mei qui meorum laborum, & generositatis sunt testes. Scit Rex, qui me honoravit, & ad hanc dignitatem promovit. Scit dominatio vestra, & fateretur, nisi esset irritatus. Habeo gladium; quo meos. Superiores defendam: vitam, quam ad illorum imperia exponam; non autem arma, quæ contra illos stringam. Sit quæso V. Dominatio ista responsione contenta; sin minus promoveatur ad maiora, & habeat dignitatem aliam, ratione cuius non sit meus Superior, & tunc experiri poterit, an qui dignitatem veneror, personam moret.

74 Hinc à fortiori sequitur, non teneri iuxta militiæ Leges ad Duellum egredi, qui vel provocatur à patre, patruo, avunculo, avo, &c. vel à filio, nepote, &c. Maior enim est subordinatio naturalis, quàm quæ legibus est introducta.

75 Conclusio IX. *Regiæ personæ, quales sunt vbique Regum filij, & in Gallia omnes illi, qui nominantur Pares, cæteris Nobilibus quodammodo præsidere creduntur, nec Duelli aleam acceptare.* Gabriel Bartholomæus Gramondus, Senator Regius, Tolosani Parlamenti Præses, in Galliæ Historia, ad *annum 1612. §. Eo anno. pag. mihi 31. Luxius duplici vulnere confossus cadit. Fuere; qui ex improviso à Guisio cæsum, dum ferrum stringit, obstreperent. Rem in ambiguo positam in peius explicat Luxy vesanus dolor. Certè diu prohibuis reverentia, quin Principi singulare certamen indiceret. Vicit ira, ardunm opus erat à disparitate natalium: neque enim vsu recepta in hanc diem singularia certamina virorum Principum cum secundi Nobilibus Ordinis.*

Se non posse Guiseum ad arenam vocare novit Luxius, cuius litteras, quia pulchræ, & Lectoribus vtiles, placet eruditionis causa adducere.

Nemini apertius innotescit causa doloris mei, vt legitimus est, quam tibi Domine, eoque veniam debes qui iustus es: ignosce si filium à patris nece ira vecordem agit. Singulari tecum certamine dum experiar, si congressum non dedignaberis, quod spero, cum Principe experiri mihi honori vertet; tibi gloria, & decori, quam pro naturalibus detrectare pugnæ aleam potes, vltrò subeunti. Paterni sanguinis vltorē habes, à quo provocaris, aut vnū casum. Hac me insta opinio, qua sum virtutis tuæ legitimus æstimator, sperare debet renunt iaturum te sanguinis privilegio, quo Princeps es.

 Qui

Qui tibi à me hos condicillos reddit, idem Dux erit in arenam, quam teneo vltionis impatiens, aut mortis, mihi equus, vnus duo enses, quorum erit electio penes te; hic si parumprobabitur locus, sequar quo iudixeris.

Prodcrit etiam Duelli successum, & circunstantias omnes breviter recensere, vt possint nescire Theologi, quo Principes, & Milites modò in hac controversia discurrunt. Sequentes ergo lineas ex eodem Bartholomæo Gramondo sumo.

Scriptum ex fide retuli; eo tempore magni habitum, ex modestà provocantis audacia; molliebat invidiam instus dolor, parumque vsurpata inter inimicos vrbanitas; quod in adolescente vix annos viginti nato mirabile. Acceptum haber generosus eques Duellum, Griniantioque sensim dilabi insto, Rioletoit Comes, donec in arenam veniret. Datur delectus ensium, & quanquam gelu rigebat solum, exuitur thorax, nudantur ferro pectora: primo transitu, Guisij brachium, leviter mucrone perstringitur; vbi sanguinem videt, Patris, *inquit* manibus Luxi, factum satis eo sanguine: *Luxius ira vecors*, Decretoria, *inquit* pugna est, sociabitur morte *filius Patri, aut hostis, hosti. Redintegratur pugna; altero transitu lethaliter confoditur Luxius, neque cadit: acto in gyrum equo, redit in hostem integris adhuc viribus prætergressumque in vestigia sequitur. Lateri mucro imminebat, cum Guisius agrè reducto equo (astuabat ferocitate ignitus freno impare) iterum obiicit ensem, currentis equi impetu, in latus capulo tenus abditum. Non in momento cadit, bis lethaliter ictus: sinnantur denuo in gyrum equi: instat mutuo in latera ferrum donec Luxium penitus destituerent vires, excutitur equo exanimis: viguit animus donec vixit.*

76 Hic erudite lector, multa invenies in paucis. *Primò*, quid sit Duellum? *Secundò*. Quo *Decretorium* modo |, à *Satisfactorio* distinguatur. *Tertiò*. Posse *Decretorium*, in *Satisfactorium* transire, si arma conserentibus placeat. *Quartò*. Personas Regias, non teneri ad Duellum egredi, si à secundi Ordinis Nobilibus provocentur. *Quintò*. Vulneratum posse sine honoris iactura desistere: & in tali casu alterum desistere debere: si enim de honore agitur, parti læsæ succurritur alterutrius fuso sanguine. *Sextò*. Guisium fuisse vrbanissimum, & humanissimum; Luxium adolescentem, præcipitem, & temerarium. Hæc ergo corollaria ad Leges, & opiniones militares deduxi: modò progredior vt Theologus, & has periodos addo.

77 *Dico primò* Luxium vesanum iuvenem provocatione ista peccavisse mortaliter. Patet ex Coclusione 4. sunt enim Duella Iure naturę probihita, & in Gallia inhibita legibus Pontificiis, & Regiis, & adsunt tribunalia, in quibus etiam principes iudicantur, & condemnautur.

78 *Dico secundò*. Guisium etiam Duelli acceptando conditionem, peccavisse mortaliter. Tum ob rationes generales: tum ob specialem, quam hæc Conclusio 9. prę se fert. Acceptavit enim Duellum sponte, quod vt ex litteris provocatoriis constat, poterat, honore illæso, recusare.

79 *Dico tertiò*. Debuisse Luxium, petente Guisio à provocatione desistere, & esse contentum brachij sanguine; nec enim egebat Guisij vita, vt honorem perditum recuperaret.

80 *Dico quartò*. Misertimè periisse Luxium, & quantum humana ratio assequitur, & corpus perdidisse, & animam.

81 Conclusio X. *Senex provocatus à iuvene, & iuvenis provocatus à sene, non tenentur acceptare Duellum.* Ocurrunt mulra exempla, & Historiæ ex quibus constet, & probetur assertio. Et quidem optarem in hoc articulo posse nominare personas; sed quia varij sunt hominum sensus, & aliqui se libenter legunt, & alij non, abstinebo à nominibus, & casus proponam tantummodò. Vidi Madriti Nobilem adolescentem, qui provocarat senem, ab amicis confundi, & cogi à provocatione desistere, & veniam petere iuvenilis audaciæ.

Audivi Principem Alberstadium (aliàs fortissimum, & temerarium Militem) in hoc saltem à prudentia laudari, quod cum apud Hagam (Hollandorum est Regio) à qnodam Principe sene provocaretur, responderit vrbanissimè, & sedatissimè, *se venerari canos, nec habere gladium irreverentem, qui in personam auderet, quam deberet tueri.*

Conclusio XI. *Qui vitam concessit alicui, si ab eo provocetur, non tenetur ad arenam venire.* Probat hanc assertionem ratio, & communis hominum militarium opinio. Ratio. Quia Pater provocatus à filio, iuxta Conclusionem VIII. non tenetur acceptare Duellum: & est genitori simillimus, qui è morte eripit, aut vitam clementer indulget. Hinc oritur à Servo non posse provocari Dominum: nec possessorem à captivo. 82

Hinc patet interfuisse aliquas circunstantias laude dignas, in Ioannis Nassovici, Hipparchi apud Regem nostrum, captivitate. Ab vndis, & ventis victus, & in arenam vectus, & ab Hollandis captus, & Principi Auriaco traditus, Summa patientia pertulit Principis victoris ineptias. Soluit Lytrum, recepit libertatem; & ex captivo hospes, aut hostis verius, ad Duellum provocavit Auriacum; & Status Hollandiæ, licet authoritate inhibuerint conflictum, tamen *Principis Ioannis, dum* esset captiuus, patientiam, dum esset liber, & hostis publicus (erat inter Hispanos, & Hollandos sub illud tempus bellum) generosam audaciam dilaudarunt.

Sed inquiris, an Ioannes Nassovius in hac provocatione peccaverit? & fortè videretur, quod non. Quia dum bellum publicum est declaratum, licet hostes spoliare, & occidere. Respondeo hominem debere bona facere, & benè: nimirùm quod iubet Respublica. Rem exemplo dilucido. Iudex condemnat vltima sententia Fredericum, & Carnifici tradit: potest iste, aut etiam tenetur, reum occidere: sed quo modo? quo Index præcipit. Non enim potest carnifex laqueo intcrimere, quem Iudices damnarunt pœna gladij, nec è contra. Immò si Carnifex esset damnati hostis, & explendi odij causa eum occideret, etiam peccaret: ergo de milite eodem modo Philosophare. Potest hostem occidere, non quemcumque, sed eum, quem iubetur occidere. Licet enim habeant Hispani bellum cum Gallis, nemini permitteretur, quod occideret Regem Galliæ, non qualitercumque, sed eo modo, quo iubetur: ergo miles, qui cum hostem occidit, quem Respublica vult non occidi, vel quem vult occidi Respublica, occidit modo, quo non vult Respublica; peccat mortaliter. Cum igitur Hispania non velit Principes inimicos occidi, sed reduci, & subigi, nec iussetit Ioanni vt principem Auriacum occideret manu propria, sed exercitu suo debellaret, excusari non poterit à mortali. 83

Conclusionem hanc Milites ad casus similes extendant, & quia prodesse poterit, Historiam sequentem subscribo. Dum Francandaliæ essemus, Galli circumsedebant: & quia sunt generosi, frequenter occasionem, aut necessitatem, etiam 84

arma

arma conserendi indulgebant. Interim quadam die Titius Equitum Dux, dum adverso Marte, cum G illis signa confereremus, à tribus captus hostibus deducebatur. In eum incidit nobilissimus Dominus Petrus Equitum Commissarius Generalis, occidit vnum hostem, duos, fugat, Titiumque libertati restituit: & ad Civitatem reducit. Post paucos ille dies, ex causa levi, & ea potius quæsita, quàm inventa, Petrum provocat. Cui Petrus. *Vita quam vivis, mea est. Non auferam, quam semel dedi.* Sciunt omnes me non esse timidum: scis etiam tu: qui à me tres illos vinci vidisti, quibus arma tradideras. Si meam generositatem, & fortitudinem experiri adhuc placeat, tres hostes nomine tuo substitue: sum enim paratus cum eis confligere, & spero illos vincere, sicut tres illos vici, qui te vicerant, spoliarant, & cœperant. Laudavit vulgus militare responsum: punivit Titium Comes de Rebolledo, Heros fortissimus, & prudentissimus, & Petri prudentiam commendavit.

85 Conclusio XII. *Nemo tenetur se illi sistere, à quo nomine alterius provocatur.* Quid si provocator sit absens, & alium suo loco substituat? *Nec tunc Duellum acceptare tenetur.* Casus in terminis accidit etiam Francandaliæ. Illum recenseo.

Franciscus (ponam nomina, quæ personas distinguant: tametsi ex causa nolim nunc exprimere vera) discessurus Bruxellas, commisit Friderico, vt suo nomine Anselmum provocaret. Erant omnes tres Centuriones, & in hoc genere ad superstitionem audaces. Iubetur suprema authoritate Anselmo, ne se Friderico sistat: Friderico, vt à provocatione desistat. Duella enim sunt personales causæ, quæ expediri non possunt per Vicarios. Hæc ideò dixi, vt indicarem aliquos esse casus in quibus etiam apud homines vulgares nullam sui honoris, & famæ iacturam patitur ille, qui Duellum acceptare recusat. Quanti verò æstimanda sit iactura huius apud improbos, & vulgares homines, sequentibus conclusionibus manifesto.

86 Conclusio XIII. *Qui non acceptat Duellum, non perdit honorem apud Viros probos, & Doctos; sed solùm apud viles, improbos, & imperitos. Esse in pretio apud istos, aut non esse, perindè est. Caterùm, si horum sit dignitates conservare, aut conferre, posset quis acceptare Duellum, si aliter debeat aut privari officio, aut ad munia sibi aliàs debita non promoveri.* Stat igitur acceptare Duellum nullo modo esse licitum, nisi ad summam eo casu, quo ex non acceptatione provocatus incurreret damnum grave distinctum honoris apud improbos; aut certè periculum probabile damni notabilis: qui casus tarò, aut nunquam continget. Ergo concludimus, *honoris conservandi causa, apud improbos, nec licere ad Duellum provocare, nec acceptare Duellum.*

87 Conclusio XIV. *Si Respublica (Ecclesiastica, Politicave) etiam cum omnibus illis limitationibus Duelli acceptationem inhiberet, qui his viverent legibus, cederent iure suo, si quod habebant aliter procedendi, & non possent Duellum acceptare.* In Bohemia sub pœna publicationis bonorum omnium Duella de facto interdicuntur, nec admittitur vlla excusatio. Puto similes leges esse in aliis Provinciis: quæ si non sunt in observantia, ferri omninò deberent, vt militarium apprehensionum ineptiæ, & violentiæ cessarent.

88 Quid si tunc non acceptantes Duellum, deberent dignitatem, & divitias amittere, aut aliud grave damnum subire à læsione honoris distinctum? Respondeat Carthusianus. Cedit iure comedendi carnes in morbo. Quem si roges, quid esset facturus, si non comedendo carnes, deberet mori? Dicet, Bonum publicum debere anteponi privato, & ne inobedientia sua maiora damna ingruant, cessionem iuris naturalis fuisse legitimam: & posita cessione, seu legis acceptatione, esse obedientiam obligatoriam: eamque, qui nollet obedire, peccaturum mortaliter. Et tu alterata materia, sicut de carnium esu Carthusianus, sic de acceptatione Duelli, aliàs liciti, poteris philosophari. Si enim illud etiam in casu in quo à lege naturali ob moderamen tutelæ inculpatæ conceditur, lex legitimè lata, & acceptata (Ecclesiastica, aut Sæcularis sit) inhibeat, debebimus obtemperare potius, quàm disputare.

Omnia hucusque dicta, fideliter, & ad amussim exscribere lubens duxi, quia pro quotidiana praxi, vtilissima, appriméque necessaria. Ea, pie, & benevole Lector, fixè menti tene: & tanta doctrina, quoties occasio occurrerit, tam in operando, quàm in consulendo, vtere, fruaris. 89

Præter difficultates iam dilucidatas, ad præsens institutum de pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, ob causam Duelli, directè spectantes, aliàs operæ pretium disquirere duxi, de eadem Monomachiæ materia, ad explicandas reliquas pœnas duellantibus inflictas, & eorum quibuslibet socijs, & aliis occasione Duelli, quarum vera resolutio, tantò magis omnibus necessaria est, & illarum exacta notitia, & tantò vtilior, quantò freqeuntiores sunt casus, in quibus aliæ incurruntur pœnæ, liceat mihi digredi, ob magnum hunc finem, à pœna inhumationis Ecclesiasticæ ob Duellum, etiam & ad alias causas Duelli inflictas expendendas transire. Pro quarum coronidè, non incongruè differam, de habentibus facultatem absolvendi reos in Duelli causa, & crimine.

DUBIUM IV.

An qui fictè, & non animo pugnandi, sed eâ solùm intentione vt videatur fortis, & animosus ad Duellum provocat, vel illud admittit cum morali securitate, quod nullum damnum indè sit proventurum, quia spectat certò pacem componendam, pœnas contra Duellantes inflictas incurrat?

BREVIARIUM.

Duellum.

Quoad forum externum Duellum committit, qui fictè invitat, aut admittit, n. 1.

Sed quoad internum pœnas non incurrit, n. 3.

Duellum formale quale sit, n. 5.

Ecclesia.

De occultis non iudicat Ecclesia, n. 2.

Hæreticus.

Qui sine errore intellectus formali in mente retento, hæreticalia profert, hæreticus formalis non est, sed materialis, & excommunicationi non subest, n. 6.

Pœna.

Non extenditur, sed restringitur ad casus in Lege formaliter expressos, non materialiter, n. 4.

Difficultas proposita, locum habere potest, tam in foro externo, quàm in interno conscientiæ. Quid in quolibet illorum tenendum sit, & sequendum, in duplici assertam Conclusione sequenti.

CONCLVSIO I.

1 Qui in casu proposito, Duellum admittit, aut ad illud provocat in foro externo, & contentioso, censetur incursus in pœnas Duellantibus inflictas, & vt talis punitur, si ad congressum loco, & tempore ex condicto assignatis accedat, & de facto, etsi leviter pugnet.

Hanc tenet conclusionem Eligius Bassæus *to.* 1. *verbo Duellum, nu.* 9. Carraffa *tract.* 1. *de Duello, sect.* 3. *q.* 6. *n.* 2.

2 Ratio fundamentalis est, quia Ecclesia non iudicat de occultis. Ioannes Azorius *Institutionum Moralium, part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 10. Ægidius Trullench *in Bullam Cruciatæ, lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 2. *dub.* 7. *num.* 4. & *in præcepta Decalogi, lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 3. cum Sanchez *tom.* 1. *oper. Moralium, lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 1.

CONCLVSIO II.

3 Nullas incurrunt in foro conscientiæ pœnas, qui Duellum admittunt, & ad illud provocant, servatis tamen conditionibus in titulo Dubij propositis, esto præter spem postea ad arenam descendant, pugnent, & in conflictus loco decedant.

Istam tenent Bassæus *dicto nu.* 9. cum Filliucio *tom.* 2. *tract.* 15. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 113. Bonacina *tom.* 3. *de Censuris, disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 8. *num.* 14. & Florono *de Duello, cap.* 6. *§.* 2. Ioannes Baptista Lezana *tomo* 2. *Summæ quæst. Regul. part.* 3. *verbo Duellum, n.* 17. Antonius Naldus *in Summa, eod. verbo, n.* 2. cum Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. D. Thom. disp.* 4. *sect.* 3. Antoninus Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 53. *in fin.* & *par.* 3. *tr.* 6. *resol.* 1. *in princ.* cum Wolfangango à Vvorburg *in Rudimentis Iuris Canonici, de Excomm. art.* 5. *fol.* 196. Ausonius Noctinot *in illius Compendio, verbo Duellum, n.* 4. Barbosa *in Collectanea Doctorum in Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform. n.* 13. *q.* 9. cum dicto Filliucio *vbi proximè, num.* 107. & 113. Trullench *in Decalogum, tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 22. quem recenset, & sequitur dictus Lezana *tom. Consultorum, consulto* 49. *n.* 32.

4 Probatur ratione conclusio. In casu proposito pugiles non exercent Duellum formale, & proprium. Ergo in conscientiæ foro non incurrunt pœnas contra Duellum formale, & proprium exercentes. Consequentia patet, quia pœnæ Iuris stricti sunt, & non extenduntur, sed restringuntur potius ad casus in legibus formal ter expressos, iuxta Regulam Iuris *Odia restringi*, & *c. de Regulis Iuris in* 6. & alia, quæ congessit alias sæpè.

5 Antecedens verò probatur. Quia Duellum formale, & proprium, est certamen duorum, vel plurium in pari numero, privata authoritate, ex condicto, sive ex conventione, & pacto initum, vno indicente, & altero acceptáte deliberatè, & spontè, statuto loco, & tempore cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris gravis. Sed sic est, quod certamen, de quo in præsenti, etsi habeat reliquas Duelli formalis conditiones, non tamen habet, quod fiat cû periculo, occisionis, mutilationis, aut vulneris gravis, ex primaria intentione: Hoc enim in quæsito supponitur. Ergo pugna, & certamen huiusmodi, Duellum non est formale, & propriû, sed improprium. Ac per consequens, pugiles in eo confligentes, decertantes, Duellum formale non exercent, & proprium.

6 Confirmatur hæc ratio. Qui sine errore aliquo formali in mente retento, verba profert hæreticalia, non est in conscientiæ foro sententia excommunicationis innodatus, qua plectuntur formaliter Hæretici per Bullam Cœnæ Domini, §. 1. vti asserunt Leander à Sanctissimo Sacramento *to.* 4. *tr.* 3. *disp.* 1. *q.* 2. cum Alterio *tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 2. Machado *tom.* 1. *lib.* 1. *par.* 3. *tr.* 6. *docum.* 3. & *q.* 8. fusiùs ipse Leander *ibid. tract.* 1. *disp.* 8. *q.* 6. contra Caietanum 2. 2. *qu.* 12. *art.* 1. *versic. In responsione ad secundam confirmationem*, & *q.* 94. *ar.* 1. *versic. In responsione ad primum*: vbi recenset pro se, & nobis, D. Antoninum *par.* 1. *Summæ, tit.* 12. *cap.* 5. *§.* 1. Navar. *in Manuali, cap.* 11. *n.* 27. *versic. Tertiò peccat mortaliter*, & *cap.* 27. *n.* 56. Simancá *tit.* 17. *n.* 36. Suarez *disp.* 4. *sect.* 3. *n.* 15. Filliuciû *tr.* 11. *cap.* 6. *q.* 6. *n.* 176. Rastellium *de Censuris in genere, q.* 4. *art.* 2. *n.* 4. *pag.* 100. Avilam *part.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. Lussium *lib.* 1. *de Censuris, disp.* 4. *dub. in fine.* Bauny *q.* 1. *can. Bulla Cœnæ, versic. Ita secundo patet, pag.* 297. Bonac. *disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 3. *n.* 14. Gabr. Vasquez *de Excom. dub.* 13. *versic. Tandem.* Naldus *verbo Duellum, nu.* 2. Lezana *eodem verbo, n.* 17. Antonius Sousa *in Aphor. Inquisitor. lib.* 1. *cap.* 5. *de Hæreticis internis, num.* 3. & 5. cum Sanchez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. & Simanca *Instit. Cathol. tit.* 42. *n.* 9. Bassæus *tom.* 1. *verbo Hæresis, n.* 6. cum Bannez 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. Crousers *ad cap.* 7. *Regulæ, lect.* 4. *fol.* 506. & Toletus *lib.* 12. *c.* 19. *n.* 5. Azorius *par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 6. *colum. mihi* 855. Diana *par.* 3. *tr.* 4. *resol.* 143. cum Fagundez *precepto* 2. *lib.* 8. *c.* 8. *n.* 39. & Toletus *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 6. Suarez *de Censur. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 22. & *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 3. Filliucio *tom.* 2. *tr.* 22. *c.* 6. *n.* 164. Franc. Sylvio 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *concl.* 2. Hnmobono, de Bonis *in Exam. Ecclesiast. part.* 1. *tr.* 7. *c.* 1. *q.* 4. Ioanne Valero Carthusiano *in Differentiis vtriusque fori, versic. Hæresis, different.* 2. *n.* 1. Barthol. Giptio *in tr. de casibus reservatis, cap.* 6. *casu* 4. *n.* 83. & 84. Michaële Lanardo *in Direct. Theolog. par.* 2. *prac.* 1. *cap.* 11. & Torreblanca *de Magia, lib.* 4. *c.* 5. *n.* 8. Emm. Sà *verbo Hæresis, n.* 12. cum Caiet. *eod. verbo* & Soto *distin.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *colum.* 10. & alij quàm plurimi Doctores passim, eo ducti solidissimo fundamento, quod huiusmodi hæreticalia proferens, ant alia hæreticalia exterius exercens, absque intellectus errore, non est formaliter, & propriè Hæreticus, cum in tali errore, hæresis consistat formalitas. Ergo cum in casu nostræ conclusionis non detur Duellum formale, & proprium, sed materiale tantum, ad Duellum provocans, & Duellum acceptans, pœnas contra Duellatores proprios, & formales statutas, non incurrent.

DVB.

DVBIVM V.

An hîc & nunc stantibus non solùm Decreto Concilij Tridentini, sed etiam omnibus Apostolicis Constitutionibus in Disquisitione recensitis, stante præcipuè Clem. Illius vices, num.24. *reddita, si quis præmissa provocatione ad Duellum formale, & eius acceptatione, se contulit præfixo tempore, ad destinatum pro conflictu locum, & sine pugna executione indè discessit, vel quia inimicus illuc non accessit; vel si accessit, ex qualibet causa, in districto recessit gladio, pœnas Duellantium incurrat?*

BREVIARIVM.

Casus reservatus.

Nullus datur respectu Papæ, nisi ratione censuræ, num. 21.

Dictio *Et.*

Facit æquè principaliter venire copulatum, n.21.

Eius natura est copulare præcedentia cum sequentibus num.21.

Dictio *Ineuntes.*

Actualem actionem demonstrat, n.13.

Delictum.

Vbi deest culpa, non est delictum, n.28.

Duellum.

Constitutione Clementis VIII. non exstante, provocantes ad Duellum, aut illud admittentes, nec incurrerent excommunicationem, nec bonorum privationem si ad pugnam non deveniatur, numero 1.

Probabile est pugilem ad locum destinatum pro pugna accedentem, pœnas à Clem. VIII. inflictas incurrere, esto absque pugna decedat, n.8.9.10.

Probabile etiam est non incurrere, n.11.

Duellum formale non datur sine actuali pugna, n.13. & 21.

Clem. VIII. quoad Duellatores, non innovat, sed eos relinquit in terminis Const. Greg. XIII. n.14.15. & 18.

Excommunicatio Clementis, comprehendit omnes casus, quos excommunicatio Pauli IV. & eodem modo, quo sunt in Paulina, n. 23.

Duelli spectatores, & pugiles comitantes, pœnas evadunt, & culpam; si comitentur, & spectent, vt pugnam dirimant, n. 27. 28.

Illas evadunt, qui illac transeuntes, obiter certamen aspiciunt, n.27.

Excommunicatio.

Non incurritur iam lata; nisi à perficiente opus sub illa prohibitum, n.3.4.

Excommunicatio à Concilio Tridentino & à Gregor. XIII. in causa Duelli non incurritur ante actualem pugnam, n.1.5. 14.

Irregularitas.

Non incurritur ab occidere volente, occisione non secuta, n.1.

Lex.

Leges ita punientes conatum, sicut factum, nimis atroces sunt, & abrogatæ, n.2.

Lex, aut statuum delictum certa pœna punient, locum non habet, in eo, qui illud inchoavit, sed non perfecit, n.3.12.

Lex pœnalis strictè est interpretanda, n.3.12.

Lex conatum puniens, intelligitur de conatu quoad actum proximiorem sceleri consummato. numero 6.

Pœna. Pœnalis.

Pœna non incurritur, nisi adsit culpa, n.28.

Pœnalia strictè sunt interpretanda, n.4.

Praxis.

Curiæ Romanæ Praxis, & Stylus, quando vim habeat Legis, n.17. *remissivè.*

1 Consultò in titulo Difficultatis addidi: *Stante præcipuè Clementina Illius vices:* Quia illa non stante, aut attenta, certum videtur pœnas non incutti à provocante ad formale Duellum, neque ab illud acceptante, si ad pugnam actualem non perveniant iuxta doctrinam Navarri *tom. 2. Consiliorum, lib. 5. tit. de Purgatione vulgari, consil. 1. num. 3.* in hæc verba prorumpentis. Secundò, quod præfatus D. consulens, non incurrit excommunicationem, neque privationem bonorum suorum ipso iote per præfatam voluntatem committendi duellum; incurrisset tamen, & incurreret, si fecisset, vel faceret illud. Quia præfatum Concilium, & extensio prædicti Gregorij non puniunt mentalia Duella, sed tantum tealia. Pro quo est aptus Textus, *in cap. finali de Simonia*, cum ei similibus. Sicut nec voluntas occidendi, facit irregularem, licet sic ipsa realis occisio, secundùm Glossam communiter receptam, contra Glossam, *cap. Si aliquis, de Homicidio.* Hæc Azpilcueta.

Idem sentiunt Naldus, *in summa, verbo Duellum, num.6.* Vidal, *tit. de Duello, inquisit. 3. à num. 2.* cum Filiucio, *tom. 2. tract. 15. cap. 5. num. 106.* Lanfranco, *de Duello, cap. 3. num. 11.* Bonacina, *de censuris, disput. 2. quæst. 6. punct. 2. num. 16.* Megalio *lib. 4. part. 3. cap. 4. quæst. 2. num. 11.* Comitolo, *de Duello, quæst. 13. num. 5.* Fagundez *in 5. præceptum Decalogi, lib. 5. cap. 8. num. 29.* Ioannes Baptista Scortia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones theoremate 392. versic. Dubitabis*, cum Couartuuia 2. *part. relectionis, de Homidio, num. 6. & seqq.* Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 28.* Martino Delrio, *Disquisitionum Magicarum, lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect. 2. num. 26.* Comitolo, *lib. 6. quæst. 13. num. 15. & quæst. 8. num. 7. & 8. &* Iacobo de Graffis, *in Decisionibus aureis parte 2. lib. 1. de casibus reseruatis, cap. 7. num. 10. & 26.* Antoninus Diana, *part. 2. tract. 16. resol. 53. part. 3. tract. 6. resol. 1. versic. Dico octauo, & part. 5. tract. 14. resolut. 102.* cum dicto Filiucio, *tom. 2. tract. 29. cap. 8. à num. 170. vsque ad 176.* Bonacina, *vbi proximè, punct. 1. num. 41.* Peregrino, *tract. de Duello, quæst. 4. n. 4. & 7. in fine, & quæst. 41. per totam.* Luca Flotono, *eodem tract. cap. 1. §. 1. num. 3. & cap. 3. §. 1. num. 14.* Ioanne Francisco Suarez *in Enchiridio casuum conscientiæ, lib. 7. verbo Duellum.* Riccio, *in Praxi. tom. 3. resolut. 52.* & cum Hurtado de Mendoza, *2. 2. disput. 170. sect. 21. §. 190.*

Et probatur *primò*, ratione à doctissimo Navarro adducta.

2 *Secundò.* Quia leges ita punientes conatum, sicut factum, nimis atroces sunt, & abrogatæ iam existunt

existunt, vti docet Scortia *dicto Theoremate* 923.

3 *Tertiò*. Quia statutum puniens delictum certa pœna, non habet locum in eo, qui inchoavit, sed delictum non perfecit. Thomas Delbene *de Immunit. Ecclesiast. de Parlamentis, dubit. 4. subsect. 31. corollar. 9. n. 1. pag.* 106. Scortia *vbi proximè*, cum Panormitano, *in cap. cum in cunctis, §. Clerici, de Electione*, & Barth. *in l. 1. ff. de Sicariis*. Ausonius Noctinot, *in compendio Dianæ, verbo Duellum, num. 6.* cum Mendoza, Bonacina, *tom. 3. disput. 23. quæst. 3. puncto 48. num. 38. pag. 264. & num. 41.* Ioanne de la Val, *in Bonacina compendio, verbo Duellum, num.* 15. Sayro, *de censuris lib. 1. cap. 10. num.* 7. vbi eum vide. Ratio autem est, quia statutum est maximè pœnale, & strictissimè ob id debet interpretari, vt latè probaui *dub. 2. num. 12. & seq.* & alibi sæpè. Et in specie de excommunicatione docet Scortia, *citato loco*, cum Castro *l. 2. de pot. leg. pœn. cap.* 6. Ideo nunquam aliquis in excommunicationem incidet à iure latam, quamvis conetur facere id, propter quod est imposita excommunicatio, nisi verè perfecerit illud. Scortia, Sà, *verbo lex, num.* 25 Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 6. cap. 8. num.* 7. Marcus Vidal *in Arca vitali, tit. de Duello, num. 7. & 9.* Hurtado de Mendoza 2. 2. *disput.* 170. *sect.* 1. §. 190. & Caspensis *tom. 2. tract. 25. disput. 1. sect. 5. num.* 56. qui in sequentia prorumpit.

4 Secunda difficultas est, *an quando censura fertur ob aliquod peccatum, tantum feratur ob illud completum in suo genere?* In qua te dicendum est, actū illum externum, quem punit Ecclesia sub censura, debere esse consummatum, v. g. si prohibeat homicidium sub excommunicatione, debet in re perfici homicidium; quare si impediatur, etiam per miraculum, non incurretur. Vnde, qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit non incurrit excommunicationem *canonis Si quis suadente*. Et qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quò vsque ad illum perveniat scriptura. Quia cum impositio pœnæ sit odiosa, semper est strictè interpretanda. Hactenùs Doctor allegatus. Plura pro hac veritate firmanda, supra cumulavi in hoc tractatu *disquisit. 1. dub. 13. de Pœnis, n.* 4.

5 Probatur *quartò*. Quia ad incurrendam excommunicationem Gregorij XIII. effectus pugnæ consummatus, dubio procul, requiritur. Demonstratur ex illius verbis: *authoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, & in loco convento Monomachiam commiserint*. Non enim pœnam infligit, pro provocatione solùm, & pro accessione. Scortia *theorem.* 392. cum Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. n.* 28. & Comitolo *lib. 6. quæst. 18. num. 7. &* 8. Ergo etiamsi vterque pugil animo pugnandi, ad locum destinatum accedat; pœnas à Gregor. XIII. contra Monomachiam committentes inflictas non incurret.

6 *Quintò* probatur pro casu, quo vnus tantùm pugil ad locum accedat conflictus. Quia dato, & non concesso, quod conatus esset pari pœnæ puniendus, ac commissum consummatè delictum, huiusmodi tamen conatus, erumpere ad eum actū deberet, qui esset finitimus sceleri consummato, & nullus alius proximior. Scortia *vbi proximè* cum Covarruvia, 2. *parte relectionis, de Homicidio, n.* 9. Sed actus Duello proximior, non est vnius pugilis accessus, sed amborum, cum distrinctione adhuc gladiorum, & statione ad conflictum apta, vti ex se patet. Ergo pugil, qui solus ad locum, ad pugnam ex condicto designatum, accedit, pœnas contra Duellantes inflictas non incurrit, in vim Concilij Tridentini, aut Constitutionis Gregorij Papæ XIII.

Difficultas igitur stat respectu solius *Clem. Illius vices*, An scilicet, illa attenta, & in eius vim, pœnas illius incurrat pugil, qui confligendi animo, ad locum accessit, pro pugna designatum, si tamen Monomachia non exercita, indè decessit? Pro illius resolutione sit. 7

CONCLVSIO I.

PRobabilis est sententia asserens, pœnas incurrere Clementinæ, pugilem ad locum descendentem, pro Monomachia destinatum, animo pugnandi, esto, absque gladij distrinctione, indè discedat. 8

Hanc tenent Pellizzarius *in Manuali Regular. tom. 1. tract. 6. cap. 2. num.* 32. Naldus *in Summa, verbo Duellum, num. 6. in fine*. Pro illa recenset Barbosa *in cap. Cura, num. 7. el 1. de Purgatione vulgari*, & *in collectanea Doctorum in Concilium Tridentinum, sess. 25. de Reform. cap. 19. num.* 12. Vgolinum *de Officio Episcopi, cap. 8. §. 2. num. 2. vers.* 4. Floronum *de Duello, cap. 3. §. 1. num. 14. fol. 47. & cap. 5. §. 1. num. 3. fol.* 63. & *cap. 6. §. 1. num. 2. fol.* 84. & Peregrinum *eodem tract. quæst. 4. num. 5. & 7. in fine*: & *quæst. 41. per totam, præcipuè, nu. 2. &* 4. Pro ea refert Diana *par. 5. tr. 14. resolut.* 102. Filliucium *tom. 2. tract. 29. cap. 8. à num. 170. ad* 176. conantem ex pluribus rationibus illam firmare. Et communem esse, fatetur Marcus Vidal, pro contraria allegandus.

Pro illa asserit Pater Filliucius adesse praxim sacræ Pœnitentiariæ Romanæ, & Curiæ stylum, vim legis habentem.

Probatur secundò ex §. 6. *Clementina*, ibi: quive in præmissis, vel eorum aliquo, se quomodolibet immiscuerint, etiam sioéque pugna alia, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta provocatio subsecuta, fuerit, &c. In quibus verbis satis exprimitur sensus illorum, quæ §. 5. dixerat, scilicet, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. 9

Tertiò probatur. Clementina præfata in §. 6. sub excommunicatione comprehendit omnes casus in Constitutione Pij IV. quam confirmat. Sed in Piana Constitutione §. 4. habetur, illósque tam ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos ad id tentantes, & provocantes, Ergo Clementina casum diffidationis comprehendit sub excommunicatione, etiam pugnæ effectu non sequuto. 10

CONCLVSIO II.

PRobabilis etiam est in praxi, sententia negans incurri pœnas Constitutionis Clement. VIII. per pugiles, qui præfixo tempore, ad destinatum pro conflictu locum se contulerunt, & sine pugnæ executione inde decesserunt. 11

Istam tenet Marcus Vidal *tit. de Duello, inquisit. 3. concl.* 2. cum Hurtado de Mendoza 2. 2. *disput. 170. sect. 1. §. 190. & sequentibus*, cum Megalio *par. 3. lib. 4. cap. 4. num.* 17. & *in Resolutionibus, tom. 2. resolut. 142. num.* 5. Fagundez *in quintum Decalogi præceptum, lib. 5. cap. 8. num. 29. &* 35.

vbi

vbi allegat Delrium, Sayrum, Sanchez *in Decalogum, tom.1. lib.2. cap.39.n.20.21.& 28.* Augustinus Barbosa *in Collect. Doctorum in Concilium Tridentinum, sess. 25. de Reform. cap. 19. num. 12.* cum Comitolo *Responsorum Moralium, libro 6. quæst.13.n.5. versic. Quartum, & quæst.18.n.7.& 8.* Bonacina *de Censuris in communi, disput. 2. quæst.6. punct.2.n.16.* ac Iacobo de Graffis *de Casibus reseruatis, lib.11. cap. 7. n. 10. & 26.* Illam approbat Diana *par.5. tract.14. resol.102.* cui vltimum applicans calamum, ita subscribit. Verùm an supradicta sententia (Hurtadi scilicet de Mendoza, quam ad amussim recensuerat) sit probabilis, aliis iudicandum relinquo, mihi enim magnam vim affert, etsi vera esset praxis sacræ Pœnitentiariæ & Stylus Curiæ Romanæ. Hæc Diana.

12 Probatur primò ista Conclusio. Quia statutum delictum puniens certa pœna, locum in eo non habet, qui delictum inchoat, sed in eo, qui illud perficit, vti suprà ex Abbate dictum est, & Bartolo: maximè si pœna sit excommunicationis: quia statutum pœnale strictè est interpretandum. Ergo nisi pugna cum effectu secuta, non incurrunt pugiles Clementinæ pœnas.

13 Secundò probatur. Clementinæ pœnæ infliguntur propter Duellum formale. Sed non datur formale Duellum, sine actuali pugna, vt ex illius constat diffinitione. Ergo actuali pugna non secuta, Clementinæ pœnæ non infliguntur. Maior, in qua potest esse difficultas, ex eadem Clementina §. 7. patet, ibi: Excommunicamus... omnes singulare certamen, quod Duellum vulgò dicitur, ex composito ineuntes. Expende dictionem: *Ineuntes:* quæ dubio procul, actualem demonstrat pugnam.

14 Tertiò probatur. Per Gregorium XIII. Duellatores solùm excommunicantur pugna sequuta. Ergo & per Clementem VIII. Antecedens suprà manet probatum. Consequentiam probo. Excommunicatio Clementis contra Duellatores lata, non differt ab excõmunicatione contra eosdẽ à Gregor. pronunciata. Ergo si per Gregorium non excommunicantur pugiles, nisi pugna secuta, neque per Clementem excommunicantur. Vltimum probatur antecedens. Clemens VIII. quoad Duellatores nihil innouat, sed eos in terminis Constitutionis relinquit Gregorianæ, quam confirmat. Ergo Clementina excommunicatio, quoad Duellatores non differt à Gregoriana.

15 Et confirmatur. Clemens VIII. §.7. suæ Constitutionis, sic ait. Quinimò de nouo etiam, per præsentes, ex parte Omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus & execramur omnes, & quoscumque publicè, vel priuatim, palam, vel occultè in quibuscumque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel aliis prædictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen, (quod Duellum vulgò dicitur) ex composito ineuntes. Hoc enim præfatus Pontifex contra Duellatores ipsos, & nihil disponit aliud. Sed non dicuntur singulare certamen ex composito ineuntes, nisi actu, & cum effectu certantes. Ergo non excommunicat Duellatores Clemens Papa, nisi pugna, & certamine actu secuto.

16 Hæc quidem negatiua sententia plus mihi arridet: cum, quia benignior: tum etiam, quia hæc doctrinalis interpretatio Clementinæ, licet omnimodam non inducat certitudinem; habet tamen magnum authoritatis pondus, & magnam probabilitatem. Primum, quia grauium Doctorum est: Secundam, quia validis fulcitur rationibus, & in contrarium adductis, satis benè fit. Vnde

Ad praxim sacræ Pœnitentiariæ, & Stylum 17
Romanæ Curiæ, respondetur, de illo non constare, & multominùs vim legis obtinere. Et alia denique, quæ dubio secundo respondi, *à n. 15.* ad argumentum, ex eodem confectum Stylo, respondeo iterum, quæ lubens recensere omitto, ne moras inutiliter traham.

Ad secundum respondetur, Clementem VIII. 18
in verbis ex §.6. Clementinæ recensitis, nullam de Duellatoribus ipsis mentionem facere, sed de quouis alio se in causa Duelli intromittente, vt ex ipso apertè constat textu, & docet Vidal *dicta inquisit.3.n.15.* cum Megalio, Hurtado de Mendoza, & Fagundez *locis allegatis.* Vnde per illa verba, non declarantur, quæ ex §. 5. referuntur, vti in contrarium supponitur. Sed benè ista: *ex condicto, ad singulare certamen descendat, aut illum prouocet:* per illa §. 7. *singulare certamen (quæ vulgò Duellum dicitur) ex composito ineuntes:* declarantur. Nempè, prouocet existens in arena, ineatque certamen. Ita interpretatur dictus Pater Hurtado, vt excommunicet pugnantes Clemens, tam prouocatorem, quàm prouocatum. Ad quod (inquit) vsus est illa distinctione inter defendentem, & prouocantem. Id est inter prouocatum, & prouocatorem. Neque enim prouocatio passiua aliquem excusat ab excommunicatione quamuis aliquam excusationem habere videtur, quam non habet prouocator.

Clemens itaque, loquitur ibi, de prouocatione, secuto effectu pugnæ, vti cum Hurtado, exponit Vidal, *num. 16.* vbi addit, quod si aliter decreuit, fuit in casu particulari militis, quando in publico bello, priuata tamen authoritate, absque iusta causa prouocat alium contrariæ partis ad singulare certamen. Qui tamen casus non est extendendus ad alios in Clementina non expressos, neque nominatos, cum sit materia pœnalis, & odiosa, quæ ampliari non debet, sed restringi. 19

Vel secundò respondetur cum Megalio *par. 3. lib. 4. cap. 4. num.17. & in resolutionibus, tomo 2. resolut. 142. num. 5.* quem recenset, & sequitur Vidal *num. 17.* quod quando excommunicantur prouocantes, loquitur de illis, qui principaliter ad Duellum instigant, persuadent, & prouocant: ita vt per verbum *prouocet* in Clementina intelligatur, *suadeat.* 20

Interpretatio tamen illa, quod prouocatio prohibita sub excommunicatione à Clemente, intelligenda veniat secuto pugnæ actualis effectu, confirmatur ex Decreto eiusdem Pontificis, *de anno 1602.* cuius meminit Vidal *num. 15.* in quo prohibens priuilegiatis absolutionem à Duello, ita ait: *à casibus prouocantium, & pugnantium in Duello.* Vbi copulatiuè vtrumque requirit: non solùm prouocationem, sed etiam actualem pugnam, tanquam actus consummationem, ad casus reseruationem. Particula enim: *Et:* venire facit copulatum æquè principaliter: quia eius natura est copulare præcedentia cum sequentibus. Cum igitur casus reseruatus Summo Pontifici nullus sit, qui talis ratione excommunicationis non sit, manifestè sequitur, quod si non est reseruatus casus, prouocatio ad Duellum, nisi conflictu, actu secuto, neque sit excommunicatus, qui actu non pugnauerit. 21

22 Ad tertium respondet Vidal *dicta inquisitione* 3. *num.* 20. Pium Quartum in periodo in argumento recensita, comprehendere, non solùm pugiles ipsos, & Duellarores, sed etiam cæteros omnes quouis modo ipsos pugiles adiuuantes. Ita vt verba illa: *quam eos ad id tentantes, & prouocantes:* intelligantur de fautoribus Duellarorum, non de Duellaroribus ipsis. Quod bene colligit: cum ex consttuctione Grammaticali. Quæ quidem alia esse nequit. Ait enim sic. *Illásque tam ad pugiles taliter pugnantes, quàm eos, ad id tentantes, & provocantes.* Tum, ex eo, quod statim subditur: *aut locum, seu campum ad pugnandum dantes.* Vbi apertè loquitur Piana de fautoribus, & instiganribus pugiles ad committendum Duellum. Tum tandem ex eo, quod Cherubinus ibi dicat, verba hæc, esse extensionem Constitutionis ad Duellantium fautores.

Quâ supposita doctrina, respondeo ad argumen-
23 tum, sub excommunicatione Clementinæ comprehendi omnes Paulinæ casus, quam confirmat; modo tamen, quo sunt in Paulina. Cum igitur in ista *tentantes, & provocantes*, non supponant pro Duellatotibus, sed pro fautoribus illorum, excommunicatio in Clementina lata contra *provocantem*, non debet comprehendere pugilem actu non pugnantem, sed ad pugnam illum instigantem. Vnde cum distributione accommoda omnes Paulinæ casus, sub Clementinæ excommunicatione comprehendi fateor. Pugiles vtique, in quantum cum effectu pugnantes; non tamen in quantum se ad invicem provocantes. Fautores verò, in quantum principales instigantes Duellatores & ad conflictum provocantes actualem.

Dices. Ergo actio instigantium, quæ accessoria
24 est, magis quàm principalis punitur, quàm diffidatio. Vtraque quidem est ad Duellum provocatio: diffidatio vtique principalis; instigario autem accessoria.

25 Dupliciter responder Scorria *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, Theoremate* 392. *versic. Dices:* primò, cum Comitolo, actionem instigantium, seu provocantium principales pugiles ad pugnam, censeri etiam principalem, dum, aut cum pugnantium conflictu, aut cum eorum accessu ad pugnæ locum, copulantur. Ex eo, quod ob huiusmodi provocantium, immò, & aliorum spectatorum concursum, pugiles non omninò liberè possunt se à pugnandi retrahere proposito.

26 Secundò responder, quod pugilum actionem, dum ad actualem conflictum non accedunt, incompletam esse; actionem verò spectarorum, & instigantium, seu provocantium principales pugiles, & Duellarores, perfectam esse, & completâ eo ipso, quod provocent, aut ad locum ad Duellum designatum, animo illud videndi accedant. Vnde mirare quis non debet, quod instigantium actio magis, quàm actio diffidationis puniatur. Sed an ista Scortiæ responsio, obiectioni quoad meros spectatores satisfaciat, dubio discutietur sequenti, vbi de vtriusque agemus vi.

Consultò: *animo illud videndi:* dixi. Quia si
27 pugiles comitarentur, vel ad locum accesserint, ad pugnam ex condicto destinatum, & certamen impedirent, vel dirimetent, immunes essent omnino ab excommunicatione, & omni alia pœna, qui principales comitarentur Duellatores, aut ad locum ad conflictum destinatum convenirent, vti benè docent Scortia *vbi proximè.* Delrius *Disquisitione Magicarum, lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 2. *num.* 5. vbi propè finem sectionis *pag. mihi* 478. ita fatur. Quintò, quoad spectatores, non incidere (in excommunicationem scilicet Greg. XIII.) qui illac transeuntes obiter aspicerent certamen, vel subsisterent ad dirimendum, immò nec illos, qui ex instituto eos fuissent comitati, vt certamen impedirent; ideò enim additur: *si per ipsos non steterit; &c.* ipsos scilicet spectatores, & socios, &c.

Et ratio est, *quia res, quæ culpa caret, ad dam- 28
num vocari non convenit.* Verba sunt textus *in cap. Cognoscentes el* 2. *de Constitutionibus.* Vbi Glossa *verbo Culpa caret*, sic ait. *Quia quod legitimè factum est, pæna non meretur.* Quocirca videndus est Augustinus Barbosa ibi, *num.* 12. cum Cardinali Tuscho *practicarum conclusionum, tom.* 6. *lit. P. concl.* 208. Campanile *in diversor. Iuris Canonici, rubr.* 11. *cap.* 33. *num.* 26. *versic. Insuper.* Flaminio Parisio *de Confidentia, quæst.* 5. *num.* 47. & Marco Antonio Mauraten. *variar. lib.* 3. *resolut.* 42. *n.* 2. Pœna enim culpam præsupponit, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. *ad secundum.* Vbi autem non est culpa, neque esse delictum. Barbosa *vbi proximè, num.* 14. *ex cap. Cum voluntate, de Sententia Excomm.* & Perett. *in Extravagante, Ambitiosæ, vnica, de rebus Ecclesiæ non alienandis, pag.* 94. *num.* 30. Et per consequens, neque pœna. Barbosa *ibidem, ex l. Si putator, ff. ad Legem Aquiliam, & ex cap. Sine culpa el* 23. *de Regulis Iuris, lib.* 6. Thom. de Thomassetis *reg.* 283. Iosepho Aldereto *de Religiosa disciplina tuenda lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8. ego ipse *suprà, dub.* 3. *nu.* 10. latè, & sæpè alibi. Cum igitur in nostro casu careant comitantes culpâ, & meritoriè potiùs Duellatoribus assistant, excommunicatione, & aliis carere debent pœnis.

DVBIVM VI.

An qui ad locum destinatum ad Duellum exercendum, causa illud videndi accedit, censuram excommunicationis, contra Duellorum spectatores latam, si de facto pugiles ad arenam non descendant, conflictum ineant, incurrat?

BREVIARIVM.

Affectus

Pravus affectus non punitur in externo foro, sed à Deo n. 16. 24.

De voluntate ad actum, quoad Deum nihil datur essentiale, sive bonus, sive malus ille sit, n. 23. 24.

Alternativa.

Vna pars alternativa, intelligi debet secundùm aliam, num. 28.

Axioma.

Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, se habet magis ad magis, n. 19. 20.

Voluntas pro facto reputatur, quoad Deum; non quoad homines, n. 23.

Dictio *Et.*

Regulariter est copulativa; aliquando disiunctiva est, n. 26. 27.

Dictio *Aut.*

Disiunctiva est, n. 28.

Distin

Procedit difficultas, quando spectator ex industria, & ex proposito locum accedit animo videndi spectaculum illud; non autem illud impediendi, vti dubio diximus præcedenti. Spectatores enim, in duplici sunt differentia. Alij tales dicuntur, qui dedita opera ad locum Duelli accedunt, hâc deliberatâ illud inspiciendi intentione, & in publico se exhibent, quasi præsentia sua, illud cohonestando certamen. Et isti dicuntur spectatores ex composito, & ex industria. Alij verò dicuntur spectatores fortuitò: & sunt, qui casu in Duelli loco se inueniunt, vel illuc eunt ignorando de Duello committendo, & qui illud ex occulto spectant. 1

Non igitur inquiritur, an excommunicationem incurrant, qui fortuitò, obiter tamen in loco se inueniunt Duelli. De his enim, & de eo, qui ex occulto loco Duellum, & pugnam actualem spectat, commune est inter Doctores, illam non incurrere. Bassæus *tom.1. verbo Duellum, num. 9.* cum Riccio, *tom.3. sua praxis, resolut. 42. num. 2.* Filliucio, *tom.2. tract.15. cap.5. num.*114. Sanchez *in Decalogum. tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 31.* & Reginaldo. *in Praxi, lib.22. cap. 7. num.77.* Vidal, *inquisit.5. num.33.* cum Bonacina. *de censuris in particulari, disput. 2. quæst.3. punct. 48. num. 30.* Trullench, *tom.2. lib.5. cap.2. dub.13. num.22* & Fagundez, *in quintum Decalogi præceptum lib.*8 5. *c.*8. *n.*36. Antoninus Diana, *part.3. tract.6. resolut. 1. versic. Dico quartò, & part. 5. tract. 14. resol. 100.* cum Hurtado de Mendoza 2.2. *disp.*170. *sect.*1. §.179. Augustinus Barbosa, *in Collectanea Doctorum, in Concilium Tridentinum, sess. 25. de Reformatione cap.19. n. 8. & in cap. Cura, num.8. el 1. de Purgatione Vulgari*, cum Vgolino, *de Officio Episcopi cap.8. §.2. num.5.* Delrius, *Disquisitionum Magicarum lib.4. cap. 4. quæst.4. sect. 2. in fine.* Scortia, *in selectas summorum Pontificum Constitutiones, theoremate 392.* versic. *Quares, in fine.* Escobar, in Theologia Morali, *tract.1. exam.5. num.102.* 2

Libuit recensere Marcum Vidal, qui *num. 33. & sequentibus*, quæ tàm ipse, quàm alij allegati tradunt Doctores, in his, quæ sequuntur docet. Videlicet. Dico secundò. Qui obiter transit vbi Duellum committitur, & illud spectat, aut ex occulto, vel ita distans, vt non censeatur esse præsens, in excommunicationem non incidit, etiamsi actu sequutum fuerit. Id est certum apud omnes Doctores in hac materia, vt Lessius &c. Et ratio est euidens. Nam in his casibus, & similibus, qui Duellum aspicit, non dicitur ex consulto, & ex composito spectator, cum non dedita opera in publico illud spectet, & cohonestet, neque sua præsentia Duellatores efficaciter inducantur ad illud singulare certamen. Ergo, &c. 3

Addo, quod odia non sunt amplianda, neque pœnæ extendendæ vltra rigorosam significationem verborum. Quâ ratione, neque incurrit excommunicationem, qui ad locum Duelli accedit animo, & fine illud impediendi, quamuis actu illud non impediat ob impotentiam. Quoniam cum hoc opus virtutis sit, & meritorium apud Deum, ac plenum Christianæ charitatis, clarè videtur nullo modo incurri posse excommunicationem, quæ ex necessario exigit, vltra alias conditiones, mortiferam culpam. Ideo, &c. 4

5 Aduertendum, spectare Duellum, ex sui natura, nullomodo esse mortale peccatum, quando non adest complacentia de malo graui, vt malum est. Sic Naldus, *in summa, verbo Duellum, num.* 3. Vazquez 1. 2. *disput.* 111. *tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 6. vbi citat Antoninum, Syluestrum, & alios. Idcircò erit quid malum, quia prohibetur à Summis Pontificibus, quando ex industria, & composito spectatur, vt vidimus. Hactenùs Marcus vidal.

6 Procedit igitur dubium, eorum respectu, qui ex industria ad locum ad pugnam destinatum, nullâ iustâ causâ, aut occasione accedunt, sed solâ curiositate. Notanter dico: *nullâ iustâ causâ, aut occasione.* Quia, qui illam habet, neque peccat accedendo, & spectando, neque pœnas incurrit, vti docet Hurtado de Mendoza, 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 170. *sectione* 21. §. 179. quem, & eius doctrinam recenset Diana, *part.* 15. *tract.* 14. *resolut.* 100. Huiusmodi sunt Magistratus priuati, eorumque satellites, & familiares, accepta enim à Principe facultate duellandi, non potest Magistratus Duellum impedire, debet autem prouidere, ne concitentur tumultus, aut Duellatores pugnent armis inæqualibus, aut alia iniustitia committatur. Item prouidere Sacerdotem, qui excipiat peccata alicuius moribundi. Eandem ob causam potest Sacerdos adesse excepturus confessiones. Item adesse poterit aliquis famulus, aut amicus, vt accersat chirurgum, aut Confessarium. Item poterit adesse famulus, deferens arma heri, & equum quando id non potest omittere sine graui incommodo Hæc omnia Hurtado, qui rursus addit, quæ *num.* 3. ex Vidal recensui: quod idem dicendum sit de eo, qui fortè fortuna se inuenit in loco Duelli, aut in illum suum iter agens incurrit.

7 Addit tandem. Imò, & qui illius (Duelli scilicet) consistendi in eum locum, sola gratia videndi, quæ illic geruntur; (pœnas scilicet non incurrit.) illa enim curiositas non damnatur in Concilio. Quia ij spectatores comparatione Duelli sunt per accidens: neque enim propter illos promouetur Duellum, sed fortè impeditur multitudine spectatorum. Damnantur igitur à Concilio spectatores curiosi, qui ex condicto se offerunt certaminis spectatores, & testes. Hi enim Duellum promouent tacita illius consensione. Duellatores enim, multum concitantur ad agendum de Duello spe victoriæ coram illis, quibus coram enascitur iurgium, & causa Duelli. Vult igitur Concilium his testibus terrorem iniicere ne conniueant in Duello, sed vt illud impediant: quod patet ex vsu communi: nullus enim Confessarius diligentiam adhibet, aut curat, quid hâc in re acciderit Pœnitenti.

Hactenùs P. Hurtado, cuius sententia mihi non satis probatur, nec Dianæ, *dicta resolut.* 100. pro se, & nobis alleganti Filliucium, *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 8. *num.* 177. Bonacinam, *de censuris*, *disp.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 30. Floronum *de Duello*, *c.* 3. *num.* 2. Peregrinum *eod. tract. in Expositione Bulla, num.* 29. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 7. *n.* 77. Coninch *disput.* 32. *num.* 29. Sanchez *in Decalogum, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 31. & Cælestinum *in Compendio Theologia Moralis, tr.* 3. *cap.* 10. *n.* 5.

8 Ducor Primò. Quia sententia Patris Hurtado, in hac parte, contra communem est. A communi autem sententia sine magno authoritatis pondere, plurimorum scilicet Doctorum, aut magna saltem probabilitate, discedere nolim. Fateor quidem Authorem præfatum, gravissimum esse Doctorem; sed ex his, quos viderim, vnicum sui placiti propugnatorem: & eius ratio non ita fortis est, vt præpondeteret. Vndè cum illa opinio sit magis eligenda, quæ à pluribus comprobatur. *l. Maiores ff. de Pactis*, (periodum exhibeo Laurentij de Peyrinis, *de Privilegiis, tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 10. *ad finem*) seu, quæ magis est probabilis: probabilis autem sententia est illa, quæ Iuri, & rationi innititur. *Cap. Consuetudo, distinct.* 1. nec Doctoribus quantumuis magnæ authoritatis credendum, si sine lege, aut ratione luquantur, vt ait Archidiaconus, in *capite. Nolite timere*, 11. *q.* 3. erubescibile enim est, aliquid dicere, & per legem non probare, vt multis probat Paulus Rosellus, *in floribus legum, verbo Erubescimus.* Et opinio, quam sequimur cum Iuri Concilij Tridentini, & communi Doctorum sensui innitatur, & magis probabilis, & eligibilis demonstretur, Patri Hurtado sine lege, & sine vrgenti ratione loquenti, hac in parte, non audeo credere.

illud autem, quod ex Peyrinis dixi: opinionem scilicet magis eligendam, quæ à pluribus comprobatur: intelligendum est, cæteris paribus, pensatis nimirum vtriusque fundamentis. Ex eo enim precisè, quod plures vnam sequantur sententiam, non illa probabilior comprobatur, si solidioribus non innititur, iurium, aut rationum fundamentis Non enim rarò reperitur opinio communissimè sequuta, quæ non communis, nec plurium dici possit Doctorum, sed vnius tantùm, quia vnus post alium, nihil post primum illius inventorem addit, sed illum more ovium, & avium, quæ grues, vulgo *grullas* appellantur, sequuntur, vti doctè Illustrissimus Dominus D. D. Didacus Frances de Vrruti-goyti Episcopus Balbastrensis, & nunc Barchinonensis electus, in suo doctissimo Pastorali interno *part.* 2. *tract. vnico, quæst.* 5. *à num.* 33. demonstrat, cuius doctrinam non gravabor ad amussim reddere, vt à tanto Doctore, meus discat Lector, hanc veritatem. Sic igitur fatur.

In nostro casu advertendum est, omnes DD. tenentes contrariam opinionem nostræ, vnum post alium nihil de novo addidisse, sed ferè eisdem verbis vti, & eodem fundamento niti, scilicet quod non sit credibile inter Catholicos, &c. Vide eos (Lector amantissimè) & invenies hoc ita se habere; at omnes defendentes nostram sententiam, aliqua nova fundamenta adducunt, & videre poteris penes Marchantium, Quiotanadveñas, & alios suprà allegatos, & ego, licet minimus omnium, aliqua Iuri Canonico, & Civili consona excogitavi. Ex quibus meritò non iudicabo plures Doctores contra nos sentire, sed vnum, quandoquidem omnes eisdem ferè verbis, & fundamentis eam defendunt, more pecudum, vel volucrum, quæ plures vnam præeunt, & sequutæ, eandem viam arripiunt, vt tradit Philippus Decius, *cons.* 494. *n.* 15. vbi ita ait. *Non obstat, quod dictum Fiderici videtur approbatum communiter, quia quandoque Doctores nostri non perscrutantur rationes, & imitantur Aves, quæ quando vna volat, aliæ omnes sequuntur, &c, & n.* 16. ita prosequitur. *Iustius enim & æquius est illi sententia inhærere, quæ melioribus rationibus fulcitur, etiamsi imperator sit in opinione contraria, l. Æmil. ff. de Minoribus.* Et idem probat Azor. cum aliis, *to.* 1. *instiut. Moral. lib.* 2. *c.* 13. *q.* 1. *versic. Quando igitur circa medium*, & tradit Curtel. *cōtra Dianam, lib.* 1. *q.* 27. *a.* 18. & licet Salgad. *de Regia protectione*, 1. *p. c.* 2. §. 3. *n.* 22. *& seqq.* teneat, sequendā esse opinionē, quæ plūriū authoritate cōprobatur, quia præsumitur

tur verior; attamen intelligenda est hæc sententia, provt diximus suprà, quando plures numero Doctores diversis rationibus, & argumentis eam defendunt; non verò quando ex eodemmet fundamento vtuntur. Tunc enim, vt diximus, potiùs vnus; quàm plures numerandi sunt: ergo in nostro casu poterimus ex dicto argumento asserere plures (licet nó numero arithmetico, sed Iuridico) nostram sententiam tenere, quæ maioribus, validioribus, & efficatioribus argumentis fulcitur. Et ideò succedit doctrina, quam ex Anton. Mari. Corat. *in tract. de commun opin. lib.* 2. *tit.* 8. *num.* 6. tradit. Barbosa, *in collectan. ad l.* 1. *Cod. de veteri Iure enucleando, num.* 27. per illum textum, quod omissa multorum sententia, debet attendi opinio vnius quando est verior, melior, & æquior. Et *num.* 28. plures allegat idem tenentes. Et de hoc articulo vide Antonium Gomez *ad l.* 1. *Tauri, n.* 9. *& seqq.* Hactenus Dominus Vrrutigoyti, cuius doctrina valde mihi plausibilis est. Sed de hac digressione, satis. Ad patris Hurtado impugnationem redeamus, à quo discedo.

9 *Secundò* ob rationem contrariam, quia vti dubio præcedenti ante finem, *versic. Dupliciter*, dicunt Scortia, & Comitolus, ob quorumcumque Spectatorum concursum, pugiles non se possunt omninò liberè à pugnandi proposito retrahere. Vndè, quicumque sint spectatores, Duellum promovent, & Duellatores multum concitantur ad agendum de Duello, spe victoriæ, coram illis quibus coram actu pugnant, & certant, vt gloriam virorum fortiorum acquirant, & illam penes adstantes non amittant. Quæ vtique ratio, me iudice, præponderat.

10 *Tertiò.* Quia Concilium indistinctè, & absolutè loquitur, dom decernit: *nec non spectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.* Ergo cum magnum hoc ius non distinguat, nec nos distinguere debemus. Bart. *in l. de pretio ff. de Publiciana.* Lezana, *tom.* 2. *part.* 4. *verbo Leges Regularium, nu.* 35. Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 1. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 13. Thomas Delbene, *de Immunitate Ecclesiastica, part.* 1. *cap.* 1. *dubis.* 7. *numero* 2. Caramuël, *in Theologia Fundamentali, fundam.* 43. *num.* 1102. cum Coriolano, *fol.* 244. *n.* 22. Cruz, *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 3. *Conclus.* 4. *regula* 2. *pag.* 123. Portellio, *verbo Scrupulus, num.* 1. & Paulo Layman, *lib... tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 7. Augustinus Barbosa, *in tract. de Axiomatibus Iuris vsu frequentioribus, axiomate* 136. *n.* 2. *& in cap. Solitæ, num.* 3. *el* 6. *de Maiorit.* cum Thoma de Thomas *regula* 300. Surdo, *consil.* 51. *n.* 7. *& consil.* 182. *num.* 15. *& consil.* 301. *num.* 50. Cardinali Tuscho, *tom.* 3. *litt. D. Conclus.* 508. Armendarij *in proœmio additionum ad recopilationem Legum Navarræ, n.* 27. Cæsar. Argel, *de Contradictore legitimo, quæst.* 10. *num.* 14. *&* 24. & aliis citatis, *in libello, de principiis vtriusque Iuris, litt. I. num.* 28. Glossa, *in cap. Solitæ citato, verbo Non distinguens, ex can. Consuluisti,* 2. *quæst.* 5. *can. Si dormieris,* 31. *quæst.* 1. *& can. quos Deus,* 33. *quæst.* 2. Marcus Vidal, *tit. de casibus reservatis, num.* 79. ego ipse, *in Disquisitione de Iure Prioris, annexi, n.* 57.

CONCLVSIO.

11 QVi ex industria, & vana curiositate videndi Duellum, ad locum destinatum pro illo accedunt, & non ex causa legitima, aut occasione; non incurrunt pœnas spectatoribus Duellorum inflictas, si Duellum, & certamen non fuerit secutum, nec pugiles ad actum Duello proximum devenerint.

Hæc Conclusio, est contra Naldum *in Summa verbo Duellum, num.* 6. & contra Peregrinum, *tract. de Duello, quæst.* 37. contrariam tenentes, & probare intendentes, *primò* ex Constit. *Ad tollendum, la* 78. Gregorij XIII. §. 1. *in fine*, ibi: aut ex composito spectatores, vel socios quovis modo sese præbentes, eisdem censutis, & pœnis subiacere, etiamsi illi, qui ad locum destinatum accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per seipsos non steterit, quominus illa committatur.

Secundò ex Constit. *Illius vices, la* 11. Clementis Papæ VIII. §. 7. ibi: huiusque delicti socios, de industria spectatores, &c. Et licet non exprimat etiamsi de facto pugnam nó commiserint pugiles, sicut expressit Gregorios, in præcedenti, cum tamen illius Constitutionem & pœnas in ea contentas confirmet, perindè est, ac si illud expressisset. 12

Tertiò ex Constit. *Quam Deo, la* 31. Leonis X. vbi, quoad Spectatores, sic statuit. Qui verò ad talia cruenta spectacula videnda, convenerint, &c. 13

Ex quibus Constitutionibus, satis manifestum videtur, & clarum, sufficere ad hoc vt incurrant pœnas omnes spirituales, & temporales spectatores, quod ex industria, & ex proposito, ad videndum conflictum; ad locum convenerint pro pugna assignatum: cum sola illa actio conveniendi ad locum pugnæ, per seipsam consideretur.

His tamen non obstantibus conclusio nostra vera est. Illam tenent Marcus Vidal, *tit. de Duello, inquisit.* 5. *num.* 2. cum Bonacina, *tom.* 3. *de Censuris in particulari, disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 48. *num.* 30. Antoninus Diana, *part.* 3. *tract.* 6. *resolut.* 1. *versic. Dico quartò, & par.* 5. *tract.* 14. *resolut.* 100. *in fine.* Ausonius Noctinot, *in Compendio Dianæ, verbo Duellum, num.* 15. illum sequitur, & recenset, ac Bonacinam, *de Censuris, disputat. secunda, quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 30. 14

Probatur Conclusio *primò.* Pœnæ infliguntur spectatoribus ex industria, Duelli formalis & proprij, secundùm substantiam talibus. Sed quando non pugnatur actu, seu certamen est sequutum, non datur Duellom formale, & proprium: ergo nec dantur Spectatores Duelli formalis, & proprij, secundùm substantiam tales, pugna non secuta Ergo nemo, quà Duelli spectator, pœnas incurrit cóflictu non exercito. Probo maiorem. In materia pœnali, & odiosa, verba legis strictè, & rigoroso modo sunt accipienda, in sua propria, & formali significatione. Vidal, *num.* 3. ex communi Doctorum. Immò in cuiusuis legis interpretatione, proprietatem verborum servandam esse, & secundùm illam proprietatem legem latam esse, debere intelligi, docent Palaus, *part.* 1. *tract.* 3. *de cessatione, & interpretatione legis, disp.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 2 cum Suarez, *tract. de legibus lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 7. Salas *disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 4. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 8. *num.* 15. Roderiquez *to.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 11. *art.* 6. *versic. Tertia Regula est.* Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *de Privilegiis cap.* 1. *num.* 9. *in fine*, vbi variis, ac quàm plurimis modis interpretandi leges recensitis, ait. Vndè conclude, quod illa est efficax legis interpretatio, quæ primò convenit intellectui: secundò; quæ rei subiectæ: tertióque verbis intellectis, in propria significatione, id est secundùm sensum maiorum nostrorum, vel saltem secundùm commonem vsum hominum doctiorum. Hæc ille. Docent etiam Azorius, *part.* 1.

Institution. Moral. lib. 5. cap. 16. quæst. 19. Pellixzarius, *tom. 1. tract. 4. cap. 5. num. 331.* Lezana, *verbo Leges Regularium, num. 32.* Et id Doctores colligunt *ex cap. inter corporalia, §. Sed neque illud, el 2. de Translatione Episcopi ex l. Non aliter, ff. de legatis, 3. ex l. Prospexit ff. Qui & à quibus manumissi liberi non fiunt.* Minor autem argumenti ex ipsamet constat Duelli definitione. Vtraque tandem consequentia legitimè ex præmissis infertur.

15 *Secundò* probatur Conclusio. Quando pœna ipso Iure infligitur propter aliquod delictum, locus dictæ personæ non datur, nisi delictum effectum sit, & consummatum. Est textus elegans *in cap. Perpetuo, el 7. de Electione, & electi potestate, lib. 6.* vbi ita Gregorius Papa X. in Concilio Generali Lugdunensi declarat. » Perpetuo Sanctionis » oraculo declaramus: quod scienter inter electio- » nibus nominantes indignum, propter suffragium » in scrutinio præstitum (nisi adeo in eo perstiterint, » quod ex votis eorum cōmunis electio subsequa- » tur) nequaquam eligendi potestate priventur. Hactenùs Decretalis illa, in cuius summa, sic Ioannes Andreas fatur. Si non sequatur electio: non est quis ex consensu in scrutinio scienter habito, in indignum eligendi potestate privatus. Pro vlteriori probatione adducitur etiam Lex *Nomen. §. habere, ff. de verborum significatione.* Sed qui absque legitima causa, & occasione ac locum destinatum pro exercendo Duello, ex industria, & vana curiositate videndi conflictum accedunt, certamine non sequuto, nec actu ad illud proximo, non perficiunt, & consummant delictum in ratione spectatorum. Ergo non subiiciuntur pœnis appositis, inflictis propter delictum inspiciendi, & spectandi Duella.

Consequentia legitima est; minor autem probatur. Quando aliquis ex composito, ex industria, vel ex proposito ad locum designatum pro Duello accedit, deliberato animo illud inspiciendi, dum actu illud non committitur, evidens est illud non inspicere. Sed non perficitur, nec consummatur delictum in ratione spectatorum Duelli, nisi actu illud inspiciendo, vti ex se patet, sicut non perficitur delictum suffragij in favorem digni, nisi illud habeat effectum in communi electione subsecuta: ergo qui absque legitima causa, & occasione ad locum Duelli, ex industria, deliberato animo illud inspiciendi accedit, delictum spectatoris non perficit, certamine, & pugna Duelli non secuta.

16 Confirmatur primò. Inordinatus affectus, & prauus non punitur in foro iudiciario, nisi sequatur effectus. *Can. Cogitationis, el 14. de Pœnitent. distinct. 1.* ibi. Cogitationis pœnam nemo patiatur. Quod Glossa exponens, *verbo Cogitationis*, sic ait *Patiatur. Ab homine, sed à Deo benè. l. Cogitationis ff. de Pœnis.* Idem statuitur: ergo qui ex pravo affectu inordinatæ curiositatis, ad inspiciendum accedit Duellum, si de facto illud non videt, pati ab homine pœnam non debet, sed à Deo.

17 Confirmatur secundò. Odia, & pœnæ restringi debent, latè *suprà dub. 2. num. 12. & 13.* Sed punire affectum, effectu non secuto, odium est, & contra Canonem, & legem modo redditos, expressum: ergo cum accessus ad locum pro Duello destinatum, pugna non secuta sit affectus, sine effectu, puniri non debet.

18 *Tertiò* probatur Conclusio. Pugiles, etiamsi ad locum designatum pro certamine accedant, nullam pœnam incurrunt pugna non secuta: ergo neque spectatores, etiamsi animo deliberato illam videndi ad eundem accedant locum, vllam incurrunt, pugna non secuta, & visa. Antecedens manet ad satietatem probatum dubio præcedente. Consequentia verò probatur. Maius delictum pugiles admittunt, quàm eorum spectatores, vti ex se patet: illi enim committunt delictum homicidij, cum aliis circunstantiis Duello annexis; spectatores autem præter istas, solùm delictum vanæ curiositatis. Sed maius delictum magis punitur, quàm minus: ergo si pugiles, quâ tales, non puniuntur pugnâ non secutâ, neque spectatores, quâ tales punientur pugnâ non secutâ, & visâ.

Minorem probo. Pœna est delicti mensura. 19 Glossa *in cap. Sine culpa, el 23. de Regulis Iuris, lib. 6.* hoc conficit argumentum. Quia pœna est mensura culpæ: vbi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet: ergo vbi non est culpa, nec pœna. Hæc Glossa. Pro quo etiam faciunt *Canon. Non afferamus, el 22. 24. quæst. 1. cap Felicis, §. illud autem el 5. de Pœnis l. Sancimus. Cod. de Pœnis. Et l. respiciendum, ff. eodem tit.* Vidal. *de Duello, inquisit. 5. num. 7.* ego ipse *suprà dub. 3. num. 10. dub. 5. in fine.* Ergo maius delictum magis punitur, quàm minus. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis. Ergo si pugilis delictum maius est, quàm spectatoris illius, si illud non punitur, effectu pugnæ non secuto, neque punietur istud.

Confirmatur primò. Ex maioritate delicti, maior pœna imponitur. Marcus Vidal. *num. 8. ex Cod. Ad legem Iuliam, de vi publica, vel privata.* Ideò pluries delinquens, plùs punitur. *l. Servos, Cod. de vi publica, citato, & l. 4. in fine, Codice de Episcopali audientia.* Sed maius delictum est actu Duellare, quàm illud aspicere: ergo maior pœna imponi debet actu duellantibus, quàm videntibus, & aspicientibus actum Duelli. Ac per consequens, maior pœna competit volentibus certamen inire Duelli, quàm volentibus certamen ipsum videre. Cum igitur volentibus pugnare, nulla competat pœna ab homine inflicta, aut infligenda, ita nec volentibus pugnam videre. 20

Confirmatur secundò. Accessorium sequitur 21 naturam sui principalis. Vidal, *num. 10. ex cap. Accessorium el 42. de Regulis Iuris, lib. 6.* vbi sic Bonifacius Papa VIII. Accessorium, naturam » sequi congruit principalis. Quam quidem Regulam sumptam esse ait eius Glossa, *verbo Accessorium, ex l. Cum principalis ff. de Regulis Iuris. Et l. nihil dolo §. Cum principalis ff. Cod. tit.* Vide ipsam Glossam in qua aliquas exceptiones huius Regulæ generalis, pro casibus, per singularia Iura, exceptis invenies, de quibus vtiquè præsens neutiquam est. Ex hac igitur Regula benè fit, quod accessorium non possit esse maius suo principali. Pro quo etiam facit Lex iustissimè §. 1. *ff. de.....* Sed in Duelli delicto, principales, pugiles ipsi, non incurrunt excommunicationem, nisi pugna actu secuta. Ergo neque illam incurrent accessorij, id est spectatores Duelli, nisi Duelli actu inspecto, esto ex composito, proposito, & industriâ ad locum destinatum accesserint ex varia solùm curiositate videndi spectaculum Duelli.

Sed obiicies primò contra Conclusionem, ex 22 doctrina Scottiæ ad finem *dubij 5. versic. Secundo,* recensita. Pugiles dum actu non pugnant, ideò ab excommunicatione excusantur, quia eorum actio diffidationis, completa non est. Sed actio spectatorum eo ipso, quod ex industria, & proposito, ex vana curiositate, & nulla iusta causa, & occasione

ſione ad locum accedant pro pugna deſignatum, completa cẽ in ſuo genere, etiamſi conflictum non videant, quia ille non exercetur: ergo ſpectatores contrahunt in hoc caſu excommunicationem.

Reſpondeo cum Marco Vidal *inquiſit. 5. de Duello, num. 12.* negando maiorem. Quia formaliter, & propriè non eſt, nec poteſt dici inſpector Duelli, qui Duellum actu non videt quoad homines ſaltem. Et conſequenter, non eſt eius actio, quâ inſpector, completa ex eo quod locum pro pugna aſſignatum acceſſerit, ea intentione illam inſpiciendi, ſed defectu pugnæ, illam non vidit.

23 Conſultò addidi: *quoad homines ſaltem:* Quia quoad Deum, *de voluntate ad actum, nihil datur eſſentiale.* Axioma certiſſimum eſt, & æquipollet huic. *Pro facto reputatur voluntas, vbi actum excludit neceſſitas.* De quibus diſertè agit Doctiſſimus Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, fundam. 44. axiomate* 28. *num.* 1109. cum Drexelio, Amuſſ. *lib. 2. cap. 6. quaſt. 7.* Biderman, *de Actibus humanis, fol. 201. Fabro, part. 1. fol. 298.* Layman, Bernardo, & Reginaldo, *lib. 27 num. 8.* Ioannes Azorius, *Inſtitutionum Moralium, part. 1. lib. 2. cap. 6. quaſt. 6. Colum. mihi* 113. Quæ certè doctrina, æquè procedit de bona, ac de mala voluntate, & è converſo, vti benè adnotant Caramuël & Azorius, qui plures commutat Sanctorum Patrum, & aliorum Doctorum, pro illa dilucidanda, authoritates. Vnde D. Auguſtinus, *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 3.* ait, non eſſe minùs reum eum, qui cupit, etſi poteſtas daretur, exequeretur, quàm ſi in ipſo facto deprehendatur. Secus autem quoad homines dicendum. Quia homo videt in facie, Deus autem in corde. Et ideò Eccleſia malas, & depravatas voluntates, ſeu intentiones non punit, ſi externè non exequantur.

24 In noſtro igitur caſu, acceſſus ad locum cum voluntate certamen videndi, actus eſt completus quoad Deum in genere inſpectorũ Duelli, etiamſi hoc non videatur, nec ſit: quia ex exteriori actu videndi Duellum, nihil malitiæ, & deformitatis in ſuo genere ſpectatorum, actui accedit interiori. Ratio eſt, quia voluntas in hoc caſu eſt conſummata, & non ceſſatur ab actu, niſi propter faciendi impotentiam, iuxta D. Thomæ doctrinam, 1. 2. *quaſt. 20. art. 1. ad primum.* Incompletus autem eſt quoad Eccleſiam, & nondum conſũmatus. Vnde ab ea non punitur, cùm intentionem non puniat, & affectum, ſed effectum, ſicuti ſuprà diximus, confirmatione 1. pro 2. probatione noſtræ Concluſionis. Immò neque punit effectum inchoatum, ſed conſummatum. Dubio diximus præcedenti.

25 Obiicies ſecundò. Spectatores Duelli æquè principaliter excommunicantur, ac ipſi pugiles: ergo actio ſpectatorum acceſſoria non eſt ad pugilum actionem. Et ideò quamvis ipſi pugiles, pugna non ſecuta, excommunicationem non incurrant; incurrent tamen illam ſpectatores, ex induſtria, & ſola ex vana curioſitate ad locum deſignatum pro Duello, accedentes, Duello ipſorum ſecuto.

Reſpondeo negando antecedens. Quia ſpectatores, vt perſonæ ad Duellum acceſſoriæ ſe habent: ergo tantùm acceſſoriè excommunicantur. Ergo non æquè principaliter ac pugiles, qui Duelli reſpectu ſunt principales, excommunicantur.

26 Deindè licet dictio *Et*, regulariter, & in plurimum copulativa ſit, & coniunctiva, & copulet præcedentia cum ſequentibus, faciendo copulatum æquè principaliter venire; aliquando tamen, & non rarò diſiunctiva eſt, ratione ſubiectæ materiæ, cui apponitur, vti benè adnotat Vidal *n. 16.* & egomet dixi, *in Diſquiſitione Paſtorali Iudiciali, de Iure, & poteſtate Romani Generalis, & PP. Diffinitorum, cũ quaſtionibus. Edita Paſtoralibus.* Ibi enim *num. 4.* dixi, dictionem *Et*, poni ſæpè inter diverſa iuxta doctrinam Barboſæ, *in tract. de Dictionibus vſu frequentioribus, dict.* 110. ex *Rubrica inſtitution. de Vſurpatione, & longa temporis præſcriptione. Rubrica, de ſententiis, & interlocutionibus omnium Iudicum cap. Cum Olim el 34. de teſtibus.* Gloſſa, & Rubrica, *de Iuris, & facti ignorantia.* Alexand. *conſil. 168. num. 10. verſic. 5.* Paris, *conſ. 39. num. 21. & conſil. 95. num. 6. & 8. volum. 1.* Gozad *conſ. 33. num. 17.* Salon, in *proœmio Leg. Tauri, num. 131.* Madosin Gloſſ. facultat. §. *Nos qui in verſ. & pag. 95. & in Regulam 1. Cancellariæ, quaſt. 10. num. 11.* Vulpell. *de Præpoſitionum, & adverbiorum ſignificatione ſub dictione Et, in principio.* Menochio, *remedio 8. recuperand. num. 84.* Surdo, *conſ. 315. n. 17.* Gonzalez, *ad Regulam 8. Concellariæ, Gloſſa 3. n. 11.* Cenedo *poſt librum practicarum, & Canonicarum quaſtionum, ſingul. 50. num. 4.* & ex Narbona, *de Appellatione à Vicario ad Epiſcopum part. 1. n. 207.* Quibus addo Laurentiũ de Peyrinis, *de Privileg. tom. 2. ad conſtit. 2. Pauli III. num. 4. pag. 232.* Lezanam *tom. 2. part. 3. verbo Dictio, num. 19.* cum Tuſcho, *eodem verbo, Concluſ. 254. num. 3.* Emmanuëlem Roderiquez, *tom. 3. quaſtion. Regular. q. 17. art. 19. verſic. Ad argumenta. Navarri,* & Naldum, *in Summa, verbo Dictio num. 7.*

In noſtro etiam caſu, *Et* dictio, diſiunctivè ſumitur, vti advertit Vidal. Et colligitur ex Clementina *Illius vices. Primò*, quia ſpectatores non per ſe primò, & principaliter prohibentur, ſed conſequutivè in Duellantium deteſtationem. Ex verbis conſtat Clementinæ. *Secundò*, quia ſiunus in materia pœnali, & odioſa; pœnæ autem non ſunt extendendæ vltra proprios caſus expreſſos, nec exaſperandæ, ſed moliendæ. *l. Interpretationem, ff. de pœnis.* Benè igitur ſequitur, quod in præſentia excommunicatio lata contra ſpectatores, ſit dependenter ab effectu principalis actionis, quæ eſt ipſa actualis pugna: & quod ſpectatores, vti acceſſoriè ſe habentes ad pugiles non incidant in excommunicationem, in quam non incidunt ipſi principales, pugiles. 27

Quod ſe habeant ſpectatores acceſſoriè ad Duellum, & acceſſoriè tantùm excommunicentur à Gregorio XIII. in Conſtitutione, *Ad tollendum*, ex ea colligit Vidal, *num. 17.* ex illis ſcilicet verbis: aut ex compoſito ſpectatores, vel ſocios quovis modo ſeſe præbentes. Dictio enim *aut*, eſt propriè diſiunctiva, & vt diſiunctiva regulariter ſumitur, maximè quando ponitur in caſu ſimpliciter odioſo, & in odioſa materia. Barboſa *tract. de Dictionibus vſu frequentioribus, dict. 48.* vbi plures textus allegat Legales. Lexana, *tom. 2. par. 3. verbo Dictio, num. 7.* (vbi adnotat, quod vna pars alternativa, intelligi ſecundùm aliam debet) Naldus mox citandus, cum Barth. *in l. ff. de Rebus dubiis.* Et exemplum ſic adducit. Vnde ſi pro delicto eſt impoſita pœna amputationis membri, aut alia, per ly *alia*, non debet intelligi amputatio capitis; quia hæc pœna multum diſtat ab amputatione membri, & alternativa ſemper præſumitur eſſe inter æqualia, & parum diſtantia. Naldus *verbo Dictio num. 4.* cum Felino, *in cap. Inter Cæteras, de Reſcriptis.* Ergo cum in noſtro caſu pugiles, qui alternativi ſunt, excommunicationem non incur- 28

rant

tant certamine non secuto, neque illam incurrent spectatores eodem certamine non secuto. Aliàs enim isti alternativi non intelligerentur secundùm illos: & pœna gravissima punirentur, & multùm distanti, qua principales in alternativa non puniuntur.

29 Tertiò obiicies. Multæ actiones prohibentur sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, in Gregoriana, & Clementina Constitutionibus, etiam pugna non secuta, nec actu illam proximo, inter quas reperiuntur actiones spectatorum ex composito: ergo huiusmodi spectatores ex composito, incurrunt excommunicationem, etiam certamine non inito.

30 Respondet Marcus Vidal, *inquisit. 5. de Duello, num.*19. primò, neminem vnquam pœnam propter aliquod delictum latam incurrere, nisi delictum sit actu perfectum contra directè contra cognitam, & expressam prohibitionem pœnalem. Vidimus iam in 2. probatione Conclusionis, ex capite *Perpetuo, el 7 de Electione lib. 6.* Sed spectatores ex composito non perficiunt delictum de Duello inspiciendo, nisi illo actu exercito vel viso: ergo pœnas latas contra Duelli spectatores ex composito, illo non exercito, & viso spectatores non incurrunt.

31 Secundò respondet dictus Author, *num.*20. non excommunicati absolutè & simpliciter spectatores, sed accessoriè, & dependenter, ac sub conditione: *si per eos non fletit, quominus pugna illa committatur.* Ergo quandiu per spectatores stare potest ne Duellum actu sequatur, pœnam non incurrunt. Sed per spectatores stare potest ne committatur vsque ad vltimum instans ante actualem pugnam. Ergo vsque ad illud vltimum instans, pœnam non incurrunt: ergo tunc illam solùm incurrunt quando Duellum actu exercetur. Patet consequentia, quia vsque ad illud vltimum instans illam non incurrunt, cum vsque ad illud pugnam potuerint impedire: ergo solùm illam incurrunt post illud vltimum instans, in quo potuerunt impedire, & per ipsos stetit, ne committeretur Duellum.

32 Confirmat primo hanc responsionem. Delictum spectatorum non constat esse completum, nisi constet esse completam conditionem, vel non adimpletam: *si per eos non steterit.* Sed hæc conditio non intelligitur, adimpletæ nisi instanti actualis pugnæ, quia anteà adimpleri non poterat: ergo solùm in illo instanti delictum spectatorum completur, & punitur.

33 Confirmat secundò à paritate. Obligatus dicere horas Canonicas, non peccat non recitando illas, vsque ad vltimum instans temporis præfixi, pro illarum recitatione, vsque ad duodecimam horam completam, v. g. noctis. Itaque si in illius instanti vltimo, vltimam partem Officij Divini persoluit, adimplet legem. Omnium certè Doctorum consors sententia est. Cum ergo in nostro casu, vsque ad vltimum instans præcedens actuale Duellum, possit illud ab spectatoribus impediri, ante illod legem non violant, cum in instanti valeant illam adimplere, illud vtique impediendo. Incompletum itaquè delictum manet spectatorum, donec adimpleatur conditio: *si per eos non steterit:* quæ in omni illo tempore ante pugnam actualem, manet insuspenso, quia non est adimpleta, neque è contra, vt patet. Quia quo tempore ante pugnam actualem adimpleatur, vel non conditio, non est à Concilio, aut ab vllo summo Pontifice determinatum: ergo in toto illo tempore ante vltimum pugnæ instans potest adimpleri conditio: ergo est in suspenso ante illud: ergo ante illud instans non incurritur pœna spectatoribus inflicta.

DVBIVM VII.

An alij, qui quovis modo, influxu, motivove, se efficaciter ingerunt in materia Duelli proprij, & formalis, aliquomodò ad delictum operando, cuiusmodi sunt mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, socij, Patrini, equos, arma, pecuniam, & alia subsidia scienter, sponte, efficaciter, & hoc fine, vt Duellum sequatur subministrantes, excommunicationem incurrant pugnâ, cum effectu non secutâ?

BREVIARIVM.

Argumentum.

A superfluitate vitanda, validissimum est in Iure, num.4.

Duellum.

Qui quovis modo, influxu, aut motivo se efficaciter ingerunt in Duelli materia, mandando, instigando, consulendo, comitando, &c. si de facto pugna non sequitur, non incurrunt excommunicationem. an. 1. *Probabile est contrarium,* n.12.13.

Ante Vltimum instans inclusivè, quo Duello non impedito, immediatè pugna sequitur, excommunicatio illos non ligat, 1.2.5.

Etiamsi non ab ipsis, sed ab aliis impediatur pugna, num.3.

Excommunicatio contra socios pugilum, conditionalis est, si per eos non steterit, n.1.3.5.

Horæ Canonicæ.

Ecclesiastici, licet in quolibet instanti antecedente ad vltimum diei, potuerint Officium persoluere, vsque ad vltimum non tenentur partem eius vltimam recitare, num.2.

Lex.

Quodlibet legis verbum, debet aliquid operari, n.4.

Saltem secundùm se, n.5.

Non debet habere vnam syllabam superfluam & vacuam, num.4.

Fallit in aliquibus casibus, n.6.

In Lege magis attendenda sunt, quæ comprehenduntur ex mente, quàm quæ ex verbis, n.7.

Verba dubia legis intelligi debent secundùm subiectam materiam, & naturam rei, cui adiiciuntur, num.8.

Restringi debent ad naturam rei, cui adiiciuntur, & secundùm illam intelligi, etiamsi nihil operentur, num.9.

Frustratoria solùm essent, quando contra illa daretur evidentia, non quando opinio, 10.

Pœna.

Quæ contra aliquid consulentem infligitur, non contrahitur ab illo, qui etiamsi consuluit, vel illud factum non fuit; vel si factum; non ex illo consilio: quia aliàs faciendum erat, n.15.

Fallit in percussione Parochi, & Superiorum, quando,

qui

qui consuluit, taltm ex Officio tenebatur violentiam impedire, n.16.

Privilegia.

Ad mentem potiùs Principum, quàm ad eorum verba explicari debent, n.7.

verba.

Rebus servire debent verba, non è contra, numero 8.9.

1 RESpondet Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Duello, inquisit.* 5. *n.* 23. non incurrere censuram excommunicationis, in titulo dubij recensitos, si conflictus, & pugna actu secuta non fuerit. Et probat. Quia quilibet istorum ante actuale Duelli certamen impedire illud benè poterat: cum non censeatur esse consummatum delictum cuiuslibet illorum, nisi constet conditionem illam: *si per eos non steterit*: sponte & ex libera electione adimpletam non fuisse. Et ideò, cum in quolibet instanti intermedij temporis ante pugnam actualem, conditio illa possit adimpleri, nempè pugnæ impeditio, manifestè sequitur, nullum præfatorum excommunicationem contrahere, ante vltimum instans inclusivè, quo Duello non impedito, immediatè pugna, actu sequitur, vti in simili de spectatoribus, dubio præcedenti dictum est: tunc tantùm incurritur excommunicatio, quæ ab eventu dictæ dependet conditionis.

2 Duo sibi obiicit P. Vidal. Primum est, sequi ex sua doctrina, quod si pugna ab aliis impediatur, quàm ab expressis in titulo dubij, hi omnes excommunicationem incurrant: etiam pugna non secuta: cum per illos non steterit, ne illa committeretur.

Respondet negando sequelam. Quia conditio verificatur in vltimo instanti ante pugnam actualiter inchoandam, cum in vno instanti completivè ipsa impediri possit. Et licet in quolibet antecedenti, potuerit impediri; in vim excommunicationis, ad id neutiquam tenebantur suprà dicti cooperatores in Duelli materia: sicuti non tenentur Ecclesiastici Divinum persolvere Officium, vsque ad vltimum Diei instans, licet in quolibet ex præcedentibus illud dicere benè valeant.

3 Ex quo sequitur, quod ante tale vltimum instans, nunquam excommunicationem incurrant præfati Duellatorum complices. Vndè, quamvis pugiles ab aliis fuerint, quàm à sociis impediti, non ideò valet inferre. Ergo socij, seu cooperatores incurrunt excommunicationem, pugna non secuta. Quia istorum quilibet in eodem instanti, & in omnibus subsequentibus. Vsque ad actualem pugnam Duellum poterant impedire. Sufficiens enim tempus extabat: & ideò excommunicationem non contraxerunt, quæ in hoc casu, vti conditionalis, non sortitur effectum, conditione non impleta. Ex §. *Conditionali, instit. de Verborum significatione.*

4 Secundò obiicit Vidal. Si doctrina verificatetur præfata, verba Constitutionum Apostolicarum frustratoria essent, & superflua. Sed id dici non potest: quia quodlibet legis verbum, quamvis minimum, semper aliquid operari debet. Dixi *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.* 53. cum eodem Didal, *dicta inquisit. de Duello, num.* 26. Lezana, *to.* 2. *verbo Leges Regularium, n.* 41. *& tomo Consultorum, consulto* 2. *n.* 37. & Barbosa *tract. de Axiomatibus, axiomate* 222 *n.* 11. *&* 12. idem Barbosa *in proœmio decretalium, n.* 32. *&* 33. *ac* 34. *in cap. Solita n.* 12. *&* 16. *de Maioritate, & obedientiâ.* Allegat. *l.* 3. *in principio de Iureiurando. l. fin ff. Nò quid in loco publico. l. Si quando,* 109. *de legat.* 1. *cap. Si Papa, in fine, de Privilegiis, lib.* 6. *cap. si à Iudice de Appellationibus, eodem libro. l. Si stipulatus fuero, ff. de Verborum obligatione.* Gonzalez *ad regulam* 8. *Cancellariæ Glossa* 22. *n.* 5. Tiraquellum, *de Iure mariti par.* 3. *limit.* 30. *n.* 36. & de retractu conventionali, §. 1. *Glossa* 2. *n.* 24. *&* 25. Gutierrez, *practicarum, lib.* 3. *q.* 15. *n.* 39. Bertaz, de Clausulis instrument. *Clausula* 21. *Glossa* 14. *n.* 10. & in repetitione, *l. Si quis maior, Cod. de Transat. num.* 241. *cum seqq.* Aviles *ad cap.* 1. *Prætor. verbo Nillevaram, num.* 14. *pag.* 57. Surdum *decis.* 64. *n.* 10. Burgos de Paz *consil.* 25. *num.* 21. Caldam Pereiram, de renovatio. Emphyteusis *q.* 11. *n.* 14. Stephanum Gratianum Matchiæ, *decis.* 47. *n.* 17. *& decis.* 109. *n.* 19. Benedictum Ægidium, *in Repetitione l. ex hoc Iure, ff. de iustitia, & Iure, par.* 1. *c.* 8. *n.* 2. Et ita quidem intelligi debent, ne maneant sine effectu. Barbosa *in Proœmium Decretalium dicto, n.* 33. cum Menochio, *cons.* 122. *n.* 84. *& cons.* 345. *n.* 8, Surdo, *de Alimentis tit.* 9. *q.* 28. *à n.* 60. Vnde argumentum à superfluitate vitanda, validissimum est in Iure. Barbosa, *vbi proximè, n.* 34. cum Stephano Gratiano, *Disceptationum forensium, c.* 306. *n.* 16. Quare Lex non debet habere vnam syllabam superfluam, & vacuam. Idem Barbosa, *loco citato, in cap. Solitæ.* Cum Tiraquello, *de retract. Leg. Glossa,* 9. §. 1. *à n.* 199. Matanta *disp.* 9. *n.* 3. Puteo *decis.* 86. *n. vlt. lib.* 1. Gonzalez, *ad Regulam* 8 *recensitam,* §. 7. *Proœmiali, n.* 127. *&* 128. *&* Glossa 22. *num.* 5. Glossa 30. *num.* 16. *& Glossa* 35. *num.* 3. & Alderetè *in allegat. exemptionum Regularium, part.* 1. *cap.* 5. Ergo nec dici potest, quod excommunicatio non contrahatur ab efficaciter cooperantibus ad Duellum, quantum est ex se pugna actu non secuta.

Respondet Marcus Vidal, verba Constitutionum Duellum prohibentium, non esse simpliciter, & absolutè prolata, sed dependenter, & conditionatè, vti ex contextu Gregorianæ constat, §. 1. *in fine*, manifestè apparet, ibi: *si per eos non steterit, &c.* Vnde quotiescumque conditio ista in constitutione apposita adimpleri potest, verba Constitutionis pœnam imponentia, non ligant. Cum igitur, vti probatum est, adimpleri possit vsque ad vltimum instans temporis ante actualem pugnam, concluditur, verba legis pœnam infligentis, non ligare ante ipsam actualem pugnam. 5

Ex quo neutiquam sequitur verba præfata, frustratoria esse, & superflua, vti in contrarium obiicitur. Quia vt talia non sint, sufficit vt secundùm se possint aliquid operari quoquo modo, vt docent Castren. & Duin. apud Barbosam *axiomate,* 222. *citato,* etiamsi de facto nihil operentur, ob dependentiam ab agentis intentione, & operatione, ratione conditionis adimplendæ, necne.

6 Nonnullas addit Vidal fallentias, quas axioma allegatum patitur. In aliquibus enim casibus (ait) admittit ius superfluitatem, & abundantiam verborum: de quibus Iurisconsulti apud Barbosam *dicto axiomate* 222. *num.* 24. Ergo nullum esset inconveniens id asserere evenire in præsenti nostro casu: maximè cum verba Constitutionum præfatæ conditionata sint.

7 Secundò addit, in Lege magis, esse attendenda ea, qua comprehenduntur ex mente, quàm ea, quæ comprehenduntur ex verbis. Ioannes accinit Caramuël *in Theologia Fundamentali, n.* 608. *versic. At quia num.* 924. vbi ait: Iura, leges, & privilegia, debent, si fieri posset ad pronuntiantis men-

FFf tem

tem explicari. & *n.*925.Certum est (inquit) quod is committit in Legem, qui legis verba complectens, contra leges nititur voluntatem. Hæc est contra Legislatorem mentem, & verborum legitimam intelligentiam. Est regula 88.& à me ad omnia alia Iura, & privilegia extenditur. Ita ibi Catamuël, & *num.* 929. in hunc sensum trahit illud legis *Non dubium, la* 7.*Cod.de legibus.* Nec pœnas legibus insertas evitabit qui se contra Iuris sententiam sæva prærogativa verborum excusat. Accinunt & Barbosa, in *cap. Quia, n.*2. *el* 14.*de vsuris,& axiomate* 136. *n.*21. & Lezana, *verbo Leges Regularium*, *num.*36. *ex l.*17. *ff.de legibus. l. Scire* §. *Aliud*, *ff.de Excusatienibus*, *& ex canone, Humana aures* 22.*quæst.*5. Vndè à verbis recedendum, quādo de mente disponentis aliud apparet. *l.Non aliter*, *cum ff.de legatis* 3. Ergò cum in præsenti, Pontificis mens sit impedire ne Duellum committatur, sequitur, quod nondum actu committatur, intentum habeat: ac per consequens, quod pœna per verba constitutionis expressa non liget nisi secuto effectu pugnæ, contra Legislatoris mentem.

8 Addit tertiò. Verba legis dubia, intelligi debent secundùm subiectam materiam, & secundùm materiam rei, cui adiiciuntur *l. quod si quinto anno ff. commodati*, vel contraria. Quod etiam asserit Laurentius de Peyrinis, *de Privilegiis*, *tom.*8. *cap.*1. *additamento ad Constitutionem Pyrrhi: num.*9. *pag. mihi* 402. *ex capite intelligentia*, *de Verborum significatione*, & Doctores, quos recenset Barbosa, *axiomate* 222. *num.* 30. Cuius rationem reddit Peyrinus dicens. Quia verba rebus servire debent, non è contra. Sed in nostro casu verba pœnalia contra Duelli cooperatores sunt adiecta rei conditionatè prohibitæ, vt constat. Ergo sunt intelligenda iuxta qualitatem rei conditionatæ, quod est vt nihil operentur conditione non impleta.

9 Quartò. Verba legis, etiam vniversalia in tantùm restringi debent, secundùm naturam rei, cui adiiciuntur, vt potiùs toleretur superfluitas, & quod nihil operentur, quàm quod contra naturam talis rei intelligantur. Docent Doctores quos *vbi proximè* Barbosa recenset, *in fine*: ergo cum verba Apostolicarum Constitutionum pœnam imponentia Cooperantibus Duelli, adiiciantur rei conditionatæ, in tantùm debent conditioni restringi, vt potiùs eorum superfluitas toleretur, quàm quod aliquid operentur omninò, ante quam ponatur conditio.

10 Quintò denique addit Vidal, tunc ad summum verba legis esse frustratoria, quando contra illa daretur evidentia aliqua, & certitudo; non verò si tantùm detur opinio.

11 Hactenùs Doctor allegatus; licet non ad amussim omnia; nihil tamen, nisi ad illius sensum tecensui, dixi, allegavi. In quibus vti legenti patebit, satis benè propugnat, probat, fulcit sententiam suam, non solùm respectu eorum, qui nullo pacto inito cum pugilibus circa assistentiam, aut influentiam, tempore, & loco actualis Duelli, sed seorsim liberè eligunt assistere, & influere aliquo ex recensitis, in titulo Dubij, modis: sed etiam eorum respectu, qui tali præcedente pacto, & conventione influunt, dummodò ad pugnam actualem principales non accedant, esto isti ad locum, pro illa exercenda destinatum descendant. Et non minùs benè ad in contrarium obiecta respondet.

12 Non nego tamen esse valdè probabilem sententiam asserentem, socios in crimine Duelli, excommunicationem incurrere, esto principalis illam non incurrant, quia ad actualem non pervenerint pugnam. Illam tenent Delrius, *Disquisitionum Magicarum, lib.*4.*c.*4.*q.*4.*sect.*2. *in fine*, vbi ita fatur. Vnde sextò infertur eos, qui comitarentur, vel sociarent, incursuros, etiamsi non sit pugnatum, quando conati sunt efficere, vt pugnetur, vel saltem si poterant, non impediverunt ipsi, sed maluissent pugnam conseri. Thomas, Delbene *de Parlamentis dubitatione* 4. *subsect.* 31. *subcorollario* 9. *n.*2.*in fine pag.* 107. etiam in sequentia prorumpit.

Et ita etiam fertur excommunicatio in Bulla Gregorij XIII. contra eos, qui aliquo influxu, seu effectu, suadent Duellum: quam excommunicationem (etsi non contrahant principales, nisi sequatur Duellum, sicuti probabiliter docent Sanchez, *lib.*2. *Moralium, c.*39.& Megalius *in* 3. *part. lib.*4.*c.*4.*q.*2.) contrahunt tamen suadentes, etiamsi non sequatur Duellum: dummodò tamen ex vi suasionis ipsorum, fuerit accessus vtriusque principalis ad locum destinatum Duello, & per ipsos suadentes non steterit, quominùs sequeretur Duellum; secus si per ipsos steterit. Quâ de re vide Sanchez, *vbi suprà*, Filliucium, *to.*2.*tract.*15. *c.*1.*q.*5.& Bonacinam, *to.*3.*disp.*2.*q.*3.*punct.*48. Hæc Delbene, cuius sententiam etiam tenet Scortia, *theoremate* 392.*versi. Dubitabis, in fine.* 13

CONCLVSIO.

QVod igitur assero est, placitum Marci Vidal probabilissimum esse, *& pium*: *& me non* audere, ob ea, quæ iste Doctor tradit, excommunicatos iudicare suasores, & alios cooperatores Duelli certamine cum omni effectu non secuto, ex quavis causa pugna fuerit omissa; immò immunes omninò, & exemptos ab huiusmodi pœna, illos iudicandos esse censeo. 14

Ex dictis fit, quod ille, qui inefficaciter Duellum consuluit, pœnas non incurrat, vti benè docent Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resolut.* 1. *versic. Dico nono*, & Ausonius Noctinot *in illius compendio, verbo Duellum, n.*12. cum Bonacina, *vbi proximè, n.*18. contra Peregrinum, *de Duello, q.*33. Quando enim consilium fuit inefficax, eo quod vel alter non descendit ad singulare certamen, vel saltem ad hoc nullo modo fuit illius consilio motus, sed eodem modo descenderet, etsi alter non suasisset, non incurrit censuram consulens, vti benè docent Coninch, *de excommunicatione, disp.*14.*dub.*15.*n.*175. cum Sylvestro, *verbo Excommunicatio* 8. *n.*12. & Navarro, *in Manuali*, *c.*27. *n.*31.*ante vltimum* §. & cum aliis penes ipsos, in simili, de eo qui inefficaciter consuluit percussionem Cleri. Et ratio est, quia quando excommunicatio fertur ob aliquam actionem, intelligendum est de actione, quæ habuit suum effectum, quem Iura volunt evitari. Cum autem in nostro casu Duellator non descenderit ad certamen; vel si descendit, non tamen descenderit ex illo consilio motus, non potest dici, quod consilium huiusmodi suum habuerit effectum. Vnde est, quod consulens inefficaciter pugnam, censuras non incurrat. 15

Advertit tamen Coninch doctrinam suam fallere in casu percussionis Rectorum Ecclesiæ, quales sunt Parochi, & Superiores, *per cap. Quanta, el* 47. *de sententia excommunicationis*, quando qui percussionem consulnit, ex Officio tenebatur talem impedire violentiam. 16

DVB.

DVBIVM VIII.

An pœnas incurrat, certamine secuto, qui efficaciter Duellum consuluit, si quantum potuit fecit revocando consilium, vt pugiles ad arenam non descenderent, & vt pugnam, & conflictum non inirent, esto aliàs Duellatores non pugnarent, consilio non præmisso?

BREVIARIVM.

Consilium.

Consilium à Mandato differt, quia in gratiam illius cui datur, imponit vim, & obligationem: Mandatum autem vim, & obligationem iniungit in mandantis gratiam, n. 5.

Consilij revocatio quot modis fiat: & quot exequatur modis post revocationem, n. 12.

Quando efficax, & quando inefficax sit consilij revocatio, n. 13.

Efficax Consilij revocatio excusat consulentem, à pœnis consulentibus inflictas, n. 14.

Consulens, qui certò scit revocationem suam efficacem fuisse, & credit alterum in facinore progressurum, tenetur ex Charitate periclitantem monere, num. 15.

Tenetur etiam ex iustitia, quando probabiliter credit alterum suo consilio moveri ad facinus perpetrandum, n. 16.

Consilium revocans, si putat alterum non credere, ex animo illud revocare, quid facere teneatur, o. 18.

Quando constat revocationem consilij ex animo etiam factam, & debitis diligentiis adhibitis, non fuisse efficacem, eo quod alter crederet non fuisse ex animo revocatum, consulens incurrit pœnas consulenti inflictas, n. 19.

Consulens iniuriam, esto ante executionem pœniteat, & confiteatur, omnes pœnas consulenti inflictas incurrit & ad restitutionem tenetur, n. 20.

Qui tempestivè, & debitè revocavit consilium, ita vt alter secundùm prudens iudicium, rationem non habeat dubitandi, quin ex animo fuerit revocatum, nisi de contrario, aliquo modo constet, in neutro foro pœnas incurrit, n. 22.

Id constat, I. si executor constanter asserat consilio fuisse motus, nec sint rationes suspicandi eum mentiri. II si ipse ex se non fuerit proclivis ad facinus illud, num. 23.

Qui verum dedit Consilium, quantumcumquè conetur facinus dissuadere, si hoc perpetretur, nisi de contrario constet, in vtroque præsumitur foro, fuisse consilio motus, n. 24.

Duellum.

Consulens Duellum, si posteà quantum potuit fecit, vt non sequeretur pugna, probabile est illa secuta, quod excommunicationem non incurrat, esto ablato consilio illa non sequeretur, o. 1.

Probabilius est, quod illam incurrat, n. 28.

Irregularitas.

Incurritur ab eo, qui homicidium consuluit isto sequuto, etiamsi consilium revocaverit, num. 2. 7.

Idem est de aborsum fœtus animati consulente, numero 7.

Evadet tamen irregularitatem, etiam sequuto homicidio, si post datum consilium moneat eum, cuius consuluit homicidium, vt sibi caveat, o. 8.

Qui homicidium fieri mandavit, si mandatum revocet, & intimet ante homicidij perpetrationem, irregularitatem non incurrit, n. 34.

Assignatur disparitas, quoad hoc, inter consulentem, & mandantem, n. 5.

Maodans. Mandatum.

Sub mandante comprehenditur, qui rogat: qui promissis inducit, aut minis, n. 9.

Mandati executio, quot modis post revocationem fiat, oum. 13.

Mandati revocatio non excusat à pœnis, quando mandatorio non intimatur, n. 10.

Quando efficax, & quando inefficax sit mandati revocatio, num. 13.

Quando efficax est, excusat à pœnis mandantem, numero 14.

Mandans tenetur monere periclitantem si credit mandatarium in facinore progressurum ex Charitate, si certò scit mandatum esse inefficacem, n. 15.

Ex iustitia si probabiliter credit mandatarium suo moveri mandato, num. 16.

Mandatum revocans, si credat, quod mandatarius non credit ex animo revocare mandatum, quod facere teneatur, num. 17.

Mandans, pœnas mandanti inflictas incurrit, si mandatarius exequatur mandatum post revocationem, & omnes mandantis debitas deligentias, quia credidit non revocasse ex animo, n. 19.

Mandans iniuriam inferri, pœnas incurrit, & ad restitutionem tenetur, si exequatur, esto interim conteratur, confiteatur, n. 20.

Qui tempestivè, & debitè mandatum revocavit, ita vt mandatarius secundùm iudicium prudens, rationem dubitandi non habeat, quin ex animo revocatum fuerit, nisi constet de contrario, in neutro foro pœnas incurrit, n. 21.

Constabit I. Si mandatarius asserat, fuisse motus mandato, nec sint rationes suspicandi eum mentiri. II. Si ipse ex se proclivus non fuerit ad tale facinus, numero 23.

PRobabilis videtur sententia negativa, quam tenet Antonius Diana, *par. 6. tract. 6. Miscelaneo, resolut. 21.* vbi in sequentia prorumpit. Notandum est etiam hîc obiter, me his diebus probabilius respondisse consulentem Duellum, non incurrere excommunicationem, si fecit quantùm potuit revocando consilium, licet nihil profecerit. Quia quantùm ex se, effecit, vt per illum cessaret Duellum; quod si non cessavit, ipse iam non est in causa: quia novum consilium dedit efficaciùs de se ad revocandum Duellatorem: qui si non revocatur, est propter eius pravitatem: iamque non movetur ex eius consilio formaliter, sed materialiter. Ita in specie Cœlestinus, *in Compendio Theologiæ Morales, tract. 3. cap. 10. num. 10.* & Hurtadus de Mendoza, *in 2. 2. de Fide, Spe, & Charitate, vol. 21. disp. 170. sect. 11. §. 189.* Hactenus Diana. 1

Immò idem Aothor *part. 3. tract. 16. resolut. 1. versic. Dico decimo*, consulentem Duellum, non incidere excommunicationem docet, si conatus fuerit influxum consilij revocare, sed re ipsâ non revocarit. Sic ille contra Bonacinam, *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 36.* contrarium docentem. Ratio huius resolutionis omittitur à Diana. Ea autem assignari potest, quam loco priùs allegato reddit, Quia scilicet, quantùm ex se, effecit (vt supponitur)

supponitur) quantùm potuit, vt per illum cessaret Duellum. Licet enim consilium non revocarit; conatum tamen sibi possibilem posuit, vt illud revocaret.

CONCLVSIO.

2 Sententia tamen affirmativa vera mihi probatur, & communis videtur. Ducor. Quia sicut ad evitandam irregularitatem, non sufficit, quod consulens homicidium, consilium iam datum revocet, si homicidium re ipsa sequatur, vti benè noster Gregorius docet, Saytus, *in Thesauro, de Censuris, lib.7. cap. 3. num.* 4. cum Summa Confessorum, *lib.2. tit. 1. quæst.* 6. Innocentio, *in cap. Ad audientiam, num.3. de Homicidio.* Sylvestro, *verbo Homicidium, 1. quæst.7. versic. Tertium.* Tabiena, *verbo Irregularitas*, 2.§. *Quarto decimo.* Angelo, *verbo Homicidium* 1. *num.* 14. Martino Ledesma. 2. 4. *q.6. de Irregularitate, pag.* 365. *colum.* 4. Navarro, *in Manuali, cap.27. num.* 235. Maiolo *lib.5. cap.48.§.2. num.* 3. Summa Astiensi, *part.2. lib.6. tit.24. art.3.* Alphonso Vivaldo *tract. de Irregularitate, num.*258. Summa Corona, *eodem tractatu, sen tit. num.*11. Henriquez, *lib.* 14. *cap.* 16. §.7. & communi Doctorum docentium consulentem esse Irregularem, etiam post revocationem consilij si sequatur homicidium, propter priùs consilium datum: ita ad evitandam excommunicationem latam contra Duellum consulentem, non sufficiet revocare consilium efficax, si de facto certamen sequatur, propter priùs consilium datum.

3 Sed obiicies. Mandans homicidium fieri, irregularitatem evadet homicidio secuto, si ante homicidij perpetrationem, mandatum revocavit, & mandatario revocationem intimavit. Lessius, *lib.2. de Iustitia, cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 17. Saytus, *dicto lib. 7. cap. 2. num.* 13. cum Sum. Confessor. Tabiena, Sylvestro, Navarro, Martino, Ledesma, Maiolo, *locis proximè allegatis*, cum Sum. Astiensi, *vbi suprà tit.14. art. 3. quæst.* 1. Vivaldo, *recensito tract. num.*252. & 257. Sum. Corona, *numero* 10. Henriquez, §.2. D. Antonino, *in Summa part.* 4. *tit.* 29. *de Irregularitate, cap.* 2. *in principio.* Sum. Pissanela, *verbo Homicidium.2. versic. Quid si quis mandavit.* Et cum Lopez, *part.1. Instruction. c.*63. Ergo idem erit dicendum de consulente, si antequàm homicidium perpetretur, consilium efficaciter quantum est ex se revocavit, & revocationem intimavit. Ergo idem pariter dicendum in nostro dubij casu de eo, qui Duellum consuluit, & consilium antequam certamen inietur, revocavit, sufficienter pugilibus intimavit revocationem.

4 Antecedens, patet. Quia, qui revocavit mandatum, revocationemque mandatario sufficienter intimavit, nullo modo causa illius homicidij viderur; (videretur tamen, si adhuc revocatione factâ, illa non intimata, quia ob absentiam, & longam distantiam, non potoit mandatarium monere, sequatur homicidium, quia verè censetur illius homicidij causa, quamvis pœniteat facti, vt qui postquam iecit sagittam, aut lapidem in aliquem, pœnitet antequam feriat, non excusatur ab irregularitate.) Ita etiam sufficit, ad hoc vt consulens non incurrat excommunicationem, & irregularitatem in vtriusque consequentiæ casibus, quod consilium revocet, & revocationem intimet.

5 Respondeo concesso antecedente, negando vtramque consequentiam, ob disparitatem rationis inter mandatarium, repertam, & consulentem. Quia mandans in mandando, vim, & obligationem imponere videtur mandatario: adeo vt quidquid agit mandatarius, in gratiam ipsius mandantis agere videatur. Vndè ad hanc obligationem tollendam, satis est, quod revocet mandatum priùs factum, & illud mandatario manifestet. Postquam revocationem, si mandatarius posteà occidat, non imputabitur mandanti, cum non in gratiam eius occiderit; At verò consilium est in favorem eius, cui datur: vnde consulens, quasi veneno, voluntatem eius infecit. Ideóque non satis erit, ei, qui consuluit homicidium, revocare consilium; sed conari debet precibus importunis, & contrario consilio, & suasione, ne consilium à se datum, mandetur executioni.

Quod si hæc persuadere illi nequeat tunc Saytus, 6 (cuius doctrinam recenseo, & lubens sequor) & penes eum Maiolus, *lib.5. cap.48.§.2. num.3.* Sylvester, Summa Angelica, Summa Astensis, Vivaldus, & Henriquez *vbi suprà*, benè docent, teneri monere eum, cuius homicidium consuluit, vt sibi caveat, aliàs irregularis erit, secuto effectu. Non tamen revelare debet nomen personæ, cui consilium dedit, sed bono modo, servata eius fama, inimicum moneat vt sibi caveat. Quo facto irregularis non erit, etiamsi posteà sequatur effectus. Quod si illum, contra quem dedit consilium, de periculo monere non potest, secuto effectu, irregularis erit, vt notat Saytus, cum Henriquez *vbi suprà, cap.16.§.5.*

Vnde Clericus, qui mulieri adulteræ prægnanti, vt crimen celaret, consuluit, vt assumeret certa remedia, ad expellendum *fœtum iam vivum, irre-* 7 gularis erit, si ipsa patiatur abortum, quantumuis ipsemet Clericus pœnitentiâ ductus dixerit posteà mulieri, ne id faceret, significans ei esse grave peccatum. Quia licet satis fuerit dissuasisse verbo, & animo ad evadendum postea subsecutum peccatum; ad evadendum tamen irregularitatis effectum, non sufficit illi dissuasisse malum consilium, nisi impediat efficaciter ne abortum procuret, vt notant Navarrus *in Manuali, cap.27 n.*233. *in fine*, Corduba *casu* 173. §.4. Frater Ludovicus Lopez, *par.1. instruct. c.*63. & Henriquez, *lib.14. c.16.§.2.* etsi §.5. eiusdem capitis sibi contrarius, id negare videatur. Hucusque doctissimus Saytus, cui valdè consonat Lessius, *de Iustitia, & Iure lib.2. c.13. dub.13. n.16. & 17.* vbi declarat discrimen, quod reperitur inter mandantem, & consulentem: inter iubentem, & suadentem.

Ex quorum doctrina in materia irregularitatis 8 tradita, in materia Philosophor excommunicationis, vt ad hanc evadendam, non sit satis, quod consulens Duellum, consilium quomodocumquè revocet, & revocationem intimet, & manifestet ei, cui consilium dedit, nisi Duellum cum effectu impediat. Quia consilio suo, quasi veneno quodam eius voluntatem infecit. Vnde in causa Duelli consulens ipse, si non solùm consilium revocet, revocationem suam manifestet, sed & conetur enixè importunis precibus, consiliis, & suasionibus, ne consilium à se priùs datum, executioni mandetur, ad arenam cum inimico descendendo, & cum effectu non descendat.

Immò in eademmet excommunicationis mate- 9 ria, in terminis de mandante, aut consulente, Ægidius Coninch, *de Excommunicatione disput.* 14. *dub.*15. *à n.*176. *pag. mihi* 495. inquirit. *Vtrùm mandans alteri, vel consulens, vt vim Clerico inferat, si ante*

ante factum, mandatum, aut consilium revocet, sit excommunicatus, si alter nihilominus vim inferat?

Pro cuius responsione aliqua adnotat. I. sub mandante comprehendi etiam eum, qui alterum rogat, aut nimis, aut promissis inducit, vt vim Clerico inferat. Nam in his omnibus casibus vim inferens adhuc movetur, vt alteri placeat, eiusque agit nomine.

10 *Secundò*. Eiusmodi revocationem non excusare, quando alteri non innotuit ante factum commissum. Quia hæc eodem modo agit à mandante, vel suadente motus, ac si non fuisset revocatio. Quare difficultas procedit, in casu quo revocatio ante factum innotuit vim inferenti.

11 *Tertiò* communiter Doctores eodem modo dicere, non sufficere revocationem, aut sufficere ad impediendam irregularitatem, aut obligationem restituendi, quando secuta fuit mutilatio, aut damnum temporale contra iustitiam: sicut aiunt sufficere, aut non sufficere ad excommunionem evadendam.

12 *Quartò* adnotat, dupliciter fieri posse revocationem consilij alteri dati, *primò*, ostendendo fuisse omninò falsum, v. g. Dixi aliquid licitum esse; posse fine periculo fieri; fore tali magnati, valdè gratum, &c. quæ omnia postea dico esse falsa, & quantùm possum rationibus ostendo. *Secundò*, non ostendendo me dixisse falsum, sed aliis rationibus dissuadendo, quod primò suasi, v. g. suasi alicui vt occideret alterum, quia ab eo gravem accepit iniuriam, vel quia vtile erit ad aliquod consequendum commodum. *Tertiò* ostendendo viam, quâ id facilè fieri posset, & posteà conatur dissuadere, ostendendo gravitatem peccati; periculum, quod indè animæ, & corpori imminet.

13 *Quintò*, tripliciter contingere posse, vt post revocationem alter pergat in crimine concepto peragendo. I. Quia non credit alterum seriò, & ex animo sua revocare dicta, sed tantùm exteriùs simulare, ne pœnam incurrat aliquam; & tunc inefficax est revocatio: quia alter eodem modo movetur priore mandato, aut consilio, ac si illa non fuisset. II. Quia etsi credat eum seriò, & ex animo revocare dicta, pergit tamen moveri rationibus ab illo allatis ad facinus perpetrandū, quod vt vtile, aut factu facilè fuerat propositum. Qui casus locum habere nequit in mandante, nisi simul consilium admiscuisset: nec etiam respectu eius, qui primo modo consilium revocat, quandò alter sola fuit ipsius motus authoritate, vt crederet factum licitum esse, aut vtile; secus verò esse (ait Conink) quando fuit persuasus rationibus allatis à suadente quas posteà non videt satis clarè refutari, ideòque pergit ipsis moveri. atque ita etiam hoc casu revocatio inefficax est. III. Potest fieri, vt post revocationem, alter desinat quidem omninò moveri, aut mandato, aut consilio alterius; quia tamen semel facinus perpetrandum suscepit, vult illud perficere, aut etiam, quia aliæ rationes eum ad hoc permovent: & tunc revocatio est efficax, saltem respectu proximi sui finis, ita nimirùm vt revocans non possit dici vlterius suo mandato, aut consilio in facinus influere.

Quibus adnotatis, & quatuor recensitis opinionibus, sex suam explicat, & fundat conclusionibus. *Prima* huiusmodi est. Videlicet.

14 Quando revocatio Consilij, aut mandati est secundùm tertium modum ex iam dictis efficax; & si alter facinus nihilominùs perpetret, tàm consulens, quàm mandans excusantur à supradictis pœnis: quia tunc verè non sunt causa operis, sed solùm quædam occasio, quæ non sufficit, vt dictas pœnas incurrant. Ratio est, quia facinus tunc non procedit ex illa voluntate cuius consulens, aut mandans fuit causa; sed ex alia omninò distincta, vt quæ habeat obiectum formale omninò distinctum.

Secunda Conclusio. Quandò mandanti, aut consulenti certò constaret revocationem dicto modo fuisse efficacem, & si quando crederent alterum nihilominùs progressurum in facinore, si fine notabili incommodo possent, tenentur ex charitate periclitantem monere, vt sibi caveret; non tamen ad hoc tenerentur ex iustitia. Probatur. Quia si ex aliquo capite tenerentur, esset, ne aliàs ipsi ratione sui mandati, aut Consilij essent iniusta causa iniuriæ secutæ: Atqui cum (vt ostendi) non sint futuri causa huius iniuriæ, non possunt dici fore causa iniusta. Ergo ex hoc capite, ad eam monitionem non tenentur. 15

16 Dixi, *quando certò constaret*. Quia quando haberent rationabilem causam dubitandi, ni alter adhuc mandato eorum, aut consilio moveatur ad facinus perpetrandum, tenerentur ex iustitia monere periclitantem: quia tenentur quantùm possunt impedire, ne suo mandato, aut consilio ei sint causæ iniuriæ accipiendæ. 16

Ex quo infert dictus Doctor, quod quando revocans mandatum, putat mandatarium non credere ipsum seriò, & ex animo revocare, ipsum teneri etiam iuramento adhibito, testari se hoc seriò facere, & loco promissæ gratiæ suæ, aut munerum, minari alterum animo amissurum omnem suam gratiam, si facinus perpetret. Et rationem reddit. Quia teneretur quantùm potest tollere omnem causam iniuriæ, quam antè posuerat: ad quod tunc tale medium est necessarium. 17

Et idem docet de eo, qui revocat consilium suum, dicendo illud falsum esse. Quia tenetur omnibus allatis rationibus, ac mediis, quantùm fieri potest, alteri suum consilium falsum fuisse persuadere: quia hoc necessarium est, vt causam iniquæ actionis à se positam tollat. Vtique tamen cavendum esse advertit, ne falsum iuret. Quia hoc est intrinsecè malum, quod neutiquam licet facere, vt veniant bona. 18

Tertia conclusio. Quandò etiam post omnem huiusmodi diligentiam adhibitam, nihilominùs constaret alterum verè fuisse permotum sive mandantis, sive consulentis authoritate, aut ad facinus rationibus perpetrandum, eò quòd non crederet mandantem ex animo revocasse suum mandatum (quod facilè posset accidere, si mandatarius sciret mandantem, sæpè præ se ferre aliud, quàm ex animo cogitat, aut implicabili odio in inimicum suū ferri, & solo pœnæ metu, à vindicta abstinere;) eo inquam casu, ille verè incurreret pœnas impositas, & statutas tale opus mandantibus, aut consulentibus. 19

Et probat. Quia tales pœnæ generatim statutæ sunt iis, qui tale facinus cum effectu secuto mandant, aut consulunt. Sed tales, hoc casu verè hoc ita fecissent. Ergo eas pœnas incurrerent.

Nec refert, quod mandantem pœniteat hoc mandasse, aut quod per contritionem, aut confessionem sit in gratia, aut quod mandatarius malitiosè, & sine iusta ratione pergat alterius authoritate moveri, modò verè moveatur. Quia his omnibus non obstantibus, sicut eo casu erit verè 20

causa iniori æ, ita eas incurrit pœnas: sicut si mandasset quis Clericum alibi existentem mutilari, & posteà facti pœnitens, contritus, & confessus te mpestivè mitteret etiam viginti nuntios, qui mandatum revocarent, & facinus quacumque ratione impedirent: quantamcumque etiam a d hoc diligentiam adhiberet, si tamen illi, etiam ex malitia, & dolo desinerent mandatario mandatum intimare, effectu secuto, mandans excommonicationem, irregularitatem, ac obligationem restituendi damnum, quod Clericus pateretur, incurreret, vt omnes fatentur. Item, qui in alium incitasset canem, vt eum graviter læderet, quantumcumque posteà facti pœnitens conaretur eum revocare, si id facere non posset, teneretur ad resarciendum omne damnum, quod indè sequetetur.

21 *Conclusio quarta.* Quando mandans, debitè, ac tempestivè suum revocavit mandatum, ita vt mandatarius, secundùm prudens iudicium, non videatur habere vllam rationem dubitandi, quin alter seriò, & ex animo illud revocarit, & si ipse posteà nihilominùs facinus perpetret in vtroque foro, nisi de contrario aliquo constet, præsumendum erit eum non fuisse ad hoc vlterius motum mandantis authoritate, sed solùm sua malitia: & consequenter mandans erit iudicandus nullas pœnas incurrisse.

Ratio est. Quia cum talis alterum non aliter moverit quàm suo mandato, eo ipso, quo prudenter iudicatur suum totum abstulisse mandatum, prudenter etiam iudicatur alterum vlterius non movere. Et per consequens nec esse causa facinoris posteà secuti, & sic nec pœnas incurrisse.

22 *Conclusio quinta.* Idem probabiliter dicendum videtur de consulente, qui tempestivè revocavit consiliũ, ostendẽdo totum fuisse falsum, ita vt quis prudenter iudicare valeat alterum nullas alterius habere, vel apparentes rationes, quibus moveatur, vt priùs sequatur consilium. Quia tunc nisi de contrario aliquo modo constet, credendum omninò est, executorem non esse ampliùs motum illius consilio, sed aliis rationibus, aut sola propria malitia.

Consultò in vtraque dicitur conclusione, *nisi de contrario constet*: quia si satis probabiliter constaret executorem verè fuisse mandato motum, aut consilio alterius ad facinus perpetrandum, impru-
23 denter contrarium præsumeretur.

Quod si petas, quomodò id constare queat? Respondet Coninck, dupliciter constare. *Primò*, si executor id constanter asserat, nec sint rationes suspicandi eum mentiri. *Secundò*, si ipse ex se non fuerit proclivis ad tale patrandum facinus, nec vllas ex parte sua habuerit rationes, quibus ad hoc moveri potuerit, præter solam mandantis, aut consulentis authoritatem.

Conclusio sexta. Quandò quis dedit verum consilium, v. g. ostendendo commoda, quæ ex tali possent facinore sequi, aut modum, quo posset perpetrari, &c. quantumcumque posteà conetur facinus dissuadere, ostendendo incommoda, quæ ex eo sequentur; si alter nihilominùs illud exequatur, nisi de contrario constet, in vtroque foro præsumitor motus fuisse alterius consilio. Ratio est, quia priores rationes per posteriores non tolluntur. Hæc omnia Ægidius Conineh.

DVBIVM IX.

An qui ratam habet provocationem, pugnam, aliámve ex actionibus prohibitis in Constitutionibus editis contra Duellatores, & eius socios, &c. nomine factam suo, pœnas illarum incurrat?

BREVIARIVM.

Duellum.

Qui ratam habet aliquam actionem in causa Duelli probibitam suo factam nomine, pœnas ab Ecclesia inflictas non incurrit, à n. 1.

Excommunicatio.

Qui ratam habet percussionem factam suo nomine, excommunicationem incurrit Canonis, n. 5.

Irregularitas.

A mandante homicidium, aut mutilationem, illis factis incurritur, n. 3.

Non incurritur per ratihabitionem mortis suo nomine factæ, n. 4.

Pœna.

Gravis pœna, ab vno ad alium, extendi non debet casum, n. 6.

Regula.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, num. 3.

Fallit, quando requiritur speciale mandatum, vel specialis expressio, & constitutio Iuris, numero 4.

Fallit & in pœnis quando non exprimitur, num. 4. 6. & 7.

CONCLVSIO.

Respondeo, pœnas non incurrere. Ratio est, 1
quia id neutiquam in Constitutionibus cavetur præfatis, non exprimitur: & si illud Legislatores voluissent, dubio procul expressissent. Et quia pœna extendi non debet ad casus in lege non expressos. Odia enim debent restringi, sicut convenit favores ampliari. De quibus sæpè diximus plura. Ergo, qui ratam habet diffidationem, v. g. suo nomine factam, non incurrit pœnas provocantibus ad Duellum inflictas in dictis Constitutionibus.

Ex quibus quidem principiis, resolvit Gregor. 2
Saytus *in Thesauro, lib. 7. cap. 4. à n. 17.* cum Glossa *in cap. Si quis viduam, verbo Aut consilio, dist. 50.* Specul. *tit. de Dispensat. §. Iuxta, versic. Sed quid si agenti.* Archidiacono *in cap. Omnes, 17. quæst. 4.* Summa Angelica *verbo Homicidium, 2. num. 7.* Hostiensi *in Summa, lib. 5. tit. de Homicidio, §. Qua pœna feriatur, versic. Sed & propter ratihabitionem.* Tabiena *verbo Irregularitas, 2. §. Septimò.* Covar. *in Clem. Si furiosus, par. 2. §. 1. n. 4. de Homicidio,* Alphonso de Vivaldo *tract. de Irregular. n. 299. & 301.* & Henriquez *lib. 14. cap. 6. §. 2.* irregularitatem non incurrere, qui ratum habet homicidium ab alio, suo nomine factum. Quia scilicet pœnæ sunt restringendæ, & quia in iure non habetur ratihabitione incurri irregularitatem.

Obiicies primò *cap. 11. de Regulis Iuris, lib. 6.* vbi

vbi hanc tradit Bonifacius Papa VIII. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato non est dubium comparari.* Sed qui mandat homicidium fieri, irregularis illo facto efficitur. Ergo etiam fit irregularis, qui ratum habet homicidium suo nomine factum. Ergo etiam pœnas incurrit diffidatoris, qui ratam habet diffidationem suo nomine factam.

4 Respondeo cum Sayro *vbi proximè, versic. Nec valent.* Regulam Iuris in contrarium adductam, semper non esse veram, maximè in casibus, in quibus necessarium est speciale mandatum, vel specialis expressio, & constitutio Iuris. Vnde licet ex mandato irregularitas cōtrahatur, homicidio post mandatum facto; non tamen ex ratihabitione: quia de mandato, id expressè est constitutum in Iure; non autem de ratihabitione. Et hinc est pro nostro casu, quod non incurrat pœnas, diffidatoribus inflictas, qui ratam habet diffidationem suo nomine factam, quamvis illas incurreret, qui illam fieri mandaret.

5 Obiicies secundò. Qui ratam habet Clerici percussionem, suo nomine factam, excommunicationem incurrit. Ita definivit idē Bonifac. VIII. *in cap. Cum quis el 22. de Sent. Excom. lib. 6.* dicens. Cum quis, absque tuo mandato manus iniecit in Clericum, tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris: Cum ratihabitio retro trahatur, & mandato debeat comparari. Hæc in Decretali illa. Ergo, qui ratam habet provocationem ad Duellum, suo factam nomine, excommunicationem latam contra provocantem incurrit.

6 Respondeo concesso antecedente, negando consequentiam I. Quia pœnæ graves, qualis est excommunicatio, non debent extendi de vno casu ad alium, vti benè docet Sayrus *in Thesauro, lib. 1. cap. 10. n. 8.* cum Glossa *in Clem. 1. de Sepultur. & Clem. 1. de Consang.* Panorm. *in c. Deus, qui, de Vita & honest. Cler.* Ioan. Andr. *in cap. Odia, de Regul. Iuris in 6.* Tabiena *verbo Excommunicatio 5. casu 23. §. 1. & casu 49. §. 5.* Navar. *in Manuali, c. 27. n. 51.* eo quod pœnæ sunt restringendæ. Est ita expressum *in d. cap. Odia.* II. Quia ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi id in Iure, aut in Constitutione exprimatur, vti exprimitur in allegato *cap. Cum quis,* ratihabitio percussionis Clerici.

7 Est itaque nostra Dubij resolutio vera: Et illam tenent Ausonius Noctinot *verbo Duellum, n. 10.* Diana *par. 3. tr. 6. resol. 1. versic. Dico septimò,* in hæc prorumpens. Dico septimò, quod qui ratam habet provocationem, vel pugnam, vel etiā actionem in Bullis Pontificiis expressam suo nomine factam, non incidit in excommunicationem. Ita Flor. *c. 14. §. 3. n. 1.* quiquid afferat Peregr. *q. 31. n. 3.* Quia Pontifices dum volunt pœnam ad ratihabitionem extendere, hoc solent exprimere. Adde, quod ratihabitio non comparatur mandato in pœnis nisi exprimatur. Ergo, &c.

Hactenùs P. Diana, quem, Floronum, & Bonac. *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 8. n. 37.* sequutus est Eligius Bassæus *tom. 1. verbo Duellum, n. 9.* vbi ita fatur. Quartò, non incidit pœnas, qui ratam habet provocationem, vel pugnam, vel actionem aliam in Bullis Pontificiis expressam, suo nomine factā: Quia dum Superior vult pœnam ad ratihabitionē extendere, solet hoc exprimere: & ratihabitio non comparatur mandato in pœnis, nisi exprimatur. Ita Floron. *de Duello, cap. 14. §. 3. n. 1.* Bonac. Diana. Hactenùs Bassæus.

DVBIVM X.

An qui alteri dixerit: Mentiris: *pœnas incurrat contra Duellatores, & eius socios latas?*

BREVIARIVM.

Duellum.

Pœnas Duellatoribus inflictas non incurrit, qui inimico dixerit: mentiris: *etiamsi statim stringant enses, n. 2.*

Mentiris.

Dicitur aliquando ad proprium tuendum honorem, & ad iniuriam propulsandum; aliquando ad alterius violandum honorem, & iniuriam inferendam, n. 1.

Ratio dubitandi est, quia qui tale verbum profert, provocare videtur ad Duellum, seu potius occasionem præbet, vt provocetur ab eo, cui tale dixerit.

1 Difficultati negativè respondet Ioan. Bapt. Scortia *in Selectas Summor. Pontific. Constit. theorem. 302. versic. In altera;* cum limitatione tamen personarum. Sic enim quærit, & quæsitum resolvit. Rogabis etiam, An quicomque alterum mentiri dixerit, incidat in hanc Clementis Constitutionem? Respondeo cum eodem *n. 7.* (Comitolo scilicet, *lib. 6. q. 14.*) minimè; vt si Pater id filio, à quo timetur, dicat: herus servo: patritius rustico: Religiosus suo comiti: à quibus personarum generibus, non est probabile excitanda femina Duellorum; sed solùm tunc, cum ex more militari, & equestri (ea enim vis est in illis verbis, vel ex simili ab vsu) ad honorem suum tuendum, vel alterius violandum, seu ad iniuriam propulsandam, aut inferendam, affertur materia, & causa ad provocationem, pugnam; & Duellum. Hucvsque præfatus P. Scortia.

CONCLVSIO.

2 Pœnas Duellatoribus inflictas ab Ecclesia, non incurrit, qui inimico dixerit *mentiris*, etiamsi statim enses stringant.

Ita Antoninus tenet Diana *par. 3. tr. 6. Miscel. resol. 1. versic. Dico secundò,* sine prædicta distinctione personarum, absolutè docet pœnas non incurrere recensitas, qui inimicō dixerit, illum mendacij arguendo, *mentiris,* & si statim gladiolas enses ve stringant. Libuit eius reddere verba. Dico secundò, non incurrere in excommunicationem, si quis ad inimicum accedat, arguendo illum mendacij, si substituere voluerit, quod sibi relatū fuit, etiamsi hoc dicendo, manum ensi apponat. Ita contra Peregr. *q. 16. n. 2.* tenet Bonac. *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 48. n. 14.* Hoc enim, non est provocatio ad Duellum facta ex condicto, statu, loco, & tempore; sed potiùs est iniusta aggressio. Hactenùs Diana, cuius sententia mihi benè probatur, ob rationē ab eo tactam. Et quia pœnæ extendi non debent ad casus non expressos, sed restringi ad expressos in lege.

DVBIVM XI.

An qui narrat, aliquod factum, ex qua narratione prevìdet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem provocandi se ad Duellum, pœnas Constitutionum Apostolicarum recensitarum incurrant?

BREVIARIVM.

Duellum.

Pœnas non incurrit ab Ecclesia inflictas in causa Duelli, qui factum narrat aliquod, ex cuius narratione prævidet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem se ad Duellum provocandum, n. 2.

1 AFfirmat Petegrinus *tract. de Duello*, *qu.* 17. à Diana relatus *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 1. *versic. Dico quintò*. Et Ioannes Baptista Scottia *in Select. Summorum Pontificum Constitutionum*, *Theor.* 392. *versic. In altera*, qui in hæc prorumpit. In altera Constitutionis parte, in particulari explicantur personarum genera, quibus certis actionibus peccantibus in causa Duelli, vbique gentium, pœna à Clemente irrogantur. Et aliquibus recensitis, air Scortia. *Tertio in* §. 6. immiscentes se in manifestis, seu chartulis, aliquo ex his 13. modis, qui suo, vel alieno nomine dictant, componunt, scribunt, mittunt, deferunt, divulgant, affigunt, exemplant, typis imprimunt, subscribunt, intimant, verbo denunciant, attestantur prædicta vetita scripta, fides, vulgò manifesta, libellos, epistolas, chartas, vel expressè vocantes ad certamen, vel saltem veluti præparationes, seu præambula quædam viam sternunt ad chartulas, seu libellos, ad Duellum provocatorios, quod sint veluti semina, & radices suscitandarum simultatum, vt cum rei gestæ series, & ordo ex simili ab vsu adeò firmiter asseritur, vt quicumque contradixerit, mentiri dicatur, vel offert quis contra certam, vel incertam personam probare armis aliquid ita fuisse, vel non fuisse.

Nec solùm prohibentur ad effectum de quo prædictum est, huiusmodi scripta, sed pariter quæcumque denunciationes, narrationes, declarationes & testificationes huiusmodi rerum prædicta quoquo modo concernentium, & ob huiusmodi causas etiam factæ sine scripto in locis publicis, vel privatis, vbi multitudo hominum convenire solet. Hactenùs Scortia.

CONCLVSIO.

2 NEgativa tamen sententia vera est, & in praxi sine scrupulo vllo tenenda. Illam sequuntur Ioannes de la Val *in Compendio Bonacina*, *verbo Duellum*, *num.* 13. *pag. mihi* 165. Ausonius Noctinor *in Compendio Dianæ*, *eisdem verbo*, *& numero*. Ipse Diana *dicta resol.* 1. cum dicto Bonacina *to.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 48. *n.* 32.

Verba Dianæ huius sunt tenoris. Dico quintò, quod qui narrat aliquod factum, ex qua narratione prævidet aliquos, qui rem illam intellexerunt, arrepturos occasionem provocandi se ad Duellum, non incurrere in excommunicationem, quidquid affetat Petegrinus, *qu.* 17. & ita docet Bonacina, *n.* 32. Et ita ego olim in casu contingenti determinavi, cum consensu doctorum Virorum; nisi hoc faciat, vt eos ad Duellum incitet. Et ratio nostræ sententiæ contra Peregrinum est, quia illa actio Bullæ Clementis VIII. non exprimitur, & pœnæ non sunt extendendæ vltra verborum significationem. Ergo, &c. Hactenùs Diana.

DVBIVM XII.

An famuli scribentes libella, ad Duellum provocantia, & illa deferentes in excommunicationem incurrant?

BREVIARIVM.

Duellum.

Famuli literas provocantes ad Duella scribentes, si aliàs illis graviter imminet damnum, excommunicationem non incurrunt, n. 2.

Illam incurrunt, qui literas provocatorias scienter deferunt ad adversarios, & de facto eas eis intimant, aut in publico affignunt, n. 3.

Secus si non intiment, aut affigant cum effectu, numero 4.

Idem est de Domino, qui scribere mandavit, & scriptum misit, n. 4.

Lex.

Ad infligendam pœnam, exigit actionem materialem per illius verba significatam, & non solùm culpam apud Deum, n. 4.

Pœna.

Delicto inflicta, non incurritur, nisi delictum sit consummatum, n. 4.

HVic difficultati, quoad vtrumque eius membrum, respondere duxi, cum Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 1. *in fine*. Francisci Merollæ doctrina vtendo, pariter, & eiusdem Dianæ verbis. Qui quidem ita fatur. Et tandem nota tertiò pro coronide huius resolutionis, quod novissimè Franciscus Merolla *in Disputationibus Theologiæ Moralis tom.* 1. *disput.* 2. *cap.* 4. *dub.* 10. *coroll.* 3. *num.* 390. sic asserit. Quantùm ad scripta provocantia ad Duellum, si loquamur de famulis scribentibus tantum, & non deferentibus, existimo posse dari casum, in quo licitum sit famulis ea scribere, vt si aliàs illis immeneret periculum mortis, vel alterius gravis nocumenti. Si verò de famulis ea scripta scienter deferentibus sermo sit, est valdè probabile id ita esse intrinsecè malum, vt in nullo casu liceat, quamvis oppositum non sit improbabile. Ita ille. Hactenùs Diana, quem Noctinot sequitur *in eius Compendio*, *verbo Duellum*, *numero* 54.

CONCLVSIO.

VTraque responsio vera mihi probatur. Prima quidem absolutè. Quia si iusta, & rationabili existente causa, licitum est provocare ad Duellum verbis, provocationem admittere, & con- 2

flictum

flictum actu exercere, sicuti latè probavi *dub. 3.* quare licitum non sit provocare scripto famulo grave nocumentum timenti, non capio. Gravis enim, iusta, & rationabilis ei assistit causa, vt supponitur. Et huiusmodi provocatio facta scripto per famulum, non est magis mala intrinsecè, quàm provocatio verbis facta per principalem pugilem, & quàm ipsa actualis pugna.

3 Secunda verò, vera etiam probatur, quatenùs probabile iudicat esse intrinsecè malum ea scripta scienter deferre.

4 Sed difficultas occurrit, An censura incurratur io casu, quo cum effectu non intimetur adversario, aut affigatur libellum; tàm à famulo libellum provocatorium scribente, quàm à Domino illud fieri præcipiente?

Respondet negativè Greg. Carraffa *de Duello, tr. 2. quæsit. 32. pag. 129.* in sequentia protumpens.

Respondeo negativè, cum Bonacina, & Peregrino. In hoc enim casu, cum non sit *consummatum*, ac perfectum delictum, locum non habent pœnæ, quæ contra huiusmodi delinquentes impositæ, intelligendæ sunt de *consummatè*, & *perfectè* delinquentibus; leges enim pœnales, cum stricti Iuris sint, ideò in eis ad contrahendam pœnam, sola culpa, vel malitia apud Deum non sufficit, sed attendenda est etiam actio ipsa materialis peccaminosa, quatenùs per verba legis significatur. Ita docet Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 4. de Simon. cap. 55. num. 14. & cap. 56. num. 25. in fine*, & Panormitanus *in cap. 1. de eo, qui mittit in possessionem, num. 13. & 30.* Andreas *in Regula, in pœnis, de Regulis Iuris in 6.* & idem Suarez *to. 5. de Censur. disp. 44. sect. 2. n. 2.* dicunt pœnam ipso iure impositam, non incurri, nisi per delictum *consummatum*, nec sufficere inchoatum, etiamsi ad actum propinquum pervenerit.

Cum igitur in hoc casu sola compositio, aut scriptio Duellici libelli dici nequeat consummata actio provocatoria ad Duellum, sed potiùs consummanda, ac perficienda per publicam affixionem, vel intimationē alteri parti hostili; proindè si per eum, qui composuit, vel scripsit, pœnitentia, vel timore, aut aliquo alio motivo inductum, stat, quin affigatur, vel intimetur libellus provocatorius, Duellicis censuris non subiacebit. Ita Bonac. *tom. 1. de Censur. disp. 2. qu. 6. punct. 1. proposit. 4. n. 34.* & Peregrin. *tract. de Duello, q. 5. n. 4.* Hæc omnia Pater Carraffa.

DVBIVM XIII.

An in Censuras cadant, qui legunt, vel audiunt literas ad Duellum provocantes?

BREVIARIVM.

Duellum.

Qui legunt, aut audiunt literas ad Duellum provocantes, excommunicationem non incurrunt, n. 2.

1 Peregrinus allegatur pro affirmativa sententia, *in suo tract. de Duello, qu. 28.* docente censuris innodari huiusmodi legentes, & audientes literas ad Duellum provocantes. Illius fundamentum noodum vidi.

CONCLVSIO.

Negativam, autem, quæ mihi vera est, tenent 2 Antoninus Diana *part. 3. tr. 6. resol. 1. versic. Dico sextò*, cum Comitolo. Ausonius Noctinot, *in Dianæ Compendio, verbo Duellum, n. 14.* & Ioan. Bapt. Scortia *in Selectas Summ. Pontific. Constitut. Theor. 392. versic. In altera*, paulò post medium. Vbi in sequentia ptorumpit. Dubitabis, An in prædictas censuras, & pœnas cadat, qui literas, scriptáve provocantia ad Duellum legit? Respondet Comitolus *lib. 6. q. 14. n. 8.* quantum perspici potest ex Pij IV. & Clem. VIII. Bullis, non, cum prohibeantur ad effectum solùm, de quo prædictum est: nempè, quatenùs ordinantur ad provocationem, & Duellum. Hæc Scortia. Diana verò sic fatur,

Dico sextò, Audientes, vel legentes scripta, in quibus aliqui se provocant ad Duellum, minimè nexu excommunicationis vinciri. Et ita ego olim consului contra Peregrinum *q. 28.* & adducebam Comitolum *lib. 5. c. 14. n. 7.* & rationes supra adductas. Quia hoc in Bulla non exprimitur. Et quia odia non sunt amplianda. Ita recensitus Doctor, qui satis breviter, benè, & fundamentaliter difficultatem propositam resoluit.

DVBIVM XIV.

An qui in actionibus delinquunt Duelli, vnam, aut plures excommunicationis contrahant censuras?

BREVIARIVM.

Absolutio.

Si pro eodem actu plures latæ sunt excommunicationes à diversis, distinctam habentibus potestatem, absoluta, quæ à Superiore lata est, quæ ab inferiore, absoluta manet, n. 15. 17.

Bulla Cœnæ.

Legem non condit dum quotannis publicatur, sed eadem primò lata innovatur, n. 14.

Concilia.

Generalia, Iurisdictionem habent ordinariam in fideles omnes, & eos censuris innodare possunt, n. 4.

Eandem habent, & idem possunt respectivè Provincialia, n. 5.

Dictio Alligaveritis.

A Christo Matth. 18. *prolata, potestatem significat excommunicandi*, n. 6.

Duellum.

Prohibitum est sub excommunicatione à Conc. Trid. & à pluribus Pontificibus lata, n. 1.

Qui in Duelli delinquunt materia, duas incurrunt excommunicationes, n. 3. 13. 14.

Excommunicatio.

A pluribus eandem potestatem habentibus pro eodem repetita actu, non diversa, sed eadem, & vnica quoad incursionem censetur, n. 7. 8. 9.

Secus si diversæ sint potestatis, vt Papa, & Episcopus II. si tamen quilibet eorum tanquam suam illam ferat, n. 12.

Deferens ad infideles arma vnam tantùm Pontificiam incurrunt excommunicationem, n. 8.

Excommunicationis vis, ex proferentis nascitur intentione, n. 9. 10.

Reservatio excommunicationi adveniens, illius substantiam, & speciem non mutat, n. 9.

Verba in literis apposita: Nullus ei communicet: *denotant sententiam excommunicationis latam, si hoc iudex intendat*, n. 10.

Impedimenta.

Vbi duo sunt, ablato vno, non tollitur aliud, numero 16.

Lex.

Quodlibet minimum legis verbum aliqaid operari debet, n. 6.

Papa.

Iurisdictionem habet ordinariam pro tota Ecclesia à Iure divino, & excommunicandi potestatem, n. 6.

1 SVppono, pro istius difficultatis resolutione, Duellum sub pœna excommunicationis maioris, latæ sententiæ, prohibitum fuisse à Tridentino Concilio *sess. 25. de Reformatione, cap.* 19. & à diversis Summis Pontificibus. A Iulio II. in Constitut. *Regis pacifici la* 18. illius, apud Bullarium magnum nostri Angeli Cherubini *tom. 1. pag. mihi* 509. §. 2. in Constit. *Quam Deo, la* 31. *pag.* 600. dicti Bullarij, Iulij præfatam Constiturionem innovante. A Clemente VII. fuerunt duæ præcedentes in simplici forma confirmatæ in *constitut. Consuevit*, nihil tamen addendo. Quam ideò Cherubinus consultò omisit. Vnde illius vigore præcisè, excommunicationem non incurrunt rei in causa Duelli. Illam tulit Pius IV. *in constit. Ea qua, la* 21. *tom. 2. pag.* 20. Gregorius XIII. *in constit. Ad tollendum, la* 78. *eod. tomo, pag.* 460. & tandem Clemens VIII. *in constit. Illius vices la* 11. *tom. 3. pag.* 13.

2 Quo supposito, pro parte affirmante, sex excommunicationes incurrere, qui in Duelli delinquont caosa (tot enim leges recensuimus Duellum sub excommunicatione prohibentes:) faciunt penes Gregor. Sayrum *in Thesauro, lib. 1. cap. 10. n. 5.* Glossa *in cap. Quod olim, verbo Sapponimus el* 12. *de Iudæis*, & Vgolinus *de Censuris Ecclesiasticis, tabula 1. cap. 16. §. 3. n. 9.* asserentes, tot excommunicationes incurri, quot violantur leges, eandem pœnam pro eodem delicto infligentes. Verba Glossæ, huiusmodi sunt: *Supponimus: etiam suppositi erant per Alexandrum III. in Concilio Lateranensi, ita qaorundam. Et sic est canon lata sententia, vt patet in fine. Et ita videtur, quod qui contra faciunt, duplici excommunicatione sint legati.* Hactenùs Glossa illa.

CONCLVSIO.

NIhilominùs tamen censeo, duplici tantùm excommunicatione innodatos esse, qui in Duelli causa delinquunt, attentis Concilio Trid. & Constitutionibus Apostolicis recensitis precisè. Vna quidem à Concilio inflicta; alia verò, per omnes Summos Pontifices præfatos lata.

4 Qnod excommunicatione ligentur Tridentini, extra controuersiam est, non solùm ex eo, quod à Summis Ecclesiæ Præsulibus confirmatum illod existat, sed ex eo præcisè, quod Concilium quodlibet Generale legitimè congregatum, authoritate scilicet Papæ, iurisdictionem habet ordinatiam excommunicandi, & alias ferendi censuras: argumento *cap. 1. de Iudiciis.* Vndè Leonardus Lessius, *de Excommunicatione cap. 3. dub. 2. num.* 13. In Concilio Æcumenico est porestas excommunicationis in omnes personas Ecclesiæ totius, præter quàm in Pontificem. Ratio est. Quia potestas Concilij Æcumenici est infra Pontificem, eique subiecta, oriturque ex Iure gentium, ex singulorum Episcoporum coitione, & consensu. Hæc Lessius.

5 Immò & Provinciale Concilium, Archiepiscopi, aut Legati eiusdem Provinciæ mandato convocatum eandem excommunicandi habet potestatem: argumento *cap. Graue nimis, el 29. de Prabendis.* Lessius, *vbi proximè.* Et Synodus tandem Diœcesana, Episcopis Diœcesis authoritate collecta: argumento eiusdem *cap. Graue nimis*, & tradit Sayrus *in Thesauro, lib. 1. cap. 6. num.* 20. cum Panormitano, in dictum *cap. Graue.* Soto, *in 4. distinct. 22. quæst. 2. art. 1. versic. Atqui Pontifex.* Henriquez *lib. 13. de Excomm. cap. 24. §. 1.* & Vgolino *de Censuris Ecclesiast. tab. 1. cap. 6. n. 17.*

Quod autem incurrant aliquam excommunicationem vigore Constitutionum Pontificum modò recensitarum, indubitatum etiam est. Habent enim Pontifices Summi, iurisdictionem ordinariam pro tota Ecclesia, & facultatem excommunicandi: & iure quidem Divino, dicente Christo Domino, *Matthæi* 18. Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo. Vbi Glossa interlinearis, exponit: *vincalo anathematis.* Et Hugo Cardinalis. Si tamen iniustè ligat Prælatus, id est excommunicat, sententia ligat quoad Ecclesiam, etsi non fortè qooad Deum. Emmanuël etiam Sà *in cap. 20. Ioannis, num.* 64. in illa verba *Quorum remiseritis peccata, &c.* sic ait. Potestas hæc promissa *Matthæi* 18. nunc data; vel illic de foro exteriori sermo est, hîc de interiori etiam. Et Lessius *de Excomm. cap. 3. dub. 1. & 2. nu. 12. & 13. vbi* quæsito. In quibos sit potestas? (excommunicandi scilicet.) Sic resolvit. Respondeo primò. In Pontifice, qui est Capot vniversalis Ecclesiæ. Huic convenit Iure Divino plenitudo huius potestatis, idque in omnia Ecclesiæ membra. Hæc ille. At in allegatis Constitutionibus sententiam ferunt excommunicationis recensiti Pontifices Summi, vti ex illarum inspectione manifestè apparet: quæ certè aliquid operari debent. Quodlibet enim verbũ legis, etiam minimom debet aliqoid operari. Marcus Vidal *tit. de Duello, inquisit. 5. num. 26. ex l. Si quando, la 109. de legat.* 1. Baldo *in Rubrica 6. de contrahenda emptione, quæst.* 9. Ioannes Baptista Lezana *tom. 2. par. 4. verbo Leges Regularium, n. 4. ex cap. In his, de Privilegiis, & ex cap. Si Civitas, de Sententia Excomm. lib.* 6. Idem Author *tom. 4. consulta varia, consul. 2. n. 37. ex cap. Si Papa, in fine, de Privilegijs in 6. cap. Si à Iudice, de Appellation. eod. lib.* 6. & *l. finali, ff. Ne quid in loco publico*, cum Felino *in cap. Qualiter, & quando, n. 25. de Appellat.* Alexandro *consil.* 214. *Ponderatis, n. 10. & seqq. lib.* 6. Barbosa *tract. de Axiomatibus Iuris, axiom. 222. n. 11. & 12.* Ergo vigore dictarum Constitutionum incurrunt excommunicationem in eis contenti.

Quod tandem, vnam tantùm excommonicationem Pontificiam incurrant in Duelli causa delinquentes, præter Tridentini excommunicationem, probo ex Doctoris Navarri Regula, *in cap. Ita quorundam, el 6. de Iudæis, Notabili 11. Glossa vltima, num. 26. & seq.* Quam recenset, & sequitur noster Greg. Sayrus, in *Thesauro, lib. 1. cap. 10. num.* 11. Huiusmodi illa est. *Eadem pœna, ob eandem causam, ab eodem Legislatore, vel eadem potestate fungente, sæpiùs lata, vnam tantùm censuram, pro eodẽ actu, in contra faciente producit.* 7

Ex

Ex qua regula inferunt Azpilcueta, & Sayrus quod deferens semel arma Sarracenis, vnam tantùm excommunicationem incurrunt, quamvis diversi Summi Pontifices, (vti Alexander III. *in cap. Quorundam.* Clemens III. *in c. Quod olim.* Innocentius III. *in cap. Ad liberam, de Iudais,* qui omnium primus sibi absolutionem reservavit. Martinus V. & alij in *Bulla Cœna.* Nicolaüs III. *in Extrav. Olim:* & Bonifacius VIII. *in Extrav. Contra.* quas recenset D. Antoninus *in Summa maiori, par.3. tit.24. cap.59.* Sylvester *verbo Excommunicatio, versic. Vigesima prima:* & Navarrus *in dicto cap. Ita quorundam, notab.10. num.31.*) excommunicationis censuram tulerint contra deferentes prohibita Sarracenis. Quamvis enim multi fuerint ij Pontifices in personis, vnus tantùm fuerunt in potestate: & ob eandem causam: eandem proferentes contra eosdem excommunicationis sententiam, tacitè censentur vnam, & eandem excommunicationem ferre, non diversam. Paludanus *in 4. distinct. 28. quæst. 2. art.4. versic. Si autem.*

9 Neque obstat, quod aliqui Pontifices dictam sibi reservaverint excommunicationem, & suæ Apostolicæ Sedi. Quia hæc qualitas vt benè Sayrus observat, speciem; & substantiam non mutat excommunicationis. Vnde, excommunicationes, quæ ab eodem Pontifice Summo, qui diu in Cathedra sedit Petri, aut quæ à diversis Pontificibus singulis annis in Domini feruntur Cœna, plures neutiquam sunt, ac diversæ, sed vna tantùm, quæ non multiplicatur singulis annis, sed innovatur, & publicatur quotannis. Hanc esse praxim, hanc mentem, & intentionem proferentium, asserit Sayrus. Vis autem, & censurarum substantia, ex proferentium nascitur intentione, & mente. Idem Sayrus, cum Abbate *in cap. 2. de testibus cogendis,* qui *in cap. Præterea, n.13. el 2. & 40. de Appellat.* in hæc prorumpit. Dic, quod satis apparet de mente proferentis, quod volebat eum excommunicare, ex quo assumpsit materiam excommunicatione dignam. Et excommunicatio magis regulatur à mēte proferentis, quàm à conceptione verborum. Hæc Panormitanus ibi, consequenter ad ea, quæ docuerat ipse *in cap. De quo vult Deo, n.34. el 1. de Iudic.* vbi sic fassus fuerat:

10 Quæro, An per illa verba: nullus eidem communicet: feratur excommunicatio? Hæc litera videtur velle quod sic: vt indicant verba sequentia, ibi: donec fuerit absolutus. Hoc verum dicit, duobus concurrentibus: scilicet, quod Iudex hoc intendat, & talis sit proferens, quod excommunicare possit: non enim refert, quod ex æquipollentibus fiat. Hactenùs Pontificiæ disciplinæ Coryphæus. Expendantur pro doctrina tradita, illa verba: *quod Iudex hoc intendat.*

11 Consultò dictum est: *ab eodem Legislatore:* quia si pro eadem causa à diversis Legislatoribus eadem excommunicationis pœna lata sit, tanquam sua: tunc quidem, diversa excommunicatio, etiā erit lata. Sayrus *dicto n.11.* cum Paludano *in 4. distinct.18. quæst.2. art.4.* vnde infert cum Navarro *in cap. Ita quorundam, notab.11. n.34. de Iudæis, & Sarracenis,* quod si Episcopus Civitatis maritimæ, sententiam excommunicationis tanquam suā, & à se latam contra deferentes arma prohibita Sarracenis ferret, hæc tanquam diversa omninò ab ea, quæ in Iure, & per Bullam Cœnæ contra eosdem fertur, habenda est. Et ratio fundamentalis huius est, quia Authores sunt diversi, & non eadem potestate fungentes, vt prædecessores, & successores.

12 Notanter dixi: *tanquam sua.* Quia si fertur tanquam innovatio, & publicatio illius, quæ à Iure profertur (aut alio quidem, sive ille præcesserit in Sede Petri, sive in innovantis, vel publicantis dignitate, eadem enim eorum omnium est, quoad præsentem casum ratio:) iam eadem cum priori censenda erit: & sic contra faciens, vnicam tantum, ex vnico facto, excommunicationem incurret.

13 Ex qua vtrique doctrina, benè probata manet nostra, quoad vtramque partem dubij propositi resolutio. Quoad priorem quidem, de Concilij Tridentini excommunicatione: quia illud, vti ex ipso apparet, non innovavit, aut publicavit excommunicationem à Iulio II. aut ab alio latam Summo Ecclesiæ Pontifice; sed tanquam suam protulit: neque Concilium præcisè, & ante Pontificis confirmationem, successor erat Iulij præfati in dignitate, authoritate, & potestate. Ac per consequens, non eandem, sed diversam excommunicationis in causa Duelli, sententiam tulit.

14 Quoad excommunicationem verò Pontificiam, saltem vnam, ex multiplici diplomate recensito, illam quidem ferente, plusquàm manifestè apparet. Et quoad illius vnitatem, constat ex eo, quod omnes Pontifices illam proferentes, fuerunt in eadem Petri sede successores, & nullus præter primum, illam tanquam propriam tulit, sed iam latā, vnus post alterum innovavit, eo prorsùs modo, quo Bulla Cœnæ quotannis ab eodem dum vivit Pontifice, & à successoribus respectivè innovatur, & publicatur, absque eo, quod lex nova condatur, excommunicatio nova feratur. Et eodem similiter modo, quo sub eadem excommunicatione innumero, prohibita fuit armorum ad Sarracenos delatio, per Alexandrum, & alios recensitos Pontifices & prohibetur à S. N. D. Alexandro VII. in processu, Bullàve in Cœna Domini.

15 Sed in casu quo pro eodem facto, sint duæ, aut plures fortè excommunicationes latæ, dubium occurrit non supponendum. *An scilicet ablata per absolutionem qua per superiorem potestatem fuerat lata, censeantur ablatæ, quæ per inferiores publicata fuerant Legislatores?*

In qua difficultate, duas invenio oppositas ad inuicem sententias. Prima asserit, quod concurrente cum Papali censura, Episcopali, super eodem scilicet peccata inflicta per Papam, & Episcopum; si Papalis tollitur, vsu communi tolli censeatur Episcopalis. Hanc tenent Antoninus Diana, *part.5. tract.9. resolut.70.* Antoninus Naldus *in Summa, verbo Episcopus num.8.* cum Navarro, *in Manuali, cap.27. num.161.* Noctinot, *in Summa Diana, verbo Absolvere à censuris, num.69.* contra nostrum Iacobum de Graffis, mox pro contraria allegandum.

16 Secunda verò negat, quod ligatus pluribus censuris, licet ex eodem facto, obtenta absolutione ab vna, ab aliis absolutus sit, & censeatur. Hanc tenent apud Dianam, *vbi proximè,* Aloysius Bariola, *in Aphorismis, litt. F, verbo Excommunicatio, §. 2.* & Raguecius in Lucerna Parochorum, *tit. de Absolutione, quæst.133. num.2.* Noster Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis, part.1. lib.1. cap.13. num.62. pag. mihi 30.* Vbi in hæc prorumpit, Postremò adnotandum est, quod si summus Pontifex super aliquo incidenti, excommunicationem ferat, & super eodem Episcopus aliā excommunicatione subsequatur: si summus Pontifex suam abstulerit legitima causa

superveniente, non censetur de Iure Episcopalis sublata. Qui quando sunt duo impedimenta, vno sublato, alterum non tollitur. Argumento *capitis ex tuarum, de Authoritate, & vsu Palij, l. si domus, ff. de seruitutibus prædiorum Vrbis.* Vndè non potest de Iure quilibet Sacerdos proprius absoluere: licet contrarium sit in consuetudine. Navarrus, *in Manuali, cap.27. num. 255.* Hactenus Grassis.

Hæc sententia expressè pronuntiata, & diffinita videtur, *in cap. Cum pro causa*, el 27. *de sententia excommunicationis*, ab Innocentio Papa Tertio in hunc modum. Cum pro causa quæ inter G & F. Cabilonensis Ecclesiæ Archidiaconum vertebatur, eis concesserimus Auditorem, Procurator G. allegauit, quod cum F. Archidiaconus in Succentorem in communi dormitorio manus iniecisset temerè violentas, & eum traxisset verbetando per Claustrum, tu Frater Archiepiscope, eumob violentam manuum iniectionem, & violationem immunitatis Ecclesiæ, fecisti excommunicatum publicè nunciari: & infra. Discretioni vestræ mandamus, quatenùs si vobis constiterit F. Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm alteram in litteris, quas super absolutione sua impetrauit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa cogatis. Hæc Innocentius. Sed revera non est declarata. Quia in hac Decretali, vti ex ipsa apparet, & docent Glossa, *verbo Ob duplicem*, & Barbosa, *n.1.* solum agitur de excommunicationibus ob duplex crimen incursis; casus autem propositus, & prima sententia, cui lubens subscribo, procedunt quando pro eodemmet delicto formali excommunicant Papa v. gr. & inferior Prælatus.

DVBIVM XV.

An qui in Duello aliquem occidit, immunitate Ecclesiæ gaudeat.

BREVIARIVM.

Axioma.

Exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptis, n.5.

Ecclesia.

Formaliter sumpta, non est aliud quàm Congregatio, & communio fidelium, n.7.24.25.

Excommunicatio.

Excludit ab Ecclesia formali, communione scilicet bonorum communium fidelium, non à materiali, n.7.21. & seqq.

Potest excommunicatus Ecclesiam ingredi, & ibi priuatim orare, & officium diuinum persoluere, n.7.21. & seqq.

Excommunicatum defendit Ecclesia ob suam pietatem, & ob loci sanctitatem, n. 10.

Excommunicatus, priuilegiis canonis, & fori non priuatur, n.18.20.

Immunitas Ecclesiæ.

Recensentur omnes, qui ea non gaudeant, n.4.12.

Qui in Duello inimicum occidit, illa gaudet à n.3.

Illa gaudet excommunicatus denunciatus à n.6.

Priuilegiū immunitatis Ecclesiæ personis conceditur, non tam ratione personarū, quam ratione loci, n.9.

Illa gaudet omnis locus deputatus ad celebranda diuina, n.20.

Illa non privatur, qui Ecclesiastica priuatur Sepultura, n. 11.

Illa gaudet, qui dat causam interdicendi Ecclesiam, n.12.13.

Immunitatis privilegio, aut alio non caret Ecclesia interdicto supposita locali, num. 16. 17. 18. & 20.

Interdictum.

Alios effectus non habet, quàm in Iure expressos, n.14. 17.20.

Interdictus ab ingressu Ecclesia, prohibitus est illam ingredi ad audienda diuina officia; non autem ingressu materialis illius privatur, n.14.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non delinquit contra censuram interdicti, cum necessitate compulsus eò confugit, n.15.

Interdicti localis effectus est, vt in eo diuina celebrari non possint, n.19.

Nimia seueritate, & Lex asperitate seruata, damnosa est bonis, & malis, n.15.

Ob Epikiam violare illam licet occasionibus suadentibus, n.15.

Imprudens, & crudelis probatur, qui viso damno, quod ex litterali legis sua obseruatione sequitur, illam vult de toto obseruari rigore, n.15.

Odia & Pœnalia.

Extendi non debent ad casus in lege non expressos, etiamsi maior adsit ratio, n.11.

Ostiarius.

Solùm excludere iubetur excommunicatos dum Sacerdos Missam celebrat, & diuina celebrantur, n.25.

Pollutio Ecclesiæ.

Alios non causat effectus, quàm expressos in Iure, n.17.

Priuilegium.

Loci priuilegium, ad omnes extenditur, existentes in eo, n.9.

DVæ sunt in hac difficultate sententiæ. Altera negat gaudere immunitate Ecclesiæ, qui in Duello inimicum occiderit; altera verò ex diametro ei opposita, affirmat. Negantem tenent penes Thomam Delbeoe, & Dianam mox citandos, Ludovicus Corream *in Relectione ad caput inter alia, de Immunitate Ecclesiarum, part.3. nu.19.* Marius Italia, *de Immunitate Eccles. lib.1. cap.5. num.42. & 43.* & Augustinus Barbosa, *de Iure Ecclesiastico, lib.2. cap.3. num.*101. qui hanc reddit rationem. Quod scilicet duellantes sint excommunicati, & Sepulturâ privati Ecclesiasticâ, per Concilium Tridentinum, *sess.25. de reformatione, cap. 19.*

Aliam recenset Diana rationem, ex Mario Italia. Videlicet, quod qui Duellum permittunt, vel faciunt, dant causam vt loca, in quibus duellatur, interdicto supponantur, vti ex Constitutione II. Clementis Octaui, incipit *Illius vices*, constat. Sed qui dat causam interdicendi Ecclesiam, eius immunitate non gaudet. Ergo, &c.

CONCLVSIO.

AFfirmativam sententiam, quam tanquam veram amplector, defendunt Antoninus Diana *part.4. tract.1. resolut.46. & part. 6. tract. de Immunit. Ecclesiastica, resolut.16. quæst. 13.* & Thomas Delbeue *eod. tr. par.2. cap.16. dubit.10. sect.6.*

sect. 6. & penes vtramque, Farinacius, *de Immunitate etiam Eccles. cap.* 7. *num.* 117. & Ambrosius, *in simili tract. cap.* 8. *num.* 12.

4 Probatur nostra sententia. Priuilegio immunitatis Ecclesiæ gaudent omnes, qui non excipiuntur à Gregorio Papa XIV. in Constitutione *cum aliàs, la* 7. apud Bullarium magnum Cherubini, *tom.* 2. *pag. mihi* 707. edita nono Kalendas Iunij, de Anno 1591. in qua pro bono, pace, & quiete publica, casus permissos à Iure, & per quæcumque priuilegia extrahendi à locis sacris reos, ita ad vnam tantum formam reduxit, & moderauit, *Vt Laicis, ad Ecclesias, locáque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus*, (verba sunt Constitutionis recensitę) *si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personarum ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Sed hîc non excipiuntur per Gregorium, rei in causa Duelli. Ergo immunitate gaudent Ecclesiastica.

5 Maior, & minor propositiones, ex reddita constitutione manifestæ sunt. Consequentia autem ex illis benè infertur. Quia exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. *Can. Dominus ad illud confirmandum, el* 6. 32. *quæst.* 7. vbi Glossa ait. Item est hîc argumentum, quod qui vnam causam excipit, intelligitur omnes alias inclusisse *ff. de Euictionibus, l. qui liberatis.* Quod quidem Axioma communiter à Doctoribus admittitur. Marcus Vidal, *in Arca vitali, tit. de casibus reseruatis, inquisit.* 2. *num.* 10. *& tit. de Duello, inquisit.* 6. *num.* 9. *ex l. Nam quod liquidè, §. finali, primo responso, ff. de penu legata.* Ioannes Caramuël *in commentario in sanctam Regulam, num.* 585. *&* 1634. *versic. secundo, num.* 1359. *& num.* 1587. *& in Theologia fundamentali, fundam.* 38. *num.* 953. vbi plura scitu dignissima tradit, non solùm ad Ius humanum, sed ad Diuinum pertinentia. Et *fundam.* 43. *de Axiomatibus Theologorum, assertione* 4. *num.* 1092. cum Ioanne de la Crux, *de voto paupertatis, lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 21. Ego ipse, *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi, numero* 12.

6 Ad fundamenta in fauorem sententiæ contrariæ adducta respondeo. Ad primum, quoad priorem, de excommunicato, partem, dico, excommunicatum, quamuis denunciatum, immunitate gaudere Ecclesiastica. Ita docent Delbene, *de Immunitate, tomo* 2. *cap.* 16. *dubit.* 10. *sect.* 3. cum Syluestro, *verbo, Immunitas* 3. *quæst.* 5. Angelo, *eodem verbo, num.* 11. Rosella, *eod.* 2. *num.* 7. Armilla, *num.* 7. Navarro, *in Manuali, cap.* 25. *n.* 20. Ioanne de la Cruz, *part.* 1. *precept.* 8. *quæst.* 3. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. Alterio, *de censuris, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *colum.* 3. Fagundex *de Præceptis Ecclesiæ præcepto,* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 50. & Chartario, *decis. crimin.* 59. *num.* 17. Antoninus Diana, *part.* 1. *tract.* 1. *resolut.* 34. cum Suarez *tom.* 1. *de Religione, tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 3. & ferè omnibus iam recensitis Doctoribus. Ioannes Baptista Lezana, *tom.* 2. *part.* 4. *verbo, Immunitas Ecclesiarum num.* 5. *in fine*, vbi brevem hanc, sed fundamentalem reddit rationem, dicens: Cum nullus textus eos excludat ab hoc communi privilegio fidelium.

7 Obiicies. Excommunicatus exclusus est ab Ecclesia, & à fidelium participatione. Ergo etiam est exclusus à privilegio immunitatis, fidelibus concesso.

Respondeo, distinguendo antecedens. Excommunicatus exclusus est ab Ecclesia formali, concedo antecedens, ab Ecclesia materiali, nego antecedens. Quamuis enim verum sit, quod excommunicatus exclusus sit ab Ecclesia formali, à communione scilicet, & participatione bonorum communium fidelium, Ecclesiam constituentium formalem; (Ecclesia enim formaliter sumpta, non est aliud, quàm congregatio fidelium. Iulius I. *lib.* 5. *Decretorum*, Burchardus, *lib.* 3. *Decretorum* cap. 1. Iuo Carnotensis, *lib.* 1. D. Ioannes Chrisostomus; *homilia* 1. *in* 1. Epistolam ad Thessalonicenses; quos recenset noster Petrus Crespetius, *in summa Ecclesiastica disciplina, verbo Ecclesia, pag. mihi* 274.) non tamen est exclusus ab Ecclesia materiali. Potest enim illam licitè ingredi, & ibi priuatim orare, ac officium Diuinum, priuatim etiam persoluere, vti modo dicemus. Nullibi enim prohibitum repetitur. Et sic licitè fieri quibit, iuxta dicta à nobis sæpè, Axioma enim notissimum est, omnia concessa intelligi de Iure communi; nisi in certis casibus prohibita inueniantur.

Et nego consequentiam. Quia in pœnis, & odiosis ampliatio, & extensio fieri non debet ad casus in Lege, aut Constitutione non expressos. Vndè Caramuël, *num.* 1092. *recensito*; ita ait. A simili ad simile, in odiosa materia, argumentatio non valet. Et Thomas Delbene, *dicto cap.* 16. *dub.* 10. *sect.* 3. *num.* 4. In pœnis (præsertim si fit in præiudicium Ecclesiasticæ immunitatis, quæ est quàm maximè fauorabilis,) non valet illatio de casu, in casum, etiam à maioritate, ne dum à paritate rationis. Hæc Thomas Delbene. 8

Ad id, quod additur priuilegium immunitatis fidelibus esse concessum, dico cum Noctinot, *verbo Immunitas, num.* 11. & Delbene, *sect.* 4. *numer.* 8. & pluribus ab eo allegatis Doctoribus, priuilegium illud indistinctè omnibus concedi, *in cap. inter alia, de Immunitate Ecclesiarum, el* 6. *in can. Miror quomodo, el* 8. *can. Frater, el* 10. *can. Nullus, el* 19. *can. si quis contumax el* 20. *& can. si quis inuentus fuerit reus, el* 21. 17. *quæst.* 4. & sic videtur non tàm personale esse, quàm locale, (vt scilicet personis concedatur, non ratione personæ, sed ratione loci, qui sacer est, & sanctus:) priuilegium autem loco concessum extenditur ad omnes ibi existentes, sicuti notarunt Bartol. *in l. cunctos populos, Cod. de summa Trinitate, & Fide Catholica, & in l. fin, Cod. de Testamentis.* & Baldus, *in l. si non speciali, Cod. eod. tit.* quos cæteri sequuntur Doctores, præcipuè Delbene, qui istos recenset. 9

Quod si instes. Excommunicatus rebellis est Ecclesiæ, & contumax. Ergo non est cur ab ea defendatur. 10

Concesso antecedenti; distinguo consequens. Non est cur ab Ecclesia defendatur, si attendatur persona, & eius delictum in Ecclesia perpetratum, concedo consequentiam; si attendatur ipsius Ecclesiæ pietas (quæ in hoc maximè relucet,) & loci sanctitas, nego consequentiam.

Ad idem primum fundamentum contrariæ sententiæ, quoad secundam partem, de priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, respondeo, ex iam dictis; non excludi per Constitutionem præfatam Gregorij ab Ecclesiæ immunitate, qui Ecclesiastica priuantur sepultura. Et sic illa pœna extendenda non est ad eos, qui ista plectuntur. Quia benè potest 11

Duellator pœnâ privationis sepulturæ Ecclesiasticæ puniri, absque eo, quod Ecclesiastica priuetur immunitate, quia datur lex infligens illam; non autem istam. Et in pœnis, ac odiosis, non valet argumentum à simili ad simile: neque à paritate; aut à maioritate rationis; sed à lege tantum expressè illam indicente.

12 Ad secundum fundamentum, respondeo dicendo, quod quidquid sit de maiori, neganda est minor, ob sæpe dicta. Nullus enim est Ecclesiastica priuatus immunitate, nisi ob aliquod ex criminibus in Constitutione Gregoriana expressè exceptis. Quia omnes consuetudines, omnia iura, & priuilegia priuationem immunitatis Ecclesiasticæ indicentia, ad illam vnam tantùm formam, quam recensuimus reduxit, & moderauit Gregor.XIV. latè probat Diana, *part.1.tract.1. resolut.1.* cum Mario Antonio Maceratens. *lib.2. resol.15.num.5.* Giurba *cons.50. num.14. & cons.70. num.9.* Ambrosino, *de Immunitate Eccles. cap.14. num.3. & seq.* Farinacio, *in Appendice, cap. 22. num. 359. iuncto cap. 2. num. 14. & 15.* Ioanne Francisco Leon, *in Thesauro fori Ecclesiastici, part.1.cap.15. num. 27.* Bonacina, *de legibus, disput. 3. quæst.7. pun. 6. num. 4.* Peregrino, *de Immunitate Eccles. cap.2. à num. 16. vsque ad 21.* Filliucio, *tom. 1. tract.15. cap.6. num.153.* Duardo *in Bullam Cœnæ, lib.2. can. 15. quæst.16. num.27.* Megala *in 3. part. lib.4 cap.2. quæst.1. num.15.* Aponte *decis.14. in fine.* Villalobos, *tom.2. tract.39. dub.7. num.22. & 23.* Capobl. *de Baronibus, prag.8. part.2. num.105.* Genuensi *in Praxi Archiepiscop. cap. 17. num.11.* Gratiano, *in Disceptationib. forens. tom.2. cap.180. num. 29.* Francisco del Castillo, *in decisionibus tom.2. decis.156. num.32.* Lazario, *tract. de Blasphemia, quæst.5. num.20.* Tuscho, *tom.3. verbo Ecclesia, consil.11. num. 9.* Riccio, *part.1. decis. 140. n.1.2. & 5.* Collect. 1792. Homobono *de examine Eccles. part. 2. tract. 11. cap.12. quæst. 16. supposit. 3.* & Rainer. *in catalogo censurarum, cap. 9. excommunicatione 31.* Quibus addo Ausonium Noctinot, *verbo, Immunitas, num.16.* sed in dicta Constitutione neutiquam habetur, non gaudere immunitate, illum, qui dat causam interdicendi Ecclesiam. Ergo qui huiusmodi dat causam, immunitate gaudet.

13 Immò addo, interdictum, & suspensum ab Ecclesiæ ingressu, quamtumvis denũtiatum, Ecclesiæ gaudere immunitate: & Ecclesiam interdictam priuilegio non carere immunitatis. Quare ergo, qui huiusmodi dat causam interdicto, immunitate non gaudeat?

14 Quod illa gaudeat interdictus ab ingressu Ecclesiæ, constat ex dictis: & probat Thomas Delbene, *cap.16. citato, sect.2.* Quia nullus textus eum excludit ab hoc communi fidelium priuilegio. Et triplici id munit confirmatione.

Prima est. Quia suspensus, vel interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quamvis denuntiatus, licet priuetur ab ingressu Ecclesiæ formali, scilicet ab ingressu in ordine ad audienda officia diuina; non tamen priuatur ab ingressu materiali, vt scilicet gaudeat Ecclesiæ immunitate. Quia censura interdicti, vtpotè odiosa, & pœnalis, alios effectus non habet, quàm eos, qui in Iure sunt expressi. At iste, quod scilicet interdictus immunitate non gaudet Ecclesiæ, non datur expressus in Iure. Ergo non causatur ab interdicto.

15 Confirmatio *secunda* Qui ob pœnam euitandam grauem ad Ecclesiam, etiam tempore officij diuini confugit, non delinquit contra censuram interdicti, quâ innodatus existit, cum necessitate compulsus eò confugiat: & censura, vtpotè de Iure positiuo humano, non obligat cum tanto incommodo. Leges enim iustæ nimia seueritate, & asperitate servatæ, vti benè adnotat Laurentius de Peyrinis, *tom.2. de Privilegiis, circa Constitutionem 2. Clementis octaui, num.3.* sont damnosæ; non minùs bonis, quàm malis, cum pauci admodum sint, quibus quandoque illas, suadentibus, vrgentibus occasionibus, prævaricare non oporteat; vndè qui Legislator vellet eas absque epicheia, & exclusis circunstantiis, obseruari, approbare videretur Stoicorum dogma, omnia peccata æqualia confitentium. Præterquam quod, vel imprudentis, vel crudelis notam non effugeret. *Primum*, si legem à se latam, vt intolerabilem corrigere teneretur. *Secundum*, si videns damnum, quod sequitur ex litterali legis obseruatione, vellet nihilominùs, illam de toto rigore observari. Ita ille satis prudenter.

16 *Tertia* confirmatio, quæ simul probat secundam additi partem, Ecclesia interdicta, privilegio non caret immunitatis ob interdictum locale. Ergo neque persona censura interdicti innodata fauore immunitatis localis priuatur, ob interdictum personale, consequentia patet à paritate; Immò à maioritate rationis. Quia, vti diximus, privilegium immunitatis, non tàm personis, quàm loco, ratione sanctitatis illius est concessum. Ergo si interdictum non priuat priuilegio locum, cui concessum est, neque priuabit personam illo gaudentem, non tàm proprio, quàm loci nomine.

17 Antecedens verò probatur. Quia Ecclesia non perdit esse sacrum per interdictum; nec sua amittit privilegia per interdictum; Immò neque per pollutionem: quia pollutio, & interdictum Ecclesiæ, alios non causant effectus; quàm eos, quos canones sacri præscribunt. Lezana, *tom.2. part. 3. verbo Immunitas Ecclesiarum, num.2.* cum Suarez *de Religione, tom. 1. tract. 2 lib.3. cap.9. num. 9.* & Paula Layman, *lib.4. tract.9. cap.3. num.2.* Thomas Delbene, *tom.2. de Immunitate, cap.16. dub. 9. sect.3. & 4.* cum Bonacina, *disp.3. de primo Decalogi præcepto, quæst.7. §. 2. num.2.* Panormitano, *in cap. Ecclesia, de Immunitate Eccles.* Sylvestro, *verbo Immunitas 1. quæst. 1.* Claro, *Practica criminal. q.30. num.3.* Tuscho, *verbo Ecclesia, conclus.9. num.9.* Marsil. *in l. vnica, Cod. de Raptu virginum, num.16.* Fagundez *præcepto 2. lib. 4. cap.4. n. 62.* Raphaele de la Torre, *2.2. tomo 2. quæst. 99. art.3. disput. 7.* Peregrino *de Immunitate, cap. 4. num.14.* Cortea, *in relectione de immunitate, part. 2. num.9.* Farinacio, *in Appendice, de Immunitate, cap.17. num.29. & 259. & quæst. 28. num.25.* Villalobos, *in summa, tom.2. tract.39. difficult.5. num. 1.* Mario Italia, *lib.1. cap.4. §.5. num.7.* & Deciano *tom.2. lib.6. cap.525. n. 20.* Ioannes Azorius, *Institutionum Moralium, part.2. lib.9. cap.8. quæst.4* cum Abbate, *dicto cap. Ecclesia, n. 8.* & penes eum Goffredo, Vincentio, & Hostiensi & cum Archidiacono, *in can. Frater noster, el 10.17.q.4.*

18 *Secundò* probatur antecedens, argumento à simili. Clericus, licet sit interdictus, suspensus, & excommunicatus, retinet priuilegium immunitatis, videlicèt priuilegium Canonis, & Fori. Patet *ex canone dictum est*, & ibi Glossa, *verbo Sæculariter, el 8. distinc.81. & ex cap. At si Clerici. §. De adulteriis verò*, & ibi Glossa, *verbo Iudici tradere sæculari.* Et docent Azorius, *vbi proximè*, ex Archidiacono *loco citato*, & Thomas Delbene

ne sect. 4. allegata, num. 3. Ergo nec Ecclesia interdicta priuilegium perdit immunitatis.

19 Obiicies. In Ecclesia interdicta Officia Divina nequeunt celebrari. Ergò per interdictum amittit immunitatis priuilegium. Antecedens patet, quia effectus interdicti localis est, non posse in eo Diuina celebrari. Consequentia probatur ex *capite Ecclesia, el 9. de Immunitate Ecclesiarum* vbi, statuitur, vt Diuina celebrentur Officia in Ecclesia, ad hoc vt immunitate gaudeat.

20 Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. Et ad probationem dico, quod adhoc vt Ecclesia immunitate gaudeat, opus non est, vt actu in ea Divina celebrentur: neque tale in Decretali adducta statuitur, sed sufficit, quod locus sit ab Episcopo, vel ab alio potestatem habente, ad Divina celebranda deputatus, vt ibi per se possint celebrari, licet per accidens celebrari nequeant. Et hoc est, quod Decretalis recensita statuit. Ita enim ibi Gregor. Papa Nonus: *Ecclesia in qua diuina misteria celebrantur, licet adhuc non steterit consecrata, nullo Iure priuilegium immunitatis adimitur. Quia obsequiis Divinis dedicata nullis, est temerariis ausibus profananda.* Hactenùs Gregorius: cuius rationem decidendi ponderare debemus, pro illius interpretatione legitima. Quæ vtique non est, quod diuina in Ecclesia mysteria celebrentur, sed quod obsequiis Divinis sit dedicata. Et ita debere intelligi, ex ipsa didici Decretali, & ex doctrina, quam tradit Lezana, *verbo Immunitas num.* 1. ex Sylvestro, *verbo eodem.* 1 *num.* 2. & Thomas Sanchez *tom.* 3. *Consiliorum Moralium, lib.* 6. *cap.* 1 *dub.* 7. *num.* 2. Scortia *in selectas summorum Pontificum Constitutiones, theoremate* 385. *in principio*, ex Hostiensi *in cap. Ecclesia, de Immunit Ecclesiar.* & ex Card. Tuscho *tom.* 3. *conclus.* 9. *num.* 9. Azorius, *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 8, *quæst.* 1. cum Ioanne Lignano Cardinale, & Laurentio *in Clemen.* 1. *de Pœnitentiis, & remiss.* & Thoma Delbene, *dicta sect.* 4. *num.* 1. *tom.* 1. cum Suarez *tom.* 1. *de Religione, tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 2. Bonacina *disput.* 3. *de primo Decalogi præcepto, quæst.* 7. §. 2. *num.* 2. Iul. Claro, *in Practica criminali quæst.* 30. *num.* 3. Tuscho, *verbo Ecclesia conclus.* 9. *num.* 9. Marsilio *in l. unica, Cod. de Raptu Virgin. c.* 116. Raphaële de la Torre, *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 3. *disput.* 7. Peregrino, *de Immunit. pag.* 2. *num.* 9. Farinacio, *quæst.* 28. *num.* 35. *& in Appendice, de Immunit. cap.* 17. *num.* 259. Deciano *tom.* 2 *lib.* 6. *cap.* 25. *num.* 20. Cortea, *in Relectione de Immunitate, pag.* 1. *num.* 9. Mario Italia, *lib.* 1. *cap.* 4. §. 3. *num.* 7. Villalobos, *in summa, tom.* 2. *tract.* 39. *difficult.* 5. *num.* 1. Fagundez, *præcept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 62. & Abbate *in cap. Ecclesia, de Immunitat. Eccles.* Ecclesia itaque per interdictum non amittit Immunitatem, vti bene Azorius *q.* 4. cum Abbate, *in dict. cap. Ecclesia*, & penes eum Gofredus, Vincentius, & Hostiensis, & cum Archidiacono, *in cap. Frater noster*, 17. *q.* 4. & Thomas Delbene *sect.* 3. cum omnibus ex eo à me modò recensitis Doctoribus. Et probatur primò. Quia interdictum plus operari non potest, quàm Ius præscribit Canonicum. Sed nullibi in eo reperitur præscriptum, quod Ecclesia interdicta immunitate non gaudeat. Ergo hunc non causam effectum interdictum. Secundò probatur à simili. Quia Clericus interdictus, suspensus, & excommunicatus priuilegium retinet immunitatis, Canonis scilicet & fori priuilegium. Azorius *ex capite dictum distinct.* 81. *& extra cap. At si Clerici, de Iudiciis ad finem.* Ergo & Ecclesia interdicta immunitatem retinet suam,

Promisi dicere, & probare, excommunicatum 21
licitè etiam Ecclesiam materialem ingredi bene posse, etiam ad ibi orandum, & Officium Diuinum persoluendum, priuatim tamen, & absque Fidelium communione. Libuit adimplere promissum, recensendo, quæ noster Doctissimus Gregorius Sayrus docet, *in Thesauro, lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 9. 10. *&* 11. Quæ ab eo accepi, Lectori meo fideliter trado.

Quartò etiam (inquit) quicquid Glossa *vltima, in cap.* 1. *distinct.* 21. *& in cap. Ostiarius distinct.* 23. & Anton. & Ioannes Imola *in cap.* 1. *de Vita, & honestate Clericorum.* Panormitanus *in cap.* 2. *num.* 2. *de foro competenti & in cap. Responso, n.* 2. & ibi Felinus, *de sententia excommunicationis.* Hostiensis, *in summa, tit. de Clerico excommunicato ministrante*, §. *qualiter puniatur, & tit. de sententia excommunicationis*, §. *sed nunquid.* Summa Astiensis, 2. *p. lib.* 7. *tit.* 9. *in principio*, & Paludanus, 2. *distinct.* 18. *quæst.* 4. *versic. Primus est*, & Marian. Socinus, *in cap.* 1. *num.* 5. *de Clerico excommunicato ministrante. Et in cap. Sacris, num.* 124. *&* 125. *de sententia excommunicationis*, dicam excommunicatum maiori excommunicatione, peccare mortaliter intrando Ecclesiam, etiamsi ibi non celebrentur diuina; eo quòd talis diuisus est ab Ecclesia, *cap.* 2. *de foro competenti, & cap. Qui merito*, 11. *quæst.* 3. & quia talis eijci præcipitur ab Ostiario extra Ecclesiam. *c.* 1. §. *Ad Ostiarium, distinct.* 25.

Verius tamen est, posse sic excommunicatum 22
intra Ecclesiam, non solum pertranseundo eam ad vlteriorem locum, vt admittit Summa Astiensis, quando ibi non celebrantur diuina, sed etiam vt ibi oret, & horas Canonicas ibi solus, & priuatim recitet. Ita Glossa, *in cap. Qui studet, in verbo dimisit*, 1. *quæst.* 1. expresse docens, excommunicatum intrare posse Ecclesiam causa orandi, dummodo non intersit Officiis diuinis, cum non inueniatur prohibitum. Et ita sibi responsum sæpè fuisse à Ioanne, dicit Innocentius, *in cap. Responso, de sententia excommunicationis*, & Panormitanus sibi contrarius, *in cap.* 1. *num.* 11. *de vita, & honestate Clericorum*, vbi ait, quòd licèt excommunicati intrare non debeant Ecclesiam tempore celebrationis Diuinorum; secus tamen si Diuina non celebrentur.

Idem docet Barth. Brix. *in dicto cap. Qui studet* 23
1. *quæst.* 1. vt refert Panormitanus, *in dicto cap. Responso*, dummodò non intrent causa audiendi Diuina. Et Marian. Socin. *in cap. Sacris num.* 122. *de sententia excommunicationis*, ait hoc dictum Brixiensis esse magis æquum, quando forte ibi vellet priuatim aliquas orationes dicere, vt lucraretur gratiam, & gratiam à Deo reciperet. S. Antonius, 3. *part. tit.* 21. *cap.* 17. *versic. Tertiò.* & citat Ioannem de Lignano. Tabiena etiam, *in verbo, excommunicatio* 1. *versic.* 5. Idem affirmat Nauarrus, *in Manuali, cap.* 27. *num.* 19. ait: posse solùm in Ecclesia orare, quamvis alij in ea orent, modò seiuncti sint ab eo. Et Caietanus, *summa, verbo Excommunicatio, seu participatio cum excommunicato, quibus casibus omnino sit illicita.* Covar. *in cap. Alma mater* 1. *part.* §. 3. *n.* 7. *de sententia excommunicationis* l. 6. Communiter receptum esse testatur, excommunicatum posse absque vlla culpa Ecclesiam ingredi causa orandi, eo tamen tempore, quo Diuina officia non celebrantur.

Idem

14 Idem docuit Nicolaus de Milis, *in Repertorio, in verbo Excommunicatus potest*, quem refert, & sequitur Bart. Hugolinus, *de censuris Ecclesiasticis, tabula 1. cap. 8. §. 6.* eo quod excommunicatus priuatur, quantum ad præsentem materiam spectat, sola communione Fidelium, & Sacramentorum. *cap. Engeltrudam, 3. quæst. 4. & cap. penult. de sententia excommunicationis*, qualis non est ingressus in Ecclesiam, vt ibi solus oret.

15 Nec valent, quæ pro contraria afferuntur sententia: cum enim dicatur excommunicatum ab Ecclesia sequestrati, & extra Ecclesiam esse: id vtique, non de materiali Ecclesia, ex lapidibus, & lignis constructa, sed de Corpore Christi mystico, nimirum extra consortium fidelium intelligitur, vti rectè Hugolinus *vbi suprà* respondit. Christi enim Corpus fideles sunt, teste Apostolo *ad Ephesios 1. & ad Colonenses 1.* vti exponit Cathechismus Romanus, in illam Symboli partem: *Credo Ecclesiam Sanctam*: quorum consortio excommunicati priuantur.

16 Ostiatius autem excommunicatos solùm excludere iubetur, dum Sacerdos Missam celebrat, ne ingrediente excommunicato, Officia Diuina inchoata, hac ratione intermittantur: quandoquidem, *vt infrà* dicemus, excommunicato præsente, nec officia Diuina cantari, nec Missæ celebrari debent, ex Felino *in cap. A nobis, num. 3. de Exceptionibus el 2.* Dummodo Ergo Officia Diuina ibi non celebrentur, excommunicatus vt ibi solus oret, & horas priuatim recitet, seclusо scandalo, & contemptu, sine peccato intrare potest.

Hæc omnia Sayrus, satis opportunè pro firmanda sententia, & doctrina à nobis tradita, docet. Quam etiam tenet Hermannus Busembaum *in Medulla Theologiæ, lib. 7. de censuris, cap. 2. dub. 3. de effectibus excommunicationis maioris, effectu 4.* cum Bonacina *de Censuris, disp. 2. quæst. 2. punct. 3. §. 1.* Suarez, Henriquez, Filliucio, Coninch, & aliis.

DVBIVM XVI.

An Clericis Duelli reis, aliæ infligantur pœnæ, quàm Laicis Duellatoribus iniunguntur?

BREVIARIVM:

Beneficium.

Simplex Beneficium, per se primò vsum ordinum non requirit. sed curatum sic, n. 21.

Clericus omni beneficio priuatur ob homicidium, & mutilationem, n. 16.

Dispensari potest ab Episcopo, vt retineat simplex, nisi in casu, quo ab alio iam fuerit impetratam, num. 18.

Dispensari non potest super retinendo simplici, si occisio, vel mutilatio fuit in Duello formali facta, num. 23.

Dispensari non potest ad nouam impetrandam, nec ad curatum retinendum, n. 19. 21.

Censura Ecclesiastica.

Communiter diuiditur in Excommunicationem, suspensionem, & interdictum, contra Ledesmam, & Cornejum, n. 9.

De censuræ essentia est, vt sit pœna medicinalis, quæ posita resipiscentia auferatur, n. 9.

Degradatio.

Perpetuam causat inhabilitatem vsus ordinis Officij, & Beneficij, retentis Priuilegiis Canonis, & fori, n. 10.

Priuatur tamen ijs Priuilegiis quoties brachio traditur sæculari, n. 11.

Degradatio alia est verbalis, & realis simul, & à solo Episcopo fieri potest, n. 10.

Forma degradandi recensetur, n. 10. 11.

Iustè, & rectè degradatus realiter, à solo Papa potest restitui, n. 12.

Ante realem insignium ablationem, potest ab Episcopo dispensari: & post ablationem si deprehendatur iniustè fuisse degradatum, n. 12.

Depositio.

Censura non est, sed impedimentum, quo quis ob crimen priuatur tanquam inhabilis vsu Ordinum, vel officij in perpetuum, retentis Priuilegiis Canonis, & fori, n. 7.

Est pœna, sed tamen non est censura, quia non est medicinalis, n. 9.

Potest Episcopus depositos restituere Ordinum executionem, si euidenter agnoscat in posterum emendationem depositi, vel suam sententiam fuisse iniustam, n. 13.

Depositio infligenda est Clerico in Duello formali pugnante. Potest tamen Episcopus non pronuntiare depositionis sententiam: & pronuntiatam, non exequi, n. 15.

Depositio, verbalis degradatio tantùm est, & potest ab Episcopo fieri, & à Vicario, n. 10.

Dictio Sponte.

Excludit necessitatem ineuitabilem, non quæ euitari potest, n. 5.

Duellum.

Formale, & proprium solùm committitur, quando sponte, ex pacto ab vtraque parte inuicem initu exercetur, n. 4.

Clericus, qui Duellum formale commiserit à suo poterit deponi Episcopo, num. 2.

Non est deponendus quando ex necessitate ineuitabili pugnat in Duello, etiamsi inimicum occidat, quia hoc ei tunc licet, n. 5.

Immò neque quando ex necessitate euitabili, quamuis peccet, n. 5.

Pœna depositionis Clerico Duellatori, non est latæ, sed ferenda, n. 6. 15.

Eo ipso priuatus existit ab omnibus dignitatibus, Beneficiis, & Ecclesiis obtentis, & inhabilis redditur ad omnia obtinenda, n. 22. 21.

Regula.

Cui licet, quod est plus, licet vtique, quod est minus, num. 15.

PRocedit difficultas, siue Clerici Duella committentes, ad certamen prouocent, siue prouocati e conflictum acceperent, & ad arenam ex condicto sponte descendant. Idem enim de vtroque inquirimus in præsenti. Pro cuius resolutione sit.

CONCLVSIO. I.

CLericus, qui Duellum proprium, & formale commiserit, potest ab Episcopo suo deponi. 1

Hanc tenent Augustinus Barbosa *in cap. Porrò, num. 2. el 1. de Clericis pugnantibus in Duello*, cum Bernardo Diaz, *in Pract. cap. 103.* & Salzedo *ibi* 2

in Additionibus, Henriquez, *lib.13. de excommunicationibus, cap.39.n.23.* Suarez, *tom.5. in tertiam partem D. Thomæ disp.31.sect.4.n.48.* Emmanuël Roderiquez, *in Summa, tom.1.cap.37.in fine.* Sanchez, *in præcepta Decal.tom.1.l.1.c.39.n* 18.& Bonac. *de Cenſ.diſp.2.q.6.pun.1.n.13.* Lezana *to.2.p.3. Verbo Duellum, n.*18. cum Navar. *in Manu. c.27. n.*156. Et Abbas Panorm. *in dicto cap. Porrò, n.*1.

3 Probatur conclusio ex allegato capite, in quo ſic Alexan. Papa III. decernit. *Porrò, ſi Clericus alicuĩ ſpōte Duellũ obtulerit, vel oblatũ ſuſceperit: ſiue Victor, ſiue victus fuerit, de rigore Iuris eſt merito deponēdus.*

4 Adnotanda venit dictio *Sponte* à Pontifice in hac Decretali addita, per quàm declarat, illam procedere, quando proprium ſolùm, & formale exercetur Duellum, quod tunc tantùm contingit, quando Sponte, ex pacto ab vtraque parte invicem inito, confligitur, & decertatur, vti in diſquiſitione diximus, *num.* 2. diffinitionem Duelli formalis explicantes; non autem quando Clericus neceſſitate actus, pro ſui defenſione pugnat. Sic illam interpretatur Lezana, *loc.cit.* cum Sanch. *in Decal.tom.1. lib.2. cap.39.n.*18. Sic & Panorm. *vbi proximè*, in ſequentia prorumpens.

5 Nota ſecundò, ibi, *Sponte*: quod Clericus ſponte non pugnans, non eſt deponendus: & intelligo, quando fuit neceſſitas inevitabilis. Hoc enim caſu, licitum eſt Clerico etiam ſuum aggreſſorem occidere, vt *in Clementina ſi furioſus, de Homicidio*; ſecus videtur, vbi neceſſitatem poterat evitare, vt puta, quia pro recuperatione bonorum inivit Duellum, vel propter metum conditionalem. Nam potiùs debet omnia mala pati, qoàm huic Duello prohibito conſentire, vt in *capite Sacris de his, quæ vi, metusve cauſa fiunt.* Poſſet tamen dici, quod pœna huius Decretalis procedat, quando Sponte inivit Duellum; ſecus verò ſi aliquo facto neceſſitatis, licet neceſſitas fuerit evitabilis. Quia in hoc caſu peccat, tamen neceſſitas alleviat culpam, & per conſequens pœnam, vt *2. quæſt.1. in primis & in dicto cap. Sacris.* Puniatur ergo pœna mitiori, cum textus hic requirat Spontaneum actum ad depoſitionem faciendam: ergo non ſufficit factum, niſi adſit qualitas facti requiſita. Et pro hoc *l. Fulcinius ff. ex quibus cauſis in poſ. ea ex 23. quæſt.5. cap. ſignificaſti, & c. fin. de Reſtitutione Spoliatorum.* Hucvſque Abbas.

6 Quòd ſi petas, an pœna depoſitionis præfata, ſit ipſo facto Clerico Duellatori inflicta, & lata; an potiùs inferenda? Reſpondeo cum Barboſa, *in dicto capite Porrò, num.*5. eſſe ferendam: & allegat Navarrum, & Salzedum *vbi ſuprà.* Peregrinum *de Duello, quæſt.6. num.*5. Hotonum, *cap.5. à num.22.* & Bonacinam *tom.3. diſput. 3. quæſt. 3. punct.48. num.*21. Et patet ex allegato textu, ibi: *Eſt merito deponendus.* Ergo non eſt ipſo Iure depoſitus Duellator Clericus. Vnde in concluſione conſultò dixi: *poteſtas Epiſcopo ſuo deponi.* Si enim ipſo Iure eſſet Duellator huiuſmodi depoſitus, non egeret Epiſcopi depoſitione, ſed ad Summũ declaratione, quà denuntiaret in pœnam illam incidiſſe.

7 Petes ſecundò, An depoſitio ſit propriè; & verè cenſura? Reſpondet Leander à Sanctiſſimo Sacramento *p.4. de Cenſuris, tract.1. diſp.1. de quidditate Cenſuræ, q.5.* nullo modo eſſe Cenſuram. Quia propriè non eſt pœna, ſed impedimentum, quo quis propter crimen aliquod privatur tanquam inhabilis vſu Ordinis Sacri, vel officio in perpetuum, abſque ſpe reſtitutionis, retento vtroque Privilegio, fori, videlicet, vt conveniri non poſſit depoſitus in iudicio ſęculari, nec capi, nec puniri à Laïcis: & *Canonis, ſi quis ſuadente 17. q.4.* Ergo depoſitio non eſt cenſura, cum hæc propriè ſit pœna, & ex ſua inſtitotione poſſit auferri poſita reſipiſcentia delinquentis. Hactenus Leander.

8 Petrus autem Ledeſma, *in Summa, tract. de Cenſuris, cap.1. concluſ.3. pag.323.* & Petrus Cornejo *tom.2. in 3. part. D. Th. tract.5. dub.5. n.2.* apud eundem Leandrum, *vbi proxime, q.3. re. ſic. Negant in primis*, aſſerunt depoſitionem eſſe vere, & propriè pœnam Eccleſiaſticam, & cenſuram. Dividũt enim Cenſuram Eccleſiaſticam in Communi, in ſeptem has ſpecies, in Excommunicationem, ſuſpenſionẽ; interdictum; Irregularitatẽ ratione delicti, Degradationem, Depoſitionẽ; & in Ceſſationẽ à Divinis.

9 Hæc tamen cenſuræ diviſio, cõmuniter à Doctoribus non admittitur, quia cenſent, in triplex tantùm dividi membrum: in Excommunicationẽ ſcilicet, Suſpẽſionẽ, & Interdictũ. Ita Buſſembaum *in Medulla Theologiæ, l.7.c.1. dub.2. qui dub.1. reſol.3.* Ideò docet Degradationem, & Depoſitionem non eſſe cenſuram, quia & ſi ſit (inquit) pœna ſpiritualis; non tamen medicinalis; quæ eſt de cenſuræ eſſentia) ſed perpetua; & ob peccatum præteritum, etiam emendatum, poteſt infligi. Et quidem huius Authoris ratio, magis mihi arridet, ad excludendã depoſitionem à ratione cenſuræ, quàm illa, qua Leander ad idẽ probandũ vſus fuit. Eſt enim pœna ſpiritualis, & maxima, Depoſitio ab Ordine Sacro, vel Officio in perpetuum, abſque ſpe reſtitutionis.

10 Nec huic perpetuitati obſtat textus, *in c. Porro, el 1. de Clericis pugnantibus in Duello*, in quo poſt verba *ſuprà n.3.* reddita immediatè ſubiungit. *Sed quantumcumque eius in hoc gravius ſit, & enormis exceſſus, euadere poteſt, Depoſitionis ſententiam, ſi cum ipſo ſuus Epiſcopus duxerit miſericorditer diſpenſandum, dummodo ex ipſo Duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit ſubſecuta.* Non inquam obſtat: quia ſicut per diſpenſationem tollitur impedimentum, ex natura ſua perpetuum, & abſque ſpe reſtitutionis, per irregularitatem contractum, perpetuò impediens ſuſceptionem Sacrorum Ordinum, & iam ſuſceptorum vſum, per modum inhabilitatis, & aliquando etiam per modum pœnæ, ſic etiam per diſpenſationem, tollitur perpetua inhabilitas vſus Ordinis, vel Officij, & Beneficij quidem contracta per Degradationem, aut per Depoſitionem. Vtraque enim iſtarum, eundem effectum privationis perpetuæ dicti vſus producit, retento vno, & altero fori, & Canonis Privilegio, licèt ipſæ diverſam cauſam efficientẽ habere poſſint, & diverſimode fiant. Degradatio enim, ab inferioribus Epiſcopo, fieri nequit; ſed Depoſitio bene fit ab Epiſcopo, per Vicarium. Iſta verbalis tantùm eſt; illa verò realis, quia ſolemniter exercetur per ablationem eorum, per quorum traditionem collati fuerant Ordines, tam minores, quàm maiores, & per ablationem inſignium, & ornamentorum cuilibet Ordini, & dignitati à prima Tonſura; vſque ad Archiepiſcopatum competentiũ, & per verba ſimul, huiuſmodi ablationem, & poteſtatis etiam degradato traditæ denotantia. Vt ſi degradandus v.g. Archiepiſcopus ſit, Epiſcopus degradator aufert primò ab eo Palium, dicendo. *Prærogatiua Pontificalis dignitatis, quæ in Palio deſignatur, te exuimus, quia male vſus es ea.* Et ſic de Mitra, libro Evangeliorum, Annulo Baculóque, cum ſuis opportunis verborum formis. Et deindè abradit degradãdo pollices, manus & caput, cum cultello, aut vitro, leuiter tamen. Et eodem proportionaliter modo degradantur Epiſcopus, Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolitus, Exorciſta, Lector,

24 O iatius, & primo Tonsuratus. Quorum degra-
dandi formularium, & praxim in Pontificali Ro-
mano, iussu Clementis Papæ Octaui restituto in-
venies *p. 3. part.* 358. *& seqq.*

Circa ea tamen, quæ modo diximus, aliqua ad-
vertere duxi. *Primum* est, degradatum non semper
retinere privilegia Clericalia. Si enim talis sit ca-
sus, quo tradi debeat Curiæ sæculari, Pontifex de-
gradator, sic contra ipsum pronunciat sententiam.
25 *Pronuntiamus, vt hunc exutum omni Ordine, ac pri-
vilegio Clericali, Curia sæcularis in suum forum reci-
piat degradatum.* Habetur in eodem Pontificali,
pag. 361. *ad finem tituli de Degradatione.*

Secundum est. Quod post degradationem iustè,
& ritè factam, solus Papa cum degradato dispen-
sat. Episcopus tamen ante ipsam insignium detra-
ctionem, & etiam post sententiæ depositionis pro-
lationẽ dispensare, & restituere solo verbo potest,
sicut & verbaliter depositus fuit. Immò, si prius-
quam Iudex sæcularis in illum animadverterit talis
depositio & degradatio iniusta, vel nulla invenia-
26 tur, tunc non solũ verbo, sed etiã facto, dispensare,
& restituere tenetur, insignia sibi detracta seriatim,
sigillatim, & solẽniter ei coram altari restituendo.
Pontificale *vbi proximè, in rubrica, p.* 356. *colum.* 2.

Tertium est, quod non obstante, quod depositus
verbaliter per sententiam omni Ordinum execu-
tione perpetuo est exutus, vt suprà diximus, potest
Episcopus deponens de Iure misericorditer resti-
tuere Graduũ, & Ordinum executionem, qua pri-
vatus extiterat, si evidenter agnoverit in posterum
emendationem vitæ, & morum depositi, vel fortè
sententiam suam iniustam fuisse. Quæ restitutio in
Ecclesia aliqua, & coram altari fieri debet. Ita Pon-
tificale præfatum, *pag.* 353. *colum.* 2. *in rubrica circa
Depositionem.* Quod vnum, pro mille, sufficeret ad
probandum, quod assumpsimus, *n.* 10.

Episcopo, vti vidimus, conceditur in *cap. Porrò*,
vt possit cum Clerico Duellatore, provt duxerit,
misericorditer dispẽsare; dummodò ex ipso Duel-
lo, homicidium, vel membrorum diminutio, non
fuerit subsecuta. Quod posse quidem facere, do-
cent Pax Iordanus, *volum.* 2. *de re Beneficiaria, l.* 6.
tit. 1. *de Dispensationibus, n.* 443. *ex dicto cap. & ex
cap.* 1. *de Corpore vitiatis, iuncto Canone ijs à qui-
bus,* 23. *q.* 8. & penes eum Specul. & Borgasius. Sed
dubium occurrit, super quo Episcopus cum præ-
fato Clerico Duellatore dispensare valeat, homici-
dio, aut mutilatione membri, ex Duello non sub-
secuta? Et an etiam cum eo, super aliquo, dispensa-
re queat morte secuta, aut membri mutilatione?
Privatus enim Beneficiis omnibus est.

Quoad primum respondeo, posse Episcopum
dispensare in sententia depositionis, illam non pro-
nuntiando: & in illius executione, iam sententia
pronuntiata: restituendo scilicet deposito, vsum
Ordinis, Officij, vel Beneficij, per Depositionem
ablatum. Vtrumque colligo *ex dicto cap. Porrò:* Pri-
mum quidem, I. quia cum Depositio non sit infli-
cta, sed infligenda, non ex necessitate, cum nulla
Episcopo iniungatur per textum, sed pro eius ar-
bitrio, liberum ei erit à Depositionis sententia ab-
stinere. II. Quia cum quid maius sit restituere ali-
cui, quod per privationem fuerat ablatum, quàm
illum privare, si Duellatori potest vsum Ordinis
Episcopus restituere, quo illum privauerat, à for-
tiori poterit à privatione abstinere. Quia *cui licet,
quod est plus, licet vtique, quod est minus. c. Cui licet,*
& ibi Glossa *verbo cui licet el* 53. *de Regulis Iuris in*
6. Glossa etiam *in c. Cum illorum, verbo Minora, el*
32. *de sententia excommunicationis, & Lex non de-
bet, la* 188. *ff. de Regulis Iuris.* Quod autem possit Episcopus post sententiam Depositionis illam non exequi, quæ est secunda responsi pars, & consequenter restituere Deposito vsum, quo fuerat privatus, vti prædixit, colligo ex dicto textu, ibi: *cudere potest, Depositionis sententiam.* Quæ certè verba supponunt sententiam iam latam.

Quoad secundum, quod petit quæsitum, respõdet Pax Iordanus, *vbi suprà*, quòd morte, aut membri mutilatione secuta, dispensare potest Episcopus tantùm super Beneficio; non quidem simpliciter, sed tantum quoad congruam sustentationem, ne in opprobrium Ordinis Clericalis, mẽdicare cogatur. *c.* 2. *iuncta Glossa fin. de Clerico pugnãte in Duello c. Pastoralis, iuncta Glossa, verbo Subtrahuntur* 53. *de Appellationibus. can. studeat, distinct.* 50. *can. Presbyterũ, distinct.* 28. Speculat. *tit. de Dispensationibus p.* 3. *Nunc de Episcoporum, n.* 1. *vers.* 9. Borgasius *p.* 3. *tit. de Dispensationibus Episcopi, n.* 14. *versic. Item dispensat cum eo.* Et plenius *p.* 6. *tit. de Vsurarijs an.* 11. *& tit. in quibus casibus ipso iure incurratur in excommunicationem minorem, versic. Item cum Clerico & tit. de Degradatione. n.* 34. vbi tradit regulam generalem pro omnibus depositis, non incorrigibilibus, ex dicto *Canone studeat*, & Glossa præcitata.

Recenset Pax Iordanus Ioannem Andream *in c. Ioannes n.* 11. *&* 12. *de Clerico coniugato*, distinguentem inter Beneficium simplex, & Curatum, Dignitatem, & similia: & asserentem, posse quidem Episcopum dispensare cum Clerico Duellatore, super Beneficio simplici; secus verò super aliis. Atque ita secundùm Ioannem Andræam, si delinquens possideat Beneficium non simplex, privandus erit in totum; si verò simplex privandus titulo, & portio tantùm congrua ad sustentationem relinquenda. Ipse tamen Iordanus idẽ fieri debere cum possidente quodlibet non simplex Beneficium. Quia regulariter in omnibus privationibus ob delictum, misericorditer agendũ est cum privato, vt ex Beneficio sustentationem percipiat, nisi habuerit aliundè, & Beneficij reditus tot sint, vt commodam sectionem patiantur. *c. Ad audientiam, de homicidio*, Ioan. Andreas, *dicto n.* 12. Borgasius, *p.* 3. *tit. de Dispensationibus Episcopi, n.* 14. *versic. Cum homicida.*

Non reticeam tamen August. Barbosam *in cap. Henricus, n.* 4. *el* 2. *& final. de Clericis pugnantibus in Duello*, circa illa verba. *Poterit tamen cum eo, &c.* in sequentia prorumpentem. Notatur ad hoc, quod Episcopus potest cum homicida etiã voluntario, quoad simplex Beneficium obtinendum dispensare, vt per Gutierrez *Canonicarum, lib.* 1. *c.* 13. *n.* 19. Farinacium *in praxi criminali, p.* 5. *q.* 119. *n.* 50. vbi *n.* 60. asserit procedere, nisi Episcopus dispensaret in præiudicium illius, qui Beneficium homicidæ impetrauit. Tunc non valet dispensatio, etiam ante litis pendentiam, ex quo impetranti iam est ius quæsitum ad illud Beneficium.

Et *n.* 61. dicit, secus esse quoad Beneficium cum cura animarum, & quoad ministerium Ordinis, & Altaris. Ad hæc enim, non Episcopus, sed solus Põtifex dispensare potest. Quod etiam tenent Rebuff. *de pacificis possessionibus, n.* 263. Flamin. *de Resignatione Beneficiorum, lib.* 3. *q.* 26. *n.* 51. *& seq.* Azorius, *Institutionum Moralium p.* 2. *lib.* 7. *c.* 18. *q.* 2. *versic. Quares postremò.* Etiam hodie per Concilium Tridentinum, *sess.* 14. *de Reformatione, c.* 7 is, qui homicidium voluntarium commisit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri potest, nec illi aliquod Ecclesiasticum Beneficium, etiam sine cura, confe-

rendum:

rendum: quòd ex illo tradunt Gutiettez, *dicto, c.13. n.13.* Sayrus, *de Censuris l.6. c.7. n.14. & 15.* & Farinacius, *dicta q.119. n.62.* Hucvsque Barbosa.

20 Cootra distinctionem tamen à præfatis Doctoribus factam, in præsenti, obstare videtur, quod à Cælestino Papa Tertio decernitur, *in allegato capite Henricus*, vbi indistinctè loquitur dicens. *Homicidium autem tam facto, quàm præcepto, siue Consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari: poterit tamen cum eo, circà habendum Beneficium misericorditer dispensari.* Ita ibi. Cum igitur Ius istud non distinguat, maximè cum fauorabile illud sit, videtur, quòd nec prædicti Doctores distinguere deberent, iuxta sæpè à nobis traditam communissimam doctrinam.

21 Sed ni fallor, ducti forte sunt Authores recensiti, quia cum annexum Beneficio curato sit, exercitium administrationis Sacramentorum, & priuatus sit omninò vsu Ordinum, qui homicidij reus fuerit, ita vt ab Episcopo dispensari nequeat vt valeat in illis ministrare, ideò facta ei facultate dispensandi, circa habilitatem habendi Beneficium, meritò illam interpretari potuerunt de Beneficio simplicij quòd vsum Ordinum per se primò non requirit, & à prima tantùm Tonsura initiato, obtineri benè valet.

CONCLVSIO. II.

22 Clericus, qui Duellum proprium, & formale commiserit, eo ipso existit privatus omnibus dignitatibus, Beneficijs, & Ecclesijs per eum obtentis, & inhabilis etiam ad illa, & ad alia in posterum obtinenda.

Hæc conclusio expressè decernitur à Pio Papa Quarto, *in Constitutione ea quæ, la 21. apud Cherubinum in Bullario Magno tom.2.* in qua sic lego §. 4. *in fine.* Et si Ecclesiastici fuerint (Duellatores scilicèt) etiam omnibus, & singulis Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis Ecclesiasticis per eos obtentis, seu in quibus, & ad quæ ius eis competit, eo ipso priuati, & ad illa, ac alia in posterum obtinenda, inhabiles existant, nec non illa tanquam per priuationem huiusmodi vacantia, ab alijs impetrari possint, extendimus, & ampliamus. Hactenus ibi.

23 Et licèt hæc Constitutio edita tantùm fuerit, pro terris, & locis status Ecclesiæ, ad totum orbem fuit extensa per Clementem Octauum, vti iam vidimus in disquisitione, per Constitutionem *Illius vices*, vigore cuius ablata Episcopis fuit facultas, quàm de Iure diximus habere vigore *capitis Porrò, el 1. de Clericis pugnantibus in Duello, & cap. 2.* & quàm habere dicunt Doctores suprà allegati, vti benè obseruat Augustinus Barbosa *in dicto cap. Porrò, num.6.* dicens. Hodie per suprà dictam Clementis Octaui Constitutionem, à pœnis excommunicationis maioris, privationis omnium dignitatum, Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, nullos potest absolvere nisi Romanus Pontifex. Hactenus Barbosa, qui tamen addit. Dubium non est, an virtute Concilij Tridentini.... possit Episcopus absolvere &c. Sed de hoc statim dubio sequenti sermo redibit. Ablata inquam fuit Episcopis per Clementem, & Pium præfatos, facultas dispensandi cum Ecclesiasticis Duellatoribus super habẽdis Monasteriis, dignitatibus, Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis, & super inhabilitate ad illa, & alia in posterum obtinenda.

DVBIVM XVII.

Quis in Duelli causa reis, absolvere valeat?

Notabilia præmittuntur pro verâ resolutione.

BREVIARIVM.

Istius difficultatis vera decisio, apprimè vtilis, & summè necessaria est vtriusque fori Iudicibus, in hoc exitiali crimine reis, & consultorum munere, Officióve fungentibus. Vnde, vt exactè, rectóque ordine in illius dilucidatione procedamus, operæ pretium duxi nonnulla præmittere certa, aut apud Doctores communia; & deinde illorum placita in medium proferre; ac nostrum etiam iudicium pronuntiare. Ad primam ergo partem deveniendo. 1

Præmitto primò, pœnas per Greg. Papam XIII. ac per Concilium Tridentinum reis in causa Duelli inflictas; non fuisse per dictos Legislatores reseruatas: vndè his non obstantibus Iuribus, si aliud non obstaret, benè, & legitimè posset quilibet Confessarius Duellatores ipsos, & alios huius criminis reos, ab excommunicationibus ob id incursas, absolvere. Ita cum Sanchez *tom.1. in Decalogum, l.2. c.39. n.27.* Lanfranco, *de Duellos opusc.5. c.4. n.10.* & Fagundez, *in quintum Decalogi præceptum l.5. c.8. n.4.* Docet Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Duello, inquisit.6. num.2.* Ioannes Baptista Scortia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, theoremate 399. versiculo Quinto.* cum Comirola *lib.9. quæst.11. n.5.* Martinus Delrius, *in disquisitionibus Magicis, lib.4. cap.4. q.4. sect.2. Paulò ante finem.* ibi: Ex quibus sanè, &c. Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæst. Regularium, tom.2. part.3. Verbo Duellum n.12.* Emmanuël Sa, *Verbo Excommunicationes nulli reseruata, n.14.* Ioannes à Sancto Thoma, *en la explicacion, de la Doctrina Christiana, sub tit. excõmunicationes reseruãdas al Papa fuera de la Bulla de la Cena, n.37.* 2

Probabile tamen est, excommunicationem Gregorij XIII. esse Sedi Apostolicæ reseruatam, eo quod in Constitutione sua excommunicationem à Pio Quarto inflictam, ad Duella etiam priuata extenderit; quæ Piana censura Sedi est Apostolicæ reseruata. Ita Antonius Naldus, *in Summa, Verbo Duellum, n.7.* Ludovicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tom.1. tract.17. disput.7. sect.2. n.32.* Emmanuël Roderiquez, *in Summa, tom.1. c.37. n.3.* prout recensetur à Lezana, & Scortia, *vbi proximè.* Ita & Navarrus *tom.2. Consiliorum lib.5 tit. de Purgatione vulgari, consil.2. n.5.* vbi sic fatur. 3

Sextò, quòd restat dubium, an per Extrauagantem S.D.N. (Greg. scilicèt præfati) illa reseruatio (Pij scilicèt Quarti) repetatur quoad Duella priuata, & credo quòd sic. Non quidem ea ratione, quòd edicta præfata prædecessorum eius extendantur per se ad excommunicationem inflictam à D. N. Sed quia eios sanctitas expresè extendit easdem excommunicationes eorum ad excommunicationem circa Duella priuata ab ipsomet inflictam; quoniam expresè extendit pœnas illarum Constitutionum ad Duella priuata, per hæc verba: *Authoritate Apostolica statuimus, &c.* vt
,, omnes, qui circa Duella priuata peccant modis
,, expressis à sua Sanctitate, eisdem censuris, &
,, pœnis subiaceant, quibus per Constitutiones
,, prædecessorum subiacere debebant censuris, &
,, pœnis peccantes circa Duella publica, & solemnia.

5 Per quæ verba constituitur noua Lex, cum contineant verbum *statuimus*, quòd est signum nouæ Legis, iuxta Glossam receptam, *in Clementina finali, verbo Statuimus, de Rescriptis.* Et palam est Sanctitatem suam posse, ac potuisse per suam novam Legem punire præfatos delinquentes circa Duella priuata, & etiam circa alia delicta, remittendo se ad pœnas constitutas in præfatis edictis. Cur ergo in Constitutione Pij Quarti imposita fuerit excommunicatio reseruata contra peccantes in Duellis publicis, censetur illa repetita contra peccantes in priuatis: cum peccantes in eis expresè subdat illis pœnis, dicens, vt easdem pœnas in illis positas incurrant. Ad quod facit *cap. Eos, de sententia excommunicationis lib. 6.* quatenus eos, qui absoluuntur ab excommunicationibus reseruatis propter iustum impedimentum adeundi superiorem, reducit in easdem excommunicationes præcedentes. Salua, &c. Hucúsque Doctor Azpilcuera.

6 Secundò præmitto; excommonicationem à Clemente Papa Octauo inflicta reis, in Duelli crimine, Summo Pontifici esse reseruatam. Ex ipsiusmet Constitutione manifestè apparet, ibi: excommonicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, &c. nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere. Et ita docent Ioannes è Sancto Thoma, Lezana, & Scortia *vbi suprà.* Vidal. *n. 3.* Gregor. Saytus, *in Thesauro, lib. 3. cap. 31. num. 25.* Eligius Bassæus, *verbo Duellum, n. 8.* Gauantus, *in Manuali Episcoporum, eod. verbo, n. 12.* Ausonius Noctinot *in Compendio Diana, verbo Confessarius Regularis, n. 3. & verbo Duellum, n. 1.*

7 Præmitto tertiò, difficultatem procedere respectu inferiorum Summo Pontifici tantum, non autem illios respectu. Certum enim, & indubitatum est, Papam ab excommunicationibus in Duelli causa incursis, absoluere bene posse, vti ait Vidal, *num.* 4. Cum, quia Pius Quartus, & Clemens Octaous sibi ipsis, & successoribus Romanis Pontificibus absolutionem illarum reseruauerunt. Tum etiam, quia Romanus Pontifex supremam authoritatem, & Iurisdictionem in Ecclesia habet. Procedit igitur tam respectu Episcoporum, quàm Confessariorum virtute Privilegij Cruciatæ Sanctæ, & Confessariorum Regularium, in vim diplomatum à Sede Apostolica Religionibus Monachalibus, ac Mendicantibus concessorum: de quorum singulis, quod sit satis dicemus, pro exacta dubij propositi dilucidatione, & eius resolutionem tribus paragraphis absoluemus. Sit ergo.

§. I.

De Episcopi facultate.

BREVIARIVM.

Absoluere.

Potest Episcopus absoluere reos in causa Duelli, si crimen est occultum, & non deductum ad forum contentiosum, à n. 8.

Immo etiamsi illud publicum sit, quando rei ad Papam, aut Legatum adire non possunt, n. 17.

In vim Tridentini potest absoluere & dispensare in omnibus occultis, & ad forum contentiosum non deductis, excepto homicidio voluntario, n. 9.

Hodie viget in Episcopo hac facultas, n. 10. 11.

Absoluere potest ab excommunicatione reseruata, & publica eos omnes, qui ad Papam aut eius non possunt adire Legatum, n. 17. 18. 19. 20.

Quinam illi sint, de a atur à n. 21.

Imponere debet obligationem se Papa præsentandi cessante impedimento, exceptis impuberibus: etsi non compareant, saltem per Procuratorem, reincidunt, n. 37.

Eos qui Papam adire non possunt, non teneri Legatum adire ait Diana, n. 37.

Episcopus absoluit Moniales ab excommunicatione Canonis, n. 34.

Prælati Regulares absoluere possunt subditos percussores Religiosorum alterius Ordinis, & Clericorum sæcularium, n. 33.

Non subditum percussorem sui subditi absoluere non potest Prælatus Regularis, n. 33.

Idem possunt in foro conscientia quoad subditos Prælati Regulares, ex Pio V. ex Greg. XIII. quod Episcopi quoad suos ex Trid. sess. 24. c. 6. n. 33.

Qui habet potestatem ordinariam absoluendi, illam delegare potest, n. 20.

Axioma.

Vbi eadem est ratio, eadem est Iuris dispositio, n. 20.

Exceptio firmat regulam in contrarium, in non exceptis, o. 25.

Concilia.

Generali Concilio non derogatur, nisi de eo mentio expressa in derogatione fiat, n. 10. 12.

Prælati.

Regulares in subditos suos, potestate Episcopos facta per Tridentinum sess. 24. cap. 6. gaudent, n. 33.

Priuilegia.

In corpore Iuris inserta, non reuocantur nisi expressa mentio de eis fiat, n. 13.

Quæ Iuri alieno non præiudicant, largè sunt interpretanda, n. 15.

Regula.

Odia restringi, fauores conuenit ampliari, n. 14.

CONCLVSIO. I.

SI crimen Duelli est occultum, & non deductum ad forum contentiosum, potest Diœcesanus reos ab excommunicatione, illius causa contracta, absoluere. 8

Hanc tenent Lezana, *Verbo Duellum, n. 3.* cum Sanchez, *tom. 1. in Decalogum, lib. 2. cap. 39. n. 22.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. de Charitate, disput. 5. punct. 7. num. 19.* Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disput. 13. quæsito 13. num. 83. in fine.* Marcus Vidal, *de Duello inquisit. 6. num. 5.*

Ioannes

Ioannes de la Val *in Compendio Bonacina, verbo Duellum, num.* 15. cum Authore *tom.* 3. *pag.* 264. *num,* 38. *& pag.* 265. *num.* 41. *edit. Antuerpiensis.* Quem etiam tecenset, & sequitur Diana *parte* 7. *tract.* 2. *de potest. Episcop.* quoad dispensandum,& absolvendum *resol.* 11. *& par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 103. *in fine*: qui etiam allegat Peregrinum *tract. de Duello, quaest.* 33. *num.* 1. Noctinot *in Compendio, verbo Absolvere à Censuris, n.* 56. cum dicto Bonacina *de Censuris, disput.* 1. *quaest.* 3. *punct.* 2. *num.* 1. Ægidius Trullench *in Exposit. Bullae Cruciata, lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *num.* 3. Bussembaum *in Medulla Theologiae, lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 5. *versic. Respondeo II.* Leander à sanctissimo Sacramento *tom.* 4. *de Censuris, tract.* 2. *disp.* 17. *quaest.* 41. cum Henriquez *lib.* 6. *de Poenitentia, cap.* 14. *num.* 7. *& cap.* 16. *num.* 1. Avila *par.* 2. *cap.* 7. *disput.* 1. *dub.* 6. Bauny *tract.* 2. *disput.* 3. *de Absoluente, quaest.* 21. Hurtado *disput.* 15. *de Excomm. difficult.* 3. *versic. Deinde Episcopus.* Augustinus Barbosa *de Potestate Episcopi, part.* 3. *allegat.* 50. *n.* 120. *& in cap. Porrò, num.* 7. *el* 1. *de Clericis pugnantibus in Duello*, cum eodem Bonacina *tom.* 2. *disput.* 2. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 15.

9 Probatur conclusio ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* sic decernente. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus,& suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputatū, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem & in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum. Hactenùs Conciliare Decretum.

10 Quae quidem facultas integra est hodiè Dominis Episcopis: non enim ei detogarunt Gregorius XIII. & Clemens VIII. in suis Constitutionibus circa Duella editis: siquidem nullam in eis de praefata facultate mentionem fecerunt, quae dubio procul, necessaria erat omnino ad privilegium in Concilio Generali concessum, revocandum, ob ea, quae sequuntur.

11 *Primò*, ob gravissimos Doctores id docentes. Marcus Vidal *in Arca vitali, tit. de Duello, inquisit.* 6. *n.* 5. cum Fagundez *in quintum Decalogi praeceptum, lib.* 5. *cap.* 8. *nu.* 5. §. *Possunt.* Bonacina *de Censuris in particulari, tom.* 3. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 48. *n.* 3. & penes ipsum Sanchez, Suarez, Henriquez. Plures valdè, & doctissimos quidem cumulavi, in casu absolutionis ab haeresi per Episcopum, in vim recensiti Decreti, non obstante Bulla Coenae *in hoc tract. disquisit.* 1. *dub.* 14. *n.* 136. qui si, dicta non obstante Bulla, constanter tenent, posse hodiè Episcopos, absolvere ab haeresi in foro conscientiae, à fortiori tenebunt absolvere benè posse ab excommunicatione in causa Duelli, non obstantibus Gregoriana, & Clementina Constitutionibus. Quia cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus, iuxta suprà tradita *dubio* 16. *numero* 15.

12 *Secundò.* Quia Decreto Concilij Generalis ob eius gravitatem non intelligitur derogari, nisi de eo mentio specialis in derogatione fiat. Plures textus, & Doctores, pro hac adduxi positione *d. dub.* 14. *n.* 140.

Tertiò. Quia privilegium in corpore Iuris communis insertum, nunquam censetur revocatum per clausulam generalem revocatoriam; sed requiritur specialis, & expressa mentio in revocatione de huiusmodi privilegio. Marcus Vidal *ubi proximè* cum Doctoribus,& Glossa *in l.* 2. *ff. Legati, & ff. de rei vendicatione.* Et meritò quidem, quia huiusmodi privilegium in Iure insertum, Ius commune reputatur. Idem Vidal. Palaus *tom.* 1. *tr.* 5. *disp.* 2. *punct.* 10. *n.* 7. 13

Quartò. Quia favores sunt ampliandi, & odia restringenda, *cap. Odia, el* 15. *de Regulis Iuris, lib.* 6. latè alibi saepè. 14

Quintò. Quia privilegia, quae Iuri alieno non praeiudicant, largissimè sunt interpretanda. Vidal *ubi suprà ex cap. Cum dilectus, de Donationibus, ff. de Constitutionibus Principum.* Quod verum asserit, etiamsi Ius tangant concedentis, cum Innoc. *in d. cap. Cum dilectus.* 15

Sextò. Quia praxis, & usus communis ita obtinuit, uti restatur idem Vidal. 16

Immò addunt Doctores, benè posse Episcopum, publicos Duellatores, quando per seipsos Sedem Apostolicam adire non valent, ab excommunicatione contracta ob Duellum, absolvere. In terminis docet Vidal *versic. Addo, ex cap. Ea noscitur, el* 13. *de Sent. Excomm.* & *in cap. Eos qui, el* 22. *eod. tit. in* 6. Et quod de Sede Apostolica dicunt, intelligo etiam de eius Legato. Apertè enim dicitur à Clemente III. *in d. cap. Ea noscitur.* Alios autem, sive pauperes, sive divites Sedi Apostolicae, vel eius Legato, ut beneficium absolutionis obtineant, necessè est praesentari. Unde quando Duellator adire valet Legatum, ab Episcopo absolui non potest. 17

Idem docere tenentur omnes asserentes posse Episcopum absolvere ab omni excommunicatione publica Papae reservata, quando excommunicatus est impeditus recurrere ad Papam. Huiusmodi sunt Bussembaum *in Medulla Theologiae, lib.* 7. *de Censuris, c.* 1. *dub.* 5. *versic. Respondeo II.* Gabriel Vasquez *tom.* 4. *in* 3. *part. D. Thom. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 8. *n.* 1. *versic. Secundò.* Ægidius Conink *disp.* 14. *de Excomm. dub.* 16. *n.* 140. *pag. mihi* 502. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 6. *versic. Notandum est tamen hic ex Concilio*, cum Sylvestro *verbo Excommunicatio* 4. *num.* 7. & Navarro *in Manuali, cap.* 27. *n.* 9. Leander à sanctissimo Sacramento *tomo* 4. *de Censuris, tract.* 2. *disput.* 17. *q.* 58. cum Henriquez *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 7. *& cap.* 16. *num.* 1. & Sylvestro *verbo Absolutio* 4. *n.* 7. Avila *de Censuris part.* 2. *cap.* 7. *disput.* 1. *dub.* 6. *concl.* 3. Reginaldo *lib.* 9. *n.* 2. Bonacina *disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. Bauny *tract.* 2. *disp.* 3. *de Absoluente ab excommunicatione, qu.* 2. Hurtado *disp.* 15. *de Excommun. diffic.* 3. Cornejo *tract.* 5. *de Excommun. disput.* 11. *dub.* 2. Suarez *disput.* 22. *sect.* 1. *à nu.* 161. Alterio *lib.* 5. *disp.* 22. *cap.* 2. & Luysio *lib.* 3. *de Censuris, disp.* 29. *dub.* 4. & 5. Et probatur ex textu *in cap. Mulieres, vel alia persona el* 6. *cap. De caetero; el* 11. *cap. Ea noscitur el* 13. *cap. Quod de his, el* 26. & *in cap. Quamvis incidens, el* 58. *de Sententia Excommunicationis*: & *in cap. Eos qui, eodem tit. lib.* 6. 18

Et licet omnia allegata Iura, ultimo unico excepto, de excommunicatione *can. Si quis suadente diabolo*, expressè tantum loquantur, decernant; certum omnino est, idem de omni alia statuere. Cum, quia *in d. cap. Eos qui*, Bonifacius Papa VIII. id non solùm de recensita excommunica- 19

HHh 3 tione

tione Canonis innodatis decernit; sed & de excommunicatis ab homine. Iura autem Iuribus concordari debent. Tum etiam, quia vbi eadem est Iuris ratio, eadem est Iuris dispositio. Diximus sæpè. Quod maximè verum habet in nostro hoc casu, in quo gratia, favor, & privilegium conceditur: & in corpore quidem Iuris: & non semel; sed sæpè sæpius. Vnde latissimam extensionem habere, nemo tantisper Iuris notitiam habens, ignorare quibit.

20 Huc spectat, quod Iuris Canonici peritissimus Doctor Navarrus docuit *tom.1. Consiliorum, lib.1. tit. de Constitutionibus, consil. 1. num.* 88. dicens. Secundò, quod Episcopus potest absolvere per se, vel per alium (ab hæresi scilicet occulta, vigore Tridentini *sess. 24. cap.6.*) quia omnis, qui habet potestatem ordinariam absolvendi aliquem ex officio, potest absolutionem delegare, per *cap. final. de Officio Ordinarij*. Quod licet specialiter disponat de Absolutione ab excommunicatione *can. Si quis suadente*, ratio tamen huius habet locum in aliis, vt declarat Panormitanus. Et consequenter, idem ius esse debet de illis *cap. Cum delicto, de Confirmatione vtili, & l. Illud, ff. ad Legem Aquiliam.* Nec obstat *cap. finale, §. Caterùm, de officio Delegati.* Quia disponit de habente potestatem ordinariam ex privilegio, vt Glossa declaravit *in d. cap. finali, &c.* Hactenùs magnus Martinus Azpilcueta.

21 Sed rogabis, quinam sint, qui ad Sedem Apostolicam, pro obtinenda absolutione excommunicationis, adire nequeant, & illa ab Episcopo Diœcesano obtinere valeant? Multi admodùm adnumerari possunt. Quos communiter solent recensere Doctores, reddam, & quos Iura allegata, non adire permittunt.

Prima igitur persona, quæ regulariter ad Sedem præfatam pro absolutione adire nequit, est Mulier, ratione sexus. Ita Gabriel Vasquez, Bussembaum & Diana *locis citatis* quorum vltimus *in versiculo Quintò*, id explicat de fœmina cuiuscumque conditionis. Antonius de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tract.4. cap.10. n.82. exam.2.* Fabius Incarnatus *in Scrutinio Sacerdotali, par. 1. tract.12. de Excommun. versic. Quintus, pag. mibi* 372. Noctinot *in Compendio Diana, verbo Absolvere à Censuris, n.49.* & Pax Iordanus *to.1. lib.3. tit.4. num.45.* Estque expressè declaratum *in cap. Mulieres, el 6. cap. Ea noscitur, el 13. cap. De Monialibus, el 33. in cap. Quamvis, el 58. de Sent. Excomm.*

22 *Secundò* adire excusantur, qui adhuc in ætate puerili sunt. Docent Escobar, Incarnatus *locis recensitis* Diana *versic. Quartò atas.* Coninch *dicto n.240.* Noctinot. Et Pax Iordanus *n.* 48. & addit Diana id esse verum, quamvis petant post pubertatem absolutionem ab excommunicatione reservata, quam ante pubertatem incurrerant. Excusantur *in cap. Super eo, el 1. cap. Quamvis el* 58. & *in cap. Pueris, el 60. & finali, de Sent. Excommun.* In quorum vltimò, hanc reddit Gregorius Papa IX. decidendi rationem. Cum propter defectum ætatis, in qua commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

23 *Tertiò* excusantur senes. Docent Diana, Conink & Bussembaum *locis allegandis.* Vasquez *d. dub. 4. num. 1. versic. Secundò.* Incarnatus *versic. Sextus.* Escobar *n.* 82. Noctinot *n.* 16. & Iordanus *nu.42.* Decernitur *in cap. Ea noscitur, el 13. cap. Quod de his, el 26. & c. Quamvis, de Sent. Excomm. el* 58.

Quartò excusantur infirmi, & valetudinarij. Ita Diana *versic. Secundò* (vbi id intelligit de longa infirmitate, etiamsi periculosa non sit). Conink, Escobar, Noctinot *locis recensitis.* Iordanus *n.41.* Incarnatus *versic. Sextus*, de Valetudinario: id est de eo, qui malè sanus est, & frequenter ægrotat. Et *versic. Octavus*, de infirmo. Declarantur in tribus Iuribus, *numero precedenti allegatis.* 24

Quintò ab hoc liberantur itinere, qui corporis impotentiam habent, aut debilitatem in membris, vel in complexione, vt viri delicati. Docent Diana *part.5. tract. 9. resol. 6. versic. Octavò*, (vbi id explicat de viris delicatis, qui labores itineris sustinere non possunt, de cæco etiam, & de claudo.) Conink *dispu.14. de Excomm. nu.* 240. Vasquez *tom.4. in 3. par. quæst.91. art.3. dub.8. n.21. versic. Secundò.* Fabius Incarnatus *part. 1. tract. 12. de Excommun. versic. Septimus.* Escobar *in Theologia Morali, tract. 4. cap.10. nu.* 82. Noctinot *verbo Absolvere à censuris, n.16.* Declarantur *in cap. Ea noscitur, el 13. & cap. Quamvis, el 58. de Senten. Excomm.* Allegat etiam Diana *cap. Mulieres, el 6. dicti tituli*, sedi immeritò, ni fallor: ibi enim Alexander Papa III. solùm ait. De his verò, qui magnæ sunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere, respondemus, quod status personæ prius, & veritas negotij est intimanda Romano Pontifici, & secundum consilium eius tales erunt, de commisso scelere corrigendi. Hæc in Decretali illa. Ex qua certè satis apparet, potentes saltem absolvi non posse, non spectato Romani Pontificis consilio. Quem vtique textum, cum hac exceptione, de viro scilicet magnæ potentiæ, benè Diana adducere valebat ad suum, & nostrum intentum probandum, ex axiomate: *exceptio firmat regulam in contrarium, in non exceptis*; tamen absolutè, vti adduxit. 25

Sextò excusantur, cui mortis articulus imminet: per textum *in cap. Non dubium, el 4. cap. Quod de his, el 26. in cap. Quamvis, el 58. de Sent. Excomm.* Immò, cui imminet periculum mortis: per textum *in cap. De catero, el 11. & cap. Ea noscitur, el 13. eodem tit. & in can. Si quis suadente, el 29. 17. quæst. 4.* docent Noctinot *verbo Absolvere à censuris, n.16.* Pax Iordanus *tom.1. lib.3. tit.4. n.37.* Diana *dicta resol.6. versic. Primò.* Incarnatus *versic. Primus, pag.* 371. vbi ait. Et tale periculum mortis, intelligitur, non solùm propter infirmitatem, sed etiam si quis sit in quocumque periculo vicino morti: putà si timeat hostem, vel prædonem, vel crudelitatem potentis, vel sit navigaturus, aut per loca insidiosa transiturus, vel confectus senio, vel obsessus in loco, vt machinæ iaciuntur, vt balistæ, & huiusmodi. Hæc omnia Fabius. Favent, quæ cum pluribus Doctoribus diximus *disquis.1. huius tract. dub. 14. num.41.* 26

Septimò liberatur, qui ob inimicitias, quas habet, sine gravi periculo, Apostolico nequit, se præsentare conspectui. Ita Coninx *dicto n.* 240. ibi. Qui ab inimicis grave, si in viam se dent, periculum timent. Incarnatus, & Escobar *locis allegatis*, & Iordanus *num.*38. Et patet *ex cap. De catero, el 11. & cap. Quamvis, el 58. de Sentent. Excomm.* 27

Octavò excusantur, qui inopia paupertatéve laborant. Docent Glossa *in cap. Ea noscitur, verbo Pauperes, el 13. de Sent. Excomm.* Incarnatus, *versic.*

versic. Nonus est. Escobar, & Noctinot *locis sæpè recensitis.* Pax Iordanus, *num.* 40. Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 5. Valquez *dub.* 4. *citato, num.* 2. Coninch, *loco reddito*, ibi : vt si qui aliàs non soliti erant mendicare, non possent nisi mendicando iter conficere. Diana *resolutione* 6. *reddita, versic. Tertio:* vbi ita fatur, Tertio paupertas, ex dictis iuribus. Nam nemo tenetur mendicare, vt ad Curiam vadat pro absolutione, nisi aliàs mendicus esset, quia tunc ite tenetur, nisi forte mendicando soleret se, vxorem, atque filios alere. Et paucis interiectis addit. Ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi vxorem, filios, ac familiam propter labore. Hæc Diana.

29 Sed obiicies, Clementem Papam Tertium, necessitatem Pauperibus iniungentem Romam, seu Sedem Apostolicam adeundi pro beneficio absolutionis obtinendo. Ita enim in allegato pro nobis *cap. Ea noscitur*, decernit, postquam Mulieres, senes, & Valetudinarios, ab hac exclusit, liberauit obligatione. Alios autem, siue pauperes, siue diuites sedi Apostolicæ, vel eius Legato, vt beneficium absolutionis obtineant, necesse est præsentari. Ergo qui inopia laborat, aut paupertate, tenetur adire ad Sedem Apostolicam pro absolutione casuum eidem Sedi reseruatorum.

Respondeo Clementem, in hac Decretali non statuere omnes pauperes debere personaliter præsentari conspectui Apostolico, vt absolutionem obtineant, non enim hîc loquitur de his, qui tanta laborant paupertate, quod ad Curiam ire non possint; sed de his, qui possunt ire, licet pauperes sint. Sic enim interpretatur Clementem Glossa ibi, *verbo Pauperes.* Gabriel Vasquez *dicto num.* 2. ita fatur. Et quando *in cap. Ea noscitur*, dicatur, vt pauperes nihilominùs accedant ipsi ad Pontificem, nec ab Episcopo absolvantur, hoc tamen intelligitur, vt inquit ibi Glossa, quando paupertas eis non est impedimentum Romam eundi : qui enim gravaretur ita paupertate, gauderet eodem privilegio, vt habetur *in cap. Quod de his, de Sententia Excomm.* Hactenùs Vasquez, cui consonat Diana *dicto versic. Tertiò*, dicens : vnde, quando *in dicto cap. Ea noscitur* dicitur etiam pauperes teneri, non est sermo de magna paupertate, quæ mendicare cogat in itinere.

30 *Nonò* excusantur adire Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio obtinendo, qui sui Iuris non sunt. Est textus elegans *in capite Mulieres, el* 6. *de Sent. Excom.* vbi sic Alexander Papa III. decernit. Mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo Diœcesis absolui possunt si manus in Clericum miecerint violentas : vbi Glossa *in figuratione casus* præter Mulieres, hîc servos privilegiari docet. Escobar *d. num.* 82. Noctinot *n.* 16. & Diana *versic. Sextò :* vbi sic ait. Sextò, alteri adstrictus, qui sui iuris non est, vt filiusfamilias, & similiter servus quando Papam adire non potest sine præiudicio parentis, vel domini.

31 De servo tamen Innocentius Papa III. *in cap. Relatum, el* 37. *de Sent. excomm.* apertis verbis contrarium decernere videtur, nisi in casu, quo grave damnum domini sine culpa sua incurreret, ex servorum accessu ad Sedem Apostolicam. Sic se habet Decretalis illa. Relatum est nobis, quod cum aliqui servi propter iniectionem manuum in Clericum violentam, in Canonem incidunt sententiæ promulgatæ : allegantibus Dominis eorum, quod carere mancipijs suis nolunt, venire ad Sedem Apostolicam absolvendos : cum plus sit Deo, quàm homini deferendum : nisi fecerint hoc in fraudem vt subtrahant se obsequio Dominorum, aut ipsi Domini propter hoc, sine culpa sua, grave damnum incurrant. Tunc enim in vtrolibet casu, poteris eos ex indulgentia nostræ provisionis absolvere, cum nimis sint ab Apostolica Sede remoti.

Hactenùs Innocentius. Quocirca Fabius Incarnatus, sic *versic. Vndecimus est*, fatur. Quod intelligendum est, quando hoc esset in magnum præiudicium patris, vel Domini, vel nisi ipse pater, vel Dominus esset in culpa, vel excessus esset enormis. Nam propter evitandum scandalum, opportet mittere talem ad Sedem Apostolicam, *cap. Relatum, eod. tit.* Hæc Fabius.

Ex dictis sequitur Religiosos adire non teneri Romam pro absolutione. Quia sui iuris non sunt. Præterquàm quod, Abbati conceditur absolutio Monachorum, & Canonicorum Regularium, ab Alexandro Papa III. *in cap. Monachi, el* 2. & ab Innocentio III. *in cap. Cum illorum, el* 32. *de Sent. Excomm.* & vtrobique Glossa, ibi, *verbo Monachi*; & hîc *verbo In Religionis favorem*, & *verbo Talibus*: & Bonifacius Papa VIII. *in cap. Religiosi, el* 21. *eod. tit. lib.* 6. absolutionem Religiosi Clerici sæcularis percussoris Episcopo commisit, eo casu, quo sæculari Clerico posset, si alium Clericum percussisset. 32

Sed non obstantibus *dictis cap. Cum illorum*, & *cap. Religiosi*, possunt hodiè Prælati Regulares absolvere subditum suum, qui percusserit, non solùm alium sui Ordinis, immò, & Clericum sæcularem. Ita docet Laurentius de Peyrinis *de Privilegiis, tom.* 1. *ad Constitutionem* 2. *Iulij II.* §. 29. *n.* 119. & *tom.* 3. *in additamentis ad eandem Constitutionem, cap.* 3. *n.* 33. cum Sorbo *in Compendio privilegior. verbo Absolutio ordinaria, quoad Fratres, pag.* 19. & Roderiquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 20. *art.* 12. Minora enim (inquit) intelliguntur concessa, vbi sunt concessa maiora *cap. Ex parte, el* 3. *de Decimis.* Et patet ex dictis sæpè *ex c. Cui licet, quod est plus, &c.* Quod autem maiora sint Prælatis Regularibus concessa, constat ex variis Pontificum diplomatibus. Gregorius XIII. Abbatibus Cisterciensibus, & Societati IESV, ac Ordini Minorum, quoad forum conscientiæ eandem concessit auctoritatem, quam Tridentinum Episcopis concesserat Concilium *sess.* 24. *cap.* 6: (quam hîc *n.* 9. ad amussim recensui. Refert Peyrinus *loco primo allegato, n.* 17. ex Llamas 1. *par. Methodi, cap.* 12. §. 25. Immò Pius Papa V. *in Constit. Romani Pontifices, la* 13. *apud Bullarium Roderiquez*, declaravit tantùm facultatem habere Superiores Dominicanos in vim Tridentini, ac habent Episcopi, & de novo eam concessit. Quam quidem novam concessionem, & declarationem omnes alios Ordines exemptos afficere, dixi, & probavi *in Disquisit. Pastorali, de Iure Prioris annexi, num.* 146. *& seqq.* Advertit tamen Peyrinus *dicto nu.* 33. ex Campanile *in Divers. Iuris rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 136. Riccio 1. *par. Pravis, decis.* 465. non posse Prælatos Regulares Clericum, aut Laicum Sæcularem percussorem sui subditi absolvere, cum nullum de hoc appareat privilegium. Consulant tamen Prælati privilegia Religionibus concessa. 33

Moniales, si vel seipsas invicem, Conversos, Conversas suas, aut Clericos percusserint, absolvendas 34

vendas esse ab Episcopo, in cuius Diœcesi Monasterium fuerit, decernit Innocentius Papa III. *in cap. de Monialibus, el 33. de Sent. Excommun.* vbi Glossa *verbo Per Episcopum*, sic ait. Sed Episcopus illas absolvit authoritate Papæ sibi per hanc Decretalem indulta, tanquam Delegatus ad hoc: & sic absolvet omnes tam exemptas, quàm non exemptas. Sed Ioannes Andreas in Marginali ait ibi, hoc procedere iuxta antiquum Ius; sed isto attento (scilicet *de Monialibus*) hoc Episcopum suo Iure facere.

35 *Decimò* excusantur, quicumque curam animarum habentes, aut Dominium temporale, quando timetur, quod per eorum absentiam, Oves, aut Vassalli detrimentum patiantur. Ita docent Pax Iordanus *tom. 1. lib. 3. tit. 4. num. 39.* Coninch *de Excomm. disp. 14. dub. 16. n. 140.* & Diana *par. 5. tract. 9. resol. 6. versic. septimo ex cap. Mulieres el 6. ex cap. De catero el 11. de sent. Excomm. & ex cap. Ne prodilatione, de pœnitentiis, & remissionibus.* Et idem præfatus docet Pax, *num. 44.* de Patrefamilias, & de quolibet superiore, si non possit sine gravi familiæ, aut subditorum damno illud iter suscipere.

36 *Vndecimò* excusantur quicumque iustas causas, habent, & excusationes, aut impedimenta. Ita Coninch *vbi proximè* dicens. Et idem intellige de quovis impedimento, quod iudicio prudentis hîc, & nunc sufficiens iudicatur. Vide Navarrum *cap. 27. num. 88. & 90.* Ægidio accinit Diana, *versic. Vltimo.* Eisdem fere verbis vtitur; & recenset pro omnibus à se dictõ Cornejum, *in 3. p. tract. 5. de Excommunicat. disput. 11. dub. 2.* ex Sayto, Suarez, & Auila. Quibus ipse addit Diana Hurtadum, *disput. 15. de Excommunicat. difficult. 3. num. 10.* Inmò addit Adamum Tannerum, *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 6. num. 122.* in hæc prorumpentem verba. Similiter, si Excommunicatus excommunicatione Papæ reservata, propter legitimum impedimentum Papam, aut alium ab eo facultatem habentem adire non possit, potest absolvere Episcopus quod si nec Episcopum possit adire, Parochus; eoque deficiente, quivis approbatus Confessarius. Hactenus Tannerus, prout à Diana redditur. Ipsum audi Antoninum, ad amussim recensitum.

37 Notandum est tamen hîc, contra Navarrum, *cap. 27. num. 89.* quod si excommunicatus impeditus est, ex suprà dictis causis, adire Papam, nec tenetur adire Legatum, vel alium habentẽ privilegium Papæ absolvendum, sed satis esse non posse adire Papam, vt ab Episcopo absolvi possit. Et ratio est, quod existente impedimento recurrendi ad Papam, restituetur Episcopo ordinaria potestas, quæ per reservationem fuerat ab eo oblata. Ergo non est cur sit necessarius recursus ad Legatum, præsertim quod cum talis reservatio fuerit odiosa, debet strictè interpretari, vt scilicet intelligatur de recursu ad solum Pontificem. Et ita docet Hurtado, & Cornejo, *locis citatis.* Qui tamen rectè observans, excommunicatum ita absolutum ab Episcopo, teneri postea, cessante impedimento, se præsentare Pontifici: & hæc obligatio debet ei imponi ab Episcopo, nisi fuerit impuber, cui hoc iniungendum non est. Quod si in mora fuerit, reincidet ipso Iure, in eandem excommunicationem. Sed nota, quod talis non tenetur se præsentare Papæ per se; sed satis est id facere per Procuratorem: nec impeditus ire personaliter Romam, tenetur mittere Procuratorem pro absolutione, nec Epistolam. Ita ex Henriquez, notat Auila, *part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. conclus. 3.* & Doctores citati. Hæc omnia adnotat Diana, & docet, & cum eo Noctinot, *verbo Absolutio, à censuris, num. 51.*

Præter hos, & reliquos à nobis allegatos Doctores, tenent dictam vndecimam, & finalem excusationem Antoninus de Escobar *in Theologia Morali tract. 4. examine 2. cap. 10. num. 82.* & Busembaum *in Medulla Theologia lib. 7. cap. 7. cap. 1. dub. 5. respons. 2.* cum Bonacina *disput. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 25. & punct. 2. n. 1.* Navarro, & aliis.

Et probatur I. *ex cap. de Catero, el 11. de sententia excommunicationis*, ibi: si habens capitales inimicitias, vel alias iustas excusationes; quibus ab itenere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare. II. *ex cap. Quid de his, el 26.* ibi: vel ad hoc alio impedimento Canonico retrahatur. III. *Ex cap. Quamuis, el 58. eiusdem tituli*, ibi: sine quolibet impedimento Canonico retrahatur, quominus Romanum, Pontificem possit adire.

§. I.

De facultate Confessariorum, vigore Bullæ Cruciatæ.

BREVIARIVM.

Absolvere.

Quilibet confessarius ab Ordinario approbatus potest absolvere in vim Cruciatæ semel in vita, & semel in morte ab excommunicationibus publicis in causa Duelli. n. 38.

Potest etiam toties quoties si occulta sint. num. 40. & seqq.

Bulla Cruciatæ.

Quoad facultatem, quam Confessariis tribuit recensetur. n. 39.

Casus Episcopales.

Quando cuicumque Parocho in Constitutione Synodali conceduntur desinunt esse Episcopo reservati; non autem quando ab Episcopo committuntur Parocho particulari. n. 43.

Casus Papales.

Desinunt esse tales, quando in generali Constitutione omnibus Episcopis in perpetuum conceduntur, secus si particulari Episcopo concederentur a Papa. n. 43.

Delegatio.

Quæ ex speciali delegatione alicui pertinent, industriam exigente personæ, alteri committi non possunt. n. 42.

Duellum.

Si occultum sit, excommunicatio illius non est Papæ reservata n. 42. *De eius Absolutione* vide *v. Absolvere.*

Episcopus.

Facultas ei à Trident. sess. 24. cap. 6. *concessa iure ordinario ei competit.* n. 42.

Occultum.

Prout à Publico, & Notorio distinguitur, est quod scitur a quatuor, vel quinque. n. 41.

Reservatio.

Odiosa est, & limitanda quantum verba patiuntur. num. 44.

CON

CONCLVSIO II.

38 QVilibet Confessatius approbatus ab Ordinario semel in vita, & semel in mortis articulo potest absolvere ab excommunicatione causa Duelli contracta in vim Bullæ Sanctæ Cruciatæ.

Tenent hanc conclusionem Ferdinandus Castrus Palaus *tom. 1. de Charitate, tract. 6. disput. 5. punct. 7. num. 19.* Ludovicus Caspensis *tomo 2. de eadem virtute, disput. 7. num. 32. tract. 17.* Diana *par. 5. tract. 14. resol. 104.* cum Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 27.* & Hurtado de Mendoza *a. 2. disput. 170. sect. 1.* Gallego *in Bullam Cruciatam, cap. 9. claus. 9. dub. 119. in fine.* Trullench *in eandem Bullam, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3.* Supponendum est secundò (inquit iste Doctor) vt constat apertè ex ipsa Bulla, in hoc §. posse ratione illius absolvi semel in vita intra annum publicationis, ab omnibus casibus Papæ reservatis, & censuris. Ab omnibus, ait: & consequenter & à censura ob Duelli crimen contracta. Qui enim totum, seo omnia dicit, nihil excludit.

39 Ratio fundamentalis est. Quia in præfata Bulla, ,, sic dicto conceditur Confessario. Immò potius ,, pœnitentibus, illo vtentibus. Iteio, quod omnes, ,, & singuli prædicti potius ad Deum preces funde- ,, re, & efficaciùs Divinum auxilium implorate ,, possint, conceditur, vt possint eligere Confesso- ,, rem Sæcularem, vel cuiuscumque, etiam Mendi- ,, cantium Ordinum Regularem; ex his, qui ab Or- ,, dinario, & quoad Regulares semel tantùm appro- ,, bati fuerint: & ab eo, quotumcumque peccato- ,, rum, & censuratum (etiam Sedi Apostolicæ, & ,, in Bulla Cœnæ Domini reservatorum, ac reserva- ,, tarum) plenariam indulgentiam, & remissionem ,, semel in vita, & semel in mortis articulo; aliorum ,, verò Sedi Apostolicæ non reservatorum, ac reser- ,, vatarum, toties quoties confitebuntur, absolutio- ,, nem, & remissionem, mediante salutari pœnitentia, secundùm culparum indulgentiam, obtinere. Hactenùs Bulla Latina, prout à Trullench recensetur *lib. 1. Expositionis illius, §. 7. pag. mihi 145.*

Procedit nostra Conclusio, etiamsi casus, occultus non sit. Quia Bulla non distinguit præfata. Et sic nec nos distinguere debemus. Vnde, pro maiori explicatione huius privilegij, & dubij propositi dilucidatione, & illius exacta resolutione, sit.

CONCLVSIO III.

40 SI Duelli crimen occultum sit, poterit Confessarius ab Ordinario approbatus, illius reos, toties quoties, in vim Bullæ Cruciatæ, absolvere.

Ita tenet Ioannes Ægidius Trullench *in Expositione dictæ Bullæ, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. n. 4.* cum Sanchez *in Decalog. lib. 4. cap. 54. n. 27.* Antonin. Diana *par. 1. tr. 11. resol. 28. & par. 3. in Addition. resol. 17.* vbi suppressis nominibus, multos viros doctos Societatis Iesv, & suæ Religionis, à seipso consultos, allegat. Et hanc opinionem vtrobique magnificat, probabilissimam pronunciat, & celebrem, ac valdè notandam, contra Fernandez *in Examine Theologiæ Moralis, par. 3. cap. 9. §. 9. n. 1.* Villalobos *in Summa, tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 2. num. 5.* Ledesmam *in Summa, tom. 1. tract. de Pœnitentia, cap. 13. concl. 2. dub. 1.* Henriquez *lib. 6. cap. 14. n. 7. in fine.* Bannez *2. 2. q. 64. art. vlt. ad finem:* & alios. Tenet & nostrâ conclusionem, Dianam sequens, Noctinot *in illius Compendio, verbo*

Bulla Cruciata, quoad reservata, n. 1. Antonius de Escobar, & Mendoza *in Theologia Morali, tract. 1. exam. 17. cap. 6. num. 49.* Didacus Anton. Francés de Vrrutigoyti *in Pastorali interno, tr. 4. quæst. 6. nu. 1.* Ludovicus Caspensis *in Cursu Theologico, tom. 2. tr. 17. disput. 7. sect. 2. n. 32.* Ioan. Baptista Lezana *in Summa qq. Regul. verbo Duellum, n. 13.* cum Hurtado de Mendoza *a. 2. disp. 170. sect. 2. 1. n. 201.* & Sanchez *tom. 1. in Decalog. lib. 2. c. 39. num. 27.*

Pro conclusionis intelligentia, operæ pretium duxi adnotare, *occultum*, in ea sumi, prout distinguitur à *publico, manifesto, & notorio:* quamvis aliàs delictum, aut excommunicatio sit per testes probabilis, vti benè Trullench *d. dub. 6. n. 1.* & Barbosa *in collect. ad Concilium Tridentinum, n. 29.* cum Viginti novem alijs Doctoribus. Ioannes Baptista Lezana *in Summa qq. Regularium, tom. 2. verbo Notorium, n. 9.* Et quamvis delictum, quatuor, aut quinque innotescat personis, non ideò notorium dici debet, sed occultum, quoad præsens: quia ad nototium, & publicum, requiritur, vt sciatur à maiori parte Collegij, Communitatis; vel viciniæ, & quod in illa reperiantur communitate, vicinia, aut Collegio ad minus decem personæ, vti communiter docent scribentes. Lezana *verbo Notorium, num. 5.* Trullench, *num. 1. citato.* & alij passim. Vnde adhoc vt in Ciuitate, aliove loco, aut Communitate magna, aliquid sit, & notorium valeat dici, neutiquam satis est, vt illud sex, aut septem videtint, quod dubio procul satis esset in loco vndecim, aut duodecim personarum. Asserunt Lezana, *num. 5.* ex Farinacio, *in Praxi, quæst. 21. num. 45.* & Laurentio de Peyrinis *in Formulario, litt. P. cap. 17. num. 2 pag. mihi 674.* quo loci plura docet scitu digna; Trullench, *loco reddito,* cum Henriquez *lib. 13. de excommunicatione, cap. 5 num. 2.* Sayro nostro *de Censuris lib. 2. cap. 12. num. 19.* & Sanchez *in Decalogum, lib. 2. cap. 11. num. 19.* Qui in plurimum id, ad prudentium remittunt arbitrium. Concludit tamen Trullench, communiter loquendo, ad notorium sufficere sex vidisse, aut quod in oppido, parochia, vicinia, &c. sit omnibus notū, vel publicè diffamatū.

Probatur conclusio. Potest Confessarius, ab Ordinario approbatus, toties, quoties absolvere in vim Bullæ Cruciatæ ab omni peccato; & censura, quæ Sedi non sit Apostolicæ reservata. Exprimitur in ipsa Bulla. Sed crimen Duelli occulti, & illius censura non sunt Sedi Apostolicæ reservata. Ergo absolvi possunt in vim Bullæ Cruciatæ quoties confitebuntur. Maior, cum consequentia patet. Minor autem probatur. Crimen Duelli occulti Iure Ordinario, & non ex aliqua Delegatione speciali exigente industriam personæ, ad Ordinarios pertinet, aliàs enim non possunt illud alteri delegare, quod falsum esse, nemo est, qui nesciat. Ergo non est Episcopo supremo, Romano Pontifici reservatum. Antecedens probo. Potest Ordinarius Iure Ordinario Conc. Trid. *sess. 24. de Reform. c. 6.* in quibuscumq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, & in crimine hæresis, per seipsum tantùm, & non per Vicarium, quæ vtique exceptio solùm hæresim comprehendit. Ergo Duelli absolutio, Iure Ordinario, ad Ordinarios pertinet.

41

42

Et confirmatur. Quia licet casus Episcopales nō desinant esse tales per concessionem peculiarem ab

ab Episcopo alicui factam, desinerent tamen tales esse, si in Synodo Dœcesana Parochis concederentur, & illis solis reservatis essent. Ergo similiter, etiamsi casus Duelli, & alij Papales, non desinant esse tales, eo quod illos semel, aut iterum Papa Episcopo concedat particulari, aut semper quidem; desinent tamen tales esse, per Generalem Constitutionem, eos in perpetuum euicumque Episcopo concedentem, quod fecisse in Tridentino vidimus.

44 Probatur denique, quia reservatio, vt odiosa limitanda est, quantum verba patiantur. Sed restrictio prædicta alligari potest soli absolutioni casuum, qui notorij sint. Ergo solùm respectu eorum negabitur per Bullam facultas absolvendi toties quoties.

§. III.

De facultate Regularium.

DIVISIO I.

BREVIARIVM.

Absoluere.

Regulares ab Ordinario approbati, & à suis Superioribus deputati, toties quoties possunt absolvere ab excommun. in causa Duelli incursis, si occultum illud sit, vel ad forum contentiosum non deductum num.45.

Possunt etiam absolvere ab omnibus casibus Episcopo à Iure, aut de consuetudine reservatis, n. 46.

Probabile est posse hodiè absolvere ab omnibus, quæ Episcopus sibi reservat, n. 47.

Ab omnibus, à quibus potest Episcopus in vim Trid. sess.24. cap.6. *absolvere, excepta hæresi, absolvere possunt*, n.48. & exceptis casibus Bullæ Cœnæ, & Inquis.

Possunt vtique absolvere ab excommunicatione in causa Duelli si actu ipsi rei non pugnaverunt, etiamsi delictum sit publicum, n. 49. & seqq.

Quoscumque fideles ad se vndecumque accedentes absolvere possunt, à quibuscumque peccatis, etiam Papæ reservatis, & à quibuscumque sententiis, & censuris ex illis resultantibus, exceptis in Bulla Cœnæ contentis, n.51.52.

Casus Papales.

Omnes casus Papæ reservati, si occulti sunt, Episcopales redduntur, n.46.

Dispensare.

Benedictina Congregationis Hispana Confessores, vulgò de Reja *dispensare possunt super omnibus casibus, illis exceptis, de quibus ipsis ad eorum Ordinarios recurrendum videbitur: & de quibus Sedes Apostolica esset meritò consulenda*, n.52.

Exceptio.

Firmat regulam in contrarium, in non exceptis, n.53.

Exceptio, & inclusio ponunt specialem casum, n.53.

Expressio.

Vnius expressio, & alterius taciturnitas indicant Legislatorem vnum voluisse, & aliud soluisse, n.57.

Facultas

Concessa censetur ad omne, quod non est expressè prohibitum, reservatum, n.53.

Inclusio.

Vnius inclusio, est exclusio alterius, n.53.

Amplia, etiamsi agatur de pœna excommunicationis, num.60.

Limita, dummodò. quod exclusum videtur, alia non includatur dispositione, n.60.

Lex.

Odiosa, & pœnalis extendenda non est ad casus non expressos in ea, etiamsi maior in illis adsit ratio, num.57.

Amplia, etiam quando in illis est expressa ratio, ne delicta impunita maneant, n. 61.

In Lege, quod non est expressum censetur neglectum, num.59.

Quando Lex duobus potest intelligi modis, benignior ei interpretatio est adhibenda, n.62.

Odia.

Restringi debent, & non ampliari, n. 54.

Pœna.

Non tam à ratione, quàm à Legislatoris dependet, & iudicis voluntate, n. 57.

Privilegia.

Eorum revocatio odiosa est, & restringenda, n.56.

Regula.

Semper in obscuris, quod minimum est sequimur. Declaratur, n.57.

CONCLVSIO. IV.

Confessarij Regulares ab Ordinario pro Sæcularium Confessionibus excipiendis approbati, benè possunt pugiles, & alios in Duelli crimine reos, ab excommunicatione ob illud facinus incursa absolvere; dummodò illud occultum sit, & ad forum non deductum contentiosum. Et quidem, non semel, sed quoties illud fuerit perpetratum. 45

Hanc tenent Conclusionem Marcus Vidal *in Arca Vitali, tract. de Duello, inquisit.6.n.6.* Ludovicus Caspensis *in Cursu Theologico, tom.2.tr.17. disput.7. sect.2. n.32.* cum Bonacina *to.3. disp.1. quæst.3. punct.*49. & Gaspare Hurtado *de Peccatis, disp.* 29. *diffic.* 30. Qui tamen duo id solùm extra Italiam concedunt, sicut & Lezana *in Summa, qq. Regularium, tom.2. par.3. verbo Duellum, num.*13. quoad omnes in Duelli crimine reos, in terminis Concilij Trid. & Constit. Greg. XIII. & in terminis Constit. VIII. vbique & Peyrinus *in Appendice ad tomum de Subdito, & de Privileg. tom.1. ad Constit.2. Iulij II. §.32. n.64.* dummodò non sit sequutus effectus pugnæ. Sic limitat ille, & modò non sit publicum.

Et probatur. Confessarij Regulares ab Ordinario approbati in vim privilegiorum Apostolicorum, absolvere possunt ab omnibus casibus Episcopis reservatis, vel de Iure communi, vel de consuetudine, Sed casus occultus Duelli, sicut & alij Papales, similiter occulti, desinunt esse Papales, & efficiuntur Episcopales per Tridentinum Concilium, *sess.24.cap.6. de Reformatione*, suprà pro ptima recensito conclusione: & sic de Iure communi Tridentini sunt Episcopo reservati, vti bene Vidal, *de Casibus reservatis, inquis.1. num.* 82. Sanchez, *in Decalogum lib. 4. cap. 54. num.2.* Diana, *part. 1. tract. 13. resolut. 82. part.3. tract.2. resolut.13. versic. Nota Quarto. & part. 12. tract. de Collocutione, & scriptione Vetitis, tempore Conclavis, resolut.* 28. *versic. Arguitur tertio*, cum Matullo, *tom.1. disput.1. cap.2. diffcult.11. n.* 540. Vrbano *in Theologia Morali, tract. 2. distinct. 1. cap.1. Regula* 8. Didaco Frances de Vrrutigoyti, *in Pastorali, tr.4.q.2.n.11.* Pasqualigo, *in quæstionibus Canonicis* 46

Canonicis, centuria 2. *qu.* 146. *n.* 6. Quintana Due-
ñas *in Theologia Morali, tom.* 2. *tr.* 4. *singul.* 2. *n.* 2.
Carraffa *de Duello, tract.* 5. *sect.* 2. *q.* 6. Mendo *in
Bullam Cruciatæ, disp.* 23. *cap.* 5. *n.* 60. Martino de
S. Ioseph *in Monit. Confessar. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 20.
de Pœnit. n. 16. Garcia *in Polit. Regulari, tom.* 2.
tr. 10. *diffic.* 5. *dub.* 3. *punct.* 4. *n.* 6. Loth *in Resolut.
Belgicis, tr.* 1. *q.* 1. *art.* 5. Pellizzatius *in Manuali
Regular. tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 3. *n.* 68. Bruno Chassaing
de Privil. Regular. tr. 5. *cap.* 3. *proposit.* 3. *pag.* 237.
Thomas Delbene *de Parlam. dubit.* 4. *subsect.* 31.
coroll. 4. *pag.* 85. *subsect.* 32. *coroll.* 1. *pag.* 112. Le-
zana *in Summa quæst. Regular. tom.* 1. *part.* 1. *c.* 19.
n. 17. *tom.* 2. *par.* 3. *verbo Duellum, n.* 13. *verbo Ca-
sus, n.* 4. Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 6.
tract. 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *versic. Mendicantes*, ibi. Ex-
cipit tamen Aversa, cum Diana *par.* 8 *tr.* 7. *resol.* 71.
eos casus, qui Episcopis à Iure tantùm reservan-
tur. Ægidius Trullench *in Bullam Cruciatam, lib.* 1.
§. 7. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 4. *&* 5. Ergo Confessarij Re-
gulares benè possunt absolvere toties, quoties ab
excommunicatione Papæ, & Concilij Tridentini,
ob crimen Duelli occultè perpetratum, & ad fo-
rum contentiosum, non deductum.

Consultò dixit Bussembaum, *à Iure tantum &c.*
47 quia aliter dicendum, si idemmet casus ab Epis-
copo sibi fuerint reservati, in vim Decreti S. D.
Vrbani. Papæ Octavi editi 18. *Novembris, Anni*
1628. *in hoc tractatu, disq.* 1. *dub.* 14. *sub num.* 197.
exscripti; licèt verum sit, quod eo non obstante
in sententia P. Quintana Dueñas, *tom.* 1. *tract.* 3.
sect. 14. quem recenset, & sequitur Bussembaum,
vbi proximè, possunt Regulares sui vti privilegiis,
& absolvere illorum vigore, sicut ante Decretum,
eo quod hoc in provinciis non sit promulgatum,
quod Diana (inquit) *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 51. non
audet probare, nisi ad Episcopū non pateat recur-
sus: tunc enim ab ipsis reservatis posse absolvere,
sicut possent à Papæ reservatis. Granadus, Diana,
part. 5. *tract.* 14. *resolut.* 58. Ita Bussembaum.
48 Et confirmatur argumentum nostrum. Con-
fessarij Regulares modò absolvere possunt, &
de facto absolvunt in vim suorum privilegiorum,
ab omnibus illis casibus Papalibus, à quibus
possunt absolvere Episcopi vigore facultatis illis
tradita per Tridentinum, *sess.* 24. *cap.* 6. *de Refor-
matione*, Hæresi excepta & casibus ad S. Inqui-
sitionis tribunal spectantibus, ac in Bulla Cœnæ
contentis pariter exceptis dummodò delictum
occultum sit. Vidal, *tract. de Casibus reservatis,
inquisit.* 1. *num.* 81. cum Sanchez, *in Decalogum,
tom.* 1. *lib.* 4 *cap.* 54. *num.* 27. Marullo, *tom.* 1. *dis-
put.* 1. *cap.* 2. *difficult.* 11. *num.* 540. Pasqualigo *in
qq. Moralibus Canonicis, centur.* 2. *quæst.* 146.
num. 6. Antoninus Diana, *part.* 3. *tract.* 2. *reso-
lut.* 13. *versic. Nota quarto.* & cum eo Noctinot,
*in Compendio, verbo A reservatis absolvere, sub
num.* 33. *versic. Ipse vero, circa medium*, ibi. Quartò
non incurrit &c. Tamburinus, *tom.* 2. *de Iure Ab-
bat. disp.* 13. *q.* 13. *num.* 117. Ergo bene possunt ab-
solvere dicti Confessarij à casu Duelli occulto.

CONCLVSIO. V.

49 POssunt hodie Regulares Confessarij ab Ordi-
nario approbari, in vim privilegiorum suo-
rum, vbique absolvere pœnitentes ab excommu-
nicatione, in causa Duelli contracta, si actu ipsi
non decertarunt pœnitentes, etiamsi eorum cri-
men publicum sit.

Hanc tenent Marcus Vidal *de Duello, inquisit.* 6.
n. 8. Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 1.
tr. 6. *cap.* 1. *n.* 35. cum Filliucio *tr.* 24. *n.* 106. Ia-
cobo de Graffis *de Casibus reservatis, cap.* 7. *n.* 26.
Naldo *verbo Duellum, n.* 6. Bonacina *de Censuris in
communi, disput.* 2. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 15. & communi
Doctorum Ioan. Bapt. Scortia *in Select. Summor.
Pontificum Constitutiones, Theor.* 592. *versic. Du-
bitabis. Propè finem*; ibi: Tum, quia vt dictum
est, &c. Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 2. *disput.* 13.
quæsito 13. *n.* 113. Laur. de Peyrinis *tom.* 1. *de Pri-
vilegiis, ad Constitutionem primam Iulij II.* §. 32.
n. 64. *&* to. 1. *de Subdito, q.* 4. *cap.* 10. §. *vnico, circa
finem, versic. Manet ergo*: vbi ita fatur.

Poterunt itaque absolvere Religiosi ab excom- 50
municatione incursa propter provocationem ad
Duellum, si effectus secutus non fuerit. Quia
Duellum in secunda illa declaratione Congrega-
tionis sub Clemente (scilicet octavo) est tantum-
modò reservatum in terminis Concilij Tridentini
& Gregorij XIII. in quibus Decretis excommu-
nicantur solummodo Duellantes, secuto effectu,
vt dicunt omnes, præsertim Sanchez *lib.* 2. *in De-
calogum, cap.* 39. *num.* 28. Et hoc specialiter docet
Graffius *lib.* 1. *de Casibus reservatis, cap.* 7. *num.* 19.
Naldus *in Summa, verbo Duellum, num.* 6. *in fine.*
Bonacina *de Censuris, disput.* 2. *q* 6. *par.* 2. *n.* 15. *in
fine.* Hactenùs Peyrinus, qui tamen *dicto n.* 64.
limitationem apponit *dummodò Duellum non sit
publicum.* Sed ni fallor, immeritò, quia nec Con-
cilium, in Decreto de Duello, nec Gregor. XIII.
nec denique Clemens VIII. distinguunt de Duel-
lo publico, aut de non publico, sed de solemni;
& non solemni, vti ex textibus ipsis *in Disquisit.*
redditis, demonstrantur. Vnde nec P. Peyrinus di-
stinguere debebat.

Pro conclusionis probatione suppono, Regu- 51
lares Confessarios, habere facultatem absolvendi
quoscumque Christi Fideles ad eos vndecumque
accedentes, eorum Confessionibus auditis, à qui-
buscumque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reser-
vatis, & à quibuscumque sententiis, censuris, &
pœnis ex illis resultantibus; exceptis iis, quæ in
Bulla Cœnæ Domini continentur. Ita concessit
Paulus Papa III. Societatis Iesu, provt referunt
Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.* 1. *tr.* 6.
cap. 1. *num.* 13. & *tr.* 8. *cap.* 3. *n.* 65. Lezana *tom.* 2.
par. 3. *verbo Confessarius Regularis, n.* 4. *&* *n.* 12. *ac
tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. ex Compendio dictæ
Societatis *verbo Absolutio*, §. 1. & ex Casarubio
in fin. Compendij, fol. 545. Hoc privilegium habe-
tur apud Bullarium Emm. Roder. *tom.* 2. *el* 7. illud
explicat Suar. *tom.* 4. *de Religione, tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 2.
illóque gaudere omnes Regulares, communicatio-
nem habentes in privilegijs cum Patribus Socie-
tatis, docet Lezan. *loc. alleg.* imò Pelliz. ait gaudere
illo, aliorum Ordinum Religiosos per communi-
cationem.

Nos etiam Benedictini, habemus privilegium 52
Eugen. IV. *el* 15. *Bullarij nostræ Congregat.* incipit
Regularem vitam, in quo concedit Prælatis, & Mo-
nachis à suis Superioribus deputatis ad audiendas
confessiones Fidelium, vt eas possint audire absque
aliqua licentia Superiorum dictorum pœnitentiū,
ac eis beneficium absolutionis impendere ab om-
nibus peccatis, & dispensare super omnes casus, præ-
ter ea peccata, & eos casus, de quibus ipsis Con-
fessoribus ad eorum Ordinarios videbitur recur-
rendum, aut de quibus esset Sedes Apostolica me-
ritò consulenda. Ita habetur §. 18. *d. constitutionis*:

Quo ſuppoſito probatur concluſio. Confeſſarij Regulares ſtante Decreto Clementis VIII. de Anno 160. *diſquiſit.* 1. *dub.* 14. *num.* 197. reddito, quoad caſum Duelli attinet, abſolvere non prohibentur niſi à caſu provocantium, & pugnantium in Duello iuxta Decretum ſacri Concilij Tridentini (Decreti præfati periodum exhibeo,) & Conſtitutionem Gregorij Papæ XIII. incipit *Ad tollendum.* Ergo cæteros omnes, in Duelli cauſa, reos abſolvere benè poſſunt, ſiue illi principales ſint in dicta cauſa, ſiue cooperatores, & concurrentes ad Duellum. Antecedens ex ipſo Decreto manifeſtè conſtat. Conſequentia etiam patet. Cum, quia exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptis. Lezana *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 16. Vidal *de Duello, inquiſit.* 6. *num.* 9. *ex l. Nam quod liquidè* §. *fin. primo reſponſo, ff. de Penu legata.* Thomas Delbene *de immunitate* & alij communiter. Tum, quia incluſio vnius, eſt excluſio alterius. Vidal *ibidem, ex l. Maritus, Cod. de Procuratoribus, ex cap. Nonne benedicimus, el* 5. *de Præſumptionibus, & ex can. Qualis, diſtinct.* 25. Raggius *in Regimine Regularium, centur.* 2. *tract.* 8. *dub.* 161. *num.* 2. *ex l. cum Prætor init. ff. de Iudiciis, l. Ait Prætor,* §. *ſed ff. de Minoribus, l. cum Maritus. Cod. de Procuratoribus, cit. & ex dicto capite, Nonne benedicimus.* Allegat etiam Thom. de Thomas, *reg.* 148. Menochium *de Arbitrariis caſu* 37. *num.* 22. *& conſilio* 106. *num.* 314. Cardinalem Tuſcho, *tom.* 4. *lit. I, concluſ.* 71. & Surdum *deciſ.* 291. *num.* 2. Auguſtinus Barboſa, *in dictum caput Nonne benedicimus, num.* 4. cum Pichardo, & aliis. Tum, quia quod de vno loquitur, de alijs negatum eſſe cenſetur. Vidal, *vbi proximè*, ex Baldo *conſiliò* 131. Alexandro, *conſil.* 107. & aliis. Tum, quia incluſio, & exceptio ponit ſpecialem caſum: ideoque quantum loquitur, tantum operatur, & non vltrà: Idem Vidal, cum Tuſcho, *lit. E, concluſ.* 422. *num.* 7. & aliis penes ipſum Cardinalem. Tum tandem, quia, quæ ſpecialiter non reſervantur, Iure conceſſa cenſentur. Lezana, *tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 14. *ex cap. Nuper, de ſent. excom. & cap. & ſi Clerici de Iudiciis.* Miranda, *in Manuali Prælatorum, tom.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 2. Ego ipſe, *in Diſquiſit. Paſtorali, de Iure Prioris annexi, num.* 18. Tunc ſic. Sed in præfato Clementis Octaui Decreto; collectiuè ponuntur, Provocatores, & Duellatores actu: id enim demonſtrat ly *& Duellantium.* Ergo, qui actu non pugnat quantumvis reus ſit Duelli, non excluditur ex vi talis Decreti ab eo, quod abſolvi queat à Regularibus, etiamſi eius crimen publicum ſit, virtute privilegiorum ſuorum.

54 Confirmatur. Odia ſemper reſtringenda ſunt, & non amplianda, *cap. odia de Regulis Iuris, lib.* 6. Marcus Vidal, *de Duello, inquiſit.* 6. *num.* 10. *ex l. cum quidam. ff. de liberis, & poſthumis.* Ergo cum in præſenti ſimus in odioſis, & in pœnalibus, vt odia reſtringantur in privilegiorum favorem, & pœnæ emolliantur in pœnitentis favorem, vti in Iuribus habetur allegatis, bene Regulares, virtute ſuorum privilegiorum, valent in cauſa abſolvere Duelli reos omnes, præter provocantes, & ſimul pugnantes actu. Aliàs enim non reſtringeretur odium in Decreto Clementis præfato contentum, quatenus limitat Regularibus privilegia, nec pœna ex tali limitatione pœnitentibus ſequuta, emolliretur; immò exaſperaretur potius.

55 *Secundò* probatur concluſio. Decretum prædictum Clementis, exorbitans videtur contra Regularium privilegia. Ergo eſt ſtrictè intelligendum iuxta rigoroſam proprietatem verborum illius. Sed verba Decreti, cum rigore intellecta, ſolùm loquuntur de provocantibus, & pugnantibus in Duello. Ergo Decreti prohibitio, ſolùm de his poteſt, & debet intelligi: & ſolùm iſtorum reſpectu, venit intelligenda privilegiorum limitatio.

56 Confirmatur. Privilegiorum revocatio eſt odioſa. Ergo ad caſum non expreſſum non eſt extendenda. Antecedens probo. Cum, quia omnis privatio eſt odioſa. Tum, quia privilegium, quod per prædictum revocatur Decretum, eſt favorabile, tendit enim in animarum ſalutem, & in conſervationem Iuriſdictionis Regularium.

57 Probatur *tertiò* concluſio. In legibus maximè pœnalibus, facienda non eſt extenſio ad caſum non expreſſum. Ioannes Caramuël, *in Theolog. fundam. ſub num.* 1092. Thomas Delbene *de Immunitate Eccleſ. part.* 2. *cap.* 14. *dubit.* 14. *num.* 2. *pag.* 197. *& cap.* 19. *dubit.* 11. *num.* 7. *pag.* 437. Navarrus, *lib.* 3. *Conſilior. tit. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum, conſil.* 1. *num.* 2. *lib.* 1. *tit. de tempore ordinatio, conſ.* 17. *num.* 3. *& lib.* 5. *tit. de Privilegiis, conſil.* 25. *num.* 4. *& tit. de ſent. excommunic. conſil.* 48. *num.* 6. *ex Canone Pœna, de Pœnitent. diſtint.* 1. *ex l. interpretatione ff. de Pœnis.* Marcus Vidal, *inquiſit.* 6. *de Duello, num.* 13. cum Lanfranco *eodem tractatu Opuſculo* 5. *cap.* 3. *num.* 9. Quæ quidem doctrina vera eſt, etiamſi eadem ratio, aut maior in caſu non expreſſo reperiatur, *vti dixi ſuprà diſquiſit.* 9. *num.* 8. Et probatur. Cum, quia pœna non tam à ratione dependet, quàm à voluntate Legislatoris, & Iudicis, qui pro tali, aut tali delicto poteſt pro ſuo libito, talem, vel talem infligere. Tum, quia expreſſio vnius, & alterius taciturnitas, indicat Legislatorem vnum voluiſſe, & ſolviſſe aliud. Tum, quia, qui aliquid caſſat, cætera admittere videtur. Cum manus, *in l. Tribunus, ff. de teſtamento milit.* Tum etiam, quia vti Vlpianus inquit *lib.* 15. *ad Sabinum, ex l. ſi ita ſcriptis,* 14. *ff. de Legatis,* ſemper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur. Quam Iuris regulam exponens noſter Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, num.* 1136. in hæc, ſatis pro nobis opportunè, prorumpit verba. Sed in cuius favorem? ſæpe enim, quod reſpectu vnius fuerit minimum, reſpectu alterius fuerit maximum. Exiſtimo id intelligendum in poſſeſſionis favorem: nimirum, ſi res odioſa ſit. Si favorabilis, reſpectu Principis, minimum eſt ſequendum, vt reſpectu ſubditi poſſint privilegia ampliari. Hactenus celeberrimus ille Doctor.

58 Infertur igitur in noſtro caſu, quod revocatio privilegiorum Regularium, cum facta fuerit quoad facultatem abſolvendi provocantes, & pugnantes in Duello, non debeat, nec poſſit extendi ad alios quoſcumque, qui verè provocantes, & pugnantes in Duello non fuerint.

59 Confirmatur *primò* tertia concluſionis probatio. In Lege, quod non eſt expreſſum, cenſetur neglectum: ſi enim illud voluiſſet Legislator, illud expreſiſſet. Thomas Delbene *de Immunitate, part.* 2. *cap.* 17. *dubit.* 22. *num.* 44. *pag.* 438. Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Duello, inquiſit* 6. *num.* 13. cum Rolando à Valle, *conſil.* 56. *num.* 5. Raggius, *de regimine Regularium, cent.* 2. *tract.* 8. *dub.* 161. *num.* 2. *ex l. vnica,* §. *ſin autem ad deficientis, Cod. de Caducis tollendis. l. ſi ſer-*

vus,

vin, §. *Pretor ait*, *versic. Non dixerit*, *ff. de Acquirenda hareditate*. Tiraquello, *in l. si vnquam*, *tit. de Liberis*, *num.* 3. Surdo, *consil.* 88. *num.* 4. *& decis.* 322. *num.* 22. *& consil.* 245. *num.* 45. *volum.* 2. Gutierrez, *practicarum*, *lib:* 3. *quast.* 22. *numero* 7. & Alexandro, *consil.* 94. *lib.* 2. Ego ipse suprà.

60 Confirmatur *secundò*. Inclusio vnius, est alterius exclusio. Barbosa *in cap. Nonne*, *num.* 4. *el* 6. *de Prasumptionibus*, cum Thoma de Thoma *reg.* 148. Richardo, *ad princip. instit. de Exharedatione liberorum*, *num.* 10. Menochio, *de arbitrar. casu* 37. *num.* 22. *consil.* 106. *num.* 314. *cum sequentibus consil.* 141. *à n.* 9. *consil.* 406. *n.* 44. *consil.* 452. *n.* 27. *consil.* 583. *n.* 11. *& cons.* 1148. *à n.* 13. Pereyra, *quastionibus forensibus*, *consil.* 4. *n.* 20. *& cons.* 50. *num.* 2. Cæsar Argel. *de contradictore legitimo*, *q.* 5. *n.* 32. *& quast.* 10. *n.* 47. Mari Anton. *Variarum resolutionum*, *l.* 1. *resol.* 1. *n.* 10. Cardinale Tuscho, *tom.* 4. *litt. I. conclus.* 71. Surdo, *decis.* 291. *n.* 20. *dec.* 295. *n.* 12. *consil.* 25. *n.* 3. *cons.* 56. *n.* 2. *& cons.* 151. *n.* 15. & Flaminio Parisio, *de confidentia*, *q.* 29. *num.* 52. Marcus Vidal, *vbi proximè*, *n.* 14. ex Tuscho *recensito*, *num.* 77. & aliis penes ipsum. Axioma istud, vnam patitur limitationem, & ampliationem alteram. Limitatio est, vt non procedat, enim illud, quod exclusum videtur, alia dispositione includitur. Ita Menochius penes Barbosam. Extensio autem est, Axioma procedere, etiam si agatur de excommunicationis pœna. Sic Vidal, cum Tuscho, & aliis ab eo recensitis. Vnde si sub excommunicationis pœna prohibeatur, ne quis aliquid publicè faciat, pœnam non incurret, si id fecerit occultè. Cum igitur Clementis VIII. Decretum, solum, quoad casum Duelli, includat provocantes, & pugnantes in Duello, omnes alios huius criminis reos excludet. Ac per consequens, solùm illos absolvi prohibet à Regularibus, virtute suorum Privilegiorum, non autem alios.

61 Confirmatur *tertiò*. Legum pœnalium dispositiones, etiam quando in illis est expressa ratio, ne delicta maneant impunita, vltra casum expressum extendendæ non sunt, quando delictum non remanet in totum impunitum, sed punitur saltem minori pœna, quàm sit ea; quæ in lege continetur pœnali. Docet Vidal, *n.* 15. cum Bart. Curcio; & aliis, quos recenset, & sequitur Farinacius, *tom.* 1. *consil.* 27. *num.* 63. & Covarruias, *lib.* 1. *Variarum resolutionum*, *cap.* 15. *num.* 5. Sed hoc contingit in nostræ conclusionis casu. Ergo vera illa est.

62 *Quartò* probatur. Quando Lex duobus modis intelligi potest, benignior interpretatio adhibenda est ei. Navarrus *libro* 3. *Conciliorum*, *titulo de Cohabitatione Clericorum*, *& Mulierum*, *ex Lege Benigniuss ff. de legibus.*

* * *

DIVISIO II.

Obijciuntur nonnulla contra conclusionem V. Diluuntur pariter, & eneruantur.

BREVIARIVM.

Legis humanæ transgressio, culpa caret, & pœna, si quis bona fide illam trangrediatur putans habere illam transgrediendi causam, n.94.

Libertas.

Cuilibet licet sua vti libertate, quando non constat illa esse, privatum, n.91.

Opinio.

Est assensus vnius partis contradictionis cum formidine alterius, n.93.95.

Opinionem probabilem tute sequi possumus, etiamsi oppositum tutius sit, n.93.111.112.113.

Nouæ opiniones in dies insurgunt, ob solidiora fundamenta à nullo antiquorum cognita, & communissimas antiquas evertentes, num.87.

Multa ex communibus opinionibus antiquis, sunt hodie evidenter falsa, num.87.

Quilibet ab opinione probabili ductus, benè operatur, & prudenter, n.91. *Et non tenere*, n.102.

Possessio.

Melior est conditio possidentis suam libertatem in opinione probabili, n. 91.

Privilegia.

Nostræ Hispanæ Congregationis, Casinensis, seu Societatis Iesu, & Ordinis Militensis, revocata non sunt per Clemens. VIII. per Const. Illius vices, num.64.

Privilegia Casinensia, per nullam constitut. Apost. derogari possunt, nisi de eorum, & de Bulla Pauli III. sub 5. Novembr. 1537. tenoribus de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & specifica, specialis, & expressa mentio facta fuerit, ac nisi derogationes per tres distinctas litteras, eundem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, Præsidenti, Diffinitoribus, & visitatoribus intimata sint; ac de ipsorum assensu. 65. *vide* num. 69. & 70.

Idem concessit Societati IESV Greg. XIII. n.66.

Et Melitensibus, Clem. VII. n.67.

Moderatio Privilegiorum Regularium in Conc. Lateranensi sub Leone X. facta, Casinensia non comprehendit, n.70.

Congregationis S. Mauri Benedictinæ in Gallia, ex concessione Vrbani VIII. de anno 1627. per nullam revocationem, cuiuslibet tenoris factam, aut fiendam revocata censentur: & quoties revocationes emanabunt, toties illa de nouo conceduntur, n. 71.

Privilegia cuilibet Ordini in perpetuum in communi concessa, æquantur Legi, ac si in Corpore Iuris essent inserta, & tanquam favorabilia amplè sunt interpretanda, n. 73.

In dubio, an privilegium sit revocatum, necne, censendum est non revocatum, n.74.

Et in dubio isto, potest privilegio vti, n.75.

Regularium Privilegia, ad instar Iuris communis interpretanda sunt, ita vt eis, quàm minimè derogetur, n.8.

Regula.

Tene certum, & dimitte incertum, Consilium continet, non præceptum. Immò nec Consilium continere in opinionibus probabilibus tenet Saucius, num.92.

63 SEd obijcies primò contra conclusionem. Clemens VIII. in Constitutione *Illius vices, la* 11. excommunicationem sibi, & Sedi Apostolicæ reservatam tulit, non solùm contra provocantes, & pugnantes in Duello publico, & privato, sed etiam contra quoscumque huius criminis reos, cum revocatione, & derogatione quarumvis facultatum, & indultorum, quibusvis personis cuiusvis Ordinis, &c. per eandem Sedem in genere, vel in specie concessorum, vti ex contextu constat. Ergo post præfatam Clementinam, nequeunt Regulares in vim Privilegiorum, illis concedentium facultatem circa casus Summo Pontifici reservatos, in Duelli causa vllos absolvere.

Huic obiectioni respondeo, Clementem VIII. in allegata Constitutione minimè revocare privilegia nostræ Benedictinæ Congregationi Casinensi, Societati Iesu, & Militibus Sancti Ioannis concessa, & per communicationem nostræ Hispanæ, Congregationibusque aliis, & Ordinibus Monachalibus, & Mendicantibus, vti docent Marcus Vidal *de Duello inquisit. 6. num.* 17. cum Hurtado de Mendoza, 2. 2. *disput.* 170. *sect.* 21. §. 201. Flavio Cherubino, *in Compendio Bullarum, tom.2. constit.1. Gregorij XIII. Schol.2.* Marcus Anton. de Amatis, *dec.*17. Bruno Chassaing, *de Privilegiis Regularium, tract. 1. cap.5. proposit. 5. pop. mihi* 49. cum Archan. Roman. *de Privilegiis Religionum, lib.1. cap.13. approbato, & impresso Romæ, anno* 1649. Mandosio, *in Regulam Cancellariæ 13. quæst.8. n. 6.* & alibi Bursatto, *tom.2. conclus.*136. *num.*77. Marcellino à Sancto Benedicto, *lib. 5. institut. Moralium, cap. 16. quæst.7.* Bauny, *in Theologia Morali, tom.1. tract.5. q.19.* quem allegat Diana, *p. 12. tract. de Collocutione, & scriptione vetitis tempore Conclauis, versic. Intimatio autem, pag.*182. Ipse Diana *part.3. tract.2. resolut.*68. Vbi refert ex dicto Marco Antonio de Amatis, ita fuisse decisum à Rota Provinciæ Marchiæ. Et addit Marcellinus præfatus, doctrinam procedere, etiamsi Regularium Privilegia, clausulam non habeant derogantem.

Ratio autem responsionis est, quia Paulus Papa III. *sub die 5. Novembris, de Anno* 1537. Constitutionem edidit in favorem Congregationis Casinensis, in eius Bullario, *la* 156. *fol.* 157. quàm Diana recenset, *p. 12. loco modo reddito*, in 65
cuius §.8. sic statuit. Hæc non decernentes eis- »
dem Privilegiis, indultis, ac præsentibus litteris, »
& in eis contentis clausulis quibuscumque; etiam »
per quascumque litteras Apostolicas, etiam quas- »
vis generales, vel speciales, etiam derogatoria- »
rum derogatorias, efficaces, & insolitas clausulas, »
ac irritantia Decreta, sub quacumque verborum »
concessione in se continentia, nullatenus derogari »
posse, nec derogatum censeri, nisi de illarum, ac »
præsentium litterarum tenoribus, de verbo ad »
verbum, nihil penitus omisso, ac specifica data »
specialis, & expressa mentio, facta fuerit ac hu- »
jusmodi derogationes per tres distinctas litteras, »
eundem tenorem continentes, tribus similiter di- »
stinctis vicibus, pro tempore existentibus Præsi- »
denti, Diffinitoribus, & Visitatoribus prædictis »
legitimè intimatæ, & insinuatæ fuerint, ac ipso- »
rum Præsidentis, Definitorum, & Visitatorum »
ad id expressus accedat assensus, & aliter factæ »
derogationes, nemini suffragari. Hactenus Pauli- »
na constitutio. »

Aliam huic similem concedit Gregorius XIII. Constitutionem in favorem Religiosissimæ Societatis Iesu, 8. *Kalendas Iunij de Anno* 1572. *la* 1. *apud Bullarium nouissimum nostri Angeli Cherubini, tom.2. pag. mihi* 362. incipit, *Æquum reputamus.* In cuius §. 4. Patribus Societatis præfatæ, idem, quod nostris Casinensibus Paulus III. omninò concessit, cum trina illa intimatione eidem 66

dem Societate facienda in sententia P. Franc. Amici, *tom. 5. de Iust. & Iure, disp. 9. sect.* 10. *n.*148. & Dianæ, *part.* 3. *tract.* 3. *resol.* 68. cum tamen in ea solùm dispositum fuerit circa revocationem litterarum ad Iudices Conservatores spectantium, iuxta adnotata per Lezanam, *tomo 4. consultorum, consul.*48. *n.*100.& *seqq. Referunt* alteram pro eadem Societate, ab ipsomet Gregorio editam, in eadem ratione, incipientem: *Decet Romanum Pontificem*, Vidal,& Hurtado *locis allegatis*, Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom.*1. *tract.*6. *cap.*2. *n.*35. & *tom.*2.*part.*1.*tract.*8.*cap.*3.*n.*48.ex Bullario Societatis, *n.* 137. Diana, *part.*5. *tract.* 14. *resolut.* 103.& *part.* 12. *loco citato,versic. Restat modò.* & penes eum Martinus de S. Ioseph, post Regulam Sancti Francisci, in *Compendio Confessorum, verbo Absolutio, n.*566. & Bertrand. Loth, *in Resolutionibus Theologicis tract.* 6. *art.*7.

67 A Brunone Chassaing refertur aliud Clementis VII. diploma in favorem Militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, editum 2. *Ianuarij de Anno* 1523. idem omninò illis concedentis, ac nostris, ac Iesuitis Paulus III. & Gregorius XIII. in dicta Constitutione *aequum*, concesserant, & nonnihil amplius, cum dicat, non revocari eorum privile-„ gia, nisi de verbo ad verbum, nullo omisso, & „ consistorialiter fiat mentio expressa litterarum „ privilegia continentium, & per trinas litteras „ Apostolicas revocatorias eorundem tenorem con-„ tinentes, tribusque vicibus distinctis, Magistro, „ & conventui legitimè intimatas, ac insinuatas, „ dummodò etiam accedat ipsorum Magistri, & „ Conventus assensus; alioquin litteræ aliter ema-„ natæ nemini suffragantur. Ita reddit Constitutionem Bruno, & addit: Quo privilegio gaudent alij Regulares Ordines, qui habent amplam communicationem,vt ferè omnes habent.

68 Recenset idem Author alias Pontificias Constitutiones pro hoc, quod non sufficiat clausula generalis revocatoria, etiam geminata, privilegiorum Regularium, contentas in Mari Magno Minorum, in Bulla Eugenij Quarti pro Dominicanis: & pro nobis Benedictinis, in Constitutionibus eiusdem Eugenij, & Leonis Decimi, quæ in Bullario nostræ Hispanæ Congregationis habentur editæ, Eugeniana incipit: *Et si ex debito*, data *sub die* 7. *Kalendas Martij de Anno* 1434. in qua 6.22. prout infrà num. seqq. refertur, decernit fol. mihi 17. Leonina verò incipit: *Dum Sacra Religionis*, edita, Quartò *Nonas Aprilis, Anno* 1519. *fol.*61.

69 Eugenius itaque præfatus, sic decernit. Præte-„ reà cum plerumque contingat præ nimia impor-„ tunitate petentium, à negotiorum suppressione „ veritatis Summos Pontifices fatigatos, aut cir-„ cumventos, ea concedere, quibus aliàs nullate-„ nus annuerent, auctoritate præsentium statuimus, „ decernimus, & ordinamus, quòd quæcumque „ Litteræ Apostolicæ, etiam proprio motu confe-„ ctæ, aut in futurum conficiendæ, quæ obvient, „ vel contra faciant huic præsenti privilegio, aut „ cuilibet eius particulæ; *nisi appareat evidentissimè*, „ *& apertissimè*, quod Summus Pontifex, qui pro „ tempore fuerit, huic indulto, vel alicui eius parti „ velit derogari per litteras Apostolicas facientes „ specialem mentionem de verbo ad verbum, ex „ certa scientia de huiusmodi privilegio, ac ipsa „ Congregatio diversis nominibus eandem nomi-„ nando per hæc prætensa vocabula, videlicet „ Congregationem vnitatis, aliàs de observantia Sanctæ Iustinæ, nuncupatam; causasque legiti-„ mas allegaverit cur iis obviare intendat Decre-„ tis, nullius sit roboris, vel momenti. Non ob-„ stantibus in Constantiensi, & aliis Conciliis à fe-„ licis recordationis Innocentio IV. Martino V. & „ aliis Summis Pontificibus prædecessoribus nostris „ editis Constitutionibus, & ordinationibus,etiam-„ si de illis specialis, & expressa, ac de verbo ad „ verbum præsentibus mentio habenda esset, qui-„ bus, quoad præmissa specialiter derogamus, nec „ non Monasteriorum, & Ordinum prædictorum „ Iuramento, confirmatione Apostolica, vel qua-„ cumque firmitate alia roboratis, statutis, consue-„ tudinibus, cæterisque in contrarium facientibus „ quibuscumque. Hactenus Eugenius in privilegio „ 7. *Bullarij* recensiti. „

Quam quidem Constitutionem Leo prædictus, 70 in Constitutione 22. *eiusdem Bullarij, supra allegata*, confirmauit, & de nouo omnia in ea contenta concessit: sub cuius initium ait, Eugenium Sanxisse, statuisse, & decrevisse derogatorias litteras Apostolicas quascumque pro tempore con-„ fectas, *quæ privilegiis, immunitatibus, exemptio-*„ *nibus, concessionibus, gratiis, & indultis dictæ Con-*„ *gregationi tunc concessis, & in futurum concedendis* „ *in toto, vel in parte obviarent, nisi apertissimè; &* „ *evidentissimè appareret, quod Summus Pontifex,* „ *qui pro tempore esset*; eis ex certa scientia derogarem, intenderet, nullius esse roboris, vel momenti. Et paulò ante finem declarat ipse Leo, moderationem concessionum, & gratiarum factarum Mendicantibus, & quibuscumque quorumcumque Ordinum professoribus, à seipso factam Sacro Concilio Lateranensi approbante, non com-„ prehendere privilegia,Immunitates,exemptiones, „ libertates, gratias, favores, & indulta spiritualia, „ & temporalia dictæ Congregationi, & illius per-„ sonis, Monasteriis, & eorum Membris præsenti-„ bus, & futuris concessa, sed ab illa fuisse, & esse „ prorsus excepta; & sic per quoscumque Iudices, „ & Commissarios, etiam causarum Palatij Apo-„ stolici Auditores, sublata eis, aliter faciendi,om-„ nimoda potestate, iudicari, & diffiniri debere, „ necnon irritum, & inane si secus super his à quo-„ quam, quavis auctoritate,scienter, vel ignorantèr „ contigerit attentari, statuit.

Rursus Bruno prædictus ait. Adde præmissis: 71 quod tantum abest, quod dicta revocatio generalis privilegia Regularium revocet; quinimo illa confirmat, vt manifestè constat ex Bulla Vrbani VIII. in favorem Congregationis Sancti Mauri, edita 1627. cuius initium, *insuper eminenti*: in qua hæc verba habentur. Neque sub quibuscum-„ que similium, vel dissimilium gratiarum revo-„ cationibus, suspensionibus, limitationibus, dero-„ gationibus, & aliis quibuscumque dispositioni-„ bus, etiam per nos, & successores nostros Roma-„ nos Pontifices pro tempore existentes, sub quibus-„ cumque verborum tenoribus, & formis ac qui-„ buscumque clausulis, & Decretis, etiam deroga-„ toriarum derogatoriis, pro tempore quomodoli-„ bet factis comprehendi, & confundi, sed ab illis „ perpetuò excipi: & quoties illæ emanabunt, to-„ ties in pristinum, & validissimum statum restitu-„ tas, repositas, & plenariè reintegras, ac de novo „ etiam sub quacumque posteriori data quando-„ cumque eligenda, concessas esse, & fore, &c. „ Quid clarius? Hucvsque Bruno. Hæc Vrbana Constitutio, quàm Chassaing recenset, in favorem Benedictinæ Congregationis Sancti Mauri,

ab

ab isto Sancto fundatæ in Gallia, edita est. Et est valdè denotanda.

72 His omnibus suppositis Apostolicis Constitutionibus manifestum est non derogari, saltem per Constitutiones editas ante annum 1631. in quo edita est Constitutio, *Cum sicut accepimus, de qua infrà*, n.180. Regularium privilegiis, per vllam revocationem, derogationem, aut limitationem Pontificiam, nisi in omnibus servatis qualitatibus in præfatis Constitutionibus prædiffinitis, pro illorum valida revocatione, aut derogatione vel saltem in ea ita apertè, & evidenter appareat de mente Pontificis revocantis, sicut apparere videtur *in præfata de anno* 1631. Et quamvis dicta sufficerent pro solutione obiectionis, contra nostram conclusionem factæ, libuit nonnulla scitu digna, dictis addere.

73 *Primò*, addo, quod privilegia cuilibet Ordini, aut Religioni in communi, & in perpetuum concessa, æquantur Legi, ac si in Corpore Iuris essent inserta, & tanquam favorabilia amplè sunt interpretanda. Ita Bruno Chassaing *tract.* 2. *de Privilegiis, cap.*5. *proposit.*5. cum Oldrado, *Consilio* 30. *in Compendio privilegiorum Minorum, tit. Privilegia, in fine.* D. Thomas, *Opusculo contra impugnantes Religionem, cap.*64. *colum. penult.* Iasonin. *L. fin. n.*19. *&* 20. *ff. de Constitutionibus*, & cum Marcellino à Sancto Benedicto, *verbo Privilegia in notabilibus.* Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disput.*16. *quæsito* 5. *num.*14. cum Henriquez *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. *& cap.*24. *n.*4. Salas *disput.*20. *sect.*10. *num.*15. Sanchez *de Matrimonio, lib.* 8. *disput.*1. *num.*16. & Ioannes Caramuël, *in Theologia fundamentali, fundam.* 58. *n.*945. Vbi ita fatur. Privilegia, quæ toti Ordini, vel Communitati in perpetuum conceduntur, licèt aliis sint odiosa, extendenda tamen sunt, quia habent vim Legis, ac si essent in Iure expressa, cum sint Constitutiones perpetuæ, quæ non conceduntur vni, vel alteri personæ, sed Communitati, quæ est perpetua. Martinus Bonacina, *tom.*1. *disp.*1. *q.*6. *punct.*7. *n.*4. Hæc Caramuël.

74 Addo *Secundò*, quod existente dubio, an privilegium sit revocatum, necnè, non esse revocatum censendum est. Docent Marcus Vidal, *in Arca Vitali tit. de Duello inquisit.*6. *num.*18. Bruno Chassaing, *vbi proximè* cum Parisio, *lib.* 2. *Concil.* 61. *num. vlt.* Alciato *respons.* 19. *num.*4. Antonio Sanctarello, *in variis resolutionibus, tom.* 1. *quæst.*16. *num.*11. & alijs Antoninus Diana *p.*4. *tract.* 3. *resolut.*51. *versic. Notandum est*, cum eisdem Parisio, Alciato, & Sanctatello, *locis allegatis.* Ausonius Noctinot *in illius Summa, verbo Privilegium, num.*4. & Ioannes Caramuël *in dicta Theologia fundamentali, fundam.*58. *n.* 947. *pag. mihi* 265. vbi in sequentia prorumpit.

75 Inquiris etiam, vtrum, qui dubitat an sit privilegium revocatum, possit illo vti? Respondeo, privilegium esse in possessione, nec ab illa deijci posse propter revocationem dubiam. Hæc Caramuël. Brevis quidem resolutio, sed fundamentali innixa rationi. Aliam reddit Vidal ex Auctoribus ab eo allegatis: videlicet. Quia in odiosis, stricta & interpretatio facienda, & semper in privilegiari favorem.

76 Obijcies Secundò contra conclusionem. Decretum Clementis VIII. quamvis solùm exprimat provocantes, & pugnantes in Duello, quia tamen se refert ad Concilium Tridentinum, & ad Constitutionem Gregorij XIII. (ait enim, *provocantium, & pugnantium in Duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionis felicis recordationis Greg. Papa XIII. incipientem Ad tollendum*) satis ostendit per talem relationem, reservare velle omnes, & singulos casus ad Duellum concurrentes, qui in Concilio, & Gregoriana expressè prohibentur. Ergo non possunt hodie Regulares in vim suorum privilegiorum vllum, quomodocumque in Duelli causa reum absolvere, etiamsi actu non pugnaverit ille.

Respondetur *Primò*, Clementem per verba, in 77
obiectione recensita, voluisse reservare sibi casus pugnantium, tam in Duello publico, & solemni per Tridentinum prohibito, quàm in Duello privato per Gregorij Constitutionem vetito, & hac de causa, duplex hoc Ius in suo recensuit Decreto; non verò illorum meminit, quia reservare voluerit omnes casus ad Duellum formale pertinentes per dicta Iura vetitos. Et si id voluisset, expressisset; ex his, quæ circa 5. conclusionem d xi.

Secundò, respondetur. Verba illa: *Provocantium,* 78
& pugnantium in Duello: necessario intelligi de Duellatoribus ipsis tantùm, non solùm quia dictio *Et*, est copulativa, & coniunctiva, copulando præcedentia cum subsequentibus, vti adnotant Vidal *de Duello, inquisit.*6. *num.*21. & Scortia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, theoremate* 392. *versic. Cæterum cum Duellum*, sed quia de necessitate Duelli formalis prohibiti est, vt præcedat inter Duellatores provocatio, ad hoc vt pugna dicatur ex condicto facta. Vndè reservatio cum revocatione privilegiorum, tantùm super Duellatores ipsos pugna secutà cadit; non verò super alios quoslibet in Duelli causa reos.

Et confirmatur à simili, in terminis eiusdem 79
Clementini Decreti, in quo inter quinque casus exceptos, & Papæ reservatos, cum privilegiorum revocatione, quantus est, *inijcientem violentas manus in Clericos, iuxta Canonem, si quis suadente, &c.* 17. *q.*4. *ac Iuris dispositionem.* Verba Decreti reddo. Quocirca duo certa sunt. *Primum*, quòd iuxta *Canonem si quis*, ac Iuris dispositionem *in cap. Mulieres*, §. *illi verò, el* 6. *cap. vniversitatis vestra, el* 24. *de Sententia excommunicationis*, non solùm per seipsos Clericum, aut Monachum percutientes, sed mandantes, excommunicationem incurrunt. Sayrus *in Thesauro, lib.*3. *cap.*26. *n.*2. Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis, lib.*2. *cap.*49. *num.* 18. *&* 19. Vidal *tit. de Censuris inquisit.*5. *num.*9. *& de Duello, inquisit.*6. *num.* x1. Bassæus, *tom.* 1. *verbo Excommunicatio VII.* §. *vnico, num.*2. Lezana *tom.*2. *part.*3. *verbo Clericus, n.*8. Pellizzarius, *in Manuali tom.* 1. *tract.*6. *c.*2. *num.*37. & Naldus, *verbo Clericus, num.* 39. Et qui possunt impedire ne illi percutiantur, & non impediant, eandem contrahunt excommunicationis sententiam *cap. Quanta, el* 47. *eodtit. de sent. excom.* Bassæus, *n.*2. Lezana *n.*8. Pellizzarius *dicto, n.*37. Vidal, *n.*9. *citato*, & Graffis, *num.*20. qui benè limitant, si ex officio, & Lege iustitiæ teneatur, verbi gratia Minister iustitiæ, & pater familias. Qui etiam ratam habet percussionem suo nomine factam, esto sine suo mandato eidem subijcitur excommunicationi. *cap. cum quis, el* 23. *de sent. excommunicationis in* 6. Graffis *num.* 20. Naldus *verbo Excommunicatio, num.*21. Vidal *de excommunicatione, inquisit.* 5. *n.* 9. Bassæus *dicto numero* 2. Lezana & Pellizarius, *vbi proximè.*

Immò

Immò & qui ad percussionem dant consilium, auxilium, vel favorem, argumento *cap. sicut dignum. §. Clericos autem, el 6. de Homicidio voluntario, vel casuali*, & ibi Glossa, *verbo Consilium*. Et ita docent Sayrus, *dicto num. 2.* Graffis, 18. & 20. Vidal, *de Censuris, inquisit. 5. num. 9. & de Duello, inquisit. 6. num. 21.* Bassæus *num. 2.* & Lezana *num. 8.* Quibus omnibus assentiunt Sacræ Theologiæ, & Iuris Canonici Doctores, nullo, quem viderim excepto.

80 *Secundum*, quod pro certo, sine vlla statuo formidine est, quod in crimine percussionis Clerici, in vim Decreti præfati Clementis Octavi, non reservatur cum derogatione privilegiorum, absolutio excommunicationis contractæ ob mandatum, ratihabitationem, consilium, auxilium, favorem, & non impeditionem percussionis; sed solum reservatur, eum prædicta derogatione, absolutio ipsius percussoris, vt benè notant Marcus Vidal, *de Duello, inquisit. 6. num. 21. & de Censuris, inquisit. 5. num. 27.* & noster Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom. 2. disput. 13. quæsito 13. num. 78. iuncto versiculo, Quo vero, sub num. 5.* Quatenus hic dicit, posse Religiosos priuilegiorum suorum virtute absolvere à Casibus Papæ reservatis, quos adnumerari aggreditur; non obstantibus Decretis S. Congregationis sub Clemente Octavo, & Paulo Quinto. *Et dicto n. 78.* adnumerat excommunicationem contra inferentes manus violentas in Clericos, latam *in Canone si quis suadente Diabolo, 17. quæst. 4.* Vbi dubiò procul, ad intentum, non voluit adnumerare excommunicationem contractam ab ipsis percutientibus, quia hanc expressè excipit Decretum *de Anno 1602.* sub Clemente Octavo, sed contractam à complicibus, à mandantibus scilicet, ratam habentibus, consulentibus, auxilium, vel consilium præstantibus, & percussionem non impedientibus.

81 Immò non prohibentur Regulares absolvere ab hac excommunicatione, ob levem percussionem contracta ipsos percussores. Possunt enim illos hodie absolvere, non obstante Clementino Decreto. Cum, quia in præsentia, bene valent absolvere ab omnibus casibus, qui non sunt mere Papales (quales omnes ij sunt, qui Episcopi iure communi conceduntur, vti dixi *supra num. 43.* & docet Pellizzarius, *tom. 1. tract. 6. cap. 2. num. 40.* Cum Sanchez, *in Decalogum, cap. 54. libri 4. num. 27.*) & huius generis est levis Clerici percussio. *cap. Pervenit, el 16. de sent. excom.* vbi Clemens Papa Tertius id Episcopi commisit arbitrio, vel ius concedens, vti aliqui volunt; vel gratiam, & privilegium illi concedens, vti alij. Adnotat ibi Glossa, *in casu figuratione, & verbo Pervenit.*

82 Tum, quia Regularium privilegia ad instar Iuris communis interpretari debent: Ita scilicet, vt iis quàm minime derogetur. Cum autem ante Clementis Decretum, possent Regulares absolvere à leui, gravi, & enormi percussione, Decretum tali derogans potestati, ita interpretari debet, vt ei minus, quàm fieri potest deroget: quod vtique fiet, si dicamus derogare facultati absolvendi à gravi, & enormi percussione; non autem à leui. Alias autem latè interpretaretur. Et ita docent Naldus, *verbo Clericus num. 39. in princ.* Emmanuël Rodriquez *tom. 1. quæstionum Regularium, quæst. 61. art. 8. pag. mihi 355.* & Pellizzarius *vbi proximè*, cum Thesauro, *in praxi, part. 2. cap. 2. verbo Iniuria in quemlibet.* & Filliucio, *tract. 15. numero 34.* Portel *in Responsis moralibus part. 3. casu 37. num. 1.* & penes illum Vega, & cum aliis à se Viris doctis consultis. Limita tamen in casu, quo Episcopus sibi percussionem reservet levem, vti limitat Thesaurus, & benè. Quia à casibus, & censuris sibi ab Episcopo reservatis absolvere prohibentur Regulares, tenore Decretorum Clementis Octavi, & Pauli Quinti, de quibus suprà.

83 Sed redeundo ad confirmationem, à simili propositam. In casu percussionis Clerici, non reservatur absolutio excommunicationis contractæ per mandantem ipsam percussionem, per consulentem &c. per Decretum Clementis cum derogatione privilegiorum Regularium; sed solùm reservatur, absolutio excommunicationis incursæ per ipsos Clerici percussores. Ergo similiter in casu Duelli non reservatur per idem met Decretum absolutio excommunicationis per alios, quàm per actu duellantes contractæ.

84 Obiicies tertiò contra conclusionem. Consuetudo est optima Legum interpres, *cap. Cum dilectus, el 8. de Consuetudine.* Et ibi Glossa *verbo Interpres, ex l. si de Interpretatione, ff. de Legibus, & senatusconsultis, & longa consuetudine.* Sebastianus Brant, *in expositione dicti tituli de Legibus &c.* Marcus Vidal, *de Duello, inquisit. 6. num. 22.* Caramuël *in Theologia fundamentali num. 1106. Axiomate 23.* Et non obscure Clemens Papa Tertius, *in cap. Certificari, el 9. de sepulturis*, ibi: Vnaquæque Provincia in suo sensu abundet secundum rationabilem consuetudinem regionis. Sed consuetudine receptaper multos annos ab omnibus recurritur ad Sedem Apostolicam pro facultate absolvendi ab omnibus Duelli casibus, tam in Concilio Tridentino, quàm in Gregorij XIII. constitutione contentis. Ergo Confessarij Regulares virtute suorum privilegiorum nequeunt hodie ab illo Duelli absolvere casu, in Tridentino, aut in Gregoriana contento.

85 Huic obiectioni respondetur *primò*, negando minorem. Non enim clarè constare potest de asserta consuetudine. Quia id, quod in foro conscientiæ, & sacramentali pœnitentiæ operantur Confessarij, ab aliis non dignoscitur.

86 *Secundò* respondetur. Admisso, quod ad Sedem Apostolicam recurrerint aliqui Confessarij pro dicta obtinenda facultate, illi tantum erunt, qui contrariam sequantur opinionem; Quod certè ad consuetudinem generalem introducendam neutiquam sufficit, cum nostræ sententiæ sectatores absolverint in foro Pœnitentiæ; vt suppono sine accessu ad Curiam.

87 *Tertiò.* Admissa maiori, & minori, responsionis vlterioris gratia, nego consequentiam. Quia illa consuetudo vim legis non habet, sed interpretis legis. Vnde nemo illam necessariò sequi tenetur, maximè, si aliam interpretationem adinveniat probabilem, & forte probabiliorem, vti in præsenti contigit. Quotidie enim, experientia magistra, opiniones singulares insurgunt, ob solidiora fundamenta, quibus innituntur, ab antiquorum nullo cognita, communissimas, & à præcedentibus omnibus Doctoribus assertas, & fulcitas

& fulcitas everteotes. Caramuëli subscribo, *in Theologia fundamentali, num.*1859. dicenti:multa etiam in materia sacramentorum, immò Fidei, quotidie evadunt probabilia, & tuta in doctrina, & praxi propter Doctorum novorum excultiora in dies ingenia, & studia, quæ antea nequidem probabilia erant. Hæc ibi. & *num.* 341. asserit multas communes opiniones esse evidenter falsas.

88 Consuetudo igitur asserta, si de facto extitit, fundabatur in opinione communi docente, omnem Duelli casum, esse reservatum Apostolicæ Sedi, cùm revocatione privilegiorum Regularium vigore Decreti Clementis Octavi. Cum autem hodie cognoscamus illam opinionem esse non ita veram, vti credebatur, quilibet quibit, & bene quidem ab ea recedere, & contra consuetudinem in ea fundatam operari. Eo præcipuè, quia est in possessione legitima tam libertatis, quàm privilegij, vti advertit Marcus Vidal, *de Duello inquisit.* 6. *numero* 23.

89 Et ratio fundamentalis est. Quia in dubiis omnibus standum est pro possessione certa, quæ præcessit, & erat ante dubium. Ioannes Caramuël, *vbi proximè, n.*346.394.624.670.898.914.1126. 1879.1990 & alibi passim. Libuit eius verba, non omnium, sed aliquorum istorum locorū recensere. *Num.* 1126. Ita fatur. In dubio standum est pro libertate, quæ erat ante consuetudinē dubiam: idem dico de reliquis consuetudinibus. Hæc ibi, vbi agebat de consuetudine nostrorum Choristarum vulgo. *Iuniores*, circa recitationem Officij Diuini: an scilicet ratione consuetudinis illud persolvere teneantur, qua Choristæ, necne? *in dicto num.* 1879. sic inquit. In omni dubio standum est pro possessione, quæ præcessit hoc dubiū. *Num. autem.* 1990. similiter ait. In omni dubio standum est pro possessione certa, quæ erat ante dubium. Cùm igitur dubium de facultate Confessariorum Regulariū, circa absolutionem à casibus Duelli, & aliis reservatis, & asserta consuetudo recurrendi ad sedem Apostolicam pro illorum absolutione, posteriora sint privilegiis Regularium, præfatam illis facultatem concedentibus, cum in Decreto fundentur Clementis Octavi, pro libertate, & possessione certa absolvendi, quas habebant Regulares ante consuetudinem dubiam, & ante dubium de dicta facultate statuere debemus.

90 Sed vrgebis. In dubiis tutior pars eligenda est *cap. Ad audientiam el* 12. *de Homicidio*, ibi: cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem. Quocirca hæc regula statuitur *in cap. Iuvenis el* 3. *de sponsalibus*, vbi dicitur: quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus Et *in Canone si quis autem de Pœnit. dist.*7. Tene certum, & dimite incertum. Et ratio vtriusque est, quia sic magis vitatur peccati periculum. Sed tutius est asserere Regulares Confessarios virtute privilegiorum suorum non posse à Duelli casibus absolvere. Ergo hæc pars eligenda est.

91 Respondeo *primò*, quod in dubio constitutus, si post diligens examen se nequit resolvere, non tenetur semper partem eligere tutiorem; sed partem suæ faventem libertati, etiam minus tutam bene potest amplecti, dummodò sit in possessione suæ libertatis: iuxta illud Axioma: *In dubio, melior est conditio possidentis.* Ratio est, quia talis non agit temerè, cum sua vtatur libertate: quod cuilibet licet, quando non constat ea esse privatum. Et quia si in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, iuxta hoc axioma communissimè receptum, tam à Theologis, quàm ab vtriusque Iuris Doctoribus, à fortiori erit melior conditio possidentis suam libertatem in opinione probabili, cum pro se habeat authoritatem simul, & rationes magni ponderis, quibus innititur eius opinio, aut saltem habet rationes, vel gravem authoritatem. Quibus omnibus, dubium, qua tale, caret. Et quilibet bene, & prudenter operatur ab opinione probabili ductus. Et licitè vti potest re, quam rationabiliter possidet. Cum igitur Regulares, privilegium absolvendi à casibus in conclusione nostra contentis possideant, benè, & prudenter illo vtentur. Et sicut propter solum dubium, nemo re sua, quam rationabiliter possidet: ita nec Regulares vsu privilegij, quod plus quàm rationabiliter possident, spoliari debent. Axioma autem illud, *In dubiis tutior pars eligenda est*: intelligitur, si ex vna parte sit dubium, & ex altera certum. Si autem vtraque pars sit tuta, axioma, non est præcepti, sed consilij. Et ita tenent Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib.*1. *tract.* 1. *cap.* 2. *dub.*3. cum Bonacina, *tom.*2. *disp.*2. *quæst.*4. *punct.*9. *num.*21. Layman *lib.*1. *tract.*1. *cap.*5. §.4. Filliucio, *tract.*21. *part.*4. *num.* 157. & 160.

Et similiter regulam illam: *Tene certum, & dimitte incertum*, intelligunt Castrus Palaus, *tom.* 1. *disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 4. *primi tractatus de conscientia*, *pag. mihi* 29. Diana, *part.* 4. *tract.* 3. *resolut.* 3. cum Maldero *in* 1.2. *quæst.* 19. *art.* 5. *disput.* 87. Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *partem de censuris disput.* 40. *sect.* 6. *num.* 9. Merola, *tomo* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 67. & Moura, *de incantationib. sect.* 1. *cap.* 5. *num.* 2. Ausonius Noctinot, *in ipsius Dianæ summa, verbo Conscientia dubia, num.* 4. continere scilicet consilium, non præceptum. Immò nec consilium continere in opinionibus probabilibus, satis probabiliter docet doctus Ioannes Sancius, vti infrà videbimus, *num.* 100. *in fine.* 92

Secundò respondeo. In dubiis tutior pars eligenda est. In dubiis propriis, veris, & rigorosis, transeat maior. Et negò minorem. Circa cuius materiam non est vere, proprie, & in rigore dubium formale; sed opiniones contrariæ. Dubium autem, & opinio formaliter distinguuntur per hoc, quod *Dubium, & suspensio assensus circa obiectum apprehensum; Opinio* verò, *est assensus vnius partis contradictionis cum formidine alterius.* Opinionem autem probabilem tutè sequi possumus, etsi oppositum tutius sit. Verbis vtor Emmanuëlis Sà, quæ sic Ioannes Caramuël recenset, *in Theologia fundamentali num.* 1960. & Emmanuël Sà expressè docet, *verbo Dubium, num.* 3. posse aliquem facere, quod probabili ratione, vel authoritate putat licere, etsi oppositum tutius sit. Hæc ibi. 93

Immò, qui bona fide legem transgreditur, humanam saltem, putans se habere iustam causam illam transgrediendi, non peccat, nec pœnas transgressoribus inflictas incurrit, quando de iusta constat causa. Docet Laurentius de Peyrinis, *de Privilegiis, tom.* 3. *cap.* 12. *circa Constitutionem Vrbani Octaui, num.* 4. *circa finem, pag. mihi* 480. iuxta doctrinam D. Thomæ 1.2. *quæst.* 96. *art.* 6. *in corpore.* & 2.2. *q.* 147. *art.* 3. quem cum communi testatur sequi, Navarrum, *in Manuali, cap.* 23. *num.* 43. & *lib.* 2. *Consiliorum de iureiurando, consil* 12. *num.* 2. Gregorium Sayrum, *in Decisionibus, tit. de summa Trinitate, decis.* 3. & Rodetiquez, *tomo* 2. *qq. Regularium quæst.* 72. *art.* 3. 94

DIVI

DIVISIO III.

Menti tenenda.

De omni opinione probabili, scitu dignissima redduntur, commendantur.

BREVIARIVM.

95 Ad textum *in capite Iuvenis*, 3. *de sponsalibus*, in contrariam sententiam adductum; respondeo *Primò*, ibi Pontificem agere de vero dubio, quod tunc contingit, quando intellectus, quasi in æquilibrio stat, & non magis inclinat in vnam, quàm in alteram contradictionis partem, non autem agere de Opinione, quæ consistit in assensu, & adhæsione ad vnam partem contradictionis cum formidine alterius oppositæ, vti iam suprà dixi. Vnde cum à diversis non fit illatio, ex textu decernente, quid sequendum sit, & debeam, in dubiis tenere, non sequitur, quid tenere debeamus in opinabilibus. Et ita respondent Raggius, *de Regimine Regularium, Centuria prim. parte* 3. *dub.* 59. *in fine*, cum Bonacina, *de Peccatis, disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 9. & Pasqualigo. *decis.* 5. Azorius, *part.* 1. *instit. Moral. lib.* 2. *cap.* 12. *versic. ad obiecta*. Vbi ita fatur.

96 Respondeo, Iure esse constitutum, vt in rebus dubiis, quod tutius, & certius est, teneamus, quod generaliter verum est. Nunquam tamen in Iure habetur, vt inter opiniones tutiorem sequamur. Non enim idem est Iuris de dubiis, quod de opinionibus. Nam qui dubitat, neutri parti

assensum præstat; qui verò opinatur, vni tantum parti assentitur, quamvis non sine aliqua formidine. Hactenus Azorius.

96 Respondeò *Secundò*, non semper teneri in dubiis tutiorem partem sequi, nisi in aliquo casu, iusta interveniente causa, vt quando adest Iuris dispositio. Aliàs tutiorem partem sequi cadere solum sub Concilio, docent Raggius *vbi proximè*, & penes eum Bonacina *ibidem*. Filliucius *tract.21. cap.4. quæst.4. num.126.* Sanchez *in Decalogum, tom.1. lib.1. cap.9. n.16.* & Valerius Reginaldus, *l.13. n.94.*

97 Respondeo *Tertiò*, quod tutior pars est sequenda in dubiis, quando dubium non solùm est speculativum, sed practicum in sententia Raggij *loco allegato*, cum Bonacina *tract.1. quæst.4. cap.4. a.9. de Peccatis*, & Ioanne Sancio, *in Selectis disp.42. n.11.* Vidal *de Duello inquisit.6. num.26.* Vbi ait Axioma: In dubio, tutior pars est eligenda: intellige, quando altera non est practicè tuta, quia nulla datur ratio firma reddens illam probabilem. Quod non accidit in nostro conclusionis casu, cum pro illa stent plures rationes, quas adduximus: illam non probabilem tantùm, sed probabilissimam constituentes: & rationes pro opposita parte adductas, ad satietatem diluentes, extenuantes, enervantes.

98 Vltimò obiicies contra conclusionem. Exclusio est odiosa. Ergo non est præsumenda, nisi probetur adfuisse Decreto Clementis Octavi, respectu Regularium habentium privilegium, cui nostra innititur sententia.

Respondeo cum Marco Vidal, *in Arca Vitali tit. de Duello, inquisitione 6. num.31.* exclusionem non semper odiosam esse; sed iuxta subiectam materiam esse odiosam, vel favorabilem. Est vtique odiosa, in materia favorabili; & è converso, favorabilis est in materia pœnali. In præsenti autem in materia stamus pœnali, vt per se patet. Ergo exclusio favorabilis erit. Vnde reservatio Clementini Decreti, vltra casum in illo expressum extendi neutiquam debet. Et ideo Regulares in vim privilegiorum suorum vbique absolvere bene quibunt ab excommunicatione ob Duellum, etiam actu commissum, contracta, saltem eos, qui per se ipsos actu non pugnarunt: cum respectu illorum Decretum præfatum non revocauerit, aut limitaverit quidem privilegia illorum, vt late manet, ac diffusè probatum.

99 Omnes itaque opiniones verè probabiles quæ tutæ sunt, tam quoad imputabilitatem ad culpam, quàm quoad valorem actus, in his, quæ ab humana dependent potestate. Quoad imputabilitatem quidem, id docent, Fagundez *de Iust. & Iure, lib.5. cap.18. num.4.* cum Sayro, *in claui Regia lib.1. cap.11. à num.4.* Salas *1.2. quæst.21. tract.8. disputat. vnica, sect.12. à num.115.* Leander *tom.5. disputat.4. quæst.10.* Ioannes Caramuël, *in Theologia Regulari, commentario in sanctam Regulam Patriarchæ Religiosorum Sanctissimi communis Parentis Benedicti, disput.6. art.2. num.58.* Bassæus, *tom.1. verbo Conscientia, num.21. versic. Respondent ad hoc.* Raggius, perfectionis Regularis eximius cultor, & suasor, *in Regimine Regularium, centuria 1. part.3. dub.59. versiculo Dices*, Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib.1. tract.1. cap.2. dub.2. versic. Respondeo* Lezana, *tom.2. part.4. verbo Opinio num.5.* Noctinot *in summa Dianæ, verbo Opinio probabilis num.9.* ipse Diana, *part.1. tr.13. resol.1. & 9. & part.4. tract.4. resolut.4.* cum 36. grauissimis Doctoribus asserentibus, licere opinionem sequi probabilem, & minus tutam (si fas sit ita loqui) relicta probabiliori, ac (sub eadem venia) tutiori. Hos allegat ille. Paulum Layman, *lib.1. tract.1. cap.5. §.2. num.7.* Basilium Pontificum, *de Matrimonio lib.10. cap.15. num.4.* Malderum, *in 1.2. D. Thomæ quæst.19. art.5. disput.83. assertione 3.* Filliucium, *tom.2. tract.21. cap.4. num.128.* Tannerum, *in 1.2. disput.1. quæst.4. dub.3. num.36.* Emmanuëlem Barbosam *in remissionib. Doctor. ad ordinat. Regni Lusit. lib.3. tit.64. num.10.* Garsiam, *de Beneficiis, tom.2. part.11. cap.5. num.361.* Villalobos *in sum. tom.1. tract.1. difficult.10. num.2.* Sancium, *in selectis disputationibus practicis, disput.42. num.12.* Lorcam, *in p.2. tom.1. disp.39. membro 2.* Martinez, *in 1.2. tom.1. quæst.29. art.6.* Aluarez *ibidem, disp.80.* Sanctarellum, *variarum resolutionum, part.1. quæst.59. num.4.* Portellum, *in additionibus ad dubia Regularia, verbo Opinio, num.3.* & Thomam Sanchez, *in summa, tomo 1. lib.1. cap.9. num.14.* & præter hos, decem & septem alios Doctores ab eodem Thoma recensitos, & sequutos. Idem etiam docet Augustinus Barbosa, *in cap. Capellanus, num.6. el 4. de Feriis*, cum Armilla, *verbo Opinio*, Aragone, *2.2. quæst.63. art.4.* & ibi Salon, *controu.2.* Bannez *quæst.10. art.1.* Barth. Medina, *in 1.2. quæst.19. art.6.* Salas, *tract.8. disp. vnica, sect.6.* Suarez, *tom.4. de Pœnitentia disp.22. sect.9. num.6. & tom.5. de Censuris, disp.4. sect.5. n.6.* Cum quibus, & aliis docet dictus Augustinus Barbosa, opinionem probabilem sequi posse in foro conscientiæ, relicta probabiliori. Quod verum esse asserit, *in cap. Canonum statuta, num.14. el 1. de Constitutionibus*, tam respectu Iudicis, quàm particularis. Allegat Menochium, *de Arbitrar. casu 177. n.7. & casu 339. num.19.* Sotum, *de Iustitia lib.3. quæst.6. art.5. ad 4.* Valentiam, *tom.3. disp.5. quæst.7. puncto 4.* Burgos, de Pace, *in prœmio Legum Tauri, n.126. & 402.* Nevizan, in Sylva *Nupt. lib.6. num.4.* Cravet *cons.135. num.40. prin.* & alios. Quod quidem idem est ac dicere, omnes opiniones probabiles, æquè tutas esse quoad imputabilitatem ad culpam: quod docuit Sanchez, *de Matrim. tom.1. lib.2. disp.41. n.30.* dicens, quod in rebus moralibus, iuxta communem sententiam, satis est amplecti opinionem probabilem. Et *lib.3. disp.10. num.4.* docet in tantum esse illam veram, vt si in ipsis Sacramentis circa formam, & materiam, aliquod se offerat dubium, circa quod nullum sit Ecclesiæ præceptum, quemlibet posse relicta opinione probabiliori, probabilem sequi. Vnde laudat Salonem, *vbi suprà, in solutione ad 3.* docentem, non posse amplecti opinionem probabilem circa formas, & materias Sacramentorum, non provenire ex defectu opinionis, & ratione periculi, sed quia contravenitur præcepto vtendi forma, & materia præscriptis, & vsitatis in Ecclesia. Idem docet Vasquez *in 1.2. tom.1. disput.63. cap. num.4.*

100 Docet denique Ioannes Sancius, *in Selectis disputationibus, disp.19. n.8.* In sequentia prorumpens. Inter opiniones in conscientia securas, reveta, vna non est securior altera, quoad imputabilitatem. Nam supposito, quod operans iuxta quamlibet, nullum committit peccatum, non magis securus erit operans ex vna, quàm ex alia opinione, cum nulla detur maior securitas, quàm non peccare. Hæc illo in loco. Et *disputatio 42.*

p. 12.

numero 12. *versic. Non tamen*, ita vt sequitur fatur.

101 Si enim nullum est peccatum sequi opinionem minus probabilem, vt tenent multi probatissimi *in* 1. 2. *quaest.* 19. & alij infrà allegandi, non erit magis tutum vnam sequi, quàm aliam, quoad imputabilitatem ad culpam, vt laté probabimus *disput.* 44. *num.* 2. Nam si quis non peccat minus tutam sequendo, non minus ritè, quàm alius incedit, quoad culpam incurrendam: quia non est dare magis, aut minus, inter peccare, & non peccare. Et cum vna opinio non sit magis tuta, quàm alia, quoad imputabilitatem ad culpam, consilium non habebit locum, aut sedem, vt dictet vnam magis esse sequendam, relicta altera. Et ita, qui iuxta opinionem minus probabilem operatur non etiam contra consilium agit. Hæc omnia Ioan. Sancius.

Ratio itaque fundamentalis est, quia illa opinio est tutissima, secundùm quam operans, nec mortaliter, nec venialiter peccat. Sed qui opinionem sequitur, etiam minus probabilem, nec mortaliter peccat, nec venialiter. Ergo qui opinionem minus probabilem sequitur, opinionem securissimam, & tutissimam sequitur. Maior, cum consequentia patet. Minorem docent Caramuël *vbi suprà*, *num.* 58. & 59. Raggius *loco allegato*, *versic. Dices.* Balsæus, Busembaum, & Lezana *in recensitis locis.* Diana, cum Doctoribus suprà ex eo redditis, & alij passim Neoterici. Illámque hac probat Caramuël demonstratione, *numero* 59.

Vel possumus sequi opinionem probabilem; vel tenemur sequi probabiliorem. Si dicas primum. Ergo non peccat, qui sequitur opinionem minus probabilem. Quia hæc est etiam probabilis, vt de se patet. Si secundùm asseras, non effugisti. Per te enim tenemur sequi opinionem probabiliorem. Atqui sententia illa, quæ docet sufficere minùs probabilem, est probabilior. Ergo tenemur asserere, & sentire eos non peccare, qui sequuntur partem minus probabilem. Consequentia est legitima: maior est certa: minorem probo. Quia hæc sententia habet solidiora fundamenta, atque rationes nobiliores, nec-non multò maiori numero Authores.

102 Prima minor probatur secundò. Qui secundum opinionem operatur probabilem, non operatur temerè, & imprudenter. Sed in hoc modo operandi, temerè & imprudenter consistit peccatum. Ergo, qui opinionem in operando sequitur probabilem, non peccat. Minor cum consequentia patet. Maior autem probatur. *Primò*, quia cum in rebus agendis, omnimoda certitudo haberi nequeat, vt non operetur temerè, & imprudenter sufficit operari cum probabili certitudine.

103 *Secundò*, quia non tenemur sequi semper, qui perfectius est, & securiùs, dummodò sequatur perfectum & tutum: & sic operando secundùm opinionem probabilem, non operabimur temerè, & imprudenter. *Tertiò*, quia si temerè, & imprudenter operaretur, qui secundùm opinionem probabilem operaretur, maximis homines angerentur stimulis, in indaganda probabiliori, & tutiori opinione, essétque onus grauissimum, quod credi neutiquam potest fuisse à Deo Optimo Maximo, & Potentissimo impositum, cum ipsemet dicat, *Iugum meum suaue est, & onus meum leve. Matthæi cap.* 11. *vers.* 30.

104 Id tamen, quod asseruimus omnem opinionem probabilem, esse tutissimam, & securissimam in conscientia, intellige *per se* consideratam; quia *per accidens*; (& adstantibus fallentiis mox reddendis) benè potest vna opinio tutior, & securior esse alia, esto sit minus probabilis, si latior, & benignior fuerit, non autem strictior, aut severior, vti benè docet Caramuël *dicta disput.* 6. *art.* 3. *num.* 61. vbi sic probat tutiorem viam sequi illum, qui sequitur in praxi opinionem benigniorem, licet minus probabilem.

Probabilius est (inquit) non requiri in Officij Diuini lectione, attentionem intrinsecam; nihilominùs disputationis causa, supponamus probabiliùs requiri. Ecce in tali casu sententia asserens strictior, & severior esset, vt patet: & esset probabilior, quia supponitur. Cæterùm, si tenereris sequi tutiorem, deberes subscribere benignæ, & asserere attentionem internam non esse necessariam. Ratio est, quia licet respectu sui vtraque opinio sit æquè tuta intrinsecè, hoc est si talis, vt æquè te liberet à culpa veniali, & mortali, si iuxta illam exactè operetis: nihilo secius facilius est operari iuxta opinionem benigniorem; & vix poteris sine peccatis venialibus satisfacere Officio Diuino, qui sentis attentionem intrinsecam requiri. Ergo hæc sententia *per accidens* est minus tuta, quia est obnoxia pluribus leuibus culpis, à quibus sunt immunes, qui sequuntur contrariam. Qui sentio attentionem, & prolationem externas solùm exigi, scio me spatio tot annorum totum semper Officium Diuinum legisse, adeóque & iurare possum me ne quidem venialiter in hoc genere peccasse. Nónne hæc summa conscientiæ quies, & animi Christiani securitas? Tu verò, qui contrarium sentis, tuam quæso conscientiam examina, & sincerè respondeas, an audeas, vel vna sola die, ita legere officium, vt iurare possis te non peccauisse venialiter. Certùm est igitur benigniores sententias, modo probabiles, tutiores, & securiores esse. Hactenùs Caramuël.

Fallentias nostram sententiam pati, docent Authores. *Prima* illatum est, quando aliqua olim probabilis extitit opinio, iam tamen ita est antiquata, vt in praxi opposita recepta sit. Ita Lezana *vbi suprà*, *n.* 7. cum Gregorio Sayro *in Claui Regia, lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 21. & 22. & Sanchez *in Decalog. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 11. 105

Secunda est, quando agitur de materia, & forma Sacramentorum. Lezana *n.* 8. Sayrus *c.* 7. *n.* 6. Naldus *verbo Opinio*, *in fine.* Ioannes Sancius *in Selectis Disputat. disput.* 27. *n.* 15. & Diana *par.* 2. *tr.* 13. *resol.* 2. à Lezana allegati. 106

Tertia est, in materia obedientiæ, ita vt non liceat subdito non obedire Prælato, in casu, quo probabiliter tenebatur obedire, & probabiliter non tenebatur. Tenent Caramuël *d. disp.* 6. *art.* 3. *n.* 65. Lezana *n.* 9. Diana *resol.* 10. *in fine.* Oppositum tam probabile est, & illud propugnat Ioan. Sancius *disp.* 33. 107

Quarta fallentia est, quando opinio abrogata, & reprobata fuerit per Superioris legitimi Decretum, quia tunc desinit esse probabilis. Ita Lezana *d. n.* 10. cum Sayro *cap.* 5. *n.* 21. & Fraxinello *de Sacerdotum obligationibus*, *sect.* 6. *obiect.* 14. *nu.* 7. Huiusmodi sunt opiniones asserentes, quod Sacerdos pauper possit pro vna missa plura accipere stipendia; & quod possit Sacerdos accepto Missæ stipendio, parte illius retenta, Missam alteri committere. 108

Ex iam dictis benè colligitur, immeritò aliquos caussati, quod tot, & tam latas, seu laxas opiniones in dies Theologi docent Morales. Audivi, inter aliquos, Virum doctissimum, Iuristam tamen (quod notantet adnoto, vti in simili fecit casu, Naldus *in Summa, verbo Heresis, num.* 19. de Cæval *in suis practicis quæstionibus, volum.* 2. *q.*698. hæc dicens: nec mirum videri debet, eum tanquam legista falcem mittens in messem alienam, in hunc errorem meritò inducendos fuerit contra torrentem Canonistarum, sentiens, quorum est, de Ecclesiasticis quæstionibus iudicare:) & Episcopum Pampilonensem, quondam in sede illa sedentem, dicentem, Concilium debere Generale celebrari ad omnes opiniones Morales, præter vnam condemnandas. Dicebat enim, veritatem vnam esse,& indivisibilem: & consequenter, opinionem illam propugnautem, esse veram; omnes verò reliquas, falsas.

110 Sed bona venia tanti Doctoris, sine solido fundamento, vt præfertur sentiebat, contra multitudinem, & benignitate opinionum, in rebus Moralibus, & tam rigidam sententiam proferebat. *Ex appetitu namque veri scientiæ, & cognitionis desiderio fatigamur.* (periodum Beati Laurentij Iustiniani, *de casto connubio Verbi, & animæ, cap.* 6. exhibeo,) *ob hoc quoque cogitationes in animo versamus multiplices, Concilia adinvenimus, leges statuimus, occultarimamur, ignorata quærimus, & secreta etiam Dei mysteria, atque profunda iudicia penetrare contendimus.* Quo fit vt Theologi Morales veritatem inquirant. Hinc ortæ sunt opiniones in rebus Moralibus,ob varias rationes,quæ rei disquisitæ veritatem, probabilem reddunt. Et quantò magis accedunt ad veritatem rationes adinventæ, tantò magis erit fidelibus vtilior talis doctrinæ expositio. Quia vti D. Augustinus *de agone Christi* ait: *Qui veritatem occultat, & qui mendacium prodit, vterque reus est. Ille, quia prodesse non vult; iste, quia nocere desiderat.* Et de libero arbitrio, ita fatur. *Si de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur.* Eandem sententiam, & eisdem ferè verbis protulerunt D. Bernardus *in Apologia ad Guillelmum Abbatem, & Ius Canonicum in capite Qui scandalizaverit, & 3. de Regulis Iuris.* Bernardus enim sic ait: *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo: Melius est vt scandalum quàm veritas relinquatur.* Ius autem ita decernens inquit. *Vtilius scandalum nasci permittitur quàm veritas relinquatur.* Verba ista Iuris desumpta sunt ex nostro Beda Venerabili, vti ibi ait Abbas Panormitanus. Et *in Canone Error* 83. *distinct.* dicit Innocentius *Error cum non resistitur, approbatur: & veritas cum minimè defensatur, opprimitur.* Et Dclphtem,*de virtutibus, & vitijs lib.*1. *fol.*37. *veritatis studiosus* (ait) *semper Deo placet, & cunctis hominibus, vtilis est.*

112 Si ergo veritatem disquirere Deo placet, cunctis hominibus vtile est: & illam occultare, est delinquere, esto ex illius prolatione scandalum sequatur, in eis scilicet, qui opinionibus abutuntur benignis, latis seu laxis, vt vocant, licentiosiùs, quàm fas erat, vivendo, immeritò, sine solido fundamento, aut ratione quidem veritatem attingente, improbatur multiplicitas, benignitas opinionum Moralium. Vnde meritò approbantur, solidè propugnantur à Doctissimis nostræ ætatis viris, spectata vita,& moribus, exemploque pollentibus. Illam amantissimè, tanquam Divinæ providentiæ aptissimam, plenámque, ac latam viam ad perducendos fideles suos ad vitam æternam amplectantur Caramuël, *in Theologia Regulari, disput.* 6. *art.* 3. *à num.*60. Ioannes Sancius, *in Selectis disputationibus, disp.* 44. *num.*70. Basseus, Raggius, & alij, *locis allegatis supra n.*99. Qui omnes ferè sub eisdem verbis, dictam tradunt doctrinam. Raggium, pro omnibus lubens reddo.

111 Noto secundò, immeritò aliquos dolore commoveri, & tristari, quot tot reperiantur opiniones in rebus Moralibus, quia in eis maxima Dei providentia enitet; nam ex opinionum varietate iugum Christi suaviter sustinetur, quia plures homines infirmi, ac debiles in virtute, siad vnam tantùm opinionem sequendam, tam in omittendo, quàm in positiuè eligendo aliqui essent coacti, facilè in peccatum ruerent, quia quod placet, difficilè relinquerent, & quòd displicet, difficilè vellent. Ideò Divina Bonitas hominum imbecillitati succurrens, diversa ingenia eis contulit, quibus diversa inter se iudicia ferrent, & se rectè opinari arbitrentur. Et ita multi, & multi his opinionibus muniti, se alienarent à peccatis. Deo namque nullum emolumentum accrescit, quòd quis operetur iuxta vnam, vel alteram opinionem. Solùm desiderat mandatum suum non infringi. Cum ergo iuxta opinionem probabilem operans, Dei præceptum non infringat, Dei non interest quidquam, iuxta vnam, vel alteram opinionem, operationem dedoci.

Vndè Doctores decipiuntur putantes securiùs se gerere, dum id, quod sub opinione habetur, an sit peccatum, tale esse decernunt, *quia cum de veritate dubitetur, non est maior ratio, cur pro* peccato, quàm contra ipsum respondeatur. Quare hoc videtur esse vtilius hominibus, quia magis placet Deo, eos excusare à peccato, quàm eos obnoxios constituere. Ita Ioannes Sancius, *in Selectis, disp.*44.*num.*70. & 71. referens sententiam Henriquez *in Proœmio Summæ* docentis, quod errare cum Platone, aut insigni Theologo, dum latet ignorata veritas speculativa, non nocet in praxi. In quo Theologus differt à Corporali Medico, quia si morbi vim, quamvis sine culpa ignoret, necis occasio esse solet; sed qui sapientum, ac prudentum sententiæ probabili acquiescit, nullum patitur periculum conscientiæ. Deus autem ita nobis ignorantibus indulget, vt eam sententiam confirmet ad salutem, vt per Medicum spiritualem sanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota sunt. Hæc Henriquez: & omnia, quæ recensui, Raggius *dicta dubitatione* 59. *num.* 2. 113

Pro Cotollarij nostri Coronide, libuit doctissimum Brunonem Chassinum, *in Prælato Regulari, cap.*9. §. 3. recensere vbi latè probat, varietatem, multiplicitatémque Opinionum commendari, non à Doctoribus tantùm, sed à Cardinalibus, Summis Pontificibus, ab Ecclesia vniversali, & Catholica, sed à lumine naturæ, seu à proprio vniuscuiusque spiritu. Sic enim ille ait, *pag. mihi* 200. Prælati Regulares debent relinquere Lectoribus sui Ordinis libertatem docendi eas opiniones, quas veriores iudicaverint. Hæc illius propositio. Probatio autem quæ sequitur. 114

Licet lumen naturale, de quo propheta asserit super omnes homines signatum esse eisdem ad prima principia, primásque veritates naturales cognoscendas æqualiter luceat, non tamen æqualiter 115

liter eis lucet ad alias veritates ex illis per discursum cognoscendas. Vnde omnibus sæculis, tot diversæ inter Philosophos circa res naturales opiniones, ex proprio cuiusque lumine, & spiritu ortæ, quarum veritas indubitata adhuc homines latet, & forsan in perpetuum latebit, vt verum sit omni tempore dicere. Hanc pessimam, seu laboriosam occupationem disputandi contrariè de rebus naturalibus absconditis dedisse Deum hominibus.

116 Non dissimiles parturit effectus lumen illud proprium, seu proprius spiritus, dum circa res supernaturales ratiocinatur; nam cum ascendere non possit ad notitiam revelatorum à Deo, sed ad hoc lumine supernaturali fidei indigeat illustrari, ex illo ad alias veritates principiis fidei annexas, aut eis consequentes cognoscendas discurrendo, ita varius est, & diversus, vt in oppositas sententias eat, vt videre est apud antiquos, & recentiores Theologos, sicque fuit à principio, eritque in perpetuum, vt verum sit dicere, etiã in rebus divinis, & supernaturalib⁹, quod hanc pessimam, seu laboriosam occupationem dedit Deus hominibus, quam vocare possumus libertatem opinandi in rebus naturalibus, & supernaturalibus, eamque commendat, *primò*, liberum humanæ naturæ arbitrium. Quod sub alterius arbitrio, & iudicio non se captivat; nisi in his, quæ ex fide, aut Ecclesiæ præcepto obligator; in reliquis liberè agens, & iudicans, sicut lumini proprio videtur iudicandum.

117 *Secundò* commendat Ecclesia, quæ illam libertatem omnibus sæculis Christianis reliquit, approbando doctrinam scribentium, etiamsi inter se sententiis oppositorum.

118 *Tertiò* commendant illam Pontifices Romani, qui diversas scholas oppositè, & contradictoriè opinantium erexerunt, & fundarunt, & oppositas Doctorum sententias approbarunt: finúntque etiam hisce temporibus à suis Officiariis approbari, vt omnibus notum est.

119 *Quartò* commendant illam Cardinales, qui plures scholas oppositè opinantium erexerunt inter quos vnus præ aliis memorandus venit beatus Franciscus Ximenez, Francisci discipulus, qui vt hanc libertatem commendaret, Complutensem Vniversitatem erexit, & in ea quatuor scholas, in doctrina opposita instituit: videlicet vnam doctrinæ Thomæ Aquinatis, alterãm Scoti, & duas alias Durandi, & Raymundi Lullij.

120 *Quintò* Doctores illam libertatem maximè commendant, inter quos est Durandus, citans Augustinum, dum *in præfatione ad 4. librum sententiarum* sic loquitur. Et quia interpretatio dubiorum si Scripturæ, ad sanctam Ecclesiam Romanam, & Catholicam pertinet: omnia opera nostra huius libri, ac sequentium eius correctioni totaliter supponimus, vtpotè quià pueritia in Fide, & Obedientia Romanæ Ecclesiæ nutriti sumos, & in Romana Curia in Scholis sacri Palatij veritatem sacræ Scripturæ docuimus, & per Sedem Apostolicam ad Episcopalem dignitatem, quamvis immeriti promoti sumus. Modus autem loquendi, ac scribendi in cæteris, quæ fidem non tangunt, est vt magis innitamur rationi, quàm auctoritati cuiuscumque Doctoris, quantumcumque celebris, vel solemnis, ac parui pendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem elucescit etiam contraria veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus in obsequium Christi, vt in eis, quæ fidem tangunt; plus acquiescere debeamus auctoritati sacræ Scripturæ, quàm cuicumque rationi humanæ, quia divina notitia, quam exprimit sacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quàm humana notitia, bestiales; tamen omnis homo dimittens rationem proptet auctoritatem, incidit in incipientiam bestialem; vt comparatus sit iumentis insipientibus, & similis factus sit illis. Quis enim nisi temerarius existens audeat dicere, quod magis acquiescendum sit auctoritati cuiusquam Doctoris, quàm auctoritati Ambrosij, & Hieronymi, quos celebritate condita Romana Ecclesia sublimavit; & tamen Augustinus inter Doctores celeberrimus, dicit de seipso 3. *de Trinitate circa principium.* Noli meis literis, quasi Scripturis Canonicis inservire, sed in illis, & quod non credebas cum inveneris incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmiter retinere: *Et ad Vincent. Victor. lib. 2.* Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in opusculis meis, quæ possunt certo iudicio, & temeritate culpari, & recitantur istæ auctoritates cum pluribus aliis ad idem pertinentibus *distinct. 9. in Decretis.* Hæc Durandus, quibus ostendit se cum sanctis Patribus, & Doctoribus ac præcipuè cum Augustino, commendare libertatem docendi opiniones diversas, & oppositas.

Commendat quoque illam Franciscus, dum absolutè vult, sicut alibi ostendimus, vt Scriptura, & Theologia in suo ordine doceatur, Theologiam autem, & Scripturam vocamus conclusiones omnes, quas ex Scriptura, aut ex aliis principiis Fidei, licet oppositæ sint, à Doctoribus eliciuntur. Et hanc libertatem coluerunt in suo ordine, Alensis, Bonaventura, Scotus, Ochamus, Lullius, & alij sublimes Doctores, qui oppositis sententiis Scripturam, & Theologiam docuerunt. 121

Commendat denique, & laudat hanc libertatem totus Ordo Minorum, multitudine virorum & domorum super omnes alios Ordines maximus *in 4. cap. §. 8. statutorum suorum*, vt inferius videbimus. 122

Commendat illam vltima praxis in vniverso Orbe, qua videmus difficultates Scripturæ, & Theologiæ opposite disceptari. 123

Hæc omnia Pater Bruno, qui *in sequentibus*, convenientias nonnullas, repertas in huiusmodi varietate, & oppositione opinionum, tradit, quas non inutiliter recensere lubens duxi, vt alterius demonstretur, immeritò, & absque vlla prorsus rationabili causa, vel ratione non paucos alios doctos, de multiplicaro, & contrarietate opinionum causari. Expedit autem (inquit) hanc libertatem dari, *primò*, quoniam Hierarchia Ecclesiastica debet imitari quantum potest Hierarchiam cælestem, ac propterea, cum hæc præter scientiam visionis Beatificæ, quam ingenerat eivibus suis, quæ summa, & evidens est, relinquit in eisdem propriam sententiam, propriúmque spiritum, qua oppositè plurima intelligunt obiecta: sic similiter in illa vnus spiritus, vna scientia, fides videlicet vna, diversi tamen spiritus, & oppositæ cognitiones, & conclusiones. 124

Expedit *secundò*. Nam sæpè vna sententia, quæ vno tempore minus probabilis censetur, lapsu temporis, oppositè exagitata, & disputata transit in magis probabilem, & aliquando in evidenter certam; 125

certam, & contraria, quæ magis probabilis habetur, in minus probabilem, & aliquando in euidenter falsam: vt possem multis exemplis probare, vnde veritas, quæ latebat, disputatione, & diuersitate spirituum prodit in publicum, quod non est mediocre bonum, nisi quis dixerit satius esse sub tenebris latere veritates Diuinas, quod nemo sapiens audebit asserere.

126 Expedit *tertiò* ad vtilitatem Ecclesiæ maximam. Nam huiusmodi disceptatione, & spirituum diuersitate illustratur Ecclesia ad veritates diuinas decidendas, & declarandas, vt constat ex actis Conciliorum Generalium. Quam vtilitatem agnouerant Patres Ordinis Minorum, dum in citatis superius statutis, sic scribunt. Concertatio scholastica inter Doctorem subtilem, & alios exorta, non inutilis, nec nocua, sed omnino vtilis, & proficua Ecclesiæ, & Religioni nostræ semper fuit, cum ingenia maximè acuat, scholas nutriat, & veritatis vias diligentius inuestigando aperiendo, veritatem ipsam foueat. Et certè mihi (prosequitur Author præfatus) omnium minimo hæc vtilitas ex concertatione scholastica Doctorum, ita certò, & euidenter constat vt existimem ex illa non solùm profligatos fuisse errores in doctrina Fidei, sed etiam omnes hæreses: esséque concertationem relatiuè ad Ecclesiam, sicut Solem ad Lunam. Nam sicut Sol illuminat Lunam, quæ suo lumine parum luceret, sic concertatio illuminat Ecclesiam, quæ in principio parum lucebat in multis veritatibus, quæ nunc ex huiusmodi concertatione maximè lucet: Vnde ad hoc Doctores in Ecclesia constituit Christus.

127 Nec huiusmodi spirituum Doctorum Ecclesiæ diuersitas Fidem, & Charitatem scindit: nam sicut diuersus Beatorum spiritus, non dissoluit visionem Beatificam, & vinculum Charitatis, quod inter ipsos indissolubile est, vt patet in diuerso spiritu Angeli Persis præpositi, & Angeli populi Dei Custodis, qui viginti, & vno die, vt legitur Danielis 10. diuersis, & oppositis sententiis pugnauerunt: sic etiam huiusmodi contrariarum opinionum, seu spirituum diuersitas, nec Fidem erga Deum, & Ecclesiam, scindit, nec vinculum Charitatis, quæ inter Doctores est, dissoluit, cum Summo illius Ecclesiæ Præsuli aliter docenti, libenter pareant: nec ita suo sensui sint alligati, vt à Christiana Charitate recedant, & dum aliquando recedunt, aut periculum imminet recedendi, Præsul ille supremus suis prohibitionibus occurrit, quod tamen tardò factum videmus.

128 Quamuis autem occasione huiusmodi diuersitatis periculum recedendi à Fide, & Charitate in aliquibus contingeret, non propterea hæc diuersitas damnanda esset, sicut non damnanda Scriptura sacra, & Sacramenta, licet eorum occasione plurimi peceant, quia hoc est per accidens.

129 Ex quibus colligo relinquendam esse à Prælatis libertatem Doctoribus, & Lectoribus sibi subditis docendi sententias, quas iuxta spiritum proprium iudicabunt veriores. Itaque nescio, si de bono opere possint laudari quidam Prælati Regulares, qui ne impingant in Pontificiam prohibitionem, vetantem ne quis Prælatus præter ipsum, & delegatos suos quaslibet opiniones Doctorum sui Ordinis censora notarent, plurimas in suo Ordine doceri prohibent; hoc enim ipso satis eas damnant, cum indignas iudicent, quæ doceantur: atque ita non video quomodo re ipsa Summo Pontifici non resistant, etsi non vtantur nomine censuræ.

Hanc autem prohibitionem, non video satis bonis prætextibus colorari posse, maximè in his opinionibus in quibus nihil est periculi, & tamen veritati cognitæ contradicitur. Nam *primò* veritas in iniustitiis detineri videtur, vt ait Paulus loquens de quibusdam antiquis Philosophis, qui veritatem vnius Dei cognoscentes, eam veritatem absconditam detinebant, nolentes eam publicam facere, & profiteri: cum enim in oppositis sententiis veritas lateat, dum vna sustinenda, & docenda prohibetur, veritati absconditæ, indagandæ, & publicandæ non datur locus, ac proindè in iniustitia detinetur, non secus ac carceratus, si de eius lite examen fieri, & carcer aperiri quoquomodo prohibeatur. 130

Secundò. Quoniam ea prohibitione cogitur libertas intrantium in Ordinem Regularem, cui hæc prohibitio facta est: nam eis clauditur omnis via opinandi contra sententias, quas ille Ordo commendauerit, & opinandi in fauorem earum sententiarum, quas prohibuerint illius Prælati docere, & sic libertati non fit leuis iniuria, non multum dissimilis illis, quas populis nationis Turcicæ per Mahometi leges facta fuit, quibus nec cogitare, nec loqui, nec audire de mysteriis aliter, quàm impius Mahometus prædicauit, strictissimè prohibitum est. 131

Tertiò fit, non leuis iniuria Doctoribus oppositè sentientibus, qui vt in futurum *doceant eas*, quæ falsas secundùm lumen, *quod in ipsis est*, iudicant, sententias, *coguntur dissimulato animo*, vt veras docere, & vt eas doceant, principia, quibus in suis sententiis nitebantur, penitus immutare: quæ non mediocrem iis ingerunt mœstitiam, & eos ad laborem improbum, etiam in senecta adigunt. 132

Quartò. Hæc prohibitio scandalo est tum Religiosis illius Ordinis, tum Sæcularibus. Religiosis quidem, quoniam aliquando maior pars illorum sententiis docere prohibitis favet, & ignorat causam illius prohibitionis, illumque potius in malam partem, quàm in bonam interpretatur, Sæcularibus autem est scandalo, quoniam existimant illam prohibitionem fieri, non studio veritatis habendæ, sed vt alter ab altero Ordine (inter quos, vt plurimum est sententiarum, seu opinionum disceptatio) victus non videatur. 133

Quintò. Hæc prohibitio exponit subditos, vt veritatem luci subducant: nam cum inuiti eas opiniones docere coguntur, omnibus modis elaborant, vt falsitatem adornent fucis, ac fallaciis sophismatum, quod qui fieri possit, salva conscientia, non intelligo. Addo etiam Authores corrumpi ab iis, qui nolunt eos aliter loqui, quam ipsi velint: quod certè vitare nequeunt ij, quorum scripta luce donare non possunt, nisi prius probata ab iis, qui auctoritatem habent, & aliter sapiunt, nec sinunt Authores aliter loqui, quàm ipsi velint. 134

Sextò. Meritò dubitari posse videtur, an vlli mortalium fas sit iubere veritatis cognitæ dissimulationem, & præcipere vt falsitas cognita doceatur, ita vt discipuli in errorem inducantur, immò vt illi fas sit huic mandato obtemperare? Nam si in eo peccetur contra rationem, & veritatem non videtur licitū esse in eo vlli creaturæ 135

morem

motem gerere. Nam & mandatum rationabile esse debet, & obsequium. Certè licet Aristoteles Platonem plurimum coleret, ita tamen veritatem amplectebatur, vt hoc semper in ore haberet, *Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Et Augustinus veritatis, & inquirendæ, ac sectandæ amantissimus *Epist.48. ad Vincentium contra Donatistas* loquens de Sanctis Patribus, sic habet. *Non enim sic legantur, tanquam ex ijs testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.* Hæc Augustinus.

136 Demum hunc paragraphum concludam conclusione, quam posuit citatus Durandus in sua præfatione. *Ex quibus patet, quod compellere, seu inducere aliquem ne doceret, vel scriberet dissona ab aliis, quæ determinatus Doctor scripsit, est talem Doctoribus precludere viam inquisitioni veritatis, & præstare impedimentum sciendi, & lumen rationis non solùm occultare sub modio, sed comprimere violenter, attendentes, quod omnibus existentibus amicus sanctum est, præhonorare veritatem, quam omnis terra invocat, Cælum etiam ipsum benedicit: Benedictus Deus veritatis, Amen.* Sic ille.

Hactenus Bruno Chassaing, quem recensere duxi, quia pro nobis totus est: & ad amussim quidem, eo quod illius codex rarus sit. Sed circa id, quod *num.* 120. dicit, dico, solùm verum esse & procedere posse, quandò sententiæ propriæ probabiles sunt.

137 Quoad validitatem actuum, etiam dixi, æquè tutas esse omnes opiniones probabiles, si operandi facultas ab humano dependeat Iure. Quod etiam docent Sanchez *tom.* 1. *de Matrimonio, libro* 3. *disput.*22. *num.*65. *pag. mihi* 264. Lessius *de Iustitia, & Iure, lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 8. *nu.*68. *versic. Adde.* Pellizzarius in *Manuali Regularium, tom.*2. *part.*1. *tract.*8. *cap.*3. *num.* 96. cum Bonacina *disput.*5. *de Sacramentis, quæst.*7. *punct.*5. §.4. *num.* 5. Ægidius Trullench in *Bullam Cruciata, lib.* 1. §. 7. *cap.*1. *dub.*9. *num.* 28. Noctinot *verbo Opinio probabilis, num.* 8. Laurentius de Peyrinis *de Privilegiis, tom.* 3. *cap.* 1. *in Additamentis ad Constitutionem Pyrrhi, num.*10. *in fine*, dicens. Et tandem nota, quod sequens opinionem probabilem, non solùm non peccat, sed etiam validè operatur, etiamsi opinio illa aliàs sit falsa: confert enim tunc Ecclesia iurisdictionem agenti ad validum actum. Castrus Palans *part.* 1. *tract.* 1. *de Conscientia, disput.*2. *punct.*5. *num.* 9. *pag.* 22. cum Suarez *tom.*4. *in* 3. *partem, disput.*26. *sect.* 6. *num.* 7. *& seqq.* Villalobos *in Summa, tom.*1. *tr.*1. *difficult.* 13. *num.* 5. *in fine.* Basilio de Leon *de Matrimonio, lib.*5. *cap.*19. *num.*8. *cap.*20. *nu.* 7. & Fillincio *tom.*1. *tract.*7. *cap.* 9. *num.*227. cum quibus, & alijs affirmat, operantem ex opinione probabili se habere iurisdictionem, illam habere certissimam, sicuti habet, qui ex errore vulgi, & titulo præsumpto operatur. Thomas Delbene *de Comitiis, & Parlamentis, dubit.*4. *subsect.* 32. *n.*2. Leander a Sanctissimo Sacramento *part.* 1. *tract.*5. *de Sacramento Pœnitentiæ, quæst.*103. cum Valerio Reginaldo *lib.*1. *num.*102. *&* 203. Ioanne Sancio *disputat.*44. *nu.*33. & Hurtado *disput.* 10. *diffic.*6. *de Pœnitentia.* Escobar de Mendoza *in Theologia Morali, tract.* 7. *examine* 4. *num.* 143. *cap.* 1. *pag. mihi* 822. Mareus Vidal *in Arca Vitali, titulo de Iurisdictione, inquisit.*3. *num.* 9. *&* 13. Ioannes Caramuël *in Theologia Fundamentali, num.*1120. dicens. Error communis cum titulo præsumpto

(hoc est probabili) facit ius, iurisdictionémque tribuit, etsi occultum subsit impedimentum ex iure positivo. Layman *lib.*1. *tract.*4. *cap.*22. *n.* 9. Hinc est (addit) quod Confessarius, qui probabiliter est approbatus, habeat non iam probabilem, sed & certam iurisdictionem, absolvatque non iam probabiliter, sed certò.

Docet & Ioan. Machados *in discursu practico, de opinione, art.* 5. *n.* 7. *ante tomum* 1. *del perfecto Confessor*, & Diana *par.* 2. *tract.*13. *resol.*2. *par.* 3. *tract.*2. *resol.*3. *par.*4. *tract.*4. *resolut.* 4. *& par.*8. *tract.*1. *resolut.* 93. cum Francisco de Lugo *Opusc. de Sacramentis, cap.*1. *quæst.*4. *num.*49. *&* 50. Bonacina *in Decalogum, disput.*2. *quæst.* 4. *punct.* 9. *num.*19. Maldero *in* 1.2. *D.Thom. quæst.*19. *art.*5. *disput.*86. Henriquez *lib.*5. *cap.*14. *num.*3 (quam etiam allegat Lessius *supra lib.* 2. *de Pœnitentia, cap.* 14. *num.* 3. *&* 4.) Ludovicus Caspensis *in Cursu Theologico, tom.*1. *tract.*11. *de Conscientia, disput.*3. *sect.* 4. *num.* 28. cum Henriquez *libro* 5. *cap.*14. Granado *disput.*4. *sect.*4. & alijs, ex suprà allegatis Doctoribus.

Prædicti DD. vt plurimum loquuntur de facultate, quam habent Confessarij, ex opinione probabili, ad licitè, & validè conficienda Sacramenta, esto illa, in re, vera non sit; (in casu tamen, vti mox videbimus, vt veritas à Christo instituta non sit, sed à Papa, & Ecclesia dependeat) quia tunc supplet Ecclesia iurisdictionē, quam ipsi fortè Confessarij non habent. Idem, & in qualibet alia materia docere, nefas sit dubitare, quia si error communis, & titulus coloratus supplent facultatem, & iurisdictionem, seu potius hic intervenientibus illam suppleant Ecclesia & Respublica, iuxta legem, *Barbarius, ff. de Officio Prætoris*, quare illam non suppleant in casu opinionis probabilis, non capio, nec Doctissimi quidem redditi DD. 138

Sed vt meliùs iam dicta declarentur, libuit Dianæ, & Machadi recensere doctrinam. Ille enim loco allegato quartæ partis sic fatur. Sed notandum est, quod quædam veritates à Christo institutæ sunt, vt sic fiant, & non aliter valeant, v.g. si fortè instituit, quod thipha, hordeum, vel amylum materia non sit consecrationis, sed tantùm panis triticeus: vel quod forma Baptismi sit tantum ea, quæ nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti significatur, non quæ nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque: vel quod pars minima corporis abluta sufficiens non sit ad valorem Baptismi, &c. Hæ igitur res, cum à Christi institutione dependeant quoad suum valorem, sic, & non aliter illum sortientur qualiter revera institutæ sunt, quamvis ex opinione probabili aliter fiant. 139

Aliæ verò res sunt, quarum veritas à Summo Pontifice determinata extitit, v.g. quod talis Confessarius habeat iurisdictionem, vel non; aut quod talis sit Parochus, vel non; vel quod hic, vel talis contractus sit Matrimonium, vel non; hoc vel tale votum, valorem habeat, vel non; aut quod hæc, vel talis professio emissa à Religioso, irrita sit, vel non &c. Harū igitur rerum veritas, in indivisibili non consistit, sed iuxta opinionum varietatē multiplicatur. Vnde quod opinio probabilis : dest circa earum valorem, tunc in ædificationem Ecclesiæ Summus Pontifex illam approbat, & Ecclesia tacitè in his casibus præbet iurisdictionem, aliàs nimis cōscientiæ gravarentur. Hactenùs P. Diana: Machad. autem, quæ sequuntur docet. 140

 El

141 *El primero principio es, que todas las vezes, que en materias de Sacramentos, Censuras, votos, y otras qualesquiera materias, cuya efficiencia, y valor pende tambien de la voluntad, y disposicion del Pontifice, saviendo el (loqual nunca se presume ignora) que en ellas ay variedad de opiniones, si disimula, y no las contradize, es visto, y justamente se presume, que tiene voluntad, y intencion de suplir en ellas la jurisdicion, valor, y eficiencia necessaria, si a caso* à parte rei *les faltasse; pues el permitir las opiniones, y tenerlas por bien, se equipara al mandato, segun doctrina comun de casi todos.*

142 *El segundo principio es, que aun caso negado, que quisieramos confessar, que el Pontifice no tenia noticia de las opiniones probables, que ay a cerca de las materias, que penden de su voluntad, y disposicion (loqual, como hemos dicho es, totalmente increyble) contodo esso se ha de presumir, y tener per cierto, quo todas las vezes, que hubiere opinion probable, en razon de su valor, les da, y communica la jurisdicion, y ser necessario; porque de otra manera, como diso el P. Luys de la Cruz, en el lugar citado* numero 2. *fuera el govierno de la Yglesia, y Pontifice muy defectuoso en esta parte, no soccorriendo de remedio, en una cosa tan necessitada del, como es suplir la jurisdicion necessaria en todas las dudas, que se ofrecen acerca de las confessiones, Matrimonios, Censuras, votos, y todas las demas materias, cuya eficacia, y ser, penden como hemos dicho, de su voluntad, y disposicion; porque de otro modo se siguiera, que por ser nullas tantas Confessiones por falta de jurisdicion, y las demas materias que hemos dicho, resultarian grandes inconvenientes, en daño y detrimento de las animas de los Fieles.*

143 Hæc omnia Machadus, *loco citato, & tom.* 1. *libro* 1. *parte* 2. *tract.* 1. *documento* 9. *num.* 1. ait: *El Obispo, Cura, o Confessor, y qualquiera otro simple Sacerdote, que en alguna ocasion se hallare dudoso, de si tiene jurisdicion necessaria, ordinaria, o delegada para absolver al penitente, si en su fabor alcanza à tener opinion probable, de que lo puede hazer, aconsejan communmente los Doctores, que no dude en absolverle con mucha seguridad, y sin temor alguno de pecado, ni del valor del Sacramento. Porque es opinion comun de infinitos Authores, que quando el Confessor absuelve con opinion probable en su favor, aunque ella en si,* id est à parte rei, *no fuesse cierta, lo es la absolucion. Porque como ellos doctissimamente defienden, la Yglesia entonces suple la jurisdicion necessaria.* Hactenùs ille.

144 Vnde gratis dato, non tamen concesso, quod verè Clemens Papa VIII. omnino derogasset Regularium privilegijs, in Decreto de Anno 1602. suprà reddito, quoad facultatem absolvendi à casibus Duelli, & ab alijs exceptis ibi, per opinionem probabilissimam, quam sequimur, illis præfata iurisdictio restitueretur.

* * *

EANDEM PROSEQVOR divisionem.

BREVIARIVM.

Privil.

Privilegiorum confirmatio ex certa scientia, confirmat actum nullum, eique novum robur tribuit, & validitatem. 161. 162. 166. *Est nova concessio* 164. 165. 166. 167.

Per verba ex certa scientia: Et, *ex plenitudine potestatis in confirmatione apposita, significat Papa se velle operari quidquid potest, suprà ius, & contra ius,* n. 173.

Limita l. nisi addat se nolle confirmare aliàs nulla: dicendo, v. g. quatenus sunt in vsu. Dummodò non sint revocata, vel dummodò Conc. Trid. non contrarietur. Tunc qua talia, de novo non conceduntur, n 173.

I I. Nec confirmatur privilegium à principio nullum ob intentionis defectum, aut subreptionis vitium, n. 166. 174.

Perdita verba auferuntur omnia contraria, etiamsi non apponatur clausula: Non obstante, &c. Reddunt solemne quod tale non erat: Et tollunt omne Iuris obstaculum, & omnem erroris præsumptionem, n. 168.

Ex certa scientia fit confirmatio quoties in illa apponuntur verba: Ex certa scientia; quamvis tenor, aut substantia privilegij, quod confirmatur, non inseratur, aut narretur in confirmatione, n. 170. 171.

Confirmatio privilegiorum in forma communi, nullum ius novum confert, nec valida facit, quæ erant antea invalida, n. 166.

De privilegiorum confirmatione à Papa facta, solum ipse indicat, quod illis obstare possit, n. 162. *&* 163.

Privilegia sunt interpretanda iuxta qualitatem personæ, cui conceduntur, & eius statum, n. 153.

Propter merita concessa, in dubio revocata non censentur sub generali revocatione, n. 151.

Concessa in remunerationem, non sunt revocabilia nisi ex causa gravissima, sive remuneratio ex iustitia, sive ex gratitudine debeatur, o. 155.

In dubio an sint privilegia revocata, necne, indicandum est non esse revocata, n. 188.

Bulla Vrbani de anno 1631. privilegiorum revocatoria redditur, n. 180.

Communicatio privilegiorum aliquando fit eorum tantum, quæ tunc concessa sunt; aliquando etiam concedendorum, n. 176.

Verba.

Quodlibet verbum in Lege, Constitutione aut privilegio positum, otiosum, aut superfluum, vel frustratorium non est, sed aliquid operatur, n. 171. *&* 172.

CONCLVSIO. VI.

145 CONfessarij Regulares virtute suorum privilegiorum possunt hodie absolvere à casu Duelli, in terminis Constitutionis Clem. VIII. *Illius vices*: videlicet, quoad omnes illas actiones speciales, quas Clemens in illa Constitutione, sub excommunicationis pœna prohibuit, aliàs non inclusas in Decreto Tridentini Concilij, & Gregorij XIII. Constitutione, *Ad tollendum.*

Hanc tenent conclusionem Laurentius de Peyrinis *tom. 1. de Subdito, quæst. 4. cap. 10. §. vnico, versic. Manet ergo,* & *tom. 1. de Privilegiis ad Constitutionem 1. Iulij 11. §. 32. nu. 64.* cum Sanchez *in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 39. nu. 28.* Iacobo de Graffis *lib. 1. de Casibus reservatis, cap. 7. n. 19.* Naldo *verbo Duellum, num. 6. in fine:* & Bonacina *de Censuris, disp. 2. quæst. 6. punct. 2. num. 15. in fine* Marcus Vidal *in Arca Vitali, tit. de Duello, n. 32. inquisitionis sexta*, cum eodem, Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 48. nu. 40. in fine:* Peregrino; *de Duello, quæst. 37. à num. 13. vsque ad finem.* Lanfranco, *eodem tractatu, opusculo 5. cap. 15. num. 14.* & Fagundez, *in quintum Decalogi præceptum, lib. 5. cap. 8. sub numero 5.* Hermannus Bussembaum, *in Medulla Theologiæ, lib. 7. cap. 1. de censuris in genere, dub. 5. versic. Quarta* cum Comitolo; *lib. 6. Moral.* Valerio Reginaldo, in *Praxi, lib. 21. num. 38.* Filliucio, *tom. 1. tract. 15. cap. 5.* Paulo Layman, *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 5.* Bassæus, *tom. 1. verbo Duellum, num. 8. versic. Denique Confessarij.* Diana *part. 5. tract. 14. resolut. 103.* cum Hurtado de Mendoxa, *2. 2. disput. 170. sect. 21. §. 201.* Lezana, *tom. 2. part. 3. verbo Duellum num. 13.* Scortia, *in selectas summorum Pontificum Constitutiones, theoremate 392. versic. Tertia igitur, pag. 594.* Ioannes de la Val, *in Compendio Bonacinæ, verbo Duellum, num. 45.*

Nonnulli tamen Doctorum istorum, quales 146
sunt Bassæus, Bussembaum, Diana, & Val, licet sententiam limitent, ita vt intelligi non debeat intra Italiam extra Vrbem; loquuntur tamen in amplioribus terminis, quam nostra precedit conclusio: sine restrictione scilicet ad terminos Clementinæ Constitutionis, sed illam extendendo ad terminos Tridentini Decreti, & Gregorij XIII. Constitutionis, non explicitè; implicitè tamen, vniversaliter, vel saltem indefinitè loquendo. Quod vt melius elucescat, libuit Eligij Bassæi, & Lezanæ verba reddere. Bassæus ita fatur.

Denique Confessarij Ordinum Mendicantium 147
extra Italiam per privilegia sua absolvere possunt Duello certantes, socios item, & fautores eorum, sicut ab aliis casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis. Confessariis tamen, tam Regularibus, quàm sæcularibus in Italia, extra Vrbem degentibus, denegata est hæc potestas per Decretum Congregationis Cardinalium ex mandato Clementis Octavi editum, &c. Hactenus Bassæus, cui consonat Bussembaum eisdem verbis. En quomodo ad terminos Clementinæ Doctrinam non restringant, sed illam ad omne ius Duellum prohibens, extendant.

Lezana verò, vnum ius ab alio præscindit: & 148
quid in vniuscuiusque terminis, Confessarius Regularis, in casu præsenti, valeat agere, sic decidit. De Religiosis autem ait Sanchez, quod nullus Religiosus, potest virtute suorum privilegiorum concedentium omnes casus Papæ ab illa (excommunicatione scilicet in causa Duelli) absolvere. Quod non placet Hurtado *suprà*, loquenti de privilegiis Societatis. Quia illa (inquit) non derogantur, nisi de eis fiat expressa mentio, quam non fecit Clemens. Sed quid de hoc sit, cum ex decretis S. Congregationis de anno 1602. eiusdem Clem. VIII. iussu editis, quæ retuli *to. 1. c. 19. n. 15.* constet nullum Confessarium sive Sæcularem, sive Regularem absolvere posse intra Italiam extra Vrbem à casu Duelli, iuxta Decretum (vt ibi dicitur) sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem felicis record. Gregorij XIII. incipientem, *Ad tollendam*, ideo quoad hoc sublata sont omnia privilegia in contrarium, quorumcumque Religionum. Vnde video S. Congregationem Episcoporum, & Regularium, 14. Septemb. 1635. præcepisse cuidam Theatino, vt redderet rationem, qua auctoritate absolvisset quosdam Duellantes.

A casu autem Duelli, & excommunicatione illi annexa iuxta Constitutionem Clementis VIII. id est quoad illas actiones speciales, quas hic Pontifex in materia Duelli probibuit, quæ aliàs non continebantur in Decreto Concilij Tridentini, & Constitutione Gregorij XIII. (notentur hæc verba, quia in eorum sensu nostra procedit conclusio) absolvere possunt vbique gentium Iesuitæ, & qoi communicant cum ipsis, in privilegiis, propter privilegiom Pauli III. quod retuli *suprà verbo Confessarius, num. 5.* Immò etiam ab eodem casu Duelli in terminis Concilij Tridentini, & Constitutionis Gregorij XIII. absolvere possunt supradicti extra Italiam, & in Vrbe: cum solùm id prohibeatur in dictis Decretis intra Italiam extra Vrbem. Hæc omnia Lezana *loco citato*, vti benè addit. Et nota, prædicta Decreta posteriora esse Constitutione Clementis VIII. & ita potuisse moderare illam.

149 Probatur *primò* nostra 6. conclusio. Quia privilegia nobis Benedictinis, Patribus Iesuitis, Minoribus, Dominicanis & Militibus Sancti Ioannis Hierosolymitani, concessa, de quibus suprà *à n. 64.* quibus aliæ Religiones per communicationes gaudent, revocata censeri nô possint per *constit. Illius vices*, Clemen. VIII. iuxta prolixè supra tradita, cum ibi vtatur Clemens clausula generali derogatoria, quâ derogari non valet præfatis privilegijs, vti iam diximus. Ergo Confessarij Regulares Benedictini, Iesuitæ, Minoritæ, Dominicani Hierosolymitani, & istorum privilegijs vtentes, possunt hodie in vim privilegiorum suorum à casu absolvere Duelli, in terminis Constitutionis Clementinæ, ab omnibus scilicet actionibus per illam specialiter prohibitis sub excômunicationis pœna, & nô inclusis in Decreto Tridentini Concilij, neque in *constit. Illius vices*, à Greg. XIII. côdita.

150 *Secundò* probatur. Quia cum Privilegia Regularibus propter merita concedantur, Emmanuël Roderiquez *tom. 1. qq. Regular. q. 9. art. 6. in fine*, cum Mandosio *in Regulam 13. Cancellariæ, qu. 8. n. 6.* Marcus Vidal *de Duello, inquis. 6. n. 32.* nunquam in dubio, revocata censentur sub generali revocatione. Emmanuël ibidem, cum eodem Mandosio *in Regulam 11. de Revoc. quæst. 6. & seq.* & Bursat *tom. 2. consil. 138.* & Vidal *allegato in loco.*

151 *Tertio* probatur. Quia privilegia Regularium, maximè animarum salutem concernentia, sunt valdè favorabilia, nam anima cæteris rebus præferenda est: & per consequens, latè sunt interpretanda, & amplianda. Ergo per generalem revocationem Clem. Papæ VIII. revocata non censentur.

152 *Quartò* probatur conclusio. Quia vti benè docet noster Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. disput. 16. quæsito 5. n. 12.* ex Bartolo *in l. Ex militari, ff. de Militari testamento*, privilegia sunt interpretanda, iuxta conditionem, & statum personæ, cui conceduntur. Vnde optimè idem Abbas infert, privilegia, gratia Religiosorum concessa, esse plenissimè (id est latissimè) interpretanda. Nam summa ratio est, quæ pro Religione facit, *l. Sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. funer.* Suarez *de Legib. lib. 8. c. 27. n. 7.* Lezana *to. 2. par. 4. verbo Privilegiũ, n. 9. & to. 4. Consult. consul. 40. n. 102.* Sanch. *de Matrimonio, tom. 3. lib. 8. disp. 1. n. 13. pag. mihi 5.* Castr. Palaus *tom. 1. tr. 3. disp. 4 punct. 10. n. 5 & 7.* quem vide hanc materiam latè differentem.

153 *Quintò.* Quia privilegia omnia Regularibus in perpetuum concessa, ob eorum perpetuitatem, censentur ac si essent in corpore Iuris inserta. Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 10. n. 7.* cum alijs Sanchez *de Matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 1. n. 13.* cum Oldrado *consil. 300. n. 4. versic. Considerandum est:* & Henriquez *lib. 5. de Indulgent. cap. 22. num. 3. & cap. 24. nu. 4. in fine.* Ioannes Baptista Lezana *dicto consul. 40. nu. 102.* cum eisdem Doctoribus. Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. disput. 16. quæsito 5. n. 14.* cum Henriquez *vbi proximè, & cap. 24. n. 4.* Salas *disp. 20. sect. 10. n. 15.* & Bonac. *de Legibus, disput. 1. qu. 3. punct. 7. §. 1. n. 5. versic. Si regulariter.* Privilegia autem in corpore Iuris inserta, revocata non censentur, nisi in revocatione sufficienter exprimantur. Ergo nec privilegia Regularium.

Sexto probatur. Privilegia concessa in remunerationem, non sunt revocabilia, sive remuneratio debeatur ex iustitia, sive ex gratitudine: quia quocumque modo sit debita, cedit privilegiatus illius debiro, ob privilegium sibi concessum: eáque de causa transit in contractum. Docet Sanchez *tom. 3. de Matrimonio, lib. 8. disput. 33. nu. 4.* cum Felino *in cap. Novit, num. 12. de Iudiciis*, quamvis *num. 8.* dobitaverit. Castrus Palaus *to. 1. tract. 3. disput. 4. punct. 21. §. 2. num. 4.* cum Basil. *Legionensi, lib. 8. de Matrimonio, cap. 19. §. 2. num. 13.* Suarez *de Legibus, lib. 8. cap. 37. num. 6.* Matienzo *lib. 5. Recopilationis, tit. 10 lib. 6. gloss. 1. num. 18. & tit. 7. leg. 11. glossa 1. & 9.* & Martino Bonacina *de Legibus, disput. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 3. n. 2.* Ioannes Baptista Lezana *tom. 2. par. 4. verbo Privilegium, num. 20. & tom. 4. consulto 40. n. 102. & num. 103.* addit. Quæ ratio adeò efficax est multis, vt propter ipsam censeant revocari non posse. Quod etsi verum non sit quando adest aliqua ratio vrgens, & bonum commune concernens; quando tamen ea non subsistit, verum videtur, provt dixi eo loco (scilicet *dicto num. 20.*) ex Suarez, Salas, & Bonacina. Hactenùs P. Lezana. Peyrinus *de Privilegiis, tom. 3. cap. 4. Additament. ad Constitutionem Leonis X. num. 24.* qui prius *tom. 1. ad Constitut. 26. huius Pontificis, §. 1. in 2. not. in fine ait.* Et nota etiam, quod privilegia in remunerationem concessa laborum (qualiter concessa fuisse Regularibus sua testatur (dicuntur irrevocabilia, (quia scilicet non sine gravissima causa revocari debent,) à Romano, *consil. 436. num. 14.* Felino, *in cap. Novit, de Iudiciis, num. 7.* & aliis multis, quos refert Sanctarellus, *Variar. resol. quæst. 16. num. 19.* Vnde si clarissimè non constat, ea esse revocata, in suo robore permanere dicenda sunt. Hæc Peyrinus, qui privilegia recenset Apostolica ad demonstrandum Pontifices Regularibus privilegia concessisse ad remunerandos labores continuos, quos pro Dei sustinent Ecclesia. 154

Septimò probatur ex responso dato per dictum Clementem Octavum Pontificem, vt Confessarij Privilegiati facultatem habeant per eorum privilegia, absolvendi, in materia Duelli, à casibus non contentis in Tridentino Decreto, vel Constitutione Gregorij XIII. ex Comitolo, *de Duello, lib. 6. quæst. 17.* testantur de hoc responso Bussembaum, *in Medulla Theologiæ Moralis, lib. 7. de censuris, cap. 1. dub. 5. versic. Quarta.* Et Marcus Vidal, *de Duello, inquisit. 6. num. 32.* 155

Octavò probatur ex côcessione Pauli Papæ Quinti, Côgregationi Oratorij S. Mariæ de Vallicella de Vrbe, facta die 9. Aprilis, Anno 1608 in cuius virtute, ait Laurentius de Peyrinis, *tom. 1. de Privilegiis, ad Côstit. 1. Iulij Papæ II. §. 32. n. 64. p. 69.* quod 156

possunt

possunt hodie Confessarij Regulares ab Episcopis approbati, de licentia suorum superiorum, ad quos id pertinet, absolvere quoscumque à Duello prohibito per Clementis Octavi Constitutionem, dummodo non comprehendantur in Gregorij XIII. Constitutione, & in Decreto Concilij Tridentini. Id est (inquit Peyrinus) dummodo non sit secutus effectus, & dummodo Duellum non sit publicum.

CONCLVSIO. VII.

158 Possunt hodie, probabiliter satis, Confessarij Regulares ab omni Duelli absolvere casu, & ab excommunicatione illi annexa, etiam in terminis Concilij Tridentini, & Constitutionis *Illius vices*, Gregorij Papæ XIII. non solum socios, & quovis modo ad Duellum cooperantes, sed & ipsos principales Duellatores, & pugna secuta, si verum est, quod privilegia Regularium sunt confirmata, ex certa scientia, post dictorum Iurium promulgationem.

159 Consultò dixi; *si verum est, quod privilegia Regularium sunt confirmata, ex certa scientia, post dictorum Iurium promulgationem*, quia Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Duello, inquisit.* 6. *num.* 33. dicit Paulum Papam V. & Gregor. XV. confirmavisse privilegia suæ Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum. Et Diana *part.* 12. *tract. de Collocutione, & scriptione tempore Conclavis prohibitis, resolut.* 16. *in principio*, testatur Vrbanum Papam VIII. similiter confirmavisse anno Domini 1636. ex certa scientia, & plenitudine potestatis, ac motu proprio, absque clausulis restrictivis, *dummodò sint in usu, vel, dummodò non fuerint revocata*, omnia privilegia Patrum Excalceatorum Ordinis S. Trinitatis.

160 Procedit nostra conclusio, de omni, & singula actione prohibita per Decretum Concilij Tridentini, & per Gregorianam Constitutionem ad Duellum spectante. Illam expresse tenet Marcus Vidal, *ubi proximè*, loquendo de Confessarijs suæ Theatinæ Congregationis, & sine restrictione quidem, & conditione à me addita. Et *n.* 34. illam tenet loquendo de aliorum Ordinum Confessariis. Sed vt eius fundamentum dilucidetur, operæ pretium duxi aliqua adnotare, ex quibus, conclusionis veritas innotescat.

161 Primò adnoto, quòd confirmatio privilegiorum ex certa scientia, confirmat actum nullum, eique robur novum tribuit, & validitatem. Ita docent Barbosa, *ex cap. sicut graue, in fine, el* 1. *de Transactionibus*, cum Glossa, *in cap. Quia intentionalis, el* 19. *de Privilegiis*, & omnibus Doctoribus ibi. Decio *in cap.* 2. *à num.* 46. *de Confirmatione vtili, vel inutili*. Cardinale Tuscho, & aliis, quos recenset, & sequitur Suarez, *de legibus, lib.* 8. *cap.* 18. *à n.* 12. Docet itaque Augustinus Barbosa ex Iure, Glossa, & Doctoribus allegatis, *in cap. Cum Dilecta, num.* 18. *el* 4. *de confirmat. vtili, vel inutili*. Ioannes Baptista Lezana, *tom.* 2. *parte* 3. *verbo Clausula, num.* 29. *& verbo Privilegia Regularium, num.* 23. Bruno Chassaing, *de Privilegiis, Regularium, tract.* 1. *cap.* 2. *proposit.* 4. cum Sigismundo à Bononia, *tract. de Electionib. part.* 2. *cap.* 4. *dub.* 76. *num.* 6. Rosella, *verbo Absolutio, num.* 4. Portel, *verbo Privilegiorum confirmatio*. Marcellino à Sancto Benedicto, *in Compendio privilegiorum Congregationis Fulliensis, verbo Privilegia; in notabilibus*, & cum aliis Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disput.* 18. *quæsito* 1. *num.* 7. *& quæsito* 6. *num.* 25. cum dicto Barbosa, *tract. de Clausulis vsu frequentioribus, clausula* 59. *num.* 13. Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 16. Marcus Vidal, *tit. de Duello inquisit.* 6. *num.* 33. cum Suarez *vbi proximè, cap.* 19. *à n.* 3. Peregrino, *in Scholio, quod est in introductione Compendij Privilegiorum Patrum Theatinorum, post §.* 9. *versiculo Decimo notandum est*. Laurentius de Peyrinis, *de Privilegiis tom.* 2. *ad constitut. vnicam Gregorij XIV. §. vnico, & num.* 1. dicens ex Suarez, *loco citato, cap.* 10. *n.* 2. *&* 8. quòd innovatio ex certa scientia confert ius novum de se, & æquivalet concessioni, idcóque (addit) restituit privilegium perditum. Hæc ille.

162 Docet etiam Glossa, *in cap. Veniens, verbo Confirmatam, el* 8. *de Transactionibus*, ibi: si ex certa scientia, hoc facit, quia potest facere, quod illa, quæ nulla est, sit aliqua. Et *in cap. Quia diversitatem, verbo Forma Communi, el* 5. *de concessione præbenda*, ibi: & si fuerit minus valida, fit magis valida per confirmationem, si ex certa scientia hoc fiat. Vbi addit, quod nullus præter authoritatem confirmantis potest de illo iudicare. Quod latius disserit *in cap. si quis, verbo, Exerta, el* 1. *de Confirmatione vtili, vel inutili*. Et expresse statuit Alexander Papa III. *cap.* 2. *eiusdem tituli*. De „ confirmationibus autem (inquit) Romani Ponti- „ fices volumus te tenere, quod contra illas, (nisi „ novum Apostolicæ Sedis præcedat mandatum, „ aut certum sit, quod sint per falsi suggestionem „ elicitæ) non est aliquatenus iudicandum. Hæc in „ Decretali illa, & nihilominus.

163 Expendenda venit dictio, *contra illas*. Est enim valdè notandum, non prohibere Pontificem iudicium quodlibet circa Apostolicas confirmationes, sed quod eis adversetur. Quod vtique Alexander Papa VI. in Constitutione, *inter Cæteros*, quæ extat in Bullario meæ Hispanæ Congregationis Benedictinæ, *la* 21. data Kalendis Aprilis, de Anno 1501. satis opportunè expressit, dum facta ex certa scientia, ac matura deliberatione, & de plenitudine potestatis Apostolicæ, Confirmatione Cassinensi Congregationi concessorum privilegiorum; addit: *Declarantes etiam motu,* „ *scientia, auctoritate, & potestate prædictis, ac vo-* „ *lentes, quidquid dubij in dictis privilegijs, seu ali-* „ *quo eorum pro tempore emerserit, datis verborum,* „ *ambiguitate, & varia peritorum interpretatione,* „ *in favorem dictæ Congregationis, & locorum parti-* „ *cularium eius interpretari debere.* Hactenus Alexander VI. Ex cuius quidem lege demonstratur, nullum superiorem, Papa inferiorem, posse cognoscere de Privilegiis à Romano Pontifice concessis: & id rectè asseruisse Brunonem Chassaing, *vbi proximè*.

164 Habet etiam confirmatio ex certa scientia, vim novæ concessionis. Quod docent locis allegatis, Chassaing, Lezana, Vidal, Rodericquez, Tamburinus, *dicto quæsito* 1. *num.* 7. vbi sic ait. Et quæ nullam habent illationem ad ea, quæ præcesserunt, de novo conceduntur. Declarat magistraliter Decius, *consil.* 341. *num.* 7. & prius in substantia, dixerat Rota apud Cassadorum, *decis. vnica, de Confirmatione vtili, vel inutili*. Et hodie, pro indubitato admittitur per eandem Rotam, vt apud Seraphinum, *decis.* 1432. *num.* 1. *& decis.* 192. *num.* 2. *part.* 1. *recentiorum*. *Et in dicta*

*dicta Cæsaraugustana Cameraria coram R. P. D. Pirovano, num.*8. Hactenus Abbas Passinianensis. Decisio hæc, quàm coram Pitovano recenset factam, edita est, vt ibi *num.* 5. dicit die 26. Novembris, de Anno 1632. & penes eundem Ascanium adest *in fine tomi tertij de Iure Abbatum, la* 78. in qua *num.*8. *citato*, verba, quæ ex Tamburino reddidi, ad amussim invenio.

165 Docet & Barbosa *in dictum cap. Cum dilecta, num.*19. dicens. Confirmatio enim Pontificis ex certa scientia, habet vim novæ concessionis, quando confirmat id, quod invalidum est. Felinus *in cap. Inter dilectos, n.* 14. *de Fide instrumentorum.* Decius, *consil.* 184. *num.* 8. per legem *Adoptio, la* 2. *ff. de Adoptione.* Idem Decius, *consil.* 341. *num.*7. *ad medium, ve-sic. Sed in casu.* Parisius *de Communi, consil.* 19. *n.*15. *lib.* 1. Rota, in Iacensi Vicariæ, 27. Ianvarij 1614. coram D. Butato, apud Farinacium, *decis.* 513. *num.* 6. *part.* 2. *recentiorum.* Hactenus August. Barbosa.

166 Pellizzarius tandem, *tom.*2. *part.*1. *tract.*8. *c.*1. *num.* 26. distinguens confirmationem in forma Communi, à confirmatione ex certa scientia, docet priorem confirmationem nullum ius nouum conferre, nec validum facere privilegium, quod antea erat invalidum. Quia talis confirmatio non est concessio privilegij, sed puta roboratio illius pro statu, in quo erat tempore confirmationis. De confirmatione autem ex certa scientia, asserit esse novam concessionem talis privilegij : si tamen (addit) ab initio fuit validum, & rationem reddit. Quia confirmatio ex certa scientia, habet vim confirmandi actum, seu privilegium, aliàs nullum, reddendo ipsum de invalido validum: quod est privilegium de novo concedere. Si tamen ab initio fuit validum (addit); quia si ab initio fuit nullum, falsum, vel subreptitium, per confirmationem ex certa scientia, Princeps illud concedere non intendit. Quod tamen intellige, si aliud ex verbis confirmationis, vel aliàs de confirmantis mente, non constet. Quia benè potest si volt, quod fuit ab initio nullum, & invalidum, in confirmatione validum, & firmum efficere, vt pater.

167 Dicitur deinde confirmatio ex certa scientia, non simplex confirmatio, vel innovatio, sed amplixtio, & nova concessio. Barbosa *loco recensito num.*20. cum Abbate, & aliis, *in cap. Si quis, el* 1. *de Confirmatione vtili, vel inutili.* Decio *ibi, à n.*46. Gozadim. *consil.*62.*n.*15. Rota apud Faminac. *p.* 1. *recentiorum.*

168 Libuit addere, quòd ooster Tamburinus ait, & docet *dicta disp.*12.*quæsito* 6.*num.*25. pro intelligentia clausulæ *ex certa scientia* : videlicet, quòd stante hac clausula, contraria omnia sublata censeantur, absque alia derogatione, vel clausula. *Non obstante*, vt concludit Cardinalis Tuschus, *litt. C. conclus.* 140. *num.*1. & plures citati à Barbosa *de clausulis vsu frequentioribus, clausula* 59. *num.*12. vbi *n.*13. subdit, quod pariter operatur, vt id quod confirmatur, si non est solemne, reddatur solemne, ita vt det robur, quoad solemnitatem, sicut quoad validitatem. Et *num.*17. subdit, quod tollit omne Iuris obstaculum. Et *n.*25. quod tollit omnem errotis præsumptionem. Hæc omnia Ascanius reddit.

169 Sed inquires. Erítne censenda confirmatio ex certa scientia facta, eo præcisè, quod in litteris circa eam expeditis, apponatur clausula : *ex certa scientia?* vel requiritur vlterius, quòd privilegiorum, vel contractuum, aut rei confirmatæ tenor in illis inseratur, vel rei confirmatæ substantia in eisdem narretur Litteris?

Difficultas ista controversa est inter Doctores. Quod requiratur expressio tenoris, vel substantiæ rei, aut privilegij confirmati, tenent Raggius, *de Regimine Regularium, Centuria* 2. *tract.*8. *dub.* 161. *num.* 1. cum Pasqualigo, *in quæstionibus Moralibus centur.* 2. *quæst.* 107. Baldo *l. fin. Cod. de fructibus, & Litteris expensis & in l. fin. Cod. sententiam rescindi non posse.* Berooso *in cap.*1.*n.*27. *&* 42. *de Confirmatione vtili, vel inutili.* Mandosio *ibidem* & aliis. Illius fundamentum est, quia nequit confirmatio à Principe in forma specifica promanare, nisi ab ipso sit volita secundum formam specificam : vnde in ea requiritur necessariò illius cognitio (nihil enim volitum, quin præcognitum) cognitio autem clara haberi non potest, nisi ex cognitione rei in suo esse specifico, & secundum alias circunstantias omnes; alias clara non esset cognitio, sed confusa : confirmatio enim in forma specifica dicit, quod res in specie secundùm suum esse determinatum, & circumstantionatum ita confirmatur, vt ex voluntate confirmantis absolutè valorem accipiat, ac si de novo ab ipso fieret; quando autem Princeps non inserit tenorem rei confirmatæ, aut clare non constat habuisse plenam informationem, non dat rei valorem secundùm esse determinatum, nec declarat suam voluntatem, quod tendat in rem confirmatam secundùm esse determinatum, & circunstantionatum : voluntas autem, quæ non exprimitur pro forma specifica, non valet pro forma specifica, quia tantùm solùm operatur, quantum se declarat velle operari.

Communis tamen sententia asserit, sufficere, 17 quòd in litteris, clausula apponatur recensita, ad hoc vt confirmatio, non in forma communi, sed ex certa scientia facta censeatur. Illam tenent Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.*1. *disput.*18. *quæsito* 1. *num.* 6. Barbosa, *in cap. Cum Dilecta, num.* 17. *el* 4. *de Confirmatione vtili, vel inutili,* cum Suarez, *de Legibus, lib.* 8. *cap.* 18. *num.*6. Hieronymus Roderiquez, *in Compendio qq. Regularium, verbo Privilegia resolut.* 116. *num.* 9. Lezana, *tom.*2. *verbo Privilegia Regularium, n.*13. *& tom.* 3. *in Mari magno Eremitarum S. Augustini, circa* §. 33. *num.* 104. *& in Mari magno Carmelitarum, num.* 299. Garcia, *de Beneficiis, part.*3. *cap.*2. *num.*233. & allegat *num.*230. Abbatem *in cap. Examinata, el* 7. *de Confirmatione vtili, vel inutili, ad finem.* Romanum *Consilio* 317. *num.* 7. Decium, *in cap. Porrecta, num.*25. *el* 6. *dicti tit. de conformat. &c.* Rotam, *in Abulensi, Iurisdictionis*, 22. *Ianvarij*, 1588. *coram Orano, & in Burgensi Iurisdictionis*, 3. *Maij*, 1589. *coram Pamphilio : & decis.* 780. *num.*5. *part.*1. *diversorum.* Antonium Gabrielem plures referentem Doctores, *de Clausulis, conclus.*1. 2. *&* 3. Tenent etiam penes Raggium, *vbi proximè*, Ripa, *respons.*6. *num.* 1. *lib.*2. Felinus, *in cap. cum vigesimum, n.*12. *de Officio Delegati, & cap. Nonnulli, de Rescriptis.* Menochius *de arbitrar. lib.* 1. *q.*51. *num.*9. Alexander *consilio* 15. Et de hac sententia dicit Raggius, *in fine*, esse æquè probabilem, & fortè magis receptam in praxi. Pro illa addo Castrum Palaum, *tom.* 1. *tract.*3. *disput.*4. *punct.*2. §. 10. *n.*3. *pag. mihi* 217.

Et probatur ratione. Quia clausula : *ex certa* 17 *scientia* : aliquid operari debet in diplomate confirmationis

firmationis privilegiorum apposita. Verbum enim quodlibet in lege, Constitutione, aut privilegio Principis positum, otiosum non est, sed aliquid operatur, vt non ibi superfluum, & frustratorium. Docent Marcus Vidal, *tit. de Duello, inquisit. 5. num. 26. ex l. si quando, la 109. de Legatis 1.* & Baldo, *in Rubrica 6. de contrahenda emptione q. 9.* Ioannes Baptista Lezana, *tom. 2. part. 4. verbo, Leges Regularium, num. 41. ex cap. in his, el 30. de Privilegiis. cap. si ciuitas, el 17. de sent. excom.* Et ex Miranda, *in Manuali Prælatorum, q. 25. art. 26. conclus. 6.* idem Lezana, *in consultis variis, consulto 2. n. 37. ex l. 5. in princ. ff. de Iureiurando, l. fin. ff. Ne quid in loco publico, vel itinere fiat. c. si à Iudice, el 10. de Appellationibus, lib. 6. cap. si Papa, in fine el 10. de privilegiis, eod. lib.* Felino, *in cap. Qualiter, & quando, num. 25. el 24. de Accusationibus,* & Alexandro *consilio 214. ponderatis, num. 10. & seqq.* Naldus *in summa, verbo Lex, n. 24.* ex communi more dicendi. Thomas Sanchez, *tom. 1. de Matrimonio, lib. 3. disput. 26. n. 6. ex cap. Abbate, versic. Contra quos facit, el 25. de verborum significatione.* Ibi. „ Cum privilegium sit lex „ privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter „ indulgeret ex *cap. si Papa,* allegato, ibi. Cum ver„ ba aliquid operari debeant. Et addit Sanchez, quod adeò verum est, vt non solùm verbum, & quælibet dictio, non debeat esse sine effectu aliquid operandi, sed etiam quælibet Syllaba: vt benè docent Glossa, *in cap. solitæ verbo Tanquam, de Maioritate & obedientia.* Staphilæus, *de Litter. gratiæ, tract. de vi, & effectu Clausulæ, §. 1. num. 9.* Simon de Pratis, *de Interpretatione vltimarum voluntatum, l. 2. interpret. 3. dub. 2. solut. 5.* incipit. *Quintò generaliter.* Dictis consonant Doctoribus, Palaus, *tom. 1. n. 3. disp. 4. punct. 2. §. 10. n. 3. & punct. 9. n. 4.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 1. disput. 16. quæsito 1. num. 9.* cum Abbate *in cap. in his, de privilegiis, in cap. Abbate, de Verbor. significat. citat.* Navarro, *in Manuali, cap. 12. num. 9.* Sylvestro, *verbo Privilegium, q. 3.* Suarez *de Legibus, lib. 8. cap. 27. num. 5.* Azorio *parte 1. lib. 5. cap. 23. quæst. 2.* & Salas, *de Legibus, disp. 17. sect. 8. num. 46. & 52.* Ego ipse *in Disquisitione de Iure prioris annexi, num. 53.* Barbosa, *tract. de Axiomatibus, axiomate 222. n. 11. & 12.*

172 Exornat doctissimus idem Augustinus Barbosa, *in Proœmio Decretalium, à n. 28.* vbi in sequentia prorumpit. Lex superflua remedia non inducit, *l. Hac stip. §. Diuus, ff. vt Legatorum nomine caueatur. l. Quibus idem, ff. de Verborum obligationibus.* Omne superfluum est à Iure reprobatum, Gonzalez, *ad Regulam 8. Cancellariæ, glossa 13. n. 72. & glossa 22. n 4.* Leges nihil frustra faciunt. Cæsar Argel, *de contradictore legitimo, quæst. 2. n. 200. & q. 13. n. 48. & q. 18. n. 18.* Nec debent habere vnam Syllabam superfluam, & vacuam, Gonzales, *dicta Glossa 22. num. 5.* Nam verba Legis, & dispositionum, semper debent aliquid operari. *l. 5. in principio, ff. de iuriurando l. si quando 109. ff. de legatis 1. cap. si Papa, in fine, de Privilegiis, lib. 6. cap. si à Iudice, de Appellationibus, eodem libro.* Tiraquellus, *de Iure mariti, part. 3. limitat. 30. n. 56. & de retractu conventionali §. 1. Glossa 2. num. 24. & num. 45.* Gutierrez, *Practicarum lib. 3. quæst. 15. n. 39.* Bertaz, *de Clausulis instrumentorum, clausula 21. Glossa 14. num. 10. & in repetitione l. si quis maior, Cod. de Transactionibus, num. 241. cum sequentibus.* Auiles *ad cap. 1. Prætor. verbo Ni lleuaran, n. 14. pag. mihi 57.* Surdus *decis. 64. n. 10. & consilio 127. n. 9. & consil. 208. n. 15. & cons. 270. n. 10.* Burgos de Pace, *consil. 25. n. 21.* Caldas Pereira, *de renouatione Emphyteusis, q. 11. n. 14.* Gonzales *ad Regulam 8. Cancellariæ, §. 7. Proœmiali, n. 127.* Stephanus Gratianus Marchiæ, *decis. 47. n. 7. & decis. 109. num. 19.* Benedictus Ægidi *in repetitione l. Ex hoc Iure ff. de iustitia, & Iure, part. 1. cap. 8. num. 2.* Et ita debent intelligi, ne maneant sine effectu. *l. si stipulatus fuero, ff. de Verborum Obligationibus,* Menoch. *consil. 122. n. 48. & consil. 343. num. 8.* Surdus, *de Alimentis, tit. 9. q. 28. n. 60. cum sequentibus.* Vnde argumentum à superfluitate vitanda, validissimum est in Iure, vt per Stephanum Gratianum, *Disceptationum forensium, cap. 306. n. 16. metipsum, doloris communibus, argum. Iuris loco.* Hæc omnia, menti tenenda, ad amussim ex Doctore Barbosa recensui.

Lezanæ tamen limitationem, dicto *num. 25.* 173
additam, omittere non debeo, quia verissimam illam iudico. Postquam enim dixit ex certa scientia fieri confirmationem, quando supponit Papa habere se notitiam claram illorum (privilegiorum scilicet) vt si antequàm confirmet, ponit tenorem privilegij, vel si in confirmatione dicat se confirmare ex certa scientia, vel si dicat: Confirmo ex plenitudine potestatis. Per hæc enim verba significat Papam, se velle operari quidquid potest: videlicet supra Ius, & contra Ius. Postquam enim hæc Author præfatus dixit, addit. Limita tamen, dummodò Papa confirmans ex certa scientia, non ponat aliquam clausulam, per quàm dicat, se nolle confirmare privilegia aliàs nulla; vt si, verbi gratia dicat: *quatenùs sunt in vsu*: vel *Dummodò sub aliquibus revocationibus comprehensa non sint,* aut; *Non sint contraria Concilio Tridentino, &c.* Tunc enim non confirmantur talia privilegia, ita vt de novo concedantur. Suarez *de Legibus lib. 8. c. 18. num. 16. & 17.* Portellus, *de Dubiis Regularium, num. 29.* Ita Lezana. Sed hoc vltimum intellige: non confirmari talia privilegia excepta. Scilicet, quæ non sunt in vsu: & quæ contrariantur Concilio, &c. qua talia.

Vera etiam est limitatio Nicolai Garciæ dicen- 174
tis, confirmationem, in qua apposita est Clausula *ex certa scientia*, esse confirmationem ex certa scientia, & non in forma communi, ad effectum confirmandi actum, aliàs de Iure invalidum; non tamen tollere defectum intentionis, nec purgare vitium subreptionis. Et allegat Ripam *respons. 6. num. 10. lib. 2.* quem refert Antonius Gabriël, *de Clausulis, conclus. 1. sub n. 25.* Padillam, *in l. fin. Cod. de diversis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus num. 3.* Molinam, *de Hispana primo genitura, lib. 2. cap. 7. num. 15.* Gutierrez, *consil. 11. n. 13.* & sequentibus. Rotam in Cæsaraugustana exemptionis, 20. Maij, de Anno 1585. coram Orano, quando notoriè de eo constat. Rota *decis. 56. n. 6. 13. & 14. p. 2. diversorum*

Sequuntur Garciam, Aug. Barbosa, *in dictum cap. Cum dilecta num. 17.* Tamburinus, *disput. 18. & q. 1. citatis, num. 6. versic. Vel agimus.* Et Castrus Palaus, *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 9. n. 4.* vbi id benè probat. Et ità conciliat decisiones Rotæ, in vna Romana Secretariatus, 10. Aprilis, 1592. coram Seraphino, decidente confirmationem, etiam cum Clausula, *ex certa scientia* laborantem defectu intentionis, ob tertij præjudicium, non intellectum, nihil operari. Castrensis, *consil. 84. num 4. lib. 2.* quem refert, & sequitur Alex. *consil:*

consil. 122. & ibi Additio, *Littera A. lib.* 4. Rota aliàs in Calciarensi Iurisdictionis, 16. Ianuarij 1587. coram Rubeis. Et posteà coram eodem Seraphino resolutum fuit, confirmationem non posse dici verè ex certa scientia, non obstante appositione dictæ clausulæ, nisi totus tenor tunc Papæ innotuerit, & fuerit insertus. Ferretus, *consil.* 38. *num.* 5. Decius, *consil.* 33. *num.* 5. Gozad *consil.* 9. *num.* 8. Quam declarationem Farinacius exscribit *decis.* 84. *num.* 24.

175 Secundò adnoto, quod confirmatio ex certa scientia, privilegiorum vnius Ordinis, aut Congregationis, se extendit ad privilegia alterius cuiuscũque, privilegiis illius per communicationem gaudentis: dummodò tamen communicatio fuerit facta, non privilegiorum concessorum solùm, sed etiam concedendorum illi Ordini, aut Congregationi, cuius privilegia confirmata fuerunt.

Ita docent Eligius Bassæus, *tom.* 1. *verbo Privilegium IV. num.* 3. cum Bartolo, *in l. More maiorum, ff. de Iurisdictione.* Portello, *in Dubiis Regularium, verbo Privilegium, num.* 34. Emmanuël Roderiquez, *tom.* 1. *qq. Regularium, quæst.* 8. *art.* 2. *conclus.* 2. cum Mandosio, *de Privilegiis, ad instar. quæst.* 7. *art.* 2. Hieronymus Roderiquez *in Compendio dictarum quæstionum, resolut.* 116. *num.* 10. Marcus Vidal, *tit. de Casibus reservatis, inquisitione* 1. *num.* 108. *& tit. de Duello, inquisit.* 6. *n.* 34. cum Peregrino, & Ioanne Baptista Confecta. Vbi ita fatur. Addo tamen cum Peregrino, *verbo, Introductio, post* §. 7. *in Scholio, versic. Præterea est annotandum*, quod in communicatione privilegiorum, comprehenditur illorum confirmatio, & innovatio. Cum ergo omnes ferè Regularium Religiones participent per communicationem ad invicem omnia, & singula privilegia concessa vnicuique earum, sequitur, vt confirmatis privilegiis vnius Religionis, etiam pro omnibus aliis, quibus communicantur, censeantur confirmata, & innovata. Hoc etiam docent alij Doctores, vt Ioannes Baptista Confectus, citatus ibi à Peregrino. Hactenùs P. Marcus Vidal.

Docent etiam apud Dianam *p.* 12. *tract. de Collocutione, & scriptione tempore conclavis, resol.* 26. Merolla, *tom.* 1. *disp.* 6. *dub.* 2. *difficult.* 3. Peregrinus, *in Compendio Privilegiorum, in introductione,* §. 7. *in Schol. versicul. Præterea.* Donatus, *in Praxi Regularium, tom.* 1. *tract.* 11. *q.* 9. Antonius Via, *in Collectione privilegiorum Mendicantium, verbo, Communicatio privilegiorum, fol* 74. §. *Notandum.* Bordonus, *tom.* 2. *resolut.* 52. *n.* 320. Crescentius *in Præs. Bern. lib* 3. *n.* 31.

Docet denique Ascanius Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.* 1. *disp.* 18. *quæsito* 4. *num.* 3. cum Miranda, *in Manuali Prælatorum, tom.* 2. *q.* 42. *art.* 5. *conclus.* 2. Suarez *de Legibus, lib.* 8. *c.* 19. *n.* 10. qui etiam addit ibi, id valere, etiamsi confirmatio sit in forma Communi. Quia etiam in forma Communi facta confirmatio, gratia est, & privilegium. Et allegat Laurentium de Peyrinis, *qui tomo* 1. *privilegiorum, ad constitutionem* 4. *Iulij Papæ II.* §. 3. *num.* 2. *pag. mihi* 106. in sequentia prorumpit.

Adverte etiam, quod confirmatis ex certa scientia privilegiis alicuius Religionis, cui primò fuerunt concessa, eo ipso censentur confirmata pro omnibus Religionibus, quibus ante confirmationem, & post concessionem fuerunt Communicata, si Communicatio fuit non solùm de concessis, sed etiam de concedendis. Hæc P. Peyrinus.

176 Sed advertere oportet restrictionem, & limitationem ex Tamburino, & aliis recensitam Doctoribus, quòd scilicet confirmatio privilegiorum vnius Religionis de novo facta, non se extendat ad privilegia alterius, cui concessus fuerit vsus, & communicatio privilegiorum dictæ Religionis, nisi in communicatione mentio concedendorum fiat. Et ratio est, quia verba privilegij extensionis, & cuiusvis alterius, intelligi nequeunt extra illorum proprietatem: maximè si aliud de mente non constet concedentis. Communiter itaque talis mentio non fit, sed tantùm eorum, quæ tempore Communicationis, extensionisve concessa reperiuntur.

Exemplum sit in privilegiis nostræ Congregationis, apud eiusdem Bullarium, *el* 1. 22. 41. 61. 83. 123. & apud Roderiquez Bullarium, *el* 36. Leonis Papæ Decimi *el* 3. Gregorij XIV. pro Cistercienfibus Hispanæ Congregationis *fol. mihi* 518. Solent tamen aliquandò Summi Pontifices ampliorem concedere privilegiorum communicationem, ità vt, ad in futurum concedenda, extendatur. Præfatus Leo in Constitutione 79. nostri Bullarij, concessit, Conventui Sancti Vincentij Ouetensis, extensionem quorumcumque privilegiorum, &c. *quibus Sancti Benedicti, & alia eiusdem Congregationis pro tempore existentia Monasteria, & Prioratus, vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum.* Cum omnimoda expressione privilegiorum concedendorum Ordini Cisterciensi, & omnibus eius Congregationibus, edidit dictus Gregorius aliam Constitutionem 6. Septembris, 1591. in favorem Congregationis Cisterciensis Italiæ, *la* 16. apud Cherubinum, in novissima editione, *tom.* 2. *fol. mihi* 718. videatur §. eius quartus.

Similes communicationes privilegiorum, etiam cum expressione concedendorum, aliis Ordinibus factas invenio. Tertiariis S. Francisci Leo X. communicavit privilegia Monialium S. Damiani, & S. Claræ *in Bulla* 21. apud Bullarium Roderiquez. Prædicatoribus idem Leo concessit *Bulla* 33. privilegia Minorum, Augustiniensium, Carmelitarum, & servorum Beatæ Mariæ. Militiis S. Iacobi, & Auis Portugaliæ, & Algarbiorum Gregorius XIII. *in Bulla* 34. communicavit privilegia Militiarum S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatravæ Castellæ, & Legionis. Sixtus V. *Bulla* 21. communicavit Congregationi Benedictinæ Portugaliæ privilegia Congregationum S. Benedicti Vallisoletani, Cassinensis, & S. Hieronymi. Carmelitanis etiam concessit Clemens VII. *in Bulla ex Clementi, la* 31. *Bullarij Cherubini, tom.* 1. *pag. mihi* 638. omnia privilegia concessa, & concedenda quibusvis Congregationibus, & Ordinibus quibuscumque, etiam non Mendicantium.

177 Vnum hîc lubens meum moneo Lectorem Regularem, quod licet Doctissimus P. Franciscus Pellizzarius, *in Manuali Regularium, tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 42. dicat, ex speciali indulto, hodie omnes Religiones gaudere communicatione privilegiorum, tam concessorum, quàm concedendorum earum cuilibet, debet propriæ Religionis suæ consulere privilegia; nam si de huiusmodi non constet indulto, nec de illius concessione adsit opinio satis probabilis, leuiter credentes Regulares, omnia, & singula privilegia esse omnibus communia, nos metipsos fallentes, limites

limites concessionum transgrediemur, ac propriam in alienam messem mittentes falcem, præter gravem Dei, eiusque in terris generalis Vicarij offensam, & tertij iniuriam, quæ non rarò contingere queit, ob privilegiorum abusum, Innocentij Papæ Tertij. *in cap. Tuarum*, §. *Verum, el 11. de Privilegiis*, incurremus sententiam, sub hoc latam tenere. *Verum quia privilegium amittere*
" *meretur, qui permissa sibi abutitur facultate.* Cui
" consonata Axioma Theologicum: Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur facultate. De quo Ioannes Caramuel, *in Theologia Fundamentali, fundamento* 43. *Axioma* 22. *sub num.* 1106. cum Reginaldo, *lib.* 9. *capite* 26. *numero* 385. *in fine*, & Layman *fol.* 102. *numer.* 24.

178 . Maturè ergo nostra consulamus Regulares privilegia. Iuxta illorum operemur tenorem. Nihil omninò eorum addamus concessioni: nihil prorsus illorum indulgentiæ, ac largitioni detrahamus. Primum quidem, ob plura modò recensita; secundum verò, ne in vacuum gratiam recepisse inveniamur: & ne illam amittamos; non vtique per non vsum, quia per contrarios actus; ignorantiam, non observantiam, seu non vsura privilegiorum, indultorum, gratiarum, immunitatum Congregationis Sanctæ Iustinæ, seu Cassinensis nostræ, non amittuntur, nec illis præiudicatur, ita decernente Eugenio Papa IV. in Constitutione, *Et si quaslibet personas, la* 9. *nostri Bullary Hispani*: cuius meminit Samuellius, *de sepulturis præludio* 2. Et idem dicendum de his, qui nostrorum privilegiorum communicationem habent; sed quia mnam istam habeores in sudario repositam, tanquam servi nequam, sententiam audiamus Salvatoris: *Auferte ab illo mnam. Luce* 19. *versic.* 24. Et ne etiam ingratissimus tot, & tantorum privilegiorum, & beneficiorum largitoribus.

Quocircà Didacus Frances, Vrrutigoyti *in suo foro Conscientiæ, seu Pastorali interno, part.* 3. *voto* 4. *num.* 3. *de Minoribus, & Augustinianis differens Patribus*, & de eorum privilegijs, ita fatur. Nihil igitur mirum si prædictæ Religiones hanc prælationem quærere, & defendere procurent, de quo Valenzuela, *tom.* 1. *consil.* 1. *num.* 1. *vsque ad* 7. Maximè cum quælibet ipsarum variis decorentur privilegiis Apostolicis: quæ quidem si ambæ magni non penderent, iustè possent ingratitudine notari, contra id, quod docuit Aristoteles, *lib.* 1. *Æthicorum*, *Oportet regratiari ei, qui gratiam fecit.* Et Seneca *lib. de Beneficiis* ait. *Beneficiorum memoria senescere non debet.* Et ideò potiùs foret calumniosa omissio conservationis iorum, & præeminentiarum, quàm prædictæ Religiones habent in vim concessionum Apostolicarum, vel aliàs, quàm reprehensione digna. Et hoc gratitudinis causa erga concedentes privilegia, iuxta illud Ciceronis *lib.* 2. *in Philipp. Cum gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen tanta est, quam maximam animus habere possit, &c.*

Vndè com Religiones (& præcipuè Mendicantium profitentium Summam paupertatem) Sedi Apostolicæ gratificare non possint nisi ex animo in æstimatione facienda pro privilegiis, eis concessis, & Iuribus suis, meritò pro defensione omnem conatum interponere tenentur. Hucusque Dominus Vrrutigoyti, Episcopus.

Rationem autem, quare Regulares non amit- 179
tamus privilegia per non vsum, nec per contrarium vsum, reddit Samuellius *loco citato*, dicens: quoniam Regulares, neque illis renuntiare, neque per contrarios actus valent eis præjudicium inferre per ea, quæ à Panormitano notantur; *in cap. Cum accessissent, de Constitutionibus, in fine*, vbi inquit, quòd quamdiu vnus vtitur, & non alter, privilegio amborum vniversitati concesso, tunc non vtens, vtenti non præjudicat. Hæc Samuellius. Verba Abbatis, in allegato capite, quod octauum est dicti tituli, sic io eo sub *numero* 7. Lego. Et est ratio, quia singulares personæ non possunt per contraventionem eorum renunciare privilegio concesso Ecclesiæ.

Tertiò adnotare duxi Constitutionem Vrbani Papæ VIII. incipit *Cum sicut accepimus*, 5. Novembris, de Anno 1631. editam *in* 120. *apud Angeli Cherubini Bullarium magnum, tom.* 4. *fol. mihi* 180. in qua sic statuit.

VRBANVS PAPA VIII.
ad perpetuam rei memoriam.

Cvm sicut accepimus, S. Benedicti, Cister- 180
ciensis, Præmonstratensis, S. Antonij de S. Antonio Viennensi, Societatis Iesu, ac aliorum forsan Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium Professores vigore, seu prætextu privilegiorum, & Indultorum sibi, dictisque Ordinibus, Congregationibus Societatibus, & Institutis ab hac Sancta Sede Apostolica, tàm per viam merè concessionis, quàm communicationis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter concessorum, in Constitutionibus generalibus à Nobis, & dicta Sede hactenus editis, & de cætero edendis, se minimè comprehendi prætendebant, *nisi de eis specialis, specifica, individua, & expressa mentio fiat.*

§. I. Nos, qui inter gravissimas, multiplicesque Apostolatus nostri curas, in eam præcipuè, ac peculiari studio iugiter incumbimus, vt extirpatis hæreticarum pravitatem erroribus, Catholica fides vbique gentium conservetur, & propagetur, ambiguitates, & dubia de medio tollere, & opportunæ dispositionis ministerio providere volentes, vt tot, tantæque Constitutiones generales à Nobis, & ab hac Sancta Sede, & præsertim ad favorem Fidei Catholicæ, illiusque propagationem, & Officij Sanctæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem editæ, & de cætero eondæ sublatis quibuslibet exceptionibus subterfugiis, & impedimentis, ad maiorem Dei gloriam, Sanctæque Matris Ecclesiæ exaltationem, debitum, vt par est, sortiantur effectum; necnon quorumcumque privilegiorum gratiarum, & indultorum, dictis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam quantumlibet extraordinariis, & cautelis quomodolibet, & ex quacumque causa concessorum, *etiamsi in corpore Iuris clausa sint*, tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in eis tradita, observata inserti forent, eisdem præsentibus pro expres-

sis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, *deque Apostolicæ potestatis plenitudine*: quòd quævis generales Constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per Nos, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros in concernentibus Fidem Catholicam, illiusque propagationem, & Sanctæ Inquisitionis Officium præfatum, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officij, & de propaganda fide coram Nobis tractari solent, hactenùs editæ, omnes, & singulos, tam S. Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, & S. Antonij de Sancto Antonio Viennensi, & Societatis Iesu præfatorum, quàm quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum professores omninò comprehendant perindè, ac si præfaris, & alij quantumlibet privilegiati, in eis nominatim expressi fuissent.

181 §. II. Edendæ verò in posterum per Nos, & Romanos Pontifices successores nostros, tàm in favorem præfatæ fidei Catholicæ, illiusque propagationis, & Sancti Officij Inquisitionis præfati, quàm super quacumque alia re, negotio, seu materia, Constitutiones, dispositiones, & Ordinationes huiusmodi similiter omninò comprehendunt præfatos eorundem Ordinum, Congregationum Societatum, & Institutorum professores; nisi in edendis Constitutionibus, huiusmodi specialiter, & expressè excipiantur, etiamsi ipsi privilegiati, forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque privilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apostolica præfata, etiam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam Motu, scientia, ac de plenitudine potestatis similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quàm communicationis, & aliàs quomolibet concessa respectivè sint, quotum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant in Constitutionibus generalibus, vel aliis non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem.

182 §. III. Præsentes verò litteras, omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo quòd Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum huiusmodi professores, vel alij quicumque in præmissis interesse habentes, seu quomodolibet habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi, ac causæ, propter quas eædem præsentes emanarunt, adductæ, verificatæ, seu aliàs iustificatæ non fuerint, vllo vnquam tempore de subreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis, etiam quamtumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos Iuris reduci, aut aliud quodcumque Iuris, facti, gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari nullatenùs posse, neque sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, semperque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiti, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari.

§. IV. Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. 183

§. V. Non obstantibus regula nostra de Iure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon S. Benedicti, Cisterciensis, Præmonstratensis, S. Antonij, de Sancto Antonio Viennensi, & Societatis Iesu præfatorum, ac quorumcumque aliorum Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & privilegijs, nec non præfatis, & quibusvis aliis privilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Maremagnum, & aliàs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, eorumque superioribus, bonis, rebus, Monasteriis, locis regularibus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & alijs Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque tenoribus, specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia forma exquisita ad hoc servenda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. 184

§. VI. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla, ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent. 185

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 5. Novembris, 1631. Pontificatus Nostri, Anno nono.

Die, & anno supradicto affixæ, & publicatæ fuerunt supradictæ litteræ ad valuas Curiæ, & Cameræ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, & alijs locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum, S.D.N. Papæ Cursorem.

Ex

Ex qua quidem Vrbana Constitutione habemus, derogationes generales privilegiorum quorumcunque Regularium, in Constitutionibus Apostolicis, ante quintum diem mensis Novembris, de Anno 1631. editis contentas, duntaxat in his quæ Fidem Catholicam, illius propagationem, & Sanctæ Inquisitionis Officium spectant, præjudicium illis inferre; non autem in aliis. Ita apertè decernitur *in* 1. §. quoad 1. partem ibi: *quod quævis generales Constitutiones*, &c. Et quoad secundam, §. 2. vbi distinguit Constitutiones ab illo die edendas in omni alia re, & materia ad Fidem, & Inquisitionem non spectante, ab hactenùs editis: & statuit, quod iam editæ, Regularibus non præiudicent; secus autem edendæ. Sed post dictam Constitutionem nulla ostenditur alia, in qua derogetur Regularium privilegiis, concedentibus facultatem absolvendi à casibus Durlli, & aliis reservatis Papæ. Ergo possunt hodie Regulares ab illis absolvere, in terminis etiam Tridentini Concilij, & Constitutionis Gregorij Papæ XIII. Quod autem statuat id Vrbanus, patet ex distinctione præfata ab eo facta, & ex dispositione circa edendas Constitutiones, quam circa iam editas omisit. §. 1.

186 Affirmatio enim vnius, est negatio alterius. Cum, quia inclusio vnius est exclusio alterius. Tum, quia quòd de vno loquitur, de aliis negatum esse censetur. Tum, quia inclusio, & exceptio ponit casum specialem, adeò vt quantùm loquitur, tantùm operetur, & non vltra. Tum, quia, quæ specialiter non reservantur, Iure concessa censentur. Tum, quia odia & pœnalia restringenda sunt, & non amplianda. Tum, quia in pœnalibus legibus, non fit extensio ad casum non expressum. Quòd enim non exprimitur in lege, censetur neglectum. Si enim illud Legislator voluisset, illud expressisset, sicuti expressit circa Constitutiones de rebus Fidei editas ante 5. Novembris 1631. & circa edendas post illum, in omni materia. Tum, quia, qui aliquid cassat, cætera admittere videtur. Cum igitur Vrbanus VIII. affirmet, Constitutiones Apostolicas, de rebus fidei, & inquisitionis hactenus editas, afficere Regulares, & eorum privilegiis præiudicium inferre, derogari, negabit illos comprehendere Constitutiones de aliis rebus ante illum editas diem.

187 Ex suprà à nobis adnotatis, & dictis, satis nostra 7. conclusio fulcita manet. Vnum tamen hîc, pro dubij Coronide, advertere lubens duxi, quod in dubio, an privilegia aliqua sint revocata, necne, iudicandum est revocata non existere. Ita noster Tamburinus *de Iure Abbatum*, *tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 10. *n.* 12. ex Glossa 25. *quæst.* 2. *in Summa prope finem.* Federico de Sena *consil.* 213. *column. vlt. versic. Item non potest.* Romano, *consil.* 327. *num.* 1. Boatio, *de potestate Legati à latere*, *n.* 44. *versic. Tum etiam*, Gambar. *de Officio Legati*, *l.* 8. *tit. Potestate Legati*, *in Legibus*, *& statutis*, *in fine.* Et Seraphino, *tom.* 1. *decis.* 296. *num* 1. Et meritò quidem, quia in dubio, standum est pro possidente ante dubium: pro privilegium scilicet habente.

188 Quocirca Delbene, *de Parlamentis*, *dub.* 4. *sub sect.* 31. *Corollary* 2. *sub Corollario* 1. *num.* 2. ait *fol. mihi* 113. quòd non solùm error communis, sed etiam opinio probabilis Iurisdictionem confert, etiamsi opinio illa fortè falsa sit. Vt si verbi gratia probabile sit (inquit) talem posse à Censuris, vel à reservatis absolvere, matrimonio assistere, excommunicare, Confessorem eligere, *privilegium non esse revocatum*, & similia, & ille ex hac opinione operetur, valida sunt acta, Ecclesia scilicet supplente defectum, si fortè defectus subsit. Et ratio (addit) est, quia cum licitum sit operari ex opinione probabili, si omnia illa essent irrita, gravia incommoda etiam in communitate sequerentur. Et paucis interiectis, concludit dicens. Quin imò, vt ait Panormitanus *in cap. Nihil* 44. *de electione*, quem refert; & sequitur Rosella, *verbo*, *Confessor*, *in fine.* Sylvester. *verbo eodem* 1. *quæst.* 19. Sanchez 56. (scilicèt *lib.* 3. *de Matrimonio disput.* 22.) valent acta in vtroque foro, etiamsi populus dubitet, an superior sit Officio privatus. Et ratio est, quia cum anteà fuerit habitus pro Superiore, non debent subditi propter dubium superveniens, cum in Officio perseveret, eum reijcere. In dubio enim nemo est suo Iure spoliandus, cum in dubio melior sit conditio possidentis Ita ille.

DISQVISITIO XII.

De Clerico concubinario,

An privatus sit Ecclesiasticâ Sepulturâ, & an aliis pœnis à Iure inflictis subiaceat?

§. I.

Difficultas resolvitur.

BREVIARIVM.

Absolvere.

Potest Episcopus absolvere subditos ab omnibus reservatis Papæ, occultis per accidens, prout occultum distinguitur à probabili, num. 99.

Prælati Regulares possunt ab eisdem subditos absolvere, num. 99.

Causa.

Alia est per se: quæ essentialem habet connexionem cum effectu, sine quo esse non potest, num. 92.

Alia est per accidens: quæ talem non habet connexionem, & potest esse sine effectu, num. 92.

Clerici concubinarij.

Fornicarij Clerici, si post trinam monitionem, cum eisdem fabulati, & aliquomodo conversati fuerint, excommunicandi sunt, & etiam concubina illorum, num. 23.

In sacris constituti concubinarij, suspendendi sunt, & interdicendi, & si ad concubinas redierint, vel aliàs receperint, excommunicandi sunt donec resipiscant, num. 25. 26.

Privandi sunt officio, & beneficio, etiam in sacris non constituti, num. 17. 28. 29. 38. 39.

Post suspensionem tamen, & trinam monitionem. num. 30. 33.

Interdicto ingressu Ecclesiæ feriuntur Clerici in sacris, concubinarij, donec resipiscant, num. 36.

habeatur à maiori parte, vel magna Viciniæ, Conventus &c. 2. vt locus in quo sit publicus sit in quem soleat communitas convenire. 3. vt fiat de die. 4. vt personæ, quæ illud sciunt, tales sint, vt prudenter præsumantur illud manifestaturæ, numero 57.

Ad notorium facti, maior numerus requiritur in magna, quàm parva communitate, n.58.62.

Decem saltem personas habere debet Communitas, vt in ea possit aliquid dici notorium facti, 58.62.

Quod notum est maiori parte Parochiæ, notorium est in illa; non absolutè respectu civitatis, n.58.

In criminibus notoriis facti, nec accusator requiritur, nec testis, n.56.

Notorium præsumptionis, quod publicè pro tali habetur, & ad illud probandum, nullus iuris orde requiritur; sed probatur per præsumptiones. Talia sunt Paternitas: Filiatio: & Cognatio, n.59.

Quæ ex suspicione procedunt, impropriè notoria dicuntur, n.66.

Occultum.

Plerumque accipitur pro eo, quod notorium non est, num.110.

Occultum est, quod quinque sciunt, n.62.

Occultum est, quod non est famosum, manifestum, nec notorium, n. 69.

Occultum aliud per se, aliud per accidens, n.71.

Occultum per se est, quod nihil ex natura sua habet vnde ab hominibus cognosci possit, n. 71.

Occultum per accidens est, quod ex natura sua habet vnde cognosci ab hominibus possit; sed de facto non cognoscitur, quia defuit, qui illud cognosceret, num.71.

Occultum per accidens, aliud est prout à probabili; aliud prout à famosô, & aliud prout à notorio distinguitur, n.72.

Occulta per se non cadunt sub Ecclesiæ iurisdictione, à n.73. ad 79.

Occultum per accidens, vt distinguitur à probabili, sub favorabili cadit concessione, n.99.

Prout distinguitur à famoso, venit sub favorabili in foro conscientiæ, quoad Brevia S. Pœnitentiariæ, Legatorum, & quorumcumque, habentia clausulam: dummodò impedimentum occultum sit n. 102.108.

Non venire in concessione facultatis dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, probabile est. 102. *& seqq. Probabilius est venire.* n.105.

Prout notorium non est, venit in concessione Tridentini sess. 24. *cap.* 6. *quoad absolutiones, & dispensationes.* à n. 105

Ordo.

Vt quis ad Ordines promoveri possit, delicto non obstante, sufficit vt hoc notorium non sit, n.110.

Præcepta.

Superior prudens, in his, quæ corporalibus potest punire pœnis, præceptis non vtitur. n.86.

Publicum.

Illud est, quod in loco publico fit coram pluribus adstantibus, & percipientibus. n.62.

Sumitur aliquando, sed impropriè, pro notorio, & è converso, n.61.63.

Testes.

Duo vt plurimum sufficiunt, n. 100.

Ad testamentum de Iure Cæsareo septem requiruntur. n.101.

Ad donationem causa mortis quinque ex eodem desiderantur iure, n.101.

Contra Episcopum, vt damnetur necessarij sunt septuaginta duo, n.101.

Contra Presbyterum Cardinalem 44. n.101.

Contra Diaconum Cardinalem 37. n.101.

Contra Subdiaconum, Acolitum, Exorcistam, Lectorem, & Ostiarium. 7. n.101.

Voluntas.

Amare non potest, quod non cognoscit intellectus, n.97.

CONCLVSIO I.

1 CLericus notoriè concubinatius viuens, & sic vsque ad mortem perseverans sine pœnitentia, non est cum aliis fidelibus tumulandus, nec Ecclesiastico quidem ritu.

Ità docent Augustinus Barbosa, *de Iure Ecclesiastico, part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 55. cum Turrecremata, *in Canonem Præter, conclus.* 2. *el* 6. *dist.* 32. Ioannes Machadus, *en el perfecto Confessor, y cura de Almas, tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *documento* 25. *num.* 4. *ex canone quibus el* 16. *& canone quæsitum, el* 30. 13. *quæst.* 2. Samuellius, *in Praxi de sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controversia* 7. *conclus.* 5.

2 Pro disquisitionis intelligentia, operæ prætium duxi advertere, quod nomen *Concubina*, quod propriè significat *eam, quæ vna cubat*, in duplici accipitur sensu. *Primò*, pro vxore propria, cui quis vero matrimonio minùs solemni; seu absolutè sine solénitate olim copulabatur. Castrus Palaus *to.* 5. *disput.* 3. *punct.* 1. *numer.* 3. Henricus Spoudanus; *Annal. Sacr. Anno mundi.* 2124. & 2178. Bonacina, *tom.* 1. *pag.* 323. Barbosa, *in canonem si quis, el* 1. *distinct.* 33. *can. Maritum, num.* 3. *el* 2. *can. Laici, el* 6. *eadem distinct.* quem vide, & *ex can. Omnibus, num.* 2. *el* 3. *distinct.* 34. cum Archidiacono, & Turrecremata *in can. Is qui, & can. Christiano, distinct. eadem.* Petro Gregorio *syntagm. Iuris, lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 16. Turriano, *pro Canonibus Apostolorum, lib.* 1. *cap.* 13. Anastasio Germen. *animadversion. Iuris lib.* 1. *cap* 11. Cardinale Bellarmino, *lib.* 2. *de Conciliis, cap.* 8. *versic.* 11. Thoma Boss. *de signis Ecclesiæ, cap.* 41. Farinacio, *in Praxi crimnali, part.* 5. *quæst.* 18. *num.* 5. & Gabriel Vasquez, *opusculo de Testamentis, cap.* 5. §.6. *dub.* 2. *num.* 77. ibi nomine vxorum legitimè retentatum.

3 Quòd benè probari potest primo, ex Concilio Aurelianensi IV. relato *in dicto Canone Omnibus*, in quo sic Lego. Concubina autem hîc intelligitur, quæ cessantibus legalibus instrumentis, vnita est, & coniugali affectu asciscitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam verò lex nominat.

4 *Secundò* probatur ex *Concilio Toletano* 1. *canone* 17. *relato in can. Is qui, el* 4. *eadem dist.* sic diffiniente. Is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur. Tamen vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ sit coniunctione contentus. Huius textus meminerunt Petrus Crespetius, *In summa Ecclesiasticæ disciplinæ, verbo Concubina*, & Toletanus Præsul Bartholomæus Carranza, & Miranda, *in Compendio Conciliorum, fol. mihi* 79.

5 Probatur tertiò, & D. Isidoro, Hispaniarum doctore Maximo, relato *in dicto Canone Christiano, el* 5. *distinct.* 34. vbi ait Christiano, non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est: nisi vnam tantùm aut vxorem, aut certè loco vxoris (si coniux deest,) concubinam.

6 Probatur quartò, ex S. Scriptura, *Genes.* 16. *versic.* 3. Tulit (inquit) Agar Ægiptiam ancillam suam:..& dedit eam viro suo vxorem. Vbi Bronfcerius, *versic. ingredere*, ait sic. Ingredere ad ancillam meam. Inito scilicet prius coniugio, vt paulò post dicitur, neque enim tunc poligamia illicita; Deo scilicèt indirectè dispensante, ac ius vxoris, quod ex prima naturæ, & coniugij institutione vnius esse debebat, in plures vxores dividente. Hæc ille.

7 Vndè Azotius, mox citandus ait. Quintò notandum, concubinas in S. litteris dici legitimas vxores, sed sine publica solemnitate, & ritu consueto in vxores acceptas, & non ad domesticam familiæ gubernationem admissas. Nam in vetere illo Hebræorum populo permissum fuit, vt quis vxores duceret, vnam quidem publico, & solemni ritu, & illa dicebatur vxor; altera verò postea absque solemni, & publico ritu, & illa dicebatur concubina; & tamen erat legitima vxor, sed secundaria. Sic communis opinio. Hactenus Azor. Barbosa, *In dicto cap. Is, qui, num* 4. Ità fatur. Sacra autem pagina eas fæminas, quas Sancti Patres, præter proprias vxores carnaliter cognoverunt, easque in contubernio veluti vxorum ancillas retinebant; promiscuè appellat vxores, vel concubinas; veras tamen vxores nunquam concubinas (hoc est pellices, de quibus modo dicam) nominavit, vt exponit D. Aug. *lib.* 1. *qq. super Genesim*, *cap.* 90. *& lib.* 16. *de Ciuit. Dei*, *cap.* 34 scribens Ceturam veram Abrahæ vxorem, peculiari mysterio, dici concubinam. Hæc Barbosa.

8 Et quod fuerit Agar Abrahæ vxor, licet minùs principalis, docet dictus Barbosa *in cap. ex Omnibus*, SS.PP. Augustino, *in libro de bono coniugali cap.* 9. *& cap.* 15. *vsque ad* 20. *& lib.* 1. *qq. super Genesim, q.* 90. *& lib.* 16. *de Ciuit. Dei, cap.* 25. *&* 34. Ambrosio *de Abraham, lib.* 1. *cap.* 4. & Hieronymo *ad Ageruntiam, de Monogamia, tom.* 1. *pag.* 119. *& lib.* 1. *contra Iovinianum, pag.* 509. Ex Tertuliano, *lib.* 6. *de Exhortatione ad Castitatem, cap.* 650. *& lib. de Monogamia, pag.* 665. Antonio Augustino, *lib.* 1. *de emendatione Gratiani, dialogo* 15. *pag.* 151. *&* 155. Cardinali Belarmino, *lib.* 1. *de Matrimonio, cap.* 11. *& lib.* 2. *de Conciliis, cap.* 8. & Ludovico de Sotomayor, *in Cantica, cap.* 6. *num.* 7. ibi sexaginta sunt Reginæ, & Octoginta concubinæ, docent & Spondanus *vbi suprà*, Lessius, *de Matrimonio, cap.* 5. *dub.* 2. *num.* 90, Palaus, *tom.* 5. *disput.* 3. *punct.* 1. *num.* 3. Becanus, *in Analogia cap.* 21. *conclus.* 3. *à n.* 9. quem vide.

9 Pro maiori horum explicatione libuit Barbosam recensere, sic *in dict. Canon. Is qui*, loquentem. In aliquibus antiquis Canonibus non habenti vxorem, licitum fuit vnicam habere concubinam, vt expressè ait textus, *in capite Christiano, infra hac eadem distinctione.* Et ideò statuit Concilium Toletanum, *cap.* 17. quod refert Gratianus in præsenti à communione repellendum non esse, qui non habet vxorem, sed loco illius concubinam. Qualis autem debeat esse hæc concubina, inuestigare oportet. Illa igitur talis dicitur in hoc proposito, quæ ducebatur sine solemnitate illa, qua principalis vxor ducebatur, & ità cessantibus Iuris solemnitatibus, & legalibus instrumentis; sed tamen coniugali affectu, vt interpretatur Gratianus *in cap. Omnibus, hâc eadem distinctione*, vbi plures citaoi Doctores Et colligitur ex notatis per Doctores *in l. Mulierum ff. de Verborum significatione*, & sequuntur communiter Gregorius Lopez *in proœmio, tit.* 14. *Glossa* 3. *part*, 4. Perez, *l.* 4. *tit.* 7. *lib.* 8. *Ordinat. pag.* 202. *ad finem* Covarruvias, *de Sponsalibus; part.* 1. *cap.* 4. *in initio, num.* 9. Menochius, *de Arbitr. casu* 418. *num.* 20. Gutierrez, *Canonicarum, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 35. Sayrus, *in Clauin Regia, lib.* 8. *cap.* 2. Anastasius Germ. *animaduers. Iuris lib.* 11. Pineda, *in vita Sancti Ioannis Baptistæ, lib.* 1. *art.* 1. *cap.* 8. §. 35. *pag.* 245. Frater Ludovicus de Sotomaior *super Cantica cap.* 6. *n.* 7. *pag. mihi* 1094.

Hactenùs Aug. Barbosa. Et paucis interiectis 10
ait. Inter vtrasque ea est differentia, quia concubinæ ducebantur sine solemnitate illa, quâ principalis vxor ducebatur scilicet conuiuij per septem dies; de quo Lyra intelligit illud *Genesis cap.* 29. *imple hebdomadam dierum huius copulæ*, iuncta auctoritate *Iudicum cap.* 14. Vxor Sampson septem diebus convivij fiebat, vt post Magistrum, & Aloysium Lippomanum *in Genesim cap.* 12 explicant Henriquez, *in Summa lib.* 12. *cap.* 6. §. 2. *litt.* 5. Guttierrez, *dicto cap.* 7. *num.* 32. Covarruvias, *dicto num.* 9. vbi ex Lippomano, *citato loco* subdit, concubinas olim esse non illegitimas, & fornicarias, sed vxores minimè principales, quarum filiis non debebatur hæreditas, nec æqualis honor, non Sacerdotium, non primogenitura, sed munera tantùm recipiebant, mutua se Charitate complectebantur, & sese iuuabant. Hucusque Barbosa.

Secundò sumitur *concubina*, pro *ea quæcum viro* 11
sine nuptiis, locum tenet vxoris: vti Calepinus, *in Dictionario, verbo Pellex* exponit. Vndè concubinatus, est frequens, & consueta fornicatio cum eadem persona, modo vxorio: & concubina est, quæ ad vsum Veneris illegitimæ tenetur tanquam vxor. Herman. Bussembaum, *in Medulla Theologiæ lib.* 3. *tract.* 4. *de* 5. *&* 6. *Decalogi præcepto cap.* 2. *dub.* 2. *in principio.* Expressiùs Bassæus, *tom.* 1. *Summa, verbo Concubinatus; num.* 1. & cum Toleto, *lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 12. Sylvestro, *verbo Concubinarius, num.* 1. & Filliucio, *tract.* 30. *cap.* 2. *num.* 55. Ioannes Azorius, *Institutionum Moralium part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *in principio*, ibi. Primò notandum, quod concubinatus est, quando vir fæminam aliquam carnaliter consuetudine quadam tanquam vxorem cognoscit. Et Aug. Barbosa, *in can. Laici, el* 6. *distinct.* 3. cum Mendoza *de confirmatione Concilij Illiber. c.* 8. Ipse Barbosa, *in can. Omnibus, el* 6. *dist.* 34. *can. Non omnis n.* 2. *el* 13. 32. *distinct. quæst.* 2. ibi: Leo enim concubinam vocat eam, quæ assumitur ad consortium thori sine mutuo consensu perpetuo viuendi.

Vndè fit, ad concubinatum non sufficere vnum, 12
aut alterum actum coeundi cum fœmina, sed requiri coeundi consuetudinem. Bassæus, Bussembaum, & Azorius *locis allegatis.* Barbosa, *in cap. sicut, num.* 3. *el* 4. *de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* Iacobus Gordonus, *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 30. *in fine*, noster Gregorius Sayrus, *in Thesauro, seu de Censuris, lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 17. vbi ità ait. Addit Henriquez vnum in hac materia notatu dignum, *lib.* 13. *de excommunicatione, cap.* 9. §. quod si quis excommunicatus denunciatus sit ob concubinatum, vt semel redeat, aut redire consulat ad eandem fœminam, non videtur fæmina aut ita consulens incurrere excommunicationem: quia concubinatus consuetudinem vitij significat, & vnus actus repetitus concubinatum non facit. Et faciunt, quæ tradit Navarrus,

rius, *in Manuali cap. 27. num. 250.* Hactenùs Sayrus.

13 Addit Axorius *versic. Quartò* de Iure ciuili, requiri vlterius ad concubinatum, vt concubina sit fæmina domi retenta à concubinario; at de Iure Canonico, vt Clericus concubinarius dicatur, & sit, sufficere, ait, vt Clericus eam habeat in aliena domo, dummodò soleat cum ea carnaliter commisceri. Si de consuetudine constat, & diffamatus est in sua, vel ipsius concubinæ vicinia, vt priùs docuerat Bernardus Diaz, *in Practica criminali canonica, cap. 73.*

14 Aug. Barbosa, *in cap. sicut, num. 3. el 4. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, sic fatur. Ex quo oriuntur multa dubia. *Primum*, quis in præsenti dicatur concubinarius? & communiter habetur illum etiam dici, non solùm, qui concubinat, domi retinet, sed etiam, qui sub aliquo colore in domo suæ matris, vel aliquarum consanguinearum, vel alibi habet, & cum ea tenet assiduam consuetudinem. Ita Franc. Leo, *in Thesauro fori Ecclesiastici, part. 3. cap. 4. sub. num. 27.* Aloysius Riccius *dicta resolutione 207. in fine.* Marcus Antonius Genuensis, *in Praxi Archiepiscopali Neapolitani, cap. 30. num. 4.* Hactenùs Barbosa.

15 Vnum hîc adnoto, quod sicut concubinarij esse possunt viri soluti, coniugati, Clerici, & Religioni adstricti: ita concubinæ possunt esse fæminæ solutæ, coniugatæ, sanguine coniunctæ, & Deo per votum, vel Religionem sacratæ. Ità Azorius *loco recensito, versic. Secundo.* Et Scottia, *in selectas summorum Pontificum Constitutiones, theoremate 224.* Constatque ex Concilio Tridentino, *sess. 24. de Reformatione Matrimonij, cap. 8.* ibi. Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum verò, & in huius magni sacramenti singulare contemptum admissum; vxoratos quoque in hoc damnationis statu, viuere, aut audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & detinere. Et infra Mulieres siue coniugatæ, siue solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publico viuunt, &c.

16 Ex duplici concubinarum differentia, iam reddita, certum omninò est, non comprehendi in dispositionibus sacrorum Canonum, quas recensui *num. 2. & seqq. tribus*, sed concubinam in secunda acceptione, illam scilicet, quæ verò matrimonio inventa non fuerit copulata. Concubinatus enim in secunda acceptione, nunquam fuit licitus, sed mortiferus. Dicit enim Concilium Basiliense, *sess. 21.* Et cum omne fornicationis crimen lege divina prohibitum sit, & sub peccati mortalis pœna necessariò evitandam, monet omnes Laicos, tàm vxoratos, quàm solutos, vt similiter à concubinatu abstineant. Ita ibi, prout recenset Petrus Crespetius, *verbo Concubinarius*, vbi testatur idem repeti in Concilio Lateranensi sub Leono X. *sess. 9. & 11.* & in aliis Conciliis.

17 Quocircà D. Ambrosius, *lib. de Patriarchis*, relatus *in Canone Nemo, el 4. 32. quæst. 4.* ait Nulli licet scire mulierem præter vxorem: ideóque coniugij, datum est tibi ius, ne in laqueum diaboli incidas, & cum muliere aliena delinquas. Et Augustinus: *in quæstionibus super Exodum*, relatus *in Canone Meretrices, el 11. distinct. 32. quæst. 4.* Omnis (inquit) Mechia etiam fornicatio dicitur in Scripturis. Sed vtrùm omnis fornicatio mechia dici possit in eisdem Scripturis; non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si omnis fornicatio etiam mechia dici non potest, vbi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt qui vxores non habent, cum fœminis, quæ viros, non habent, an inveniri possit ignoro. Sed si furti nomine, benè intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed vtiquè apertè totum intelligere voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur) profectò nomine Mechiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. Hucusque D. Augustinus.

Cum igitur ex Toletano Concilio, non repellatur à communione concubinarius, & ei habere vnam concubinam permittatur pro vxore: & vnam concubinam loco vxoris habere, licitum esse doceat noster D. Isidorus, pro comperto habetur, concubinæ nomen ab illis vsurpari pro matrimonio minùs solemni, aut sine vlla solemnitate coniuncta. Quod expresè Glossa exponens dictum canonem *Christiano, verbo Concubinam*, docet, dicens. Concubinam, *id est mulierem, non solemniter ductam: si tamen mutuus consensus intervenerit.* Quod vtique de substantia est matrimonij. Et *in canone Quorumdam, verbo Concubina, el 1. & canone Omnibus, in casus figuratione, el 3. distinct. 34.* Concubina, dicitur, *quæ cognoscitur vxoris affectu, sed non fuit ducta cum solemnitate: & talem lex concubinam vocat.* Lex autem de qua mentionem facit, duplex est, Canonica scilicet, & ciuilis, vti ipsamet explicat Glossa, *verbo Lex.* Canonica scilicet, *Canon. Is qui*, citatus, Ciuilis verò, *Lex In concubinatu ff. de Concubinis.* 18

E contrà verò, in secunda acceptione sumitur concubina, quoties distinguitur ab vxore. Plures canones de hoc reddit Petrus Crespetius, *verbo Concubina.* Primus est Leonis Papæ I. *in Epistola ad Rusticum, Narbonensem Episcopum, cap. 4. relatus in Canone Non omnis, el 13. 32. q. 2.* ibi ait: Itaquè aliud est vxor, aliud concubina, sicut aliud est ancilla, aliud libera. Et infrà, Paterno enim arbitrio fœminæ viris iunctæ, carent culpâ, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerint, quia aliud est vxor; aliud concubina. Secundus est Nicolai Papæ I. *in Epistola ad suffraganeos Arausicanæ Ecclesiæ, relatus in canone de consanguinitate el 17. 35. quæst. 3.* ibi: Laicus verò vxorem simul & concubinam habens, non communicet Ecclesiæ. Et in hoc eodem sensu, nostra procedit disquisitio de Clerico concubinario, quem diximùs privari Ecclesiasticâ sepulturâ, si in concubinatu vsque ad finem perseveret. 19

In cuius quidem probationem, nullum textum adduco Canonicum, quia nullum id in terminis de Concubinatio, decernere invenisse me fateor. Probari tamen potest resolutio, ex Rituali Romano Pauli Quinti, *in Rubrica de Exequiis*, quatenùs statuit: *Negatur igitur Ecclesiastica sepultura....manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.* Negatur inquam sepultura Ecclesiastica, ex hac Rubrica Clerico concubinario, non quâ tali quidem, sed quâ notorio finali impœnitenti. Quocircà Samuellius, *de sepulturis, tract. 2. disput. 1. controvers. 7. conclus. 7:* ait. Concubinarius, & concubina si mortui inventi fuerint simul in peccato mortali Veneris, nullus fide dignus attestans eos actus pœnitentiæ fecisse, sepulturâ privantur. Et *tract. 1. disput. 5. controu. 3: conclus. 8.* dicit, quod concubina minimè sepelienda est in Amasij sui sepultura; sed si pœnitens decedat, in ea, quam sibi elegerit; vel ea 20

non

non electa, in Parochia; si verò impœnitens moriatur, ad campum ibit. Ita ille.

CONCLVSIO II.

21 ET licet in terminis concubinatij pœnam præfatam priuationis sepulturæ inflictam Clerico non inueniam; alias, & grauissimas ei, quâ concubinario, in sacris Canonibus inflictas esse non ignoto.

POENÆ INFLICTÆ concubinarijs Clericis recensentur.

ALexander enim Papa *in canone Præter*, el 6. 32. *distin.* seu vti Crespetius vult Nicolaus Papa II. *in Concilio Romano* 113. Patrum contra „ Berengarium statuit. Pater hoc autem præcipien- „ do mandamus, vt nullus Missam audiat Presbyte- „ ri, quem scit concubinam habere indubitanter, „ vel introductam mulierem. Vnde etiam sancta Sy- „ nodus sub excommunicatione statuit, vt quicum- „ que Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum „ post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris „ nostri S. Leonis Papæ, & Nicolai, de castitate Cle- „ ricorum, concubinam palam duxerit, vel ductam „ non reliquerit, ex parte Omnipotentis Dei, authori- „ tate Principum Apostolorum Petri, & Pauli præ- „ cipimus, & omninò contradicimus, vt Missam non „ cantet, neque Euangelium legat, neque Epistolam „ ad Missam, neque in Presbytero cum his ad Diui- „ na Officia, qui præfatæ Constitutioni obedientes „ fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia susci- „ piat. Ita refert Gratianus, sed addit Petrus Crespe- „ tius: quousque à nobis sententia super huiusmodi „ Deo concedente procedat.

22 Ita recenset ille *in Summa Ecclesiastica disciplinæ, verbo Fornicatio interdicitur viris Ecclesiasticis, pag. mihi* 423. *colum.* 2. vbi refert Decretum Nicolai II. in Concilio Romano citato. Nullus Mis- „ sam audiat Presbyteri, quem scit concubinam in- „ dubitanter habere, aut sub introductam mulierem: „ sed nec Sacerdoti illi concedatur Missam celebra- „ re. Sic Decretum reddit Crespetius, & ait.

23 In *c.* 2. *de Cohabitatione Clericorum, & mulierum* „ sic Eugenius Papa statuit. Si quisquam Sacerdo- „ tum, id est Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, „ de quacumque fœmina crimine fornicationis sus- „ pectus, post primam, secundam, & tertiam admo- „ nitionem, inueniatur fabulari, & aliquomodò con- „ uersari cum ea excommunicationi subdatur, fœmi- „ na verò, canonicè iudicetur: vbi Glossa *verbo Canonice*, ita exponit fœminæ iudicium. Id est in Monasterio ponatur 34. *distin. Fraternitatis*. Alij exponunt. Id est in seruitutem redigatur, vt 32. *distinct. Eos.* Immò & ipsa concubina si hoc publicum est, debet excommunicari, *infr. de Sentent. Excomm. Si concubina.* Hactenùs Glossa. Adde *can. Si quispiam*, el 22. *dist.* 81. Eadem de Clericis fornicarijs excommunicandis, statuisse nostrum sanctissimum Pontificem Gregor. VII. Marianus Scotus refert *in eius vita*.

24 Glossæ recensitæ consonat Barbosa *in d. cap. Si quisquam, n.* 4. vbi sic ait. Facit *cap. Si concubina*, 55. *de Sent. Excomm.* qui textus duplicem probat conclusionem, vtramque nostro proposito accommodatissimam. Prior est, quod concubina Clerici excommunicetur, excommunicatione maiori, sicut etiam *in cap. Eos*, 32. *distin.* in seruitutem redigitur, & *in cap. Fraternitatis, propè fin.* 34. *distin.* in Monasterium detruditur. Posterior est, quod accedens ad concubinam excommunicatam, manet ligatus eadem excommunicatione, quia communicauit cum illa in crimine propter quod excommunicatio fuit incursa.

Alexander etiam Papa III. *in Concilio Lateran. par.* 18. *cap.* 1. *relatus in cap.* 3. *d. tit. de Cohabitat. Cleric. & mulierum*, ad Salernitanum Episcopum scribens, sic decernit. Clericos in sacris Ordinibus „ constitutos, qui publicè detinent concubinas, ad „ eas abiurandas volumus à tua fraternitate com- „ pelli, ne in eandem fornicationem instinctu dia- „ bolicæ fraudis redeuntes, periurij reatum incur- „ rant. Verùm ipsos per suspensionis, & interdicti „ sententiam debes arctius cogere vt mulieres ipsas „ à se ita remoueant, quod de illis sinistra suspicio „ non possit haberi. Et si qui eorum ad ipsas redire, „ vel alias accipere fortè præsumpserint, in aliquos „ eorum perpetuam excommunicationis sententiam „ proferre, vt alij eorum exemplo perterriti, à simi- „ libus arceantur. „ 25

Hæc in Decretali illa, vbi Glossa *verbo Perpetuam*, sic hanc dictionem interpretatur. Id est donec resipiscant. Sic *inst. loca*, §. *Adeò*, & *ff. de Peculio, Id. vestimentum*, & *cap. De muliere*, el 4. *de Matrimonio contracto contra prohibitionem Ecclesiæ*, & *can. Quia Sacerdotes*, 10. q. 1. Dicitur autem perpetua, secundùm Innocentium, quia nullum tempus habet præfinitum: & sic aptitudine perpetua. 26

Non desunt, qui dicant hîc Alexandrum, sub excommunicationis nomine, *intelligere depositionem*, vel beneficij priuationem: per quam extra communionem, vel societatem depositus, seu priuatus punitur. Ita idem Innoc. & Host. vti Ioan. Andreas *in marginali* ait. Quocirca Gregor. Sayrus *in Thesauro, lib.* 5. *cap.* 31. *n.* 12. ait, quod concubinatus notorius, & perseuerans post monitionem dignus est depositione. 27

28 Quæ certè pœna sæpè infligitur ab Alexandro præfato *in Concilio Lateranensi, part.* 18. *cap.* 7. ad Vuigornensem Episcopum scribens dicit, prout refertur à Crespetio *vbi suprà*. De Sacerdotibus „ publicè fornicarias habentibus, discretioni tuæ „ nihilominus præcipiendo mandamus, vt eos dili- „ genter conueniàs, & attentius commoneas, vt for- „ nicarias suas dimittant, & à se prorsùs expellant. „ Quod si fortè admonitionem tuam facere contem- „ pserint, seu immunditia sua, duxerint persisten- „ dum, tu eos, appellatione remota, ab omni officio „ & beneficio Ecclesiastico, non differas spoliare. „ Hæc ibi, & *in cap.* 8. *sequenti, relatus in cap.* 6. *de Cohabit. Cleric. & mulier.* sic decernit idem Pontifex, videlicet.

Si autem Clerici tuæ Iurisdictionis (siue in sacris Ordinibus, siue in inferioribus constituti) for- „ nicarias detinent: nisi eas ad secundam, vel ter- „ tiam communitionem, à se dimiserint, easdem de, „ cætero contempturi: liceat tibi eos Ecclesijs, vel „ earum portionibus, appellatione postposita spo- „ liare, officio ipsis nihilominus interdicto. „ 29

Hæc in Decretali illa, cuius Glossa *post casus figurationem*, & *verbo Spoliare* adnotat, post trinam admonitionem Clericos concubinarios esse suspendendos ab officio, & beneficio. Et tandem, si concubinas non ejecerint, beneficijs priuandos. Et sic notat, quod trina admonitio, vindictam præcedere debeat. Adnotat etiam spoliationem istam perpetuam 30

perpetuam intelligi, ex quo sine temporis præfinitione hîc infligitur, ex *lege Servus*, *Cod. de Pœnis.* Et denique ait, ex gratia suspendi post trinam monitionem antequam priventur, vt sic expectetur adhoc eorum emendatio, cum benè possent post monitionem trinam; recusata emendatione beneficijs perpetuò privari.

31 Quocirca Glossa *in canone Si quis amodo*; *verbo Decidat*, *el 16. distinct.* 81. in illa verba Alexandri III. *à proprio gradu decidat*, sic illa exponit. Decidat. Quoad executionem.... sed nec statim debet suspendi, sed expectari debet per quadraginta dies. *Extrà*, *de Cohabitatione Clericorum*, *& mulierum*, *Sicut ad extirpandam.* Sed illud dispensatio est. Ius enim erit, quod statim deponatur. Suprà *eadem cap.* 1. Hactenùs Glossa.

32 Alexander III. *in allegato Concilio Lateranensi*, *parte 7. cap.* 9. sic Episcopo Eboracensi rescribens statuit circa quendam Clericum fornicarium. Si non venerit ad præsentiam nostram,
» suspensionis sententiam in eum propter hoc la-
» tam, tandiù volumus observari, donec fornica-
» riam suam à se abijciat, & vivat (sicut docet
» Presbyterum) continenter. Hæc ibi, & *cap.* 10.
» idem omninò rescribit ad Episcopum Cantuariensem, vtrovt recenset Cresperius.

33 Idem Alexander *capite 4. de Cohabitatione*
» *Clericorum*, *& mulierum*, sic statuit. Sicut ad ex-
» tirpandam: & infrà, Fraternitati vestræ manda-
» mus, quatenùs Clericos vestræ iurisdictionis,
» qui in subdiaconatu, & supra fornicarias habue-
» rint, studiosè monere curetis, vt à se illas remo-
» veant, eas vlterius minimè admissuri. Si verò
» acquiescere contempserint, eos ab Ecclesiasticis
» beneficijs, vsque ad satisfactionem congruam
» suspendatis. Etsi eas suspensi præsumpserint de-
» tinere, ipsos ab eisdem beneficijs perpetuò remo-
» vere curetis.

34 Vbi Glossa *verbo Suspendatis*, adnotat istos concubinarios non esse ipso iure suspensos. Sed obiicit *canonem Nullus*, *el 5. & can. Præter hoc*, *el 6. distinct.* 32. in quibus decernitur vt nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere. Vbi satis ostenditur Presbyterum ipso iure esse suspensum.

35 Soluit tamen obiectionem dicendo *in dicto capite Sicut*, agi de concubinarijs ab Ecclesia toleratis; in Canonibus autem obiectis, de non toleratis. De his scilicet, quorum crimen est notorium, vel quando sunt per sententiam condemnati.

36 Sed hæc solutio satisfacere non videtur ob rationem *canonis Si quis*, *el 15. distinct.* 81. in quo
» sic noster Gregorius Magnus. Si qui sunt Pres-
» byteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine
» fornicationis iaceant, interdicimus eis ex parte
» Dei Patris Omnipotentis, & S. Petri authorita-
» te, Ecclesiæ introitum, vsque dum pœniteant,
» & emendent. Si verò in peccato suo perseverare
» maluerint, nullus vestrum eorum præsumat au-
» dire officium; quia benedictio eorum vertetur in
» maledictionem, & oratio in peccatum, *&c.*

37 In quo quidem, ipso iure infligitur interdictum ab ingressu Ecclesiæ Clericis concubinarijs & fornicarijs, & ipso iure per pœnitentiam absque alia tollitur absolutione vti benè vtrumque Glossa ibi, *verbo Emendant*, Saytus *in Thesauro*, *libro 7. cap. 12. numero* 20. & Graffis *in Decisionibus*, *parte 1. libro 4. capite 25. numero 16. folio* 500. Ratio autem huius Canonis æquè militare videtur in concubinarijs non notorijs, ac in notorijs. Præterquam quod iura ista non distinguunt: vnde nec nos distinguere debemus.

His tamen non obstantibus Glossæ sententiam, veram iudico. Et ita etiam intelligunt dictum 38
canonem Si qui sunt, *de Concubinario notorio*, Saytus *in Thesauro*, *libro 4. cap. 15. numero* 24. & penes eum *Palud. 4. disput. 18. quæst. 7. art. 2. casu* 11. D. Antoninus, *3. part. tit. 28. de Suspens. cap.* 3. Angelus *verbo Suspensio*, *casu* 4. Tabiena *verbo eodem*, *vers. Sextò*, *casu* 4. Navarrus *in Manuali*, *cap. 25. num. 77. & cap. 27. num.* 154 Martinus Ledesma *24. quæst. 26. in tractat. de Suspensione*, *casu* 1. Maiolus *libro 5. de Irregularitate*, *cap. 37. num.* 1. Henriquez *libro 13. de Excommunicatione & Suspens. cap.* 36. Vivaldus *titulo de Suspens. num.* 19. Philiarchus *libro de Officio Sacerdotis*, *part. 1. libro 4. cap. 2. casu* 1; Toletus *libro 1. cap.* 15. Archidiaconus *in capite Præter hæc*, *distinct.* 32. Ioannes Andreas, & Hostiensis *in cap. Vestra*, *de Cohabitatione Clericor. & mulierum.* Abbas *in capite Si celebret*, *num.* 5. *de Clerico excommunicato ministrante*, & Sylvest. *verbo Clericus*, *quæst. 8. vers. Quæritur secundò*, & *verbo Concubinarius*, *num.* 4. Et eodem modo interpretari potest *canon. 10. distinct.* 32. in
quo sic noster Vrbanus Papa II. Eos, qui post »
Diaconatum vxoribus vacare voluerint, ab om- »
ni sacro Ordine removemus, officióque, atque »
beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Intelligi »
scilicet de concubinis notoriè vacantibus.

Concilium Basiliense *sess.* 21. statuit, vt qui- 39
cumque Clericus, cuiuscumque dignitatis, & con- »
ditionis existat, qui post huius constitutionis no- »
titiam, fuerit publicus concubinarius, à perceptio- »
ne fructuum omnium suorum beneficiorum, trium »
mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus »
Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccle- »
siarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiun- »
tur, convertat: nec-non & huiusmodi publicum »
concubinarium, vt primum talem esse innotuerit, »
mox suus Superior monere teneatur, vt infra bre- »
vem terminum concubinam dimittat. Quam si »
non dimiserit, vel dimissam, aut aliam publicè »
resumpserit, iubet sancta Synodus, vt ipsum suis »
omnino beneficijs privet. Et nihilominùs hi pu- »
blici concubinarij, vsquequò cum ipsis per suos »
Superiores post ipsarum concubinarum dimissio- »
nem, manifestámque vitæ emendationem fuerit »
dispensatum, ad susceptionem quorumcumque »
honorum, dignitatum, beneficiorum, vel officio- »
rum sint inhabiles. Qui si post dispensationem re- »
cidivo vomitu ad huiusmodi publicum concubi- »
natum redierint, sine spe alicuius dispensationis, »
ad prædicta protsùs inhabiles existant. »

Quod si hi ad quos talium correctio pertinet, 40
eos, vt prædictum est, punire neglexerint, eorum »
Superiores tàm in ipsos de neglectu, quàm in illos »
pro concubinatu, modis omnibus digna punitio- »
ne animadvertant. In Concilijs autem Synodali- »
bu, contra tales digna castigatione procedatur, his, »
quorum destitutio ad Summum Pontificem spe- »
ctat, ad eundem cum processu inquisitionis re- »
missis. Quia verò quidam habentes, in eos iuris- »
dictionem, corrigere negligunt, & patiuntur eos »
in tali fœditate sordescere, pecuniarum quæstus à »
prædictis concubinarijs recipiétes, statuit S. Syno- »
dus sub pœna maledictionis æternæ, ne deinceps »
sub pacto, compositione, aut spe alicuius quæstus, »

» talia quovis modò tollerent, aot dissimulent :
» alioquin privatione beneficiorum, vel aliâ pœnâ
» mulct ti duplum eius, quod acceperint restituere
» ad pios vsus omnino teneantur, & compellantur.
» Ipsas autem concubinas, sive mulietes susceptas,
» Prælati modis omnibus curent, & à suis subditis,
» etiam per brachij sæcularis auxilium, si opns fue-
» rit, penitus arcete, qui etiam ex tali concubinatu
» procreatos filios apud pattes suos cohabitare non
» permittant.
» Iniungit prætereà præs tum Concilium omni-
» bus Sæcularibus Vitis, tiamsi Regali præfulgeant
» dignitate, ne vllum qualecumque inferant impe-
» dimentum, quocumque quæsito colore, Præla-
» tis, qui ratione sui officij adversus suos subditos
» pro huiosmodi concubinatu procedunt.

42 Hæc omnia Concilium Basiliense, provt exscribitur à Petr. Crespetio *in Sum. Ecclesiast. disciplina, verbo Concubinarius, pag. mihi* 193. Quod quidem Concilium recenset Barbosa *in capite Cum dilectus, num.3. el 20. de Accusationibus* : ex quo *sess. 20. in principio* addit. Publici concubinarij intelligend sunt, non solùm hi, quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure factam, seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari, notorius est, sed qui mulierem de incontinentia suspectam, & infamatam tenet, & per suum Superiorem admonitus, ipsam cum effectu non dimittit. Hæc Basiliensis Synodus, provt cum Bernardo *in Practica, cap.82. num.* 1. in novissima editione, refert Augustinus Barbosa *proximè redditus*, vbi etiam recenset Belletum, *disquisitionum Clericalium, parte* 1. *titulo de disciplina Clericorum, paragr.* 1. *num.* 45.

43 Quid aotem sit notorium, & quot contingat modis, docet idem Barbosa *in capite Vestra, n.2. versiculo Notorium, el 7. & ibidem, num. 4. in cap. Tua nos, num. 1. & 3. el 8. & cap. Quæsitum, num. 1. & 3. el final. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*. Prioris loci verba, recensere libuit. Notatur ad hoc, quod ex confessione inducitur notorium, vt post Afflictum, Menochium, Mascardum, & alios, tenet Farinacius *in Praxi criminali, par. 1. quæst. 21. num.* 31. Item sententia facit rem notoriam, Mascardus, *de Probationibus, conclus.* 1296. *num.* 15. Farinac. *dicta quæst. 21. num.*35. Stephanus Gratianus *disceptat. forens. cap.*142. *num.* 9. & 10. Sicut & illud, quod ex actis resultat. Menochius *remedio* 1. *recup. num.* 231. & *de Arbitr. casu* 166. *num.* 6. Mascardus *conclus.*1101. *num.*13. & 14. Tiraquellus *de retract. lign. gloss.*2. *num.* 44. Farinacios *dicta quæst.*21. *num.*14. Et denique notorium in genere sumptum est rei, cui adjungitur valde plena noritia, inducens indubitatam, & finitam probationem, discussione non egentem. Clarus *libro* 5. *§. finali, quæst.* 9. Mascardus *dicta conclus.* 1101. Farin. *d. qu.21. à princ.* Paulus Comitolo *Responsorum Moralium, lib.1. q.57.* Hactenùs ille.

44 Recenset P. Crespetius Conciliom Moguntinum IV. *cap.*102. sub Archiepiscopo Sebastiano celebratum. Lateranense, sub Leone X *sess.* 29. & 11. Ratisponense sub Laurentio Campegio Cardinale Legato *cap.*15. Senonense, sub Antonio à Prato, Cancellario, & Cardinale *cap.* 26. Trevirense, sub Ioanne Archiepiscopo *cap.*2. Coloniense IV. *cap.*3. & Tridentinum, quæ omnia Concilia eadem, quæ Basiliense contra concubinarios decernunt.

Leo Papa X. Constitutionem edidit anno 1515. 45
incipit, *Primitiva illa Ecclesia*, quæ concordiam cum Francisco Francorum Rege continet, circa beneficiorum provisiones, penes Bullarium Magnum Cherubini *la 20. tom. 1. pag. mihi* 577. in qua à §. 21. ea omnia statuit, quæ Concilium Basiliense decrevit, & recensoi *num.* 33, & *sequentibus*. Innovátque alias pœnas à Iure statutas contra concubinarios tam publicos, qoam non publicos. Et *in constitutione Suprema, la 7. fol.* 554. §. 36. Sacro approbante Lateranensi Concilio, anno 1514. sic statuit. Concubinarij autem sive Laïci, sive Clerici fuerint eorundem Canonum pœnis multentur, neque Superiorum tolerantia, seu prava consuetudo, quæ potiùs corruptela dicenda est à multitudine peccantium, aliáve quælibet excusatio, eis aliquomodo suffragetur, sed iuxta iuris censuram severè puniantur.

Sacrum denique Concilium Tridentinum, 46
sess. 25 *Decreto de Reformatione, cap.*14. aliorum Conciliorum, Patrum, & Summorum Pontificum vestigijs inhærendo, hoc salutare Decretum, menti tenendum statuit, videlicet.

Quàm turpe ac Clericorum nomine, qui se Di- »
vino cultui addixerunt, sit indignum, in impu- »
dicitiæ sordibus, immundóque concubinatu ver- »
sari, satis res ipsa, communi fidelium omnium »
offensione, summóque Clericalis militiæ dede- »
core testatur. Vt igitur ad eam, quam decet, con- »
tinentiam, ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ »
revocentur; populúsque hinc eò magis discat »
revereri, qoò illos vita honestiores cognoverit; »
prohibet S. Synodus quibuscumqoe *Clericis*, ne »
concubinas, aut alias mulieres de *quibus possit* »
haberi suspicio, io domo, vel extra detinere, »
aut cum iis vllam consuetudinem habere au- »
deant: alioquin pœnis à sacris Canonibus, vel »
statutis Ecclesiarum opportunis puniantur. Quod »
si à Superioribus moniti ab iis se non abstinue- »
rint, tertia parte fructuum, obventionom, ac »
proventuum beneficiorum suorum quorumcum- »
qoe, & pensionum ipso facto sint privati: quæ »
fabricæ Ecclesiæ, aot alteri pio loco, arbitrio »
Episcopi applicetur. Si verò in delicto eodem »
cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secun- »
dæ monitioni adhuc non paruerint; non tantùm »
fructus omnes, ac proventus suorum beneficio- »
rum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis »
locis applicentur; etiam à beneficiorum ipsorum »
administratione, qnoad Ordinarius, etiam vti Se- »
dis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendan- »
tur: etsi ita suspensi nihilominùs eas non expellãt, »
aut cum iis etiã versentur; tunc beneficiis, portio- »
nibus, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis »
perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni »
quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis »
ac officijs in posterum reddantur, donec post mani- »
festam vitæ emendationẽ ab eorum Superioribus »
cum ijs ex causa visum fuerit dispensandom. Sed si »
postquam eas semel dimiserint, intermissũ consor- »
tium repetere, aut alias huiusmodi scãdalosas mu- »
lieres sibi adjungere ausi fuerint; præter prædictas »
pœnas, excommunicationis gladio plectãtur. Nec »
quævis appellatio, aut exemptio prædictã execu- »
tionẽ impediat, aut suspendat. Supradictorúmqoe »
omniũ cognitio nõ ad Archidiaconos, nec Deca- »
nos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos per- »
tineat, qoi sine strepitu, & figura iudicis, & sola fa- »
cti veritate inspecta, procedere possint. Clerici ve- »
rò beneficia ecclesiastica, aut pẽsiones nõ habẽtes, »
iuxta »

,, iuxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & ,, qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab Ordine, & inhabilitate ad beneficia ,, obtinenda, aliisve modis iuxta sacros Canones ,, puniantur. Episcopi quoque (quod absit) si ab ,, huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo ,, provinciali admoniti se non emendaverint; ipso ,, facto sint suspensi: & si perseverent, etiam ad ,, sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem ,, Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, ,, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

47 Hactenùs sacrum Concilium, quod aliud edidit statutum contra concubinarios Laicos *sess. 24. in Decreto, de Reformatione matrimonij, cap.* 8. tenoris sequentis.

,, Grave peccatum est homines solutos concubinas habere, gravissimum vero, & in huius magni ,, Sacramenti singulare contemptum admissum, ,, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum ,, uxoribus alere, & retinere. Quare, vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs provideat, statuit huiusmodi concubinarios tam ,, solutos, quàm uxoratos, cuiuscumque status, ,, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ,, ab Ordinario, etiam ex Officio, ter admoniti ,, ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, ,, excommunicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint; contra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur. ,, Mulieres, sive coniugatæ, sive solutæ, quæ cum ,, adulteris, seu concubinarijs publicè vivant, si ,, ter admonitæ non paruerint, ab Ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; & extra oppidum, vel diœcesim, si id eisdem Ordinarijs videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, eiiciantur; alijs pœnis contra adulteros, & ,, concubinarijs inflictis, in suo robore permanentibus.

48 En Conciliaria Decreta contra concubinarios edita; quæ Pius Papa V. strictè Ordinarijs observari præcepit *in constitutione Cum primum*, edita Kalendis Aprilis, Anno Dominicæ Incarnationis 1566. & sui Pontificatus primo. Habetur penes Bullatium Magnum Angeli Cherubini *to.* 2. *la* 5. huius Pontificis *pag. mihi* 178. in qua sic ,, §. 12. statuit. Monemus præterea omnes locorum ,, Ordinarios, & in virtute sanctæ Obedientiæ eis ,, præcipimus, vt statuta Tridentini Concilij contra concubinarios tàm Clericos, quàm Laicos ,, edita, districtè faciant observari, redditari Deo, ,, ac Nobis, si id omiserint, rationem. Hæc ipsissimus Papa. Statuta autem ab eo observari præcepta, quæ modo transcripsi, sunt.

49 In Iure etiam Cæsareo prohibitus invenitur concubinatus. Illum enim Constantinus Magnus penitus sustulit constante matrimonio *in lege* 1. *Cod. de Concubinis* anno Domini 326. teste Henrico Spondano *in Compendio Baronij, num.* 17. *illius anni, pag. mihi* 375.

50 Inter pœnas, quibus concubinarius plectitur manifestus, vna est, vt à testimonio repellatur. Ita Augustinus Barbosa *in cap. In nomine, nu.* 8. *et* 2. *de Testibus, & Attestationibus, & cap. Cum dilectus, num.* 2. *et* 20. *de Accusationibus*: & penes eum Rebuffus *tract. de Reprobatione testium, num.* 93. Farinacius *in Praxi criminali, quæst.* 56. *à num.* 284. *& parte* 4. *decisione* 40. *num.* 1. *& decis.* 125. Bellerus *disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de Clerico teste*, §. 2. *n.* 12.

§. II.

Quid, & quotuplex sit Notorium, quid Famosum, & Publicum, quid Manifestum, & quid Occultum, & in quo ista differant declaratur?

HÆc de pœnis contra Clericos concubinarios 51 dicta sufficerent; placuit tamen pro illorum dilucidatione, & illustratione ampliori, eruditionis gratia, nonnulla dubia discutere. I. An Clerici concubinarij notorij sint hodie ipso facto suspensi? II. An liceat audire, aut recipere divina à publicis, aut notorijs Clericis concubinarijs. III. An ad incurrendas pœnas concubinarijs inflictas, monitio specialis in ipsas personas facta pro forma requiratur? Et an trina necessaria sit ad beneficiorum privationem? IV. An Tridentini Concilij dispositio *sess.* 25. *cap.* 14. in simplici incontinentia absque concubinatus qualitate procedat? Et quid si Clericus modo cum vna, modo cum alia deprehendatur muliere? V. Quinam Iudex de concubinatu cognoscere queat? VI. An Iudex Ecclesiasticus in omnibus casibus punire valeat concubinarios Laicos? An verò in aliquibus tantum? Et an teneatur semper vti trina monitione ad illos puniendos? Sed pro dictorum, & dicendorum exacta intelligentia, operæ pretium duxi supponere.

Notorium esse illud, quod nulla tergiversatione celari potest, seu quod adeò clarè constat, 52 & evidenter patet, vt negari non possit. Ita Lezana *tomo* 2. *Summæ quæstionum Regularium, parte* 4. *verbo Notorium, numero* 1. Marcus Vidal *in Arca Vitali, titulo de Blasphemia, numero* 38. *in fine.* Iacobus de Graffis *in decisionibus Aureis, parte* 1. *libro* 1. *capite* 13. *numero* 43. *pag. mihi* 28. Augustinus Barbosa *de Potestate Episcopi, parte* 2. *allegat.* 39. *numero* 22. & *in capite Vestra, numero* 2. *versiculo Notorium, et* 7. *de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, cum Claro *libro* 5. §. *finem, quæstione* 9. Mascardo *de Probationibus, conclusione* 1101. Paulo Comitolo *Responsorum Moralium, libro* 1. *quæst.* 57. Menochio, *de Arbitrarijs, casu* 166. *numero* 4. Mench. *illustr. capite* 1. *numero* 11. *& cap.* 20. *numero* 23. Farinacio *in Praxi criminali, quæstione* 21. *numero* 11. & cum Aldrete *de Religiosa disciplina tuenda, libro* 1. *cap.* 5. §. 2. *numero* 6. Verba Barbosæ huiusmodi sunt. In priori scilicet loco:-Notorium est plena rei notitia inducens indubitatam, & finitam probationem discussione non egentem. In posteriori verò: & denique notorium in genere sumptum est rei, cui adjungitur valde plena notitia, inducens indubitatam, & finitam probationem discussione non egentem.

In genere sumptum dixit, quia Notorium triplex 53 est. Aliud notorium Iuris, aliud notorium facti, & aliud notorium præsumptionis: vti docet Glossa

in dicto cap. Vestra, verbo, Notorium, el 7. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum, & in Canone Manifesta, verbo eodem, el 5. 2. quæstio.1.

54 *Notorium Iuris* est, quod clarè constat vel per Iudicis legitimi sententiam diffinitivam, vel per confessionem rei in iudicio; vel per probationem plenè in iudicio, per idoneos factam testes. Ita Gregorius Sayrus *in Thesau. lib.4. cap.16.num.14.* Lessius *de Iustitia, & Iure lib. 2. cap.20. dub. 22. n.185.* cum Covatruuias, *lib. 3. variarum cap.3. num.4.& 5.* Emmanuel Sa, *verbo Manifestum n.3.* cum Navarro *in Manuali cap. 25.* & Sylvestro, *verbo, Notorium, num.3.* Glossa *in cap. Vestra, verbo Notorium*, allegato Barbosa, *de potest. Episcop. allegat. cit. n.23.* cum Mascardo, *de Probationibus conclusion.* 1326. *num.* 4. & penes illum Afflict. Menoch. cum Farinacio, *in praxi criminali, q.21. num.*31. Stephano Grariano, *disceptationum forensium, cap.142. num. 9. & 10.* & Aldrere, *de Religiosa disciplina tuenda, lib.1. cap.5. §. 2. n.11. & 24.* Et addit Barbosa, omne illud esse notorium, quod ex actis iudicij constat, ex citatis per Menochium, *remed. 1. recuperand. num. 232. de arbitrar. casu 166. num. 6. & consilio* 100. Titaquellum *de retract. lignag. §.36. Glossa 2. num.44.* Mascardum, *consilio* 1101. *num.13. cum seqq.* Farinacium, *dicta quæst.21. num.14. & quæst.9.n.20.* Mendez à Castro, *in praxi Lusitana, lib.3.cap.15. num.4.* & Aldretem *dicto §. 2. num.10.* Et quidem quoad sententiam, & confessionem, patet ex Concilio Basiliense, cuius verba *num.* 42. recensui.

55 Dicitur *per confessionem rei in indicio factam*: quia si extra illud fiat, etiam coram Parocho, & testibus Notorium non inducit Iuris Lessius, *loco reddito*, cum Molina *disp.* 333. Dicitur etiam *per probationem plenè in iudicio per idoneos testes factam.* Quia non sufficit quælibet plena, nisi tam plena, clara, & manifesta sit, vt neque coloratè impugnari queat. Lezana, *verbo Notorium, num.4.* cum Mascardo *de Probationibus, conclus.* 1107. *num.26. & 29.* & Thesauro, *in praxi, part.1.cap. 21. §. Notorium Iuris.* Et ratio fundamentalis est. Quia notorium illud est, quod adeò est evidens, & clarum, vt negari non possit.

56 *Notorium facti* est, quod ita se exhibet conspectui hominum, vt nulla possit tergiversatione celari. Glossa, *in cap. Vestra, verbo Notorium, el 7. de Cohabitation. Clericorum, & mulierum.* Seu est, quòd ita habet facti evidentiam, vt non possit probabiliter negari. Glossa, *in Canone Manifesta.* Gregorius Sayrus, *vbi suprà.* De quo in Concilio Basiliense allegato, ibi: seu per rei evidentiam, quæ nulla possit tergiversatione celari. Et *in cap. Tua nos, el 8. de Cohabitatione Clericorum*, ibi. Quòd si crimen eorum ita publicum est, vt meritò debeat appellari Notorium: in eo casu, nec testis, nec accusator est necessarius, cum huiusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari.

57 Sed pro Notorio facti aliqua observanda proponit Lezana, *verbo Notorium, num. 5. Primum* est, pro illo non sufficere notitiam (certam scilicet) paucorum hominum; sed requiri, vt illa sit maioris partis, vel magnæ saltem loci, viciniæ, Conventus, &c. Cui consonat Lessius, *de Iust. lib.2. cap.11. dubit.13. num.73. Secundum*, locum, in quo res contingit, considerari debere. Vt scilicet publicus sit, in quem soleat convenire Communitas. *Tertium est*, tempus, in quo res contingit, scilicet dies. Quia quod nocte fit, secretum censetur, iuxta doctrinam à Panormitano nostro traditam, *in cap. Vestra, el 7. de Cohabit. Cleric. & mulierum*, à Sylvestro, *verbo Notorium, q.1.&* à Mascardo, *de Probationibus, conclus.* 1106. *n.*18. *Quartum est*, attendi debere ad qualitatem personarum coram quibus res contingit. An scilicet prudentis arbitrio iudicari possit rem gestam manifestaturos, vel non manifestaturos. Suarez, *tom. 5. in 3. partem D. Thomæ, disp.9. sect. 2. num.11.* & Thesaurus *in Praxi, part. 1. quæst.21. num.45.* & Laurentius de Peyrinis, *in Formulario Prælatorum, litt.P. cap.17. n.2.*

58 Et ratio est. Quia maior personarum numerus ad Notorium requiritur in magna, quàm in parva Communitate. Et in quacumque saltem decem personæ existere debent, vt in illa aliquid Notorium dici valeat. Quocircà Lessius, *vbi proximè, num.* 74. cui accinunt Sa, *verbo Manifestum, num.2.* & Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Blasphemia, inquisit. vnica, num.* 38. ita fatur. Addit Navarrus *cap. 25. Enchirid. num.73.* etiam dici Notorium, quod evidenter notum est maiori parti alicuius Congregationis, seu Collegij vbi non sint pauciores, quàm decem. Itaque si sex, aut septem in Congregatione, vbi decem, vel vndecim sint, factum sciant, dicitur esse Notorium. Quod verum est respectu illius Congregationis, non autem absolutè. Quidquid enim notum est maiori parti alicuius Collegij, vel Congregationis, est Notorium in illa Congregatione, non autem absolutè respectu totius Vrbis, vel Parochiæ. Hactenùs doctus Leonardus.

59 *Notorium præsumptionis* denique est, iuxta Glossam, *in cap. Vestra, verbo Notorium, el 7. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum, & in Canone Manifesta, eodem verbo, el 15. 2. quæst.1.* quod publicè habetur pro tali, & ad illud probandum nullius ordo Iuris requiritur, cum non possit verè probari, sed solùm per præsumptiones. Hanc descriptionem ex Glossa *in locis recensitis* desumpsi. Sic enim ait *in cap. Vestra.* Notorium præsumptum est, vt paternitas, & filiatio, *ff. de in ius vocando. Quia semper & suprà de Filiis Presbyterorum, Conquerente.* Et consanguinitas dicitur Notoria præsumpta, *infrà de Divortiis, Porrò, §. 1.* Quod aliquis sit filius alterius, non posset verè probari, *ff. de Conditionibus, & demonstrationibus, Lucius.* Hactenus Glossa illa, *in Canone item citato*, sic ait. Notorium præsumptum est, vt si aliquis publicè habitus est pro filio alicuius, ibi non requiritur aliquis ordo iuris, vt *extra de Filiis Presbyterorum, cap. Michaël, & cap. Quoniam.* Hoc enim quòd aliquis sit alterius filius, non potest verè probari, *vt ff. de conditionibus, & Demonstrationibus, l. Lucius*, sed potius per præsumptionem. Hæc ibi.

60 Ex dictis fit, concubinatum Notorium esse vt plurimum, solùm notorietate præsumptionis: & Iuris quidem quando deventum est, vel ad sententiam diffinitivam per legitimum latam Iudicem, vel ad confessionem concubinæ, aut concubinatij in judicio factam: aut ad probationem adeò plenam, claram, & manifestam, vt neque coloratè illa impugnari valeat. Rarissimè tamen, etsi aliquando, notorietate facti. Quia factum occultè ferè semper fit.

61 Hæc de Notorio dixisse sufficere videbatur. Sed quia

quia non tantò vox *Notorium*, cum vocibus *Famosum*, seu *Publicum*, & *Manifestum* confunditur, vti mox apud Marcum videbimus Vidalem, libuit istas, & vocem *Occultum*, præcedentibus oppositam exponere, vt resolutio nostra copiosior, ac clarior evadat, quæ certè expositio dubiis discutiendis, & aliis infinitis deservire quibit. Confunditur inquam, si latè, & impropriè sumantur hujusmodi voces; non verò si in stricta, & propria vniuscuiusque illarum acceptione, vti ex dictis iam, & ex modo dicendis parebit. Vtrumque demonstratum video in allegato Doctore, *dicto n.* 38. quem ad amussim reddere operæ pretium duxi; tam pro firmanda doctrina de Notorio, modo tradita, quàm pro explicatione vocum *Notorium*, & *Publicum*, & earundem confusione. Sic enim ait.

62 Vndè iuxta numerum personarum loci, in quo blasphematur, est accipienda notitia multorum audientium blasphemiam: Nam respectu magnæ Civitatis, videtur maior numerus requiri, quam respectu alicuius oppidi, vel Collegij. Verum quidem est, quòd ad minus coram sex personis audientibus pronuntiari debet blasphemia ad hoc vt publica dicatur; quovis in loco pronuncietur, quia penè occultum dicitur, quod fit coram quinque. *Can. Quia aliquandò*, §. *Hæc ergo secreta*, *de Pœnit. distinct.* 1. & Glossa *in cap. Manifesta* 2. *quæst.* 1. vbi habetur, occultum dici, quod quinque sciunt; publica autem dicitur certè, quando quis in publica platea blasphemat coram pluribus adstantibus, qui non tàm longè distant, vt audire non possint: cum ad blasphemiam publicam denominandam non solùm requiratur præsentia multorum, sed etiam intelligentia, & noritia illorum; aliàs non esset dicenda publica si plures adstantes, quandò quis blasphemat non audirent. Facit Glossa *in cap. Testes*, 3. *quæst.* 9. Vbi non sufficit præsentia nisi sit intelligentia. Quare blasphemia prolata coram dormientibus, vel surdis, vel ebriis, vel amentibus, & huiusmodi, non esset publica: quia non solùm cessat causa reservationis, nempè Scandalum adstantium, vel occasio mali, verum etiam, quia huiusmodi adstantes non audiont, & non advertunt ad blasphemiæ verba.

63 Advertendum verò, non posse dari certam, & infallibilem regulam ad dignoscendam blasphemiam publicam, sive notoriam facti, quæ tunc contingit, quando quis post prolatam blasphemiam, nequit illam vlla tergiversatione celare, & excusare. Ideò communiter Doctores hoc relinquunt arbitrio, atque iudicio discreti, & prudentis viri, qui consideratis omnibus circumstantiis, meliùs potest iudicare, an hæc, vel illa plasphemia sit publica, necne. Ita Diana, *part.* 1. *tract.* 2. *Miscellan. resolut.* 24. Hæc omnia P. Vidal; quæ benè omnia, quæ promisi, probant.

64 Voces igitur, & dictiones præfatæ, multis accipiuntur modis, prout Canonistæ apud Pacem Iordanum, *tom.* 1. *de re Sacra*, *lib.* 5. *tit.* 12. exponunt *in cap. Vestra* el 7. *de Cohabitatione Clericorum*, *& mulierum*, Menochius *de Arbitrariis*, *casu* 116. Mascard. *de Probationibus*, *conclus.* 1107. *à num.* 13. Gabriel *Commun conclusion. tit. de Restitutione spoliatorum*, *conclus.* 1. *num.* 117. Farinacius, *in Praxi criminal. quæstio.* 11. *numero* 1. Lezana, *verbo Notorium*, Sa, *verbo Manifestum*:

Famosum, seu *publicum*, quòd idem est, vti ait Lezana *vbi proximè*, *num.* 3. est illud, quod est fama publica proclamatum. Asserit idem Lezana cum Thoma Sanchez, *tom.* 2. *Consiliorum lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 1. & Soto, *de Secreto*, *membro* 2. Consonat Sa, *verbo Manifestum*, *num.* 4. *versic. Publicum* ibi. Publicum crimen est publica infamia proditum. Fama autem est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus, & in nullo diminutus. Sic enim illa describit Glossa *in cap. Vestra*, non semel citato, *verbo Notorium*, *ex l. cognitionum*, §. *existimatio*, *ff. de variis*, *& extraordinariis cognitionibus*. Fama tamen, vti ipsa adnotat Glossa ibi & *in Canone Manifesta*, *verbo eodem*, el 15. 2. *quæst.* 1. quandoque ex scientia procedit, quandoque ex suspicione; quandoque ex certo authore; & quandoque ex incerto. 65

Quando fama ex scientia procedit, idem omninò est famosum, & publicum, quod Notorium. Quia quod ex scientia procedit, evidenter patet, & nulla potest tergiversatione celari. Quod est esse Notorium, vti paulò vidimus ante. Quando verò ex suspicione procedit fama, famosum, & publicum impropriissimè sumitur pro Notorio, Quia non omne, quod suspicatur evidens est; immò sæpè sæpius fallit. 66

Manifestum est, quod facilè probari potest. Docent Glossa; *in cap. Vestra*, *verbo*, *Notorium*, *& in Can. Manifesta*, *verbo Manifesta*, *sæpè cit.* Sa, *verbo Manifestum*, *num.* 1. Lezana, *tom.* 2. *verbo Notorium*, *num.* 3. cum Angelo, *verbo Manifestum*, *num.* 1. Sylvestro, *eodem verbo*. Sanchez, *vbi suprà*, *num.* 16. Addit tamen Lezana, ad Manifestum requiri, vt possit per multos probari; licet non clarè, & evidenter, ita vt negari non possit. Quod docet & Sa, *ibi*. Sed non fit notorium. 67

Impropriè nihilominùs accipitur aliquandò Manifestum, pro Notorio vt videre licet in Leonardo Lessio, *de Iustitia*, *& Iure*, *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 11. *num.* 185. ibi: Dicuntur etiam manifesti vsurarij, qui facto, vel iure manifestè sont tales. Facto quidem manifestè tales dicuntur, qui palam ita vt nulla tergiversatione negari possit, ad vsuram dant. Iure verò, qui Iudicis sententia de hoc crimine sunt condemnati, vel, qui de seipsis legitimo Iuris Ordine hoc crimen coram Iudice sunt confessi, vel denique de quibus id per idoneos testes in iudicio est plenè probatum. Hactenùs ille. In eodem sensu accipitur dictio Manifestum à Glossa *in cap. Vestra & in Can. Manifesta*, vbi dicitur: Manifestum est, quòd semper ex scientia, & ex certo authore procedit, & quod potest probari. Ita ibi *ex l. Heredes palam*, *ff. de Testamentis*, *& qui testamenta facere possunt*. 68

Occultum omne illud est, quod Famoso, vel Publico, Manifesto, & Notorio opponitur. Seu, quod non est notum aliquo ex modo prædictis. Ita Emmanuel Sa, *verbo Manifestum*, *num.* 4. *versic. Publicum crimen*. Ioanne Baptista Lezana, *tom.* 1. *p.* 4. *verbo Occultum*, *num.* 1. 69

Dividitur occultum, in occultum per se, & occultum per accidens, vti docent Lezana *in Summa quæst. Regular. tom.* 1. *part.* 4. *verbo Occultum*, & Ioannes Caramuel, *in Theologia Fundamentali*, *fundam.* 14. *sub n.* 701. vbi de actibus internis secretis agens, ita inquirit. An Ecclesia, posito, quod non iudicet de illis, quæ sunt per se occulta, iudicet de occultis per accidens? Et in sequentibus latè disserit de hoc. 70

71 *Occultum per se*, est illud, quod nihil habet ex natura sua, vnde ab hominibus possit cognosci. *Occultum per accidens*, est, quod ex natura sua potest ab hominibus cognosci, sed de facto non cognoscitur, quia, qui illud cognosceret, defuit. Exemplum primi adest in actibus internis intellectus, & voluntatis, nullo externo manifestatis signo. Secundi verò, in actu externo homicidij, adulterij, &c. quem nemo vidit, quia nullus in loco, quo factus est, tunc aderat. Sic Magister Lezana, *loco allegato* cum Avetano, & Aragon 2. 2. *q.* 11. *art.*3.

72 *Occultum per accidens* triplex est. *Primum* provt distinguitur contra probabile. Estque illud, quod si externè factum fuerit, probari tamen idoneis testibus, neutiquam valet. *Secundum*, provt distinguitur contra famosum, & publicum. Et est illud, quod etsi probari queat, non tamen laborat infamia. *Tertium* denique occultum est provt distinguitur contra Notorium, illud scilicet, quod etsi probari possit, & infamia laboret publica; non tamen est ita certum, clarum, & evidenter notum, vt tergiversatione celari non valeat. Ita Lezana *vbi supra*. Et de occulto in hac tertia acceptione, noster Greg. Sayrus, *in Thesauro lib.*4.*cap.*16.*num.*21.*pag. mihi* 378.

73 Hæc divisio, & subdivisio *Occulti*, magni venit æstimanda, pro multis ac diversis, difficilibusque valdè difficultatibus dilucidandis, in omni prorsùs materia, tum odiosa: tum favorabili: tum præceptiva, tum privilegiata: & pro exacta, veráque illarum resolutione. Quia iuxta probabilissimam opinionem, *occultum per se*, minimè sub alio quàm Deo est: ita vt nec Ecclesiæ sub Iurisdictione cadat. Vti docet Marcus Vidal, *tit. de Sacramento pænitentia, inquisit.* 1. *num.* 43. Vbi asserit Ecclesiam punire non posse actum internum (voluntarium scilicet defectum doloris interni in Confessione habitum Sacramentali.) Quia non potest iudicare actus internos, ex eo, quod ea, quæ non subjacent scientiæ publicæ, non subsunt iudicio publico. Vnde probat facientem Confessionem ex malitia invalidam, & nullam ob defectum interni doloris, non contrahere excommunicationem impositam in Constitutionibus Synodalibus, vel Episcopalibus contra transgressores, & non adimplentes præceptum annuæ Confessionis, dummodò tamen Confessio illa sit extrinsecè integra, & habeatur absolutio Sacramentalis.

74 Eandem tenet Lezana, *tom.* 2. *part.* 4. *verbo Occultum, num.*2. *in fine*, ibi. Est autem in præsenti sermo solùm de Occulto per accidens, nam quod & per se occultum, cum sit actus merè internus, ac per consequens, nec directè cadat sub Iurisdictione Ecclesiæ, non est de facto reservabile ab illa, nec pœna aliqua Ecclesiastica mulctatur, ac proindè non cadit sub facultate absolvendi, & dispensandi in casibus occultis. Hæc Lezana.

75 Illam etiam sequitur Gregorius Sayrus *in Thesauro, lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 21. vbi asserit ex probabiliori sententia D. Thomæ, 1.2. *quæst.* 91. *art.*4. *&* *q.*100. *art.* 9. *&* 2.2. *quæst.*104. *art.*5. *& in* 4. *distinct.*18. *q.*2. *art.*2. Medinæ, *dicta q.*100. *art.*9. Durandi, *in* 4. *dist.*17. *quæst.* 8 *num.* 7. Paludani *in* 4. *dist.*13. *q.*3. *art.*1.*conclus.*8 Almayni, *in* 4. *dist.* 17. *quæst.*1. D. Antonini, *in summa p.*3. *tit.* 25. *cap.* 4. *in princip.* Hostiensis, *in cap. Mulieres de sent. excom.* Sylvestri, *verbo Excommunicatio*, 7. *num.*3. *versic. Secunda.* Angeli, *verbo Hæreticus, num.*2. Caietani, 2.2.*q.*11.*art.* 3. Palacios, *in* 4. *dist.* 5. *&* 6. *disput.* 1. *in princ.* Vivaldi, *in Candelabro, part.* 1. *tit. de Absolutione num.* 12. Soti in 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.*3. *post quintam conclusionem*. Toleti, *in explicatione Bullæ*, §.1. *conclus.* 1. Alphonsi à Castro, *lib.*2. *de iusta hæreticorum punitione, cap.* 18. *& lib.*2. *de potestate legis pœnalis, cap.* 15. *conclus.*1. Navarri, *in Manuali, cap.*27. *num.* 56. *versic. Quintò.* Valentiæ, 2.2. *disput.*1. *quæst.*11. *punct.*3. & Chapeavilli, *part.*2. *tract. de casibus reservatis, cap.* 1. *quæst.* 2. *versic. Quintò*, non posse Ecclesiam, contra hæreticum purè mentalem, sententiam ferre excommunicationis.

76 Ratio est (inquit ipse Sayrus) quia nulla potestas aliquid præcipere potest, de quo cognoscere, aut punire, vel iudicare nequeat. Ecclesia verò non cognoscit, nec iudicat de actibus purè internis, sed illos iudicio Dei relinquit, qui solus cordium, & renum scrutator est, 1. *Regum* 16. *Psal.* 7. Cum igitur excommunicatio actus Iurisdictionis sit, ob solos actus internos, Ecclesia illam non potest ferre. Qua etiam ratione vtuntur communiter Doctores, vt probent contra Gentiles, necessariam esse in mondo legem aliquam divinam, eo quod leges humanæ de actibus purè internis, nihil præcipere, aut prohibere possint, vt ostendit D. Thom. 1. 2. *quæst.*91. *art.*4. ex Augustino *lib.*1. *de libero arbitrio, cap.*6. Hæc omnia doctissimus ille Angelus.

77 Eandem propugnat sententiam Ioannes Caramuël, *in Commentarijs in Regulam S.P.N. Benedicti, disput.* 108. *art.* 1. *de Attentione requisita in Officijs Divinis, num.*1373. *&* 1374. *disput.*4. *de Legum materia à num.* 38. *in comment. Opusculorum eiusdem S.P.N. cap.*1. *num.*1785. *versic. At nos. Et in Theologia fundamentali, fundam.* 24. *num.*701. vbi *versic. Stando*, ait. Sunt duæ sententiæ; altera, quæ docet actus merè internos non subijci Ecclesiæ; altera, quæ docet, actus externos, & occultos per accidens, non subijci Ecclesiæ. Quarum prima est probabilis, & secunda improbabilis. Ita ibi. Et versic. *Vt hanc*, Carolum Malletum recenset, *in volumine Aurum Theologiæ, Moralis nuncupato, Malleatione* 1. *Bracteo* 3. sic dicentem, & sillogizantem. Videlicet.

78 Humana Iurisdictio non potest ferre legem de actibus, de quibus non potest iudicare nec punire. Sed potestas Ecclesiastica non potest iudicare de actibus merè internis, neque illos punire. Ergo neque potest de illis legem ferre Minor expressè habetur *in capite Tua nos, de Simonia.* Nobis (inquit Pontifex) datum est de manifestis tantummodò iudicare. Et ratio est, quia iudicium supponit causæ cognitionem; actus autem interiores sunt extra cognitionem humanam, & ideò iudicium de internis spectat ad solum Deum *iuxta illud Regum.* Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor. Major autem colligitur ex Aristotele, *lib. de Offic.* dicente, potestatem legislativam necessariò debere habere coniunctam potestatem coactivam, nam aliàs esset inutilis, & inefficax. Vndè fit hominem posse lege præcipere illa, quæ potest punire. Non potest autem nisi iudicando. Ergo ad ea tantum versatur lex humana, circa quæ potest iudicium humanum versari Hucvsque Malletus.

79 Quod certè procedit argumentum, vti ex minori apparet, in occultis per se. Cui simile formam

mat Caramuël, *n.* 702. in occultis per accidens, invectiam ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. assumens, vbi agens de inconvenienti, quod ex Clandestino suboritur matrimonio, ait. Cui malo, cum ab » Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri » non possit; nisi efficacius aliquod remedium adhibendi, &c. Argumentum tale est, ideò Ecclesia de Clandestino Matrimonio non iudicat, quia de Occultis non iudicat. Ergo illa Occulta, de quibus illa non iudicat, non sunt tantummodo occulta per se, sed etiam occulta per accidens. Quia matrimonium Clandestinum non est occultum per se, sed per accidens. Ita Caramuël.

80 Ex qua quidem doctrina sequi videtur, posse inculpabiliter Divinum Officium omitti, quando non dantur testes, & arbitri: neminemque peccare, qui secretò carnes die comederet prohibito, aut ieiunium aliàs frangeret. Et sic de aliis occultè, etiamsi per accidens, factis. Et ratio est. Quia nemo in eo peccat, quod sibi non est prohibitum, sed non est humana prohibitum lege, quod est occultum. Ergo tecenlita, sine peccato fieri, aut omitti possunt, si occultè fiant, aut omittantur. Minor constat ex dictis. Quia lex humana prohibere non valet, iudicate, aut punire, quod Legislator nequit cognoscere. Sed nullus humanus Legislator, potest occulta cognoscere, sive occulta sint per se, sive occulta per accidens, aliàs non esset homo, sed vel Deus, si cognosceret occulta per se; vel Angelus si cognosceret occulta per accidens. Ergo lege humana nihil est prohibitum si est occultum, non solùm per se, sed per accidens. Vndè sicut Ecclesiasticus non violat præceptum de horis Canonicis persolvendis, in sententia prædictorum Doctorum, si illas cum interna mentis voluntaria recitet distractione, quia Ecclesia de actu interno distractionis non iudicat, per se occulto: ita nec idem temerabit præceptum, si nullo coram arbitrio, aut teste horas omninò legere omittat, & sic occultè per accidens.

81 Et si hoc verum non est, ratio assignati debet, quæ probet, non iudicare Ecclesiam de occultis per se, quæ æquè non probet non iudicare de occults per accidens. Ratio enim tacta, æquè probat vtrumque. Sicut enim Ecclesia non iudicat de occultis per se, quia illa non potest cognoscere per se: ita non iudicat de occultis per accidens; quia per accidens illa non cognoscit. Eundem namque effectum, quem dat per se causa per se, dat per accidens causa per accidens. Sicut enim ignis est calidus per se & opponitur frigori per se: ita aqua dum est calida per accidens, opponitur frigori per accidens.

82 Si igitur in præfata sententia, est verum, quod nemo præcipere possit, aut vetare, nisi punire valeat: & quasi nemo possit punire, nisi possit iudicare: & tandem, quod nemo possit iudicare, nisi possit cognoscere, & hæc omnia æquè militent in incognoscibilibus per se, & in incognoscibilibus per accidens, (si enim res est essentialiter, est per se incognoscibilis, erit essentialiter, & per se inindicabilis: per se, & essentialiter impunibilis, & per se, & essentialiter impræceptibilis. Etsi res est per accidens incognoscibilis, erit per accidens inindicabilis, per accidens impunibilis, & per accidens tandem impræceptibilis:) idem omninò dicendum videtur, posse Prælatos Ecclesiæ statuere, & præcipere circa actus externos occultos per accidens, ac circa actus internos occultos per se, & nihil amplius: etsi istos præcipere non valent, aut vetare, neque illos quibunt. Et sic per accidens eveniet Superioribus Ecclesiasticis, quod prohibere nequeant actiones, aut omissiones secretas, & occultas per accidens, quia per accidens illas cognoscere non possunt.

His tamen non obstantibus, firmissimè est tenendum, Ecclesiam, & eius Prælatos, benè posse præcipere actiones, & omissiones secretas, & occultas per accidens (ac per consequens, cos peccare, qui occultè per accidens Officium omittunt Divinum, & carnes diebus comedunt prohibitis, &c.) licet nequeat inobedientes punire, nec iudicare quidem, ob cognitionis defectum. Quod vtique dupliciter ostendemus. *Primò*, in sententia asserente Ecclesiam præcipere posse actus merè internos, & sic occultos per se. Cui quidem stando, dicendum erit, in Ecclesia duo fora, vel tribunalia reperiri: vnum internum; externum alterum. In hoc præcipit, iudicat, & punit; in illo verò, tantùm præcipit, & iudicium & punitionem Deo relinquit. Habet itaque Ecclesia duplicem in subditos potestatem: Directivam vnam; coercitivam alteram. Prior interna est; secunda verò, externa. Vtraque vtitur in legibus concedendis. Directiva quidem, in legibus, de quarum observantia, & transgressione iudicium, præmium, & punitionem Deo relinquit, observantiæ, & transgressionis cognitori; coërcitiva verò, in legibus de quarum transgressione, & observantia, etiam homines iudicabunt, transgressoresque punient, tanquam transgressionis cognitores: Hac vtitur distinctione Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali, fundam.* 14. *à num.* 703. 83

In hac igitur sententia probat præfatus Caramuël *n.* 704. actus externos secretos, seu actiones secretas per accidens, contra legem, seu præceptum Ecclesiasticum factas, esse peccata, hunc proponendo casum, & ex illo argumentando: in hunc videlicet modum. 84

Petrus comedit carnes die Veneris secretò, ita vt nullus eum viderit. Paulus etiam in alio cubili comedit, nullo teste, vt putabat: at fuit visus à tribus, qui ob aliam causam impenetrali interiori latebant. Et interrogo vtrum peccaverint? Si peccavisse dicas, habeo intentum. Si non peccavisse illos asseras, sic argumentor. Accusetur Paulus, & carnes vetitas edisse convincatur, punietur iustè. Ergo peccaverat. Non enim iustè puniri potest Innocens. Si dicas Paulum quidem peccavisse, Petrum autem non peccavisse, tueri distinctionem non poteris. Peccata enim à voluntate peccantis, & non ab infortunio nascuntur: & quod Paulus sit visus, id non à voluntate Pauli, sed ab infortunio provenit. Cum ergo omnes actus liberi in Petro, & in Paulo sint simillimi, & differentia illis non fuerit libera, dicendi sunt eodem modo peccasse; non autem eodem posse modo puniri; punitio enim pendet ab externa notitia. Vide Suarez *lib.* 4. *de Legibus, cap.* 13. *&* 14. Hæc Caramuël.

Vndè ad Malleti respondeo argumentum. Humana Iurisdictio non potest legem ferre de actibus, de quibus non potest iudicare, nec punire. Distinguo maiorem: Non potest ferre legem, auctoritate, & Iurisdictione vtens coërcitiva, concedo maiorem; Iurisdictione vtens directiva, nego maiorem. 85

Secundò

86 Secundò cum D. Caramuële *num.* 706. respondeo, propositionem illam, esse tanquam falsam reijciendam. Quia prudentes Superiores ea, quæ Corporalibus pœnis puniri possunt, non solent moraliter præcipere, sed ea tantùm, quæ puniri nequeunt Corporalibus pœnis. Ergo non est verum humanam Iurisdictionem non posse ferre legem de actibus, de quibus non potest iudicare, nec punire, cum potiùs è contra, illa videantur moralibus præceptis gubernanda, quæ mala sunt, & puniri non possunt.

87 Falsum etiam est, neminem posse punire, quod non potest cognoscere. Ex praxi enim Regularium Prælatorum, vti Caramuël observat, contrarium constat Aliquandò enim in capitulis suis dicere solent: *Heri tempore Silentij aliquos, quos non cognovi colloquentes audivi: iubeo tamen, vt pro pœnitentia, Officium defunctorum, aut psalmos septem, v. gr. legant.* Nec inconveniens reperitur in hoc, quod Prælatus dicat: *Vt observantia regularis vigeat, præcipio vt quoties aliquis horis debitis lectionum librorum spiritualium, aut meditationum omiserit, vel in debitis colloquatur, etiamsi imperfectio ista ad meam notitiam non deveniat, tot, vel tot psalmos legat.* P. ssimi etiam excommunicationis mucrone feriuntor ignoti.

88 Locum Tridentini de Matrimonio Clandestino: *Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non iudicat, succurri non possit.* Sic magistraliter exponit Caramuël, *num.* 705. Duplex est in Ecclesia authoritas, & tot erant inconvenientia à matrimoniis Clandestinis oborta, vt neutra posset huic malo pernitioso succurrere, matrimoniis Clandestinis relictis. Non poterat Ecclesia efficaciter consiliis, & præceptis conjuges Clandestinos dirigere; quia multi eorum contemnebant vtraque: non poterat supplicijs, & pœnis, quia Ecclesiæ coërcitiva potestas de occultis (hoc est de actibus externis, qui plenè probare nequeunt) iudicare non potest. Debuit ergo remedium adhibere efficacius, illa matrimonia irrita declarando. Sanè hoc sensu debere intelligi illa verba Concilij constat clarè ex immediatè subsequentibus; subdit enim, *Idcircò Lateranensis Concilij sub Innocentio III. celebrati, vestigijs inhærendo, præcipit:* & prosequitur, matrimonia Clandestina irritando. Ergo, vt à Tridentino docemur, Ecclesia potest, & non potest iudicare de occultis; potest enim authoritate directiva, & præceptiva; coërcitiva non potest. Hæc omnia Doctor præfatus.

89 Ostendo *secundò*. Ecclesiam, & eius Prælatos, præcipere benè posse actiones, & omissiones secretas, & occultas per accidens, & peccare contra præcepta venientes, stando etiam sententiæ asserenti actus purè internos, & per se occultos, ab Ecclesia non præcipi: *Primò* argumento supra facto de Petro, & Paulo carnes in die Veneris comedentibus. Quod quidem & in hac sententia vrgere negati nequit.

90 *Secundò* probo sic. Possunt Prælati Ecclesiastici sub lethali obligare, ne subditi palam sua temerent, violent præcepta. Ergo obligare possunt ne clam illam temerent. Consequentia patet. Quia ratio ob quam possunt obligare ne præcepta in publico violent, militat à fortiori ne clam, seu in secreto illa temerent. Et probatur: quia exorbitantia publicè, seu palam commissa minùs legibus indiget moralibus, quàm secreto, seu clam commissa: quia illa carere potest legibus merè pœnalibus, ista autem quandiu secreta manet, à lege pœnali nequit remedium habere.

Probo *tertiò*. Actus externi occulti per accidens, contra bonum militant publicum, ius lædunt proximi, & Deo tandem opponuntur. Ergo Prælati illos cavere suis possunt subditis. Sed id nequeunt pœnas infligendo, seu pœnales imponendo leges, quia actus occulti huiusmodi vix istis subjacent. Ergo id poterunt leges morales imponendo. 91

Restat modo ad ea, quæ in contrarium dicta sunt, respondere. Sed priùs suppono cum Caramuële, *dicto fundamento* 14. *num.* 710. causas, & effectus esse in duplici differentia. Alia enim est *causa per se*, & est illa, quæ per se, & essentialiter cum effectu per se habet connexionem; & è converso, *effectus per se* est, qui per se, & essentialiter talem cum sua causa habet connexionem, vt non possit abesse quin absit ipsa causa. *Causa* verò, & *effectus per accidens*, tunc verificantur quando abest effectus, quin causa absit. Differunt itaque effectus per se, & effectus per accidens, in hoc, quod ille est effectus primarius suæ causæ; iste verò effectus secundarius illius, aut effectus causæ efficientis. 92

Secundò suppono, quòd præceptum, cognitio, iudicium, & punitio tanquam priùs, & posteriùs se habent. Priùs enim debet esse præcipiendi potestas, quàm cognoscendi de transgressione præcepti authoritas: & priùs debet de transgressione esse cognitio, & examen, quàm iudicium & condemnatio, & priùs condemnatio, quàm punitio. Quorum priora se habent tanquam causæ posteriorum. Vndè iuxta modo dicta, à negatione per se posteriorum, priorum necessariò infertur negatio; non autem si negatio posteriorum sit per accidens. Benè enim stat, vt potentia per se sit impedita ab extrinseco, ita vt effectum, quem causa posset elicere per se, non possit elicere per accidens. 93

Quibus suppositis ad argumentum; quod probari intendit inculpabiliter posse omitti secreto Officium Divinum, aut edi carnes die Veneris, aut quid aliud fieri, aut omitti contra præcepta, & leges Ecclesiasticas, respondeo, illud minimè intentum consequi, ob defectum in Dialectica. Quia Syllogismus principalis quatuor habet terminos. Vndè mirum non est, quod ex veris præmissis, falsa conclusio deducatur, vti benè Caramuël *num.* 711. observat *versic. Hinc.* Major enim propositio Syllogismi, in probationem minoris prioris facti, de potentia intrinseca agit. Minor autem eiusdem secundi Syllogismi, agit de potentia extrinseca. Vndè necessariò consequentia exorbicat. Sed vt veritas ista apertiùs appareat, sic in forma respondeo. 94

Nemo peccat in eo, quod sibi non est prohibitum. Transeat Major. *Sed non est lege humana prohibitum, quod est occultum.* Nego minorem. *Ergo non peccat, qui secreto omittit Officium Divinum, aut carnes comedit die Veneris.* Et nego consequentiam. Ad probationem minoris, distinguo majorem. *Lex humana prohibere non potest, iudicare, aut punire, quod Legislator nequit cognoscere.* Si non potest cognoscere ob defectum potentiæ intrinsecæ, liberæ ab omni impedimento extrinseco, concedo majorem. Huic enim illa æquivalet propositio. *Nemo potest præcipere, qui non habeat potentiam intrinsecam cognoscendi, indicandi, & puniendi.* Si verò non posse cognoscere, indicare, 95

& punire non provenit ex defectu potentiæ intrinsecæ, sed provenit ab impedimento extrinseco; nego minorem. *Sed nullus humanus Legislator potest occulta cognoscere, siue occulta sint per se, siue per accidens.* Quoad occulta per se, concedo minorem; quoad occulta per accidens, distinguo minorem: defectu potentiæ intrinsecæ, nego minorem; defectu potentiæ extrinsecæ, (hoc est propter impedimentum extrinsecum, quod intervenit,) concedo minorem. *Ergo lege humana nihil est prohibitum si est occultum, non solùm per se, sed per accidens.* Nego consequentiam, quoad occulta per accidens.

96 Argumentum enim illud, simillimum huic est. Nemo habet oculos, & scit legere, quin possit legere. Sed Ioannes v. g. quando oculos habet clausos, legere non potest. Ergo dum clausos habet oculos, legere nescit. Major igitur vera est, & concedenda, si agatur in ea de potentia intrinseca; falsa verò, & neganda, si de extrinseca. Et minor est falsa, & neganda e converso, de potentia intrinseca; & vera & concedenda de potentia extrinseca.

97 Sed libuit doctrinam illustrare, exemplo potentiarum animæ rationalis, intellectus scilicet, & voluntatis. Sicut enim istæ inter se sunt subordinatæ, ita vt voluntas benè possit impediri; ne aliquid amare possit, absque eo, quod intellectus impediatur, ne illudmet cognoscat. Et ità vt impedito intellectu, ne illud cognoscat, necessariò voluntas impediatur ne aliud amet, aut amare queat. Non enim est verum, nec inferri potest. *Voluntas est impedita, ne hoc possit amare. Ergo intellectus est impeditus, ne hoc possit agnoscere.* Benè tamen, & verè è contrario infertur. *Intellectus est impeditus, ne hoc vel illud possit cognoscere. Ergo voluntas est impedita, ne hoc vel illud possit amare.* Quia intellectus nullam habet dependentiam à voluntate, vt cognoscere queat; necessariò tamen illam habet voluntas ab intellectu, vt amare valeat, & ab illius operatione, iuxta illud Commune Axioma, *Nihil volitum, quin præcognitum.*

98 Ita etiam, & eodem modo potentiæ præceptiva, cognoscitiva, iudicativa, & punitiva; concatenatæ, & dependentes sunt. Ad causam spectant efficientem: & posterioris operatio, à prioris pendet operatione. Vndè ablato præcepto; omnes posteriores auferuntur actiones. Quia vbi lex, seu præceptum non est, quod violetur, nulla est causæ cognitio, nullum iudicium, damnatio nulla, & nulla tandem punitio. Si autem ista impediatur puniendi potestas, non ideò impediuntur præceptiva, cognoscitiva, & indicativa, quin benè operari possint, non secus ac intellectus operari queit, etiam voluntate impedita. Quod & vniversali tribunalium comprobatur praxi. Sæpè enim vsque ad sententiæ diffinitivæ prolationem devenitur, & eius suspenditur per accidens executio. Et non tarò, conclusa ad sententiam causa, per accidens impediuntur Iudices, ne ad illius prolationem procedant.

Sed hæc pro excitatæ, intricatæque difficultatis, exactissima resolutione sufficiant. Et ideò hac digressione facta, & non inutiliter quidem, ad occulti per accidens subdivisionem redeamus.

99 *Occultum* igitur *per accidens*, in prima illius acceptione, prout scilicet contra probabile distinguitur sub favorabili cadit concessione: quia revera, & simpliciter occultum est, cum nec famosum, manifestum, nec Notorium denique sit. Ex quo benè infert Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 2. p. 4. verbo Occultum, n 3.* benè Prælatos valere Regulares cum subditis suis, ex vi Tridentini Concilij, & Patrum Prædicatorum privilegiorum, quibus per communicationem gaudent, in casibus sic vt præfertur occultis, dispensare, illosque absolvere. Et egomet vtrumque latè ostendi, fundamentaliter *in Disquisitione Pastorali de Iure Prioris annexi à n. 143.* demonstravi. Vide tamen suprà Disq. 1. *dub.* 14. *n. 165. & 212.*

Et addit Lezana, hoc verum esse, *etiamsi actus illi externi sint, & ab vno, vel duobus sciantur.* Et rationem reddens prosequitur. *Tales enim casus dicantur improbabiles.* Ita Doctor ille. Sed an hoc sit, alij dicant. Non enim capere valeo, quomodò improbabile sit, quod scitur à duobus. Si enim Occultum in prima acceptione, seu improbabile est, quod non valet idoneis probari; probabile erit, quod à duobus scitur idoneis. Duo enim testes, vt plurimum, idonei sunt ad probandum, Id est, sufficientes iuxta illud *Matthæi 18. vt in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum.* 100

Vt plurimum, dixi: quia vti constat *ex capite licet universis, el 13. de Testibus, & attestationibus*, quædam sunt causæ, quæ plures quàm duos exigunt testes. Quæ autem illæ sint, exprimit Glossa, *verbo, Quædam.* Pro testamento enim, de Iure Communi Cæsareo; septem requiruntur testes. *Cod. Qui testamenta facere possunt; vel non l. Hac consultissima & Cod. de Testibus. l. si vnus.* Et in donatione causa mortis, quinque testes desiderantur. *Cod. de Donationibus causa mortis. l. finali.* Et in Codicillis, *Cod. de Codicillis, l. vltima.* Quandoque etiam plures requiruntur, desiderantur ad plenè probandum testes. *In Canone Præsul, el 2. 2. quæstio. 4. in Concilio Romano, cap. 3.* sic Papa Sylvester diffinivit. Præsul non damnabitur, nisi cum septuaginta duobus testibus. . . . Presbyter autem Cardinalis, nisi cum quadraginta quatuor non damnabitur. Diaconus verò Cardinalis Vrbis Romæ nisi triginta septem testibus non condemnabitur, Subdiaconus, Acolitus, Exorcista Lector, Ostiarius, non nisi septem testibus condemnabitur. Hæc omnia ibi. Et *in can. Nullam damnationem, el 3. eadem quæst. 4.* contra Episcopum eundem septuaginta duorum testium Leo Papa IV. assignat numerum. 101

Occultum per accidens, in secunda acceptione prout scilicet non est famosum, & publicum, sub concessione favorabili; in foro venire conscientiæ, quoad Brevia Pœnitentiariæ, in quibus adest clausula: *dummodò impedimentum occultum sit.* Tenet Nicolas Garcia, *de Beneficiis part. 7. cap. 11. numero 46. pag. mihi 89.* secùs tamen docet, quoad facultatem dispensandi in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario. Quod probat ex Declarationibus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, super *sessionem 24. c. 6. verbo Occulto.* Quas sic refert. 102

I. Occulto. Intelligendum est occultum, secundum terminos Iuris. 103

II. Absolutus, vel dispensatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit Notorium, non est tutus in conscientia. Quia Concilium termino Occulto, quod propriè loquendo dicitur, quod probari non potest, *cap. Vestra de Co-* 104

„ *habitatione Clericorum*, & per duos testes probari „ potest, & verba Concilij debent intelligi secundum proprietatem. Idem respondit de illis, qui „ occasione delictorum occultorum fuerunt Inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, rei „ ipsi non fuerunt quidem absoluti, nec diffinitivè, „ nec alio modo, sed simpliciter dimissi, recepta „ promissione de se præsentando, non posse istos „ vti huius Canonis beneficio, quia deducta ad forum contentiosum: sicque sufficit sola deductio, „ quidquid in se sequatur. Hactenùs S. Congregatio provt redditur à Garcia.

105 Contraria nihilominùs sententia verior videtur, quæ asserit, facultatem dispensandi à Tridentino concessam, *dicta sess. 24. cap. 6.* locum habere, quoad occultum attinet, in occulto, provt opponitur famoso, & publico: imò provt Notorio opponitur: & sic in tertia considerato acceptione. Facultatem dispensandi, simul & absolvendi ab occultis concedit Concilium sub his „ verbis. Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto „ provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, „ in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id „ specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem „ & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ „ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum. Hucusque Concilium.

106 Nostram tenent sententiam gravissimi, & quàm plurimi Doctores. Noster Gregorius Sayrus, *in Thesauro, lib. 4. cap. 17. num. 21. pag. mihi* 317. vbi aliqua circa hoc Conciliare Decretum observanda esse ait. Inter quos secundum est, duo illa verba Concilij, *ex delicto Occulto, & nondum deducta ad forum contentiosum*: non idem significare. Nam occultum, inquit, vocatur crimen, quod non est Notorium, etiamsi ab vno, vel altero sciatur; quia verò ab vno, vel altero scitur, deduci potest ad forum contentiosum: ideò quamvis sit occultum, potest tamen esse deductum ad forum contentiosum. Deductum autem ad forum contentiosum dicitur esse crimen, quod ad Iudicem delatum est; & valdè probabile est, præter hoc requiri etiam vt sit intimatum parti: quia sæpè crimina multa deferuntur ad Iudicem, quæ tamen per multum temporis postea à Iudice non intimantur parti, vel propter defectum testium, vel propter aliam causam. Vndè colligo, quod quamvis Episcopus non debeat absolvere eum, cuius crimen ad se, vel ad suum forum delatum est, sed expectate, si fortè probetur; & si tamen post aliquod tempus viderit actorem non progredi in probatione, existimo Episcopum posse in foro interiori absolvere. Hactenus Sayr.

107 Ioannes etiam Azorius, *Institutionum Moralium, part. 1. libro 8. capite 10. quæst. 9. colum. mihi* 855. vbi ita fatur. Appellatione autem hæresis occultæ, intelligitur ea, quæ non est Notoria per evidentiam facti, vel per sententiam Iudicis, vel per propriam hæretici confessionem in judicio, & quæ item testibus probari nequit. Ita vt occultum eo loco (Tridentini scilicet citato: de eo enim ibi agit) sumatur, vt à Notoriu, & publicè distinctum. Sic ille.

Thomas Sanchez, *de Matrimonio, tom. 1. libro 2. disput. 37. num. 11.* dictum intelligit Decretum de occulto, vt distinguitur contra publicum, vel id quod deductum est ad forum contentiosum, cum Navarro, *in Manuali, cap. 27. numero 255. in nova editione.* Henriquez *libro 14. de Irregularitate, cap. 20. numero 4.* Emmanuële Roderiquez, *in Cruciatam, §. 9. numero 129. in fine, & in Summa, tom. 1. secundæ editionis, cap. 166. numero 3.* Ludovico Lopez, *part. 2. tractat. de Clavibus, cap. 8. de Bulla, fol. 25. colum. 1. §. igitur antequam Bulla.* Et addit Sanchez. Et eodem modo dicit Navarrus, ibi vsurpari *Occultum*, in quibuscumque facultatibus Bullarum S. Pœnitentiariæ, vel Legatorum, aut quorumcumque concessis ad dispensandum super occultis.

Ioannes Baptista Lezana, *in Summa quæstionum Regularium, tom. 2. part. 4. verbo Occultum, num. 5.* asserit in prædicta facultate, sub nomine casus occulti, illud intelligi, quod etsi probari possit per testes idoneos, de facto tamen non est probatum, publicatum, aut diffamatum. Quod ex ipso probat Tridentino. Cum enim Concilium dixisset: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus dispensare*: id limitat dicens: *exceptis deductis ad forum contentiosum.* Ergo sub prædicta cadunt facultate ea omnia, quæ non sunt deducta ad forum contentiosum, etiamsi probari benè possint. Quia exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptis. Ioannes Caramuel, *in Theologia Fundamentali, numero* 953. 109

Augustinus item Barbosa cum *pluribus*, quos 110 pro more suo recenset *in Collectanea in Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 6. num. 29. pag. mihi* 402. *& de potestate Episcopi, part. 2. allegat. 39. à num. 31.* nostram tenet sententiam, quam ex præcedenti probat ratione. Tum etiam, quia *Occultum* plerumque accipitur, non provt est improbabile, sed provt est distinctum à *Notorio publico*, vel *famoso*, secundum Abbatem, *in cap. Quæsitum, el 7. de Pœnitentiis, & remissionibus, & cap. Quæsitum est, el 17. & fin. de Temporibus Ordinationum.* Vbi occultum crimen ad hoc vt quis promoveri possit, appellat illud, quod *Notorio* opponitur, licet probabile sit, aut probari valeat. Notorium autem, est plena notitia rei indubitatam, & finitam probationem, discussione non egentem inducens. Ergo vt aliquid sit occultum, sufficit, etiamsi facilè probari queat, vt Notorium non sit, ad effectum, vt quis ad Ordines possit promoveri, ab occultisque absolvi, & dispensari, quamvis oppositum doceat Lezana, *vbi proximè, num. 4.* ea ductus ratione, quia tale occultum, cum aliàs non solùm sit probabile, sed etiam publicum, & famosum, non potest dici simpliciter occultum, sed secundum quid, & largo modo, quatenùs opponitur Notorio, seu quatenùs Notorium non est. Ac per consequens nomine occulti, non venit in prædictis privilegiis.

Ita Lezana, sed tanti Magistri venia, non ita 111 benè. Quia si in his, quæ Iuris sunt. *Occultum* latè sumptum provt *Notorio* opponitur, venit, vti modo ex Panormitano, & ex Barbosa vidimus, quare non ita in his, quæ privilegij sunt, veniet, cum Iura strictè, privilegia verò amplè debeant interpretari:

Ipse

Ipſe deniquè Nicolaus Garcia noſtræ ſubſcribit ſententiæ, *loco citato, num.*45. ait in propoſito, quoad facultatem ſcilicet diſpenſandi in omni irregularitate, excepto homicidio voluntario, illud eſſe occultum, quando non eſt publicum, etiamſi ab aliquibus ſciatur. Sic ille cum Navarro *loco allegato, & in alia editione, num.* 250. Maiolo, *de Irregularitate, lib.*5.*cap.*51. *num.*4. Anton. Rocho, *verbo Occultis.* Cerola *in praxi Epiſcoporum, p.*2. *verbo Irregularitas.* §.1. Gennuenſi, *in Praxi Archiepiſcopali Curiæ Neapolitana, cap.* 66. *num.* 2. Viualda, *in Candelubro Aureo, de Irregularitate, num.* 315. Cecchio *de caſibus reſervatis, caſu ultimo, num.* 1. *& de Irregularitate, caſu* 1. *circa finem.* Vgolino, *de Officio Epiſcopi cap.* 57. §. 2. *num.*3. *&* 5. Piaſecio, *in Praxi Epiſcop. part.* 1. *cap.* 1. *num.*56. Toleto, *lib.*1. *cap.* 89. *num.*5. & Victorello, *ibi in annotationibus.* Vega, *in Summa, p.*1. *cap.* 49. *caſu* 16. Sorbo, *in Compendio Mendicantium, in reſolutionibus materiæ abſolutionum, pag.*48. Compendio Ciſtercienſium, *verbo, Abſolutio quoad Monachos, ſub* §. 11. Avila, *de Cenſuris, part.* 2. *cap.*7. *diſput.* 1. *dub.* 11. *concluſ.*2. *& part.* 7. *diſput.* 10. *dub.*6. Suarez, *tomo* 4. *in* 3. *partem D. Thomæ diſp.*30. *ſect.* 2. *num.*2. *& tom.*5. *de Cenſuris, diſput.* 41. *ſect.* 2. *num.* 6. Molina, *diſput.* 79. *num.* 8. *verſic. Secundo.* Roderiquez, *tom.*1. *quæſtionum Regul. quæſt.*24. *art.* 11. & cum aliis ſupra à nobis recenſitis. Quibus ſuppoſitis ſit.

DVBIVM I.

An Clerici Notorij Concubinarij, ſint hodie ipſo facto ſuſpenſi?

BREVIARIVM.

Concubinarij.

Clerici Notorij Concubinarij olim, quoad ſe, & quoad alios ſuſpenſi erant, Officio, n.1.2.3.

Non ſunt hodie ſuſpenſi Cenſura Eccleſiaſtica, à n.8.

Recenſentur pœnæ à Tridentino eis inflicta, n.10.

Conſtitutio.

Extravagans Martini V. & Concil. Conſtantienſis, & Baſilienſis recenſetur, n.9.

Notorium.

Iuris eſt, quando datur ſententia à Iudice, aut confeſſio rei in iudicio, n.3.

Facti verò, quando res evidens eſt, ita vt tergiverſatione aliqua, celari non poſſit, n.5.

Pœna.

Poſita in Lege nova, antiquum tollit, n. 12.

Suſpenſio.

Quoad ſe ſuſpenſus eſt Clericus, in mortali exiſtens, num.5.

Tollitur hæc ſuſpenſio per pœnitentiam, ſaltem Sacramentalem, n.7.

Quoad alios eſt ſuſpenſus, quando eius peccatum Notorium eſt, n.5.

1 CONſultò *hodie* in quæſito addo: quia ante Concilij Conſtantienſis publicationem, Iuris antiqui vigore, ſuſpenſionis cenſura ipſo facto innodati exiſtebant Clerici, notorij concubinatus criminis rei, in quorundam ſententia: ſuſpenſionis quidem ab officio, & beneficio, ita vt collatio beneficij eis facta, eſſet nulla, & ſi celebrarent, irregulares fierent, vt per Clarum, §. *Fornicatio, num.*4. *&* §. *fin. quæſt.*75. *num.*3. Azenedum, *lib.*1. *à num.*61. *&* 106. *tit.*19. *lib.*8. *novæ recopilationis.* Vivaldo, *in Candelubro aureo, tit. de ſuſpenſione à n.*19. Paulum Comitolum *reſponſ. Moralium l.*6. *quæſt.*42. *à num.*2. & Azorium, *part.*1. *lib.* 6. *c.*7. *quæſt.*5. penes Barboſam, *in cap. Quæſitum, n.*4. *el* 10. *& fin. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum.* Azorios tamen loco à Barboſa allegato nihil hac de re diſſerit; diſſerit autem, & aſſerit *p.*2 *lib.*6. *cap.*7. *quæſt.*5. *ex Canone Præter hos,* 32. *diſtinct.* vbi ſic habetur. Præcepimus vt Miſſas „ Presbyter non cantet; Diaconus Evangelium non „ legat, Subdiaconus Epiſtolam non cantet ad „ Miſſas. Et *ex canone ſi quis,* 81. *diſtinct.* vbi eiſdem Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis præcipitur, vt ſe abſtineant ab ingreſſu in Eccleſiam, donec eos ſui pœniteat peccati.

Huius recenſitæ ſententiæ fuerunt Sylveſter, 2 *verbo Clericus,* 2.§. 4. *&* 30. *& verbo Luxuria, quæſt.* 3. ibi Quod ſi tale crimen ſit notorium ſuſpenſus eſt ipſo iure. Iacobus de Graffis *in deciſionibus aureis part.*1. *libr.*2. *cap.*76. *num.*5. vbi docet, quod ad effectum ſuſpendendi, ſeu privandi in foro exteriori Clericum concubinarium, requiritur trina monitio ex Præpoſito, *in canone nullus, num.*3. *diſtinct.* 32. in foro tamen poli, ſi Sacerdos concubinarius eſſet notorius facti, ita vt nulla tergiverſatione celari poſſit, ſuſpenſus eſt, inquit, ab officio, pœnitentia; ſacra voctione; & celebratione, *can. Nullus, cum. Præter hac, diſt.* 32. *cap. Veſtra, cap Tua, cap. fin. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum.* Sic ille.

Navarrus etiam *in Manuali, cap.*25. *num.*76. 3 *& lib.*3. *Conſiliorum, tit. de cohabitatione Clericorum, & mulierum, conſil.*2. Panormitanus, *in dicto cap. Veſtra num.* 7. *el* 7. *eod. tit.* vbi in ſequentia prorumpit. Sed ego diſtinguerem, prout ſuprà dixi in præcedenti quæſtione, quod ſi habet operis euidentiam indubitatam, eſt talis directè ſuſpenſus à canone. Et probo *per dictum caput Præter,* vbi dicit textus: ex authoritate Dei, & Beati Petri ſibi interdicimus, vt Miſſam non cantet, &c. Non enim video inter hæc verba differentiam, *ſuſpendo te ab officio,* & iſta; *interdico tibi officium.* Sed per prima verba infligitur ſuſpenſio; adeò quod celebrans efficitur irregularis, vt probatur clariſſimè hodie, *in cap.*1. *de re Iudicata, lib.*6. & *in cap.* 1. *de ſententia excommunicationis eodem libro.* Ego & per iſta ſecunda. Quia non refert quod per æquipollentia fiat, *cap. Licet ex Quadam, de Teſtibus,* facit Lex, *Non poſſunt, de Legibus,* Ad idem vide textum 32. *diſtinct. di* §. *Verum.* Vbi tales appellantur ſuſpenſi, ſeu præciſi ab Eccleſia. Hucuſque Pótificiæ doctrinæ Coryphœus, noſter Abbas.

Eandem tandem ſecuti ſunt ſententiam D. An- 4 toninus, *in ſumma, part.*3. *tit.* 27. *de ſuſpenſione cap.*3. *in principio,* vbi ſic ait, Notorios fornicator eſt ipſo iure ſuſpenſus 81. *diſt uct. ſi qui. & diſt.*32. *Præter hoc.* Et facta diuiſione Notorij Iuris, & facti, pariter & explicata, ita fatur. Quocunque autem iſtorum modorum ſit notoria fornicatio Clerici, eſt ſuſpenſus quoad ſe, & quoad alios, ſecundum Cho. Ray. Innocentium, & Hoſtienſem, & alios. Hactenùs Florentinus Archipræſul. & penes Gregorium Sayrum, *in Theſauro, lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 20. *verſic. Alij verò,* Paludanus *in* 4. *diſt.*27. *quæſt.* 4. *art.* 1. Alvarus

Pelagius, *de Planctu Ecclesiæ*, *fol.27. col.4.* Villadiego, *de Irregularitate, cap. de suspensione*, *col.3.* Summa Confessatiorum, *lib. 3. tit. 29. quæst. 3.* Bernardo Diaz, *in Practica criminali Canonica, cap.73.* Archidiaconus, *in cap.1. de sententia, & re iudicata, lib. 6.* Henricus, *in cap. si celebrat, de Clerico excommunicato ministrante, Columna penult.* & Simon Maiolus, *libro 5. capite 37. numero 2.*

5 Dixi, *suspensionis censura.* Quia suspensos quoad se, dubio procul, est, licet non quoad alios sit, Clericus Notorius concubinatius, sicuti, & quilibet alius Ecclesiasticus, in quo cum lethali crimine existens, Gregorio Papa Nono sic diffiniente *in cap. Quæsitum, el 10. & fin. de Cohabitatione*
,, *Clericorum, & mulierum.* Verum, & si quemlibet
,, pro mortali peccato quoad seipsum constet esse
,, suspensum, non debet tamen in Officiis evitari:
,, quia quantum ad alios, etiam in casu proposito,
,, suspensus non est, nisi peccatum huiusmodi sit
,, Notorium per sententiam, seu confessionem fa-
,, ctam in Iure, ant per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit. Hæc Gregorius. Vbi Barbosa *num. 5.* ait. Notatur ad hoc, quod suspensus quoad se tantum, & non quoad alios, dicitur omnis Ecclesiasticus existens in peccato mortali: quia quamdiu ipsum non pœnitet peccati, nullo modo celebrare potest, quia peccat mortaliter, sed alij non prohibentur celebrantem audire, vt per Valerium Reginaldum, *in praxi fori pœnitentiæ, lib.32. tract.2. num.1.& 7.* Bonacina, *dicto tract.1. de Censuris, disput.3. q.6. puncto 5. n.2.*

6 Quod si petas, Quænam pœnitentia existenti in mortali, ad suspensionem, quoad se, tollendam sufficiat: an scilicet interior; an verò exterior requiratur? Responder sub distinctione Navarrus, *lib. 3. Consil tit. de Cohabitat. Clericor. & mulier. consil.2.* his, quæ sequuntur verbis.

7 Respondeo, quoad excusandum se à pœna in foro exteriori, requiritur exterior: quia in illo foro, de non apparentibus, & non existentibus, idem est iudicium *in Lege duo sunt Tity, ff. de Testamentaria tutela.* Et notatur *in capite si Sacerdos, de Officio Ordinarij.* In foro verò interiori, videtur sufficere interior, quæ probabiliter sufficiat ad delectionem peccati, secuta saltem confessione Sacramentali, vt satis videtur colligi ex Cardinali Turrecremata *in cap. si qui sunt, 8. distinct.* Hactenùs celebris Doctor Azpilcueta. Sed pro dubij principalis resolutione sit.

CONCLVSIO.

8 Clericus concubinatius Notorius, non est hodie ipso facto suspensus, suspensione Ecclesiastica, vna ex Ecclesiæ censuris.

Nostram tenent conclusionem Eligius Bassæus, *tom. 1. verbo Concubinatus, num.5.* Ioannes Baptista Scortia, *in Selectas Summorum Pontificum Constitutiones, theoremate 124. versic. Est tamen & seqq.* cum Soto *in 4. distinct. 1. quæst. 5. art.6. & dist. 13. quæst.1. art. 9.* & Medina, *in Summa, lib.1. cap.11.§.8.* Iacobus de Graffis, *in decis. Aureis, part. 1. lib. 4. cap. 11. num.9. pag. mihi 452.* Sylvester, *verbo Missa 2. quæst.3. fol.182.* D. Antoninus, *in Summa, part.3. tit. 25. cap. 2. §. 2. in fine* ibi. *Et idem de aliis censuris Ecclesiasticis.* Gregorius Syrus, *in Thesauro, lib.2. cap.12. num.20.* cum pluribus, quos recenset Doctoribus. Nicolaus Garcia, *de Beneficiis, part.7. cap.14. num.36. pag. mihi 110.* cum Cosma, *in Pragmatica Sanctione, 11. de Excommunicatis non vitandis, verbo Suspensionis.* Navarro, *in Canone 1. §. laboret, n.10. de Pœnitentia, distinct.6.* Covarruuia, *in cap. Alma mater, 1. part. §.2. num.10.* Spino, *de Testamentis, glossa 3. num. 43.* Humada *ad Gregorium Lopez, in l.43. tit.6. partita 1. Glossa 2.* Ioanne Gutierrez *Canonicarum qq. lib.1. cap.1. num.45. & lib.2. c.7. num.85.* Azevedo *in l.1. tit. 15. lib. 8. recopilationis, num.65.* Cenedo, *in Collectanea 19 ad Decretum.* Ioanne Major, *in 4. dist. 9. in fine* Adriano *eodem 4. quæst. penultima de Eucharistia*, Martino de Ledesma 1. *p 4. q.5. art.6. dub.9.* Angelo *verbo Missa.* Cecho, *casu 1. de suspensione, num.19. 2. casu.* Henriquez, *lib.13. cap.5. §.3.* *Ludovico* Lopez, *2. tom. Instructionis conscientiæ, cap.78.* Emmanuël Roderiquex, *in Summa, tom. 1. cap.82. sub n.6.* Petro Ledesma, *in Summa, part.1. de Eucharistia, cap. 27. circa finem.* Vega, *en el Espejo de Curas, cap. 12. num. 124.* Francisco Suarez, *tom.3. disput. 8. sect.1. & disput.88. sect. vlt. circa finem, & tom.5. disput.31. sect.4 num.16.* Nunno, in eandem *3. part. D. Thom. q.64 art.6. disp.2. n.7. & 8.* Augustinus Barbosa, *in can. Nullus, n.1. el 5. distinct. 32. & in cap. Quæsitum, num.3. el 10. & fin. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum,* cum Gotierrez *suprà allegato*, Comitolo *Responsorum Moralium, lib.1. quæst.57. num. 13.* Bonacina; *de Sacramentis, disp.4. quæst. vlt. punct.11. n.1. versic. vtrum.* Roderico Accunna, *in commentario ad dictum Canonem, Nullus, num.3. & ad c. Præter, num.2. el 6. dist. 32.* & Fagundez *in quinque Ecclesiæ præcepta, præcep.1 lib.. 2. cap.5. àn.42.*

Probatur conclusio *primò*, ex Extravagante 9
sub Martino Papa V. in Concilio facta Constantiensi, & in Basileensi, antequam scisuram faceret, renovata, vti D. Antoninus *vbi proximè* ait, quàm *cap. 3. immediate sequenti*, sub hoc tenore, idem Sanctus Doctor tradit.

Insuper ad evitandum Scandalom, & multa „
pericula, qoæ conscientiis timoratis contingere „
possunt Christi fidelibus, tenore præsentium, „
misericorditer indulgemus: quod nemo dein- „
ceps à communione alicuius Sacramentorum ad- „
ministratione, vel receptione, aut aliis quibus- „
comque divinis, intus, & extra, prætextu cuius- „
cumque sententiæ, aot censuræ Ecclesiasticæ à Iu- „
re, vel ab homine generaliter promulgatæ, te- „
neatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdi- „
ctum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, vel „
censora huiusmodi fuerit illata, contra persooam, „
Collegium, Vniversitatem, Ecclesiæ Communi- „
tatem, vel locum certum, vel certam à Iudice „
publicata, vel denunciata specialiter, & expresse „
Constitutionibus Apostolicis, & aliis in contra- „
rium facientibus, non obstantibus quibuscumque; „
saluo si quem pro sacrilega manuum iniectione „
in Clericum sententiam latam à canone adeò no- „
toriè constiterit incidisse, quod factum non pos- „
sit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suf- „
fragio excusari: nam à commuoione illius, licet „
denunciatus non fuerit, volumus abstinere iuxta „
Canonicas Sanctiones in Concilio Constantiensi „
sub Martino Quinto. Hucusque extravagans, ptovt à D. refertur Antonino.

Probatur *Secundò* ex Concilio Tridentinos *sess.* 10
21. de Reformat. cap.14. vbi nova præscribitur pro Clericis concubinariis puniendis forma. Huiusmodi illa est,

Prohibet

» Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extrà detinere, aut eum ijs vllam consuetudinem habere audeant; alioquin pœnis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si à Superioribus moniti, ab ijs non se abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, & pensionum, ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut altero pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem, cum eadem, vel alia fœmina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones, eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam vti sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendatur. Et si ità suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres, sibi adiungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur.... Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti, & contumaciæ perseverantiam, & qualitatem, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ad Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros Canones, puniantur.

11 Hæc omnia Tridentina Synodus. Cuius quidem verba, benè expensa, manifestè demonstrant, Clericum concubinarium, suspensione puniendum esse ab Episcopo, in casibus contumaciæ ab illa recensitis. Ergo non sunt hodie ipso facto suspensi, non vtique solùm in vim istius Conciliaris Decreti; sed nec alterius quidem prioris iuris vigore. Non certè ex vi Tridentini: quia verba legis pœnalis extendi non debent vltra propriam eorum, & rigorosam significationem; sed ad eam potiùs restringi. Et quia si id voluisset Concilium statuere, id vtique expressisset. Emmanuel Roderiquez, *tom. 2. quæstionum Regularium, q. 44. art. 4. versic. Quantum in fine.*

12 Neque ipso facto suspensi hodiè sunt virtute alterius senioris Iuris: non solùm, quia omnia antiqua Iura qoad pœnam istam, vim omnem, per recensitam Constantiensem amiserunt Extravagantem: sed quia pœna in nova lege posita, antiquam tollit. Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 7. cap. 1. num.* 46. cum Suarez *tom. 5. in 3. part. D. Thom. disput.* 12. *de Censuris, cap.* 13. *num.* 10. Gregorius Sayrus *in Thesauro, lib. 4. cap. 5. de Suspensionibus contra Clericos in Iure latis, num.* 10. *pag. mihi* 364. ex Decio *in cap. De causis, de Officio delegati.* Henriquez *lib. 3. cap.* 38. §. 2. *in Annotat. lit. E,* ex declaratione S. Congregationis Concilij. Tamburinus Abbas *de Iure Abbatum, tom. 2. dispu. 8. quæsito* 3. Diana *par. 5. tract.* 10. *resolut.* 33. Ausonius Noctinot *in illius Compendio, verbo Matrimonium, quoad Parochum, & testes, num.* 34. cum Hurtado *de Matrimonio, disput.* 17. *difficult.* 17. *num.* 55. qui & dictam recenset Cardinalium Declarationem. Pax Iordanus *tom. 1. de Re sacra, lib. 3. tit. 7. de Matrimonio, num.* 143. cum Bonacina *de Matrimonio quæst. 2. puncti. 6. num.* 3. ex quo & Rebello dictam refert declarationem, & ait. Quâ declaratione supposita, nulla remanet dubitatio. Elig. Bassæus *tom. 1. verbo Concubinatus, num.* 5. Allegatus à Tamburino Basilius Poncius *de Impedimentis Matrimony, cap. 26. §. 2. versic. Ex quibus; conditioa.* 10. *in principio.* Ego ipse, *in quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi Ecclesiarum vnitarum, par. 3. q. 6. n.* 3.

Hæc tamen docui, & si satis probabiliter, sub censura S. Congregationis Concilij Tridentini, oppositum declarantis, *infrà, dub. 3. in fine,* si vera est declaratio ibi recensenda; cui quidem, pro nunc, non assentior, quia illam authenticam nondum vidi.

DVBIVM II.

An liceat audire, aut recipere divina à publicis, aut notorijs Clericis concubinarijs?

BREVIARIVM.

Absolvere. Absolutio.

Qui ex officio Confessiones audiendo crebro voluntariè polluitur, si pœniteat, & proponat in eas non consentire delectationes, absolvi potest, n. 8.

Item is, qui est publicus Confessarius, & si confessiones non audiat, scandalum, aut damnum sequatur notabile in fama, honore, aut pecunias, vel alia vrgeat necessitas, quamvis periculum proximum sit, n. 8.

Idem de eo, qui voluntariè confessiones audit, si cum dolore, & proposito retrahendi à Confessionibus accedat, aut scandalum, vel damnum sequatur; num. 9.

Idem de Pœnitente, qui voluntariè polluitur quoties certo confitetur Confessario consueto, & non potest ei non confiteri sine aliqua nota gravi, numero 9.

Idem de eo, qui ius habet ad causam ex qua sequutura prævidetur pollutio, quia non tenetur illam vitare causam; dummodò non velit pollutionem in se, nec ad illam ordinet causam illam, numero. 10.

Existens in occasione remota peccandi absolvi potest; n. 12. 13.

In plurimum absolvi non potest, qui in occasione proxima peccandi est, n. 11. 14.

Adducuntur exempla aliqua, n. 15.

Limita si quatuor concurrunt. I. Quod verè doleat de præteritis peccatis. II. Quod firmum habeat propositum in futurum non peccandi. III. Quod credat se Dei auxilio non peccaturum quando fuit in ea invenerit occasione. IV. Si adsit rationabilis causa se non separandi ab occasione, numero 16. & seqq.

Causa recensentur, excusantes à separatione occasionis proxima, n. 16. 18.

Prudentia Confessarij relinquitur, quid agere debeat quando pœnitens sæpius absolutus propter grave

 detri

detrimentum, quod ex separatione occasionis proxima sequeretur, eodem modo relabitur, n. 17.

Absolvi potest concubinarius, concubina non dimissa, ob grave incommodum, num. 16. 18. & sequentibus.

Absolutio est neganda. I. Quando pœnitens, id ad quod tenetur, facere non vult. II. Quando persistit sine causa rationabili in proxima occasione peccandi, n. 11.

Charitas.

Hunc ordinem servare precepit. Vt primò Deum diligamus. II. animas nostras. III. animam proximi. IV. corpora nostra. V. proximi corpus, num. 5.

Communio.

Qui nulla suasione premissa, Missam audit notorij concubinarij, vel sacramenta ab eo recipit, aut in aliis divinis communicat, non peccat, n. 22. & seqq.

In sacramentis, & in omnibus alijs divinis communicare possumus, exceptis notoriis Clericorum, ac Monachorum percussoribus, & censuris innodatis, denunciatis nominatim, n. 25.

Confessarius.

Ius habet interrogandi pœnitentem, de consuetudine peccandi, & de furti quantitate, vt tanquam prudens Medicus, eo absolvat modo, qui magis in eius vtilitatem cedat. Et tenetur sine equivocatione respondere, n. 11.

Inducere.

Sacerdotem indignum sine necessitate inducere ad sacrificandum, aut ad sacramenta ministranda, culpa est mortalis, n. 3.

Limita quoties intervenit ius suadentis, aut inducentis, vel eius vtilitas, n. 4. 5.

Ad mortale peccatum inducere, mortale est, numero 3.

Matrimonium.

Quando est occultè irritum, Ecclesia permittit conjugatos tanquam fratres habitare, quamvis adsit continentia periculum, n. 7.

Occasio.

Proxima peccandi occasio est, quæ moralem habet cum peccato coniunctionem: quæ frequenter homines ad peccatum inducit: & quæ talem effectum in hoc habet homine, n. 12.

Remota est, quæ non habet illam moralem coniunctionem, n. 12.

Proxima, eodem precepto vitanda prohibetur, quo peccatum ipsum, n. 14.

Peccare.

Qui periculo peccandi involuntariè se exponit, causa necessaria, vel vrgenti instante, non peccat, à n. 5. ad 16.

Amplia, etiamsi magnam habet consuetudinem peccandi, & credat se iterum peccaturum; dummodo omninò peccatum cavere exoptet, iuxta quosdam, n. 6.

Nemo peccat in eo, quod sibi non est prohibitum, num. 23.

Neque in eo, quod ius indulget, n. 25.

Periculum.

Qui amat periculum, peribit in illo, n. 14.

Qui vrgente aliqua causa, & necessitate periculosè exponit, vel permittit se in illo esse, cum tamen aliàs illud nollet, non tàm illud amat, quàm invitus subit, n. 10.

Pollutio.

Mortalis non est in eo, qui sæpè expertus est illam se, vel sic decumbendo, si aliter dormire non possit. Nec in eo, qui metuit illam, si tali vesciatur cibo, si huius abstinentia sit ei nocitura, n. 6.

Restituere.

Impediens restituere ab aliqua iusta causa, absolvi debet, num. 6.

Sacrificium.

A Sacerdote in mortali existente oblatum, prodest, & suum habet fructum, quatenus nomine Christi, & Ecclesiæ offertur, n. 1. 2.

1 SVppono tanquam certum, Sacrificium oblatum à Sacerdote, lethali culpa innodato, prodesse, & suum habere fructum, quatenùs Christi Domini, principalis offerentis, & Ecclesiæ Catholicæ nomine offertur. Et ratio fundamentalis est. Quia sacrificium munda oblatio, prout sic, est, & nulla iniquitate, aut malitia offerentis inquinari valeat. Vnde Lucius Papa III. *in c. Vestra*, el 7. *Cohabitationis Clericorum, & mulierum*, ita diffinivit. Qualiscumque enim Sacerdos sit, quæ sancta sunt, coinquinari non possunt. Et Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. sic etiam. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.

2 Et hanc doctrinam tenet Paulinus Berti *in Praxi criminali quam pro to.* 4. *quæstionum Regularium Emmanuelis Roderiquez instituit, tit.* 4. *de Visitat. cap.* 17. *n.* 7. ibi. Et vt eorum ministeria, tanquam non vera, non respuantur. Clariùs August. Barb. *in allegato, cap. Vestra, num.* 2. *& in loco citato Tridentini, num.* 19. cum Victoria *in Summa, de Eucharistia, num.* 91. D. Thoma 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. Navarro *in Manuali, cap.* 15. *num.* 79. Clamer. *de Sacrificio Missæ, dub.* 10. Bartholomæo ab Angelo *Dialogo* 5. §. 735. Ludovico de Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 22. Fraxinello *de Obligationibus Sacerdotum, sect.* 3. *prænot.* 4. §. 3. *n.* 3. & cum Martino Bonacina *de Sacramentis, disput.* 4. *quæst. vlt. punct.* 6. *num.* 3. & Petrus Binsfeldius *Enchiridion. Theologia Pastor. part.* 1. *de Sacram. Pœnit. cap.* 12. §. 2. *de Bonitate Confessarij*, ibi: Valet tamen Sacramentum in mortali administratum.

3 Suppono *secundò*, non licere, nulla suadente necessitate, notorios inducere concubinarios, ad sacrificium offerendum, aut ad sacramenta ministranda; si quis autem sine vlla illos suadeat necessitate, lethalis, & mortalis culpæ reus, dubio procul erit. Ratio huius potissima est. Quia ius naturale inducere ad peccandum mortaliter, sub culpa prohibet mortali. Sed suadere ad celebrandam Missam, aut Sacramenta ministranda publicos, aut notorios concubinarios absque necessitate, est illos inducere ad peccandum mortaliter. Ergo, &c. Et ita docet Eligius Bassæus *tomo* 1. *verbo Sacramentum III. num.* 8. *versic. Ex dictis oritur.* Barbosa etiam *in cap. Quæsitum, num.* 3. *in fine*, el 10. *de Cohabitatione Clericorum, & mulier.* cum Paulo Comitol. *Responsorum Moral. lib.* 1. *q.* 57. *n.* 14.

4 Fallit tamen præfata doctrina, vltra casum necessitatis iam exceptum, quoties ius suadentis, aut eius vtilitas, vim legis naturalis de vitando scandalo, aut de non cooperando alterius peccatis, extinguit. Quia tunc tantùm alterius permittit peccatum, ad propriámque vtilitatem, alieno vtitur peccato: quod quidem licitum est, & aliquando etiam necessarium. Et ratio fundamentalis est. Quia in recensitis casibus, petit suadens, quod sui ius

sine

sine peccato, benè præstare valet. Gratia enim divina ipsi neutiquam deest, vt pœnitentiam concipiat. Quod autem ille non faciat pœnitentiam, & sacrilegè sacrificet, aut Sacramenta ministret, suadenti minimè imputari debet, cum iure suo vtatur.

5 Et confirmatur. Quia tantam obligationem quilibet habet ad vitandum proprium scandalum, quàm alienum; immò & maiorem, quia illam iniungit Charitas: Charitas enim post Dei dilectionem immediatè nos, ad propriæ animæ amorem compellit, cogit: deindè ad diligendam proximi animam adigit: & quarto loco ad corpus nostrum amore prosequendum vim adhibet: & tandem ad corpus proximi impellit diligendum. De quo charitatis ordine D. disserit Thomas 2. 2. *quæst.* 26. in cuius 3. *artic.* statuit primum gradum dilectionis, ad quam ex Charitate tenemur Deum amore prosequi, plusquam metipsos *in* 4. *artic. in corpore* ait, quod homo secundùm naturam spiritualem debet se magis diligere post Deum, quam quemcumque alium. Et *art.* 5. ex Augustino docet, quod plùs debemus diligere proximum quantum ad salutem animæ, quàm corpus proprium. Ex quibus, quartus, & quintus dilectionis, ac Charitatis gradus à nobis assignati, satis benè sequuntur. De quibus omnibus videndus venit Petrus Binsfeldius *in Enchirid. Theologia Pastoralis*, *part.* 3. *cap.* 3. §. 1. *versic. Quatuor.* Tunc sic: sed qui periculo peccandi involuntariè se exponit, causa necessaria, vel vrgenti instante, non peccat. Ergo neque peccat, qui ex iusta necessitatis, aut vtilitatis causa, suadet Sacerdotes notorios concubinarios, aut aliàs indignos ad sacrificandum, vel ad sacramenta ministranda.

6 Minor certa est. Illam docet Ioannes Sanctius *in Selectis disput.* 10. *num.* 8. cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *à num.* 9. *in fine corporis*, dicente, fideles posse cum infidelibus communicare, etiam cum subversionis periculo, si necessitas vrgeat. Quod idem (ait) docet Salas 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 6. *tract.* 3. *sect.* 1. *num.* 32. *tract.* 8. *disput. vnic. sect.* 5. *nu.* 60. & *tom.* 2. *q.* 74. *tract.* 13. *disput.* 6. *sect.* 17. *n.* 105. & 506. Soto *lib.* 5. *de Iustitia, & Iure q.* 1. *art.* 6. *in fine conclus.* 2. dicente, posse aliquem ad convertendas meretrices pergere, si illius prædicatio esset necessaria, cum periculo etiam prolabendi. Navarro *in Manuali*, *cap.* 3. *num.* 15. Corduba *in Summa*, *quæst.* 4. *in fine.* Alcozer *in Summa*, *c.* 7. *in fine*, Caietano *in Summa*, *verbo Periculum*, *in fine.* Atmilla *verbo eodem.* Castro *de iusta Hæreticorum punitione*, *lib.* 2. *cap.* 17. Henriquez *lib.* 4. *de Pœnitentia*, *cap.* 24. *num.* 4. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. de Pœnitentia*, *disp.* 32. *sect.* 2. *in fine.* Seraphino *in Additionibus ad Acunnam de Confessariis solicitantibus*, *qu.* 19. *num.* 17. Basilio de Leon *de Matrimonio*, *lib.* 5. *cap.* 35. *nu.* 4. Coriolano *de Casibus reservatis*, *part.* 1. *sect.* 2. *art.* 14. *folio* 78. Iosepho ab Ortu *in Speculo Parochorum*, *cap.* 10. *num.* 34. Antonius Fernandez *en la Instruccion de Confessores*, *docum.* 6. *fol.* 30. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Ludovico Lopez *Instructor. cap.* 19. & *cap.* 20. *concl.* 4. *vsque ad cap.* 26. *exclusivè* Toleto *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 5. & 6. asserente, expertum incurrere pollutionem sæpè, ex eo quod ita, vel sic decumbat, non teneri aliter decumbere, si alio modo dormire non possit. Similiter non habentem cibum, quo vescatur, nisi talem, à quo pollutionem metuit, non teneri abstinere, si abstinentia ista ei sit nocitura; Sylvestro *verbo Absolutio*, *num.* 12. & *verbo Concubinarius*, *num.* 2. & in Rosa Aurea *de quæstion. impertinent. casu* 5. Emmanuël Roderiquez *in Summa*, *tom.* 1. *cap.* 202. §. *Aviso para los Confessores.* Vega 1. *part. Summa*, *cap.* 6. *casu* 2. Veja *in suis casibus*, *casu* 39. Petro Ledesma *in Summa*, *de Sacram. Pœnitent. post.* 6. *conclusionem*, §. *el segundo caso*, *trata de aquellos*, *que estan en la occasion de pecar mortalmente.* Medina *in Summa*, *c.* 13. *casu* 9. Vivaldo *in Candelabro Aureo*, *de Absolutione*, *num.* 89. & *seqq.* Iacobo de Graffis *tomo* 1. *Consiliorum*, *lib.* 5. *cons.* 9. *num.* 9. Angles *in Floribus*, *de Confess. difficult.* 4. *cons.* 6. Reginaldo *in Praxi*, *tom.* 1. *lib.* 8. *num.* 19. Nicolao Nissen. *in lib. sentent. tract.* 6. *part.* 3. *de Pœnit. quæst.* 7. loquente, de illo, qui licet non restituat impeditus ab aliqua iusta causa, debeat tamen ei absolutio impertiri. Adriano *in Quodlibetis*, *quæst.* 7. §. *Secundò inquirere habeo*, *circa fin.* Victoria *in Summ. quæst.* 197. loquentes de habente magnam consuetudinem peccandi, & credente se iterum peccaturam, quinque tamen omninò exoptat cavere: de quo ait forè absolvendum, cum pœnitens tunc agat quantum in se est habendo propositum non relabendi. Quod verò non obiiciat à se formidinem, in eo non constat, cum experientia cogat non credere se deinceps non peccaturum. Quod idem docet Zerola *in Praxi Pœnit. fol.* 50. (ait Ioannes Sanctius) Iosepho de Ortu *de Parocho*, *vbi suprà*, *num.* 35. & Coriol. *loc. cit. sect.* 1. *art.* 14. *fol.* 73.

Addit præfatus Ioannes Sanctius prædictis Doctoribus nonnullos alios, & allegat pro se textum, *in cap. Consultationi*, *el* 4. *de Frigidis*, & *maleficiatis*, & *impotentia coeundi*, in quo sic Lucius Papa III. decrevit. Consultationi tuæ, qua nos consuluisti, vtrùm fœminæ clausæ, impotentes commisceri maribus, matrimonium possint contrahere? Et si contraxerint, an debeat rescindi? Taliter respondemus: quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores. Hactenùs Decretalis Lucij, vbi permittuntur tanquam fratres conjugati, quorum conjugium est occultè irritum, habitare; & non quidem absque incontinentiæ periculo, ex se patet, & benè adnotat Caspensis *in Cursu Theologico*, *tom.* 2. *tr.* 4. *disp.* 4. *sect.* 23. *n.* 198. *pag.* 584. quod certè non leviter nostram minorem fulcit propositionem. 7

Quam etiam docet Leander à Sanctissimo Sacramento *part.* 1. *de Sacramentis*, *tract.* 5. *qu.* 48. vbi inquirit, an possit absolvi Parochus, qui audiendo Confessiones crebrò voluntariè polluitur? Et respondet posse, si pœniteat, & proponat ampliùs in eas delectationes non consentire: quia non tenetur à suo officio vacare. Sic Navarr. (*cap.* 3. *num.* 26.) Castr. Palaus & Ioseph ab Ortu *loc. cit.* Sanctius *disput.* 21. *num.* 9. & alij, quos sequitur Thomas Hurtado *loc. cit.* (*tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *resol.* 5.) *nu.* 58. ita explicans Toletum, dicens: Sed hoc vltimum, quod teneatur auferre occasiones, si est periculum cumplacentiæ, intelligi debet, nisi ratione Officij, quia Parochus est, teneatur eas audire: aut alias, si non est Parochus, est tamen ita publicus Confessor, vt si non Confessiones audiat, sequatur scandalum, aut notabile damnum in fama, honore, aut pecunijs; aut alia necessitas vrgens adsit: tunc enim occasio 8

sit

sit involuntaria, & non tenetur eam vitare, quamvis sit periculum proximum consensus. Sic ille.

9 Hucusque Leander, qui *qu.* 46. *praced.* docet cum eodem Hurtado *vbi proximè* cũ Diana *par.* 3. *tract.* 5. *resolut.* 22. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 165. Villalobos *part.* 1. *tract.* 40. *difficult.* 16. *num.* 5. Trullench *in Decalogum, lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 9. *num.* 8. *pag.* 91. & cum Navarro *loco reddito*, posse absolvi confessarium, qui ex devotione Confessiones excipit, in quibus audiendis crebrò polluitur voluntariè, si tamen cum dolore, & proposito se retrahendi ab audiendis Confessionibus, accedat, aut aliàs, ex tali abstractione scandalum, aut aliud graue damnum illi proueniret. Et rationem hanc reddit. Quia aliàs sine causa remaneret & in periculo, & in occasione proxima peccandi. Et idem cum eisdem docet Doctoribus, de Pœnitente, qui idem facit quoties confitetur certo cuidam Confessario consueto, & non potest eidem non confiteri sine aliqua nota magna. Ita *d. quæst.* 46.

10 Docent etiam Sà, *verbo Peccatum, num.* 6. dicens. Exponere se mortaliter peccandi periculo, mortale, nisi causa aliqua excuset; & proximi salus, aut necessitas aliqua. Tunc enim sufficit nolle peccare. Azorius *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 23. *q.* 5. *colum. mihi* 166. vbi ita inquirit, & resoluit. Quintò quæritur, quid dicendum, quando non habemus ius, vel obligationem ad id, vnde præuidetur secutura pollutio, sed tantùm est nobis vtile illud facere, an tunc imputabitur culpæ nobis, si non euitamus, vndè prævidetur pollutio secutura? Respondeo, non teneri nos evitare illud, si est impeditiuum alicuius maioris boni. Item si illud est nobis vtile, vel noxium nobis illud omittere. Ita ille, qui, *quæst.* 4. dixerat. Quoties quis ius habet ad causam ex qua secutura prævidetur pollutio, non tenetur vitare illam causam, vt pollutio impediatur, dummodò non velit pollutionem in se, nec videat probabile periculum consentiendi in ea, nec ordinet illam causam ad pollutionem, &c. Qui tamen non tantùm nobis fauet, quantùm alij recensiti Doctores, quibus addo D. Basilium Magnum; *in Constitutionibus Monasticis cap* 4. in hæc, quæ Ioannes reddit Sanctus, prorumpit consolatoria verba. Qui vrgente aliqua causa, & necessitate, se periculo obiicit, vel permittit esse in illo, cum tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quam inuitus illud subire: & ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat. Hæc orientalium Monachorum Patriarcha.

11 Addo & Ludouicum Caspensem, *in Cursu Theologico tom.* 2. *tract.* 24. *disput.* 4. *sect.* 13. *de casibus, in quibus neganda est absolutio, vel differenda*, cuius doctrinam sic non gravabor ad amussim exscribere, quia grauissimam, & omnibus, tàm in foro poli, iudicium dicentibus, quàm fidelibus omnibus vtilissimam, apprimè necessariam censeo. Postquam enim distinxit casus in quibus neganda venit, vel differẽda absolutio in istos tres: videlicet, quando Pœnitens non vult facere id ad quod tenetur; quando habet consuetudinem peccandi, & post repetitas confessiones non emendatur, sed eodem modo relabitur; & tandem, quando quis, persistit in occasione proxima peccandi: & postquam resoluit, primum non habere difficultatem, quia qui habet obligationem restituendi, » vel solvendi debita, & non vult, cum commode possit, non est absolvendus. Et postquam, quoad secundum, contra Ioannem Sanctium *in selectis, disput.* 9. asseruit, Confessarium ius habere, ad interrogandum pœnitentem de consuetudine peccandi, ac per consequens ad hoc, vt de illa directè, & sine æquiuocatione respondeat, vti docent Vazquez, *tom.* 4. *in* 3. *pag. D. Th. quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. *num.* 4. *fol. mihi* 166. & Diana *par.* 1. *tract.* 7. *resol.* 15. cum Bonacina *de Sacramentis, disput.* 5. *quæst.* 5. *sect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *difficult.* 3. *num.* 22. & penes eum Suarez, Reginaldus, & Zerola. Et non solùm ex eo quod consuetudo peccandi aggrauet; sed ex eo potiùs, quod Confessarius, non solùm Iudicis, sed & Medici munere, officio, obligatione fungit. Et qua Medicus, ius habet ad illa interroganda, quorum notitia necessaria est ad pœnitentis statum cognoscendum, vt sciat, quæ medicina applicanda ei sit; & an indigeat, necne absolutionis dilatione. Confessarius enim, qua Medicus, tenetur pœnitentem curare, eo modo absolvendo, qui magis in eius vtilitatem cedat, & remedium: ac per consequens ius habet ad eius statum explorandum. Vndè sicut quamvis, qui mille furatus est aureos, non teneatur numerum in confessione aureorum aperire, sed sufficiat si se accuset de furto in notabili quantitate, vti non obscurè docent Vazquez, *num.* 3. & ipse Caspensis, *num.* 195. tenetur tamen, si à Confessario tanquam Medico, de numero interrogetur, numerum propalare. Ita etiam de consuetudinario in qualibet est philosophandum materia. Postquam igitur præfatus Doctor prædicta docuit, sic à *num.* 195. docet.

Circa tertium, regula generalis est, *eum, qui est in occasione remota peccandi, posse absolvi*, persistenti vero in occasione proxima, ea, quæ moraliter videtur habere necessariam coniunctionem cum peccato, & quæ talis est ex suo genere, vt frequenter homines ad peccatum inducat, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere. Remota verò occasio dicitur, quæ non habet moraliter illam necessariam coniunctionem cum peccato.

Ratio prioris regulæ est, qui aliàs deberemus egredi de hoc mundo, qui plenus est innumeris occasionibus; immò omnis creatura dici potest occasio remota peccati, quatenùs ex omnibus homo suâ malitia potest sumere occasionem peccandi, iuxta illud *Sapientiæ* 14 Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. 12

Ratio verò posterioris, quia qui in proxima occasione manet, non censetur habere sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata in futurum. Et quia qui vult causam ex qua necessariò regulariter oritur aliquis effectus, ipsum effectum virtualiter vult: & qui amat periculum, in ipso perire necesse est. Vndè eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare occasionem proximam illius, saltem quando moraliter possumus. 13

Ex quo infertur, quando quis domi suæ concubinam retinet, aut in aliena domo, in qua liberè, & ad eius nutum patet aditus, absolvendus non est: similiter nec absolvendus est, qui concupiscit sæpè fœminam secum in eadem domo habitantem, & sæpius admonitus à Confessario, non desistit à lascivis desideriis. Hæc enim desideria peccata mortalia sunt, ex præsentia fœminæ 14

occasionem sumentia; sicut nec est absolvendus, qui licet eam iam non habeat cum concubina; præbet tamen Scandalum, quod tenetur vitare: quia non eijcit eam à domo; vel quia persistit io visenda ea alio loco commorante.

16 Notanda tamen valdè est sententia Navarri, *in Manuali cap. 3.* quem sequuntur communiter Doctores, pœnitentem posse absolvi, quamvis non relinquat occasionem peccandi, concurrentibus quatuor conditionibus. *Prima*, est dolor de peccatis præteritis. *Secunda*, firmum propositum non peccandi de futuro. *Tertia*, est credulitas; qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quando se in ea occasione invenerit. *Quarta*, quando adest rationabilis causa non separandi, se ab ea occasione, puta quando illa occasio relinqui non potest absque scandalo, vel gravi infamia, vel detrimento magno spirituali, vel temporali. Sic absolvendus est filiusfamilias, quamvis maneat domi ancilla cum qua solitus est peccare, quam ipse expellere non potest: vel si cum fratre, vel sorore habet occasionem peccandi, à quorum convictu absque gravi detrimento separari non potest. Et sic in similibus casibus.

17 Inquires, quid aget Confessor quando pœnitens, qui sæpiùs absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, semper tamen eodem modo relabitur, teneturne absolutionem negare? Respondeo, vix posse certam regulam assignari: quia in eo eventu illa occasio non videtur voluntaria, neque assumpta, sed illata, propter quam non censetur pœnitens absolutione indignus. Atque ita Ægidius, *disput.* 8. *dubit.* 17. & Suarius, *disput.* 32. *sect.* 2. cum Navarro monent, in eo eventu adhibenda esse omnia media, quæ possint pœnitentem ab eo peccato avertere; neque esse illi denegandam absolutionem, quamvis iterum, atque iterum recidat, maximè si aliquantulum se contineat, & numerum peccatorum aliquantulum diminuat. Aliquoties etiam erit optimum consilium absolutionem differre. Quod si hæc non sufficiant, interdum etiam erit cogendus pœnitens, quamvis grave nocumentum temporale indè sequatur: sed certè, vt prædixi, non potest tradi certa regula: & sic hoc remittendum est prudentiæ Confessarij. Hæc omnia Ludovicus Caspensis.

18 Ex dictis resolvitur illa quæstio in materia præsentis disquisitionis, An Concubinarius absolvi queat Concubina non dimissa? Et An detur casus, in quo non teneatur illam de domo eijcere, expellere, ita vt liceat Confessario illi absolutionem impendere? Quamvis enim Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, tom. 2. lib. 6. q. 11. cap. 9. num. 30. in fine colum. mihi*, 1268. absolutè dicat, quod non debet absolvi in Confessione concubinarius, nisi ejecta concubina, si simul habitant, quod & docent apud Dianam, *part. 5. tract. 14. resolut.* 107. Navarrus, *in Manuali, cap. 16. num. 20.* Sylvester, *verbo concubinarius quæst. 2.* Chapeavilla, *de casibus reservatis; in fine, fol. 386.* & Antonius Fernandez, *en la Instruccion de los Confessores, edicion. 2. part. 1. documento 8. num. 6.* eo ducti fundamento, quod numquam censeatur contritus concubinarios, etiamsi detestetur peccatum, & emendationem proponat si concubinam è domo non eijciat. Alij tamen gravissimi, & non minoris nominis Doctores, expressè do-

cent, posse absolvi concubinatium concubina non dimissa, aut de domo expulsa, dummodò concurrant quatuor conditiones, quas modo ex Caspensi reddidi. Et quamvis non omnes illas recenseant, sed nonnullas exprimant, nonnullas earum omittant; has tamen, me iudice, dubio procul, supponunt.

19 Hanc igitur sententiam tenent, Tabiena *verbo concubinatus, num. 2.* apud Dianam, Eligius Bassæus, *eodem verbo, num. 2. in primo tomo*, vbi ita fatur. Tamen quando sine gravi infamia, vel Scandalo, vel alio gravi incommodo, concubina non potest dimitti, tunc difficultas hæc in occasione relinquenda, efficiet occasionem non voluntariam, & ideò in tali casu posset dari absolutio. Bonacina, *tom. 1. disput.... quæst.... punct.. num. 11. & 12. fol.* 324. & Ioannes de la Val, *in illius compendio, verbo concubinatus num.* 2. ibi. Fieri tamen potest, vt concubinarius aliquando absolvi possit non dimissa concubina, vt quando non potest eam dimittere, sine scandalo, vel gravi infamia, vel alio incommodo. Tunc enim non censetur illa peccandi occasio voluntaria: aut quando in articulo mortis existens non potest tunc concubinam eijcere, sed habet firmum propositum illam eijciendi; cum primum poterit. Hæc Val.

20 Eandem sequitur P. Leandet, *part. 1. de Sacramentis, tract. 5. de Pœnitentia Sacramento, disp. 7. quæst.* 37. Vbi hanc proponit difficultatem. An possit absolvi filiusfamilias, qui in domo patris retinet concubinam, cum qua solet peccare, illam tamen ipse expellere non potest? Et pro parte negativa, recenset Sotus, Navarro, Suarez, Reginaldo, Graffis, & Coriolano: negativa inquam, non absolutè, sed secundum quid, cum penes eam doceant, non posse absolvi, nisi semel, aut iterum, si alias aliqua non appareat emendatio, ita illam resolvit.

21 Sed probabilius respondeo: posse absolvi toties quoties pœnituerit, adhuc concubina, seu ancilla domi permanente, si nequeat facilè, aut deceret eam eijcere, & firmiter proponat, se ampliùs non peccaturum, nec vnquam se solum, cum sola conversaturum, eiusque aspectum, pro viribus declinaturum. Ratio est. Tum, quia hoc non dicitur occasio voluntaria respectu filijfamilias, qui non est sui iuris, vti ait Bonacina, de Matrimonio, *quæst. 4. punct. 14. num. 13.* Tum etiam, quia nemo tenetur vitare occasionem proximam peccandi cum magno detrimento; quod sanè interveniret, paternam domum deserendo. Sic Doctores pro nostra sententia, nuper adducti, præcipuè Sanctius, *disput. 10. 11. & 16.* Lugo, *num. 152. pag. 255.* Bonacina, *de Matrimonio, loco citato*, qui etiam citat pro hac parte Graffium, & Lopecium (sed non ita benè) Candidus, *loco citato*, Trullench *loco citato, num. 5. pag. 91.* & alij, quibus adde Sà, *verbo Absolutio, num. 19. alias 11.* Thomam Hurtado; *tract. 1. cap. 6. resol. 18.* & alij apud Baunium, *quæst. 14. citata, fine.* Hactenùs P. Leander.

Quibus omnibus suppositis, & resolutis, ad decisionem dubij deveniamus principalis. Pro qua sit.

CONCLVSIO.

22 Qui nulla suasione præcedente, Missam audit Notorij Concubinarij, aut Sacramenta ab eo recipit, vel in aliis communicat divinis, non est vllius peccati reus.

Probatur hæc conclusio *primò*. Missa, & alia divina, ex se, munda sunt, & sancta, & à ministro, nulla sua nequitia inquinari possunt. Ergo qui ex parte sua absque vlla aliàs interveniente iniquitate in eis communicat, iniuriam, aut irreverentiam aliquam illis non irrogat eo præcisè, quod Minister nequam sit. Ergo in tali non peccat communicatione.

23 *Secundò* probatur. Cuilibet licet, quod sibi non est prohibitum. Sed post Concilia modo recensenda non est prohibitum communicari in Divinis cum Notoriis Clericis concubinariis. Ergo cuilibet licet ab eis Missam celebratam audire, Sacramenta recipere, & in aliis communicare divinis, absque vllo prorsus peccato.

24 Probatur *Tertiò* conclusio. Potest concubinarius Notorius mediante vera pœnitentia ad ritè, & rectè celebrandum, ad Sacramenta debitè ministranda, & ad alia divina dignè persolvenda, se disponere. Ergo ei tantùm ad culpam imputari debet, non autem quibus ei communicant, quod ritè, debitè, & dignè præfata non exerceat munia.

25 *Quartò* probatur. Non tenentur fideles abstinere à communione alicuius Sacramentorum administratione, vel receptione, aut ab aliis quibuscumque divinis, nisi in casu, quo quis sit Notorius Clericus, aut Monachi percussor, ita vt eius delictum, nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo excusari suffragio, aut sit censuræ suppositus Ecclesiasticæ, & nominatim, seu specialiter, & expressè denunciatus, ita indulgente Sacro Constantiensi Concilio, sub Martino Papa V. & Basileense innovante, in Extravagante *Insuper ad evitandum*, suprà *dub.* 1. *huius disquisitionis, n.* 9. reddita. Ergo qui nulla suasione præcedente Missam Notorij audit concubinarij, aut Sacramenta ab eo recipit, vel in aliis communicat divinis non est vllius peccati reus, si concubinarius huiusmodi, percussor Notorius Clerici, aut Monachi non sit, aut denunciatus nominatim censura innodatus non existat. Patet consequentia. Quia nemo peccat in eo, quod ei Ius, maximè Canonicum indulget.

DVBIVM III.

An ad incurrendas pœnas Concubinariis inflictas, monitio specialis in personas ipsas facta, pro forma requiratur? & an trina necessaria sit ad beneficiorum privationem?

BREVIARIVM.

Beneficia.

Resignatio Parochialis per concubinarium facta, & in Roma expedita, antequam ab Ordinario privaretur, suum integrum sortitur effectum, numero 17.

Si privatus resignat, pœna ad successorem non transit, n. 18.

Exceptio apposita ante, vel post sententiam, suspendere non potest executionem privationis Beneficij concubinarij, num. 19.

Quando distributionibus, quando Beneficij administratione privetur concubinarius, & quando non, n. 13. 14.

Concubinatus.

Vt pœnas concubinarij incurrant, pro forma requiritur vt moneantur personaliter, n. 1. 2. 8.

Clerici concubinarij privari non possunt, nisi trina monitione præmissa, n. 1. 2. 3.

Si fuga timetur, potest Episcopus concubinarium ante monitionem capere, & incarcerare, n. 3. 11. 12.

Monitiones speciales esse debent, & personæ fieri in visitatione, aut extra, n. 4. 9.

Declarationes S. Congregationis circa concubinarios recensentur, n. 5.

Decretum Concilij de concubinatu, non procedit in simplici incontinentia, n. 5.

Comprehendit deprehensum modo cum vna, modo cum alia, n. 6.

Non expectata Concilij forma, potest Ordinarius procedere prout de Iure, n. 7.

Procedere potest contra illos ex Officio, vel alio, quo voluerit modo, n. 16.

Accusare eos possunt Patroni, & Parochiani, num. 7.

CONCLVSIO.

Respondeo, ad vtriusque dubij propositi partem affirmativè. Ita docet August. Barbosa, *in cap. sicut, num.* 6. *el* 4. *de Cohabitatione Clericorum & mulierum & in cap. cum Dilectus, num.* 4. *el* 20. *de Accusationibus, &c.* Pro prima allegat responsionis parte, Marcum Antonium Genuensem, *in Praxi Archiepiscopalis Neapolitana, cap.* 30. & pro vtraque, Aloysium Riccium, *in Praxi fori Ecclesiastici, decisione* 359. *in editione* 1. *& in* 2. *editione, resolut.* 307. *num.* 3. In vtroque loco eisdem ferè vtitur Barbosa verbis. Priorem recenseo. 1

Quartum (dubium scilicet ex doctrina ibi tradita ortum, est) *An ad incurrendum in pœnas contra Clericos concubinarios latas, monitio specialis, in ipsam personam facta, pro forma exigatur?* In quo affirmativa opinio vera est, ità vt monitio generalis facta in Synodo non suffragetur, & si trinæ monitionis vim obtineat. Marc. Anton. Gennuensis, *dicto cap.* 30. Aloysius Riccius *in Praxi fori Ecclesiastici, decis.* 359. *in* 1. *editione, & resolut.* 307. *num.* 3. *in* 2. *edit.* Vbi etiam asserit, huiusmodi trinam monitionem requiri secundum dispositionem tam Iuris communis *huius* textus (scilicet *capitis sicut*, citati,) quam novioris Concilij Tridentini *dicti capitis* 14. *sessionis* videlicet 25. *in Decreto de Reformatione Matrimonij*,) & *numero* 4. refert procedere etiam in Clerico concubinario Notorio, qui absque prædicta trina monitione beneficij privari non potest. 2

Vndè Rota in vna Tullen. Monasterij S. Mansueti 27. Ianuarij 1597. coram D. Pennia, quæ est impressa inter Consilia Farinacij *libro* 1. *consil.* 80. censuit Clericum concubinarium etiam publicum, 3

publicum, non esse ipso Iure beneficiis privatum, nec venire privandum, nisi quando post legitimas monitiones, indurato animo in concubinatu persistit. (Et hanc quidem decisionem sic etiam recenset Garcia *de Beneficiis*, *part.*11. *cap.*10. *num.*184. Vbi addit Rotæ probationes: scilicet *cap. sicut*, *& cap. si autem*, *de Cohabitatione Clericorum*, *& mulierum.*) Quæ quidem monitiones, non tantùm in visitatione, sed & aliis quocumque temporibus fieri possunt. Armendariz, *dicto tit.*5. *de Stupro l. vnica*, *num.*4. (*in addit.* scilicet *ad recopilationem Legum Navarræ*) vbi *num.* 6. quod tempus, quod inter vnam, & alteram monitionem intervenire debeat arbitrio Iudicis relinquitur. *Et num.*7. quod potest Episcopus contra hos procedere, etiam incarcerando quando timetur de fuga. Et *num.*8. quod Ordinarius ipse solus potest ex Concilio, *dicto cap.*14. in crimine concubinatus, ad informationem summariè; & incarcerationem procedere vbi de fuga timetur, idque sine monitione illa præscripta *in dicto cap.*14. Nicolaus Garcia, *dicto cap.* 10. *num.*186.

4 Hucvsque Barbosa; qui in *Collectaneis Decisionum Apostolicarum*, *collect.* 200. *verbo Concubinarius*, declaratione refert S. Congregationis, pro hoc, quod monitiones debeant esse speciales, & non generales, puta per edictum, ex Armendariz, *dicto num.*4. & Garcia *dicto num.* 186. pro eo, quod possit fieri in visitatione, & aliis quoque temporibus: cum Armedariz *num.*5. & Garcia *loco citato* & pro hoc tandem, quod Episcopi arbitrio relinquitur tempus, quod inter vnam; & alteram intervenire monitionem debeat, ex eisdem Armendariz, & Nicolao Garcia. Sed libuit has, & alias Sacræ Congregationis Declarationes de hac materia, ab eodem Garcia *de Beneficiis*; *part.*11. *cap.*10. *num.*186. *pag.mihi* 394. & à nostro Petro Marcilla, in Concilium Tridentinum, *lib.*4. *tit.* 14. *de Adulteriis*, *& Concubinatu*, *& tit.* 15. *de Cohabitatione Clericorum*, *& mulierum*, recensentur, exscribere.

5 *Prima est. Hoc Decretum, de Concubinatu, & aliis impudicitiæ sordibus Clericorum non procedit in simplici incontinentia absque qualitate Concubinatus.* Refertur à Garcia, *num.* 186. & à Marcilla *tit.*14. *cap.*1.

6 *Secunda est. Habet locum etiàm si quis Clericus modò cum vna, modò cum alia comprehendatur.* Sub his illam recenset verbis Garcia; sub istis autem Marcilla; *tit.* 14. *cap.* 1. *Etiam cum diversis concubinis.*

7 *Tertia est. Patroni possunt, si ad eos spectat præsentatio alicuius beneficij, per concubinarium detenti; vel alij laici parochiani pro suo interesse, quia ab iis percipiunt Sacramenta, eos accusare. Quin imò potest Ordinarius procedere contra ipsos, prout de Iure, non expectata forma huius textus, & huius litteræ, ex Congregationis sententia.*

8 *Quarta.* Ibi. *Quod si à Superioribus moniti specialiter, non autem generaliter, puta per edictum.*

9 *Quinta. Monitiones ex eodem Decreto faciendæ, non tantùm in visitatione, sed aliis quoque temporibus, fieri possunt.*

10 *Sexta. Tempus, quod inter vnam; & aliam monitionem intercedere debet, arbitrio Episcopi relinquitur.*

11 *Septima. Poterit Episcopus contra omnes procedere, & incarcerando quando timetur de fuga, iuxta traditam formam in cap.*6. *huius sessionis absque monitione.*

12 *Octava. Episcopo Salamantino. Ordinarius potest ipse solus ex Decreto Concilij, sess.*25. *cap.*14. *in crimine concubinatus, ad informationem summariè, & incarcerationem procedere, vbi de fuga timetur: idque absque forma, & monitione illa, quæ præscripta est Decreto Concilij Tridentini, sess.*25. *c.*14. 2. *Iunij* 1575. Hanc reddit Declarationem Nicolaus Garcia.

13 *Nona. Pœna de qua in vers. Quod si à superioribus moniti non habet locum si Clericus primò deliquerit, etiamsi edicta generalia præcessissent, sed incurritur, vbi Clericus secundò deliquit: primò enim puniri debet aliis pœnis à Sacris Canonibus, vel Ecclesiarum statutis impositis; & demum si monitus fuerit, & quidem speciali monitione secundò delinquit, privatus est tertia parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis ratione canonicatus, vel dignitatis inter essendo percipit præter fructus præbendæ distincta.*

14 *Decima. Eadem pœna censetur repetita, in vers. Si verò in delicto eodem. Si autem secundæ monitioni non paruerit, suspensus est ab administratione beneficiorum, & cum non possit interesse Clero amittit etiam distributiones quotidianas.*

15 *Vndecima.* Hactenùs ibi. Et in illa concilliaria verba: *Ab his se non abstinuerint.* Hanc recenset Petrus Marcilla S. Congregationis Declarationem. *Tertia intellige, si secundò deliquerit.*

16 *Duodecima. Episcopus procedere potest per denunciationem, ex Officio, vel quo alio sibi videbitur modo:*

17 *Tertia decima.* Et in illa Decreti verba: *Tertia parte fructuum.* Hanc reddit Marcilla Declarationem. *Si resignatio Parochialis verò fuit Romæ expedita, antequam Ordinarius resignantem titulo, ac beneficio dictæ Parochialis privaret, eadem dicta resignatio suum effectum sortiri debet, nec eam potest Ordinarius infringere, nec aliquam Ecclesiæ pensionem imponere.*

18 *Quarta decima. Pœna hæc non transit ad successorem in beneficio, si privatus resignat.* illam refert Garcia; *part.* 1. *capite* 5. *numero* 299. *&* 304.

19 *Quinta decima:* In verba autem. *Prædictam executionem impediat*, istam recenset Marcilla. *Prædictam executionem, exceptio, aut appositio, ante vel post diffinitivam sententiam suspendere non potest.*

20 *Decima sexta* In illa verba: *Ad Archidiaconos.* Istam refert Declarationem Marcilla: *Congregatio censuit hoc non intelligi in immemorabili.*

21 *Decima septima.* Et tandem super Concilij eiusdem verba: *Clerici impudici*, istam tradit Marcilla Sanctæ Congregationis Declarationem. *Si Clerici concubinarij Notorij sunt, etiam hodie ipso iure à divinis suspensi, prout in veteri Iure sunt:*

DVBIVM IV.

An Tridentini Concilij dispositio, sess. 25. capite 14. *in simplici in continentia absque Concubinatus qualitate procedat? Et quid si Clericus modò cum vna, modò cum alia deprehendatur muliere?*

BREVIARIVM.

Axioma.

Inclusio vnius, est exclusio alterius, n. 10.

Si Legislator aliud voluisset, & expressisset, n. 10.

Concubinatus.

Tridentini dispositio, sess. 25. c. 14. Clericos incontinentes, seclusa Concubinatus qualitate non efficit, n. 8. 13.

Neque afficit Clericum, qui citra Concubinatum modò cum vna, modo cum alia muliere incontinens est, n. 14.

Dictio, *Alia*.

Similia solum regulariter, comprehendit, n. 4.

Addita tamen vniversali, maiora comprehendit expressis, n. 4.

Dictio, *Consuetus*.

Vt quis dicatur consuetus aliquid facere, requiritur vt bis saltem id fecerit, n. 9.

Dictio, *Solitus*.

Vt dicatur solitus, aliquid facere, requiritur quod bis illud fecerit, n. 9.

Lex.

Quod in Lege non est expressum, censetur neglectum a Legislatore, n. 10.

Lex pœnalis, extendenda non est ad casus non expressos, etiamsi in illis eadem, aut maior invenitur ratio, n. 10.

Quando Lex apertè duobus modis intelligi potest, benignior est interpretatio sumenda, n. 11.

In Legum, maximè pœnalium interpretatione, proprietas verborum servari debet, n. 12.

Lex clara, & distincta esse debet, non captiosa, num. 12.

Pœna.

Extendenda non est, sed restringenda, n. 10.

Non tàm à ratione, quàm à Legislatoris dependet voluntate, n. 10.

Verbum *Vniversale*.

Dispositionem ampliat, n. 4.

1 QVoad primam partem, respondet Doctor Navarrus, *tom. 1. Consiliorum, lib. 3. titulo de Cohabitatione Clericorum, & mulierum, conf. 1. à num. 3.* quem noster sequitur Gregorius Saytus, *in Floribus decisionum tit. de adulter. decis. 4.* in simplici procedere incontinentia. Quod probatur.

2 *Primò.* Quia verbum *consuetudinem* in dicto Concilij capite positum, videtur conversationem significare. Sed per vnum actum dicitur conversatus fuisse, vel familiariter se habuisse cum alio. Ergo Concilij dispositio in simplici, & vnica procedit incontinentia, & absque concubinatus qualitate.

Secundò. Quia dictum verbum *consuetudinem* 3
desumptum videtur *ex capite si quisquam, el 2. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, ex illis verbis: Fabulari, & aliquo modo conversari. Sed vnus incontinentiæ actus, plus delicti continet, quàm fabulari, & aliquo modo conversari, cum hoc sufficienter verificetur in conversatione per nuntium, vel epistolas secretas, vti ibi Barbosa n. 5. exponit cum Menochio, *de Præsumptionibus, lib. 5. præsump. 41. n. 20.* & Carolo de Grassis, *de effectibus Clericalibus, effectu 26. n. 5.* Ergo Tridentina dispositio in vnica incontinentia, & sine concubinatus procedit qualitate.

Tertiò. Quia hæc expositio intentioni Concilij 4
germanior est, quatenùs prohibet per dictionem vniversalem, vt nullam consuetudinem habeant, etiam citra fornicationis actum. Verbum enim vniversale ampliat dispositionem, iuxta Glossam, *in Clementinam, vt calumniis, verbo Quavis, la 1. de sententia, & re indicata*, vbi probat, verbum *Alia*, quod regulariter solùm comprehendit similia, iuxta Glossam, *in cap. Sedes, de Rescriptis*, adjuncto signo hoc vniversali *quavis*, comprehendere etiam majora expressis. In quo eam pro singulari commendat noster Abbas Panormitanus, *consil. 101. n. 5. primæ partis consiliorum.* Vbi ita Fatur. Immò in terminis ad propositum nostrum adduco Glossam singularem, *in Clement. 1. in verbo Quavis alia de re indicata*, vbi dicit, quod ista dictio *Alia*, includit criminales, ciuiles, mixtas, & spirituales, quam in proposito meo magnifacio, & pro hac divisione ipsam principalem noto. Hactenùs Magnus Nicolaus Tudeschus, cui Navarrus addit Barbat. *in cap. Tertio loco, de Probationibus*, & alios alibi.

Quartò. Quia si Concilium interrogatum fuisset, an intenderet prohibere vnam accessionem 5
cum reali fornicatione, respondisset, quod magis, quàm binam sine actu fornicandi. Ergo id habendum est pro statuto, *argumento Legis Tale peccatum, §. fin.* vbi Gloss. *fin. ff. de Pactis.*

Quintò. Quia si Concilium voluit privatione 6
tertiæ partis fructuum punire eum, qui monitus ne accedat, accessit, à fortiori videtur privare eum, qui accessit etiam tantum semel fornicando: cum propter solam vnam fornicationem antiqua Iura constituerint Clericum esse deponendum. *c. Presbyter*, 81. *distinct.* & non propter solam confabulationem, vel conversationem, non secuta fornicatione, saltem præsumpta.

Sextò probatur præfata sententia. Concilium 7
Tridentinum *in illo cap.* 14. noluit prohibere minùs, quàm Iura prohibuerant antiqua, cum majorem imponat pœnam. Sed Iure antiquo erat prohibitum, non solùm habere concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in domo, vel extra, *cap. sicut el 4. & cap. si autem, el 6. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, sed etiam accedere ad illas, vel habere aliquam consuetudinem, *c. in Omnibus el 26. & cap. Fœminas, el 31. 81. distinct. & cap. Clerici, el 32. eadem distinct.* prohibet, ne Clerici accedant ad Virgines, vel viduas, nisi iussu Episcopi. Ergo Concilium Tridentinum prohibere intendit etiam vnam accessionem, & conversationem. His tamen non obstantibus sit.

CONCLV

CONCLVSIO I.

8 Concilij Tridentini dispositio, *sess.* 25. *cap.* 14. non afficit Clericos incontinentes, seclusa concubinatus qualitate.

Hanc docent Nicolaus Garcia, *de Beneficiis part.* 11. *cap.* 10. *num.* 186. *pag. mihi* 394. Petrus Marcilla, in Tridentinum, *lib.* 4. *tit.* 15. *de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, *super caput primum*, *in principio*. Aug. Barbosa, *in cap. sicut, num.* 4. *el* 4. *dicti tituli de Cohabitatione*, cum Aloysio Riccio, *in praxi fori Ecclesiastici*, *decis.* 361. *in fine*, *in I. editione*, *& in 2. resolut.* 307. *num.* 5. Armendariz *in Additionibus ad recopilationem legum Navarræ, lib.* 4. *tit.* 5. *de stupro l. unica, num.* 4. & Farinacio, *in Praxi criminali*, *part.* 5. *quæst.* 138. *num.* 12. *& num.* 74.

9 Probatur conclusio *primò*. Quia Concilium *in dicta sess.* 25. *cap.* 14. prohibet consuetudinem cum aliqua muliere. Sed qui semel cum aliqua fornicatur, non dicitur consuetudinem habere cum illa. Ergo Concilij dispositio non procedit in simplici incontinentia. Minor in qua est difficultas, probatur. Quia ad hoc vt aliquis dicatur consuetus aliquid facere, requiritur, quod bis saltem illud fecerit. *l.* 3. *cod. de Episcopali audientia, & can. ita nos*, 25. *quæst.* 2. & expresse notat Bartolus, *in l. Mela ff. de Alimentis, & cibariis legatis*, quod ad hoc vt aliquis dicatur consuetus facere aliquid, requiritur, quod saltem bis illud fecerit, per prædictam legem *Mela*, *versic. Sed si*. Et Decius, *in Rubrica de Consuetudine*, *num.* 9. efficaciter per multos probat textus, quod etiam ad hoc, vt quis dicatur solitus aliquid facere, requiritur, quod bis fecerit illud. Ergo, qui semel cum aliqua fornicatur, non dicitur habere consuetudinem cum illa.

10 *Secundò* probatur. Pœnæ sunt restringendæ, & leges pœnales non sunt ampliandæ, & extendendæ ad casum non expressum, etiamsi in illo eadem inveniatur ratio. *l. Interpretatione ff. de Pœnis*, *can. Pœna*, *de Pœnitent. dist.* 1. Ioannes Caramuël, *in Theologia Fundamentali*, *num.* 1092. Marcus Vidal, *in Arca vitali*, *tit. de Duello*, *inquisit.* 6. *num.* 13. cum Lanfrancó, *de Duello*, *opusculo* 5. *cap.* 3. *num.* 9. Thomas Delbene, *de Immunitate Ecclesiastica*. *tom.* 2. *cap.* 14. *dub.* 14. *num.* 2. *& cap.* 19. *dubit.* 11. *num.* 7. Immò & Navarrus contrariæ sententiæ patronus, variis in locis: *tom.* 1. *Consiliorum*, *lib.* 1. *tit. de temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum*, *consil.* 17. *num.* 3. *lib.* 3. *tit. de Cohabitatione Clericorum, & mulierum*, *consil.* 1. *citato*, *num.* 2. *& tom.* 2. *lib.* 5. *tit. de Privilegiis*, *consil.* 25. *numer.* 4. *& tit. de sententia excommunicationis*, *consil.* 48. *num.* 6. Et ratio est, cum, quia casus non expressus, habetur pro omisso. Delbene, *ubi proximè ex l. Commodissime*; *ff. de liberis, & posthumis cap. Inter temporalia, de Translatione Episcopi*, *cap. Cum Dilectus*, *de officio Ordinarij*, *& cap. Is*, *qui de sententia excommunicationis*. Idque verum esse in omnibus dispositionibus asserit cum Ancharrano, *consil.* 120. *in principio*, *& consil.* 245. *num.* 5. (Vbi docere (ait) id valere etiamsi maior ratio militet) Socin. *consil.* 32. *num.* 18. *lib.* 1. Alexandro *consil.* 113. *num.* 5. *lib.* 2. *& consil.* 123. *num.* 21. *lib.* 4. Oldrado, *consil.* 124. *num.* 4. & Tiraquello, *de Iure primogenit. quæst.* 40. *num.* 149. Et quia, hoc in Lege non est expressum, censetur neglectum à Legislatore. Si enim ille aliud voluisset statuere, illud expressisset. Delbene, *tom.* 2. *citato*, *cap.* 17. *dub.* 22. *num.* 42. *pag. mihi* 348. Raggius in doctissimo opere, de Regimine Regularium, *centuria* 2. *tract.* 8. *dub* 161. *num.* 2. *ex l. Vnica*, §. *sin autem ad deficientis*, *cod. de Caducis tollendis*, *l. Si servus*, §. *Prætor ait*, *versic. Non dixit*, *ff. de Acquirenda hæreditate*. Tiraquello *in l. Si vnquam*, *tit. Libertatis*, *num.* 3. Surdo, *consil.* 88. *num.* 4. & *decis.* 322. *num.* 22. *& consil.* 245. *num.* 45. *volumine* 2. Gutierrez *Practicarum*, *lib.* 3. *quæst.* 22. *num.* 7. & Alexandro, *consil.* 94. Marcus Vidal, *ubi supra*. Tum, quia inclusio vnius, est exclusio alterius. Axioma est communiter receptum. Vidal *ibidem*, Ang. Barbosa, *in cap. Nonne*, *num.* 4. *el* 6. *de Præsumptionibus*, cum . Thoma de Thomas *regula* 148. Richardo, *ad princip. instit. de Hæredatione liberorum*, *num.* 10. Menochio, *de Arbitrariis*, *casu* 37. *num.* 22. *& consil.* 106. *num.* 314. *& seqq.* Pereira, *quæstionibus forensibus*, *consil.* 4. *num.* 20. *& consil.* 50. *n.* 2. Cæsar. Argel, *de Contradictore Legitimo*, *quæst.* 5. *num.* 32. *& quæst.* 10. *n.* 47. Mar. Anton. *Variarum resolutionum*, *lib.* 1. *resolut.* 1. *num.* 10. Tuscho, *tom.* 4. *Litt. I*, *concl.* 71. Surdo, *decis.* 291. *num.* 20. *decis.* 295. *num.* 12. *consil.* 25. *n.* 3. *cons.* 56. *num.* 2. *& cons.* 151. *num.* 15. Flaminio Parisio *de Confidentia*, *quæst.* 29. *num.* 52. Et tum deniquè, quia pœna, non tàm dependet à ratione, quàm à Legislatoris voluntate, sed Concilium Tridentinum *in cap.* 14. *præfato*, non exprimit Clericum semel, aut iterum incontinentem, sed concubinarium. Ergo huiusmodi incontinens, qui concubinarius non sit, in Concilij dispositione habetur pro omisso, censetur neglectus, & exclusus iudicaretur, quamvis in eo eadem militaret ratio, ac in concubinario, quæ tamen non militat.

Tertio probatur conclusio. Quando lex duobus modis aptè potest intelligi, benignior interpretatio est sumenda. *l. Benignius ff. de Legibus*. Sed Lex Conciliaris *dicti capitis* 14. aptè potest intelligi de multiplici incontinentia cum qualitate concubinatus, quæ quidem interpretatio benignior est. Ergo dictæ Legis dispositio intelligenda est de multiplici incontinentia cum concubinatus qualitate, non autem de simplici, vnave, aut altera. 11

Quartò. In Legis interpretatione, verborum servari debet proprietas (maximè si illa odiosa sit, & pœnalis:) & secundùm illam proprietatem legem latam esse intelligitur. Palaus *part.* 1. *tract.* 3. *disput.* 5. *punct.* 3. §. 5. *num.* 2. cum Francisco Suarez, *tom.* 2. *de Legibus*, *lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 7. Salas, *eodē tract. disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 4. Bonacina, *disput.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *num.* 15. & Azorio, *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 16. *q.* 9. *ex L. Non Aliter ff. de Legatis* 3. *& l. Prospexit*, *ff. qui, & à quibus*, *& cap.* 2. §. *sed neque*, *de Translatione Episcopi*. Ioannes Baptista Lezana, *in summa quæstionum Regularium*, *tom.* 2. *part.* 4. *verbo Leges Regularium*, *num.* 32. Pellizzarius, *in Manuali Regularium*, *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 331. *& tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 9. *in fine*. Ego ipse, *in Disquisitione Pastorali*, *de Iure Prioris annexi*, *num.* 43. vbi hanc reddidi rationem. Quia scilicet Legislator debet legem claram, & distinctam condere, vt illa firma sit, & cavillationes vitentur. Textus adest elegans, *in cap. Abbate*, *el* 25. *de Verborum significatione*, ibi. Nec lex debet esse obscura, & captiosa. Sed sic est, quod Tridentinum in sæpè citato *cap.* 14. expressè loquitur de concubinis, & de mulieribus suspiciosis, & de consuetudine cum illis conversandi, cum de perseverantia, vti legenti facile pa- 13

tebit, loquatur. Ergo dicti Concilij lex lata intelligitur contra Clericos non semel, sed sæpè incontinentes.

23 *Quintò* probatur, & vltimò conclusio, ex declaratione S. Congregationis Concilij, *suprà dub. 3. num. 5.* recensita sub hoc tenore. *Hoc Decretum de Concubinatu, & aliis immunditia sordibus Clericorum, non procedit in simplici incontinentia absque qualitate concubinatus.* Quæ quidem Declaratio, si verè existit authentica, plenè probat conclusionem primam præfatam, ad priorem dubij partem respondentem. Pro posteriori autem sit,

CONCLVSIO. II.

24 DIspositio Concilij Tridentini, in loco allegato, non comprehendit Clericos, qui citra Concubinatum, modò impudice se gerunt cum vna, modò cum alia muliere.

Hæc conclusio, eisdem rationibus, ac Declaratione, quâ prima fulcitur. Qui enim modò cum Maria peccat, modò cum Ioanna, absque consuetudine cum altera earum, Concubinatius non est, nec dici potest, vti dictum in Disquisitione relinqoo. Sed Concilium non comprehendit nisi Concubinarios. Ergo nec comprehendit modò cum vna, modò cum alia venerem complentem.

DVBIVM V.

Quinam Iudex de Concubinatu cognoscat?

BREVIARIVM.

Causa.

Continentia causæ dividenda non est, n.9.

Concedere Concessio.

Quæ non sunt expressè prohibita, concessa intelliguntur de Iure communi, n.6.

Concubinatus.

Cognoscere de concubinatu, qua tali, ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinet à n. 3. De facto tamen cognoscit & laicus, n.10.

Non potest de facto laicus de Concubina cognoscere Clerici, n.7.

Nec potest in domum irruere Ecclesiastici, vt inde concubinam extrahat, n. 10.

Nec exigere ab Ecclesiastico expensas factas in captura, & custodia sua concubina, n.11.

Neque impedire potest, ne Ministri Ecclesiastici, domos meretricum, visitent, & concubinarum. num.12.

Correlativa.

Correlativorum idem est ius, & ratio, n.7.

Dispositio loquens de vno correlativorum, in alio etiam procedit, n.7.

Dignios.

Ad se trahit minùs dignum, n.8.9.

Iudex.

Qui de vno cognoscit delinquente, de illius cognoscere debet complicibus, n.8.9.

Licitum.

Omne, quod non est prohibitum, licitum est, n.6.

Pœna.

Imponi non potest, vbi deest culpa.

Est culpa mensura, num.6.

EX iuribus in præcedentibus adductis, evidentissimum est Episcopos, & locorum Ordinarios, Iudices existere competentes, ad procedendum contra quoscumque Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos, sæculares; & contra eorum Concubinas. Et ita etiam omnes sentiunt, Doctores. Controvertitur autem inter eos, an hujusmodi criminis cognitio, privativè ad Iudicem spectet Ecclesiasticum; an autem cumulativè, ita vt concubinatus, mixti sit fori, & in eo procedere queant à præventione vtriusque fori Iudices, Ecclesiastici, scilicet, & Sæculares.

In qua difficultate, prima asserit sententia, concubinatum esse mixti fori. Illam tenet Augustinus Barbosa, *in Collectanea Doctorum, in Concilium Tridentinum, sess.24. de Reformatione matrimonij, cap. 8. num.9.* cum Ordinatione Regia Lusitana, *lib.2. tit. 9. in princ.* & parente suo ibi. Gregorio Lopez l.58. *verbo Estos, tit.6. part.1.* Avendaño, *ad cap.26. Pretor, n.2. part.2. num 31. in fine* Farinacio, *in Praxi Criminali, quæst.8. num.131.* & Thom. Valasco, *in Allegationibus Iuris, tom. 1. allegat.34. n.4.* Antoninus Diana, *part.1. tract.2. resolut.88. in fine, & part.5. tract.1. resol.10.* cum Veneto, *in Examine Episcop. lib.3. cap.27. n.66.* Belleto, *in Disquisitionibus Clericorum, tit. de favore Clericorum reali, §.4. num.52.* Bobadilla, *in Politica, tom. 1. lib.2. cap.17. num.53.* Azorius, *Institut. Moralium, tom. 2. lib.3. cap 53. quæst. 2. versic. Ratio dubitandi.* Thomas Delbene *de Immunitate Ecclesiastica, tom.2. cap. 10. dub. 1. sect. 1. num. 23.* Qui tamen contrariam sententiam probabilem pronuntiant. Et sic suam probant. Delictum, quod Lex Canonica, & Civilis prohibet est mixti fori, vti observat Balboa de Magroviejo, *in cap. Cum sit generale, num.18. el 8. de Foro competente.* Sed concubinatus ab vtraque prohibetur lege. Ergo est mixti fori. Sed pro vera resolutione dubij, sit.

CONCLVSIO.

COncubinatus, qua talis, ad solum Ecclesiasticum pertinet forum, ita vt Iudex laicus, de illo cognoscere non valeat.

Tenent hanc conclusionem noster Abbas Panormitanus, *in allegatum cap. cum sit Generale n.25.* 3
cum Goffredo, & Federico de Sena, *consil.126.* Bassæus, *tom.1. verbo Concubinatus, num.4. versic. Secundo*, penes Dianam *part. 5. tract.1. resol.10.* & penes Thomam Delbene, *vbi proximè*, Marcellus Vulpe *in Praxi fori Ecclesiastici, cap.41. n.51.* Bermondus, *in titulo de Pub. Concub. verb. Penitus arcere, fol.* 304. Anton. Cuchus, *in Instit. lib.2. tit.6. num.* 101. Io. Honorius, *in Decretal. lib.5. tit.16.* Marcellus Megalius, *in Promptuario, verbo Causa spiritualis, num. 10. & verbo Concubina*, vbi in hæc prorumpit. Concubinariorum, etiam laicorum punitio, ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinet, quia Concubinatus Cæsareis legibus nullis pœnis plectitur, vt post Doctores, quos citat, & sequitur Emmanuël Suarez; *in Thesauro receptarum sententiarum, litt. C. verbo Concubinarius, n.*166. Hactenus Megallius.

Tenent etiam penes eosdem Delbene, & Dianam, Iulius Clarus, *in Practica lib.4. §. Fornicatio, num.6.* vbi sic ait. In primis quæro, numquid 4
concubi

concubinatus sit à Iure prohibitus? Respōdetur: hæc quæstio de Iure Canonico nullam habet difficultatem, nam omnis coitus præter matrimonialem est prohibitus in foro conscientiæ secundùm Canones, vt tenet Glossa *in Clem. Vt nostrũ, verbo Non est, de Hæreticis*, quam sequuntur omnes, vt dicit Caccialupus *in Repet. Legum, lege Si quá illustris, num. 30. in fine, Cod. ad Senatusconsultum Orficianum.* Sed de Iure Civili, magna fuit altercatio inter scribentes: nam aliqui tenuerunt, quod Iure Civili coïtus cum concubina, non sit improbatus. Et hanc opinionem dicit esse communem Alexander *in l. Ex facto, §. Si quis rogatus, num. 13. ff. ad Senatusconsultum Trebellianum*, quem refert Thomas Garcia *in Rubrica, Cod. de secundis nuptijs in 28. pœna. ver. Ex qua conclu-*
4 *sione*, & *in leg. 1. in textualibus, num. 37. eod. tit.* Bermondus *in Concub. fol. 391. num. 2.* Socinus *in l. Cùm avus post numerum 65. versic. Magis tamen, ff. de Condition. & demonstrat.*

Contrariam autem sententiam, scilicet, quod
5 imò concubinatus sit hodiè reprobatus, etiam à Iure civili, dicit communiter teneri Alexander sibi contrarius *consil. 59. num. 3. in fine, lib. 4.* Felinus *in cap. Cùm sit generale, n. 13. de foro Competente.* Ripa *in l. fin. num. 38. in fine. Cod. de Revocandis donationibus.* Didacus *super 4. Decretalium, in 1. par. cap. 3. fol. 5.* provt illum refert Nunius *de los Corrigedores, fol. 223. num. 1. in fine.* Ego certè suspicor in puncto Iuris, veriorem esse opinionem, quod concubinatus non sit de Iure civili prohibitus, atque ita videmus servate de consuetudine, quæ est optima Legum interpres: quia Iudices Sæculares, hoc crimen non puniunt, nisi quatenùs requisiti ab Ecclesiasticis brachium suum impartiuntur, vt *dixi infrà, hoc eodem libro, §. fin. q. 37. versic. Quæro etiam.* Propterea ego ab hac sententia in iudicando non recederem. Hæc omnia Iulius Clarus.

6 Huius sententiæ fundamentum, huiusmodi est. Delictum, quod Lex civilis pœnis non prohibet, puniri nequit à Iudice laïco, Sed concubinatus à Lege civili pœnis non prohibetur, sic enim ait Marcellus Megalius *in Promptuario, verbo Concubina; nu. 10.* Concubinariorum etiam Laicorum punitio ad solos Iudices Ecclesiasticos pertinet: quia concubinatus Cæsareis legibus nullis pœnis plectitur, &c. Quocirca Azorius *Instit. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 53. q. 2.* ait: Ratio dubitandi est, quia concubinatus legibus Civilibus non punitur, vt ait Iulius Clarus. Ergo à Iudice laïco nequit puniri. Maior patet, quia omnia, quæ non sunt prohibita, licent; concessum enim videtur, quod non est prohibitum *l. Nec-non, §. Quod eis, ff. Ex quibus causis maiores 23. annis in integrum restituuntur.* Glossa *in cap. Nuper, verbo Non retinuit, el 29. de Sent. Excomm. & in canonem Consuluisti, verbo Superstitiosa, el 20. 2. quæst. 4.* ibi. Omnia concessa intelliguntur de Iure communi, nisi prohibita in certis casibus inveniantur, vt innui *cap. Lex divina, & extrà, de Sent. Excomm. cap. Nuper B. & ff. de Testibus, l. Quæsitum, Cod. de Test. l. Sancimus.* Quæ autem conceduntur, vel licent, aut non prohibentur, nequeunt puniri, cum culpa careant *cap. Cognoscentes, el 2. de Constitutionibus*, vbi sic ex nostro Gregorio Magno Papa *in Registro, lib. 7. Epistol. 35.* Gregorius IX. decernit. Cognoscentes.... quia res, quæ culpa caret, ad damnum vocari non convenit. Vbi Glossa *verbo Culpa caret*, hanc reddit rationem. Quia, quod legitimè factum est, pœnam non meretur. *Cod. de Adulterijs. Gracchus*: & peccata suos debent tenere Authores. *Cod. de Pœnis, l. Sancimus.* Et marginalis ibidem ait: Qui caret culpa, careat, me iudice pœna. Delbene *de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 14. nu. 2. pag. mihi 58. ex canon. Mulier, §. Quæritur, 15. quæst. 1.* ibi: nec vllo modo capax legis sit, & *ex l. Post principium, ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Bonifacius item VIII. *in cap. Sine culpa, el 23. de Regulis Iuris, lib. 6.* ita ait. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. Cuius Glossa *verbo Sine culpa*, reddit rationem dicens. Quia pœna est mensura culpæ *de officio Delegati, fine, de Transact. cap. vlt. de Homicidio, Sicut dignum.* Vbi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet. Ergo vbi non est culpa, nec pœna. *in canone Non afferamus, el 22. 24. quæst. 1.* ex D. Hieronymo desumpto, habetur. Quis iam dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est graviùs vindicatum. Vbi Glossa *verbo Sceleratius*: Num dicit Lex, quod maiora delicta, maioribus pœnis; minora minoribus sunt punienda. Iudex autem Laïcus, secundùm Leges civiles, debet iudicare & punire, quæ contra illarum fiunt prohibitiones; non verò, quæ alieno contrariantur foro, hæc enim neutiquam ad illum spectant.

Sed in casu, quo teneas posse Iudicem laïcum 7
de concubinatu cognoscere, quæres, *An de concubina Ecclesiastici, possit illo cognoscere; an verò de ea, sicut de ipso concubinario Ecclesiastico, istius Iudex ius dicere debeat?* Respondeo, Iudicem Ecclesiasticum, de vtriusque crimine cognoscere debere. Concubina enim Clerici forum ipsius Clerici, quoad delicta cum ipso commissa, sortitur. August. Barbosa *in can. Eos, qui, nu. 3. el 10. distinct. 32.* cum Octav. Vulpel. *in tract. de Libert. Ecclesiast. par. 3. num. 27.* Deciano *libro 6. capite 21. num. 37. & 38.* Carolo de Grassis *de Effectibus Clericalibus, effectu 1. num. 181.* Martha *de Iurisdict. par. 4. casu 44. num. 7. cum sequentibus.* Palat. *in Repet. cap. Per Vestras, in Rubric. §. 59. num. 7. in princ.* idem Barbosa *in cap. Si quisquam, num. 4. el 2. de Cohabitat. Cleric. & mulier.* cum Zerola *in Praxi Episcop. par. 1. verbo Concubinarij.* Sayro *in Clavi Regia, lib. 8. cap. 2. nu. 14.* Matienzo *l. 6. gloss. a. tit. 8. lib. 5. nova Recopilation.* Belletus *disquisit. Clericalium, part. 1. tit. de Disciplina Clericali, §. 15. num. 64.* Et probat Barbosa. Quia correlativorum idem ius, & ratio est, & dispositio loquens in vno, in alio similiter procedit, ex adductis per ipsummet Doctorem *in tract. de Axiomatibus Iuris, vsu frequentioribus, axiom. 61. num. 1.* Ergo cum concubina Clerici communem cum illo causam habeat, & sint correlativa, sicut ille per Iudicem Ecclesiasticum debet iudicari, ita & eius concubina. Et paucis interiectis ait.

Vnde similiter ipsa concubina in eodem foro in quo Clericus poterit iudicari, cum in crimine damnato cum illo communicaverit. Et ita hanc sententiam observat in specie. Glossa *vers. Ad hoc, in dicto cap. Eos*, commendata à Romano *sing. 638.* Aufret. *de Potestate sæculari, reg. 2. num. 34.* Quod quidem adeò verum est, vt existimarent Abbas, *num. 25. in cap. Cum sit generale de foro competent.* Iason. *in l. penult. n. 17. ff. de Iurisdictione omnium Iudicium.* Palatius *in Repetitione Rubrica de Donationibus inter virum & vxorem, §. 39. num. 7.* solùm Iudicem Ecclesiasticum esse competentem in hoc casu.

Vnde

Vnde non est probanda illorum distinctio, qui dicunt, publicas concubinas à Sæcularibus posse iudicari; occultas autem non posse, ne hac occasione Clerici in foro sæculari infamentur. Neque enim possunt concubinæ iudicari, quin, & eorundem nomina deferantur. Ac per consequens, si aliqua lex, seu statutum id permittant, tanquam Clericos puniens, non valebit. Quo pacto distinguunt Clarus *in §. fin. quæst.* 37. *num.* 4. Gomez *verbo Man cebas, l.80. Tauri, num.*21. Avendañus *de Exequendis mandatis, part.*2. *cap.*26. *n.*7. Perez *l.* 21. *tit.*3. *lib. Ordinament.* Saledus *in Practica, cap.*79. *versic. Concubina Clerici.* Matiens. *leg.*6. *gloss.* 2. *tit.* 8. *lib.* 5. *nova Recopilat.* Decianus *in tract. crimin. lib.*4. *cap.*9. *num.*56. *& lib.*6. *cap.*21. *num.*17. Bobadilla *in Polit. lib.*2. *cap.*15. *num.*54. Illustrissimus Dominus meus Rodericus Acunna *in cap. Dicto eos, numero* 17. Hactenus August. Barbosa.

Nobiscum etiam sentiunt Tamburinus *de Iure Abbatum, tom.*1. *disput.*15. *quæst.*19. *nu.*40. cum Gomez *in cap.* 1. *de Rescriptis, num.* 74. *& communi Doctorum.* Eligius Bassæus *tom.*1. *verbo Concubinatus, nu.* 4. *versic. Secundò.* & Thomas Delbene *de Comitiis, & Parlamentis, dubitat.* 4. *sect.*19. *subsect.*39. *& finali, num.*1. *pag. mihi* 175. cum Menochio *de Arbitrariis Iudicum, casu* 371. *nu.*12. Mutha *par.*4. *casu* 44. *n.* 7. Marian. Soncino *in cap.*2. *num.*30. *de mutuis petitionibus, & consi.*12. *num.*19. *volum.*1. Bartholom. Soncino *in l. Cum Senatus, num.*11. *ff. de Rebus dubijs.* Felino *in cap.*1. *n.*6. *de Præsumpt.* Parisio *cons.* 154. *nu.*1. *volum.*4. Riminaldo Iuniore *in l. Imperium, n.*83. *de Iurisdictione omnium Iudicum, & cons.* 201. *num.*12. *&* 39. *volum.*2. *cons.* 261. *num.*43. *vol.*3. Cardinale Albano *consil.*13. *n.* 6. Baiardo *in Addit. ad Clarum, quæst.*36. *num.* 50. Farinacio *q.* 8. *num.*151. Mynardo *de Privil. Ecclesiast. part.*1. *art.*17. *num.*10. Duardo *in Bullam Cœnæ, can.* 17. *quæst.*11. *num.* 48. Belleto *part.* 1. *tit. de Favore Clericorum personali,* §.16. *num.*1. Ambrosino *de Immunit. Eccles. cap.*20. *n.*9. Fagnano *in respons. pro cens. Pauli V. par.*3. *fol.* 85.

Quod vtique probat Bassæus, tum, ex regula generali à Doctoribus tradita *in l. Nulli, Cod. de Iudiciis*: quod si plures simul delinquant, omnes eodem Iudice iudicandi sint; quare cum Iudex Laicus sit minùs dignus, & impotens, ne dum incompetens; Iudex autem Ecclesiasticus sit dignior, & non impotens, quamvis ordinariè incompetens, ad Iudicem Ecclesiasticum potiùs, quàm ad Laicum in hoc casu pertinebit vtrumque reum iudicare. Quia magis dignum trahit, ad se minus dignum.

Tum, quia ita patet *ex cap. Pertuas, de Arbitris, cap. Quanto, de Iudiciis, leg. Si communem, ff. quemadmodùm servitus amittatur,* & *ex l. Eum, qui ædes, ff. de Vsucapionibus, & vsurpatione.*

9 Tùm, quia causæ continentia dividenda non est, *ex l. Nulli, Cod. de Iudicijs*: & *ex cap.*1. *de causa possessionis, & proprietatis.*

Tùm, quia adhuc dato, quod commodè vterque Iudex suum posset iudicionarium punire, non tamen absurdum vitaretur, quod de facilè posset contingere, si scilicet diversæ, & contrariæ forsitan sententiæ ferrentur. Si Ecclesiasticus ex. gr. Iudex concubinarium absolveret Clericũ, Laicus autem, concubinam condemnaret; vel e contra, cum tam ille, quàm ista, de eodem concubinatu inquirerentur, & æquales contra vtrumque existerent, coram vtroque Iudice probationes.

Tùm tandem probat, ex sacræ Congregationis Decreto, sub die 10. Decembris, de Anno 1591. quod recensere ait Scaccia *lib. de Iudic. causarum, &c. cap.*11. *nu.* 24. in casu cuiusdam Clerici, & Laici, qui de violentia cuidam illata mulieri, erant inquisiti, & ambo ad Iudicem Ecclesiasticum fuerunt remissi.

Adnotat tamen præfatus Delbene *num.* 3. cum Menochio *de Arbitrarijs Iudicum, quæstionibus casu* 371. *num.* 2. quod hæc opinio non servetur in praxi; cum passim Iudices Sæculares contra concubinas, & mulieres suspectas procedere soleant. 10
Ideoque advertit *num.* 4. nullo modo Iudici licere Laïco, vel eius Ministris in domum irruere Ecclesiastici, & mulieres indè extrahere; quia hæc esset violentia vsurpata adversus ipsum Ecclesiasticum, vel saltem contra illos Iurisdictionem coactivam exercere. Quod facere nullo posse, certum omnino est.

Et pariter advertit *num.* 5. improbandam esse 11
consuetudinem quorundam Iudicum Laïcorum, qui expensas in captura, & custodia suspectarum mulierum factas à Clericis exigunt, tanquam hi expensarum præbuerint causã. Et rationem reddit. Quia Clericus concubinarius causa per se istarum non extitit expensarũ, cum mulierũ ipse capi non iusserit; sed per accidens solùm, suo delicto ad id, occasionem præbente. Vnde hæc expensarum exactio, potiùs habet pœnæ rationem, quàm Clerico laïcus Iudex neutiquam inferre querit.

Et dictis fit manifestum non posse Ministros 12
laicos prohibere, ne Curiæ Ecclesiasticæ Ministri, loca visitent, & domos meretricum, ac concubinarum. *Quia esto concubinatus privativè ad* Iudicem non *spectet Ecclesiasticum; spectat tamen cumulativè, tanquam mixti fori crimen iuxta Doctorum primæ sententiæ placitum.* Ergo necessariò sequitur posse Ecclesiasticæ curiæ Ministros domos invisere concubinarum. Et ita docent Diana *par.* 5. *tract.*1. *resol.* 10. *in fine.* Thom. Delbene *de Immun. Ecclesiast. to.*2. *cap.*10. *dub.*1. *sect.*1. *suppos. n.* 30.

DVBIVM VI.

An Iudex Ecclesiasticus in omnibus casibus concubinarios Laïcos punire queat; an verò in aliquibus tantum; & an ad illos puniendos, trina monitione semper vti teneatur?

BREVIARIVM.

Concubinatus.

Episcopus procedere potest contra concubinarios Laïcos, extra duos casus a Peireira admissos, à n. 2.
Solùm vti debet trina monitione, quando illos excommunicare vult, n.1 4.6.7.9.12.13.27.
Vna sufficit monitio quando pœna pecuniaria, vel alijs citra excommunicationem punire vult, n.3. 6.7.9.11.13.22.
Potest sine vlla monitione multare, n.8.15. 22.
Iudex laicus Episcopo inhibere non potest, vt trinam servet monitionem, n.8.16.

Pœna

Pœna à Iure, & Constitutionibus Synodalibus contra concubinarios statuta, & modi procedendi per Tridentinum non colluntur, nisi in casu, quo Iudex excommunicare eos velit, n.4.5.10.11.12.13. à 13.25.16.

Iudex Laicus impedire non potest, ne Ministri Ecclesiastici domus visitent meretricum, n.16.

De Clericorum concubinatu à solus Iudex Ecclesiasticus potest cognoscere, n.17.

Dispensare.

Tridentinum non tollit privilegia Regularibus concessa, ad habilitandos illegitimos ad suas Regulares dignitates, & gradus, n.27.

Forum.

Criminu mixti fori solùm intelliguntur in ordine ad Fideles, n.18.

Iudex Ecclesiasticus contra Infideles non procedit directè nisi degant sub Ecclesiastici Magistratus protectione, n.18.

Crimina mixti fori, aliquando sòlùm talia sunt in ordine ad diversos effectus, n.19.

De suicidio cognoscit Ecclesiasticus; quoad sepulturam; Laicus, quoad bonorum confiscationem, num.19.

Ecclesiasticus processu per Laicum formato uti potest si suspicione careat erroris, n.20.21.

Regulariter, in materia maximè immunitatis, proprium formare debet, n.21.

1 PRimam in hac parte sententiam tenet Pereira, *de Manu Regia, tom.2, cap.34. num. 11.* vbi docet, in duobus tantùm casibus posse Ecclesiasticum Iudicem contra concubinarios procedere Laicos, & trina quidem monitione. Sic enim ait ille, prout recensetur à Diana *part. 5. tract. 1. resol.10.* Mente tenendum est, quod concubinarij sæculares in duobus tantùm casibus ordinariè, & præcedente accusatione possunt puniri. *Primus* est, quando concubinarius ter monitus insordescit in peccato, & excommunicatus per annum persistit *ex cap. Rursus 11. quæst. 3. cap. Cum contumacia, de Hæreticis, lib.6. Secundus* est, quando concubinæ pariter ter monitæ non resipiscunt: atque his duobus casibus rectè Prælati criminales processus contra Laicos instituunt; in alijs verò, minimè. Hactenùs Pereira. Vbi non solùm restringit Iudicis Ecclesiastici, quod concubinarios Sæculares iurisdictionem, ad duos præfatos casus, sed illi necessitatem imponere intendit, ad illos non puniendos, nisi post monitionem trinam. Pro secunda tamen vera; & sine vlla hæsitatione tenenda sententia, sit.

CONCLVSIO.

2 POtest Iudex Ecclesiasticus procedere contra concubinarios Laicos extra duos illos casus à Pereira restrictos, & absque eo, quod præcedant monitiones, ab eodem præfixæ Doctore.

Ita docent Augostinus Barbosa, Antoninus Diana, Eligius Bassæus, Petrus Marcilla, Ioannes Baptista Lezana, & alij gravissimi Authores infra recensendi, quorumdam saltem illorum, pro fulcienda nostra conclusione, libuit verba in medium proferre, & Declarationes sacræ Congregationis, meo reddere Lectori.

3 Augustinus igitur Barbosa *in Collectaneis Doctorum in Concilium Tridentinum, sess.24. in Decreto de Reformatione Matrimonij, cap. 8. à num. 1.* ita fatur. In crimine adulterij posse procedi ex officio, tenet Farinacius *in Praxi Criminali, par. 5. qu.141. num.40.* Ter admoniti. Distinctis scilicet temporibus, vt asserit Avendan. *de Exequendis mandatis, par.1. cap.11.n.14.* Trinam monitionem tunc necessariam esse inter concubinarios, quando in eos vult ferri sententia excommunicationis; si verò pœnis pecuniarijs, vel alios mulctare eos velit Iudex, non requiri istam solemnitatem, refert decisum Armendariz *in Additionibus ad Recopilationem legum Navarræ, lib.5. tit.3. l. unica, de Adulterijs, n.10.* Vnde posse Episcopum in prima monitione pœna pecuniaria concubinarium punire, resolvit Thomas Valascus *dicta allegat.34. n.11.* vbi *num.12.* refert ita fuisse iudicatum Portugaliæ *in Supremo Regij Palatij Senatu*, cum altercaretur inter officialem Episcopi Portugalensis, & Iudicem Regiæ Coronæ Senatus eiusdem Civitatis, contra Aloysium Riccium *dicta resolut.319. num.3. versic. Lis accedit*: existimantem Episcopum non posse ad impositionem pœnæ pecuniariæ procedere, nisi servata forma procedendi contra concubinarios in dicta in hoc Decreto.

4 Hactenùs Barbosa *vsque ad num.6. inclusivè, & num.11.* sic ait. Alias pœnas à Iure communi, vel statutis Synodalibus contra concubinarios inflictas, nec tolli per hoc Decretum, nec alium modum procedendi contra eosdem, nisi velit Ordinarius eos excommunicare, quia tunc formam huius Decreti esse servandam, refert decisum Armendariz *d. l. unica, de Adult. n.9.*

5 Diana *part.1. tract.2. resol.88.* in hæc prorumpit. Advertendum est tamen, quod dictum (Tridentinum scilicet Concilium, de quo *sess.24. c.8.* loquebatur) non tollit alias pœnas à Iure communi, vel statutis Synodalibus contra concubinatios inflictas, nec alium modum procedendi contra eosdem, nisi velit Ordinarius excommunicare eos: quia tunc forma dicti *cap.8.* servanda est. Et ita fuisse decisum à sacra Cardinalium Congregatione testatur Armendariz *in Recopil. Legum Navarræ, lib.5. tit 3. l. unica, de Adult. nu.9.* & post illum Barbosa *in Collect. tom.1. lib.1. tit.35. cap.1. n.3.* qui *n.4* doctè, vt semper solet.

6 Ex his infert, posse Episcopum in prima admonitione pœna pecuniaria concubinarium punire: quia vt tenuit eadem sacra Congregatio, trina monitio tunc necessaria est inter concubinatios, quando contra eos vult ferre sententiam excommunicationis; non verò si pœnis pecuniarijs, vel alijs punire eos velit Episcopus; quia in tali casu non requiritur solemnitas, de qua loquitur Concilium *in illo cap.* 8. & ita novissimè docuit etiam Pereira *tract. de Manu Regia, part.1. cap.8. num.24.* licet contrarium, sed non benè, videatur docere Riccius *in Praxi, part.1. resol.319. num.3.* contra quendam Episcopum huius regni; sed posteà se retractavit, & nostram sententiam docuit *in suis Decisionibus, part. 4. dec. 43. num.9.* Hæc omnia P. Diana *loco recensito*, & *par.5. tr.1. resol.10.* statim post supra reddita Pereiræ verba, subjungit sequentia. Videlicet

7 Sed hæc procul sunt reiicienda ex Declarationibus sacræ Congregationis, vt videre est in supra dicto loco Concilij Tridentini Cardinalis » Bellarmini, vbi vna declaratio sic ait. Ista ad- » monitio contra concubinarios requiritur quando » sunt excommunicandi; sed si Iudex vult eos mol- » ctare pecunijs, non requiritur hæc solemnitas, & » vbi est consuetudo in mattimonio procedendi, » poterit illam servare. »

8 Altera verò Declaratio ita asserit. Iudices Sæculares non possunt inhibere Iudici Ecclesiastico, vt servet formam trinarum admonitionum. Et die 23. Iunij 1629. sic etiam statuit. Episcopus potest contra concubinarios nullis præcedentibus monitionibus procedere, quando non procedit ad censuras.

9 Et ideò contra Lusitanum, duos alios doctissimos Lusitanos apponam, Augustinum Barbosam, & Thomam Valascum: hic *in allegationibus, to. 1. allegat. 34. num. 11. & 12. in Collectan. Doctorum, ad Concilium Tridentinum, sess. 24. de Reformat. Matrimonij, cap. 8. num. 4. & 5.* asserentes, trinam monitionem tunc esse necessariam inter concubinarios, quando in eos vult ferre sententiam excommunicationis; si verò pœnis pecuniarijs, vel alijs mulctare eos velit Episcopus, non requiri illam solemnitatem. Vnde potest Episcopus in prima admonitione pœna pecuniaria, concubinarium punire. Et ita testantur fuisse decisum Portugaliæ, in supremo Regij Palatij Senatu, cum hoc altercaretur inter Officialem Episcopi Portugalensis, & Iudicem Regiæ Coronæ Senatus eiusdem Civitatis.

10 Et ideò hanc sententiam, præter Barbosam, & Valascum, docet etiam Venerus *in Examine Episcop. lib. 4. cap. 27. num. 68.* ita Belletus *in Disquisit. Clericorum, part. 2. §. 3. num. 5.* & Scipio de Rubeis *in Aphorism. Episcop. verbo Concubinarius, num. 4.* vbi ita ait. Iudex Ecclesiasticus in concubinarios potest alijs pœnis, & vijs, quam in Tridentino *cap. 8. sess. 24. de Reformatione Matrimonij* statutis procedere. Nam per illud Decretum non tolluntur aliæ pœnæ à Iure communi, vel statutis Synodalibus contra concubinarios statutæ. Ita ille, qui etiam testatur ita declarasse, vt visum est suprà, sacram Congregationem Concilij.

11 Non est igitur audiendus Zerola *in Praxi Episcoporum 1. verbo Concubinarij, §. Ad primum videtur.* Grilenzonius *consil. 79. num. 2.* & Riccius *in Praxi, tom. 1. resolut. 319.* Potest enim, vt dictum est, Episcopus damnare Laïcum concubinarium, in pecunia, exilio, reclusione, vel alijs pœnis sine quo præcedat trina monitio.

12 Vnde in Synodo Diœcesana III. Eminentissimi Domini mei Cardinalis ab Auria, me etiam interveniente tanquam examinatore Synodali, *part. 5. cap. 2. num. 8.* post aliqua, sic statutum fuit. Quamobrem hoc Synodali Decreto statuitur, vt nemini cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis fuerit, nullo obtento, nec vllo vnquam tempore liceat in propria, vel aliena domu concubinas alere, aut retinere; qui secùs fecerint, annuo carcere, & vncis xxv. mulctentur, quæ pecunia in pios vsus Archiepiscopi iudicio conferatur. Quod si contigerit huiusmodi homines excommunicatione feriendos esse, id vtique fiet iuxta formam à sancta Tridentina Synodo præfinitam. Hucvsque Diana.

13 Thomas Delbene *de Immunitate Ecclesiastica, tom. 2. cap. 10. dub. 1. sect. 1. supposito 2. à n. 25.* sic ait. At quidquid sit de hoc; illud saltem certum est, quod (sive ex eo, quod sit crimen mixti fori, sive ex eo, quod sit crimen solius fori Ecclesiastici) à Iudice Ecclesiastico, præsertim si prævenerit, cognosci, & puniri possit. Vide Doctores suprà citatos, & Tridentinum Concilium *sess. 24. de Reformatione Matrimonij, cap. 8.* vbi decernitur, quod Episcopus possit trina præcedente monitione ferre in concubinarios pœnam excommunicationis. Per quod Decretum tamen non tollitur (si Episcopus eos non velit excommunicare, quando solùm, scilicet si velit excommunicare, servanda est de trina monitione forma, seu solemnitas (*dicti capitis* 8.) quin possit contra eosdem, alias pœnas, etiam pecuniarias Iure communi, vel statutis Synodalibus concubinarios inflictas exequi, & alium modum procedendi tenere, si sic eos à peccato removere velit, sicut sacram Cardinalium Congregationem declarasse testantur Armendariz *in Recopilat. Legum, lib. 5. tit. 3. l. vnica, de Adulterijs, numero 9.* Barbosa *in Collectan. tom. 1. lib. 1. tit. 35. cap. 1. nu. 3.* & Diana *part. 1. tract. 2. resol. 88.* & docent Balascus *in allegationibus, tom. 1. allegat. 34. n. 11. & 12.* Venerus *in Examine Episcop. lib. 4. cap. 27. num. 68.* Belletus *in Disquisitionibus Clericorum, par. 2. §. 3. num. 5.* Pereira *de Manu Regia, part. 1. part. 7. num. 24.* Sanfelicius *decis. 105.* Curtellius *de Ecclesiastica libertate, lib. 2. quæst. 88.* & Scipio de Rubeis *in Aphorism. Episcop. verb. Concubinarius, n. 4.*

14 Hic sequitur primò, non esse verum; quod ait Pereira *de Manu Regia, tom. 2. cap. 34. nu. 11.* scilicet in duobus tantum casibus posse Prælatum ordinariè, & præcedente accusatione concubinarios punire. *Primò*, quando concubinarius ter monitus insordescit in peccato, & excommunicatus, in excommunicatione per annum persistit *ex cap. Rursus, 11. qu. 3.* & *cap. Cum contumacia, de Hæreticis, lib. 6.* *Secundò*, quando concubina pariter ter monita, non resipiscit. Et sic *in his duobus casibus tantum illum rectè contra Laïcos processum criminalem instituere; in alijs non.*

15 Sequitur *secundò* posse Prælatum concubinarios, in pecunia, exilio, reclusione, vel alijs similibus pœnis punire, absque eo, quod præcedat trina monitio, quin nulla monitio. Quia (vt dicebam ex Concilio Tridentino, loco suprà citato) illa præcedere debet solùm, quando devenitur ad excommunicationis censuram; secùs, si ad hanc Prælatus devenire non intendat; quidquid in contrarium dixerint Zerola *in Praxi Episcoporũ, part. 1. verbo Concubinary, §. Ad primum videtur.* Grilenzonius *consil. 79. num. 2.* & Riccius *in Praxi, tom. 1. resol. 319. num. 3.* qui tamen postea se retractavit *in Decisionibus, par. 4. dec. 43. num. 9.*

16 Sequitur *tertiò*, non posse Iudicem Sæcularem Iudici Ecclesiastico inhibere, vt servet formam trinæ monitionis, nec eius Ministris Ecclesiasticis prohibere, vt loca, & domus meretricum non invisant; quia, cum ex dictis tale crimen sit, ad minùs mixti fori; consequens est, quod eius Ministri Ecclesiastici, de Iure, dicta loca invisere possint.

Hactenùs Pater Delbene *loco allegato.* Vbi benè advertit, *primò*, quod cum dicitur crimina 17 aliqua esse mixti fori, vt detur in ipsis præventioni locus, id solùm in ordine ad Laïcos intelligi debet. Quia Clericorum crimina, à Iudice solùm Ecclesiastico cognosci, punirique queunt. Ita ille, *nu. 31.* iuxta à seipso edocta *eodem tom. 2. cap. 9. per totum.*

18 *Secundò* advertit *n. 32.* crimina mixti fori esse, solùm intelligi in ordine ad Fideles. Quia cum infideles extra Ecclesiam sint, & eius non subdantur Legibus, ab Ecclesiastico Iudice directè eorũ

delicta

delicta puniri, nec cognosci quidem possunt. Consultò *directè* dictum est; quia indirecte benè valet Ecclesiasticus Iudex, infidelium punire crimina, prohibendo, exempli gratia, fidelibus, ne cum infidelibus, commercium, priusqoam satisfaciant, habeant *ex cap. Postulasti, de Iudais.* Imò, & directè poterunt à Iudice Ecclesiastico infidelium puniri delicta, si isti sub Ecclesiastici Magistratus protectione degant. Sic Delbene cum Farinacio *in Practica criminali, tit. 3. q. 20. n. 41.*

19 *Tertiò* advertit idem Doctor *n. 34.* quod mixti fori crimina, aliquando sint talia, solùm in ordine ad diversos effectus. Adducit in exemplum in eo caso, quo quis se occidat. Crimen vtique mixtum, seu mixti fori est: quatenùs vtriusque fori Iudices, Ecclesiasticus, scilicet, & Laïcus competenter de eo cognoscere queunt; non tamen ad eundem effectum, sed ad diversum. Ecclesiasticus quidem, quoad sepulturæ Ecclesiasticæ effectum, cadaveri concedendæ, vel denegandæ. Laïcus verò, quoad effectum confiscationis bonorum, vbi tale viget Ius.

20 Quocirca tandem advertit, quod si Ius Laïcus processum formavit, & ad Iudicem transmittit Ecclesiasticum, quamvis benè queat iste, vt sententiam in causa ferat sepulturæ, causam ampliùs in suo examinare foro; tamen si processus transmissus, suspicione careat erroris, par sit tali processui acquiescere, & sententiam secundùm illius ferre merita. Quia Ecclesiasticus, & Laïcus Iudices, ad invicem se adjuvare debent. Quod latiùs etiam docet *dicto cap. 10. dub. 9. num. 3. & 4. pag. mihi 99.* & fundamentaliter *cap. 16. eiusdem tomi, dub. 43. sect. 1. & sect. 2. n. 8. 9. & 10.*

21 Cui consonat Ioannes Baptista Lezana *in Summa quæstionum Regularium, tom. 2. part. 3. verbo Immunitas Ecclesiarum, num. 38. pag. mihi 315.* in hæc prorumpens. Tertiò (scilicet notandum) quod licet ad hoc quod Episcopus, seu ab ipso deputatus tradat reum Curiæ sæculari, debeat cognoscere, an ille commiserit aliquod ex delictis expressis in Constitotione Gregorij, non teneatur stare processui facto à Curia sæculari, quia potest illum habere suspectum, vtpotè factum in causa propria ipsius contendentis (Naldus *in Summa, verbo Ecclesia, num. 32.* Bonacina *suprà num. 3.*) potest tamen illi stare, si prudenter credat legitimè esse factum, & se posse vti illo ad suam conscientiam informandam. Naldus *ibidem.* Regulariter autem loquendo Episcopus debet novas probationes facere. Bonacina *suprà* ex alijs. Hæc Pater Lezana.

22 Sed redeundo ad probationem nostræ Conclusionis, illam fulcit Bassæus *tom. 1. verbo Concubinatus, nu. 4. versic. Circa hoc,* in hæc prorumpens. Circa hoc Decretum; (Tridentini scilicet Concilij *sess. 24. de Reformatione Matrimonij.*) est advertendum *primò*, quod Concilium non tollat alias pœnas à Iure communi, vel statutis Synodalibus, contra Concubinarios inflictas, nec alium modum procedendi contra eosdem, nisi velit Ordinarius eos excommunicare; quia tunc dicti capitis octavi forma servanda est. Vnde Episcopus potest (vt docet Barbosa *in Collectanea, tom. 1. lib. 1. tit. 35. cap. 1. num. 34.*) in prima admonitione pœna pecuniaria concubinarium punire. Quia prima monitio tunc necessaria est inter concubinarios, quando contra eos vult ferri sententiam excommunicationis; non verò si pœnis pecuniarijs, vel alijs punire illos velint Episcopi.

Quia in casu tali, non requiritur solemnitas, de qua loquitur Concilium. Hactenùs Eligius, cuius, & Doctorum suprà allegatorum, & nostra roboratur sententia, ex Declarationibus sacræ Congregationis Concilij Tridentini, quas recenset noster Petrus Marcilla *in Tridentini præfati Decreta, lib. 4. tit. 14. de Adult. & concubinatu, cap. 1. sess. 24. de Reform. matrimonij.*

Prima, in illa Concilij verba: *Grave peccatum.* 23
Quam sic refert. *Per hoc Decretum non tolluntur alia pœna à Iure communi, vel statutis Synodalibus contra concubinarios inflicta, nec alius modus procedendi contra eosdem, nisi vellet Ordinarius illos excommunicare, & tunc forma hîc præscripta servanda esset.*

Secunda, in illa verba. *Quod si in eo concubi-* 24
natu per annum, &c. sub his traditur à Marcilla verbis. *Etiam cum diversis concubinis.*

Tertia, in verba. *Ab ordinario severè, &c.* sub 25
hoc ab ipsomet Doctore recensetur tenore. *An Archiepiscopus Mediolanensium, quia adulterum condemnavit ad scuta quinquaginta, quæ pijs locis applicata fuere, non tamen factis monitionibus servata forma Concilij, hoc capite, contra venit statuto Concilij? Congregatio die 3. Novembris 1587. censuit Concilium non sustulisse alias pœnas contra adulteros, & sic, quòd non malè gesserit.*

Capite etiam 2. *in caput 8. dicta sessionis 24.* 26
duas reddit Marcilla sacræ Congregationis Declarationes. Prima est huiusmodi. *An mulieres, quæ cum adulteris, & concubinis publicè vivunt, possint vltra exilium, alijs etiam pœnis contra adulteros inflictis cumulatim puniri ex hoc capite? Congregatio Concilij censuit, posse. Quia Concilium non tollit pœnas impositas à Iure communi, vt in fine capitis patet.*

Secunda Declaratio est illa verba: *in suo robore* 27
permanentibus: sub hac verborum forma. *Non tolluntur privilegia concessa Religionibus de habilitandis illegitimis ad dignitates; & gradus illarum. Trina monitio tunc necessaria est inter concubinarios, quando in eos vult ferri sententiam excommunicationis; si verò pœnis pecuniarijs, vel alijs mulctare eos velit Iudex, non requiruntur ista solemnitates.*

DISQVISITIO XIII.

De non restituentibus Ecclesiæ Decimas.

An Ecclesiastica priventur Sepultura.

BREVIARIVM.

Absolvere.

Recensetur obligatio iniuncta Confessariis à Concilio Lateranensi sub onere conscientiarum suarum hortandi, & monendi ad solutionem decimarum; & absolutionem denegandi, n. 15.

Hac obligatione per praxim excusantur Confessarij irrequisiti à Parochis, conscientiam pænitentibus non facientes, n. 17.

Obligatio negandi absolutionem nolentibus decimas solvere, intelligitur, si ter admoniti, & excommunicati illas solvere noluerint, n. 19.

Appellatio.

A sententia super decimis, quoad vtrumque effectum, locum habet. I. Quando agitur cum persona Ecclesiastica, quæ prætendit in Decimis potiora habere Iura. II. Quando agitur inter duas Ecclesias contendentes de Iure decimandi. III. Quando decimarum collector modum excedit: quia ab excessu appellari potest, n. 21.

Decima.

Ius percipiendi Decimas, sine authoritate legitima obtineri non potest, à n. 1.

Recensentur Clementina I. de Decimis contra Religiosos sibi appropriantes decimas ad eos non spectantes, n. 4.

Adnotantur aliqua, pro vera illius intelligentia, à num. 5.

Redditur Clem. Cupientes, in qua plura statuuntur in materia decimarum, contra Religiosos, & pœna excommunicationis infligitur, n. 11. 12.

Explicatur hæc Clementina, n. 13.

Refertur, cap. 1. de Decimis in 6. *in quo prohibetur Prædicatoribus, & Minoribus, ne talia proferant, quæ audientes retrahant solutione*, n. 14.

Iudex compellere potest ad solutionem Decimarum per censuras, appellatione postposita quoad effectum suspensivum, n. 20.

Leo Papa V.

Benedictinus Monachus, Coactus abdicavit, & vitam repetiit Monasticam, 9. Kal. Iunij 907. n. 16.

Sepultura.

Laïcus, qui Ius percipiendi Decimas, de manu Laïci, sine legitima percipit authoritate, & Ecclesiæ non restituit, sepultura privatur, n. 12.

CONCLVSIO.

1 CONclusio, seu responsio est affirmativa, illam tenent Glossa *in, cap. Prohibemus, verbo Sepultura*, cl 19. *de Decimis*. Hieronymus Roderiquez *resolut*. 128. *num*. 19. Franciscus Maria Samuëllius *in Praxi, de Sepulturis, tract*. 2. *disput*. 1. *controv*. 4. *conclus*. 8. Moure *in Examine Theologiæ Moralis, part*. 4. *cap*. 20. §. 3. Leander à Sanctissimo Sacramento *in quinque Ecclesiæ præcepta tomo* 3. *tract*. 6. *disput*. 2. *quæst*. 40. cum Ægidio Trullench *in Decalogum, lib*. 3. *cap*. 3. *dub*. 11. *n*. 19. Barbosa *de Iure Ecclesiastico, par*. 2. *lib*. 2. *cap*. 10. *num*. 50. & *de Officio, & Potestate Parochi, part*. 3. *cap*. 26. *num*. 59. *ac in dictum cap. Prohibemus, n*. 6. Allegat Andr. Hisp. *in Regul. Decimar. quæst*. 2. *num*. 8. Spinum *in Speculo Testamentorum, gloss*. 2. *princip. num*. 20. Rebuffum *tract. Decimis, q. vlt. num*. 16. Monetam *eod. tract. cap*. 8. *num*. 74. Lavorium *variarum lucubrationum, tom*. 1. *tit*. 2. *cap*. *n*. 48. & Petrum de Vbaldis *de Canon. Episcopali, cap*. 14. *n*. 3. *in fine*.

2 Probatur *ex dicto cap. Prohibemus*, ex sacro Lateranensi Concilio desumpto. In quo sic diffinitur. Prohibemus, ne Laïci Decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios Laïcos possint aliquo modo transferre. Si quis verò receperit & Ecclesiæ non reddiderit, Christiana sepultura privetur. Hactenùs in Decretali illa: in quibus me Iudice, non id statuit de Laïcis non decimantibus, seu non solventibus vtcumque Decimas Ecclesiæ debitas, ex fructibus v. gr. in suis prædijs collectis, sed de iis, qui sine authoritate legitima, Ius percipiendi ab aliis decimas per manus recipiant Laïcorum, & huiusmodi Ius Ecclesiæ non reddiderint.

Ex dicto capite habemus, præfatam pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, non incurrere Ecclesiasticos: siue Religiosos, siue Clericos sæculares, in prædictis delinquentes. Ratio est manifesta. Quia illius dispositio solùm loquitur de Laïcis, non verò de Religiosis, aut Clericis: & cum odiosa sit, & pœnalis, extendi neutiquam debet vltra id, quod expressè illius verba sonant. Odia enim restringi, favore convenit ampliari. 3

Et licet hæc Constitutio Religiosos non afficiat, afficiunt tamen aliæ, sub diuersis aliis pœnis. In primis enim sic *in Clementina* 1. *de Decimis* statuitur. Religiosi quicumque; qui novalium, aut alias decimas Ecclesijs debitas, ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus, sive coloribus vsurpare, seu qui de terris, quas tradunt alijs excolēdas, decimas solvi Ecclesijs non permiserint, aut prohibuerint, nisi post requisitionē per eos, quorū interest, super hoc eis factā à præmissis destiterint intra mensem, aut de ijs, quæ contra præmissa, vsurpare, vel retinere præsumpserint, intra duos menses damnificatis Ecclesijs emendam non fecerint competentem, sint, & tandiù maneant ab officijs, administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint. Quod si Religiosi huiusmodi administrationes, vel beneficia non habeant, eo casu, quo alij supradicti suspensionis, ipsi sententiam excommunicationis incurrant ante satisfactionem condignam nullatenus absolvendi, privilegiis non obstantibus quibuscumque. 4

5 Hucvsque Clementina. Circa quam aliqua adnotare operæ pretium duxi. *Primò*, quod pœna suspensionis, aut excommunicationis non statim post actiones prohibitas incurratur, sed post tempus in Clementina ipsa respectivè præfixum. Ita Franciscus Pellizzarius *in Manuali Regularium, tom*. 2. *tract*. 7. *cap*. 2. *nu*. 187. & *tract*. 10. *cap*. 8. *num*. 23. Et post requisitionem quidem factam, quoad eos, qui prohibent, aut non permittunt, vt alij decimas solvant, vti idem Pellizzarius observat, cum Bonacina *de Censuris in particulari, tom*. 3. *disput*. 2. *quæst*. 18. *punct*. 12. *num*. 5. Vterque autem docet requisitionem fieri non debere vsurpantibus Religiosis decimas, sed spatium duorum mensium incipere à die, quâ præsumpserint decimas vsurpare. Quia textus, quoad Religiosos vsurpare præsumentes, alius est, à textu præcipiente prohibitionem, & non permissionis solutionem decimarum. Quod tamen Suarez *tom*. 5. *de Censuris, disput*. 31. *sect*. 6. *n*. 9. & alij, quos Bonacina recenset, negant.

6 *Secundò* adnoto cum eodem Pellizzario *dicto tract*. 7. *cap*. 2. *à num*. 188. *appropriare*, seu *vsurpare*, esse rem alienam sibi vendicare tanquam propriam, seu tanquam sibi debitam, esto constet ad alium pertinere. *Non permittere*, est impedire, non negativè se habendo, sed positivè aliquo facto, v. gr. metu, ne decimæ solvantur. *Prohibere* denique est, verbis obstare ne solvantur decimæ.

7 *Tertio*. Omnes Regulares vtriusque sexus in hac Clementina Constitutione comprehendi, etiā Militares. Quia omnes verè Religiosi sunt, & sub hoc nomine veniunt. Ita Pellizzar. *n*. 189. *& d. tr*. 10. c. 8. *n*. 24. ac Glossa, Suarez, & communis Doctorum opinio penes Pellizzarium præfatum.

8 *Quartò* adnotandum venit, pœnam huius Clementinæ, de se reservatam non esse; posse tamen dici reservatam, quatenus ab ea nequit absolvi

absolvi delinquens, nisi præmissa satisfactione. Pellizzatius *tract.7. cap.2. num.* 190. cum Bonacina *loco citato; num.* 10. *& tract.*10. *c.*8. *num.*23. Qui benè addunt, non manere absolutum Religiosum eo ipso, quod satisfaciat, sed post satisfactionem absolvi debere.

9 *Quintò*, advertendum est, ignorantiam excusare ab incursu censuræ Religiosum decimas vsorpantem; non tamen illas solvi prohibentem. Disparitas in hoc sita est, quod ad incurrendam censuram prohibens, admoneri debet; admonitio autem ignorantiam aufert cum quo tamen stat, quod si admonitus, admonitionis obliviscatur ante lapsum temporis præfixi, aut certè ex rationabili motivo dubium practicè deponat, tanquam non admonitus, quoad incursionem, censendus sit. Qui autem Decimas vsurpat, censuram contrahere nequit, nisi præsumptionem habeat. Præsumptio autem scientiam requirit; quæ cum ignorantia in eodem esse non potest. Sic Pellizzarius *dicto cap.* 2.*n.*192.

10 *Sextò* adverto, censuram huius Clementinæ non incurrere Regulares ex eo, quod non solvent decimas, quas ipsi solvere tenentur in casu quo ab eorum solutione per privilegium, præscriptionem, aut aliàs immunis non sit. Ratio est, quia Constitutio præfata non loquitur de decimas non solvente; sed de illas vsurpante, & de prohibente, seu non permittente eas solvi. Vndè cum odiosa sit, & pœnalis, extendi non debet. Et ita Pellizzarius docet, *n.*191.

11 In Clementina item *Cupientes*, *de pœnis* ipso Iure excommunicatio fertur ista. Illos etiam Religiosos, qui aliqua, vt audientes à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumpsert, excommunicationis subiacere sententiæ decernimus ipso facto. Ita ibi. Quam quidem excommunicationem, non incurrere Religiosos, contravenientes, nisi pravo animo, & in præsentia illorum, qui decimas solvere debent, aliqua dixerint ab earum solutione retrahentia, advertit Ferdinandus, Castrus Palaus *p.*1. *tract.*10. *punct.*14. *num.*2. cum Angelo, & Toleto. Pellizzarius, *tom.* 2. *tract.*7. *cap.*2. *num.*200. Quibus consonat Tamburinus, *de Iure Abbatum, tom.*1. *disput.*15.*q.*18. *num.* 65. *in fine.* ibi; vel aliàs dicunt aliquid ad avertendos audientes à solutione decimarum.

12 In eadem additur Clementina. Et quia nisi fiat, quod bonum est, à malo abstinere non sufficit: Religiosis omnibus iniungimus, sub obtestatione divini iudicij; & interminatione maledictionis æternæ, vt quoties populo prædicabunt in prima Dominica, quarta, & vltima Quadragesimæ, & in festis Ascensionis Dominicæ, Pentecostes, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistæ, Assumptionis, & Nativitatis Beatissimæ Virginis Mariæ Matris Dei, audientes expressè studeant informare, si ab Ecclesiarum Rectoribus, vel Vicariis, aut loca tenentibus eorundem requisiti fuerint. Necnon & iis, quorum Confessiones audient, conscientiam facere, quod decimas solvere non omittant. Et infrà. Qui verò scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis huiusmodi decimis, ab officio prædicationis tandiu maneant ipso facto suspensi, donec confitentibus ipsis (si hoc ipsum sibi dicendi commodè facultatem habuerint) conscientiam fecerint. Exindè excommunicationis incursuri sententiam ipso facto, si prædicare præsumpserint, prædicta negligentia (vt præmittitur) non purgata.

Hæc omnia Clementina allegata, quæ non 13 procedit, nec locum habet contra Religiosos, quibus competit decimas recipere; sed contra omnes alios, vti benè observat Ioannes Andreas; *in cap. Discretioni vestræ, el* 1. *de Decimis lib.*6. ex eadem Clementina. Neque procedit contra Religiosos, non Requisitos diebus in illa assignatis, sed aliis: neque quando non prædicant adhuc in assignatis diebus, non ob malitiam, sed aliam ob causam. Ita Emmanuël Roderiquez *tom.*2. *quæstionum Regularium, quæst.*44. *art.*8. vbi docet cum Glossa *vel Religiosos*, omnes Mendicantes, & non Mendicantes, comprehendere, non verò Clericos, vel Laicos. Et addit ad incurrendam hanc excommunicationem requiri secundùm Caietanum, *in summa, de Excommunicatione casu* 56. quod habeat intentionem avertendi, & quod decimæ debeantur Ecclesiæ, & secundùm Navarrum, *in Manuali cap.*25. *num.*145. quod audientes sint, qui eas habeant. Quod etiam docuerunt Tamburinus, Castrus Palaus, mox citandi. Et hæc omnia facilè ex textu colliguntur ipsius Clementinæ. De cuius culpa, & pœna excommunicationis, agunt Lezana, *tom.* 1. *part.* 1. *cap.*9. *num.*26. cum Navarro, *cap.*27. *num.*145. *&* 146. & Miranda, *in Manuali Prælatorum, tom.*2. *quæst.*35. *art.*18. Idem Lezana *tom.*2. *part.*3. *verbo, Decimas, num.*12. Palaus *dicto puncto* 14. Tamburinus, *tom.*1. *disput.*15.*q.*18. *num.*65. *versic. Ostenditur*, *& tom.*2. *disput.*13. *q.*14. *num.*49. *&* 50. cum Sylvestro, *verbo Excommunicatio*, 9 *num.*88. *&* 45. Memoriali Clericorum, *cap.*3. *excomm.*19 Lavorio, *de Indulgentiis, part.*2. *cap.* 13. *num.*17. & Gambarupta *de casibus reservatis*, *cap.*11. *numero* 16.

In capite etiam *Discretioni*, *el* 1. *de Decimis*, 14 *lib.*6. Gregorius Papa IX. mandavit districtè Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ne talia proferant, quæ audientes, à decimarum, seu aliarum rerum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, vel alias ánimas corrumpant audientium in sermonibus suis, vel alibi proponere præsumant, immò verò, & opere informent, & eosdem, vt ad solutionem prædictorum propriæ voluntatis animo sint intenti. Huius Decretalis meminerunt Emmanuël Roderiquez *dicto art.* 8. *&* Tamburinus, *in dicta, disput.* 15. *quæst.*18.

Recenset vlterius Emmanuël, *vti proximè*, Lezana, *verbo Decima, num.*12. cum Miranda, *tom.*2. 15 *quæst.*49. *art.*14. & Tamburinus, Leonem Papam in Concilio Lateranensi statutum, quod Fratres Confessarij teneantur hortari, & monere, etiam sub onere conscientiarum suarum, illos, quorum Confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status, & conditionis fuerint, ad solvendum decimas, siue aliarum bonorum, siue fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipsæ, aut similia solvi consueverunt, ipsisque etiam illas solvere recusantibus, absolutionem denegare teneantur.

Ita Conciliare Lateranense Decretum, reddunt 16 *ex Supplemento Ordinis, fol.*26. *concess.*82. *ex Compendio privilegiorum, verbo Decima*, §. 14. Doctores allegati. Illud Leoni Quinto attribuit Tamburinus, & fortasse ex Typographi incuria, qui cum apponere deberet *Leo X.* apposuit *Leo V.* qui quidem Pontifex, nullum Lateranense Concilium, nec aliud omnino celebravit. Creatus enim fuit ex Monacho Benedictino 17. Kalendas Maij, anno Domini. 907. vti Baronius, Spondanus, &

Bartholomæus Carranza tradunt, in illo anno, & 9. Kalendas Iunij eiusdem anni coactus abdicavit, & vitam repetiit Monasticam vti apparet ex novissimo Bullario magno Angeli Cherubini, *tom. 1. pag. mihi* 39. Qoare verius Roderiquez asserit, illud Concilium fuisse Celebratum sub Leone Decimo.

17 Circa qood advertunt Tamburinus, Roderiquez, & Lezana, quod ad tollendom scrupulum, Eugenius Papa concessit, quod Fratres Minores (& addit Lezana, *idem de aliis, qui cum ipsis communicationem privilegiorum habent.*) non teneantur facere conscientiam de decimis in Confessionibus, nisi quando fuerint requisiti ab Ordinariis, vel Parochis: & quod tunc sufficiat dicere: *facio tibi conscientiam*: & inducere peccatorem quantum potuerint, ad solvendum; non tamen propter hoc teneantur retinere absolutionem. Ita ex supplemento Ordinis, & ex Compendio Privilegiorum, *verbo Absolutio, quoad sæculares*, 2. §. 2. referunt. An autem hæc subsistat Eugeniana concessio, Doctores dicant. Ego quidem, cum in diplomate ipso Eugenij illam non viderim, nec sciam, an clausulam contineat, Concilio Lateranensi etiam tempore posteriori, in hac parte derogantem, multum de concessionis dubito subsistentia. Ob hoc tamen Confessores à Parochis irrequisitos, conscientiam non facientes, damnare non intendo, cum talis omissio consuetudini consonet, vti bene præfatus Magister Lezana.

18 Subsistere Eugenianam, ad derogationem Clementinæ *Cupientes*, recensitæ, nec audeo quidem asserere, etiamsi Clementina præcesserit, vti verè per multos præcessit annos. Quia illa, tanquam Conciliaris, futuras omnes, etiam Apostolicas, præcavet dispositiones. Vnde, si Eugenij concessio, Clausulam revocatoriam Concilij Generalis non contineat, ex vi saltem concessionis huiusmodi, in suo vigore hactenus dubio procul permanet Clementina.

19 Illud tamen omittere non licet, quod Emmanuel Roderiquez, *in fine dicti articuli Octaui* docet, scilicet, quod præceptom Confessariis Regularibus suprà iniunctum, vt non absolvant nolentes decimas solvere, intelligi debet iuxta Concilij Tridentini determinationem, *sess. 25. de Reformatione, cap* 12. si ter admoniti fuerint excommunicati, & noluerint solvere, provt Petrus Navarra explicat, *lib. 4. de restitutione 1. cap. 4. num* 8. Et sic ille, qui iussus à Confessariis semel, & iterum, atque iterum solvere, si solvat, potest non obstante Leonis Decimi, & Eugenij IV. præcepto, & prohibitione absolvi.

20 Quocirca Barbosa, *in cap. Ex parte, num.* 3. *& 4. el 21. de Decimis*, ita ait. Ergo in exactione decimarum Iudex procedere potest per monitionem, & præceptum, & compellere recusantem. De quo Rebuffus, *tract. de Decimis, quæst.* 15. *num.* 13. Quia in foro exteriori, si monitus non curat solvere, Ecclesiastica districtione cogendus est, à qua non absolvitur, nisi plena restitutione sequuta. Concilium Trident. *sess. 25. de Reformat. cap.* 12. Campan. *in Diversorio Iuris Canonici, rubrica,* 12. *cap.* 13. *num.* 157. Ad quam quidem excommunicationem ferendam servandus, *in cap. Sacro de sententia excommunicationis*, vt per Marchesi de *Commission. p. 1. cap. 15. sub n.* 12. Campan. *loco proximè cit.*

21 Hæc Barbosa, qui sæpè alibi idem docet, videlicet *cap. pervenit, num. 2. el 5. cap. Ad hoc n. 4. el 15. cap. in aliquibus, num. 3. el 32. de decimis* ex Rota, & pluribus Doctoribus, *& in Clementina Dispendiosam, n. 5. & 17. la 2. de Iudiciis, in Canone omnes, num. 2. 5. 16. quæst. 7. & in cap. Tua, de Decimis el 26.* & cum pluribus DD. deducit, quod subditi cogendi sunt ad solvendas decimas appellatione remota, quoad effectum suspensiuum, non autem quoad devolutiuum.

Limitat tamen Barbosa conclusionem suam, vt 22
non procedat. I. Quando agitur cum persona Ecclesiastica, quæ prætendit in Decimis potiora habere iura. Hostiensis, *in cap. Tua, sub num.* 22. *versic. Item secus, el 2. & 26. de Decimis*, modo allegato. Præpositus, *in cap. fin. §. Quoties, n.* 32. *quæst.* 6. & ibi Geminianus, *sub n. 22. de Appellationibus.* II. Quando agitur, inter duas Ecclesias contendentes de Iure decimandi. Hostiensis, *ubi proximè.* Scaccia *de Appellationibus, quæst. 17. limit.* 18. Rota *in Cordubensi Decimarum, 2. Decembr.* 1605. coram Cardinali Pamphilio, & Salgadus, *de Protectione Regia, tom. 1. part. 3. cap. 2. num.* 77. III. Tandem limitat, quando Decimarum collector modum excedit: quia ab excessu appellari potest. Scaccia *eadem limit. 8. num. 4.* & Salgadus *dicto n.* 77. In his igitur tribus casibus appellatio, quoad vtrumque effectum locum habet, in Barbosæ, & Doctorum, quos allegat, sententia.

DISQVISITIO XIV.

De Vsurariis.

An Vsurarij publici, manifesti, & Notarij, sint Ecclesiastica Sepultura ipso iure privati?

BREVIARIVM.

Absolvere.

Quilibet Confessarius approbatus, prius partibus satisfactione præstita, quibus iniuriam irrogavit vsurarius, absolvere potest ab excommunicatione, quam quis incurrit vsurarium sepeliendo, num. 15.

Vt absolvatur vsurarius occultus, non tenetur cautionem præstare, sed sufficit, quod Confessario satisfacere promittat, si in aliis Confessionibus id non promisit, n. 23.

Occultus vsurarius potest in articulo mortis absolvi, esto per se possit restituere, si vult restituere in testamento, si adsit rationabilis causa, & certus sit Confessarius hæredem restituturum, n. 23.

Si vsurarius occultus, instante morte, non possit aliquid facere, non est petenda promissio cum licentia Episcopo revelandi, n. 23.

Qui excommunicatione ligatus, cum pœnitentia decessit signis, absolvi non potest nisi ab eo, à quo in vita absolvi poterat, n. 27. 30.

Communio.

Privatio Communionis Altaris, qua plectuntur proprietarij, & vsurarij, privatio est Eucharistiæ, & non excommunicatio, n. 11.

Dispensare.

Episcopus dispensare potest, cum Clericis vsurariis pœnitentia,

pœnitentia, & restitutione facta, super suspensione ab eis contracta, n. 26.

Donare.

Causa mortis donare non potest, etiam ad pias causas, qui testari nequit, n. 18.

Ecclesia.

Pia est Mater, facientibus, quod in ipsis est, sepulturam non denegat, nec suffragia, n. 29.

Episcopus.

In loco exempto Iurisdictionem exercere non potest vllam: quia perinde est, ac si locus in diœcesi non esset sua, n. 32. 33.

Regularem exemptum extra Monasterij claustra, notoriè, cum populi scandalo, delinquentem, punire nequit, nisi requisito superiore suo, & punitionem illius omittente, n. 34.

Excommunicatio.

Ipso facto excommunicantur etiam exempti; & priuilegiati ad sepulturam admittentes interdicti tempore, & in casibus non permissis: & excommunicatos publicos: ac Vsurarios manifestos, numero 4. 34.

Excommunicatio ista principaliter afficit Parochos, & Clericos, qui funeribus præsunt: & minus principaliter eos, qui proprijs eos sepeliunt manibus, non autem comitantes, n. 13.

Ab eius incursione excusantur, qui ex quacumque ignorantia, obliuione, incogitantia, simplicitate, ac negligentia vsurarum tumulat, n. 14.

Probabile valdè est illam non incurrere, qui sepultura vsurarium tradit contra quem specialis prius sententia, criminis saltem declaratoria, lata non fuerit, num. 15.

Excommunicatus, qui signa dedit pœnitentia, debet post mortem ab excommunicatione absolui ab eo a quo in vita fuerat absoluendus: & eius heres per censuras compellendus est, vt pro eo satisfaciat, num. 27. 30.

Sic absolutus potest cum suffragijs publicis, & exequijs tumulari, n. 28.

Hæres.

Compelli potest per censuras Heres excommunicati, & Vsurarij ad satisfaciendum pro illo numero 27. 30.

Interpretatio.

Benignior semper est in pœnis facienda, n. 24.

Odia.

Restringenda sunt, quantum fieri patiuntur Legum, & dispositionum verba; non amplianda, n. 24.

Sepultura.

Vsurarij notorij, si alienum non restituerint vel idoneam de restituendo cautionem non dederint, sepultura priuantur à num. 1.

Si in fine signa dederint pœnitentiæ, & prius heredes restituant ad quod compelli queunt, sepeliri possunt, n. 27. 28. 29.

Excommunicatus denunciatus, si in fine vita pœnituit, & absolutus est, etiam post mortem sepeliri potest cum suffragijs, n. 28.

Excommunicati denunciati in loco sacro tumulati, exhumari debent, & proijci, n. 31.

Vsurarij in loco tumulati sacro, exhumari non debent, & proijci, n. 31. 34.

Excommunicatos, interdictos, & Vsurarios in loco sacro sepultos Regularium exemptorum; exhumare non potest Episcopus, vigore Clementinæ Eos qui, num. 33. 34.

Testamenta.

Nisi facta prius satisfactione, aut data idonea cautione, nulliter ab Vsurarijs fiunt, num. 16. 19.

Si testamento iam facto, cautio idonea detur, conualescit, n. 17.

Vsura.

Vsurarij notorij non admittuntur ad Confessionem num. 16.

Nec ad Eucharistiam, Oblationes, nec ad sepulturam Ecclesiasticam, n. 2. 3.

Qui illos admittit ad sepulturam, & Oblationes acceperit ab officio, ad arbitrium Episcopi manebit suspensus: & quæ acceperit reddere compelletur, num. 2. 3. 4.

Vsurarius est, qui intendit lucrum ex mutuo, seu qui ratione mutui aliquid pretio æstimabile vltra sortem, quam mutuat, etiam ex secundaria intentione, dummodo tanquam ex iustitia debitum, recipit, num. 5.

Vsurarij à Iure communi excommunicati non sunt; numero 11.

Vt ad sepulturam admitti possint, si restituere non possunt, tenentur dare cautionem pignoratitiam de restituendo: & si illam non potuerint, tenentur ad fideiussoriam; & hac deficiente adiuratoriam; num. 11.

Cautio præstanda est creditoribus, si adsint, in eorum absentia Episcopo, aut eius Vicario, vel Parocho coram Notario, & fide dignis testibus; aut coram Notario habente adhoc, ab Ordinario mandatum; num. 12.

Vsurarij, qui in fine pœnituit heres, ad restitutionem pro illo facieadam compelli potest, n. 27.

Manifestus Vsurarius, pro notorio hic sumitur, n. 6.

Alius est. Vsurarius notorius Iuris, qui de hoc crimine per diffinitivam sententiam est damnatus: qui illud de se est in iudicio confessus: & qui in iudicio est de illo per idoneos testes conuictus, n. 7. 9.

Alius notorius facti, qui palam dat ad fœnus, ita vt negari nequeat, n. 7. 8. 9.

Talis est etiam; qui etsi domi reclusus, paratus est illac accedentibus fœnerari, & qui suis scripturis Vsurarius conuincitur, n. 10.

Infamia, non inducit vsurarium notorium, nec semiplena probatio, n. 7.

Confessio rei coram Parocho, & testibus, non constituit eum Vsurarium notorium Iuris, 7. sed facti, num. 9.

Vsurarius notorius infamis est ante latam sententiam, num. 19.

Tollitur ipso facto ista infamia per pœnitentiam, & satisfactionem, num. 20.

Notorius vsurarius, irregularis est, & beneficij incapax, num. 19.

Non incurrere vsurarios pœnas prædictas, non præmissa Iudicis sententia, dicunt aliqui, n. 22.

Non illas incurrunt, qui notorij non sunt, n. 23.

Nec illas incurrunt, qui contractus fecerunt vsurarios, vsuras tamen non exegerunt, n. 24.

Clerici vsurarij suspendendi sunt ab officio, & beneficio obtento, & obtinendo: Laici verò excommunicandi, n. 25.

Contra locantes domos Vsurarijs alienigenis, & non oriundis, & contra eos, qui illos in suis permittunt terris, varia infliguntur pœna, iuxta personarum, & Communitatum qualitates, n. 21.

CONCLVSIO.

Hviusmodi Vsurarij, si alienum non restituerint, vel idoneam non dederint de restituendo cautionem Ecclesiastic carent sepultura.

Conclusionem tenent D. Anton. *in summa, part.*

part.3.tit. 10. *cap.5. de Sepulturis*, §.8. Gordonus, *in Theologia Morali, tom.1. lib.4. quæst.6. cap.19. num.55.* Machadus, *En el perfecto Confessor, y cura de Almas, tom.2. lib.4. part.2. tract.2. documento 25. num.3.* Iounes Sanctius *in selectis, disputat. disput.36.* Hieronymus Roderiquez, *in Compendio, qq. Regular. resolut.128. num.19.* Barbosa, *de Iure Ecclesiastico, part.2. lib.1. cap.10. num. 42. & de Officio Parochi, p.3. cap.26. num.41.* cum Couvaruuias, *lib.3. variarum cap.3. num.9. versic.12.* Possevino, *de Officio Curati, cap.14. num.4.* Galganeto, *de Iure publico, lib.3. tit.109. num.37.* Gregorio Sayto, *in Clavi Regia, lib.10. part.5. num.9.* Vgolino, *de Officio Episcop. cap.17. num.4. versic.5.* Samuellius, *de Sepulturis, tract.2. disput.1. controu.7. conclus.16.* Lessius, *lib.2. de Iust. cap. 20. dub.22. n.* 188. S. Fausto *in specul. Confessar. disput.16. quæst.130. num.4.* Grassis, *p.1. lib.2. cap.103. num. 15.*

2 Probatur primò *ex cap. Quin in omnibus el 3. de Vsuris*, ex Concilio desumpto Lateranensi, in quo Alexander Papa Tertius, sic decernit. Ideóque Constituimus, quod Vsurarij manifesti, nec ad communionem admittantur Altaris, nec Christianam (si in peccato decesserint) accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. Qui antem acceperit, vel Christianæ tradiderit sepulturæ: & quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi sui, satisfaciat, ab Officij sui maneat executione suspensus. Hæc Decretalis: vnde Barth. à Sancto Fausto *vbi proximè, num.1.* ita ait Tertia (id est pœna) quod non admittitur ad oblationem offerendam. Et qui eius oblationes accipit, ipso facto est suspensus ab officio, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciat, & compellitur reddere oblatum, *dicto cap. Quia in omnibus.*

3 Probatur II. *ex cap. Quamquam, el. 2. eodem tit. lib.6.* desumpto ex Concilio Generali Lugdunensi, in eo sic Greg.X. statuit. Quamquam Vsurarij manifesti, de vsuris, quas receperant satisfieri, expressa quantitate, vel indistinctè in vltima voluntate mandaverint, nihilominus tamen, eis Ecclesiastica sepultura denegetur, donec de vsuris ipsis fuerit (provt patiuntur facultates eorum) plenarie satisfactum: vel illis, quibus facienda est restitutio, si præsto sint ipsi aut aliis, qui eis possunt acquirere, vel eis absentibus loci Ordinario, aut eius vices gerenti, siue Rectori Parochiæ, in qua testator habitat coram aliquibus fide dignis de ipsa Parochia (....) aut servo publico, de ipsius ordinarij mandato idoneè de restitutione facienda sic cautum. Cæterum, si receptarum vsurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus, &c. Et infra innovat pœnas à præcitato Concilio Lateranensi inflictas Religiosis, & aliis manifestos Vsurarios ausis recipere ad sepulturam, contra huius decretalis formam.

4 Tertiò probatur *ex Clementina eos, qui, in 1. de Sepulturas*, ex Concilio Viennensi desumpta, in qua Clemens V. Decernit, vt sequitur. Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora; non sine contemptu clauium Ecclesiæ, in Cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à Iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, *vel Vsurarios manifestos* scienter sepeliri præsumunt, decernimus ipso facto, excommunicationis sententiæ subiacere: à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem. Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante.

Citca quas Conciliates dispositiones, aliqua adnotanda veniunt. *Primum* est, Vsurarium illum esse, qui intendit lucrum ex mutuo. Caspensis *tract.19. disp.3. sect.1. n.3. & 4.* ex Caiet. *in sum. verbo Vsura.* seu (vt magis explicetur, absque necessitate tamen) qui immediatè, & præcisè ratione mutui, aliquid pretio æstimabile, vltra sortem, & summam capitalem, quam mutuat, recipit: ita vt lucrum ratione mutui principaliter intendatur ab eo. Ita colligo ex Bussembaum *in Medulla Theologia l.3. tract.5. dub.7.* & Bassæo, *tom.1. verbo Vsura I. n. 1. & seqq. qui n.3.* addit, Vsurarium etiam esse qui non solum principaliter, seu ex primaria intentione, sed ex secundaria lucrum sperat, dummodò titulo iustitiæ illud speret. Quod non obscurè benè etiam docet Barth. à S. Fausto *in speculo Confessariorum disp. 16. quæst.7. versic. Quarta* ibi. Vbi autem censeatur vi mutui provenire (lucrum scilicet) exigitur vt mutuans intendat ex vi motui obligare mutuatarium civiliter, seu obligatione iustitiæ. Et expressios *quæst.3. n.7.* Caspensis, *n.13. & 14.* Machadus *tom. 1. l.3. p.5. tract.8. docum.3. n.2.* cum Hurtado. 5

Secundum est, *manifestum* in præsentia non sumi, in sensu proprio sed in lato, provt idem, quod *Notorium* importat, Ducor, cum auctoritate Concilij Constantiensis, restringentis prohibitionem excommunicationis, ad solos denunciatos, & Nototios Clericorum percussores, *vti vidimus disquisit. 3. dub. 3. n. 2.* Tum etiam authoritate Lessij, de Iustitia, & Iure *l.2. c.20. dub.22. n.* 585. in sequentia protumpentis. 6

Dicuntur autem manifesti Vsurarij, qui facto, vel Iure manifestè sunt tales. Facto quidem manifestè tales dicuntur, qui palam, ita vt nulla tergiversatione negari possit, ad vsuram dant. Iure verò, qui Iudicis sententia de hoc crimine sunt condemnati, vel qui de seipsis legitimo Iuris ordine hoc crimen coram Iudice sunt confessi, vel denique de quibus id per idoneos testes in iudicio est plenè probatum, vt docet Covarruuias, *supra* (scilicet *l.3. variarum c.3.*) *n.4. & 5.* Hæc Lessius, quæ omnia solùm de Nototio facti, & Iuris verificantur, vt nos diximus, *disquisit.12. n.55. & 56.* Immò se explicat dicens. Infamia, aut semiplena probatio non sufficit, teste Covar. Immò nec Confessio coram Parocho, & testibus, vt docet Molina *disp.* 333. quia confessio extra iudicialis non inducit Nototium Iuris. Vide Glossam *c. Manifesta 2.q.1.* 7

Tum tandem authoritate Fagundez, *de Iust. & contractibus, lib.6. cap.9. num.25.* dicentis. Vsurarius autem manifestus ille dicitur, qui palam, & publicè vsuram exercet, ita vt propter ipsam facti evidentiam, excusari non possit. Ita sentit Bartholus *in l. Fur est manifestus, n.3. ff. de Furtis.* Covar. allegatus (*l. scilicet 3. variar. resolutio. cap.4.*) *dicto num. 4.* 8

Expende verba illa: *propter facti evidentiam, excusari non possit.* Quæ certè solùm de vero Nototio in rigore dici queunt. Item ille (addit Fagundez) qui coram Sacerdote, & testibus publicè fatetur fecisse Vsurarium, & prædictas restitui mandat vsuras, vt ait Gloss. *in d.c. Quamquam, de vsuris,* 9

in

in ſbi : *verbo Manifeſti.* Socinus , *conſ.* 127. *n.* 1. *l.* 3. Et ille etiam qui in iudicio fatetur eſſe Vſurarium, aut damnatus à Iudice de Vſuris fuit. Ita Covarr. *citatus, num.* 4. *verſic. Quartò etiam,* Gloſſ. *in d.c. Quanquam de Vſuris , verb. Manifeſtus.* Hæc ille cuius placitum , quoad Confeſſionem extra iudicialem mihi probatur. Quia licet huiuſmodi confeſſio non inducat Notorium Iuris, inducit tamen Notorium facti.

10 Manifeſtus etiam Vſurarius dicitur , qui talis convincitur ex ſuis ſcripturis, vel ad hoc publicam habent menſam paratim. Ita Gloſſa *in dicto cap. Quam , verbo Manifeſti ,* à Samuellio allegata, *tract.* 2. *de ſepult. diſput.* 1. *controv.* 7. *concluſ.* 16. & ſequuta, Palaus *tom.* 7. 32. *diſput.* 4. *punct.* 29. *num.* 1. cum Menochio , *de Arbitr. caſu* 235. *à num.* 8. ait publicum eſſe , qui domi recluſus paratus eſt illuc accedentibus fœnerari , dummodo id publicè conſtet.

11 *Tertium* eſt pœnam privationis communionis Altaris vſurariis inflictam, non eſſe cenſuram excommunicationis, in cuius vim ab Officiis divinis tanquam excommunicati excludantur , ſed ſolùm à perceptione Euchariſtiæ , quæ communio Altaris dici ſolet. Docet Leſſius , *num.* 186. qui addit in Iure Vſurarios excommunicatos non eſſe cui conſonat Baſſæus , *verbo Vſura* 5. *num.* 5. Lezanà , *in ſumm. qq. Regular. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 86. Vbi explicans ſimilem pœnam Religioſo proprietario inflictam, *in cap. Monachi , el* 2. *de ſtatu Monachorum ,* ait excommunicationem non eſſe , ſed vel interdictum , aut aliam pœnam ſpiritualem. Et in terminis de Vſurario S. Fauſto, *dicta diſp.* 16. *q.* 130. in terminis etiam Leſſio conſonat cum Soto, Sylveſtro, Toleto, & Molin.

12 *Quartum* eſt , cautionem præſtandam de reſtitutione facienda , in Concilio ſtatutam Lugdunenſi , debere eſſe vel pignoratitiam , vel fidejuſſoriam ; aut ſi neutram poſſit Vſurarius facere , tenetur juratoriam reddere , iurando ſe non poſſe , & ſe facturum quidquid potuerit , vt fiat reſtitutio. Si periculum adſit in mora ; poteſt abſolvi , & poſtea exigi cautio. Quidem præſtanda hæc eſt creditoribus , ſi adſint , & in eorum abſentia Ordinario loci , aut eius Vicario, vel Parocho coram fide dignis teſtibus , aut coram Notario publico habente ad hoc ab Ordinario mandatum. Hæc omnia docet Leſſius, *n.* 187. & Barth. à S. Fauſto, *vbi proximè*, omnino videndus *verſic. Quarta eſt.* Cuius verba hic deeſſe non merentur. Eadem Baſſæus, *tom.* 1. *verbo , Vſura V. num.* 4. Naldus *verbo eodem , num.* 17. Graſſis, *lib.* 2. *c.* 103. *n.* 12.

13 *Quintum* eſt , pœnam excommunicationis inflictam per Concilium Viennenſe ſepelire præſumentibus Vſurarios , & alios in recenſita Clementina expreſſos , principaliter afficere Parochos, qui funeribus præſunt : quia iſti ſunt , qui propriè ſepeliunt, & non ſolùm , qui cadavera in Sepulturas demittunt propriis manibus ; & illi quidem ſunt , & non iſti in quos illos competat frequentius : *qui propriæ temeritatis audacia præſumpſerint ſepelire :* Comitantes autem, non comprehenduntur, quia propriè non ſepeliunt, ſed honoris cauſa funus deducunt, & adſtant. Omnia iſta Leſſius, *n.* 188 tenet. Et Barth. à S. Fauſto *d.q.* 130. *n.* 4. Baſſæus, *n.* 5. qui idem docet de aliis Sacerdotibus, qui funeribus præſunt, quod de Parocho Leſſius, & S. Fauſto, quibus in reliquis aſſentitur omnibus.

Sextum eſt , ab huius excommunicationis incurſione excuſari , qui ex quacumque ignorantia Vſurarium ſepeliret, *ſcienter* enim dictio , omnem excludit ignorantiam. Sæpè dixi , vide *diſquiſit.* 1. *n.* 3. & ibi *dub.* 13. *n.* 23. & dictio *præſumptio* , excludit oblivionem , incogitantiam , animi ſimplicitatem , ac negligentiam , & ignorantiam etiam craſſam ; immò & affectatam. *Eadem diſquiſitione, & dubio, num.* 107. *& dub.* 14. *num.* 14. *cum ſequentibus ſex.* 14

Septimum eſt, eſſe probabile , & multum quidem , à nemine hanc incurri cenſuram niſi poſt ſententiam condemnatoriam , aut declaratoriam criminis in ipſum Vſurarium ſpecialiter latam. Ita innuit Leſſius , *dicto , num.* 188. dicens. Sanè in Extravag. *Ad evitanda* , quam refert Navarrus , *cap.* 27. *num.* 35. videtur requiri ſententia ſpecialis : nec generalem Iuris prohibitionem ſufficere. Baſſæus, *tom.* 1. *verbo Vſura V. num.* 4. Qui *n.* 5. id iuxta probabiliorem ſententiam docet. Et addit , quod in hanc cenſuram incurſus , abſolvi poſſit à quolibet Confeſſario approbato præſtita prius ſatisfactione partibus quibus iniuriam irrogavit, Vſurarium ſepeliendo. 15

Præter pœnas recenſitas , aliæ Vſurarijs inflictæ reperiuntur, vna eſt, quod teſtamentum validè non faciant , niſi factâ prius ſatisfactione aut præſtitâ Idoneâ cautione. Sic docent Gloſſa , *in c. Quanquam,* ſæpè allegatum, *verbo, Aliter facta,* S. Fauſto *d.q.* 130. *n.* 4. *verſic. Sexta,* vbi idem, de Codicilio docet. Vtrumque Graſſis, *in dec. aureis, p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 103. *n.* 11. *&* 13. Leſſius , *n.* 188. & Fagundez, *dicto, n.* 25. Et conſtat ex *dicto c. Quanquam , in fine.* Nullus manifeſtum Vſurariorum (inquit) teſtamentis interſit , aut eos ad Confeſſionem admittat, ſiue ipſos abſolvat : niſi de Vſuris ſatisfecerint , vel de ſatisfaciendo , pro ſuarum viribus facultatum præſtent (vt præmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum Vſurariorum , aliter facta , non valeant , ſed ſint irrita ipſo Iure. Hactenus Decretalis. 16

Circa huius finalem diſpoſitionem oritur difficultas, non ſpernenda, *An ſi cautio de ſatisfaciendo , poſt teſtamentum iam factum præſtetur validum illud ſit , necne ?* Pars negativa propugnatur penes Fagundez , à Felino , *in cap. Cum dilectus, num.* 3. *de Accuſationibus* , Decio , *in l. Quod initio , num.* 12. *de Regulis Iuris* , & à Covarruuias, *in cap.* 3. *de Teſtamentis, num.* 9. *verſic.* 12. Probatur hæc ſententia *ex cap.* 18. *de Regulis Iuris , l.* 6. vbi ſic Bonifacius Papa decernit. Non firmatur tractu temporis , quod de Iure ab initio non ſubſiſtit. Quæ quidem Canonici Iuris Regula , vti eius Gloſſa , *verbo, Non firmatur,* ait, deſumpta eſt ex alia Iuris Cæſarei Regula , quæ dicit. *Quod in initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere, la* 30. *ff. de Regulis Iuris eſt.* Et licet hæc ſententia, propter Iura iſta firmior, & ſtabilior ſit; affirmativam nihilominus, ſentientem convaleſcere teſtamentum, per dictam poſtpoſitam cautionem, quia hæc inteſtatio manifeſtis imponitur Vſurariis in pœnam delicti propter detrimentum tertij, quod ceſſat omnino præfata cautione poſt factum teſtamentum, tenet Fagundez , *dicto n.* 25. cum Alex. *ad l. Gallus, §. ille caſus,* & cum communi opinione. Quæ quidem , quia æquior, magis mihi arridet. 17

18 Huc ſpectat illa difficultas, *An publicus vſurarius , validè cauſa mortis poſſit donare ?* In qua penes Fagundez , *vbi ſuprà n.* 26. Covarruuias poſt alios, quos ad Rubricanda *Teſtamentis,* 3. *p. nu.* 21.

allegat, affirmativè sentit; negativè verò Iulius Clarus, *lib. 5. §. Vsura n. 14.* dicens hanc sententiam esse magis communem: cui ipse subscribit Fagundez; non solùm vt communiori, sed vt veriori (inquit) quia Regula est Glossæ communiter receptæ *ad l. Tam is, in verbo Non facit ff. de mortis causa, donationibus*, cui non licet testari, non licet causa mortis donare. Quam corroborat plena, ac evidens ratio. Quia per tales donationes excluderetur testandi prohibitio, & quod vsurariis per vnam viam negaretur, donaretur per aliam. Vndè ab hac regula non fit exceptio, nisi ex Iure specialiter colligatur; pro manifesto autem vsurario, nullibi in Iure talis exceptio habetur. Atque adeò exprimunt Angelus, *verbo Testamentum*, §. 2. Sylvester, *verbo Testamentum, l. q. 4.* & alij, etiamsi ea donatio à tali vsurario fiat in pias causas, irritam esse, & verò quamvis Vsurarius ab Officio eesset, etiam non exerceat vsuras, adhuc validè testari non poterit, nisi præstita cautione, aut solverit prius prædictas vsuras, vt docet Iulius Clarus, *l. 3. §. Testamentum, q. 16. n. 4.* vbi citat alios, quos ibi videre poteris. Hactenus Facundez. Eandem sententiam, etiam quoad pias causas tenet Graffis *in decis. Aureis, p. 1. l. 2. cas. 105. n. 13. & 14.*

19 Altera pœna Vsurariis manifestis, & quidem ipso iure, & ante latam sententiam inflicta, est infamia. Docent Graffis *n. 15. ex can. Infames, 16. q. 1.* Palaus, *tom. 7. tr. 32. disp. 4. punct. 30. n. 1.* Borgasius, *tr. de Irregularitatib. p. 6. cit. de Vsuris, n. 9.* propter quam (inquit) resultat Irregularitas, & talis, quæ prohibet Vsurarium promoveri, vt est textus, *in c. Maritum 33. dist.* Quoad infamiam, docent etiam Barth. à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, disp. 16. q. 130. num. 1. ex l. Improbum fœnus Cod. Ex quibus causis irrogatur infamia la 20. de Iust. lib. 2. cap. 20. dub. 22. n. 186.* Bassæus, *tom. 1. verbo Vsura, §. n. 4.* Vndè (addit Lessius) si frater meus illum hæredem instituat, possum agere contra illum actione inofficiosi testamenti, vt docet Sylvester ex Bartolo, & patet ex *l. Fratres, 27. Cod. de inofficioso testamento*, idem tenet Graffis. Item si est Clericus beneficij obtinendi est incapax, vtpotè irregularis.

20 Quod si petas, *Estne ipso facto ista infamia pœna sublata peracta pœnitentia?* Respondet Bassæus, cum Salas, *de Vsuris, disp. 47. num. 1.* & Filliucio, *tract. 34. 2. p. n. 156.* tolli facta pœnitentia, & restitutione dictam infamiam. Palaus *n. 3.* cum Baldo, *in l. casus, ad finem ff. de solutionib.* Felino, *in c. 1. de Probation. b. tal. 12. verbo Limit.* 8. & Matth. de Afflictis, *singul. 196.*

21 Altera deindè pœna contra Vsurarios est statuta à Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunensi relato *in cap. Vsurarum, el 1. de Vsuris lib. 6.* per hæc, quæ sequuntur verba. Hæc generali » Constitutione Sancimus: vt nec Collegium, nec » alia Vniversitas, vel singularis persona cuiuscumque » sit dignitatis, conditionis, aut status, alienigenas & alios non oriundos de terris ipsorum publicè fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant; sed huiusmodi Vsurarios manifestos omnes, » infra tres menses, de terris suis expellant, nunquam » aliquos tales de Cætero admissuri: nemo illis ad » fœnus exercendum, domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui verò contra fecerint, si personæ fuerint Ecclesiasticæ, Patriarchæ, » Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis: minores verò personæ singulares, excommunicationis, si autem Collegium, seu alia Vniversitas, interdicti sententiam ipso facto, se noverint incursuros. Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum (quandiu in eisdem Vsurarij commorantur) ex tunc Ecclesiastico subiaceant interdicto. Cæterum si Laici fuerint per suos ordinarios ab huiusmodi excessu (omni cessante privilegio) per censuram Ecclesiasticam compescantur. Hactenus Conciliare Decretum, de cuius pœna agunt Barth. à S. Fausto *dicta, q. 130. versic. Septima.* Lessius, *loco citato, n. 188.* Bassæus, *num. 6.* & penes eum Suarez, *de Censuris, disp. 32. sect. 5. num. 13.* Sayrus, *in Thesauro lib. 4. cap. 27. num. 48.* & Filliucius, *tract. 17. n. 132.* Graffis *dict. num. 15.*

Altera pœna assignatur à Graffis, *num. 15.* lata contra Vsurarios, *in cap. 1. & 2. de vsuris in 6. & in cap. Quia in omnibus, extra eod. tit. el 3.* quod scilicet sint ipso Iure excommunicati. Sed ea talis pœna in allegatis ab eo Iuribus, non invenitur nec in alio quidem, quod ego viderim. 22

Dubitatur, *An Vsurarius publicus pœnis afficiatur prædictis sententia Iudicis non præmissa?* Negant apud Palaum, *punct. 29. num. 3.* Federic. de Senis, *cons. 62. in fine*, Covarr. 3. *variar. c. 4. n. 4. versic. Quartò etiam*, & Menochius, *de Arbitr. casu 335. n. 12. & 32.*

Dubium hic occurrit, *An prædictas pœnas incurrant Vsurarij occulti, non manifesti, seu qui Notorij non sint?* Ad quod negativè respondendum censeo, cum Bassæo, *vbi suprà num. 3.* qui allegat Navarrum, *in Manuali, cap. 17. num. 80.* Reginaldum *lib. 23. num. 97.* & Filliucium, *tract. 34. 2. p. n. 152.* ac Molinam *tract. 2. disput. 334.* Negat etiam Gordonus *lib. 4. q. 6. c. 19. n. 57.* Et idem dubio procul censuit, Barth. à S. Fausto, *vbi proximè num. 3.* Siquidem docet, quod Vsurarius occultus, cautiones prædictas præstare non tenetur, sed sufficit (inquit) vt Confessario promittat se restiturum vsuras, quàm primùm potuerit; nisi in aliis Confessionibus proposuisset restituere; & sua culpa non servasset: tunc enim ante absolutionem spectanda esset restitutio, vt optimè advertit Sylvester, *verbo Restitutio 6. §. 1.* quod si iste Vsurarius occultus in mortis articulo per se restituere possit, tamen vult restituere in testamento post mortem, est absolvendus à Confessario quãdo subest aliqua rationabilis causa, sic faciendi, & Confessarius certò scit hæredes restituturos. Cum verò non potest Vsurarius occultus morte vrgente aliquid facere, non est petenda promissio illa cum licentia revelandi Episcopo, quia cum verè sit occultus nec Confessario revelanti credetur, nec compelli poterit superstes, vel hæredes ad restitutionem. Hucusquè Bartholomæus à Sancto Fausto. 23

Ratio autem responsionis est, quia odia, & pœnæ restringendæ sunt, quantùm fieri patiantur verba Legum, Constitutionum, & Dispositionum eas infligentium, neutiquam verò ampliandæ, *cap. odia el 15. de Regulis Iuris, lib. 6.* Exornant Castr. Palaus, *part. 1. tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 3. num. 7. iuncto* 8. Marcus Vidal, *in Arca Vitali, de Monialibus, num. 106.* Ioannes Baptista Lezana, *in Summ. qq. Regular. tom. 2. verbo Leges Regularium, num. 33.* & Ego non pauca, pro hac firmanda, etsi inconcussa veritate sæpè in hoc opere, & *in Disquisitione Pastorali, de Iure Prioris annexi*, dixi. Et quia in pœnis 24

beni

benignior semper est interpretatio facienda *cap. in pœnis, el 49. de Regulis Iuris, lib.6.* Sed sic est, quod Iura Vsurariis pœnas supra recensitas infligentia, de Notoriis, seu manifestis loquuntur vsurariis. Ergo pœnæ præfatæ occultos non afficiunt vsurarios.

Immò ait Graffis, *dicto cap. 103. num. 16.* quod pœnæ præfatæ non incurrantur ab Vsurariis manifestis, (de illis enim loquitur qui pacta fecerunt vsuraria, & fœneratitios contractus, sed nondum vsuras exegerunt. Quia delictum debet esse consummatum, Allegat Geminianum, & Francum *in capite 1. de Vsuris, libro 6.* Quibus lubens subscribo, ob rationem tactam, quam pluribus propugnavi, *disquisitio. 1. huius tractatus, dubio 3. de Pœnis Hæreticorum, &c. numero 14.*

25 Contra Clericos autem Vsurarios, pœna suspensionis statuitur in Iure, vti advertit Bassæus, *verbo Vsura V. num. 6.* cum Molina, *tract. 2. disp. 334.* & Filliucio, *tract. 34. 2. part. num. 157.* Et quidem *in cap. Plures, el 1. de Vsuris*, sic Alexander III. in Concilio Turonense, decernit. Quod si pòst huiusmodi Constitutus in Clero, quisquam extiterit, qui detestandis vsurarum lucris insistat, Ecclesiastici Officij periculum patiatur. Et *in cap. 7.* idem Pontifex. Prætereà, Parochianis tuis, vsuras recipere interdicas: qui si parere contempserint, si Clerici sint, eos ab officio, beneficioque suspendas. Si Laici, vsque ad dignam satisfactionem, ipsos vinculo excommunicationis adstringas. Vbi Glossa, *verbo Suspendas*, ait suspendi ab obtento beneficio in vim huius Decretalis, & *cap. si quis oblitus, 14. quæst. 4. & capitis Quoniam multi.* Et à fortiori ab obtinendo, in vim *capitis inter dilectos, de Excessibus Prælatorum.*

26 Quod si petas, *Poteritne Episcopus cum huiusmodi vsurario Clerico in suspensione dispensare?* Respondeo benè posse dispensare post satisfactionem partibus factam, & post pœnitentiam. Ita Glossa, *in dicto cap. Præterea, verbo Suspendas*, vbi hanc reddit rationem. Quia hoc non prohibetur. Et hoc probatur per hanc Decretalem. In antiqua dicebatur, quod ad præsentiam Papæ tales mittantur. Vnde collige, quod Episcopi cum talibus misericorditer agere possunt. Hæc Glossa, & Bassæus, *dicto, num. 6.* quæ sequuntur ait. Multi tamen putant Episcopum posse cum huiusmodi Vsurario publico, post pœnitentiam dispensare, non solùm ad beneficia obtenta: quia sicut potest deponere à beneficio, ita etiam potest non deponere, sed suspendere ad tempus. Hæc ille. Quod possit ad vtrumque dispensare tenet Pax Iordanus, *tom. 2. lib. 9. tit. 1. num. 442. cum aliis.*

27 Quod si iterum, circa disquisitionem roges principalem, *An in loco Sacro tumulari possint Vsurarij Notorij, si dum decesserunt, signa pœnitentiæ dederunt?* Respondet Samuellius, *de Sepulturis, tract. 2. disput. 1. controu. 7. conclus. 17.* posse, dum tamen priùs hæredes, ad quos bona illorum pervenerunt, pro illis satisfaciant. Et addit, posse huiusmodi hæredes, ad satisfactionem præstandam, per censuras compelli. Hæc responsio fulcitur *argumento capitis A nobis el 28. de sententia excommunicationis*, in quo Innocentius Papa III sic, de illa sententia innodato, decernit. Potest tamen, & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, vt si de ipsius viventis pœnitentia, per evidentia signa constiterit, defuncto etiam, beneficium absolutionis impendat. Et infrà. Vt autem in vno pariter, & eodem negotio, & servemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus, vt illius mortui absolutio, à Sede Apostolica requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat absolvendus; aliorum autem absolutionum ex præmissa causa cæteris indulgemus, à quibus dum viverent, fuerant absolvendi. Et paucis interiectis, circa absolutionis formam observandam, concludit. Hæredes quoque ipsius, ad satisfaciendum pro ipso, si monitione præmissa noluerint, per districtionem Ecclesiasticam, compellantur. Hactenùs Decretalis illa.

28 Quod possint in loco Sacro huiusmodi tumulari Vsurarios, probo. Quia maior prohibitio circa hanc tumulationem non existit, quàm circa tumulationem eorum, qui excommunicatione sunt majore innodati. Sed benè possunt in Ecclesiastica Sepultura tumulari, cum suffragiis publicis, & exequiis, excommunicati Notorij, & denunciati, excommunicatione vtique maiore innodati, si cum signis obierint pœnitentiæ, vti docent Franciscus Marcia Samuellius, *de Sepulturis, tract. 2. disp. 1. controu. 9. concl. 4.* Barbosa *de Ecclesiastico Iure vniverso, p. 2. l. 2. c. 10. n. 40. & de Officio Parochi, p. 3. c. 26. n. 40.* Ioannes Ægidius Trulleneh, *tom. 3. tr. de Iure Paroch., c. 9. dub. 7. nu. 1.* Moroous *resp. 51. n. 39.* cum Sellio, *in Selectis Canonicis, c. 10. n. 20.* Pax Iordanus, *volumine 1. de re Sacra, l. 5. tit. 12. n. 130.* Et vti in casu contingenti Sacra Cardinalium Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita fieri mandavit, sub die 19. Iulij 1619. in vna Nolana, quam referunt Barbosa, *loco allegato de Parocho*, & Samuellius *citatus*, & cuius meminerunt Trulleneh, *ubi proximè* & alij. Ergo & Notorij vsurarij si cum signis decesserint pœnitentiæ, poterunt in Ecclesiastica Sepultura tumulari, cum exequiis, & officiis, ac suffragiis publicis, & consuetis.

29 Deindè Ecclesia non denegat, tanquam pijssima mater, Sepulturam, & suffragia facientibus quantùm in ipsis est, & per ipsos non stat. Sed huiusmodi sunt Vsurarij Notorij, in nostro casu, vti in simili, de excommunicato, cum signis obeunte pœnitentiæ, docet Glossa, *in dicto cap. A nobis, verbo Hæredes.* Ergo Ecclesia dictis Vsurariis Sepulturam, & suffragia non denegat.

30 Quod hæredes istorum ad restitutionem pro illis præstandam possint compelli, patet à simili de excommunicati hæredibus, *in c. Parochiano tuo el 14 & finali, de Sepulturis*, ibi. Sed eius hæredes, & propinqui ad quos bona pervenerunt ipsius, vt pro eodem satisfaciant, censuris sunt Ecclesiasticis cōpellendi. Gloss. ibidem, *verbo Sed eius hæredes*, patet etiam *ex c. in litteris, el 5. de Raptoribus*, vbi Gloss. *verbo Hæredes.* Et in terminis de Vsurariorum hæredibus, est textus expressus *in c. Tua nos, el 9. de Vsuris.* Rationem reddens Ioannes Andreas *in Marginali ad dictum cap. A nobis*, dicit: quia res transit cum onere, *supra, de Pignoribus, ex litteris de Restitutione spoliatorum, sæpè & ego sum Deus Zelotes, &c. 1. q. 4. c. Homini §. è contra Dominus.* Et cogitur filius exequi votum patris suprà *de Voto, licet.* Hæc ille.

31 Dubium aliud hîc occurrit, *An dato, quod Notorius vsurarius, in casibus à Iure prohibitis, in loco tumuletur Sacro, debeat exhumari, & procul iactari?* Videtur respondendum, quod non. Ratio est, quia Iura expressè interdicentia Ecclesiasticam

sepulturam vsurariis, pœnam extumulationis non infligunt expressè. Ergo huiusmodi pœna non debet eis applicari. Quia odia, & pœnæ restringi debent, & non ampliari vltra proprietatem verborum, eo maximè, quia si præfata Iura dictam pœnam voluissent infligere, illam expressissent, sicut expresserunt respectu excommunicati, *cap. Sacris, el 12. de Sepulturis, & cap. Ad hæc, el 5. de Privilegiis*. Ex quibus argumentum efficax fieri non potest contra Vsurarios, quia pœnæ non extenduntur de vno casu ad alium. Et hæc quidem responsio probabilior mihi est & benignior, licet è contra docere videantur noster Abbas Panormitanus, *in cap. Sacris, n. 7. el 12. de Sepulturis*, Barbosa, *n. 1.* allegatus Hieronymus Roderiquez, *in Compendio qq. Regular. resol. 28. n. 24.* cum Suarez, *de Censuris disput. 32. sect. 4. à n. 4. & disput. 35. sect. 1. n. 20. & sect. 6. n. 6. ad finem.* Portellio, *in Additionibus ad Dubia Regularia, verbo Sepultura, num. 13.* & Emmanuële Roderiquez, *tom. 4. Addit Summa, cap 132. n. 1.* Idem Emmanuël, *tom. 3. qq. Reg. q. 51. art. 4.* quatenùs docent posse Episcopos excommunicatos, & interdictos, nominatim denunciatos, & manifestos vsurarios facere exhumari, in loca etiam exempta intrando, in vim Clementinæ *Eos, qui, supra n. 4.* exscripta, quam locum habere docent respectu Ecclesiarum Regularium exemptorum, quoad hos tres, sepultura privatos tantum, non quoad Reliquos, eadem punitos pœna. Libuit Abbatis doctrinam recensere, quia reliqui citati Doctores, illum sequuntur, & sub eisdem ferè verbis. Huiusmodi illa est.

32 Quæro vltimò sæpè contingit, quod Fratres, & alij exempti sepeliant de facto Vsurarios, & excommunicatos, & interdictos, *numquid Episcopus loci possit illos observare, & hic dicitur scilicet intrare Ecclesias, seu Cœmeterium exemptorum, & de facto facere corpora istorum exhumari, & procul proijci?* Ego credo, quod possit in casibus in quibus, in præallegata Clementina *Eos*, vt in excommunicatis publicè, in vsurariis manifestis, & nominatim interdictis. Et hoc, quia textus ibi, in fine; tollit omne privilegium, quoad illos casus. In reliquis verò, non credo Episcopum posse hanc authoritatem exercere in loco exempto, quia perinde est, ac si non essent in Diœcesi sua. Posset tamen dare remedium vt impediat Sepulturam antequam corpus ducatur ad locum exemptum, nam cum delinquatur in territorio suo, potest obviare, & illud in loco privato facere sepeliri. Hæc Abbas, & post illum alij Doctores redditi.

33 Contrarium docet Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tract. 2. controu. 7. concl. 18.* dicens. Vsurarios manifestos, publicè excommunicatos, & nominatim interdictos, in Ecclesiis Regularium humatos, de facto, quocumque modo, Diœcesanum minimè gentium posse dishumare facere, & procul proijci, quia perindè est, ac si non esset in sua Diœcesi, sed benè valet Episcopus remedium præstare, vt scilicet impediat Sepulturam antequam corpus ad locum exemptum ducatur. Quia cum in suo delinquatur territorio, obviare valet, & ipsos in loco privato sepelire facere.

34 Cui quidem Authori, & vnico ex his, quos viderim, contra plures, gravissimos, & doctissimos, quos pro prima recensui sententia, libenter, & constanter subscribo, eo ductus, ni fallor, solidissimo fundamento, quod Clementina, *Eos, qui*, cui innituntur primæ sententiæ Patroni, solùm loquitur de excommunicatione, quam contrahunt sepelientes interdicti tempore in Ecclesiis, vel Cœmeteriis in casibus à Iure non permissis, excommunicatos publicè, nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos: & scienter quidem, & ex præsumptione: & de absolutione etiam ab huiusmodi excommunicatione. De nullo alio in illa fit Constitutione mentio, vt videre licet in ea, *suprà num. 4.* ad amussim tradita. Nec litteram vtique ampliùs, minùs vel illa continet. Vndè, salvo meliori iudicio, & taliam Doctorum venia meritissima, ex præfata Clementina, nullatenùs probari, aut conijci quidem potest Episcopum Diœcesanum facultatem habere ad dishumanda in Ecclesiis Regularium, aut aliis exemptis cadavera excommunicatorum, interdictorum, aut Vsurariorum, sed nec in Ecclesiis, aut Cœmeteriis suæ ditionis subiectis.

Nec sententiæ contrariæ suffragatur Con- 35
cilium Tridentinum, *sess. 25. de Regularibus, capite 14.* ab Emmanuële Roderiquez pro se allegatum, *dicto articulo 4.* quia illud, tantum, quæ sequuntur statuit. *Regularis, non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo Scandalo sit; Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minùs, à suo Superiore Officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Hæc Tridentina Synodus, in quibus, vti ex ipsis evidenter apparet, nihil omninò, ad difficultatem controversam attinens, legitur. Sed de hoc satis. Pro vlteriori illustratione principalis disquisitionis, operæ pretium duxi nonnulla dubia, ad praxim valdè necessaria discutere.

DVBIVM I.

An vsurarius sit, qui intendit, aut sperat lucrum aliquod ex mutuo?

BREVIARIVM.

Intentio.

Intentio, & spes aliquid habendi, non sunt actus distincti, n. 6. 7. 8.

Pacisci: Pactum.

Quidquid possumus intendere, in pactum deducere possumus, n. 5.

Vsura: Vsurarius.

Iure divino prohibita est vsura, n. 2. 7.

Qui propter mutuum, aliquid recipit, aut sperat sive ex primaria, sive ex secundaria intentione tanquam sibi debitum ex obligatione Civili, & ex iustitia, vltra sortem mutuatam, vsurarius est, à n. 1.

SVppono multipliciter lucrum sperari posse, & intendi, vltra sortem scilicet in mutuo, seu ex mutuo. I. veluti debitum ratione ipsius mutui ciuiliter, & ex iustitia. II. ex amicitia, vel gratitudine. III. ratione lucri cessantis. IV. ratione damni emergentis. V. ratione conservandi, seu

recupe

recuperandi ius sibi competens, aut rem suam. Quo supposito, pro dubij resolutione, sit.

CONCLVSIO.

1 QVi mutuat cum spe, seu intentione aliquid recipiendi vltra sortem, sive ex primaria intentione, sive ex secundaria, tanquam quid iure, & ex obligatione civili sibi debitum tanquam pretium propter mutuum, verè vsurarius est.

Hanc Conclusionem tenent Bartholomæus à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, dispu*. 16. *de Vsura*, *q*. 13. *n*. 7. Bassæus *in Summa*, *tom*. 1. *verbo Vsura* 1. *verbo nn*. 3. *&* 10. Caiet. *tom*. 2. *Opuscul. tract*. 8. *qu*. 3. Lessius *de Iust. lib*. 2. *cap*. 20. *dub*. 5. *nn*. 35. Caramuël *in Theolog. Mor. lib*. 2. *disp*. 14. *n*. 726. Caspensis *tom*. 2. *tr*. 19. *disp*. 3. *sect*. 2. *n*. 14. & prius *sect*. 1. *n*. 3. 13. 14. Machadus *tom*. 1. *lib*. 3. *tract*. *tract*. 8. *docum*. 3. *n*. 5. cum Salas *tract. de Vsuris*, *lib*. 7.

2 Probatur Conclusio *primò* ex verbis Christi Domini. *Mutuum date, nihil inde sperantes. Lucæ* 6. *vers*. 35. vbi non solùm prohibet aliquid accipere vi mutui, sed etiam tollit omnem spem accipiendi aliquid ex mutuo. Nec Christus distinguit, sperétne illud, qui mutat principali, aut minus principali intentione: id est sperétne ita vt aliàs non esset mutuaturus, vel secus; sed absolutè prohibet aliquid sperare ex mutuo, (scilicet vltra sortem vti ait interlinealis) quomodocumque illud mutuatur spectet.

3 *Secundò* probatur. Quia vsura est lucrum ex mutuo. Ergo qui ex mutuo lucrum intendit ex primaria, aut ex secundaria intentione, vsurarius est.

4 *Tertiò*. Quia qui furatur, vt fornicetur, licet principaliter fornicationem intendat, adhuc tamen malitiam habet furti. Ergo qui intendit lucrum ex mutuo, etsi principaliter intendat amicitiam, vsurarius probatur. Patet à simili consequentia.

5 *Quartò*. Si ex mutuo potest mutuans minus principaliter lucrum intendere, potest illud in pactum deducere: quia quidquid intendere possumus ratione mutui, de eo pactum possumus inire. Sed nullus Catholicorum Doctorum dicit, quod pacisci possit, de huiusmodi lucro. Ergo nec dici potest, quod possit intendi, nec minus principaliter.

6 Toletus distinguit spem, & intentionem habendi lucrum ratione mutui, & ait licere habere spem, intentionem autem non licere. Sed impugnatur à Barth. à S. Fausto *dicto num*. 7. *versiculo Demum*, eo ductus, quod, spes, & intentio non sunt actus distincti. Quod ex textu mox citando benè probatur.

7 *Quintò* probatur *ex cap*. 10. *de Vsuris*, in quo
» sic Vrbanus Papa III. decernit. Consuluit nos
» tua devotio, an ille in iudicio animarum, quasi
» vsurarius debeat iudicari, qui non aliàs mutuò
» traditurus eo proposito mutuam pecuniam credit,
» vt licet omni conventione cessante, plùs tamen
» sortè recipiat. Et infrà. Verùm quia quid in his
» casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ mani-
» festè cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum,
» nihil indè *sperantes*: huiusmodi homines, pro *in-*
» *tentione* lucri quam habent (cum omnis vsura, &
» superabundantia, prohibeatur in lege) iudicandi
» sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt acce-
» pta restituenda, in animarum iudicio efficaciter
inducendi. Hæc omnia in Decretali lego. Dictiones *sperantes*, & *intentione*, pro eadem in ea sumuntur.

Sextò probatur ex D. Augustino *in Psalm*. 36. 8
relato *in can. Si fæneraveris* el 1. 14. *q*. 3. dicente. »
Si fæneraveris homini: id est si mutuò dederis »
pecuniam tuam, quò plùs quàm dedisti *expectes*, »
non pecuniam solam, sed aliquid plùs, quàm de- »
disti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive »
oleum, sive quodlibet aliud; si plus quam »
dedisti *expectes* accipere, fænerator es, & in hoc »
improbandus, non laudandus. Expendat Lector geminatam dictionem *spectes*.

DVBIVM II.

An sit Vsurarius, qui ex mutuo lucrum intendit gratitudinis, aut amicitiæ gratia?

BREVIARIVM.

Amicitia.

Non est pecunia æstimabilis, n. 7.

Compensatio.

Licitè intenditur ex amicitia, n. 6.

Debita est mutuatori secundùm ius naturale, numero 13.

Conditio.

In actionibus liberis apponi potest, ita vt illa deficiente ista non fierent, n. 9.

Iniustitia.

Non est in eo, quod quis omnino liberè vult, numero 4.

Mutuare: Mutuum.

Qui mutuò accipit, tenetur ex gratitudine beneficium compensare, n. 7.

Mutuator illicitè aliquid sperat, quasi debitum ex iustitia; licitè si ex amicitia, num. 12. 13. *&* 16.

Mutuatori debetur sors mutuata, & remuneratio, illa, ex iustitia; ex gratitudine, ista, numero 14.

Licitè ijs solùm mutuare quis potest, qui grati futuri sunt, n. 17.

Simonia.

Qui collatori beneficiorum ita servit, vt ei non serviret, nisi ab eo beneficium spectaret, non tanquam pretium obsequij, sed ex gratitudine, simoniacus non est, n. 10.

Neque qui ad Ecclesiam vadit, propter distributiones, aliàs non iturus, n. 11.

Neque, qui dat temporale cum spe rei spiritualis ex secundaria intentione, & ex gratitudine; secus si ex primaria sine qua scilicet illud non daret, quamvis etiam ex gratitudine speret, num. 15.

Aliter in mutuo contingit ad vsuram constituendam: Quia hic speratur, quod mutuatarij est; in simonia verò, quod Dei, n. 15.

Vsura: Vsurarius.

Vsura formaliter, & intrinsecè est iniustitia 3. *Quia intenditur, quod involuntarium est ex parte dantis*, n. 5.

Non est vsurarius, qui ex mutuo, sive principaliter, sive minus principaliter lucrum intendit; non tanquam sibi ex iustitia, & civiliter debitum, sed ex amicitia, & gratitudine, à n. 1.

Neque qui mutuat sub spe recipiendi lucrum ex amicitia, ita vt non mutuaret, nisi lucrum speraret, num. 8.

Neque, qui per mutuum intendit amicitiam mutuatarij, vt postea ab eo omnino gratis, pecuniario afficiatur commodo, n.18.

Vt deprehendatur, an res ex mutuo tanquam pretium, an ex amicitia detur, attendi debent circumstantiæ personæ, & rei, quæ datur, n.19.

In dubio præsumendum est, ex amicitia dedisse, num. 20.

CONCLVSIO I.

1 QVi ex mutuo, siue principaliter, siue minùs principaliter lucrum intendit, non tanquam iure, aut iustitia, vel obligatione ciuili illi debitum tanquam pretium, sed ex amicitia, vel gratitudine non est vsurarius.

Hanc tenet Caietanus 2.2.*quæst.*78. *art.* 1. *ad* 4. Idem Caiet. *tom.* 2. *Opusculorum, tract.* 8. *quæst.* 3. Escobar *Theolog. Moral. tract.* 3. *exam.* 5. *cap.* 4. *num.* 31. 33. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 19. *disput.* 3. *num.* 14. *sect.* 2. *&* *num.* 3. *sect.* 1. Machadus *tom.* 1. *lib.* 2. *par.* 5. *tract* 8. *docum.* 3. *num.* 6. cum Salas *tract. de Vsuris, dub.* 7. à S. Fausto *in Speculo, disput.* 16. *n.*8. Bassæus *tom.* 1. *verbo Vsura* 1. *nu.* 10. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 5. *num.* 37. cum Petro Nauarra *lib.* 3. *de Restitu. cap.* 2. *num.* 198. Bussembaum *in Medulla Theologia, lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 7. *nu.* 1. Castrus Palaus *tom.* 7. *tract.* 32. *disp.* 4. *punct.* 4. *n.* 2. Caramuël *in Theolog. Moral. lib.* 2. *disput.* 4. *num.* 726. cum Scoto, Molina, Angelo, Valentia, Nauarro, Rebello, Salonio, Aragone, Bannez, Salas, D. Thom. di Castillo *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 2. *num.* 8. illos allegante, & sequente. Et hanc puto (addit Caramuël) esse omnium Doctorum opinionem. Coma *in Directorio Curatorum, cap.* 17. *versic. Lo segundo.*

2 Probatur Conclusio I. Vsura est lucrum ratione mutui proueniens tanquam debitum ex iustitia. Sed in hoc conclusionis casu mutuator non intendit vllum lucrum tanquam debitum ex iustitia, sed ex sola amicitia, aut gratitudine. Ergo non est Vsurarius.

3 *Secundò.* Vsura formaliter, & intrinsecè est iniustitia. Sed sperare lucrum ex amicitia, beneuolentia, aut liberalitate non est iniustitia vlla. Ergo nec vsura. Minor patet, quia vbi nulla est ratio debiti, aut obligationis iniquæ, nulla est iniustitia. Ergo nec in spe lucri ex sola amicitia, beneuolentia, aut liberalitate.

4 *Tertiò.* Qui ex amicitia, beneuolentia, & gratitudine, ac liberalitate intendit lucrum, sperat lucrum omninò voluntariè, & liberè. Sed in donatione omnino voluntaria, & libera, nulla reperitur iniustitia. Ergo nec vsura. Probatur minor, quia nullus omninò voluntariè, & liberè volens, iniustum patitur.

5 Et confirmatur. Lucrum vsurarium ex eo illicitum est, quia est inuoluntarium mixtè ex parte dantis illud. Ergo qui aliquid intendit à mutuatario, liberaliter voluntariè, & liberè donandum, iam eius intentio circa omninò voluntarium versatur. Ergo non circa iniustum. Ergo vsurarius non est.

6 *Quartò.* Ex amicitia licet intendere compensationem iuxta D. Thom. 2.2.q.106. *art.* 5. *in corpore*, vbi Caietanus *circa finem*, ita ait. Et nota demum ex litera practicam negociatorum, quod si grati esse debent, quantum lucri sibi accesserit, ex beneficio amicitiæ vtilis considerare debent. Quo fit, vt qui ad quantitatem lucri respiciendo remunerant, supponant benefactorem vtilitatis gratia beneficium præstitisse absque pacto. Nam si honesti grati beneficium collatum supponerent, non metirentur proprium lucrum in recompensando beneficium, sed affectum benefactoris. Hactenùs Cardinalis. Ergo ex mutuo, quod actus est amicitiæ, erit licitum intendere compensationem etiam principaliter, non ex iustitiæ debito, sed ex beneuolentia.

Et confirmatur. Qui mutuum accipit, tenetur 7
ad recompensandum beneficium in mutuo acceptum, ex debito amicitiæ. Expressè id docet D. Thom. 2.2. *q.*78. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. Ergo mutuator poterit eandem gratitudinem principaliter intendere. Probo consequentiam, *primò* ratione. Quia quod alter tenetur facere in meum maximè fauorem, & commodum, ego benè possum intendere. *Secundò* authoritate D. Thom. qui in sequentia prosumpit. *In solutione scilicet ad* 3. Si verò munus ab obsequio, vel lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expetere.

CONCLVSIO II.

QVi ita mutuat sub spe, & intentione recipiendi lucrum, ex amicitia, & gratitudine, 8
quod non mutuaret, nisi illud spectaret, Vsurarius non est.

Hanc tenet Caietan. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 4. & *tom.* 2. *Opuscul. tract.* 8. *q.* 2. *&* 3. *versic. Respondeo, & versic. Tertiò.* Lessius *de Iust. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 5. *num.* 39. Barth. à S. Fausto *loco citato, sub num.* 10. Bussembaum *in Medulla Theologia, lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 2. cum Molina *tom.* 2. *disp.* 305. *num.* 6. & Card. Lugo *de Iust. disp.* 25. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 1. *num.* 13. *&* 14. *in fine.* Allegat Caietanus *dict. q.* 2. *versic. Subtilius*, D. Thomam *in qq. de Malo, q.* 13. *art. vlt. ad* 13.

Probatur conclusio *primò.* Quia in actionibus 9
liberis, licet conditionem honestam apponere, ita vt deficiente illa, tales actiones non fierent. Sed mutuare est actio libera, & expectare lucrum ex gratitudine est conditio honesta. Ergo licet sub hac spectatione ita mutuare, vt ea deficiente non mutuaret.

Secundò. Quòd est vsura in mutuo, est simonia 10
in rebus spiritualibus. Sed qui ita seruit Episcopo, v.g. vt non seruiret illi, nisi ab eo expectaret beneficium Ecclesiasticum, non tanquam sui obsequij pretium, sed ex beneuolentia, & gratitudine, simoniacus non est. Ergo qui ita mutuat sub spe lucri, non ex mutuo, sed ex amicitia, & gratitudine, vt aliter non mutuaret, non est vsurarius.

Libuit pro illustranda hac doctrina Caietanum 11
recensere *loco primo citato.* Nec fallatis putans esse sufficiens signum vsurariæ mentis, quod non mutuaret si crederet illum futurum ingratum. Est enim signum fallax in foro conscientiæ, quamuis in foro iudiciali multum fortè ponderaret: & Doctores tanquam nuncio peruersæ mentis ipso quãdóque vtantur. Constat namque in arctiori materia, scilicet in simonia, scriptum esse ab Authore *in Quodlibetis*, quod qui vadit ad Ecclesiam pro-

ptes

pter distributiones, aliàs non iturus, tunc non est simoniacus. Et simile est in proposito, quia remuneratio sperata non est ratio quod mutuet, sed est conditio, quare magis mutoat huic, quàm illi: quia iste gratus, ille non. Hæc ibi, *& to. 2. Opusculorum, tract. 8. q. 2. aliàs cap. 1. versic. Subtilius*, ita fatur.

12 Subtilius autem decidendo, occurrit ex dictis S. Thomæ *in q. de Malo, quæst. 13. art. vlt. ad 13.* notandum, quod dupliciter aliquid potest à mutuante sperari. Vno modo, quasi debitum ex aliqua obligatione tacita, vel expressa, &c. Sic quodcumque munus speretur, illicitè speratur. Aliu modo, vt gratuitum, & absque aliqua obligatione præstandum, & sic quodcumque munus speretur, licitè speratur. Licitè autem sperari à motuante dico, quodlibet munus gratuitè, & amicabiliter tribuendum sibi ab eo, cui mutuat, *etiamsi alias nollet mutuare*.

13 Et hoc probatur dopliciter, ratione scilicet, & Authoritate. Ratio siquidem huius est, quia licitum est ex mutuo affectum benevolentiæ, spe etiā principali intendere. Ex vero autem amore, & solo ipso sufficienter emanat gratuita, & amicabilis recompensatio: & propterea eiusdem rationis est sperare amicitiam, & sperare gratuitam remunerationem. Vnde si mutuans spe principali affectus benevolentiæ, nihil illicitè sperat, consequens est quod mutuans spe gratuitæ remunerationis, nihil illicitè speret.

14 Et confirmatur, quia cum gratuita remuneratio sit mutuanti debita secundùm naturale ius, & ipsa sola speretur in proposito, nec in civile deducatur, consequens est, quod nihil vltra sortem, & debitum speretur: & quod sicut rationabiliter à mutuando desistit desperans de restitutione mutuandæ sortis, ita rationabiliter quoque desistit desperans de amicabili affectu. Vtrumque horum mutuanti naturali iure debetur, quamvis diffotmiter, quia primum civili etiam obligatione reddendum est, secundùm naturalem gratitudinem tantùm.

15 Authoritas aotem ad hoc habetur differentiā assignata ibidem à S. Thom. inter spem, in vsura, & simonia scilicet, quod quia in simonia id quod datur est Christi, & non dantis, ideò nullum munus debet sperari. In vsura verò mutuans dat id, quod suū est, ideò potest sperare aliquā amicabilem recompensationem. Ex hac quidem differentia patet, quod de spe principali loquitur, sine qua scilicet res non fieret; aliter differentia nulla esset; nam constat, quod etiam in traditione spiritualium, oculus sinister, seu spes secundaria potest dirigi circa aliquam remunerationem temporalem.

16 Quum ergo quæritur, *An mutuans sub spe aliquid vltra sortem habendi, aliter non mutuaturus; omni tamen conventione, & petitione cessante, sit coram Deo Vsurarius?* Absolutè quidem responderi potest, quod Vsurarius est, quia quæstio talis sic proposita, sonat spem mutuanti inesse, vt ex mutuo aliquid habeat vltra sortem, quod est illicitum. Sed si addatur titulo quæstionis ly amicabiliter, aot gratanter, vt scilicet quæratur, *An mutuans sub spe alicuius muneris amicabiliter consequendi, aliàs non mutuaturus, &c. sit Vsurarius?* dicendum est qood non, quia nihil speratur ex mutuo vltra sortem, sed ex affecto amicabili. Vnde breviter posset cum distinctione, ad quæstionem dici: quod aut talis mutuans sperat aliquid vltra sortem ex mutuo, & sic vsuram committit; aut ex affectu amicabili eius cui mutuat, & sic non peccat. Omnia prædicta ad amussim ex illustrissimo transcripsi Caietano, ne tantæ doctrinæ iniuria vlla, aliquem illius apicem, Lectori meo reddere omitterem.

Ex quibus fit I. quod benè, & licitè potest quis 17
mutuare his solùm, qui grati futuri sunt, sicut possum illis solùm amicari, quos mutuis Officiis responsuros intelligo. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. dicens. Licitum tamen, vt dictum fuit, est nolle mutuare illi, quem credo, aut timeo ingratum fore, scilicet quod non mihi remutuaret, aut serviret, cum opus esset. Quia non minùs licitum est respicere ad effectum contrarium, qui est in ingrato, quàm ad effectum amicitiæ. Et Barthol. à S. Fausto *n. 11. vers. Hinc*.

Colligitur II. non esse vsurarium, qui aliquem 18
amicitia devenire intendit per mutuum vt ab eo postea omninò gratis ob amicitiam quovis pecunario afficiatur commodo. S. Faustus *versic. Hinc non est*. Ratio est. Quia non prohibetur lucrum ex mutuo, ratione amicitiæ, & benevolentiæ, sed tanquam pretium mutui intentum.

Sed quia difficile valde est discernere, quando
mutuantis intentio in lucrum ratione mutui ferator, vel ratione amicitiæ, & benevolentiæ: & 19
quando mutuatarius liberè, vel involuntariè mixtè lucrum concedat, ob verecundiam, vel aliam causam, coniecturis vti debent contrahentes, & Confessarij, tum ex re data pro lucro, tum ex donantis qualitate. Videlicet, si erat pauper, aut dives, liberalis, aut parcus; vel avarus. Item ex modo dandi, & aliis circunstantiis, vt benè consulit Bartholomæus præfatus. Qui addit *num.* 12. qood quando mutuator de animo mutoatarij, à quo aliquid vltra sortem accepit; dubitat, an ex liberalitate, an voluntarie lucrum tribuat, peccat peccato vsuræ, si animo illud retinendi cum tali recipiat dubio, quia periculo se exponit peccandi, ac proindè ad restitutionem adstringitur, nisi posteà gratis datum fuisse; constet. Ita ille cum Molina *tomo 2. de Contractibus, disput.* 305. Item docet Bassæus *ver. Vsura 1. num.* 10. quoad omnia in hoc *versic. dicta*. Lessius *de Iustitia, libro 2. cap. 20. dubio 6. num. 45.*

Non reticeam tamen Antonium Naldum *in* 20
Summa, verbo Vsura, num. 3. dicentem. Vsuræne nomine, an potiùs gratitudinis ergo, datum aliquid esse à mutuatario apparere si nequeat, tunc in pari dubio, ad sedandos piorum scrupulos, præsumi poterit gratuito; & liberè datum fuisse. Post alios notat Petrus Navarra, *de Restitutione, lib. 3. capite 2. numero 231.* Hæc Naldus.

***

DVBIVM III.

An sit Vsurarius, qui damni emergentis gratia aliquid exigit?

BREVIARIVM.

Contractus.

In omni contractu, in quo constituitur solutionis terminus. adest pactum tacitum, vt non solvens, ad interesse teneatur, n.9.

Damnum emergens.

Quale dicatur damnum emergens ostenditur, numero 2.

Debitor.

In mora est, quandò elapso non solvit termino, cum tamen possit, n.9.

Si absque culpa sua impotens factus est, in mora constitutus non censetur, n.10.

Ad interesse tenetur constitutus inculpabili mora, num.9.

Ad interesse non tenetur si bona fide credit invitum non esse crediterem circa dilationem, n.11.

Hæc bona fides non potest haberi, quando deprehenditur, quod dilatio creditori displicet, n.11.

Decretalis.

Quæ incipit Naviganti, de Vsuris recensetur, numero 24.

Mendum habere deprehenditur, n.26.

Dictio *quoque*.

Propositiones symbolas connectere debet. Vel affirmantes scilicet, vel negantes, n.29.

Mutuum.

In hoc sita est iustitia contractus mutui, vt nihil extra sortem mutuatam vi mutui exigatur, sed in recompensationem damni verè subsequuti, aut probabiliter eventuri, n.22.

Vt dicta servetur iustitia, mutuator non in suam, sed in mutuatarij vtilitatem, mutuare debet, numero 23.

Venditor.

Qui ad alterius instantiam rem suam illi vendit, si per eius carentiam, aliquod incurrit damnum, potest, vt suæ consulat indemnitati, carius illam vendere, quàm absolutè valet; dummodò emptorem moneat, n.7.

Vsura. Vsurarius.

Qui ratione damni emergentis, aliquid supra sortem recipit, vsurarius non est, à n.1.

Qui omninò spontè, & gratis mutuat, nullo apposito pacto de damno emergente, quodcumque posteà eveniat, nihil pro eo accipi potest, antequam mutuatarius sit in mora, n.4.

Secus postquam sit in mora constitutus, n. 8.

Quando mutuò datur sive spontè, sive rogato mutuatore, potest iste damnum emergens in pactum deducere, n.6.

Alia requiruntur, vt aliquid vltra sortem exigi possit.

I. *Vt mutuum revera sit causa damni*, n.12.

II. *Vt mutuator à principio mutuatario exponat damnum quod incurrit ex mutuo*, n. 13.

III. *Vt mutuator mutuatarium non cogat pacisci de periculo damni, potius quàm de damno*, numero 17.

IV. *Vt servetur æqualitas: vt si immineat damnum vt 4. compensatio non exigatur vt 6. nec tota damni quantitas, si certum non sit petatur: nec tantùm pro damno, aut periculo probabili, quantùm pro certo, &c.* n.20.

Si à principio non init pactum de damno emergente mutuator, censetur illud mutuatario condonasse, num.15.

Si certò sciat damnum eventurum 10. aureorum, v.g. ex 100. mutuatis, potest pacisci de 100. non monito mutuatario de hoc damno, n. 16.

Quando periculum probabiliter timetur, & de eo paciscitur, potest, quod conventum est exigi, etiamsi illud non eveniret, n.17.

Quando nec damnum, nec periculum fuit in pactum deductum, non tenetur mutuatarius illis advenientibus, aliquid vltra sortem solvere, dummodò non coegerit per vim mutuare, aut non fuerit in mora solvendi, n.18.19.

Mutuum causa damni non est, quando mutuator alias habet pecunias, vel facilè illas quærere potest, quibus damnum vitare queat, n.12.

CONCLVSIO VNICA.

QVi aliquid vltra sortem principalem mutuatam recipit non ratione mutui, sed ratione damni emergentis, non est Vsurarius, nec peccat lucrū illud accipiendo, aut in pactum deducendo. 1

Pro intelligentia Conclusionis adverto cum Iacobo de Graffis *in dec. Aureis, par 1 lib.2. c.*105. *num.*6. Damnum emergens in præsentia, esse detrimentum, quod mutuator causa mutuationis patitur: vt si ruentes ædes reficere parabat, aut annonam in æstate emere pro toto anno: & ob importunas mutuatarij preces, illam mutuat pecuniam. Tunc præmissa commonefatione à mutuante mutuatario, omne damnum, quod mutuator sine sui patitur negligentia, dicitur damnum emergens: vt si cogitur frumentum carius emere *l. Si sterilis, §. Cum per venditorem, ff. de Actionibus empti, & venditi.* Ita ille, & Doctores mox recensendi, & alij communiter. 2

In hoc sensu procedit Conclusio. Illam tenent præfatus Graffis *vbi proximè, & cap.*104. *præced. num.*19. Caïetanus *tom.* 2. *Opuscul. tract.* 8. *de Vsura, quæst.* 6. ibi. In oppositum est differentia inter esse damni emergentis, & lucri cessantis: quia illud est æqualiter compensandum; hoc autem non. Bassæus *tom.*1. *verbo Vsura III. num.* 5. Lessius *de Iust. lib.*2. *cap.* 20. *dubitat.*10. *num.*72. Bussembaum *in Medulla Theolog. lib.* 3. *cap.* 3. *dub,*7. *num.*10. *& Thom.* 2.2. *qu.* 88. *art.* 2. *ad* 1. in sequentia prorumpens. Ad primum ergo dicendum, quod ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere: hoc enim non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare. Et potest esse, quod accipiens mutuum, maius damnum evitet, quàm dans incurrat: vnde accipiens mutuum cum sua vtilitate damnum alterius recompensat. Et Caïetanus *ibidem* pro regula statuit, quod damnum emergens ex mutuo licet expetere ab eo, cui mutuatur: quia ex beneficio (inquit) mutui, non debet damnum incurrere. Tenet etiam conclusionem Barth. à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, disp.*16. *quæst.* 75. cum Soto *lib.*6. *de Iust. & Iure, quæst.*1. *art.*3. Molina 3

*tom.*2.

*tom.2. de Contractibus, disp.*314. Salone 2.2. *q.*78. *art.* 2. Covatruvias *lib.* 3. *Variarum*, *cap.* 4. §. 5. Medina *quæst.* 3. *de Vsuris.* Navatro *in Manuali*, *cap.*17. *num.*211. & communi Theologorum, & Canonistarum. Ioannes Caramuël *in Theologia Fundam. num.*1000. Palaus *tom.*7. *tract.*32. *disp.*4. *punct.*15. *num.* 2. Idem Caramuël cum alijs quos vide *infrà*, *versic. Arguo*, Machadus *tom.*1. *lib.*3. *art.*5. *tract.*8.

4 Sed pro exacta conclusionis dilucidatione nonnulla dicit Batthol. à S. Fausto, quæ libuit hîc recensere. *Primum* est, quod qui omnino sponte, & gratis mutuat, nullo apposito pacto, de recipiendo iustum interesse damni emergentis, esto deinceps ex defectu mutui patiatur revera aliquod damnum, antequam mutuatarius sit in mora, non potest tuta conscientia illud exigere.

Ratio potissima est. Quia si teneretur compensare, esset, vel ratione moræ, vel ratione contractus mutui. Sed ex neutro capite. Ergo ex nullo tenetur ad compensationem. Minor quoad primam partem, patet ex suppositione casus. Quoad secundam verò; per se etiam patet, quia ratione contractus mutui *et* sic ad nullum interesse obligatur mutuatarius, sed ad reddendum tantundem dumtaxat; nec ratione huius numero contractus, quia in eo de lucro non fuit facta mentio, vt supponitur.

5 *Secundò.* Quia fortè, si mutuatarius sciret, quod obligandus esset ad interesse solvendum, nollet accipere mutuum. Ergo ei fiet iniuria, si absque suo consensu aliquid supra sortem mutuatam mutuatarius accipit. Ita S. Faustus *n.* 4. cum Aragone 2. 2. *qu.* 78. *art.* 2. Salone ibi. Rebellio *part.*2. *de Obligat. lib.*8. *q.* 5. Lessius *loc. cit. n.*73. *condit.* 2.

6 *Secundum* S. Fausti dictum est, quod qui mutuat, vel rogatus, vel etiam spontè, potest tempore mutuationis pactum adijcere de recipiendo iusto interesse damni emergentis, esto ante mutuatarij moram illud contingat. Et probat. Quia seclusa extrema necessitate nullus alteri benefacere tenetur cum incommodo suo notabili. Sed qui mutuat, mutuatario benefacit. Ergo cum damno suo notabili illud beneficium præstare non tenetur. Ac per consequens tempore mutuationis poterit in pactum deducere.

7 *Secundò.* Quia qui ad alterius instantiam rem suam illi vendit, si per eius carentiam aliquod damnum incurrit, vt suæ indemnitati consulat, potest illam carius vendere, quàm absolutè valet, dummodò emptorem admoneat, vt ex mente D. Thomæ omnes tradunt DD. Ergo similiter, qui alteri rem mutuat, ex cuius carentia damnum patitur, poterit consulere suæ indemnitati, aliquid accipiendo pro damno emergenti. Ita ille ex D. Thoma *dicta q.* 78. *art.* 2. Caïetano, & Salone, *ibi* Soto *dicto lib.* 6. *q.*1. *art.*3. Navarto *cap.*17. *num.*211. Molina *disput.*314. *citata*, & alijs.

8 *Tertium* dictum est. Quod quando mutuatarius est in mora, in qua mutuator non consentit, si aliquod isti damnum eveniat, tenetur mutuatarius illud reficere, esto tempore mutuationis non fuerit in pactum deductum. Probatur. Quia, qui alteri nocet, & cum iniuria, tenetur omnia nocumenta illi reficere. Sed quando mutuatarius est in mora, propter quam mutuator damnum patitur, ipsi damna à mutuatario inferuntur, & cum iniuria ipso scilicet invito. Ergo tenetur illa reficere mutuatarius. Sic S. Faustus, cum Caïetano, & Salone *vbi proximè*. Sylvestro *verbo Vsura I. q.*19. Lessio *loco cit. dub.*10 & aliis Palaus *tom.*7. *tr.*32. *disp.*4. *punct.*5. *n.*11.

Quod si petas, quandò Mutuatarius, & quilibet alius debitor esse dicatur in mora? Respondeo in mora existere, quando elapso iam termino non soluit, cum tamen possit. Nec opus est vt creditor eum interpellet de solutione, quia ipsa dies satis interpellat virtute pacti liciti, quod semper intervenit in omni contractu, in quo constituitur solutionis terminus, vt scilicet non solvendus, ad interesse teneatur. Ita docet Batth. à S Fausto *dicta q.*75. *num.* 7. Lessius *dubit.*10. *n.* 69. & 70. ex *l.*2. §. *Non vtique*, & §. *Nunc de officio*, & *l.*4. *ff. de Eo, quod certo loco dari oportet*, & *cap.*7. *n.*37. Palaus *vbi proximè* ex eisdem legibus cum Rolando à Valle *consil.*35. *n.*4. Covart. 3. *variar. cap.*4. *n.*5. & Gutierr. *de Iuram.* 1. *p. casu* 2. *n.*4. Bassæus *tom.*1. *verbo Vsura III. n.* 3. 9

Limitat tamen, & benè Lessius *num.*70. nisi absque omni culpa sua, debitor redditus sit solutionis impotens: vt si incendio res eius absumptæ sint, si ipse sit in captivitatem abreptus; vel in tantam inciderit paupertatem, vt nequeat solvere nisi in gravem se conijciat necessitatem. Quia in his casibus non videtur obligandus ad interesse. *Primò*, quia omni culpa caret tunc non solvere. *Secundò*, quia illud pactum tacitum non videtur se ad hos extendere casus: cum esset nimis durum, & moribus hominum non receptum. Secùs dicendum, si potest solvere, quamvis non sine magno rei familiaris detrimento. Quia tunc solvere tenetur ad diem constitutum: vel animo esse paratus interesse compensare. Ita Lessius *ibid.* & *latiùs*, *cap.*16. *eiusdem libri dubit.*1. *n.*33. Palaus *num.*12. tenet in neutro foro obligari ad luctum, cum Covart. *de Pactis*, 2. *par.* §. 5. *num.*4. Greg. Lopez *l.*18. *verbo Facer, tit.*11. *par.*5. Gabriel *commun. opinion. lib.*3. *concl.*10. *de Solution. n.* 1. Gutiert. *de Iuram.* 1. *par. cap.*2. *n.*4. & alijs pluribus. Et benè id probat. 10

Adde, quod si debitor, & mutuatarius crederet creditorem, & mutuatorem non esse invitum circa dilationem, non censeretur esse in mora: ac per consequens non teneretur in conscientia illud damnum resarcire, nisi id à principio esset in pactum deductum. Docent Lessius *cap.*10. *num.* 71. & Barth. à S. Fausto *q.*75. *in fine.* Quæ quidem bona fides deficit quoties deprehenditur, quod dilatio creditori displicuit, vti ex eodem colligo Lessio *dicto lib.*2. *cap.*7. *dub.*8. *n.*37. & 38. Inquitit enim ibi. *Quid si bona fide putavit se facere volente domino?* & resolvit sic. Si verè domino placebat vt sic vteretur, vel vt retineret vltra terminum, non tenetur; secus vero *si deprehendat domino displicuisse.* Et probata prima responsionis parte, ex regula Iuris *Ratihabitio retrotrahitur & mandato æquiparatur*, probat secundam. Quia non potest retinere rem, aut illa vti nisi cum animo compensandi in eventu; quo Dominus nolet ratum habere ipsius factum; alioquin commisisset furtum, contractando rem alienam invito iusta ratione Domino. Ergo si Dominus nolit ratum habere illum vsum, tenebitur perindè, ac si illo invito vsus esset. Nam revera illo invito vsus est: nec potest excusare à peccato, nisi per bonam fidem cum animo compensandi, si dominus nolet ratum habere. 11

12 Pro maiori intelligentia præsentis materiæ, advertere duxi, quod ad hoc vt mutuator licitè possit exigere à mutuatario damnum sibi emergens ex vi mutui, tres requiruntur conditiones. *Prima* est, vt mutuum revera sit causa damni: v. g. domus mutuantis minatur ruinam, nec habet ipse alias pecunias, ad eam reficiendam, nisi quas mutuat: tunc mutuum verè causa est damni. Si verò alias habet pecunias, quibus reficere benè valeat domum; vel facilè ab amico alio pecuniam quærere potest sine aliquo sui detrimento, tunc damnum ex mutuo non procedit. Consultò additur *facilè*, quia si id absque difficultate nequit, non tenetur mutuator, ad vitandum mutuatarij damnum, alteri se obligare ab eo pecunias quærendo. Ita docent Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 10. *num.* 73. Barthol. à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, disput.* 16. *quæst.* 76. *num.* 1. Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 10. ibi: Nec est Vsura, pacisci, & accipere aliquid ratione damni emergentis, *siquidem mutuum verè illius causa sit.* Caramuël *in Theologia Morali, lib.* 2. *disp.* 14. *num.* 758. Bassæus *tomo* 1. *verbo Vsura III. n.* 2.

13 *Secunda* conditio est, vt à principio mutui, mutuator mutuatario exponat damnum, quod ex mutuo incurrit, vt videat an sub tali conditione, & onere compensationis, illud accipere velit, necne. Ita Lessius, & Caramuël *locis citatis.* Bartholomæus à S. Fausto *n.* 2. Bassæus *tom.* 1. *verbo Vsura III. num.* 1. & 2. Graffis *in decis. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 105. *num.* 30. cum Covarruvias *libro* 3. *Variarum res. cap.* 4. & Soto *de Iust. lib.* 6. *qu.* 1. *art.* 3.

14 Probatur *primò*, quia in mutuo pecunia, quæ mutuatur, gratis datur, & periculum adjacens venditur (ait Caramuël) venditio autem requirit, quod emptor sciat quid emat, & qua in re insumat pecunias suas.

15 *Secundò*, quia fortè mutuatarius non accepisset mutuum cum tali onere, neque forsan illi expedivisset accipere cum tanto onere. Ex quo fit mutuatorem, eo ipso, quo non iniit pactum de damno emergente, censeri illud in se recepisse, & mutuatario condonasse.

16 Advertit tamen Lessius *num.* 74. quod si revera mutuatori damnum impendeat, & certò sciat, quod accepturus sit detrimentum decem aureorum, v. gr. ex 100. mutuatis, absque Vsura possit pacisci de 110. non monito mutuatario de hoc damno. Rationem reddit. Quia in mutuante nulla est inæqualitas, quamvis mutuatarius hoc ignoret, & existimet ratione mutui lucrum exigere mutuatorem, ac proindè occasionem scandali dare. Neque illud decipere contra iustitiam asserit: quia propter hoc non dat occasionem, vt putet pecuniam illam pluris valere, quàm valeat, aut vt acceptet contractum, quem aliàs non esset acceptaturus.

17 *Tertia* conditio est, vt mutuator non cogat mutuatarium pacisci, de periculo damni, potiùs quàm se damno, sed eius arbitrio relinquat. Etsi enim periculum illud damni probabiliter eventuri, sit ab initio pretio æstimabile (quamvis minori, quàm ipsum damnum:) non potest alterum cogere vt pro ipso periculo aliquid promittat. Nam si mutuatarius paratus est omne sarcire damnum, quod eventus patefecerit: mutuator servatur indemnis: si tamen ipsi sit indifferens vtro modo paciscatur, vel malit pro periculo, certo pretio pacisci, quàm pro certo damno manere in ancipiti, potest mutuator acceptare pactum. Et quamvis damnum posteà non eveniret, poterit tamen conventum exigere. Nam periculum quod subivit, pretio erat æstimabile. Ita Lessius, *n.* 76. Bartholomæus à Sancto Fausto *n.* 2. *versic. Tertia.* Bassæus *n.* 2.

18 Advertit Lessius *n.* 77. quod si damnum, nec eius periculum sit deductum in pactum, non teneatur mutuatarius quidquam pro eo solvere, posteà illo eveniente: dummodò non fuerit in mora solvendi. Quia nec tenetur ratione pacti, nec ratione culpæ: & mutuans eo ipso, quo illud in pactum non deduxit, censetur in se illud recepisse. Secùs si fuit in mora. Quia tunc ex culpa eius evenit. Similiter si per vim coactus fuit mutuare. Quia fuit causa damni per iniuriam. Allegat Navarr. *in Manuali, c.* 17. *n.* 211.

19 In casu moræ consonat Bassæus *numero* 3. vbi præter Navarrum *vbi proximè* allegat Bannez, 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Reginaldum *lib.* 23. *num.* 76. & 77. Filliucium *tract.* 34. *num.* 68. Molinam *disp.* 314. *n.* 6. & Salonem 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *contr.* 10. *num.* 18.

20 *Quarta* conditio à Caramuële assignatur *in Theologia Morali, lib.* 2. *disput.* 14. *num.* 758. Vt servetur æqualitas. Quia si immineat damnum (inquit) vt quatuor, non potest exigi compensatio vt sex. Omnia enim fieri debent secundùm æquitatem. Et addit. Nec semper potest accipi quantitas ipsa damni si certum non sit. Et probat. Plùs valet lucrum præsens, quàm certò futurum; certum, quàm probabiliùs; quàm minùs probabile, plus minus probabile, quàm dubium. Ergo de damno pariformiter philosophare. Plùs exigere poteris pro damno præsenti, quàm futuro; plùs pro certò, quàm probabiliore; plus pro probabiliore; quàm probabili, plùs pro probabili, quàm, dubio.

21 *Quinta* conditio ponitur à Soto *in* 4. *distinctione* 15. *quæstione* 2. *articulo* 4. & à Conrado *de Contract. quæst.* 30. pœnes Bartholomæum à S. Fausto *num.* 3. & est, vt mutuans ex consilio, vel ex sola amicitia humana mutuet, non ex charitatis præcepto.

Sed hæc conditio, ait præfatus S. Faustus, omninò est superflua: quia neque ex iustitia, neque ex charitate teneor alteri cum proprio damno, & jactura beneficium impendere. Nam vel, is, qui mutuum à me petit, est absolutè pauper, aut non? Si primum, non est illi per mutuum subveniendum, sed per veram eleemosynam donando. Si secundum, scilicet si secundùm quid tantùm pauper sit, id est hîc, & nunc alio tamen loco, vel tempore habeat, teneor illi mutuare, hac tamen lege, vt ipse seipsum obliget ad restituendum mutuum, quando potuerit. Et ex consequenti, sicut potest ad principale restituendum obligari, quia non est simpliciter, & absolutè pauper, ita ad damna emergentia obligari queit.

22 *Sextam* alij conditionem assignant, vt mutuator rogatus mutuet. Hanc etiam superfluè addici, docet idem Barth. à S. Fausto, *num.* 4. Quia iustitia huius contractus mutui in hoc sita est, vt mutuans nihil exigat vltra sortem mutuatam, ex vi mutui, sed in recompensationem damni verè subsequuti, vel probabiliter eventuri; ad quod patum,

vel

vel nihil refert mutuantem rogari, vel non rogari à mutuatario, cum solùm intendat per mutuum, mutuatarij vtilitatem, non suam.

23 Vnde colligit Author allegatus, eum, qui mutuat, non in vtilitatem mutuatarij, sed in suam, & quia ita illi expedit, non posse damnum exigere emergens. Et rationem hanc fundamentalem reddit. Quia fundamentum propter quod potest mutuator convenire de damno emergente cum mutuatario, est, quia nullus tenetur gratis damnum subire, vt alteri mutuet. Sed in casu proposito nullum sustinet damnum mutuator, ratione mutui. Ergo nequit in illo de damno emergente cum mutuatario convenire.

24 Contra conditionem quartam, & doctrinam ad illam probandam adductam, obiicit Ioannes Caramuël, *in Theologia Morali*, *lib.2. disput.14. num.759.* textum, *in cap.19.& finali. de Vsuris*, vbi sic Gregorius IX. decernit. Naviganti, vel
» eunti ad nundinas, certam mutuans pecunię quan-
» titatem, pro eo, quod suscipit in se periculum
» recepturus aliquid vltra sortem, Vsurarius est
» censendus. Ille quoque, qui dat decem solidos,
» vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei
» mensuræ reddantur: quæ licet tunc plùs valeant,
» vtrùm plùs, vel minùs, solutionis tempore fue-
» rint valituræ, verisimiliter dubitatur: non debet
» ex hoc vsurarius reputari. Ratione huius dubij,
» etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum,
» oleum, vel alias merces vendit, vt ampliùs, quàm
» tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem,
» si tamen ea tempore contractus non fuerat vendi-
» turus. Hactenùs Decretalis illa, ex cuius prima parte, hoc conficit Caramuël argumentum.

25 Imminere periculum navigantibus ne perdant, immò ne pereant, certiùs est, quàm debeat ad controversiam reduci. At Adrianus censet (illius verbis vtor) in tali casu non posse sine vsura aliquid præter sortem accipi. Ergo falsum est; quod damni imminentis admitti possit compensatio.

26 Respondet ipse Caramuël, in illa textus parte, mendum apertissimè esse, & legendum in ea esse: *Vsurarius non est censendus*: Et probat authoritate B. marij *de Vtilitate historiæ*, *lib.2. sub initium*: & Pauli Layman *lib.3. de Iustitia*, *tract. 4. cap.16. num.13. in fine*, id asserentium. Et ex eodem textu *in secunda parte*, ibi: *Ille quoque.... non debet ex hoc, vsurarius reputari.* Ergo duplex conficit argumentum, pro sua responsione firmanda. Theologicum vnum, Grammaticum aliud. Vnum post alterum sic in Authore præfato lego.

27 Arguo *Theologus* sic. Si sine vsuræ culpa potest fieri hoc secundùm, etiam & illud primum: est enim summa rationis paritas. Nam si hodiè cum mensura venditur duobus solidis, possum sine vsuræ labe dare mutuos decem solidos recepturus decem mensuras; maximè quia cum dubitē, an solutionis tempore valituræ sint duobus, an medio solido, me expono periculo perdendi, & lucrandi. Atque ille, qui navigaturus, recipit aliquid vltra sortem, se exponit similiter periculo perdendi, & lucrandi, poterit enim vel illud præmium lucrari, vel totum capitale perdere. Igitur si Pontifex hunc secundùm ab vsura excusat, debet etiam excusare illum primum; vel si illum condemnet, etiam hunc. Habes igitur hîc sub latere mendum. deberéque particulam *non* poni, aut tolli vtrobique.

Ostendam non debere tolli in secundo casu, 28 sed debere in prima prætermissa restitui. Si navigaturus, declarante Adriano Pontifice (Gregorio debebat dicere) vltra sortem recipere non possit, declararetur debere se exponere periculo perdendi cum certitudine non lucrandi: ac propterea declararetur stultus: quis enim gratis; & vltro vellet se talibus periculis exponere. Vt igitur æquitas servetur, servanda æqualitas. Nemo tenetur periculum perindè subire, sine spe lucrandi.

Arguo *Grammaticus*. Est contra Latinitatis 29 prima principia, & regulas sequens periodus: *Faciens hoc, Vsurarius est: ille quoque, qui facit illud Vsurarius non est.* Illud *quoque* propositiones symbolas; (nempè, vel duas affirmantes, vel duas negantes) debet connectere, aliàs enim non poneretur *quoque*, sed *tamen*, aut alia adversativa. Hactenùs Caramuël, qui *num.756.* pro se, & nostra Conclusione; allegat Dicastillum *libro 2. tract. 10. disput. 2. dubio 6. numere* 186. Rebellum, *libro 8. quæst. 8.* Azorium, *parte 3. libro 3. capite 4. & cap. 7. quæst. 9.* Salas *de Vsuris*, *disput. 18.* Salonium 2. 2. *quæst. 78. articulo 2. controvers. 8. numere 10.* Bannez *ibidem*, *in responsione ad primum*, *conclus. 1.* Aragonem *ibidem*, *solut. ad 1.* Navarrum *in Commentar. de Vsuris*, *numero 58.* & Reginaldum, *libro 23. numero 69.* Addo ego Motonum *respons. 22. numero 92. pagina 94. ex lege 1.* & ibi Glossa *Cod. de Sentent. quæ pro eo, quod interest proferuntur.*

DVBIVM IV.

An Vsurarius sit, qui ratione lucri cessantis aliquid vltra sortem recipit?

BREVIARIVM.

Mutuum.

Vt iustitia illius servetur, æqualitas attendi debet. Plus enim lucrum præsens, quàm certò futurum: certum, quàm probabilius; &c. n. 9. 21. *&* 22.

Negotiari.

Clericis strictè prohibetur, n. 12.

Ratione lucri cessantis aliquid exigere non possunt vltra sortem mutuatam, n. 12.

Pecunia

Ad lucrandum, duas habet potentias: alia est absolutè consequens ipsam pecuniam; alia consequens prout substat industria talis negotiatoris, vel emptoris, in tali loco, in tali commoditate, &c. n. 17. 23.

Differentia inter has potentias assignatur, numero 18.

Si negotiationi sit exposita, fecunda est; aliàs sterilis, n. 23. 24.

Restituere.

Qui furatus est triticum paratum pro semine, damnum emergens restituere tenetur, non totum, sed deductis expensis, & periculis, n. 21.

Idem est de eo, qui furatus est pecuniam negotiationi expositam, n.21.

D. Thomæ doctrina de damni illati recompensatione, refertur, exponitur, à n.33.

Venditor.

Pro re magis sibi utili, quàm emptori, iuste recipit ratione maioris illius utilitatis aliquid amplius, quàm illa valet, n.31.

Vsura. Vsurarius.

Qui ultra sortem mutuatam aliquid titulo lucri cessantis recipit, Vsurarius non est, num. 1. 2. 7. & seqq.

Quod verum est etiam, si non rogatus, sed sponte mutuet, n.32.

Debent tamen servari conditiones sequentes. I. *Vt revera mutuator pecunia ipsa mutuata, negotiaturus esset, & lucraturus, si illam mutuo non dedisset*, n.2.34.35.

Ratio huius redditur, n.24.25.

II. *Vt mutuator aliam pecuniam non habeat otiosam, qua commodè negotiari possit præter illam, quàm mutuat*, n.3.4.

Aliqui tamen DD. hanc non exigunt conditionem, num.4.

III. *Vt mutuator, propter mutuum datum, ab omni cesset negotiatione: quia si ad alium modum negotiandi se conferat, ultra sortem aliquid recipere nequit ratione lucri cessantis*, n.5.

Limita, nisi lucrum in novo negociandi modo minus sit, aut molestior negotiatio, n 6.

IV. *Vt mutuatario quantitas lucri cessantis à mutuatore proponatur*, n.7.8.

V. *Vt servetur æqualitas*, n.9.

VI. *Vt ex lucro, quod probabiliter speratur, detrahantur expensæ, & pericula*, n.10.34.35.

VII. *Vt lucri cessantis compensatio statim dato mutuo non exigatur, sed convenienti intervallo*, num.11.

VIII. *Vt lucrum habeatur in spe certa, aut probabili ex negotiatione*, n.13.14.

IX. *Vt mutuator verè habeat animum exercendi negotia lucrativa cum pecunia, quam mutuat*, n.16.26.

X. *Vt animus negociandi, cum pecunia, quam dat mutuo, toto mutui tempore duret*, n.13.14.

XI. *Vt recta sit mutuatoris intentio: quod scilicet intendat accipere, quod ultra sortem intendit, non ratione mutui, & tanquam pretium eius civiliter, & ex iustitia debitum, sed ratione præcisè lucri cessantis*, n.15.

XII. *Vt lucrum cessans iustum sit, & non Vsurarium. Quia si usuraria negotiationi sortem mutuatam habeat expositam, nihil ratione lucri cessantis recipere potest*, n. 16.

CONCLVSIO VNICA.

1 QVi aliquid ultra sortem principalem mutuò datam recipit titulo, & ratione lucri cessantis Vsurarius non est, etiamsi ab initio ineat pactum de lucro cessante cum mutuatario, & quamvis ab eo vi, vel fraude inductus non fit.

Hanc Conclusionem tenent communissimè Doctores Lessius *de Iust. lib. 2. cap.20. dubit.11. num.79.* Bassæus *tom.1. verbo Vsura III. n.4.* cum Petr. Navarra *lib.3. cap.8. num.187.* Covarruvia *lib.3. variar. cap.4.* Reginaldo *lib.23.n.81.* Molina *tract.2. disput.315.* Filliucio *tract.34. num.76. & 77.* & Sylvio *2.2.q.77. art.1. q. 5.* Hermannus Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.3. tract.5. cap.3. dub. 7. num.10.* Emmanuël Sà *verbo Mutuum, nu. 4.* Azorius *Institut. Moral. par.3. lib.5. cap.5.* cum Conrado *de Contractibus, quæst. 30.* Almaino *in 4. distinct.15. qu.2.* Adriano *in 4. de Restitut. q. quæ incipit, Quia tactum est de interesse.* Gabriele *in 4. d. 15. q.11. art.1. notab.2.* Maiore *ibid.q.30.* Medina *q.3. de Rebus per usurã acquisitis.* Angelo *verbo Vsura I. n. 16.* Navarro *in Manua. cap.17. num.211.* Hostiense, & Abbate *in cap. Salubriter, de Vsuris.* Anania *in cap. Conquestus, eod. tit.* Archidic. *in cap. Vsura, 14. qu. 3.* Caïetanus *2.2. qu. 78. art.2. ad 1. in secunda regula.* Ioannes Caramuël *in Theolog. Moral. lib.2. disp.14. n.750.* cum Mercado *tract. de Vsuris, cap.10.* Turrecrem. *in cap. Si res 14. qu. 6.* Barth. à Medina *cap. 14. §. 24.* Pedraza *precept. 7. §. 14.* Sylvestro *verbo Vsura I. q.16. & 23.* Tolero *lib.5. cap. 33.* Valent. *tom.3. disp.5. q.20. punct.2.* Dicastillo *lib.2. tr.10. disp.2. nu.159.* Salone *2.2. q.78. art.2. controv.9.* Bannez *ibid.* & aliis Castrus Palaus *tom.7. tr. 32. disp.4. punct.5. num. 3.* cum Rebello *2. part. de Obligat. inst. lib.8. quæst.5. & seqq.* Salas *de Vsuris, lib.18. & 19.* Layman *in Summ. lib.3. sect.5. tr.4. cap. 16. num. 8. & seq.* D. Antoninus *in Summa, par. 2. tit.1. cap.7. §.15. fol. mihi 18.* à S. Fausto *q.83. & q. 87. versic. Quarta.* Iacobus Gordonus *in Theol. Moral. lib.4. q.6. cap.13. num.35.* Becan. *de Iure, & Iustit. q.78. de Vsura, q.4. n.2.* Caspensis *tom.2. tract.19. disp.3. sect.10. n. 77.* Moronus *in centum responsis, resp.22. n.92.* ex *l.1.* cum Gloss. *Cod. de Sent. quæ pro quod interest.*

Vt autem Conclusio nostra procedat, nonnul- 2
læ conditiones intervenire debent. *Prima* est, ut revera mutuator, pecunia ipsa mutuata esset negociaturus, & lucraturus, si illam mutuo minimè dedisset. Ita Caramuël *num. 753.* Bussembaum *num. 10.* cum Tolero *lib.5. cap.18.* Lessius *n. 84.* Bassæus *num.5.* Palaus *nu.5.* ex Barr. *in l.1. n.25. Cod. de Sententiis, quæ pro eo, quod interest proferuntur*, & Gutierrez *de Iuram. 1. par. cap.2. num. 4.* Azorius *vers. Secundò notandum convenire.* Graffis *1. par. lib.2. cap.105. num.12. & 18.* à S. Fausto *disput.16. q. 82. num.4. & 5.* Clarius *q. 84. n. 2. & 3.* & *quæst. 87. versic. Secunda.* Et ratio est. Quia aliàs lucrum non cessaret, sed cessare fingeretur.

Ad istam conditionem pertinet alia, quam as- 3
signant Doctores recensendi. Quod scilicet mutuator aliam pecuniam non habeat otiosam in arca, qua commodè negociari possit præter illam, quam mutuat. Tunc enim ex ista mutuata non potest expectare lucrum cessans. Quia revera non cessat ei lucrum ex mutuo, sed voluntate propria, qui vel vult mutuare pecuniam quam habet expositam, vel non vult negotiari cum alia, quam habet otiosam. Et ista tenent S. Fausto *q. 84. n.2.* Graffis *num.18.* cum Navarr. *cap.17. num.212. condit.3. & de Vsuris, n. 54.* & Soto *de Iust. lib.6. q.1. art.1. art.3.*

Consultò additur: *otiosam: & commodè:* quia, 4
uti benè advertit à S. Fausto, cum Navarr. *n.212.* si alia pecunia, quam habet in arca, est ei necessaria pro casibus fortuitis, & aliis negotiis, quæ evenire solent, perindè se habet, ac si nullam præter mutuatam haberet. Quia pecunia ad casus imminentes necessaria otiosa non est. Maximè si pecunia reservata modica est: quia nemo se pecuniis exhaustum debet reddere, ut currente aliqua necessitate, non possit sibi providere; secùs si pecunia, quam habet in arca,

esset

esset multa, ad hæc, & alia sufficiens. Quia tunc non posset tuta conscientia lucrum cessans, sub hoc quærere prætextu, vti idem à S. Fausto docet, cum Rebellio *de obligat. lib.*8. *quæst.*6. *p.*2. Non tamen desunt graviss. DD. qui doceant posse petere lucrum cessans, esto habeat aliam pecuniam otiosam. Ita Azotius *p.*3. *lib.*5. *cap.*5. *versic. Secundò notandum.* Lessius *dict. dubit.*11.*n.*78. cum Molina *disp.*316. & penes à S. Fausto Rebellus, *vbi proximè*, & Lopez, *lib.*2. *de Contractib. c.*25 Adde Palaum, *n.*7. cum pluribus.

5 Ad primam etiam reducitur conditionem, quam aliqui assignant: videlicet, quod si quis propter mutuum datum cesset ab vna negotiatione; si tamen se, ob id, ad aliam rationem lucrandi se conferat, per artificium, aut industriam aliam, non potest lucrum cessans ratione recipere mutui. Quia per mutuum non cessat illi lucrum absolutè. Datur enim occasio lucrandi alia via, quam non habuisset, si in prima negotiatione perstitisset. Ita Palaus, *dict. quæst.*15. *n.*6. cum Molina, *disp.*316. *post initium* Rebell. 2.*p.l.*8. *q.*6. *num.*2. & Salas *de Vsuris*, *dub.*20. *num.*5. Lessius, *num.* 85. Bart. à S. Fausto, *quæst.*84.*n.*3. cum Lopez, *lib.*3. *de Contractib. c.*23.

6 Si tamen ille nouus negotiandi modus molestior sit mutuatori, potest illam molestiam, & laborem æstimare, & iustam pro ea compensationem exigere. Ita à S. Fausto cum Molina, Rebello, & Lopez, & Lessius, qui etiam addit exigere posse compensationem, si minus ista noua lucretur via quam lucratus fuisset prosequendo negotiationem à qua mutuando abstinuit. Potest enim in his casibus tantùm exigere, quantùm prudens arbitrabitur.

7 *Secunda.* Vt mutuatario quantitas lucri cessantis proponatur à mutuante. Caramoël *num.*755. Palaus, *num.*4. Graffis, *num.*17. cum Covar. *lib.*3. *variar. resol. cap.*4. & Soto, *de Iust. lib.*6. *quæst.*1. *art.*3. à S. Fausto, *quæst.*84. *num.*5. cum Aragones 2.2. *quæst.* 78. *art.*2. & *quæst* 87. *versic. Septima.*

8 Et ratio est, quia fortè si mutuatarius moneretur, mutuum non acciperet cum onere lucrum cessans solvendi. Ergo forsan illi non expediuisset cum tanto onere mutuum accipere. Vndè, eo ipso, quo mutuator mutuatarium non moneat de lucro cessante, censetur illud in se recepisse, & mutuatario condonasse.

9 *Tertia* conditio est, vt seruetur æqualitas. Non enim esset iustus contractus, si pro 40. ducatis lucri cessantis 60. extorquerentur; immo nec iustus esset, si pro 40. ducatorum lucro dubio, vel probabili 60. exigerentur. Caramuël, *n.*753. Lessius, *num.*96. Bassæus, *num.*6. Palaus, *num.*8. cum Molina *disput.*316. §. *Hinc iam.* Toleto *lib.*5. *cap.*33. Petro Navarra, *de Restit. lib.*3. *capit.*2. *dub.*8. & Salas *de Vsuris*, *lib.*20. *num.*7. Azorius *versic. Tertia conditio.* Graffis, *num.*20. à S. Fausto *quæst.* 83. *num.*4. *versic. Vel certè.* Clarius, *quæst.*84. *num.*6. & *quæst.* 86. *num.*1. & *quæst.*87. *versic. Octava.* Pecunia enim plus valet, quo certior ipso est, minus, quo incertior: *Pluris capta auicula* (dicitur) *quam Vultur volans.* & Hispanè, *Mas quiero passaro en mano, que Vuitre volando.*

10 Ad istam conditionem, pertinet alia, quam Azotius. S. Fausto, *quæst.*84. *num.*6. & *quæst.* 87. *versic. Octava.* Lessius, *num.*96. Palaus, *num.*8. cum Molina, & aliis ex eo supra allegatis assignant, & etiam Caietanus, *tom.*2. *Opusculor. tract.*8. *quæst.*6. quod scilicet ex lucro, quod probabiliter speratur, detrahantur expensæ, & pericula. Quia lucrum subiectum periculo, & expensis, minus æstimari debet.

Quarta est, lucri cessantis compensatio, non 11 exigatur statim dato mutuo, sed convenienti intervallo. Caramuël, *num.*755. Lessius, *num.*99. cum Medina, *de vsuris quæst.*3. §. *septima conditio.* Bassæus, *num.*7. cum Navarro *de vsuris*, *num.*54. Petrus Navarr. *lib.*3 *num.*305. Reginaldo *lib.* 23. *num.* 73. & 90. Fillucio, *tract.*34. *cap.*4. *num.*81. Salas *de vsuris dub.*20. & Sylvio 2. 2. *q.*77. *art.*1. *quæst.*5. Palaus, *num.*9. cum Molina, *disp.* 316. *in fine.* Rebello, 2. *part. lib.*8. *quæst.* 6. *num* 4. à S. Fausto *quæst.* 84. *in fine* & *quæst.*85. cum Salone, 2.2. *quæst.*78. *art.*2. Contado, *de contractibus q.*30. & omnibus modernis. *Et quæst.* 87. *versic. Nota.* Et ratio est quia si ex mutuo 100. ducatorum V.gr. debeantur mutuatori ratione Lucri cessantis 10. ducati, si statim dat mutuatarius 10. mutuatori, iam iste non mutuat 100. Sed 90. tantum. Solum enim mutuatarius retinet 90. dum 10. restituit. Vnde hac ratione fiet, vt tantumdem exigat mutuator pro lucro cessante ex 90. quantum ex centum: quod aperte iniquum est. Non enim cessat lucrum nisi ex 90. & exigitur compensatio, ex centum.

Quinta, vt lucrum habeatur in spe certa, aut 12 probabili, ex negotiatione. Azotius *versic. secunda conditio* (Et verè pro secunda supra apponi debet.) à S. Fausto, *quæst.*83. *n.*2. expressius *q.*84. *num.*1. & *quæst.*87. *versic. Prima.* quia sic hanc exponit conditionem quod tempore mutuationis, verisimiliter, & probabiliter appareat lucrum. Nam si revera nulla est spes certa moraliter, lucrum non cessat propter mutuum. Probabile autem illud esse dicitur, quando securius est lucrari, quam non lucrari Ita ille. Eandem conditionem assignat Palaus, *punct.*15. *num* 5. ex Bart. *in l.*1 *num.*25. *Cod. de sententia, quæ pro eo, quod interest.* & Gutierrez *de Iurament.* 1. *p. cap.*2. *n.*4. Et addit Palaus. Idcoque petenti lucrum probare incumbit, si haberet pecuniam lucraturum certo fore, aliàs non obtinebit.

Sexta vt mutuans verè, & reipsa habeat animum exercendi negotia lucrativa cum pecunia, quam mutuat. Bart. à S. Fausto, *quæst.*84. *versic. Tertia*, & *quæst.*87. *versic. Tertia.* Azotius *pag.*3. *lib.*5. *cap.*5. *versic. secundo notandum.* Lessius *dicto cap.*20. *num.*84. Bussembaum, *lib.*3. *tract.*5. *cap.*3. *dub.*7. *num.*10. cum Toleto, *libr.*5. *cap.*32. Palaus, *num.*3. Bassæus, *verbo Vsura III. num.*5. cum Bonacina, *de Contractibus*, *disput.* 9. *quæst.*3. *punct.*4. *num.*13. Salas *de Vsuris*, *dubit.*20. *num.*2. & Fillucio, *tract.*34. *cap.*4. *num.*74. Gordonus, *lib.*4. *q.*6. *cap.*13. *num.*36. Qui & S. Faustus addunt Clericum non posse, lucrum cessans exigere, quia cum prohibita illi sit negotiatio, non potest lucrum ex mutuo prætendere. Doctorem etiam excludit S. Faustus. Quia illius non est negotiis vacare. Conditionis autem ratio est, quia ex animo pendet quod pecunia sit lucrativa.

Septima, vt animus negotiandi cum pecunia, 13 quam dat mutuo, toto mutui tempore duret. Barth. à S. Fausto, *quæst.*84. *versic. Quarta*, & *vers. Hinc eadem ratione*, & *quæst.*87. *vers.*4. *vt talis.* Et probat *loco primo allegato.* Quia cum ex animo mutuantis pendeat pecuniam suam esse in proxima potentia, ad lucrandum, ex animo eius similiter pendet lucrum illud cessare. v. g. Mutuat per biennium pecuniam, qua tantum primo anno ne-

gotiari intendebat, nequit postea lucrum pro toto mutui tempore exigere, sed pro primo tantum anno. Quia dato, quod solo primo anno negotiari volebat, in eo tantum ei lucrum cessavit ex mutuo.

14 Et ex eademmet ratione infert, quod si tempore in quo mutuavit, intendebat eadem pecunia pro toto biennio negotiari, & postea animum mutuavit, ex tunc iam cessat lucrum causa mutuationis. Quia ab eo tempore, quo animum mutuavit, & intentionem, quam habebat, pecunia illa cessavit esse negotiationi exposita, aut destinata. Et consequenter ab eodem tempore mutuanti lucrum cessat ex mutuo. Ita ille, cum Aragone, & Salone, 2.1. *quæst.* 78. *art.* 2. Addo Azorium, *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *vers. Quæres deinde.* Gordonum *cap.* 13. *num.* 36. *vers. Secunda* Caietanum, 2.2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 1.

15 *Octava* conditio est, vt intentio mutuatoris recta sit: quod scilicet intendat accipere, quod vltra sortem intendit, non ratione mutui, & tanquam pretium eius, ei civiliter, aut ex iustitia debitum, sed precisè ratione lucri cessantis. Sic Barth. à S. Fausto, *dicta disput.* 16. *quæst.* 74. *n.* 5. Et ratio est. Quia si mutuator intenderet lucrum accipere ratione mutui, tanquam pretium scilicet illius, debitum civiliter, seu ex iustitia, verè esset vsurarius, etiamsi revera interesse pateretur. Quia illa prava intentio, actum, dubio procul, vitiaret, sicut qui emeret cum pacto retrovendendi, & intentio sua non esset emere, sed mutuare, & ratione mutui fructus rei traditæ perciperet, Vsurarius esset, cum onere restituendi perceptos fructus.

16 *Nona* conditio est, vt lucrum sit iustum, & non vsurarium. Quia qui pecuniam mutuat, quam negotiationi illicitæ, habeat expositam, puta illam proponebat sub vsuris dare, non potest lucrum cessans licitè petere, esto mutuando à lucro cesset, quia illud à quo cessat lucrum iniustum erat. Ita Barth. à S. Fausto, *ubi proximè.*

17 Ad probationem nostræ conclusionis principalis advertere duxi, quod potentia ad lucrandum ex pecunia est duplex, alia consequens absolutè ipsam pecuniam, quæ quidem potentia pecuniæ vocatur, quia ipsam committatur; & potentia remota dici potest: & in hoc consistit, quod pecunia ipsa, à quocumque possideatur, possit esse, quantum est ex se, instrumentum ad lucrandum, sive per viam negotiationis, sive per viam emptionis agri, armenti, gregis, &c. Et alia est potentia consequens pecuniam, non absolutè, sed vt subest industriæ talis negotiatoris, vel emptoris tali tempore, in tali loco, in tali commoditate, &c. Variæ enim circunstantiæ pensari debent prudenter in præsentia, ad dijudicandum pecuniam verè esse lucrativam proximè.

18 Inter has duas potentias pecuniæ, hæc est differentia, menti tenenda, & apptimè pro vera, & perfecta huius materiæ intelligentia necessaria, quod prima, cum eadem omnino sit à quocumque possideatur pecunia, idem iudicium est de potentia pecuniæ, ac de ipsa pecunia, & è converso. Et propterea, sicut non licet aliquid vltra sortem recipere ratione pecuniæ, ita nec ratione suæ potentiæ consequentis. Cum enim inseparabiliter sese committentur, iudicium à Doctoribus latum de pecunia, intelligatur de ipsa cum sua quasi naturali potentia ad lucrum; secunda verò potentia adiungitur pecuniæ accidentaliter, ex hoc quod tali industriæ substat. Vnde non convenit absolutè pecuniæ, nec cuicumque illam possideat, sed in ordine ad aliquem, & suscipit magis & minus iuxta approximationem ad lucrum, & quantitatem negotij, industriæ, &c. Quare, quæ Doctores de pecunia dicunt, de hac secunda eius potentia intelligi non possunt. Quia hæc benè potest vendi, seu potius loquendo redimi vltra sortem; non autem prima.

Hæc doctrina illustratur exemplo. Triticum dupliciter possideri potest. *Primò* absolutè: & sic quavis triticum potentiam seminativam habeat absolutè, quatenus aliquis eo potest vti ad serendum, tamen propter istam potentiam non plus valet, quia absolutè, & consequenter illam habet, à quocumque possideatur, Huic potentiæ correspondet potentia consequens absolutè pecuniæ. Quia sicut potest quis vel tritico ad comedendum, vel ad serendum: ita potest quis vti pecunia ad commutationes communes, vel ad lucrandum. 19

Secundò potest triticum possideri vt serendum: & hoc suscipit incrementa dum magis præparatum est, & ordinatum, approximatum, vel sparsum. Huic tritici potentiæ respondet in pecunia potentia vt subest industriæ. Et sicut triticum non possidetur vt semen, nec est restituendum vt semen si esset ablatum, nisi verè ad hoc delatum, vel saltem paratum sit: ita pecunia non habetur vt substans industriæ negotij, &c. nisi in veritate negotio applicanda esset. 20

Ex quo fit, quod sicut fur, qui abstulit granum paratum pro semine, tenetur non solum ad restituendum æquale tritico ablato, sed etiam aliquid plus respondens potentiæ sementinæ ad arbitrium boni viri, iuxta qualitatem, & quantitatem damni ex hoc emergentis impedito à seminando, & non tenetur restituere totum fructum deductis expensis, quem ex tali ratione alij convicini, qui seminaverunt, reportarunt: quia habebat fructum in potentia, seu in virtute, & non in actu: ita si quis furatus esset pecuniam applicandam ad negotiationem &c. teneretur, non solum pecuniam puta centum aureos restituere, sed aliquid plus ad arbitrium boni viri, pensatis conditionalis negotij &c. Non tamen tenetur ad totum lucrum, quod fuisset habiturus, quia solum in potentia illud plus habebat. 21

Ex quo sequitur, quod ille, qui habet pecuniam paratam ad certam negociationē in prompto æstimatam, communiter futuram cum lucro centum ducatorum deductis expensis, dato quod dictam pecuniam illam petenti mutuet, potest vltra illam aliquid exigere, non tamen illa centum, quæ ex negotiatione sperabat. 22

Prædictas potentias proximam, & remotam, seu consequentem absolutè, & consequentem pro vt substat industriæ personæ, distingunt in pecunia Gordonus, *tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 6. *cap.* 13. *n.* 35. *& num.* 36. *versic. Cum iam.* Caietanus, 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. ibi. *Initium autem, &c.* Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 11. *num.* 79. *&* 81. Caspensis, *in cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 10. *num.* 74. vbi commune proloquium, ex Aristotele desumptum, 1. *Politicorum cap.* 7. scilicet *pecuniam esse sterilem.* Sic interpretatur, vt sterilis illa sit, si nondum sit negotiationi destinata, & solùm consideretur secundum se: tunc enim ait, nihil pretio æstimabile in sua continet virtute, præter suum valorem; negotiationi autem destinata, fœcunda est, quia in se aliquid continet pretio æstimabile, 23

præter

præter suum valorem. Barth. etiam à S. Fausto *in speculo Confessarior. disput.* 16. *quæst.* 82. *n.* 5. vbi ita fatur.

24 Quinto etiam est certùm, quod quando pecunia tantum est in potentia naturali, & remota ad lucrandum, quæ consequitur naturaliter ipsam pecuniam, sive sit apud negotiatores, siuenon, non potest mutuans aliquid vltra sortem exigere ratione lucri cessantis, siue sua sponte, siue invitus mutuet. Ratio est, quia pecunia secundum istam remotam, & naturalem potentiam considerata, sterilis est, nulloque modo fructifera, aut lucrativa. Ergo ex illa isto modo sumpta, nullum potest exigi lucrum.

25 Tum, quia cum huiusmodi potentia intrinseca sit, & connaturalis omni pecuniæ à quocumque habeatur, non est æstimabilis pretio distincto à proprio pretio, & valore ipsius pecuniæ. Ergo non potest pro ista potentia vltra sortem aliquid exigi, aliter idem bis venderetur, vel certè venderetur, quod nullum habet pretium, quæ omnia sunt absurda.

26 Hactenùs ille de potentia consequente absolutè naturali, & remota pecuniæ: de proxima autem, accidentali, & consequente prout substat industriæ negotiatoris, *n.* 6. sic ait. Hinc, qui non habet pecunias suas negotiationi expositas, non possunt etiamsi mutuatarius sit in mora solvendi aliquid exigere ab eo ratione lucri cessantis. Ratio est, quia revera his, qui non negotiantur, nullum lucrum cessat ex sua pecunia.

27 Qua supposita distinctione potentiæ pecuniæ, probatur conclusio nostra. Pecunia, quam mutuat negotiator, quatenus eius industriæ subest ad lucrum ex ea faciendum, pluris ei valet, quàm ipsa per se considerata, est enim veluti semen fœcundum lucri per industriam, in quo ipsum lucrum virtute continetur. Ergo plus pro ea exigi potest, quam ipsa per se valet. Consequentia patet, quia pecuniam, etiam lucrum in ea latens tradere censetur: eo enim se spoliat, sicut si triticum sationi destinatum (quo si careas, carebis fructu,) mutuum des, plus potest pro eo exigere, quàm per se valeat, quia in illo virtute continetur fructus, & dum illud das, simul das fructum in eo latentem.

28 Secundò probatur. Dum qui se privat pecunia lucro destinata, non solùm illa se privat, sed etiam spe lucri, quam ex illa per tuam industriam conceperas. Sed hæc spes est pretio æstimabilis; (potest enim spes lucri, seu lucrum speratum vendi.) Ergo potest aliquid exigi pro hac spe.

29 Probatur tertiò. Hæc lucri spes non est minoris æstimanda, quam metus damni. Sed dum metuitur ex mutuatione damnum, licet illum in pactum deduci, vti dubio præcedenti probatum est. Ergo etiam dum lucrum speratur, & cessat ratione mutui, potest de spe lucri pacisci.

30 Et confirmatur. Amissio rei speratæ inter damna computatur: quia quod spe possidemus, aliquomodò censemur habere. Ergo si de damnis licitè pacisci possumus, etiam quibimus licitè pacisci de amissione rei speratæ.

31 Denique probatur. Venditor pro re sibi magis vtili, quam emptori, iustè accipit ratione maioris vtilitatis rei venditæ, aliquid amplius, quam res emptori valet. D. Thom. 2.2. *q.* 77. *art.* 1. dicens. Alio modo possumus loqui, de emptione, & venditione, secundùm quod per accidens cedit in vtilitatem vnius, & detrimentum alterius: putà cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat. Et in tali casu, iustum pretium erit, vt non solùm respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licitè poterit aliquid vendi plusquam valeat secundum se, quamvis non vendatur plus quam valeat habenti. Hactenùs D. Thom. cuius doctrinam sequuntur Caiet. ibi, *versic. Ad hoc dicitur.* Barth. à S. Fausto *q.* 77. *in* 4. cum Navarr. *cap.* 17. *num.* 17. *&* 211. *in Comment. de Vsuris, à n.* 4. Molina *disput.* 315. Rebell. *lib.* 8. *q.* 5. Bannez 2.2. *q.* 78. *art.* 2. Medina *q.* 3. *de Vsuris.* Covarruvia *lib.* 3. *Variar. cap.* 4. *numero* 5. Aragone 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Conrado *de Contractibus, quæst.* 3. Sylvestro *verbo Vsura I. q.* 19.

32 Ex dictis infertur, nihil referre sive spontè quis mutuet, sive involuntariè per vim, fraudis, vel Superioris præceptum impulsus. Si enim, qui per iniuriam mutuare cogitur, de lucro cessante, pacisci potest licitè, poterit etiam de eodem, qui non cogitur, pacisci. Quia iniuria per vim illata non facit vt centum, v. g. quæ quis mutuat vim inferenti, æqualia sint centum, & decem, quæ ab illo exigit, sed lucrum speratum per centum id facit. Alioquin si ratione iniuriæ esset illa æqualitas, illa decem darentur pro iniuria illicita, non pro lucro cessante, & ita lucrum cessans esset impertinens. Nec possent mercatores quando à Principe, aut Republica ad mutuandum coguntur, lucrum exigere cessans, quia nulla fit eis iniuria. De quibus, vide Caïetanum 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. *versic. Circa secundam regulam, paulò post medium,* ibi: *si dicatur, quod quia invito domino detinetur:* & Lessius *n.* 80.

33 Contra Conclusionem obiicitur D. Thomas qui 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. oppositum docere videtur: ait enim. *Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere: quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter.* Hæc Angelicus Doctor.

34 Respondeo cum Caïetano *ibi.* Lessio *num.* 82. Barth. à S. Fausto *qu.* 83. *n.* 4. Caspensis *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 10. *n.* 78. D. Thom. contrarium dicto in loco docere noluisse. Sed quod ex pecunia nondum negotiationi destinata, nullum lucrum exigi queat. Vel quod non possit tantum exigi, quantum erat possibile, aut sperabatur; & multò minus quantum fuerit in actu; sed aliquid arbitrio boni viri, attenta majore, vel minore propinquitate actus, & deductis deducendis, iuxta supra tradita. Vel quod non exigatur lucrum nisi illud certo, aut probabiliter sit obventurum.

35 Et quod hæc fuerit D. Thomæ mens, ex ratione ab eo ibi adducta, demonstrari videtur. Ait enim: *quia non debet vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter.* Non enim habet actu totum lucrum; habet tamen spem moraliter certam, aut probabilem de aliquo lucro, deductis adhuc deducendis: & hoc quod habet, ex quo illud habet, vendere benè potest.

36 Demonstratur etiam ex eodem D. Thoma *eadem,* 2.2. *quæst.* 62. *art.* 4. *in corpore,* vbi agens de restitutione damni illati, distinguit duos modos damnificandi: & cuilibet eorum assignat recompensationem illi debitam. Libuit litteram ad amussim reddere, vt melius Angelici Doctoris mens percipiatur, & ea cognita veritas conclusionis nostræ

ſtræ inconcuſſa maneat. Sic in editione Romana de anno 1570. lego.

17 Reſpondeo dicendum, quod quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipſum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quàm debet habere, ſecundùm Philoſophum, *in 5. Ethicorum.* Et ideò homo tenetur ad reſtitutionem eius, in quo aliquem damnificavit. Sed aliquis damnificatur dupliciter. Vno modo, quia aufertur ei, quod actu habebat, & tale damnum eſt ſemper reſtituendum, ſecundùm recompenſationem æqualitatis, puta, ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum eius, tenetur ad tantum, quantum valet Domus. Alio modo, ſi damnificet aliquem, impediendo ne adipiſcatur, quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompenſare ex æquo, quia minus eſt habere aliquid virtute, quam habere actu. Qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem, vel potentiam: & ideò ſi redderetur ei, vt haberet hoc in actu, reſtitueretur ei, quod eſt ablatum, non ſimplum, ſed multiplicatum, quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis, vt dictum eſt. Tenetur tamen aliquem recompenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum. Hæc Sanchez *in corpore articuli.* Et immediatè ſubdit.

Et per hoc patet reſponſio ad primum, & ſecundum. Nam ille, qui ſemen ſpargit in agro, nondum habet meſſem in actu, ſed ſolum in virtute. Et ſimiliter ille, qui haber pecuniam, nondum habet lucrum in actu, ſed ſolum in virtute, & vtrumque poteſt multipliciter impediri.

Hucvſque Angelicus Doctor, qui meo videri, in ſecundo modo damnificandi, & recompenſandi, provt in corpore, & in reſponſione recenſita *ad* 1. *&* 2. *argumentum*, pro nobis ita manifeſtè eſt, vt nullum dubitationi locum relinquat.

DVBIVM V.

An ſit Vſurarium taxare in principio mutui, pretium lucri ceſſantis, ad evitandas lites, quæ tempore ſolutionis accidere poſſent?

BREVIARIVM.

Vſura.

A principio paciſci ſuper lucro ceſſante quantitatem determinando moderatam, propter incertitudinem habendi lucrum, labores, expenſas, &c. vſura non eſt, n. 1.

Licitè exigit mutuator quantitatem concordatam, etiamſi eventus declaret nullum adventurum fuiſſe lucrum, n. 2.

CONCLVSIO.

1 NOn eſt Vſurarius, qui à principio mutui in pactum pretium deducit lucri ceſſantis, aliquid determinando, & moderatè taxando, propter incertitudinem habendi lucrum, & alia, quæ in præcedenti dubio dicta reliquimos, v. g. mutuat Petrus Ioanni 100. aureos, quos ſi negotiationi exponeret, vti deſtinaverat, poterat ex his 10. lucrifacere, & fortè lucrifaceret ſolum 5. ob quod quidem dubium, poteſt cum eo paciſci, vt ratione lucri ceſſantis ſeptem, aut octo determinatè ei ſolvat.

Ita docet Azorius, *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *verſic. His poſitis.* Barthol. à S. Fauſto, *in ſpeculo Confeſſariorum diſp.* 16. *q.* 86. cum Navarro, *in Manuali cap.* 17. *n.* 211. Caietano, *in Summa, verbo Vſura, cap.* 2. Bannez, 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. Covarruuia, *lib.* 3. *variarum, cap.* 4. quos ſequuntur (inquit) omnes Recentiores dummodò deductis expenſis, periculis, & laboribus, taxa ſit moderata. Et addit rationem. Quia ſicut fructus acerbi poſſunt minus emi, eo quod ſubſunt periculo fortunæ, ita poteſt minus taxari lucrum, quod ſubeſt incertitudini.

In eadem ſententia fuit Leſſius, *de Iuſt. lib.* 2. 2
cap. 20 *dubit.* 11. *num.* 97. vbi addit, poſſe mutuatorem exigere, ſic determinatè taxatum pro lucro ceſſante, etiamſi eventus declaret, nullum lucrum fuiſſe adventurum, & ſortem ipſam cum navi peritatam. Et probat: quia ſpes illa, cum mutuum daret, pretio erat æſtimabilis, eámque cenſetur vendidiſſe.

Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, to.* 1. 3
lib. 4. *q.* 6. *cap.* 13. *n.* 37. *verſic. cæterum*, vbi ſic ait. Cæterum dupliciter poteſt hoc lucrum deduci in pactum. *Primò*, indefinite, nempe vt mutuatarius teneatur ſolvere intereſſe, quantum declarabit eventus. Euentus autem conſtabit ex æquali pecunia ab eodem mutuante, vel aliis mercatoribus collocata in pari negotiatione. *Secundò*, determinate pactum interponi poteſt à principio, de certo aliquo lucro. Et hoc quidem lucrum mutuans exigere poteſt: quia ſpe illa lucri, quando latum fuit mutuum, erat æſtimabilis pecunia, & pretio, & vendita ſic illa ſpes, valebit mutuanti ad pretium illius exigendum. Hæc Gordonus.

Probari etiam poteſt concluſio ex D. Thomæ doctrina, *dubio præcedenti recenſita, num.* 37.

DVBIVM VI.

An ſit Vſurarius, qui mutuat ſub pacto, vt mutuatarius aliquid faciat, quod aliàs facere debebat?

BREVIARIVM.

Donare.

Non dicitur donare, qui ex neceſſitate aliquid dat, num. 18.

Gratitudo.

Sine culpa omitti poteſt obligatio antidoralis, quæ ex gratitudine oritur, n. 17. 19.

Obligatio.

Antidoralis obligatio, ex decentia, ex honeſtate eſt, & ex libertate procedit, n. 18.

Non parit actionem: & eſt in debitoris facultate illam adimplere, vel non, n. 19.

Pretium.

Quod liberum non eſt, ſed ex iuſtitia debetur, pro pretio conſtitui non poteſt, n. 3.

Vſura.

Qui eo pacto mutuat, vt mutuatarius aliquid faciat

ciat; aut solvat ad quod ex iustitia tenebatur antecedenter ad mutuum, non est vsurarius à numero 1.

Limita I. dummodo debitum liquidum sit, n. 5.

Limita II. dummodo debitum ante tempus præfixum non exigatur, n. 4.

Exemplis ista illustratur doctrina, n. 2.

Vsurarius non est, qui cum pacto mutuat, vt mutuatarius abstineat ab iniuria sibi, aut alteri inferenda, n. 7.

Probabile est non esse Vsurarium, qui eo pacto mutuat, vt mutuatarius det aut faciat, quod ex Charitate, aut ex alia virtute in conscientia facere tenetur, n. 6. 7. 8. 10. 16. *& seqq. Probabile etiam est esse vsurarium*, n. 9.

Qui ex vi mutui mutuatarium obligat ad executionem virtutis antidoralis, seu ex virtute gratitudinis orta, vsurarius est, n. 13.

CONCLVSIO I.

1 SI mutuatarius ex iustitia debet facere aliquid antecedenter ad acceptionem mutui, non committit mutuator vsuram dum mutuat sub pacto, vt illud faciat, ad quod antea tenebatur ex iustitiæ debito mutuatarius, *v. gr.* Petrus debebat Ioanni 10. ex Iustitia. Potest Ioannes Petro 10. mutuare, vt solvat ei 20.

2 Ita D. Antoninus, *in Summa, part. 2. tit. 1. cap. 7. §. Decimo*, vbi duo, quæ sequuntur adducit exempla. Pone, quod Dominus conducat colonum ad vnum certum tempus pro iusto pretio, & pretium tradat antequam colonus incipit operari eidem; postmodum nolente colono laborare nisi Dominus mutuet certam quantitatem pecuniæ: Dominus mutuat vt operetur, alias non mutuaturus: pro quo facto colonus operas illàs pro quibus solutum fuit impendit: equidem non erit vsurarius mutuans: quia nihil ex tali mutoo lucratur, sed recipit operas sibi debitas exemptione. Patet etiam hoc per casum Decretalis extra *eodem (titulo) cap.* 1.

Laude Ridol. ponit allud exemplum: puta: occupasti rem meam, vel per potentiam tuam vim mihi vis facere in rebos meis, vel non restituis rem tibi mutuatam, commodatam vel locatam; nec vis desistere, vel reddere nisi mutuem tibi mille, quo facto desistis, vel restituis: estne vsura ex parte mutuantis? Absit. Nihil enim lucrator; imò perdit; quia fortè cum illis mille lucratus fuisset; redimit enim vexationem suam, & suum recuperat, quod licitum est, extra, *de Simonia, Dilectus.* Et nota, quod quilibet horum debet hoc intendere principaliter, scilicet recompensationem sui iuris. Hucvsque D. Antoninos. Ita etiam docent Caspensis *in cursu Theologico, tom. 2. tract. 19. disp. 5. sect. 4. n. 32.* Azorius, *p. 3. lib. 5. cap. 7. q. 15.* cum Molina, *de rebus per vsuram acquisitis, q. 7.* Soto, *lib. 1. de Iust. q. 1. art. 2.* & communi sententia Gordonus, *in Theologia Morali, tom. 1. lib. 4. q. 6. cap. 5. n. 9. in fine & cap. 8. n. 20. versic. Quarta, in fine.* Lessius, *de Iust. lib. 2. cap. 20. dubit. 3. n. 18.* Palaus, *part. 2. tract. 32. disp 4. punct. 14. n. 1.* Com Caïetano, *in Summa, verbo, Vsura exterior, casu* 2. Ioanne de Medina, *de rebus Vsurariis, q. 4. §. Iam patet.* Molina, *disp. 309. initio.* Rebellio, *2. p. de obligationibus iustitia, lib. 8. q. 4. n. 6.* Et Salas *de Vsuris, lib. 9. n. 4.* Barth. à S. Fausto, *in speculo Confessar. disp. 16. q. 38. n. 2.* Coma, *in Directorio Curatorum, c. 17. versic. Lo adquirido.*

Probatur ratione conclosio, quia in eius casu, non exigit mutuator executionem illorum debitorum, vt mutui pretium. Sed quidquid non speratur, exigitur, aut recipitur ex mutuo tanquam mutui pretium, vsuram non constituit. Ergo nec pactum initum à principio mutui, de solvendo, à mutuario, quod antea ex iustitia mutuatori debebat, istum vsurarium constituet. Minor ex dictis in præcedentibus dubiis, patet. Consequentia ex præmissis satis benè iofertur. Major autem in qua difficultas esse poterat, probatur. Quod mutuatario liberum neutiquam est pro pretio constituere minimè potest. Sed non est liberum mutuatario illud efficere, aut non efficere quod ex iustitiæ debito debet, sed ad id necessitate compellitur, ab ipso debito. Ergo qui mutuat cum pacto. vt mutuatarius solvat, quod aliàs ex iustitia debebat non exigit executionem debitorum, vt mutui pretium. 3

Advertit tamen, & benè Caspensis, duas requiri conditiones ad conclusionis veritatem. *Prima* est, quod mutuans, non petat à mutuario, quod debitum solvat ante tempus, si præfixum iam fuerat illud. Quia hæc anticipata solutio, gravamen pretio æstimabile, inferret mutuatario, ac per consequens, ad illud ad quod non tenebatur, obligaret titulo iustitiæ: quæ quidem obligatio vsuræ materia est, vti ex se patet. 4

Secunda conditio est, vt liquidum debitum sit, & certum. Quia si dubium est, vsura erit obligare mutuatarium ad illud solvendum: siquidem in hoc casu reportaretur lucrum pretio æstimabile, scilicet condonatio iuris, quod mutuatarius circa id debitum pretendere posset. Idem docet Barth. à S. Fausto *n. 2.* cum Molina, *disp.* 309. 5

CONCLVSIO II.

NEque Vsurarius est, qui mutuans, vi mutui, à mutuatario exigit vt reddat, aut faciat, quod ex Charitate, Religione, aut alia qualibet virtute in conscientia facere, aut reddere tenetur. 6

Hinc tenent Caspensis, *vbi supra, n. 3.* Palaus, *loco cit. num. 3.* cum Ioanne Medina, & Molina, locis iam ab eo suprà allegatis. Lessius, *dicto c. 20. dub. 8. n. 60.*

Et probatur. Quia obligatio civilis, quæ in casu conclusionis superadditur obligationi ex Charitate, Religione, aut alia ex virtute, nequit habere pretij rationem. Ergo illam in mutuo, in pactum deducere, Vsurarium non erit. Antecedens patet. Quia illa obligatio, de novo in mutuo iniuncta, non tam in mutuantis, quam in mutuatarij cedit vtilitatem, siquidem illum obligat, ne in obligatione Charitatis, Religionis, alteriusve virtutis deficiat: ac proinde non debet illam mutuatarius sibi onerosam reputare.

Deinde communis sententia docet, vti Palaus ex Rebello, *p. 2. de obligation. lib. 8. q. 4. n. 9.* quod licitum est mutuum concedere sub ea conditione, vt mutuatarius desistat ab iniuria mutuatori, vel alteri inferenda, quia nihil petitur indebitum. Sed qui aliquid ex Charitate, Religione, aut alia ex virtute facere tenetur, iniuriam Deo, Charitati, Religioni, aut alteri virtuti infert, si illud omittat. Ergo licitum est mutuare sub conditione, vt mutuatarius reddat, aut faciat id ad quod tenetur ex Charitate, Religione, aliave virtute. 7

Vndè infero, posse mutuatorem obligationem iniungere mutuatario, vt reddat, quod promisit ex voto alicui loco pio, vel pauperi. Quod Sacra 8

faciat, quod Sacramenta administret, qood subveniat extremè indigenti: quod Medicus, aut Chirurgus curet ægrotum: quód Advocatus, aut Procurator patrocinetur litigantem, &c. quando alius non adest Medicus, Chirurgus, Advocatus, aut Procurator, qui soluto sibi stipendio, munus sui officij exercere valeat. In casibus scilicet, in quibus mutuatarius ex Religione, aut ex Charitate debeat proprium exercere munus, procedit Corollarium. Quod tenent Palaus, *n.*3. Caspensis, *n.*53. qui *n.*52. ait, vsuram non esse obligari mutuatarium ex mutuo, vt instrumentum conficiat, vel quid simile ratione cuius compelli possit in foro exteriori absolvendum, quod aliàs debebat ex conscientia nam obligatio civilis (inquit) superaddita obligationi conscientiæ, quæ strictior est, non censetur diversa, ac proinde potest imponi mutuatario ratione mutui citra iniuriam.

9 Et licet hæc secunda conclusio, probabilis appareat ex dictis, non iudico improbabilem contrariam, quam docent. Azorius, *p.*3. *lib.*5. *c.*7. *q.*10. Bartth à S. Faustn, *q.*38. *dictu disp.*16. *n.*3. cum Navarro, *in Manuali, c.*17. *n.*209. & Lopez, *p.*2. *instruct. Confess. c.*55. Ratio, quæ huic favet sententiæ, est: quia mutuans, vi mutui obligationem ex iustitia, seu civilem, super mutuatarium inducit, quæ pretio, æstimabilis est, & longè est maior, quàm obligatio ex sola Charitate, aot alia ex virtute, quæ iustitia non sit. Ergo vsuram committit, cum vltra sortem ratione mutui, aliquid accipiat tanquam civiliter, vel ex iustitia debitum, quod in omnium sententia vsura est.

10 Sed respondetur, quod licet obligatio superaddita ex pacto in to initio mutuationis, civilis sit, & ex iustitia, ac proinde pretio æstimabilis, non sufficit ad constituendam vsurarium illam exigentem: cum, quia illa non tam cedit in vtilitatem exigentis, quam promittẽtis. Vndè pretium illud non percipit mutuator, sed potius mutuatarius. Tum, quia hæc obligatio superaddita, medium indicatur necessarium ad prioris obligationis executionem, quam absque culpa omittere non potest mutuatarius. Et hac de causa non censetur nova illa obligatione gravari. Tum tandem, quia si licitè intendere potest mutuator sub pacto, vt mutuatarius desistat ab iniuria, quam sibi aut alteri homini volebat inferre, quare illicitum eidem mutuanti erit exigere vt abstineat ab iniuria vitturi, & Deo ipso irrogandi?

11 Sed petes. Estne idem dicendum de exactione obligationis antidoralis, seu ex gratitudine. Vulgò *galardon, remuneracion, o recompensacion, agradecimiento?* Quæ quidem obligatio ex virtute gratitudinis nascitur.

Affirmant penes Palaum, *puncto* 14. *n.*4. Adrianus *de Restitutione Vsura*, §. *Sed contra*, Angelus, *verbo Vsura* 1. *n.*4. Maior *in* 4. *dist.*15. *q.*28. *alias* 29. *ad* 1. Almainus *ibid. q.*2. & favere ait Navarro, *in Manuali, c.*17. *n.*225. & Covarr. *l.*3. *variar. c.*1. *à n.*2. quatenus dicunt, posse compelli mutuatarium ex vi mutui, ad exequenda, quæ ex gratitudine renetur, modo mutuans expresserit se nolle aliam obligationem inducere quàm ex gratitudine.

12 Fundamentum huius sententiæ est. Quia obligatio ex gratitudine esto non sit ita stricta, ac obligatio ex iustitia, & Charitate, vera obligatio est, & quæ arctat virum probum. Ergo sicut ex vi mutui potest quis exigere executionem obligationis ex iustitia, Charitate, & Religione, ita potest exigere executionem obligationis ex gratitudine. Et omnium ratio est, quia nihil exigit, quod non sit à mutuatario debitum, & mutuatario onerosum: & consequenter, quod pretij rationem habere possit, quod vltra sortem exigat mutuator, Sed pro veriori sententia sit.

CONCLVSIO III.

13 VSuratius est, qui dum mutuat, mutuatario ex vi mutui, executionem obligationis ex virtute gratitudinis ortæ, iniungit.

Hanc tenent D. Thom. 2. 2. *q.*78. *art.*2. *ad* 2. in explicatione secundi modi recompensandi beneficium; scilicet ex debito amicitiæ: de quo dicit. *Et tali debito non competit civilis obligatio, per quam inducitur quadam necessitas. vt non spontanea recompensatio fiat.* Caietanus *ibidem*, dicens. *Ecce quod manifestè dicit, quod non potest in civilem obligationem deduci naturalis obligatio ad antidorn, de qua loquitur.* Castrus Palaus, *dicto punct.*14. *n.*5. cum eisdem D. Tho. Caiet. allegatis, Aragone *ibi*, Salonio, *controv.*2. & 3. Toleto *l.*5. *c.*29. Petro Navarra, *de restitutione c.*2. *dub.*4. *n.*239. Molina, *tract.*2. *disp.*308. & 310. Rebello, 2. *p. de obligationib. iust. l.*8. *q.*4. *n.*14 Paulu Layman, *in Summa l.*3. *sect.*5. *tract.*4. *c.*16. *n.*4. Ioanne de Salas innumeros referente, *de Vsuris, dub.* 9. *n.*2. & Lessio, *de Iustitia, l.*2. *c.*20. *dubit.*8. *circa finem.* Pax Iordanus, *tom.*2. *de re beneficiaria, l.*10. *tit.*11. *n.*172.

14 Probatur conclusio, quia obligatio ex gratitudine, seu antidoralis, quam ex amicitia appellat D. Thom. *vbi proximè*, rarò, vel nunquam ita stricta est vt aliquo opere determinato exequenda sit, cùm possit mutuatarius mutui beneficium, multis remunerari modis, vti Palaus ex Ioãne de Medina, *de restit. q.*1. *de rebus per vsuram acquisitis, loco recensito*, dicit. Sed obligatio, quæ ex pacto, & conventione procedit, semper opus spectat determinatum. Ergo ex vi mutui citra vsuram non potest, qui mutuat mutuatarium obligare vt gratitudinis exequatur obligationem, quia illum obligatet ad id, quod obligatus non est.

15 Nec valet dicere ex vi mutui non obligare ad rem aliquam determinatam exequendam, sed ad se gratum ostendendum signo, quod sibi placuerit.

Non inquam valet. Quia hæc obligatio à conventionibus, & pactis est aliena. Et quamvis institui possit; vi tamen mutui exigi non licet: quia remunerationem ex decentia, & honestate debitam, redderet mutuator debitam ex iustitia.

16 Sed obijcies. Mutuator potest licitè id, quod ex Charitate, vel ex virtute Religionis mutuatarius debet debitum civiliter, & ex iustitia reddere, vti ex conclusione 2. constat. Ergo idem efficere benè valet de eo, quod ex honestate, decentia, amicitia, & gratitudine mutuatarius debet.

17 Concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitatem reddo. Quia esto, quod ex Charitate, vel Religione debetur, debitum ex iustitia reddatur, hoc ideo est, quia secunda obligatio assumitur tanquam medium necessarium, ad prioris obligationis executionem, quam absque culpa omittere nequit mutuatarius, & ob hanc causam non censetur, secunda superaddita obligatione gravari. At verò, quia mutuatatius sine culpa, omittere potest executionem obligationis ex gratitudine multum valdè gravaretur, si nova obligatione ex iustitia adstringeretur ad exequendam priorem, quod quidem gravamen materia vsuræ est.

18 Ita Palaus, qui benè addit, repugnare omninò obligationem iustitiæ, quæ ex pacto, & conventione oritur, cum obligatione antidorali, & ex decentia, & honestate. Quia hæc obligatio ex liberalitate procedit, quæ debitum ex iustitia excludit. Qui enim dat aliquid ex necessitate, donare non dicitur. Glossa, *in l. Rem legatam ff. de alimentis legatis.*

19 Libuit pro maiore intelligentia dictorum, Pacem Iordanum, *n.* 173. recensere. Pro cuius rei notitia (inquit) advertendum est, quod qui v.gr. recipit mutuum ab aliquo, obligatur ad duo: nimirum primo, lege iustitiæ, ad tantumdem mutuanti restituendum: 2. lege gratitudinis obligatur ad mutuandum, seu alias beneficiendum eidem mutuanti. Sed ista obligatio, quæ dicitur antidoralis, id est ad remunerationem, non parit actionem, licet debitor, non satisfaciens, efficiatur ingratus. Quare si obligatio huiusmodi antidoralis deducatur in pactum, debet fieri tali modo, vt semper maneat in propriis terminis suis; hoc est quod sit in facultate debitoris obligationem adimplere, vel non: alias si obligetur præcisè, & absolutè, transiret in pactum iustitiæ, & fieret Simoniacum, vel Vsurarium. Et hoc est, quod intendunt Doctores in hac materia. Hactenus ille.

DVBIVM VII.

An sit Vsurarius, qui mutuat ad adquirendam amicitiam, tanquam medium ad lucrum, quod ex amicitia spectat?

BREVIARIVM.

Amicitia.

Pretio non est æstimabilis, n. 2.

Vsura.

Amicitiam in pactum deducere tanquam mutui principalem finem, vsurarium non est, n. 1. 2.

Neque intendere lucrum tanquam finem principalem mutui, & minus principaliter amicitiam, tanquam medium ad lucrum consequendum, n. 3.

CONCLVSIO I.

1 QVi mutuat, vt consequatur mutuatarij amicitiam, hanc intendens tanquam finem principalem mutui, seu principaliter intentum, Vsurarius non est.

Ita docent Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 20. dub. 5. num.* 39. Bussembaum, *in Medulla Theologia, lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 7. num.* 4. cum Lugo Cardin. *de Iust. disput.* 25. Gordonus, *in Theologia Morali, tom. 1. lib. 4. quæst. 6. cap. 7. num. 13. versic. Denique*, cum Soto, *de Iust. lib. 6. quæst. 1. art. 2.* Covarruuia, *lib. 3. variarum, cap. 1. num. 2.* Coma, *in Directorio Curatorum, c. 17. versic. quanto à lo primero.*

2 Probatur conclusio. Quia amicitia non est pretio æstimabilis. Ergo sine vsuræ labe potest deduci in pactum, & conventionem.

CONCLVSIO II.

3 VSurarius non est, qui principaliter, seu tanquam finem principalem intendens lucrum, mutuat, amicitiam secundario, & minus principaliter intendit tanquam medium ad lucrum consequendum.

Hanc conclusionem tenent Gordonus, *vbi proximè*, cum eisdem Soto, & Covarruuia, *in locis allegatis.* Lessius, *dicto num. 39. & 40.* Et alij quam plurimi. Ab vlteriori duarum istarum conclusionum abstineo probatione, quia probata vtraque manet, *dubio secundo, & tertio*, sub diversis titulis tamen, ab his, qui in præsenti vna, & altera proponitur.

DVBIVM VIII.
Incidens.

An Simoniacus sit, qui principaliter intendens Beneficium Ecclesiasticum, & minus principaliter tanquam medium, amicitiam collatoris, aut alterius penes eum potentis mutuat?

BREVIARIVM.

Obligatio.

Antidoralis, quæ ex virtute nascitur gratitudinis non est propriè obligatio, nec pretio æstimabilis, n. 4.

Simonia.

Est voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum, n. 2.

De iure divino solum est prohibita quando intervenit temporale pro pretio, n. 5.

Simoniacus est, qui cum intentione mutuat, & spe obtinendi beneficium à mutuatario tanquam mutui pretium: seu tanquam debitum civiliter, & ex iustitia, n. 1. 2.

Non est Simoniacus, qui mutuat cum intentione obtinendi beneficium à mutuatario, ex obligatione tantum antidorali, n. 3.

Simonia non est deducere in pactum in obligatione antidorali, quod tacitè inest, vel à Iure permittitur; secus quando obligationi naturali, obligatio civilis additur, n. 1.

Simoniacus non est, qui Episcopo servit gratis, ea intentione, etiam principali, vt ab eo beneficium obtineat, non vt servitij pretium, sed ex benevolentia ex servitio causata, n. 4.

Neque qui beneficium confert, hoc expresso, quod ea collatio sit in remunerationem, & ad tollendam obligationem antidoralem, n. 4.

Vsura.

Deducere in pactum obligationem antidoralem in mutuo, modo civilis non addatur, vsura non est, n. 1.

CONCLVSIO I.

SI Beneficium mutuator spectet à mutuatario obtinendum, tanquam pretium mutui, seu tanquam civiliter, & ex iustitia *vi mutui* debitum, Simoniacus erit.

Hanc colligo conclusionem ex Iacobo Gordono, *tom. 1. d. 4. q. 6. cap. 8. n. 14.* Palao. *part. 2. tract. 32.*

disp. 4. *puncto* 11. *n.*2. expressè illam tenet Lessius, *de Iust. lib.* 2. *cap.*20. *dub.*9. *num.*64. Pax Iordanus, *tom.*2. *de re beneficiaria, lib.*10. *tit.*21. *num.* 172. & 173. apertè illam tenet. Priori enim loco sic ait. Similiter in obligatione antidorali, deducere in pactum; quod tacitè inest, vel à Iure permittitur, non est Simonia. Abbas post Glossam, *in cap. olim,p. n.*6. *de Restitutione spoliatorum.* Felinus, *in cap. Ad audientiam* L.o.2.*n.*10. *de Rescriptis.* Vbi exemplificat in eo, qui deducit in pactum naturalem obligationem antidoralem eo modo, quo debitor erat obligatus; secus quando alio modo conveniretur v. gr. si adderetur civilis obligatio prædictæ naturali. Quare ad evitandam Simoniam, vel vsuram, in huiusmodi conventionibus, opus erit exprimere, quod per conventionem non censeatur alterata ipsa obligatio antidoralis; alioquin, protestatione omissa, induceretur Simonia, vel Vsura. Ita concordando Doctores in hac materia, docet Covarruuia, *variar. lib.* 1. *cap.*20. *n.*4. *in fine,* & *lib.*3. *c.*2. *num.*5. *versic. Tertio tamen, ad medium,* Lessius attestans de Communi, pluribus citatis, *l.*2. *cap.*20. *dub.*8. *in principio, & in fine, per totum*, & sic pariter intelligendus erit Bonacina, *dicta q.* 6. (*scilicet de Simonia*) *n.*7. & alij in hoc particulari. Hæc vsque Iordanus, *n.*172. & *n.*173. quæ ad finem exscripsi dubij 7. Tenet etiam Palaus, *n.*3. Bussembaum, *in Medulla, lib.*3. *tract.*5. *c.*3. *dub.*7. *num.*6. Sa, *verbo Simonia, n.*1. Anton. de Escobar, & Mendoza, *in Morali Theologia, tract.*6. *examine* 2. *c.*3. *n.*29. ibi. Munus denique.

2 Ratio conclusionis est. Quia Simoniam committit, qui pro Beneficio Ecclesiastico rem pretio æstimabilem præstat. Simonia enim est, vt illam definit Bussembaum *in Medulla, l.*3. *tract.*1. *cap.*2. *dub.*3. *in principio*, ex D. Thom. 2.2. *q.*100. *art.*1. Layman. *l.*1. *tract.*10. *c.*8. Bauny *in Praxi Beneficiorum, disp.*16. *q.*29. *ad finem.* Voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali, aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Sed in nostro conclusionis casu mutuator præstat pretium temporale pro spirituali annexo. Ergo Simoniam committit.

CONCLVSIO II.

3 SI mutuator speret à mutuatario Beneficium non tanquam debitum civiliter, & ex iustitia, sed ex amicitia, gratitudine, & ex antidorali tantum obligatione, non est Simoniacus.

Istam tenent Lessius, *dub.* 9. *num.* 64. Palaus, *num.*3. Pax Iordonus *locis allegatis.* Sà, *verbo Simonia, n.*1. Sanchez, *tom.*1. *Opusculorum, l.*2. *cap.*3. *dub.*8. *num.*7. & 8. quem recensent, & sequuntur Diana, *part.*4. *tract.*4. *resol.*151. *versic. Et idem.* & Noctinot, *verbo Simonia, n* 5. Ipse Diana, *p.*1. *tr.*8. *resol.*61. *versic. Sed licet.* cum Maldero, 2.2. *tr.*5. *cap.*3. *dub.*6. Escobar, *vbi suprà.*

4 Verba Sanchez recensita à Diana libuit hîc reddere, quia veram intelligentiam conclusionis nostræ demonstrant, & istius veritatem fulciunt. Ipsi alij consonant. Servire Episcopo intendendo vt conferat beneficium, non tanquam pretium servitij, sed ex gratia, & ex benevolentia causata ex servitio, non est Simonia. Et licet aliqui limitent, modo non intendat servire principaliter ob beneficium, at verius est etiam hoc casu non esse Simoniam, si non vt pretium intendatur. Immò licet valdè scrupulosum sit, & suspicione Simoniæ non careat, si quis serviat Episcopo gratis, eo quod speret ab ipso beneficium; at si non speret vt mercedem servitij, sed gratis, & ex benevolentia, licet principaliter speret beneficium, non est Simonia. Et licet aliqui dicant esse Simoniam si detur beneficium ad exonerandum se ab obligatione antidorali, seu quæ oritur tantum ex virtute gratitudinis: vt si Prælatus det alicui beneficium, hoc expresso, quod ea collatio sit in remunerationem, & ad tollendam obligationem, qua antidorale debitum tenebatur, at verius est, non esse Simoniam, sed licitum: quia debitum antidorale, non est propriè debitum, nec pecunia æstimabile Ita apud Dianam, *dicta, resol.* 151. doctissimus Sanchez.

Probatur breviter conclusio. Quia Simonia Iure Divino prohibita (de hac enim procedit principaliter dubium) tunc solùm committitur, quando datur, seu intervenit aliquod pretio æstimabile tanquam pretium spiritualis. Sed in nostro casu mutuum non præstat mutuator tanquam pretium beneficij. Ergo vitium Simoniæ non committit. 5

DVBIVM IX.

An Vsurarius sit, qui mutuat eo animo, vt ex vi mutui compensationem sibi debitam accipiat?

BREVIARIVM.

Compensatio.

Vnicuique licita est, cessante Scandalo, etiam si medio mutuo intendatur, n.1. & seqq.

Debitor.

Si in conventione terminus assignatus pro solutione non fuerit, quamprimum a creditore fuerit petita, fieri debet: & illo ex tunc, in mora culpabili constituitur cum obligatione restituendi lucrum cessans, & damnum emergens, n.8.

Vsura.

Vsurarius non est, qui ad recuperandum, quod alias sibi debetur mutuat, à n.1.

Neque, qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius sibi conficiat instrumentum, ratione cuius in foro exteriori, illum possit ad solvendum compellere, quod in conscientia debebat foro, n.4.

In hoc essentialiter vsura consistit, quod ex mutuo aliquid vltra rem mutuatam, tanquam civiliter, & ex iustitia debitum, seu tanquam pretium exigatur, seu expectetur, n.5.

CONCLVSIO.

NOn est verè Vsurarius, qui ad recuperanda, 6
quæ sibi aliàs debentur, mutuat, ita vt ratione mutui, vltra sortem expectet aliàs sibi debitum.

Hanc conclusionem tenet Petr. Martyr. Coma, *in Directorio Curator. cap.*17. *versic. Lo ad querido.* Bussembaum, *in Medulla, lib.*3. *tract.*5. *cap.*3. *resol.*7. cum Bonacina, *disput.*3. *q.*3. *punct.*3. *num.* 15. Azotio, Reginaldo, & aliis. Barbosa, *in can. Ab illo exigere vsuras el fin.* 14. *q.*4 vbi sic *num.* 8. Ex quibus iam facilè deducitur intellectus ad sententiam D. Ambrosij, in præsenti (Canon enim

ille

ille desumptus ex Mediolanensi Præsule; hoc enim intendit, vt cum his licita sit vsura, & eiusdem vsuræ exactio cum quibus ins est belli, id est, quod cum ex parte illius, pro quo stat belli iustitia, detur ad recuperanda bona in bello deperdita, & iniustè ab infidelibus capta, ex consequenti datur ius vsuræ: & sic per hoc medium possit eadem bona sic recuperare. Est enim verissima, tam nostrorum, quàm Theologorum sententia posse illum, cui res iniustè aufertur, eandem propria authoritate recuperare cessante scandalo, vt in specie sic intelligentes concludunt Paulus Lancelottus, & Covarruvia, *citatis locis*, (Paulus scilicet *lib. Regul. Iuris Canonici*, *fol.* 24. & Covarr. *in Regul. Peccatum, par.* 2. §. 9. *n.* 3. *&* 4.) post alios, quos referunt.

2 Nec in proposito dicenda est vsura propria, iure naturali prohibita, immò potiùs impropria, compensatoria, & licita: cum fidelis recipiens lucrum ab infideli vltra sortem, non recipiat ratione mutui principaliter, sed potius ratione interesse, *& in vim compensationis*. Ita intelligunt præter alios, additio ad Paulum Lancelott. *dicto loco* Covarruvias *lib.* 3. *Variar. cap.* 1. *n.* 7. Spin. *in Speculo testam. Gloss.* 13. *Rubr.* 1. *num.* 8. Perez *l.* 3. *versic. Sed videtur, tit.* 2. *lib.* 8. *ordin. pag.* 49. Mex. *in tract. tassa panis, concl.* 2. *n.* 69. *vers. Nec prædictis*, & plures alij ex citatis à Cenedo *ad Decretum, collect.* 3. *num.* 2. Ioannes Valetus *de Differentiis, inter vtrumque forum, verbo Vsura differentia* 11. *versic. Præterea non obstat*. Hactenùs August. Barbosa.

3 Tenet etiam conclusionem Coma *in Directorio, cap.* 17. *versic. Lo adquirido cieato*, ita ait. *Lo adquirido per Vsuras se ha de restituir à la mesma persona, que las ha pagado, sino seles debiesse por otra via. Como aora, si vno no podiese sacar de su deudor diez ducados, que le debe prestandole ciento, lo puede obligar aque le pague diez mas: y en tal caso no es obligado a restituir semejante demasia, por que ya por otra via era suya: ni menos el contrato es vsurario, la hora que no es contra la igualdad de la Iusticia.* Hactenùs Elnensis Episcopus. Rota *in Romana exequutionis laudis*, 2. *Decembris*, 1613. *coram Vbaldo, versic. Tum quia verba, la* 490. apud Farinacium *tom.* 2. *Decisionum Selectarum, pag. mihi* 472. ibi. Vnde arbitri illam quantitatem voluerunt solvi pro recompensatione quadam, quæ non est vsura. Bartbolus *in l.* 1. *num.* 33. *Cod. de Summ. Trin.* cum aliis per Mantic. *de Tacitis, & Ambiguis lib.* 8. *tit.* 25. *n.* 19.

Favet nobis Caspensis *in Cursu Theologico to.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 4. *n.* 32. quatenùs docet, non esse vsuram obligare mutuatarium ex vi mutui, vt instrumentum conficiat, vel quid simile, ratione cuius possit in foro exteriori ad solvendum, quod aliàs in conscientia debebat compelli. Quia obligatio civilis in mutuo superaddita obligationi conscientiæ, quæ strictior est, non censetur diversa: vnde imponi potest mutuatario ratione mutui, absque illius iniuria. Immò expressè conclusionem idem tenet eodem numero.

4 Ratio fundamentalis conclusionis nostræ desumitur ex essentia, & natura vsuræ: hæc enim essentialiter consistit in hoc, quod ex mutuo tanquam pretium illius, seu tanquam debitum civiliter, & ex iustitia, aliquid vltra sortem, hoc est citra rem mutuo datam, exigatur, aut spectetur. Sed qui mutuat decem, ea lege, vt mutuatarius illi solvat vltra decem illa, alia decem, quæ ex iustitia aliàs illi debebat, & compensare tenebatur, nihil recipit ex mutuo tanquam pretium, & ratione illius ciuiliter, & ex iustitia debitum, sed ex alia diuersa causa, putà, quia illa decem furto, aut rapina antea abstulerat; quia damnum mutuatario in ea quantitate intulerat; vel quia illa ab eo mutuo acceperat, & solvere renuit. Ergo, qui mutuat eo animo vt recuperet, quod aliàs sibi ex iustitia debetur, esto illud in pactum deducat, vsurarius non est.

Duas tamen exigit conditiones Caspensis ad honestatem istius mutuationis. *Prima* est, vt mutuator non petat à mutuatario vt ante tempus debitum solvat. Quia aliàs gravamen ei inferret, pretio æstimabile, ad quod mutuatarius non tenebatur neque in iustitia, neque in conscientia, ac proindè vsuram admitteret. 5

Secunda est, quod debitum liquidum sit, & certum. Quia si dubium, dubio procul, vsura est illud ex mutuo exigere, & expectare, siquidem ex vi mutui reportaretur lucrum pretio æstimabile: condonatio scilicet iuris, quod mutuatarius circa id debitum prætendere posset. 6

Quod si petas, quodnam sit tempus, in quo debitor teneatur debita solvere? Dico, quod si illud non fuerit per conventionem assignatum, quam primum à creditore fuerit solutio petita, debet illa fieri, à debitore, ita vt ex illo tunc constituatur in mora culpabili cum onere restitutionis lucri cessantis, & damni emergentis, dummodò ad impotentiam non devenerit. Docent Caspensis *vbi proximè, sect.* 1. *n.* 1. & alij. In casu præfixionis termini, adnotat Caspensis *leg.* 2. *tit.* 1. *par.* 3. *Iuris Regni Castellæ*; sic decernentem: *Y debesele de dar el plazo, que pusieren entre si, quando la cosa fue prestada. Y si el plazo no fue puesto, debesele dar voluntad.* (suple a voluntad) *del queia presto, diez dias despues, que fue prestada.* 7

DVBIVM X.

An Vsurarius sit, qui ratione mutui, à mutuatario exigit, ne illi, aut alteri noceat, aut vexet?

BREVIARIVM.

Amicitia.

Non est pretio æstimabilis, n. 3.

Vexatio.

Cuilibet iniustam vexationem redimere licet, numero 6.

Vsura.

Ex vi mutui exigere, ne mutuatarius noceat, aut vexet, si iustè vexare possit, vsura est, n. 1. 2.

Secùs si mutuetur ad comparandam amicitiam, vt in istius vim, vexatio condonetur, n. 3.

Vsura non est intendere ex vi mutui, & exigere à mutuatario, ne iniustè vexet, n. 4. 5. 6.

CONCLVSIO I.

SI nocumentum, aut vexationem iustè potest mutuatarius præstare, Vsurarius erit, qui ex vi mutui extorserit, ne mutuatarius noceat, aut vexet.

Hanc tenent Lessius, *de Iust. lib.2. capit.*20. *dubit.*7. *num.*48. Ludovicus Caspensis, *tom.* 2. *tract.* 19. *disput.* 3. *sect.* 4. *num.* 35. cum Molina *disput.* 307. Azorius, *part.*3. *lib.*5. *cap.*7. *quæst.*10. *in fine.* Gordonus, *tom.*1. *lib.*4. *quæst.*6. *dubit.*2. *capitu* 8. *num.* 15.

2 Probatur conclusio. Quia ius illud, quod mutuatarius habet ad exigendam restitutionem, debitam pœnam, aut viodictam, est pecunia æstimabile, sicut ipsa satisfactiu, restitutio, pœna, & vindicta. Ergo nequit mutuator absque vsurâ ex vi mutui expectare, vel extorquere ne mutuatarius exigat satisfactionem, restitutionem, pœnam, & vindictam iuste ab eodem mutuatore debitam.

3 Consulto diximus: *ex vi mutui.* Quia si in vim amicitiæ, quam ex mutuo, licite comparare bene mutuator potest, bene etiam quibit citra omnem vsuram intendere, imo & in pactum deducere condonationem satisfactionis, restitutionis, pœnæ, & vindictæ, vti docent Lessius, Gordonus, & alij. Et ratio in promptu est. Quia amicitia, vti dictum est *dub.* 8. & 9. cum pretio æstimabilis non sit, sine vsura comparari ex vi mutui potest, & ex vi amicitiæ comparari potest etiam sine vsura aliud pretio æstimabile: immo & spirituale citra simoniam. Hæc namque consistit in hoc, quod temporale detur, aut intendatur, pro spirituali, tanquam pretium istius: Vsura, in hoc, quod lucrum tanquam mutui pretium interueniat, aut in re, aut in spe.

CONCLVSIO II.

4 Vsurarius non est, qui ex vi mutui exigit à mutuatario condonationem iniustæ vexationis, qualis est iniustæ satisfactionis exactio, aut privata vindicta.

Istam asserunt Lessius, *dicta dubitat.*7. *num.*47. dicens, Licitum est tibi mutuare alteri euin pacto, vt privatam vindictam tibi condonet. Gordonus *dicto, num.*15. Caspensis, *num.*33. *in fine.* Azorius, *Vbi supra.* Palaus, *tom.*2. *tract.*32. *dis.*4 *punct.*14. *num.*3. dicens cum Rebello *part.*2. *de obligationibus iustit. lib.*8. *quæst.*4. *num.*9. & communi sententia, licitum tibi esse, mutuum concedere, sub ea conditione, vt mutuatarius ab iniuria tibi, vel alteri inferenda desistat: quia nihil petit indebitum. Coma *in directorio, cap.*17. §.2. *versic. Item paraque sea.*

5 Probatur conclusio *primò*: quia sic mutuans, nihil lucratur: cum mutuatarius spontè teneatur à tali exactione cessare: tùm in conscientia, tum etiam in iustitia.

Secundò. Quia quilibet licitè queit iniustam
6 vexationem sibi imminentem repellere, redimere. Ergo, qui pro illius redemptione mutuat, Vsurarius non est. Nihil enim ex mutuo recipit, quod sibi in conscientia non debeatur, & in iustitia.

DVBIVM XI.

An sit Vsurarius mutuator, si mutuatarium obliget in omni eventu ad tantundem reddendum in quantitate formali, & materiali, nulla valoris rei habita ratione?

BREVIARIVM.

Dominium.

In contractu mutui, rei mutuata dominium, in mutuatarium transfertur, n. 10.

Sed solùm pro mutui tempore, n. 11. 17.

In commodato, rei commodata dominium in commodatarium non transfertur, sed eadem numero restituenda est, n. 11.

Moneta.

Qui certò scit brevi minuendum eius valorem, licitè illam valore tunc currente expendere potest, debita solvendo, census, & quacumque bona emendo, num. 27.

Si aliud contractus tempore non exprimatur, solùm attenditur moneta secundùm valorem, & æstimationem, quam tempore habet contractus, num. 6. & 14.

Moneta valor, in extrinseca æstimatione, à Principe, vel à Republica dependente consistit, non vero in pondere, n. 19.

Alia vide verbo Mutuum.

Mutuum.

Qui tempore mutui non convenit cum mutuatario de reddenda re in eadem materia, obligare illum non potest, vt in eadem solvat, sed in valore, n. 5. & 6.

Quia in communi sensu, excessum æstimationis materia remittit, n. 7. 15.

Limita in casu, quo tempus sit transactum, & mutuatarius constitutus in mora. Tuncenim in eadem materia solvere debet, sive illi increscat, aut decrescat valor, n. 17.

Si in contractu mutuator obligationem imponat, vt mutuatarius monetam in eadem reddat specie, seu materia, v. g. argentea, nihil aliud exprimendo, debet restitui non solum valor, sed materia; non tamen incrementum valoris si id evenerit, numero 20.

Si verò deduxit in pactum, vt solveret monetam, non solùm quoad materiam, & valorem, sed quoad quantitatem materialem in numero, & pondere, in quocumque eventu, licet crescat in valore, obligavit illum sine vsura, vt omnem materialem reddat quantitatem, n. 21.

Si tamen in hoc casu decrescat moneta valor, non tenebitur mutuatarius eundem reddere valorem, quem tempore habebat mutui, sed easdem pecunias numero, pondere, & mensura, n. 22.

Limita in casu, quo mutuator pecuniam illam esset apud se habiturus vsque ad tempus in quo in valore crevit, n. 23.

Qui scit valorem moneta esse minuendum ante solutionis tempus, licitè potest absolutè illam mutuare, vt postea idem valor ei reddatur, in maiore moneta quantitate, n. 24.

Quan

Quantitas.

Rei quantitas, alia materialis, quæ in numero pondere, & mensura consistit; alia formalis, quæ in valore solum consistit, n. 1.

Restitutio.

Nihil ratione lucri cessantis, aut damni emergentis reddi debet, nisi expressè, aut implicitè fuerit in pactum deductum, aut debitor fuerit in mora, num. 9.

Valor.

Precipuus frumenti, vini, & olei, & similium, in propria eorum substantia, & corpore consistit, & per consequens in eorum quantitate, & mensura, num. 19.

Venditor.

Merces suas pretio currenti vendere potest, etiamsi sciat brevissimo tempore futurum, multò minus valituras, n. 24. 25.

Vitium rei venditæ emptori dicere tenetur, numero 25.

Vsura.

Qui tempore mutui, mutuatarium obligat, vt soluat rem mutuatam eandem in valore, & in materia Vsurarius, non est, n. 2. 3.

Vsurarius est, qui æream mutuat pecuniam, vt argentea reddatur, & qui argenteam, vt aurea, num. 4.

1 PRo dubij resolutione suppono, quantitatem materialem rei, consistere in numero, pondere, & mensura; formalem verò, solùm in valore, qui potest idem esse in monetis, quantitate materiali variata. Exemp. gr. minor quantitas auri, argenti, aut æris in numero, & pondere habere eundem potest valorem, si accrescat monetæ valor ex Principis voluntate. Ita Caspensis infrà allegandus.

Difficultas igitur est, an si quis alicui mutuet, v. gr. centum scuta aurea, possit illum obligare in omni eventu, vt ei reddat non solùm valorem illum, quam habebant illa 100. scuta mutuationis tempore, sed etiam eandem quantitatem numero, & pondere, & eiusdem omnino rationis, ac erat illa, quam mutuavit?

CONCLVSIO I.

2 ABsque vsuræ culpa potest qui mutuat, obligare tempore mutuationis mutuatarium; vt rem solvat mutuatam, non solùm eandem in valore, sed in eadem materia in qua mutuum accipit. Vt si mutuavit certam quantitatem pecuniæ in argento, potest ea lege illam mutuare, vt mutuatarius non solum eundem reddat valorem, sed vt in eadem materia argenti reddat.

Hanc tenet Ludovicus Caspensis *tom*, 1. *tr.* 19. *de Contractibus, disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 3. cum communi Doctorum. Bussembaum *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 17. ibi: nisi aliter conventum sit Sotus *de Iust. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 1. penes Lessium *dub.* 17. *num.* 144.

3 Et ratio est. Quia mutuator nullam motuatario iniuriam facit cum solum illum obliget, vt eandem rem, & eiusdem qualitatis, quam accepit, quæ sibi vtilior est, quàm idem valor in alia viliori materia, ratione minoris ponderis, & maioris vtilitatis ad contractus, & ad illius vsum, ac proinde maioris æstimationis: vnde in Castellæ Regnis octo regales argentei, vulgò *vno de ocho*, tanti æstimantur, quanti quatuordecim monetæ æreæ, & non tarò, pluris. Ergo vsuram non committit, qui in principio ea lege mutuat. Patet consequentia, quia vbi iniuria, & inæqualitas non est, & lucrum non accrescit ex mutuo, non datur vsura.

4 Ex quo infero cum dicto Caspense, Vsurarium esse qui eo pacto pecuniam æream mutuaret, vt mutuatarius redderet argenteam, vel auream. Quia plus exigeret, quàm mutuaret: minùs enim pondus, & maior vtilitas monetæ argenteæ & aureæ pluris æstimantur.

CONCLVSIO II.

5 SI mutuator non convenit cum mutuatario in principio mutui, quod redderet in eadem materia debitum, sed simpliciter mutuavit, v. gr. quinquaginta, vt tantundem redderet, non potest mutoatarium obligare vt reddat quinquaginta in quantitate materiali, sed in quantitate formali, esto mutuaverit monetam argenteam, vel auream, & post mutuationem illa creverit in valore.

Hanc tenent Bussembaum *in Medulla Theolog. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 17. Caspensis *loco allegato, nu.* 39. cum Molina *tomo* 2. *de Iustitia, disp.* 312.

6 Et ratio est, quia in contractu mutui, & in alio quolibet, si aliud non exprimatur, pecunia solum attenditur secundùm valorem, & æstimationem, quam tempore contractus habet, iuxta communem vsum. Ergo mutuatarius siue post mutuum crescat, aut decrescat in valore pecunia, solum tenetur eundem reddere valorem, quem habebat tempore contractus, in quacumque monetæ materia, quamuis inferioris sit conditionis, & ordinis, si in ipso non fuit cautum contractu, & conventum, vt in eodem materia, eundem redderet valorem.

7 Nec obstat, quod in contractu mutui fiat mentio, quam mutuatarius mutuo accepit centum scuta aurea, vel mille regales argenteos, & quod se obligat ad ea reddenda. Quia nisi in contractu dicatur quod se obligat ad illa reddenda in eodem valore, & materia, iuxta communem vsum sensus est, quod obligatur solum ad reddendum eundem valorem, ad quem attenditur iuxta consuetudinem, & communem sensum. Eundem inquam valorem, quem illa 100. scuta aurea, vel 100. regales argentei tempore contractus mutui habebant.

8 Nec valet dicere. Mutuator, si pecunia illa crescat in valore, privatur illo pecuniæ incremento, quod haberet, si eam apud se retineret. Ergo saltem ratione lucri cessantis potest obligari mutuatarius, vt incrementum valoris solvat.

9 Non inquam valet, *primò*, quia nihil potest accipi pro lucro cessante, aut damno emergente, nisi id expresse, aut virtualiter, seu implicite deductum fuerit in pactum, vel mutuatarius sit in mora solvendi, vti ex dictis, *dub.* 4. & 5. Sed neutrum istorum contingit in præsenti casu. Ergo in eo non tenetur mutuatarius ad reddendum mutuatori, ratione lucri cessantis, incrementum valoris intentum in obiectione.

10 *Secundò*, quia si pecuniæ valor decreuisset, postquam transit in dominium mutuatarij, teneretur mutuatarins mutuanti reddere eundem valorem, quem mutui tempore accepit. Ergo pari ratione, si valor pecuniæ accreuit post mutuum, non teneretur mutuatarius reddere mutuanti incrementum

mentum valoris. Patet consequentia, quia sic, & non aliter servatur æqualitas. Vel dici debet, quod si valor decrescat, non teneatur mutuatarius ad reddendum valorem, quem accepit tempore mutui. Sed hoc non est dicendum. Ergo neque quod teneatur ad reddendum incrementum.

11 Vtrumque probatur à priori. Quia in mutuo, non solum mutuatario datur vsus rei mutuatæ, sed etiam dominium eius pro tempore mutui: in hoc enim differt mutuum, à commodato, vti benè Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 27. dubit. 1. num. 4.* quod per commodati contractum non transfertur dominium in commodatarium: & eadem numero res commodata debet restitui: quæ potest esse mobilis, & immobilis; per mutui verò contractum, transfertur dominium rei in mutuatarium, & diversa numero restituenda est: solúmque mutuantur res mobiles, quæ numero, pondere, & mensura constant. Ex eo igitur, quod transfertur per mutuum rei mutuatæ dominium in mutuatarium, fit, vt si valor illius crescat, mutuatario crescat; & si decrescat, eidem decrescat tanquam vnico domino; etsi tandem pereat illi, illi solum, & non mutuatori pereat.

12 Nec valet si dicatur, in mutuo, esto res eadem numero reddenda non sit, debet tamen eiusdem esse qualitatis, & rationis. Ergo qui mutuo accepit pecuniam auream, vel argenteam, debet illam reddere non solùm in valore, sed in materia auri, vel argenti. Patet consequentia, quia aliàs non redderet rem eiusdem qualitatis, & rationis.

13 Confirmatur, quia non solum moneta ærea, v. gr. reddita pro aurea, vel argentea, est diversæ qualitatis, sed etiam minoris æstimationis. Ergo non reddit mutuatarius tantundem quàm accepit. Et per consequens citra omnem vsuram obligari potest, vt reddat monetam mutuatam, non solùm in valore, sed etiam in materia:

14 Respondetur ad argumentum, quod quando in contractu mutui non fit mentio obligationis reddendi mutuum in eadem materia, censetur reddi res eiusdem rationis, & qualitatis, dummodò reddatur moneta eiusdem valoris, quamvis sit diversæ materiæ. Quia in contractu mutui, & similibus, solum attenditur ad valorem quando fit pecuniæ mentio, non verò ad materiam, nisi aliud in conventione declaretur.

15 Ad confirmationem respondeo cum Caspensi, verum esse æream monetam non esse tantæ æstimationis, sicut aurea, vel argentea; qui verò absolutè mutuat, & non obligat mutuatarium, vt debitum reddat in eadem materia, eo ipso, iuxta communem sensum remittit illi excessum æstimationis, & valoris, quem illa supra æream habet moneta. Ac per consequens, nequit, post contractum mutui initum, mutuatarium obligare, vt in eadem materia debitum reddat.

16 Si tamen intentio mutuatoris fuerit, vt in eadē materia debitum redderetur, esto id in pactum non deduxerit, aut mentem verbis expresserit suam, ait Caspensis, posse in foro conscientiæ mutuatarium obligare, non solum vt valorem reddat, sed materiam, quamvis in foro exteriori id non possit. Ego autem multum de veritate huius doctrinæ dubito, supposita remissione facta iuxta communem sensum, quam idem testatur Author. Ducor I. quia cum declaratio intentionis, post contractum à mutuatore facta, sit in sui favorem, & in præiudicium mutuatarij, non capio cur iste illi fidem adhibere debeat: maximè attento præfato communi sensu. *Secundò*, quia si sufficeret, quod mutuator diceret, in ea fuisse intentione, vix daretur casus, in quo mutuatarius non teneretur reddere debitum in materia, simul ac valore.

Consultò diximus, dari in mutui contractu, 17
dominium rei mutuatario, *pro tempore mutui.* Quia transacto tempore, quo res fuit mutuo data, si mutuatarius sit in mora constitutus culpabili solvendi, non censetur habere dominium pecuniæ mutuatæ, quia illud solum habet pro tempore mutui. In quo quidem casu verum est, quod teneatur mutuatarius debitum solvere in materia, sive ista creverit, sive decreverit in valore, quia patit & perit domino, cum illius sit incommodum, cuius est commodum.

Nec valet denique dicere. Qui mutuavit ali- 18
quas mensuras tritici, vel vini, aut olei, & similium, decem, v. g. transacto tempore mutui easdem decem debet mutuatarius integrè solvere mensuras, esto post mutuum mensura decreverit, & minor effecta fuerit. Caspensis, Gordonus *tom. 1. lib. 4. q. 6. cap. 9. n. 23.* Hispanè loquendo, *si Pedro presto à Iuan vna cantara de vino, que tenia ocho azumbres sin sisar, siantes de la paga se sisa, no cumple con pagar Iuan vna cantara sisada, que es la que corre al tiempo de la paga, sino que la debe bolver sin sisa, como la recivio.* Idem dicendum, si in valore crescat, aut decrescat vinum, triticum, &c. quod in eadem scilicet quantitate, & mensura reddi debeat res mutuata. Ergo similiter si post mutuum centum scutorum aureorum, istorum valor crescat, centum integrè in materia ipsa solvi debent, & non solùm in valore, quem tempore mutui habebam.

Ad hoc argumentum, concesso antecedente, 19
nego consequentiam, cum Lessio *lib. 2. de Iustit. cap. 20. dub. 17. n. 151.* Caspense, & Bussembaum *locis allegatis.* Ratio disparitatis est, quia valor præcipuus frumenti, vini, olei, &c. in eorum substantia, & corpore, ac per consequens in quantitate, & mensura consistit non autem in pretio accidentali: non enim petitur mutuum frumenti, propter frumenti pretium, sed propter eius substantiam, & quantitatem, & sic de aliis; at verò monetæ valor, in quantitate, & pondere non consistit, sed in extrinseca æstimatione, dependente ex Principis, aut Reipublicæ institutione. Non nego tamen, quod mutuator, quando frumentum v. gr. mutuat, possit etiam habere rationem pretij illius: in quo casu aliter philosophandum est, vti dubio sequenti videbimus ad finem conclusionis 4.

CONCLVSIO III.

SI quis mutuavit pecuniam auream, vel argen- 10
team cum pacto vt sibi redderetur non solùm valor, sed etiam eadem auri, aut argenti materia, & nihil aliud verbis expressit, tenetur mutuatarius non solum valorem illi reddere, sed etiam materiam, non tamen tenetur reddere incrementum valoris, si forte illud contigerit in pecunia aurea, vel argentea mutuata.

Istam tenent conclusionem Caspensis, *tom. 2. tract. 19. disp. 3. sect. 5. num. 43.*

Veritas conclusionis ex prædictis patet. Prima quidem illius pars, ex prima conclusione, in qua diximus posse mutuatorem in principio mutui obligare mutuatarium ad solvendum debitum,

non

non solum in valore, quem tempore mutui habebat, sed etiam in eadem materia.

Secunda verò ex eo fit manifesta, quod pecuniæ dominium, pro tempore mutui, penes mutuatarium est, non autem penes mutuatorem, & ideò mutuatario non mutuatori accrescit, & decrescit, & perit.

CONCLVSIO IV.

21 SI mutuans deduxit in pactum, vt non solùm mutuatarius teneretur reddere monetam quoad valorem, & materiam, sed etiam quoad excessum valoris, & quantitatem materialem in numero, & pondere in quocumque eventu, licet crescat in valore, potest obligare mutuatarium, vt reddat valorem, & materialem excessum, & omnem materialem quantitatem, absque vsuræ peccato.

Sic docet Caspensis *vbi proximè*, *num.*44. cum Molina *tom.* 1. *de Iust. disput.*312. & Navarro *in Manuali, cap.*17. *n* 294.

Et ratio est. Quia in casu conclusionis cessat lucrum excessum valoris, quod haberet mutuator, si pecuniam apud se retineret, illam non mutuando, sicut poterat. Ergo ratione lucri cessantis potest obligare mutuatarium, absque vsura, vt non solum valorem reddat, sed etiam numerum, & quantitatem monetarum, quas mutuavit, si hoc deduxit in pactum cum mutuatario.

22 Advertit tamen, & benè Caspensis, quod in hoc casu, si decrescat valor monetæ, non tenebitur mutuatarius eundem valorem reddere, quem habebat tempore mutui, sed sufficere, quod reddat easdem pecunias, numero, pondere, & mensura. Tum, quia pactum fuit, de reddendis illis, numero, pondere, & mensura in quocumque eventu. Tum etiam, quia sicut mutuatario non accrescit, sed mutuanti, ita nec decrescere debet, sed mutuatori.

23 Limita tamen conclusionem ad casum, quo mutuator esset habiturus apud se pecuniam, quam mutuavit, vsque ad tempus illud, in quo crevit in valore. Quia si illam fuisset consumpturus ante illud tempus, non potest in foro conscientiæ à mutuatario excessum exigere valoris, & eandem quantitatem materialem in numero, & pondere, quam mutuavit, sed solum valorem, quem tempore habebat mutui. Et ratio in promptu est, quia in hoc casu cessat titulus lucri cessantis.

24 Quod si petas, *Poteritne, qui scit valorem pecuniæ esse minuendum ante tempus solutionis, sine vsura, & licitè mutuare pecuniam absolutè vt postea idem valor rei reddatur in maiore quantitate monetæ?*

Respondeo, quod sine vsura, & licitè id potest. Ratio est, quia huiusmodi lucrum non provenit ex mutuo, sed ex causa extrinseca, & per accidens, ex qua etiam provenire poterat, quod cresceret moneta mutuatario: sicut ex sententia D.Thomæ 2.2. *q* 77. *art.*3. *ad* 4. potest quis vendere iusto pretio currente merces suas, quamvis sciat brevissimo tempore futurum; vt vilescant, & multò minus valituras, si illas apud se retineret; ex abundantia mercium eiusdem generis superventura: hoc enim est ab extrinseco, & per accidens, quia etiam potuerunt crescere in pretio. Et ita docet Caspensis *n.*45.

25 Sed vt probabilitas responsionis, magis pateat, libuit Angelicum Præceptorem recensere. Inquirit in illo articulo. *Vtrùm venditor teneatur dicere vitium rei venditæ?* Et pro parte negativa hoc posito argumento: si aliquis teneatur dicere defectum rei venditæ, hoc non est nisi vt minuatur de pretio: sed quandoque diminueretur de pretio etiam absque vitio rei venditæ propter aliquid aliud, puta, si venditor deferens triticum ad locum vbi est carentia frumenti, sciat multos posse venire, qui deferant: quod si sciretur ab ementibus, minus pretium darent. Huiusmodi autem non oportet dicere venditorem, vt videtur. Ergo pari ratione, nec vitium rei venditæ. Sic respondet.

Ad quartum dicendum, quod vitium rei facit 26
rem in præsenti esse minoris valoris, quàm videatur; sed in casu præmisso in futurum res spectatur esse minoris valoris per superventum negociatorum, qui ab ementibus ignorantur. Vnde venditor, qui vendit rem secundùm pretium, quod invenit, non videtur contra iustitiam facere, si quod futurum est, non exponat: si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex iustitiæ debito. Hæc omnia D. Thom.

Sed obiicies. Si mutuator non mutuaret pecuniam, sed illam apud se conservaret, sibi decresceret, ita vt haberet minus pecuniæ, quàm antea habebat. Ergo si posteà idem valor ei redditur à mutuatario, quem tempore habebat mutui, portabit mutuator lucrum ex mutuo. Et per consequens Vsurarius ille erit.

Respondeo cum Caspense, lucrum illo casu non provenire ex mutuo, sed per accidens ex causa extrinseca, ex æstimatione scilicet dependente ex Principis, aut Reipublicæ institutione.

Ex dictis fit, licitè posse illum, qui certo scit 27
brevi minuendum monetæ valorem, illam, valore tunc currente, expendere, emendo census annuos, v. gr. & bona quæcumque mobilia, immobilia, & se moventia, & redditus à se venditos redimendo, & debita quæcumque solvendo. Ratio est, quia nullam in hoc facit iniustitiam contrahentibus, cum pecuniam in suo vero valore, iuxta præsentem iustitiam, reddat: quod autem paulò post ille decrescat, per accidens, & ab extrinseco proveniet, à Principis scilicet voluntate, in Pragmatica Sanctione intimata. Ad quod nemo tenetur ex iustitia attendere, sed benè potest suo iure vti, & monetis suis, in commerciis benè sibi visis, & illas mutuare, reddendas posteà in maiore quantitate: quia quando quis scit notitia particulari, & privata (sententia, & verbis Caspensis *sect.* 6. *num.* 25. vtor) esse minuendum valorem monetæ, adhuc supposita tali notitia, censetur hoc per accidens evenire: quia quandiù non est promulgata Lex, potest mutari Decretum, & potest crescere in valore, sicut decrescere. Et quidem hoc corollarium infert Palaus *part.*2. *tract.*32. *disp.*4. *punct.*13. *num.*9. cum Salas *tract. de Vsuris, dub.*25. *circa finem.* Nam in hoc pacto (inquit) nihil vis recipere vltra sortem, sed potius vis, vt sors integra tibi reddatur.

DVBIVM XII.

An sit Vsurarius, qui frumentum, aut quid aliud, cuius quantitas in mensura consistit, cum pacto, vt restituatur in eadem quantitate, etiamsi pretium tempore solutionis creverit mutuat?

BREVIARIVM.

Iniuris.

Non sit ab eo, qui iure vtitur suo, n. 1.

Moneta.

Ab alys differe rebus: quia in ea primariò spectatur pretium; in alijs, ipsa materia, n. 10.

Mutuum.

Si tempore mutui, solutionis tempus non fuit assignatum, licet mutuatori rem exigere mutuatam, triticum v. g. tempore, quo plus valet, si antea non impedierit solutionem fieri, n. 1.

Si fuis in principio tempus solutionis præfixum, & tunc æquè dubium est plus, minúsve valituram rem mutuatam tempore solutionis, quam mutui æstimatur tempore, licitum est pacisci, vt tantundem reddatur in eadem specie, pondere, & mensura, etiamsi pretium augeatur, sive mutuator illam esset servaturus, sive non, n. 2.

Si moraliter sit certum, vel probabilius, tempore solutionis, plus valiturum, si mutuator illud esset vsque ad id tempus servaturus, licitè potest tantundem in specie, pondere, & mensura exigere, cum tribus conditionibus, n. 4.

I. *Vt mutuator non adimat à mutuatario libertatem antea solvendi, si voluerit.* II. *Quod si mutuator servaturus rem vsque ad tempus solutionis facturus erat sumptus in illa custodienda, & conservanda, tantum de quantitate rei detrahatur, quantum sumptus illi mereantur.* III. *Vt si res mutuata periculo subiaceat corruptionis vsque ad solutionis tempus, tantum de rei quantitate detrahatur, quantum prudentium iudicio, ratione periculi detrahi debeat, loci, & temporis circunstantiis attentis*, n. 5.

Si moraliter sit certum, vel probabilius, rem tempore solutionis pluris valituram, quam tempore mutui, probabile est non licere mutuatori, tantundem rei mutuatæ recipere in specie, pondere, & mensura; si tamen tempus præfigatur solutionis, in quo nec antea, nec post, fieri possit, num. 6.

Probabile etiam est licere, si non adimatur mutuatario libertas antea solvendi, n. 7. 9.

Si post mutuum frumenti, v. g. valor decrescat, non tenetur mutuatarius amplius reddere in quantitate, & mensura, quam accepit, nisi aliter initio fueris conventum, n. 11.

Si aliter fuerit conventum, purum mutuum non fuit, sed contractus venditionis, n. 11.

Vbi adest frumenti taxa, licitè potest quis in quolibet anni tempore, in quo ad taxam frumenti pervenit pretium, illud mutuo dare, sub ea lege, vt tantundem ei à mutuatario mense reddatur Maij, num. 12.

Vsura.

Qui rem non est servaturus vsque ad maioris valoris tempus, si illam mutuat præfigendo indefinitè tempus, quo plus valebit, & non aliquod determinatum, in sententia probabili, vsurarius non est; probabilius tamen talis probatur, n. 13. 14. 15.

Vsuram committit, qui credita pecunia, frumentum, quod non erat servaturus, pretio vendit, quod tempore solutionis pecunia habebit, quo creditur plus valiturum, n. 15.

CONCLVSIO I.

SI tempus solutionis non fuit tempore mutui statutum, licet mutuatori exigere rem mutuatam, quando videt illud, v. g. triticum, vinum, oleum, &c. plus valere, absque labe vsuræ. 1

Hanc tenet Caspensis mox citandus *num.* 50. Barth à S. Fausto *in Speculo Confessar. disput.* 16. *quæst.* 55. *num.* 1. cum Soto *de Iustit. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. & Navarro *cap.* 17. *num.* 225. idem Barth. *quæst.* 57. *dicto* 6. *& quæst.* 68. *num.* 2. Ioan. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 5. cum hac tamen limitatione, & conditione, quod mutuator non impedierit, antea fieri solutionem, si mutuatarius prius solvere voluisset. Qua supposita limitatione, probatur conclusio. Quia mutuatarius in hoc casu sibi imputare debet, quod non solverit, cum commodè potuerit. Et quia mutuator, cum non sit assignata certa dies, ius habet, & facultatem rem mutuatam, cum primum sibi placuerit repetendi: qui autem iure vtitur suo, nulli facit iniuriam.

CONCLVSIO II.

SI certum tempus solutionis statuatur dum fit mutuum, & tunc æquè dubium est plus, minúsve valiturum frumentum, aut aliud, quod mutuo datur, tempore solutionis, quam æstimatur mutuationis tempore, vsura non est, sed licitum deducere in pactum, vt tantum reddatur in eadem specie, & mensura: & illud exigere etiam, si pretium augeatur. 2

Ita docent Azorius *vbi proximè* à S. Fausto *dicto* 6. *quæst.* 68. *num.* 3. (qui addit: *sive mutuans sit rem servaturus, sive non.*) Caspensis *in Cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 19. *disput.* 3. *sect.* 6. *n.* 47. cum Molina *de Iustit. tom.* 2. *disput.* 311. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 17. *num.* 145. cum Soto *eod. tract. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. dicente, in mutuo semper posse exigi eandem mensuram, seu idem pondus rerum: quia in mutuo spectatur proportio, seu æqualitas corporum, quæ mutuantur, non pretiorum. Si enim (inquit) pretiorum æqualitas spectetur, esset potius emptio, & venditio, quàm mutuum. Quam Soti doctrinam, in casu nostræ conclusionis veram esse ait Lessius. Eandem Soti sententiam tenet Bussembaum *in Medulla Theologiæ, lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 18. & pro nostra etiam est Gordonus *to.* 1. *lib.* 4. *q.* 6. *cap.* 9. *n.* 32. *versic. Primò, si æquè dubium.* cum Covarr. *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 6. Medina *Cod. de reb. restit. q.* 38. §. *Est itaque.* Angelo *verb. Vsura* 1. §. 16. Sylv. *verb. eod. q.* 14.

Probatur conclusio. Quia in illius casu æqualis est vtriusque contrahentis conditio. Sicut enim potest lucrari mutuator, ita amittere, & perdere: & mutuatarius idem periculum subiit. Vnde si mutuator lucrum percipiat, non provenit ex 3

mutui

mutui obligatione (quasi illud supra sortem exigatur ex pacto) sed per accidens, & casu fortuito, eo quod res tempore redditionis facta sit maioris æstimationis. Et veram esse conclusionem, in casu etiam, quo mutuator triticum, aut rem aliam mutuatam non esset servaturus vsque ad id tempus, quo reddenda est in illo maiore pretio, docet Caspensis.

Probarut etiam conclusio ex *cap. In civilitate tua, el 6. de Vsuris*, ibi: nisi dubium sit, *ex cap. Naviganti, el fin. eod. tit.* vbi ita Gregor. IX. ille quoque qui dat decem solidos, vt aliis tempore, totidem, sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus, solutionis tempore fuerint valituræ verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc vsurarius reputari.

CONCLVSIO III.

* SI est moraliter certum, vel saltem probabilius tempore solutionis plus valituram rem mutuatam, si illam mutuator erat servaturus vsque ad id tempus, potest sine vsura petere, vt tantundem in eadem specie, & mensuræ à mutuatario reddatur.

Ita docent Azorius *dicta q. 5*. Caspensis *sect. 6. num. 49*. Lessius *dubit. 17. num. 153*. & penes eum *n. 154*. Sotus *lib. 6. q. 1. art. 2*. & Molina *disp. 211*. & Bussembaum *dicto num. 18*. absolutè docentes posse mutuatorem citra iniustitiam exigere parem mensuram, in casu adhuc conclusionis sequentis. Conclusionem etiam tenet Gordonus *vbi proximè versic. Si verò*: & allegar Covar. Medin. Angel. & Sylv. *locis ibi recensitis*. Palaus *par. 2. tract. 32. disput. 4. punct. 13. n. 5*. cum Navarr. *cap. 17. n. 219*. Petro Navarra *lib. 3. de Restit. 2. par. cap. 2. dub. 5*. Rebello *2. par. de Obligat. inst. lib. 8. n. 1*. & Salas *tract. de Vsuris, dub. 24. num. 1*. à S. Fausto *q. 68. num. 4*.

Ad minus conclusio nostra vera est, ratione lucri cessantis, quod mutuator patitur. Quia si ille rem suam apud se retineret vsque ad illud tempus eundem valorem haberet, quem à mutuatario exigit. Non est ergo privandus illo augmento, & incremento valoris accidentalis ratione beneficij mutui, quando tale lucrum cessans deducitur in pactum saltem implicitè, vti contingit in casu præsenti.

5 Aliquæ tamen conditiones assignantur à Doctoribus ad omnimodam istius sententiæ iustificationem. *Prima* est, vt mutuator non adimat mutuatario libertatem solvendi antea, si voluerit. *Secunda* est, quod si mutuator servaturus rem mutuatam, vsque ad tempus pro solutione assignatum; facturus erat sumptus aliquos in illa custodienda; aut conservanda, tantum de rei ipsius detrahatur quantitate, & mensura quantum sumptus illi mereantur. *Tertia*, vt si res mutuata periculo corruptionis subiacebat, vsque ad dictum solutionis tempus, de eadem rei mensura, & quantitate, tantum detrahatur, quantum prudentum iudicio ratione, dicti periculi, detrahi debeat, attentis circunstantiis, loci, & temporis, maximè eo, quod communiter evenire solet in illo loco. *Communiter* notanter dixi: quia si considerata loci, & temporis circunstantia, præfata rei corruptio frequenter non contingat, sed rarò, non censetur res periculo subiacere corruptionis, vti benè Caspens. advertit.

CONCLVSIO IV.

SI moraliter est certum, vel probabilius, rem tempore solutionis præfixo pluris valituram, quàm tempore valet mutuationis, probabile est, non posse mutuatorem, citra vsuram petere, vt tantundem rei mutuatæ à mutuatario reddatur in eadem scilicet specie, quantitate, & mensura. Probabile etiam est contrarium, dummodò non adimatur mutuatario libertas antea solvendi, si velit. 8

Hanc conclusionem, quoad primam eius partem, tenent à S. Fausto *q. 68. num. 4*. cum Salone *2. 2. q. 78. art. 2*. Medina, *Cod. de Restitut. q. 38*. Molina, *disput. 311*. Azorius *ead. quæst. 5*. cum Angelo *verbo Vsura 1. num. 36. & 76*. Tabiena, *eodem verbo, 15. num. 5. & 6*. cum Navarro, *in Manuali, cap. 17. num. 219. & 224*. Gabriele *in 4. distinct. 5. quæst. 11. art. 2*. & Medina, *de Rebus restituendis quæst. 3. §. Est itaque in summa, in 2. & 3. corollario*. Et ipse Tabiena, vti refert Azorius, allegar Ritanam, Raynerium, Abbatem, & B. Antoninum. Caspensis, *sect. 6. num. 50. circa finem*. Lessius, *dub. 17. num. 152*. Vbi hoc ponit exemplum. Si decem modij, qui nunc valent 20. aureis, restituendi sint eo tempore, quo valebunt 25. non potest exigere vt restituantur decem. Ratio est, quia non potest pacisci, vt aliquid reddatur vltra id, quod æquivalet rei tuæ. Decem autem modij, tempore redditionis pluris valebunt, quàm res tua; quam modo tradis.

Quæ quidem ratio fundamentalis est (si in Contractu attendatur principaliter ad rei valorem, non verò ad ipsam rem, & eius quantitatem. Et si ad valorem, in casu quo rem non esset servaturus mutuator: Quia si servaturus, vt illam venderet, vel insumeret in tempore assignato, aliter dicendum est.) quia reportaretur lucrum ex mutuo, si certum sit, vt supponitur, tempore solutionis rem pluris esse valituram, & consequenter, non se exponit mutuator periculo decrementi valoris.

Adnotanda tamen venit Caspensis doctrina, quæ bene limitat conclusionem, ad casum, quo tempus præfigatur pro solutionis termino, ita vt mutuatarius nequeat ante illud, neque post solvere, sed in illo determinato. Nam si aliquis (inquit) mutuaret triticum ea lege, vt assignaret pro termino vltra quem non possit differri solutio, tempus determinatum, licet in tali tempore esset certum plus esse valiturum, posset tamen antea solvere si vellet, rectè posset mutuans petere triticum in mense Maij, in quo plus valet, ob prædictam rationem: quia vtitur iure suo, & exponitur periculo detrimenti. Poterat enim mutuatarius antea solvere. Hæc Author allegatus, cuius placitum valde mihi plausibile est. Quia vti ipse dicit, poterat mutuatarius, si vellet, in tempore, quo minus res valeret debitum solvere: & si non soluit, sibi imputet, non autem mutuatori, qui in prædicto casu exponitur tam incommodo, quàm commodo. 7

Et in hoc sensu intelligo Gordonum, *tom. 1. lib. 4. q. 6. cap. 9. num. 23*. dicentem. Consentiunt porrò esse vsuram, si mutuans deducat in pactum, vt mutuatarius non reddat mutuum ante tempus maioris valoris: vel reddat quando mutuans petierit, etiamsi maiorem habeat valorem:

vel si mutuatario volente solvere ante pretij incrementum, mutuans impediendo solutionem se abscondat, aut metum vim, vel fraudem adhibeat. Ita citati Molina (*disp.* 311.) Sylvester (v. *vsura q.*14.) Angelus (*eod. v.*1.§.36.) Antoninus Salas, & alij. Hæc Gordonus. Ei consonat à S. Fausto, *disp.*16. *q.* 55. *num.*2. & sic probat. Ratio est, quia cum debitor illud tempus expectare non teneatur, mutuans prohibens, vel impediens, ne tunc solvat, privat illum iure suo, nocétque illum cum iniuria. Ergo peccat contra iustitiam.

8 Secundam partem conclusionis probat ista Caspensis doctrina, quam etiam tenent Sotus, *lib.*6. *quæst.* 1. *art.*2. & Molina, *disput.* 311. relati à Lessio, *num.* 154. de qua sic fatur. Hæc sententia probabilis est, si non erat certum, pretium fore augendum: vel si mutuans constituerat rem servare, aut erat adhuc anceps; alioquin si constabat pretium augendum, & constituerat rem consumere, aut alienare ante illud tempus, non video quo iure posse æqualem mensuram repetere: hoc enim est manifestè aliquid lucrari supra æstimationem sortis, ex pactione mutui. Hactenus Lessius.

9 Probat etiam illam Bussembaum, *in Medulla Theologiæ lib.*3. *tract.*5. *cap.*3. *dub.*7. *num.*18. qui absolutè, & nulla facta mentione libertatis, quam mutuatarius habet solvendi ante præfixum terminum, & quod si debeat imputare, si ante non solverit, ita fatur. At verò in frumentis, *&c.* spectatur ipsa materia: quia non petitur mutuum frumentorum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus, & substantiam. Ergo & si crescat pretium illius, potest repetere (mutuator scilicet) tot mensuras, quot dedit mutuo. Hæc ille.

10 Consonat Lessius *n.* 151. vbi ait. Alia est ratio nummorum, alia frumenti, & rerum similium. In nummis enim non spectatur nisi pretium: vnde non debet restitui nisi pretium æquale; in aliis rebus, primario spectatur ipsa materia: nemo enim petit mutuo frumentum propter pretium frumenti, sed propter ipsum corpus, & substantiam eius.

11 Vnde infero, quod si post mutui contractum, frumenti, aut alterius rei mutuatæ, ex his de quibus in Dubij titulo, valor decrescat, non teneatur mutuatarius reddere amplius in quantitate, & mensura, quam recepit à mutuatore; nisi aliter initio mutui conventum sit. Ita Lessius *n.* 50. cum Soto *loco allegato* contra Petr. Navarra *de Restit. lib.*3. *cap.*2. *à num.*252. Et ratio est, quia in contractu mutui ita receptum est, vt mutuatarius non censeatur obligatus, nisi ad reddendam rem similem specie, & parum bonitate, & mensura: (nisi ratione mutuationis pretij aliter sit conventum) hæc enim est conditio puri mutui, cui nulla implicitè emptio, aut venditio miscetur. Vnde Azotius *dicto cap.*7. *quæsito* 7. rogat, *An quando timeo frumentum, vel oleum minus valiturum, possim licitè mutuare Caio, vt reddat mihi iuxta pretium quod nunc æstimatur?* Respondeo: si revera huiusmodi contractus sit mutuum, illicitum est pactum; at verò si sit contractus venditionis, tunc licitum est pactum, quia venditur frumentum, vel oleum pretio præsente, & currente, & differtur solutio pretij ad futurum tempus.

Consultò additum est: *nisi aliter conventum sit.* Quia vti idem Lessius *ibi, & n.* 151. & si ratione mutui non spectetur æqualitas pretiorum, sed bonitatis naturalis, & mensuræ; tamen si mutuator velit, potest dum mutuat rationem etiam pretij habere: & si non fecit sibi id, imputare debet. Bart. à S. Fausto *q.*68. *n.*5. Lessium sequens ait, quod etiamsi mutuans non esset rem servaturus, si illam dat tempore quo 10. aurea valet, potest pacisci vt tempore solutionis, non solùm reddatur in quantitate eadem, sed in dupla, si in duplo, valor rei crevit.

CONCLVSIO V.

IN Regno in quo est frumenti taxa, potest quis 12
absque vsuræ labe, in quolibet anni tempore, in quo frumenti pretium ad taxam pervenit, frumentum mutuo dare sub eo pacto, & lege, vt tantundem ei à mutuatario reddatur Mense Maij, aut alio quidem antecedente novorum fructuum collectionem.

Probatur Conclusio. Quia in mense, pro termino solutionis assignato, non potest frumēti crescere pretium, cum eadem sit taxa pro illo, & pro contractus mutui tempore: ac proindè, mutuator nullum potest reportare incrementum, aut lucrum ex eo, quod quilibet alio determinato tempore vsque ad messem, sibi triticum mutuatum reddatur. Et ita docet Caspensis *tom.*2. *disp.*3. *sect.*6. *n.*53.

CONCLVSIO VI.

IS, qui rem non est servaturus, vsque ad tem- 13
pus maioris valoris, si illam mutuet præfigendo indefinitè tempus, quo plus valebit, & non aliquod determinatum, immunis est ab Vsuræ crimine in sententia probabili. In sententia tamen probabiliori reus dicti delicti probatur.

Pro prima parte conclusionis allegat Iacobus Gordonus *to.*1. *lib.*4. *quæst.*6. *cap* 9. *n.*24. Toletum *lib...cap.* 34. §. 3. Reginaldum *libro* 25. *cap.* 10. *num.* 185. & suppressis nominibus, alios plures: Pro qua addere possumus, quos pro secunda parte quartæ conclusionis recensuimus. Ipsam probabilem, ipse pronunciat Gordonus. Fundamentum huius sententiæ est, quia liberum ante tempus illud solvere mutuatario fuit, & si non soluit, sibi imputare id debet. Hæc sententia probabilis mihi est, non tam per principium hoc intrinsecum, quàm per extrinsecum: authoritatem scilicet Doctorum illam tuentium. Primum enim, ni fallor, vti videbimus, debilitate magna laborat.

Pro secunda verò adest Glossa *in cap. fin. de* 14
Vsuris, verbo Dubitatur, sic inferentem. Ergo si certum esset, quod tempore solutionis, plus valerent, Vsurarius est censendus. Azorius *parte* 3. *libro* 5. *capite* 7. *quæst.* 5. & alij, ex eo redditi ad primam partem conclusionis 4. Caspensis, *tomo* 1. *tract.*19. *disput.*3. *sect.* 6. *num.* 50. *ad finem.* Lessius *de Iustitia, libro* 2. *cap.* 20. *dub.*17. *num.* 152. quorum sententia magis vrget in terminis, quàm illius conclusionis. Quia addita conditione, & pacto de solvendo debitum tempore maioris, in vim pacti, quocumque tempore mutuatarius sortem reddat principalem, solvere debet augmentum, seu incrementum valoris, illo cognito. Et huic quidem lucro, aliud fundamentum, quamvis mutui assignari non potest. Gordonus, *vbi proximè*, cum Salas.

Deinde

15 Deindè probatur à paritate. Vsuram committit, qui credita pecunia frumentum, quod non erat servaturus vendit pretio, quod habebit tempore solutionis pecuniæ, quo tempore creditur plus valiturum. Ergo etiam committit vsuram si mutuet frumentum, vt solvatur in eadem mensura, eo tempore, quo plus valebit: quia incrementum supra sortem, non est nisi ratione spectatæ solutionis, & vi mutui.

16 Nec valet dicere, in mutuo tritici non esse præfixum terminum solutionis. Non inquam valet, quia quamvis id ita sit, tamen hypothesis est, rem pluris valituram in termino solutionis, quicumque ille sit.

17 Et non est eadem omnino ratio in casu istius conclusionis, ac quartæ. I. Quia in præsenti, data hypothesi, non exponitur mutuator periculo decrementi valoris rei, sed incrementum infallibiliter expectat; & verò in casu quartæ conclusionis, esto supponatur moraliter certum incrementum valoris rei, adhuc tamen frustrari benè potest spes, & contingere, quod decrescat valor, sicuti non raro experimur. II. Quia in casu quartæ conclusionis relinquitur mutuatario omnimoda libertas, ad solvendum debitum, quamprimum voluerit; in præsenti autem, adstringi videtur, ad non reddendam rem, vsque ad tempus maioris valoris: & si reddiderit sortem, teneatur solvere incrementum futurum tempore, quo pluris æstimetur. III. Quia in præsenti supponitur mutuatorem non servaturum rem ad tempus majoris valoris; in quarta verò supponitur servaturum illam.

DVBIVM XIII.

An sit Vsurarius, qui quando frumentum, aut oleum, vel quid simile carius est, illud dat pretio currente, vt postea reddat frumentum, vel oleum iuxta pretium, quo tempore contractus æstimabatur? v. gr. Frumenti modium Mense Maij æstimatur decem regalibus, An dari possit ea lege, vt mense Augusti, in quo quinque regalibus æstimabitur, quantitatem 10. regalium in frumento reddat, & sic duplum, quod recepit?

BREVIARIVM.

Vsura.

Qui rem dat quando carius venditur. v.gr. triticum mense May, ea lege, vt Mense Augusti reddat iuxta Maij pretium, esto Mense Augusti 5. valeat, quod mense May 10. valuit, vsuram non committit, quamvis duplum in quantitate recipiat, modo liberum sit mutuatario pecuniam, vel triticum reddere, n. 1.

Contractus iste, non tam mutui, quàm venditionis est, n. 2.

CONCLVSIO.

Vsuram non committit, qui in casu Dubij propositi, rem tradit suam. Ita Navarrus, *in Manuali Hispano*, c. 27. n. 225. cum omnibus DD. *in cap. in civitate, & cap. fin. de Vsuris.* Antonin. *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 7. §. 13. Allegat etiam Navarrus n. 224. *cap. Naviganti de Vsuris*, & communem DD. Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 6. cum Conrado, *quæst.* 38. *de Contractibus, conclus.* 4. Sylvester, *verbo Vsura I. quæst.* 16. *fol. mihi* 385. cum Archidiacono, post Hugonem. Allegat etiam Azorius, D. Antoninum, *in summa part.* 2. *tr.* 1. *cap.* 7. §. 13. Caspensis, *tom.* 2. *tract.* 19. *disput.* 3. *sect.* 6. *num.* 55. cum Molina, *de Iust. tom.* 2. *disput.* 311. Bart. à S. Fausto, *in Speculo Confessarior. disput.* 16. 56. cum Salone, 2. 2. q. 78. *art.* 2. idem Bart. q. 57. *dicto* 3: qui benè limitat, modò liberum sit mutuario reddere pretium in frumento, aut in pecunia: quia obligare illum, vt non possit aliter pretium reddere quàm in frumento, (cum hæc obligatio sit pretio æstimabilis, quia potest secum afferre aliquem laborem, & difficultatem in illo frumento quærendo) esset exigere vltra iustum valorem aliquid pretio æstimabile, quod est iniustum, & vsurarium. Sic ille cum Conrado, *de Contrac.* q. 38. & Rebello, *de Obligationib. part.* 2. *lib.* 8. q. 8. & Roderiquez, *in summ. tom.* 2. *cap.* 105. *num.* 9.

Ratio est, quia qui sic tradit rem suam, intelligitur vendere illam nunc, & mutuare gratis pecuniam, quam ex pacto sibi vult reddi in frumento, tempore solutionis. Et hoc nota (ait Sylvester) quia practicatur. Hic enim contractus, vti Caspensis dicit, non per regulas mutui, sed per regulas emptionis, & venditionis examinandus est. Et addit mutuatorem vendere, quod tradit; & emere iusta solutione anticipata, quod ei mutuatarius redditurus est, in quo non mediocre beneficium ei exhibetur, cui hoc modo triticum, aut aliud simile datur. Quod eadem ratione intelligendum est, ait ipse Author, sive dicatur *Do tibi*, sive *Mutuo tibi*. Nam licet verbo mutuandi vtatur, revera est emptio anticipata solutione; Vndè non tam triticum dat, quàm pretium tritici; & illo emit triticum postea reddendum.

DVBIVM XIV.

An sit Vsurarius, qui frumentum, vel oleum vetus mutuat, vt reddatur sibi novum.

BREVIARIVM.

Vsura.

Si certo, aut probabiliter mutuator novit frumentum: V.g. novum melius, & maioris valoris futurum, si vetus mutuat, vt novum sibi reddatur, vsurarius est, n. 1.

Si vetus tandem valet de præsenti, quantum creditur novum valiturum solutionis tempore, vsura non est mutuare vetus, vt novum reddatur, n. 2.

Quod verum est, etiamsi illud mutuet, vt non corrumpatur, n. 3.

CONCLVSIO I.

1 SI certo, aut probabiliter mutuator novit Frumentum, vel Oleum nouum, melius, & maioris pretij futurum, Vsuram committit si vetus mutuet, vt nouvm sibi reddatur.

Hanc tenent D. Antoninus, *part.2. tit.1.cap.7.* §.9. infra recensendus. Navarrus, *in Manu.cap.17. num.*224. Barth. à S. Fausto, *in speculo Confessar. disp.* 16. *quæst.* 57. *dicto* 1. cum Rebello, *lib.* 8. *quæst.*8. Salone, 2.2. *quæst.* 78. *art.*2. & Soto, *de Iust.lib.6. quæst.*1. *art.*2. Bussembaum *in Medulla Theologia,lib.3. tract.*15.*cap.*3.*dub.*7. *num.*11. cum Ægidiu Trullench, *lib.*7. *cap.*19. *dub.*15. *num.*11. Palaus, *part.*2.*tract.*32.*disput.*4.*punct.*13.*num.*10. cum Salas, *tract. de Vsura, dubit.*24. *in fine, num.*4. referente Navarrum, Covarruviam, & alios & cum Molina, *de Iust. tom.* 2. *disput.* 311. *in fine.* Sylvester, *verbo Vsura*, 1. *q.*17. cum Hostiensi, Rayner, Gofredo, Ioanne de Lignano, & communi Doctorum. Caspensis, *tom.*2. *tract.*19. *disput.*3. *punct.*6.*num.*54. Azorius *part.*3.*lib.*5.*cap.*7. *q.*10. qui addit conditionem, si libertatem solvendi quando libuerit mutuatario, adimat mutuator, & obligationem restituendi novum imponat. Aliam assignat Caspensis, quod scilicet frumentum vetus periculo subiaceat corruptionis. Tertiam reddit Bussembaum, si mutuans sciat, novum fore melius, & maioris pretij. Pro eadem adest Sylvester cum Doctoribus supra ab eo allegatis, & communi. Quæ omnes in conclusione intelliguntur nostra.

Ratio conclusionis est. Quia in casu illius, mutuator ex mutuo, ratione illius precisè, commodum, & lucrum intendit, & consequitur. Ergo Vsuræ crimen committit. Vnde Vsurarius est, qui mutuat triticum semicorruptum vulgò *Gorgojado*, cum pacto vt tantundem sibi ex novo integro reddator. D. Antoninus cum Ioann. de Lignano. Barth. à S. Fausto, *dicto* 4. cum Molina, *disput.* 311.

CONCLVSIO II.

2 SI Frumentum, aut oleum, aut quid aliud vetus tantum valet de præsenti, quantum creditur valiturum nouum tempore solutionis, non est Vsurarius, qui mutuat triticum, aut oleum vetus, aut aliud simile, vt nouum ei reddatur.

Istam tenent Bossembaum, cum Trulleneh *locis citatis.* Sylvester *suprà* cum Rayn. Gofredo, & Hostiensi, Azorius *ead. quæst.*10. cum Angelo, *verbo Vsura* 4. *quæst.*79. Navarrus, *in Manuali, cap.*17.*num.*224. Palaus *loco cit.* Barth. à S. Fausto *dicto*, 2. Covar. *tom.*2.*lib.*2. *variar. cap.*3.*num.*6. *ad finem* qui addit id verum dum dubium est, an novum sit plus, vel minus valiturum quàm vetus: & quando qui dat vetus, illud esset servaturus vsque ad messem habita ratione eius, quod pluris æstimari solet novum, quàm vetus. Allegat Iasonem, *in l.cum quis, ff. si certum petatur*. D. Antoninus mox recensendus.

Ratio conclusionis est manifesta. Quia ex hoc
3 mutuo, nullum lucrum mutuatori evenit, esto rem suam ideo mutuet, vt non corrumpatur, vti benè advertunt Sylvester, Azorius à S. Fausto. D. Antoninus sic dicens. Si quis mutuat granum, vel aliud bladum ad renovandum antiquum, id est, vt novum pro veteri recipiat: si hoc facit ne suum sibi pereat, & recipienti gratiam faciat, non est vsura secundum omnes; sed si facit principaliter vt melius recipiat, Ioannes de Lignano dicit etiam tunc non esse vsuram, nisi essent circunstantiæ mentalis vsuræ: purà si credit plus valiturum: vel nisi id, quod mutuaret, esset quasi putrefactum, & parum valens. Sed tutior, & communior opinio est, quod sit Vsura, etiam sine illis exceptionibus. Quia vtile intendit ex mutuo, extra *eodem* (scilicet *titulo*) *consuluit*. Et hanc opinionem tenent, Raynerius, Gofredus, & Hostiensis, *in summa* Hæc omnia Sanctus ille Doctor, quæ pro vtraque conclusione nostra fundanda, libuit recensere.

DVBIVM XV.

An Vsurarius sit, qui mutuat frumentum pretio, quod in præsenti valet, solvendum tamen postea, v. gr. mense Maij, vel in Frumento, vel in pecunia provt mutuatori ipsi bene placuerit?

BREVIARIVM.

Vsura.

Si quis rem mutuet sibi solvendam pro suo libito in propria specie, vel in pecunia, Vsurarius est, secus si pro libito mutuatarij, n.1.

CONCLVSIO.

VSuram committit, qui rem suam mutuat, 1
sibi solvendam pro suo libito, in propria specie, vel in pecunia; secus si libertas electionis mutuatario in conventione relinquatur.

Hanc tenet conclusionem, quoad vtramque illius partem Bartholomæus à Sancto Fausto, *in speculo Confessariorum, disput.*16.*quæst.*53. Qui sic illam probat. Ratio est, quia in hoc casu, mutuans ponit se in tuto, & mutuatarium in periculo ponit: forte enim frumentum plus valebit tempore redditionis, & ita ex mutuo lucrum recipiet, si pretium nolit, & frumentum eligat. Secus tamen dicendum, si electio alternativa esset mutuatarij, cum fiat in gratiam ipsius, vt id alteri, provt maluerit, solvere possit. Ita præfatus Author.

DVBIVM XVI.

An ratione carentiæ pecuniæ, aut obligationis non repetendi sortem ante certum tempus, possit aliquid sine vsuræ labe exigi?

BREVIARIVM.

Fideiussio: Fideiubere.

Fideiubere alterius nomine ad vnum annum, pro summa aliqua, pretio est æstimabile, & licitum, esto nullum sit in debitore periculum, n. 4. 6.

Moneta

CONCLVSIO I.

1 NOn committit Vsuram, qui aliquid accipit vltra sortem, quando vltra carentiam pecuniæ, simul, ratione mutui, ei aliquod cessat lucrum, vel impendet aliquod damnum, aut aliquod probabiliter timetur periculum.

Hanc conclusionem tenet Bassæus, *tom. 1. verbo Vsura III. num.* 9. cum Molina, *de Iust. tom. 2. disp.* 308 *num.* 8. Reginaldo, *lib.* 23. *num.* 52. Fillucio, *tract.* 24. *cap.* 5. *quæst.* 5. *num.* 101. & Bonacina, *de Contract. lib. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 6.

Veritas conclusionis, quoad lucrum cessans, & damnum emergens, patet ex dictis, in propriis dubiis, *suprà, el 4. & 5.* & quoad periculum, *infra* differendum nobis est *dubio* 19.

CONCLVSIO II.

2 IMnrobabile mihi practicè saltim est, non esse Vsurarium, qui ob molestiã subortam à carentia pecuniæ, aut alterius rei mutuatæ, aliquid exigendum vltra sortem deducit in pactum.

Contra istam docet Caramuël, *in Theologia Morali, lib. 2. num.* 778. & penes eum Medina, *Cod. de Restitutione, quæst.* 32. §. *inde infertur*, & Dicastillus, *lib. 2. tract.* 10. *disput.* 2. *num.* 254. vbi in sequentia prorumpit. Vnum solum superest, sane difficile, nempe tristitia ex carentia rei, quam amabat, & de qua habita apud se delectabatur. Recentiores aliqui docti putant eam tristitiam sufficienter recompensari per solutionem rei similis conditionis...... Verum enim verò carentia illa non videtur compensari per redditionem rei; sed ex solutione rei mutuatæ iterum redit delectatio: quam delectationem si non mutuasset mutuans, & eo vsque habuisset, quo caruit, & modo etiam haberet. Ergo non satisfacit præteritæ tristitiæ per præsentem lætitiam, quia hanc etiam haberet si non mutuasset. Ideo puto posse in hoc casu aliquid vltra sortem recipere, si id à principio deduxit in pactum, & declaravit mutuatario iuxta dicta in superioribus, atque in eo eventu vera est sententia Medinæ. Hactenus Dicastillus, prout recensetur à Ioanne Caramuële, qui sic probat conclusionem.

Et verè aliqua recreatio in rebus pretiosis videndis, cur non in possidendis? Pro audienda comedia, videnda bestia, legenda fabula, datur pretium, & nemo contradicit, cur non pro videndis, habendis, possidendis optimis auri partibus. Ergo recreatio illa, quæ ex possessione pecuniarum, præcisa ab omni alio periculo est pretio æstimabilis. Ita ille.

Sed probatur primò conclusio; Quia molestia orta ex carentia pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ, non est quid extrinsecum mutuo, sed connaturaliter sequitur ad huius contractus naturam. Etenim cum in ipso essentialiter considerato fiat translatio dominij in mutuatarium, dilata in aliquod tempus satisfactione absque lucro vllo, naturaliter molestiam causat in carentia, vel exbursatione rei, vel pecuniæ mutuatæ: non enim absque molestia aliqua alienatur, quod amanter, aut voluptate possidetur naturali. Ergo nihil vltra sortem potest exigi, vel in pactum deduci dictæ molestiæ ratione, vtpote ad ipsam mutui rationem naturaliter sequutæ, & impræscindibilis ab hoc genere alienationis.

Secũdò probatur ab inconvenienti: nam ex op- 3
posita doctrina, via aperitur vsurariis, vt absque periculo quotidie aliquid vltra sortem exigant in mutuo. Quippè veredicent (maximè cum avari esse soleant) sibi molestiam obvenire ex carentia pecuniæ, quam mutuant: quia non sine dolore dimittitur, quod cum amore possidetur.

Confirmatur. Nam ex opposita sententia sequitur primò vix committi vsuram aliquam: quia semper mutuans incurrit carentiam, ac proinde molestiam ex mutuo. Semper ergo absque vsuræ labe poterit aliquid pacisci vltra sortem. *Secundò* sequitur quo quis avarior fuerit, eo plus lucri licitè consequuturum ex mutuo: quia quò magis avarus est, eo magis tristatur de alienatione pecuniæ. Hæc autem inconvenientia absurdissima sunt. Ergo & absurdum est quod ratione carentiæ aut tristitiæ deduci possit in pactum aliquid vltra sortem.

CONCLVSIO III.

PRobabile est saltem theoricè vsuram non committere, qui aliquid exigit vltra sortem eo, quod obligetur illam non repetere intra aliquod determinatum & considerabile tempus, annum v.g. aut biennium, & ratione carentiæ pecuniæ, aut alterius rei.

Pro hac assertione recensentur à Bassæo *tom. 1. verbo Vsura III. num.* 9. Ioannes de Medina, *vbi proxime*, Reginaldus, *lib.* 25. *cap.* 12. *num.* 146. Pasqualigus, *in decisionibus Moralibus, decis.* 184. & Cœlestinus, *in Compendio Theologia Moralis, tract.* 11. *cap.* 5. *quæst.* 2. Illam dubio procul tenet Læssius, *de Iust. to.* 2. *cap.* 20. *dub.* 8. *num.* 61. ibi. Verum sententia prior est tenenda; nisi in eo eventu, quo onus carendi pecunia tanto tempore, par censeretur isti obligationi ciuili. Docet & Petrus Ledesma Primarius S. Theologiæ, in Salmantina Vniversitate, toto Christiano Orbe celeberrima eximius Professor, qui *in summa, part. 2. tract.* 8. *cap.* 35. *conclus.* 4. sic ait.

La

La segunda difficultad es, quando vno presta mil ducados con obligacion de no los boluer a pedir, o por algun espacio de tiempo, si seria vsura lleuar precio. La razon de dudar es, porque si el lleuasse mas que el principal, lo lleuara por razon del emprestito. Luego vsura seria lleuarle.

Confirmase, porque siempre que ay emprestito, ay por lo menos obligacion virtual de no pedir el emprestito por algunos dias. Luego si por la obligacion de no boluerle a pedir, se puede lleuar precio, siempre se puede lleuar precio por el emprestito. Hoc est absurdum. Ergo.

A esta difficultad, se ha de responder, que si la obligacion de no lo boluer a pedir, es por mucho tiempo, se puede muy bien estimar con precio, y por razon de aquella obligacion, se puede muy bien lleuar el justo precio, sin Vsura ninguna. Esto enseñan los discipulos de Santo Thomas, porque la tal obligacion es estimable con precio.

A la razon de dudar, se responde, que en tal caso, no se lleua el dinero por el emprestito, sino por la obligacion de no lo boluer a pedir por mucho tiempo. Hactenus Ledesma.

4 Vlteriùs probatur conclusio. Fideiubere alterius nomine ad vnum annum, pro aliqua summa, pretio est æstimabile, esto nullum sit in debitore periculum. Caietanus, 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 4. Ergo mutuare cum obligatione non repetendi erit etiam pretio æstimabile. Consequentia patet, quia difficiliùs est invenire mutuatorem, quàm fideiussorem: quia, qui fideiubet, moraliter est certus se nullam pecuniam exbursaturum, & si contigerit, quod illam exburset, certus est se eam recuperaturum: immò potest eam statim repetere, & omne interesse; qui autem mutuat, iam reipsa pecuniam exbursat, & quidquid in nostro conclusionis evenerit casu, nequit ante assignatum repetere terminum: & si interim ei obvenerit interesse, non compensabitur nisi à principio fuerit deductum in pactum.

5 Deinde probatur conclusio. Licitum est aliquid exigere pro obligatione mutuandi mille regales v. gr. per vnum annum. Caiet. *loco cit.* Ergo etiam erit licitum aliquid exigere, pro obligatione non repetendi sortem mutuatam, intra vnum annum, aut terminum præfixum.

6 Nec valet dicere, disparem esse rationem in fideiussione, & obligatione mutuandi, ac est in obligatione non repetendi rem mutuatam. Quia licet omnis obligatio civilis sit pretio æstimabilis, & hac de causa aliquid exigi licitè queat pro fideiussione, & pro obligatione mutuandi; at verò quod mutuator non possit repetere sortem intra annum, aut intra aliud terminum assignatum, non est aliqua obligatio, sed liberalis suæ pecuniæ concessio (sicut contingit in donatione, vbi donator nullam subijt obligationem) quæ quidem satis benè compensatur, si ad finem termini sors reddatur.

7 Non inquam valet I. Quia non solùm datur obligatio ad actus positivos, sed etiam ad privationes actuum. Sicut me obligo ad aliquid faciendum, possum me ad non faciendum obligare: v. gr. possum promittere alicui non vti via per agrum ipsius; non vrgere debiti solutionem vsque ad hoc, illudve tempus; non egredi civitate, non vocare in ius, &c. In quibus inducitur vera obligatio ad non faciendum aliquid: contra quam si fecero, ius violabo alterius, & de damno illi secuto tenebor.

Nec refert, quod is, qui donat dicatur obligationem subire. Quia plus oneris subit, quàm si obligationem solum aliquam susciperet. Nulla enim, quoad præsens, major obligatio, quàm rem penitus à se, à principio alienare, non retento iure repetendi, Quod quidem omne, pretio æstimabile esse, nefas sit dubitare. 8

Secundò non valet. Quia dato & non concesso, quod desit obligatio in mutuatore non valente repetere sortem intra annum, aut aliud præfixum tempus, negari neutiquam potest, quin sit onus in eo novum: onus autem huiusmodi subire, pretio est æstimabile. Nam sicut contingere potest, quod is, qui fideiubet pro eo, qui maximè est solvendo, aliquod patiatur incommodum: ita contingere potest, vt is, qui mutuat cum onere non repetendi vsque ad annum v. gr. aliquod indè reportet incommodum, etiamsi de præsenti illud non appareat, experientia magistra. Non enim rarò contingit, vt qui ditissimi videntur, tales in veritate non sint, vel si verè sint, fiant repentè pauperes, vt sint solvendo per infortunium, aut occultam calumniam, vt sæpissimè in magnis emporiis contingit. 9

Denique probatur conclusio. Quia sicut aliis rebus, & oneribus aliquod potest pretium imponi: ita etiam oneri carendi propria pecunia (aut re) tanto, vel tanto tempore. Cum enim pecunia sit instrumentum negotiandi, & privare se instrumento suæ artis sit pretio æstimabile: cur non poterint mercatores carentiæ pecuniæ pretium aliquod, communi imponere consensu, præsertim si bonum commune id postulet? Quæ quidem impositio practicatur Bruxellæ: docent Doctores, & quod Carolus V. Imperator 4. *Octobris, de Anno* 1540. ordinatione sua, quæ habetur *pag.* 767. *diversarum ordinationum*, Bruxellæ edita, prohibuit exigi amplius quàm duodecim pro centum in annum: & si amplius exigatur, vsurarium declaratur. Ergo qui citra duodecim exegerit pro centum, Vsurarius non erit, dicta Carolina attenta: ac per consequens, neque qui aliquid exegerit pro carentia pecuniæ, cum pacto non repetendi intra annum, aut aliud tempus assignatum. 10

CONCLVSIO IV.

Licet doctrina istius tertiæ conclusionis satis sit probabilis per principia extrinseca, authoritatem scilicet Doctorum illam propugnantium, & per intrinseca fortè probabilior; tamen opposita, communior est, & sequenda sententia asserens, non posse vltra sortem aliquid exigi ratione carentiæ pecuniæ, si ex carentia illius nullum lucrum cessat mutuatori, nullum periculum imprudenter, aut incommodum metuitur. Hanc sequuntur Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 6. *cap.* 14. *n.* 40. *versic. Existimo.* Ludovicus Caspensis, *in Cursu Theologico, tom.* 2. *tract.* 19. *de Contractibus, disput.* 3. *sect.* 2. *num.* 16. cum Molina, *tom.* 2. *de Iust. disput.* 308. & Turriano, 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 61. *dub.* 3. Bassæus, *tom.* 1. *verbo Vsura III. num.* 9. *in fine.* Antoninus Diana, *part.* 8. *tract.* 7. *Miscellaneo, resolut.* 63. cum Cardinali de Lugo, *de Iustitia, & Iure, tom.* 2. *disput.* 25. *sect.* 3. *num.* 16. Hurtado, *eodem tract. disput.* 3. *de mutuo, difficult.* 11. & cum P. Dicastillo, *de Iust. & Iure, lib.* 2. *tract.* 10. *dubit.* 8. *per totum.* Lessius, *eodem tract. lib.* 2. *cap.* 20. *dubit.* 14. *n.* 127. 11

num. 127. Pro hac etiam recensetur à Diana, *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 48. Paulus Layman, *in Theologia Morali, lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap* 16. *num.* 8. & Salas, *de Vsuris, dubit.* 9. *num.* 12. Eundem sequitur Becanus, *de Iure, & Iust. quæst.* 78. *de Vsura quæst.* 6. Machadus, *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 5. *tract.* 8. *docum.* 8. *n.* 1. cum dicto Salas, *loco cit. dub.* 8. & Ferro Manrrique contra Dianam, *part.* 2. *quæst.* 91. *num.* 4.

12 Sententiæ in tertia conclusione recensitæ notam gravissimæ censuræ inurunt, non pauci ex Doctoribus, quos pro quarta allegavi. Novam enim, inauditam, & periculosam in fide vocant illam multi: Eminentissimus Cardinalis de Lugo, quem recenset, & sequitur Diana *resol.* 63. *citata*, falsissimam illam putat. Quia si vera esset, nullus contractus esset reipsa vsurarius, sed per accidens propter contrahentium ignorantiam, qui lucri nescierunt distinguere titulum. Re enim ipsa idem lucrum, quod illicitè ex vi mutui exigunt, licere exigere potuissent in vim obligationis superadditæ non repetendi mutuum intra tale tempus. Vnde omnes prohibitiones vsurarum inutiles essent, cum alio titulo licitè semper id fieri posset (exactio scilicèt rei pretio æstimabilis supra sortem) quod per leges divinam, & humanas fieri strictissimè prohibetur: & tota controversia de Vsuris, ad quæstionem de nomine, omnino ad forum conscientiæ inutilem, reduceretur. Omnes enim contractus, qui in hac vsuræ materia reprobantur, liciti essent in foro illo, hoc addito solum. *Nolo lucrum pro mutuo, Sed pro obligatione, qua vltra mutuum me obligo ad non repetendum illud intra tantum tempus.*

13 Ego tamen omnium minimus, tantorum DD. venia, contrariam sententiam, hanc non mereri censuram credo. Quia si ratio à Cardinali de Lugo aliquid contra eam probat, probat etiam in mutuo separari non posse aliquid ex gratitudine. Ex quo titulo posse separari aliquid vltra sortem mutuatam, communissimum est vti vidimus, *dub.* 2. 3. & 8. & docet ipse Eminentissimus Doctor, *de Iustitia, disput.* 25. Sicut enim licitum est sub hac distinctione: *Nolo lucrum pro mutuo, sed pro remuneratione, ex amicitia, & gratitudine debita, quam mutuo ipso comparo:* sic etiam est licitum, lucrum sperare sub hac distinctione: *Nolo lucrum pro mutuo, sed pro obligatione, qua vltra mutuum me obligo ad non repetendum illud intra tantum tempus.* Non enim est major ratio cur prima distinctio, & præcisio ab Vsura liberet, quàm secunda.

14 Et confirmatur à simili in casu, & materia Simoniæ, quæ quidem ita strictè prohibita est iure divino, & humano; sicut prohibita est Vsura. In materia igitur Simoniæ, potest quis absque huius execrabilis vitij inquinamento, pro temporali, quod præstat, spirituale sperare, si hac vtatur præcisione, & distinctione: *Nolo Beneficium pro servitio quod Episcopo impendo, sed pro amicitia, & gratitudine, quam eodem comparo servitio, ex qua obligatio insurgit antidoralis in Domino meo Episcopo.* Diximus *dub.* 9. Ita in materia Vsuræ liberabitur ab ea, qui distinguere, & præcindere, vti convenit, scierit. Quod autem peccare, & non peccare, maximè pendeat ab intellectu distinguente, & à voluntate distinctione vtente, probatione non indiget. Quare innixus authoritati tot illustrium Doctorum, potiùs quàm aliis probationibus ab ipsis adductis, & supra contra tertiam obiectis conclusionem, huic sententiæ lubens subscribo. In rebus enim practicis, non est facilè recedendum, à communi Doctorum sententia, vti benè Lessius, *de Iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dubit.* 6. *numer.* 24. Hoc tamen addendo, quod vir prudens, qui benè distinctione præfata vsus fuerit, immunis erit à peccato, primam sententiam practicè etiam sequendo; sed quia valdè difficilis est prudens in hujusmodi vsus, istum non consulo.

DVBIVM XVII.

An Vsurarius sit, qui in mutuo mutuatarium obligat ad remutuandum? Idem inquiritur de illo, qui obligat ad vendendum; ad emendum in mutuatoris officina; ad frequentandam eius Scholam; ad molendum in eius molendino; ad suas operas locandum; ad præstandum munus à lingua, ab obsequio, vel à manu?

BREVIARIVM.

Amicitia.

Qui officium amicitiæ postulat, repelli potest tanquam ingratus, si ipse illud nolit præstare, numero 3.

Mutuum.

Licitè fit exigendo, aut expectando benevolentiæ affectum, qui sub pecunia non cadit æstimationem, ex quo potest procedere spontanea mutuatio, num. 2.

Actio mutuandi, considerari potest vt quidam contractus, & vt est amicitiæ officium. In prima consideratione, ei correspondet, vt officium iustitiæ, redditio sortis mutuatæ; in secunda, correspondet ei compensatio, per aliud amicitiæ officium; num. 4.

Obligatio.

Antidoralis; seu remuneratoria obligatio; ratione virtutis gratitudinis, ex ipso oritur beneficio; num. 8.

Servitus.

Omnis species servitutis pretio æstimabilis est, numero 10.

Vsura.

Qui ea lege mutuat, vt statim mutuatarius ei remutuet, Vsurarius non est; dummodò mutuatario magis damnosa non sit remutuatio, quàm mutuatio mutuatori, à n. 1.

Neque qui civiliter ad remutuandum obligat, si sic obligans pariter obligetur ad mutuandum, si tamen vtrinque onus æquale sit; n. 5.

Neque qui mutuat, vt sibi vicissim in futurum cum opus habebit, & mutuatario commodum erit, remutuet; dummodo civilem obligationem non inducat, n. 7.

Vsurarius est, qui mutuat de præsenti; obligando civiliter mutuatarium, vt remutuet de futuro; num. 6.

Item si illum obliget civiliter, ex iustitia ad aliquid vendendum, sibi, aut alteri, n.9.

Item si illum obliget ad emendas res suas, ad frequentandam Scholam suam, molendinum suum, furnum suum, ad locandas operas suas, &c. num. 9.

Item ille, qui mutuat exigendo à mutuatario, aut expectando, vt aliquid faciat, aut patiatur, quod pretio æstimabile sit, etiamsi positivum ei lucrum non adveniat. n. 11. *Quod exemplis illustratur,* n. 12.

Quid, & quibus in his casibus restituendum ostenditur, n. 12. 14.

Nihil restituendum quando non exigitur, aut speratur tanquam civiliter, & ex iustitia debitum, sed ex gratitudine, n. 13.

Neque quando mediante mutuo intenditur bona æstimatio, & fama propria Scholæ, officinæ, molendini, &c. sine demerito, n. 13.

Quid à mutuatore attendendum in restitutione facienda ostenditur, n. 14.

Par obligatio remutuandi, à mutuatario exigi potest sine vsura, n. 15.

Vsurarius est, qui cum pacto mutuat, vt mutuatarius munus præstet a lingua, a manu, ab obsequio, num. 16.

CONCLVSIO I.

1 QVi mutuat ea lege, vt statim ei remutuetur, Vsurarius non est, modo mutuatario magis damnosa non sit remutuatio, quàm mutuatori mutuatio.

Hanc tenet Leonardus Lessius, *de Iust. & Iure, lib. 2. cap. 20. dub. 8. dicto* 1. Caspensis, *in Cursu Theologico, tom. 2. tract. 19. disput. 3. sect. 3. n. 25.* cum Molina, *de Iust. tom. 2. disput.* 303. & Turriano 2. 2. *tom. 2. disput. 61. dub. 9.* & ait: est expressè sententia D. Thomæ, *in hac quæst. 78. art. 2. ad* 4. Angelici Doctoris, verba *infrà* reddo. Bussembaom, *lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 7. resol. 5.* cum Salas, *de Vsuris, disp. 9. num. 4.*

2 Probatur *primò* conclusio authoritate D. Thomæ, 2. 2. *q. 78. art. 2. solutione ad* 4. dicentis. Ad 4. dicendum, quod pecunia non potest vendi pro pecunia ampliori, quàm sit quantitas pecuniæ mutuatæ, quæ restituenda est: nec ibi aliquid est exigendum, aut expetendum, nisi benevolentiæ affectus, qui sub æstimatione pecuniæ non cadit, ex quo potest procedere spontanea mutuatio. Repugnat autem ei obligatio ad mutuum faciendum in posterum, quia etiam talis obligatio pecuniæ æstimari posset: & ideo, licet simul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum. Hæc D. Thom. In quibus apertè docet, tempore mutui, absque Vsuræ labe posse remutuari. Expende illa: *licet simul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere.*

3 Probatur *Secundò* ratione. Qui à me officium amicitiæ postulat, potest à me simile officium rogari, & si nolit præstare, potest tanquam ingratus repelli.

4 Quod si quis obijciat. Officio tuo, quo mihi mutuas, respondet ex æquo sortis mutuatæ redditio. Ergo pro eo aliquod aliud officium (v. gr. mutuationem vini) cum quo tua permutetur functio, exigere nequis.

Respondeo cum Lessio, *num. 54.* actionem mutuandi dupliciter considerari posse. *Primò*, vt est quidam contractus, quo traditur certa summa pecuniæ v. gr. Et in hac consideratione ei respondet, vt officium iustitiæ, sortis redditio: & nihil aliud, tanquam ex iustitiæ debitum exigi potest. *Secundò*, vt est amicitiæ officium, quod ab amico in amici commodum præstari solet. In qua certè consideratione, debetur ei compensatio per aliud amicitiæ officium, eaque in præsenti exigi benè potest, vti apertis verbis docet Angelicus Doctor modò redditus, ibi. Nec ibi aliquid est exigendum, aut expetendum, nisi benevolentiæ affectus.... ex quo potest procedere spontanea mutuatio.

Secundò probatur conclusio. Quia in illius casu, nihil in pactum deducitur, quod pretio sit æstimabile, siquidem supponitur, quod remutuatatiu maius non afferat remutuatio gravamen, quam mutuatori mutuatio. Et quidem sicut præfertur mutuare, non habere gravamen aliquod pretio æstimabile, ex eo patet, quia alias ex hoc tantum, quod quis velit de præsenti mutuare, posset pro eo onere aliquod exigere pretium, quod certè omninò falsum est, vt benè Caspensis. 5

Et dato quidem, quod esset onus aliquod, & gravamen pretio æstimabile, mutuatarium obligare ad remutuandum de præsenti: nihilominus tamen posset esse æqualitas, quia etiam alius obligatur ad mutuandum de præsenti: mutuo enim subintelligitur conditio ista: *mutuum tibi dabo, si volueris remutuare de præsenti.* Et ideò non committitur Vsura, sicut non committeretur, si quis alium obligaret obligatione civili, vt sibi in futurum mutuaret decem v. gr. tritici mensuras, ea scilicet lege, vt vicissim ipsi obligetur ad remutuandum ei totidem mensuras vini, dummodò onera sint æqualia. Et ratio est manifesta. Quia æqualis est vtrinque contractus: cum obligatio vna civilis, alia simili, & æquali, quoad gravamen, compensetur: nec eorum aliquis lucrum accipit pro mutuo, sed pro mutuandi obligatione, qua neuter tenebatur se obligare ad mutuandum, neque absolutè, neque ex suppositione, quod mutuare velit. Ita Caspensis, & Lessius, *n. 55.* dum sibi obijcit. Omne onus à mutuo debet abesse. Et respondet. Id verum esse de onere, quod maius sit, quàm onus mutuantis. Item, de onere in futurum; non de officio amicitiæ in præsenti.

Sed obijcies. Licitè possum mutuans, non alia ratione velle mutuare tibi frumentum v. gr. nisi vicissim tu mihi de præsenti oleum remutues. Ergo eodem modo licitè te possum ad remutuandum de futuro obligare oleum pro frumento. Antecedens patet, quia licitè denegare possum beneficium mutui ingrato, qualem te, dubio procul, ostendis, si absque vllo onere non vis de præsenti remutuare. Consequentia etiam à paritate patet rationis. 6

Concesso antecedente, & eius probatione, negatur consequentia. Ratio disparitatis est: quia in mutuo de præsenti, non est onus aliquod, & gravamen pretio æstimabile, vt dictum est, neque in remutuatione quidem de præsenti, cum non iniungatur tanquam ex iustitia, & civiliter mutuanti debita, sed ex amicitia, & gratitudine tantum. Vnde, absque Vsuræ labe à mutuatore exigi benè potest simultanea remutuatio, seu de præsenti. At verò obligatio, qua mutuatarius ad remutuandum de futuro obligaretur, onus esset, & gravamen, & certè

rè grave, pretio æstimabile, civiliter, & ex iustitia, & non ex gratitudine, & amicitia debitum. Et ideo si in futurum extorqueatur remutuatio, ex mutuo vltra sortem aliquid pretio æstimabile, illicitè, & vsurariè recipitur. Si tamen iniungatur remutuatio in futurum, absque animo obligandi civiliter, aliter dicendum. Pro quo sit.

CONCLVSIO II.

7 VSurarius non est, qui mutuat, vt sibi vicissim in posterum cum opus habebit, & mutuatario commodum erit, remutuet, modò tamen mutuatarium ad id non obliget obligatione civili, sed solùm gratitudinis.

Ita Leonardus Lessius, *de Iustitia & Iure, lib. 2. cap. 20. dubit. 8. num. 56.* cum Angelo, *verbo Vsura I. num. 4* dicente, *non esse Vsuram, cum naturalis obligatio ita deducitur in pactum; vt non magis teneatur, quam ex ipsa naturali obligatione*: cum Hostiensi, & Gregorio Ariminensi ab eodem Angelo citatis, & cum Adriano, *in 4. tract. de restitutione §. Dico igitur ad quæsitum*, & Gabriele *in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 3. dub. 1.* Navarrus, *in Manuali, cap. 17. n. 223.* cum Glossa: *in cap. 1. 14. quæst. 3.* Gordonus *tom. 2. lib. 4. q. 6. cap. 8. dub. 3. num. 16. versic. Iam respondeo primò.* Vbi conclusionem extendit ad casum, in quo quis mutuet, eo pacto, non civili, & ex iustitia, sed ex gratitudine, vt mutuatarius, ad suam veniat officinam, iusto pretio empturus: vt agrum suum iusto colat pretio: vt suo vtatur molendino.

8. Ratio conclusionis est: quia si nulla imponitur maior obligatio in futurum, quàm oriatur ex ipsa natura beneficij, nulla committitur iniustitia. Sed ex ipsomet beneficio oritur obligatio antidoralis, seu remuneratoria, ratione virtutis gratitudinis. Ergo potest huiusmodi antidoralia obligatio, sine vlla exigi iniustitia. Et per consequens, citra omnem vsuram.

CONCLVSIO III.

9 VSuram committit, qui mutuatarium ex vi mutui, civiliter, & ex iustitia obligat ad aliquid suum vendendum mutuatori, aut alteri: & qui obligat ad emendum mutuatoris res, seu in officina mutuantis: ad molendum in suo molendino: ad frequentandam eius Scholam: ad locandas suas operas.

Suppono pro maiori conclusionis dilucidatione, mutuatarium venditurum, empturum, vel omnes alias enumeratas actiones facturum, etiam secluso mutui eventu. Et similiter suppono, cætera omnia paria esse, & æqualia: v. gr. quod nec mutuans cariùs vendat, quàm alij; nec viliùs emat: quod eius schola, officina, aut molendinum longius non distet, quàm aliorum molendinum, officina, vel Schola. Si enim aliquis excessus in his reperiatur, ex quo mutuatarius magis gravetur, quàm gravaretur, si liberè venderet alteri, aut ab alio emeret: si alterius frequentaret Scholas, officinam, aut molendinum: vel si alteri suas locaret operas, dubio procul, ex tali obligatione Vsura resultaret, vti benè Caspensis, *tom. 2. tract. 19. disp. 3. sect. 4. num. 26.* Et ratio in promptu est, quia non servatur æqualitas, & id, in quo mutuatarius gravatur, pretio est æstimabile, quod exigit vltra sortem mutuator. In quo, vti ex sæpè dictis, constat, ratio salvatur Vsuræ. Et quod diximus, militat cum proportione respectu Medici, Chirurgi, Barb tonsoris, & aliorum similium, mutuantium ea lege, vt, ex vi mutui, teneantur mutuatarij suis operibus vti, æquè bonis, ac per omnia paribus. Eadem in omnibus, quoad præsentem materiam militat ratio.

Conclusionem tenent D. Antoninus, *in 2. parte Summæ, tit. 1. c. 7. §. 8.* vbi de pacto, vt mutuatarius vadat ad mutuatoris molam, furnum, apothecam, Scholam: vbi etiam de eo, qui ratione mutui, plus recipit à mutuatario de re vendita, vel de opere suo, quàm ab aliis perciperet. Petrus Maytir Coma, *in Instructorio Curatorum, c. 17. versic. Lo tercero.* vbi de Molendino, & apotheca. Gordonus, *tom. 2. lib. 4. q. 6. c. 8. dub. 3. n. 7.* cum Covarr. *l. 3. variar. c. 1. n. 2.* Molina, *disp. 308. 309. 310.* Iacobus de Graffis, *in dec. aureis, p. 1. l. 2. cap. 109. n. 50.* cum Soto, *de Iust. l. 6. q. 1. art. 2. colu. 2.* Bussembaum, *in Medulla, l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 7. resol. 12.* cum Lugo, *de Iust. disput. 15. n. 46.* Caspensis *vbi proximè, n. 27.* Lessius, *de Iustitia, & Iure, lib. 2. c. 20. dub. 8. n. 56.* Caietanus, *2. 2. q. 78. art. 2. in principio* Bart. à S. Fausto, *in speculo Confessariorum, disp. 16 q. 21. n. 3.* vbi de excolente mutuatoris agrum, de emente ex officina illius; de coquente panem in furno eius; de molente in illius mola; de frequentante eius Scholas, *& q. 23. de* agrum colente mutuantis, cum Soto, *de Iustitia l. 6. q. 1. art. 2.* Molina, *de Iust. tom. disp. 309.* Caietano, *in Summa, verbo, Vsura exterior.* Navarro, *in Manuali, c. 17. n. 220.* Salone, *2. 2. q. 78. art. 2.* & aliis; cum communi Doctorum. Idem Bartholomæus, *q. 24.* vbi de locatario fundi mutuatoris. Et *q. 25.* vbi de mutuante advocato, ea lege, vt ratione mutui, sibi patrocinetur tempore, quo indiguerit. De mutuante eo pacto, vt mutuatarius pro illo principem deprecetur. De mutuante cum pacto, vt sit attributis exemptus, vel ab oneribus aliis. De eo, qui mutuat ea lege, vt tempore vindemiæ mutuatarius teneatur sibi vendere vinum currenti pretio. Et de eo tandem, qui mutuat triticum in loco remoto ea lege, vt hoc in loco, vbi mutuator agit, illud restituat in eodem numero, & mensura. In quibus omnibus resolvit casibus vsuram committi, quoties obligatio civilis intenditur.

Probatur conclusio. Quia talis obligatio est 10
pretio æstimabilis: est quidem species quædam servitutis: omnes autem servitutes sunt pretio æstimabiles. Ergo qui huiusmodi obligationem intendit, extorquet, ex vi mutui, vsuram committit. Patet consequentia: quia extorquet, aut intendit aliquid pretio æstimabile vltra sortem.

Nec valet dicere, ex hac obligatione nullum 11
mutuatori lucrum advenire: ac per consequens, Vsuram, in illius exactione, neutiquam committi: cum de ratione Vsuræ essentiale sit, quod lucrum mutuanti ex mutuo adveniat.

Non inquam valet: quia vti benè Caietanus ait, *dicto, art. 2.* sub initium: *in promptu est lucrum vltra sortem: scilicet ipsa obligatio ad id faciendum.* Quod enim aliquod emolumentum, seu lucrum positivum, vt ita loquar, mutuatori adveniat, vel non, parum, aut nihil, ad veram, & essentialem constituendam Vsuram, refert. Satis namque est, vt à mutuatario exigatur, spectetur quodlibet pretio æstimabile, ex vi mutui, & non alio ex respectu.

Vnde si quis mutuet eo fine, vt eius molen- 12

XXx 3 dinum

dinum, furnus, apotheca, seu Officina, vel eius Schola majorem personarum concursum habeat, quamvis nullum vltra sortem à mutuatariis lucrum, sed iustum tantùm, aut honorem solùm percipiat, debet restituere, tanquam per veram & essentialem vsuram adquisitum, quantum sibi commoditatis, vtilitatis, vel honoris ex mutuo advenisse deprehenderit. Sit, quoad vtilitatem, exemplum in eo, qui v.gr. suo molendino, ante mutuum, mille modios frumenti molere tantum solebat, sed vt molat duo millia, per mutuum intendit augere concursum. Si illo aucto, duo millia molat modios, vtilitatem ex mille ei advenientem, restituere tenetur: non quidem eis à quibus illam accepit, neque mutuatariis, qui moliverant, vel non moliverant, quia mercedem illam, seu pretium alteri molendinario etiam dedissent: vnde nullum in illius exactione, qua mercedis, passi sunt iniuriam; sed pauperibus illam erogare debere, docet D. Antoninus, *in Summa, p.2. tit.1. de Vsura, c.7.* §.4. cum aliis. Eius verba libuit reddere.

Et si ratione mutui plus recipisset ab eo de re vendita, vel de opere suo, quàm ab aliis perciperet, illud plus tenetur restituere ei à quo accepit; si verò plus accepit propter mutuum, tenetur pauperibus erogare. Non quidem illam mercedem, seu pretium. Quia etiam ille alteri dedisset; sed vtilitatem, quam habet, putà, quia ex hoc molendinum suum, vel furnus, vel apotheca, vel Schola habebunt majorem concursum personarum: tantum videlicet, quantum reputat, vel reputare debet illud commodum, vel illud honorem propter hoc, quod illi ab eo emerunt res, vel acceperunt operas eius, à quo non accepissent, si non mutuasset. Nec debet pretium illius commodi illi restituere, cui mutuávit: quia nihil sibi deperiit: nihilque dedit mutuanti de suo, quod alteri pro mercede non dedisset. Pauperibus ergo dandum est, secundum Ioannem de Lignano, Ioannem Andræam, & Ioannem Calderinum. Hæc Archipræsul Florentinus.

Quod igitur pauperibus erogandum est, credo ego, non esse omne vtile, quod molendinarius v. gr. percipit ex mille modiis in suo molendino, vltra consuetos moliris: quia cum dignus sit operarius mercede sua, *Lucæ cap.* 10. *versic.* 7. & 1. *ad Timotheum cap.*5. *versic.*18. non capio cur omne illud vtile restitui debeat; taxandum tamen censeo arbitrio, viri prudentis, quod erogari debeat pro illa commoditate, vtilitate, vel honore mutuatori propter mutuum adveniente. Quocirca Petrus Martyr Coma Elnensis Episcopus, *dicto cap.*17.*& versic. Lo tercero* ait. *Y no es obligado este à restituir loque gana en las moliendas, o compras, y ventas de sus mercadurias, pues no recibe mas del ordinario, y Iusto: y assi bastar le ha que haga penitencia de aquella Vsura, dado que debe restituir algo por aquella obligacion, conforme al Iuici o de buen varon.* Ita ille.

13 Neque pauperibus aliquid erogandum censeo, quando commoditas, vtilitas, aut honor non intenditur à mutuatore tanquam si sibi ex iustitia, & civiliter debeatur ex mutuo, sed ex amicitia, & gratitudine: quia benè ista, citra vsuram, intendi potest ex mutuo, iuxta suprà, non semel, dicta: eo quod non sit pretio æstimabilis. Neque quando intendit mutuator bonam suæ Scholæ, officinæ, aut molendini, &c, famam, æstimationem, opinionémve, vulgò *credito*, iustè tamen, & sine demerito. Quia illam non intendit, tanquam sibi ex iustitia debitam, sed tanquam sua industria comparatam, mutuo mediante, non aliter ac eodem mediante mutuo, comparatur amicitia, & mediante illa, lucra non parva pretio æstimabilia.

Immò probabile censeo, quod docet Gordonus, *tom.2.lib.4.q.6.c.8.dub.3.n.*18. *versic. dicendum*, videlicet in restitutione facienda, non esse attendendum ad lucrum mutuantis, sed ad damnum mutuatarij. Vnde duo docet. *Primum*, teneri relaxari illam obligationem civilem, titulo mutui impositam, & si quod damnum inde mutuatarius receperit, illud compensare aliqua pecuniola arbitrio boni viri. 14

Secundum, ineptè dici restitutionem esse pauperibus faciendam. Et quidem, præter authoritatem DD. opinantium fieri illam pauperibus debere, nullum rationis, aut textus invenio fundamentum. Quare Gorduno lubens subscribo; & addo, pro gravamine mutuatario allato, per obligationem ei impositam, aliquid restitui debere præter damnum ex ea receptum, ob iniuriam ei illatam. Si enim pretio est æstimabilis hæc iniuria, seu gravamen, non est vlla ratio, vt aliqualis compensatio, pretio etiam æstimabilis, non debeatur ei, cui fuit illatum.

Quoad remutuationem advertit iste Doctor, & allegat Molinam, Conradum, *de Contractibus, q.*36. & Lopez, *p.2.Instructorij, cap.*55. & 56. posse me pro obligatione civili, quam subeo, dum tibi mutuum do, exigere a te parem obligationem v. gr. mutuo tibi decem cados vini, vt vicissim tantundem in tritico mihi remutues. Et licitè quidem. Quia licet pro actu mutuandi, non possim exigere obligationem ad aliquid vltra sortem reddendum, absque Vsura; possum tamen pro obligatione mutuandi, quam patior, similem in te exigere, seu parem obligationem: æqua enim gravis vtrinque obligatio, iustæ est conventionis constitutiva. Quia onera si paria sunt, nihil ex mutuo recipitur; sed vna obligatio, aliam compensat, præsertim si eodem contrahuntur tempore. 15

CONCLVSIO IV.

VSurarius est, qui mutuat cum pacto, vt mutuatarius præstet munus à lingua, munus ab obsequio, aut munus à manu. 16

Munus à lingua est alloqui, psallere, aut aliquid aliud linguâ in mutuantis favorem exercere, aut gratiam. Munus ab obsequio, est comitari mutuantem, eius negotia agere, illi inservire, & hujasmodi alia. Munus à manu, est aliquid delargiri pretio æstimabile.

Ratio conclusionis est, quia obligatio civilis de qualibet re, pretio est æstimabilis: ac proinde sufficiens ad vsuram, sicut ad Simoniam.

Tenet conclusionem Caspensis, *tom.2. tract.*19. *disp.3. sect.*8. *n.*96. Gordonus, *tom.* 1. *lib.* 4. *q.* 6. *cap.*8. *dub.*3. *n.*20. Bussembaum, *lib.*3. *tr.*5. *cap.*7. *dub.*7. *resol.* 5. cum Molina, *tom.* 2. *disp.* 310. Lugo, *de Iust. disp.*25. Salas, & Lessio & communi.

DVB.

DVBIVM XVIII.

An sit Vsurarius, qui ratione periculi sortis, vel difficultatum, aut impensarum, & sumptuum, quod probabiliter in recuperatione sortis timetur, aliquid recipit vltra sortem ipsam?

BREVIARIVM.

Commodatum.

Qui rem commodat suam, licitè aliquid exigit ratione periculi, quod prudenter timetur causa commodatary, ne scilicet res pereat; aut deterior fiat, quia ille negligens est, aut non probe fidei; num. 11.

In commodato, dominium rei, in commodatarium non transfertur, n. 12.

Emptio.

Emere minoris debita periculosa, & recuperatu difficilia, licet ratione difficultatis; & periculi, num. 7.

Fideiussio.

Licitè potest fideiussor aliquid exigere quando fideiubet, ratione periculi, cui se subijcit solvendi debitum ex proprius, n. 8.

Si tamen se voluntariè offert, minùs quàm si rogatus recipere debet, n. 18.

Locatio.

Qui rem locat suam, licitè exigit ratione periculi, quod causa locatarij prudenter times, ne res pereat, aut deterior fiat, quia negligens est, aut non fidei probe, n. 11.

In locato non transfertur dominium rei locata, in locatarium, n. 12.

Merx.

Vilescit vltronea merx, n. 18.

Mutuum.

Solutionis dilatio est quoddam tacitum mutuum, numero 10.

Obligatio.

Qualibet civilis obligatio est pretio astimabilis, num. 9.

Vendere, Venditio.

Pecunia credita, seu credito, & ad diem vendere pluris, quam res iustè valet, licet si periculum adsit debitum recuperandi, n. 10. *15.*

Cap. In Civitate, de Vsuris, declaratur. 15. *Caput etiam Naviganti,* n. 16.

Licet etiam pluris rem credito vendere, quando dubitatur, vtrum tempore solutionis plus, minúsve valitura, n. 15.

Vsura.

Qui mutuatarium cogit, vt eum adhibeat fideiussoris loco, aut Petrum, potius quam Paulum, aequè divitem, & opportunum, vsurarius est, n. 3. 14.

Licitè tamen exigere potest, vt prastet fideiussorem; aut pignus, n. 13.

Non est Vsurarius, qui aliquid vltra sortem exigit ex pacto, & obligatione civili ratione periculi illam recuperandi, & ratione difficultatis impensarum, quod timetur, à n. 5.

Non committitur vsura exigendo pretium pro eo; quod est pretio astimabile, n. 6.

Mutuatarium obligare, vt in se suscipiat, pro certo pretio, periculum pecunia, & mercium, quod est illas assecurare, vsurarium est, n. 16.

Vsura centesima à iure civili permissa, à Canonicè damnantur, n. 16.

Decretales in Civitate; & Naviganti; de Vsuris *exponuntur,* n. 15. 16.

SVpponit Dubium, adesse verum periculum amittendi sortem, & ex quo incommodum, impensae, & sumptus probabiliter pro illius timeantur recuperatione; quamvis fortè posteà non eveniat mutuatori damnum. Fit enim pactum, non de damno futuro, sed de illius periculo. 1

Supponit *secundò*, vt non plus, ratione periculi exigatur, & in pactum deducatur, quàm mutuator alteri vellet in eodem casu dare, pro simili redimendo periculo. Quod vtique prudentium virorum arbitrio, relinquendum esse censeo. 2

Supponit *tertiò*, vt mutuator mutuatarium non cogat, vt eum adhibeat fideiussoris loco; sed liberum ei faciat pignore, vel fideiussore cavere. Quia obligatio illa, quod teneatur mutuatarius mutuatorem loco fideiussoris accipere, potius quàm alium, est onus pecuniae; pretióque aestimabile, & per consequens, Vsura; illam in pactum deducere obligationem. Et idem me iudice; dicendum est, si volente mutuatario fideiussorem; Petrum v. g. constituere, qui ita sufficiens est; dives, opportunus, & absque vlla exceptione, ac est Paulus, nolit mutuator Petri, sed Pauli suscipere fideiussionẽ. Gravamen enim sine causa mutuatario inferret. 3

In hac difficultate, sententiam affirmativam tenent Navarrus *in Manuali*, *cap.* 23. *num.* 71. Sotus, *de Iust. & Iure, lib.* 6. *q.* 4. *art.* 1. *ad* 1. & alij penes Lessium, infrà allegandum: quibus addit Bassaeus, Reginald. *lib.* 25. *n.* 246. 4

CONCLVSIO.

NOn committit Vsutam, qui cum eo pacto mutuat, & obligatione (civili quidem, & ex iustitia, de hac enim solùm procedit dubium, non de antidorali; & ex gratitudine) vt mutuatarius ei aliquid; vltra sortem principalem, solvat; ratione periculi recuperandi illam & ratione difficultatis, impensarum, & sumptuum, quod probabiliter timetur. 5

Procedit conclusio, siue periculum proveniat; ex parte rei, quia tes mutuata transportanda est per viam, iter, aut locum latronnm, aut per mare: sive ex parte personae mutuatarij, qui facilè queit ad inopiam devenire; vel qui fraudulentus esse solet, vel malè fidei debitor: aut timeantur magnae in recuperando molestiae.

Illam docent Lussius Turrianus; 2. 2. *tom.* 2. *& in selectis disputationibus, part.* 1. *in censura Theologica, centuria,* 1. *dub.* 84. *pag.* 159. Bassaeus; *tom.* 1. *verbo Vsura III. num.* 8. cum Medina; *cod. de Restit. quaest.* 38. Molina *tract.* 2. *disp.* 356. Filliucio *tract.* 34. *num.* 97. & 103. Azorius *Instruct. Moralium, part.* 3. *lib.* 5. *cap* 6. *quaest.* 1. *versic. Altera opinio, & quaest.* 4. Ludovicus Caspensis *in Cursu Theologico, to.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 11. *num* 89. Antoninus Diana *par.* 1. *tract.* 8. *de Contractibus, resolut.* 37. *versic. Sed ipse, & resolut.* 57. *versic. Sed contraria*: qui allegat Salam *tract. de Vsuris, disput.* 22. & 17. *num.* 3. & plures penes ipsum Doctores, quibus addit Bonacinam *de Contractibus, disput.* 3. *quaest.* 2. *punct.* 4. *num.* 18.

Filliuclum *tract.* 35. *cap.* 5. *num.* 112. Malderum 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 3. *dubit.* 14. Petrum Navarra *de Restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *part.* 1. *dub.* 11. *num.* 105. & *part.* 2. *cap.* 3. *dub.* 10. *num.* 342. Valentiam *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 10. *punct.* 2. *concl.* 4. Emmanuëlem Sà *verbo Venditio, num.* 3. Emmanuëlem Roderiq. *in Summa, part.* 2. *cap.* 83. *num.* 3. & Sanctatellum *in suis Resolutionibus, par.* 1. *quæst.* 47. *num.* 17. & alios penes illum. Docent etiam Iacob. Gordonus *in Theologia Morali, tom.* 1. *lib.* 4. *quæst.* 6. *cap.* 14. *num.* 39. cum Molina *loco allegato, & disput.* 304. Lessius *de Iustitia, & Iure, lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. *num.* 111. & *cap.* 21. *dub.* 6. *num.* 54. cum Angelo *verbo Vsura I. num.* 38. Sylvestro *eod. verb.* 1. *q.* 35. Corduba *quæst.* 78. & quoad partem conclusionis, quæ agit de ratione expensarum, & molestiarum, quæ timentur in recuperanda sorte, allegat pro nobis Navarrum, & Sotum *locis supra recensitis* M. Becanus *de Iust. & Iure, quæst.* 78. *de Vsura, quæst.* 5. ac Barthol. à S. Fausto *in Speculo Confessariorum, disput.* 16. *de Vsura, quæst.* 49. cum Aragone 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. Busembaum *in Medulla Theologia, lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *resol.* 8. cum Cominch *disput.* 3. *quæst.* 3. *part.* 5. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 9. & Lugo *de Iustitia, disput.* 25. *sect.* 3. *num.* 80. cum quibus ait, necesse esse, vt deducatur in pactum expressè, aut tacite.

6 Probatur *primò* conclusio. Pretio est æstimabile, quod me coniiciam in periculum vel amittendi sortem mutuo datam, vel difficultatis illam recuperandi, aut insumendi alia bona, pro sorte recuperanda. Becanus *loco citato, num.* 2. Lessius *num.* 111. Barth. à S. Fausto, non obscurè, *versic. Tum quia fideiussor.* (non enim minoris æstimari periculum non recuperandi suam pecuniam debet, quàm eandem solvendi ex fideiussione) Gordon. *n.* 39. quod quidem æquè militat, si periculũ proveniat ex parte mutuatarij, ac si ex parte rei mutuatæ, & è converso. Sed pro eo, quod est æstimabile pretio, iustè, & citra omnem Vsuræ labem, exigi benè potest pretium. Ergo licitè, & sine Vsura potest quis mutuum dare, cum pacto, vt mutuatarius aliquid ei supra sortem reddat, ratione periculi, vel amittendi sortem, vel difficultatis illam recuperandi, vel insumendi alia bona pro mutuo recuperando.

7 *Secundò* probatur. Licitum est emere minoris, debita periculosa, & recuperata difficilia, ratione difficultatis, & periculi ea recuperandi. Barthol. à S. Fausto *versic. Hoc non obstante.* Ergo è contrario licebit mutuatori, ob eandem difficultatem, idémque periculum recuperandi sortem aliquid supra eam exigere. Patet consequentia; quia contrariorum eadem est ratio.

8 *Tertiò* probatur. Fideiussor ratione periculi, cui se subiicit solvendi debitum ex propriis bonis, potest aliquid exigere quando fidem offert, fideiubet. Barthol. à S. Fausto *dict. quæst.* 49. *num.* 2. Lessius *num.* 111. *citato.* Sed fideiubere est quoddam mutuare. Ergo, qui mutuat, cum probabili periculo amittendi sortem, aut difficultatis illam recuperandi, seu insumendi alia pro illius recuperatione, licitè, & sine Vsura aliquid exigere potest vltra ipsam sortem.

9 Nec valet dicere fideiussorem aliquid accipere posse, solum ratione obligationis, quam subiit. Non inquam valet. Quia licet vti benè Lessius, licitè possit fideiussor ratione obligationis, quam subiit, aliquid accipere, & in pactum deducere, cum omnis civilis obligatio sit pretio æstimabilis; potest tamen multò magis aliquid ratione periculi solvendi ex propriis bonis debitum, pro quo fidem præstat. Patet ex eo, qui fideiubet vbi periculum est nullum; & in eo, qui idem facit vbi periculum est magnum. Ille, ratione solius obligationis, aliquid exigere potest; iste verò, non tantumdem tantùm, sed ampliùs licitè exigere benè valet, vti ex se patet: illud enim periculum & quidem magnum, pretio esse æstimabile, nefas sit dubitare. Ad huiusmodi autem excessum, nullus alius titulus in Fideiussoris favorem excogitari queit.

Probatur *quartò* conclusio. Qui pecunia credita, credito; aut ad diem vendit, ratione periculi, quod subiit in recuperando posteà debitum aliquid exigere potest vltra iustum nudæ rei pretium S. Fausto *num.* 3. Lessius *vbi suprà, & lib. eodem, cap.* 21. *dubit.* 6. *num.* 54. cum Ioan. Medina *Cod. de Restitut. quæst.* 38. §. *Ad tertiam causam,* Corduba *quæst.* 78. Petro Navarra *de Restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 110. sed solutionis dilatio, est tacitum quoddam mutuum. Ergo si licet aliquid recipere in hac dilatione, licebit etiam in mutuo expresso. 10

Quintò. Qui aliquid commodat, aut elocat alteri, v. g. Equum, vestem, potest aliquid exigere ratione periculi, quod causa subest locatarij, si prudenter metuat, ne apud illum res sua pereat, aut efficiatur deterior: vt quia novit illum negligentem, vel non probæ fidei. Lessius *dicto loco,* cum Soto. Ergo etiam, qui mutuat pecuniam, aliquid exigere licitè potest ob periculum sæpè dictum. 11

Nec valet, si dicas, esse magnum discrimen inter vnum, & alterum casum: quia in commodato, & locato non transfertur in commodatarium, & locatarium rei dominium; sed benè in mutuo sortis dominium in mutuatarium transfertur. Non inquam valet, quia hoc discrimen parum refert ad rem. Quia sicut commodatarius, v. g. obligatur reddere commodatum, ita mutuatarius obligatur totum mutuum reddere. Et sicut res commodata, seu locata est in periculo, ita sors, seu pecunia mutuata est in periculo. 12

Vltimò probatur. Licitè potest mutuator exigere, vt mutuatarius ei caveat, dato Fideiussore, aut pignore. Becanus *vbi suprà num.* 2. Lessius *num.* 111. S. Fausto *num.* 3. Ergo poterit aliquid exigere si subeat ipse Fideiussoris periculum; servatis tamen tribus, in principio huius Dubij suppositis. 13

Sed contra nostram conclusionem, nonnulla obiiciuntur à Doctoribus contrariæ sententiæ Patronis, quæ libuit recensere, & ad ea respondere, vt sic magis elucescat conclusionis nostræ veritas.

Obiicitur *primò*, quod nostra sententia sit contra communem Theologorum, & Canonistarum iudicium. 14

Respondeo cum Becano *dicta quæst.* 5. *num.* 4. & Lessio *dicta dubit.* 13. *num.* 114. esse contra communem sententiam, quod liceat mutuatori, mutuatarium cogere vt mutuatore, loco fideiussoris vtatur; non autem contra communem sententiam huiusmodi inire contractum, si sponte mutuatarius consentiat.

Secundò obiicitur textus *in cap. In Civitate, el* 6. *de Vsuris,* in quo inquiunt adversarij Ecclesiam contrarium decernit. 15

Respondeo

Respondeo cum eisdem Becano, *num.* 5. Lessio; *num.* 115. nihil aliud ibi ab Alexandro III. decerni, quàm ratione solutionis dilatæ, non licere merces pluris vendere, quàm tempore valent contractus, nisi dubium sit merces illas, plus, minúsve tempore solutionis valituras. Quam vtique solutionem à Glossâ dicti capitis, *verbo Comparant*, etiam didici. Ait enim. Non decepti in iusto pretio, sed scienter plus emerunt propter dilationem solutionis: si enim decepti essent, quia darent vltra pretium iustum, non haberent speciem Vsuræ: quia licet contrahentibus sese ad invicem decipere, *ff. de Minoribus In causa, §. idem Pomponius ait, in pretio vsque ad dimidium iusti pretij, supra de Emptione, & Venditione, cum dilecti, & cap. penult. Cod. de Rescindenda venditione, l. 2.*

Non igitur damnatur in Iure illo, nobis obiecto, ille, qui plus exigit ratione periculi, cui sors per dilationem exponitur solutionis: de hoc enim nulla fit in textu mentio, vt evidenter videnti illum constabit; immò certè, vti advertit Lessius, ibi id esse licitum insinuatur. Si enim licitum est rem, quæ nunc valet 5. vendere 6. solutione dilata, quando dubitatur, Vtrum ea sit tempore solutionis plus, minúsve quàm sex, (vt summus decernit Pontifex) valitura: multò magis licebit aliquid exigere supra præsentem rei æstimationem, ratione periculi totius sortis. Si enim illud licet, quia exponitur periculo, lucri amissio, multò magis hoc licebit, cum se exponat mutuator periculo, non minuti, aut ambigui locelli, sed totius sortis amittendæ.

16 Tertiò obiiciunt nobis textum *in cap. Naviganti, de Vsuris*, in quo sic Gregorius Papa IX. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, Vsurarius est censendus.*

Variæ explicationes huius Iuris videri possunt apud Toletum *lib.* 8. *cap.* 50. *num.* 6. & apud P. Salas *de Vsuris, dub.* 23. *num.* 6. prout Gordonus, loco advertit citato; sed illis omissis respondeo cum Glossa *in dictum caput, verbo Periculum*, cum eodem Gordono, & Leonardo Lessio *num.* 116. & penes eos cum Angelo *verbo Vsura I. num.* 38. Sylvestro *verbo eodem I. quæst.* 38. Ioan. Medina *Cod. de Restitut. q.* 38. *ad* 4. Salone, Aragone, & aliis ferè omnibus, textum illum loqui, de eo, qui mutuum dando, obligat mutuatarium ad secum incundum contractum assecurationis mercium, aut pecuniæ, ita vt mutuare nolit, nisi mutuatarios certo pretio periculum pecuniæ, aut mercium in se suscipiat: quod quidem illicitum est, & Vsurarium, quia huiusmodi onus, pretio æstimabile est, & fortè alia via, minore detrimento securitas præstari potuisset, dato scilicet pignore, aut fideiussore. Vel certè, dicunt Lessius, & alij, quos suppressis nominibus allegat Gordonus, Gregorium ibi, tantùm damnare Vsuras centesimas, quæ in traiectitia pecunia Iure civili permittebantur *l. Traiectitia, Cod. de Fœnore nautico.* Traiectitia dicebatur pecunia, quia mutuo mercatori mare traiecturo dabatur. Centesima autem appellabatur, quia singulis mensibus vnum pro centum, quod erat singulis annis dare 12. pro centum. De quorum explicatione, Gordonus *lib.* 4. *q.* 6. *cap.* 6. *n.* 11. *in fine.*

17 *Quartò.* Si posset aliquid exigi ratione metus, & periculi, is, qui magis meticulosus est, posset plus exigere. Quod absurdum esse, nemo est, qui nesciat.

Respondeo cum Becano *vbi suprà, nu.* 6. & Lessio *num.* 18. quod metus ad hoc vt ratione illius aliquid exigi licitè possit, iusta debet ratione niti; debet enim esse verum periculum, ob quod prudenter metuitur. Vel tale (addit Lessius) vt ipsemet libenter tanti illum redimeret, si cogeretur subire. Vnde non sequitur, non infertur benè: Petrus ratione ductus, & nixus metuit periculum, & hac de causa potest aliquid citra sortem exigere. Ergo Paulus, qui plus metuit, non ratione nixus, sed propria infirmitate, seu complexione ductus, plus potest exigere.

Quintò, contra conclusionem, obiicitur. Quamvis periculum, quod subest mutuator, aut venditur, mutuans, vel vendens credito, sit pretio æstimabile, non tamen potest licitè quidquam pro eo exigere, nisi involuntariè patiatur periculum. Sed qui se offert, vel rogatus mutuat, periculum non patitur involuntariè. Ergo pro illo quidquam licitè exigere non potest. 18

Respondeo cum Lessio *num.* 117. verum non esse, quod assumitur. Quia si pretio est æstimabile exponere periculo pecuniam, nihil refert an voluntariè, an involuntariè id faciat. Etsi enim, dum res sponte offertur, pretium eius minuatur (quia vulgò dicitur, *merces vltroneæ vilescunt*) & ideo minus exigere debeat, qui se loco fideiussoris offert, quàm si ad hoc esset rogatus; iudicio tamen prudentium, spectatis circunstantiis; mercedem hoc meretur officium. Ac per consequens aliquid pro eo exigi benè potest, & licitè.

DVBIVM XIX.

An sit Vsurarius, qui mutuat cum pacto, vt teneatur mutuatarius partem mutui in mercibus, vel in debito, aut alio in loco recipere?

BREVIARIVM.

Vsura.

Nulla committitur, vbi nulla irrogatur iniuria, nulla violatur iustitia, n. 2.

Committitur ab eo, qui 100. *mutuat, cum pacto, vt partem mutuatarius in mercibus recipiat,* numero 3.

Quid restituere debeat; qui sic mutuat, declaratur, num. 4.

Vendere iusto pretio merces, pecunia credita ei, quem scit venditor, statim illas minori pretio vendit urum, numerata pecunia, Vsurarius est, si vendat animo emendi eas minori pretio numerata pecunia; num. 6.

Si eo tamen animo non vendat, potest posteà; sicut quilibet alter illas minori emere pretio, iusto tamen, numerata pecunia; n. 7.

Vsurarius est, qui obligat mutuatarium, vt partem mutui recipiat in debito, quod recuperari nequit, nisi cum labore, & expensis mutuatarij, numero 8.

Secùs si sine labore, & expensis illud possit recuperare, n. 9.

Vsurarius est, qui mutuat cum obligatione, vt mutuatarius in alio solvat loco, ex quo gravamen, vel damnum aliquod ei proveniat, n. 10.

CONCLVSIO I.

1 SI quis petit mutuo centum, v.gr. ab alio, qui in pecunia, vltra quinquaginta, non habet, & dicat se daturum mutuo centum, 50. in pecunia, & 50. in mercibus iusto taxatis pretio, dummodo mutuatarium non obliget ad accipiendas merces, vsura non committitur.

Ita Caspensis, *in Cursu Theologico, tom. 2. tr. 19. de Contractibus, disput. 3. sect. 8. num. 62. pag* 259.

2 Ratio conclusionis est, quia mutuator ad nihil obligat mutuatarium, sed illi repræsentat materiam in qua mutuare potest: & mutuatarius omnino liberè, & sponte sua vult accipere mutuum partim in pecunia, & partim in mercibus. Vnde nulla illi irrogatur iniuria, nulla iustitia violatur: & per consequens, non committitur Vsura.

CONCLVSIO II.

3 VSuram committit, qui mutuat 100. cum pacto, vt mutuatarius partem recipiat in mercibus, præsertim si talibus ille non indigeat, neque aliàs illas esset empturus, aut si ei carius dentur.

Hanc tenent Caspensis, *num.* 61. Azotius *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 12. cum Sylvestro, *verbo Vsura* 1. *quæst.* 6. & Angelo, *eod. verb.* 1. *num.* 6. Gordonus, *tom.* 2. *lib.* 4. *quæst.* 6. *cap.* 8. *num.* 20. *in fine*, cum Soto, *de Iust. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. Toleto, *lib.* 5. *cap.* 30. Caiet. *verbo*, *Vsura*, *cap.* 2. *casu* 10. & Molina, *tr.* 2. *de Iust. disp.* 110. Bussembaum, *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *resol.* 16. *tract.* 15. *cap.* 3. *dub.* 7.

Probatur conclusio. Quia per pactum illud gravamen infertur mutuatario, pretio æstimabile. Ergo in huiusmodi mutuo vsura committitur.

4 In quibus casibus tenetur mutuator restituere excessum iusti pretij, & gravamen, quod mutuatario imponit, vt partem mutui accipiat in mercibus, est vt emat in sua officina, & partem mutui consumat. Omnia enim ista, cum sint contra iustitiam illata, restitutioni probantur obnoxia. Et si obliget, vt accipiat partem in mercibus, quibus non indigebat, & quas non erat empturus, non solùm hoc gravamen tenetur restituere, cum sit pretio æstimabile, sed etiam omnia damna, & incommoda, quæ mutuatario provenire ex mercium receptione possunt: vt si corrumpantur, vel minori vendantur pretio, quàm acceperat, quia ei ad nullum deserviunt vsum. Ita Caspensis. *n.* 21.

5 Quod si quæras, *Est ne vsura vendere merces pecunia credita ei, quem scit venditor, statim illas minori pretio venditurum, pro viliori, numerata pecunia, si ipse iusto pretio vendat?*

Respondeo sub distinctione. Aut intendit venditor merces illas minoris emere numerata pecunia ab emptore; vel non. Si secundum, Vsuram non committit, neque iniustitiam. Quia iusto pretio vendit, & nullam obligationem imponit civilem, & ex iustitia pretio æstimabilem. Et ita docet Caspensis, *num.* 63. cum Caietano, *in summa, verbo, vsura, cap. de Vsura implicita*, & Navarro, *in Manu. cap.* 17. *num.* 244.

6 Si verò vendat, etiam iusto pretio, animo emendi res minori pretio, numerata pecunia, (qui vendendi modus, vulgo *Moatra* dicitur, & *lege* 24. *Castella, tit.* 4. *nova collectionis* damnatur, vbi strictè Iudicibus præcipitur, vt puniant huiusmodi contractum celebrantes) vsuræ crimen admittit, palliatæ quidem, cum eius animus sit mutuum pecuniæ ea palliare via, ex quo lucrum vltra sortem recipiat. Sic docet Graffis noster, *in decis. aureis, part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 109. *num.* 4. cum Navarro, *in Manu. cap.* 17. *num.* 143. *vers.* 17. Sylvester, *verbo Vsura II. quæst.* 4. *num.* 4. Caspensis, *num.* 63.

Cum quo benè stare potest, quod si venditor animum reemendi non habeat dùm vendit, & nullam imponat emptori obligationem, vt sibi merces illas revendat, licitè, & absque vsura, & omni iniustitia, illas numerata pecunia minori pretio emat, quam venderat, iusto tamen. Ratio huius est, quia si alter easdem, pretio eodem emeret merces, Vsuram, aut iniustitiam non perpetraret. Ergo neque, qui illas credito venderet Vsuram committet, aut iniustitiam. Consequentia patet. Quia non est factus deterioris conditionis, qui credito merces suas iusto pretio venderet, quam sunt omnes alij ad emendum illas. Et ita tenent Sylvester, Graffius, & Caspensis, *num.* 63. 7

CONCLVSIO III.

VSuratius est, qui mutuatarium obligat vt accipiat mutui partem in debito, quod recuperari non potest, nisi cum labore, & expensis mutuatarij. 8

Hanc tenent Azorius, *loco citato* cum Angelo & Sylvestro *locis ibi recensitis*, & cum communi sententia. Bussembaum, *in Medulla lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *resol.* 14. Caspensis, *vbi suprà, n.* 64.

Probatur conclusio. Quia dando debitum illud in mutui partem, gravamen mutuatario infert mutuator, pretio quidem æstimabile. Ergo committit Vsuram. Vnde restituere tenetur non solùm expensas factas in recuperatione debiti, sed etiam æstimationem illius gravaminis, vti benè advertit Caspensis.

Consultò addidi: *quod recuperari non possit, &c.* Quia si liquidum est debitum illud, & facile, & sine laboro, & expensis à mutuatario recuperari potest, non erit Vsura dare mutui partem in tali debito. Quia nullum gravamen pretio æstimabile mutuatario imponitur. Perinde enim esset in hoc casu, obligare illum, vt acciperet tale debitum pro parte mutui, atque vt acciperet pecuniam mutuatoris, quam habet apud hunc, illumve hominem, à quo facile, & absque vllis potest expensis recipere. Et potest ad hoc mutuarium obligare mutuator, si mutuum velit accipere: sicut potest illum obligare vt pecuniam enumeret, quam recipit. Hæc omnia docet Caspensis, *num.* 64. 9

CONCLVSIO IV.

QVi mutuat cum obligatione, vt mutuatarius in alio solvat loco, ex quo gravamen aliquod, vel damnum pretio æstimabile illi proveniat, v. gr. aliquas faciat expensas inferendo in locum illum mutuo, vel aliud gravamen recipiat, à quo mutuator excusetur ratione mutui, quia aliàs facturus esset tales expensas, Vsuram committit, etiamsi res mutuata pluris non valeat in tali alio loco, quàm vbi mutuatur. 10

Hanc tenet conclusionem Caspensis, *num.* 65. Bussembaum, *in Medulla, lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *resol.* 15.

Ratio,

Ratio, quæ conclusionem istam probat, sæpè repetita, in Superioribus est. Quia scilicet, citra vsuram, imponi non potest mutuatario obligatio vlla civilis, & ex iustitia, ratione mutui, ex qua illi gravamen, seu damnum pretio æstimabile proveniat.

DVBIVM XX.

An Vsurarius sit mutuator, seu qui pignus debitoris habet, si fructus ex eo percipiat, & in sortem non computet?

BREVIARIVM.

Feudum.

Quando Feudatarius Domino dat in pignus debiti rem, quam feudo habebat, non debet dominus fructus pignoris in sortem compensare: nec feudatarius debet interim servitium exhibere, numero 11.

Mutuum.

Virtuale mutuum est, quando pignus datur interim, dum pretium rei venditæ non solvitur; vel dum res non traditur emptis, & quotiescumque fructus pignoris recipiuntur pro temporis dilatione, n. 5.

Pignus.

Si creditor, vel mutuator, à debitore, vel mutuatario in pignus agrum sterilem accipiat, & ex diligentia fructus colligat, eos, deductis expensis, in sortem computare debet, n.6.

Labor etiam adhibitus compensari debet, n.7.

Expensæ solum necessariæ, & vtiles deducendæ sunt, non voluntariæ, n.7.

Debet etiam computare fructus, quos ex pignore ob negligentiam non recipit, illud non excolendo, aut locando; & damna item in pignore reperta, num.8.

Si data est in pignus domus, eo pacto, vt creditor aut mutuator eam habitet, ad pensionem tenetur illius, non tantam, quantam alij darent; sed quam ipse solitus erat solvere, n.8.

Si debitor in mutuo, datis pignoribus, donationem fructuum, etiam ob merita fecerit creditori, quos ex pignoribus percipiet, vsurarius præsumitur contractus, n.9.

Si mutuatarius dato pignore fructifero, mutuatoris iuravit totam rem mutuatam solvere, ratione iuramenti adimplere tenetur, nulla compensatione fructuum pignoris facta, n.10.

Mutuator tamen tenetur restituere quidquid deductis expensis, vltra sortem recepit, n.10.

Fallit quando feudatarius dat Domino in pignus rem quam feudo habebat, quia dominus non debet fructus pignoris computare in sortem, n.11.

Fallit & in genero, cui socer non statim dedit dotem promissam, sed interim dum illam solveret, dedit pignus fructificans: quia istius fructus non debet in sortem computare dotis, n.12.

Idem est, quando loco pignoris, pensio pecuniæ genero interim datur. n.12.*fine. Gener licitè retinet fructus pignoris, etiamsi ex dilatione dotis nullum ei lucrum cesset,* n.13.

Fructus pignoris non dantur genero ratione lucri cessantis ex dotis dilatione provenientis, sed pro dotis augmento, & vt onera matrimonij sustententur si aliud socer, vel qui dotem, & pignus dedit; non explicet, n.13.

Solum ad securitatem solvendi debiti, pignus dari solet, n.14.

Vidua fructus pignoris dotis computare in dotis sortem non tenetur: sed potest illos retinere interim dum illos ei non solvitur, n.14.

Dato Regno, aut Civitate in pignus mutui, mutuator non tenetur in sortem computare vectigalia, & alios fructus ex pignore acceptos, curæ; & gubernationi Regni, aut Civitatis correspondentes; tenetur tamen alios non respondentes cōputare. n.15.

CONCLVSIO.

VSurarius est; qui vestem in pignus habet, & illa vtitur, qui agrum, & eius fructibus vtitur, & huiusmodi vsus in sortem non computat principalem debitam. Et idem assero de quolibet alio pignore. 1

Hanc tenet D.Thom. 2.2.*q.*78. *art.*2. *ad* 6. vbi limitat: nisi fortè esset talis res, cuius vsus sine pretio soleat concedi inter amicos, sicut patet de libro accommodato. Caïetanus *ibi*; cum solùm excipiat pignus dotale. D. Antonin. *in Sum. part.* 2. *tit.*1. *c.* 7. §. 25. Iacob. de Graffis *in decis. aureis, lib.*2.*cap.*109. *num.*16. *& seqq. parte* 1. Lessius, *de Iust. & Iure, lib.*2.*cap.*20. *dubit.*16.*num.*137. cum communi Doctorum sententia. Caspensis, *tom.*2. *&* 19. *disp.*3.*sect.*9. *num.*67. Bassæus, *tom.* 1. *verbo Vsura IV. n.*3.*&* 4. cum Molina, *tom.*2. *disp.*320. Reginaldo, *lib.*25.*num.*204. *&* 241. Petrus Martyr Coma, *in Directorio Curatorum, cap.*17.*in fine.* Sylvester, *verbo, Vsura III. in princ.* Ioannes Caramuël, *in Theologia Morali, lib.*2. *disp.* 14.*n.*789. *pag.*199. cum Aragone, Bannez, Salone, & aliis interpretibus, *in* 2.2.*q.*78.*art.*2.*ad* 6. cum Dicastillo, *lib.*2.*tract.*10. *disput.*2. *num.*300. Salas *tract. de Vsuris, dubit.* 28. Garcia *de Contractibus, cap.*40. *num.*7. Rebello, *lib.*8.*q.* Medina, *de Vsuris, q.*2. Roderiquez, *in summa, part.*2.*cap.*17. & Lopez, *part.*2.*cap.*53. Augustinus Barbosa, *in cap. Plures, num.*1.*& in cap. Quoniam, num.*3.*el* 1.*&* 2.*de Vsuris*, cum Bonacina, *de Contractibus, disp.*5.*quæst.*3. *punct.*9.*n.*1. cum aliis etiam. Glossa *in dict. cap.* 1. *verbo, Deductis expensis.*

Probatur conclusio I. ex Concilio Turonensi sub Alexandro III. relato *in allegato, cap. Plures,* decernente. Et si quis alicuius possessionem, data pecunia, sub hac specie, vel conditione in pignus acceperit, si sortem suam (deductis expensis) de fructibus iam perceptis: absolutè possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet eo recepto, possessio liberè ad dominum revertetur. 2

Probatur II. conclusio *ex dicto cap. Quoniam,* in quo præfatus Alexander Papa sic rescribens statuit. Quoniam non solùm viris Ecclesiasticis, sed etiam quibusvis aliis periculosum est vsurarum lucris intendere, authoritate præsentium duximus iniungendum, vt eos, qui de possessionibus, vel arboribus; quas tenere in pignore noscuntur, sortem (deductis expensis) receperunt, ad eadem pignora restituenda sine Vsurarum exactione Ecclesiastica districtione compellas. 3

Probatur III. Quia creditor nullum ius habet ratione, v. g. mutui, ad illos fructus. Illos enim ex re percipit aliena. Dominium namque pignoris apud illum, qui rem dedit in pignus residet. Vnde 4

cum res fructificet domino, Lessius *nn.* 137. Caspensis *n.*67. fructus ad creditorem pertinere neutiquam queunt.

5 *Ad creditorem* dixi, quia doctrina vera est, non solùm in mutuo formali, sed etiam in virtuali: quando scilicet datur pignus interim dum pretio rei venditæ non solvitur, vel dum res non traditur empta: & in vniversum, quotiescumque fructus pignoris percipiuntur pro temporis dilatione. In his enim omnibus eventibus est mutuum virtuale, & non alius titulus ratione cuius percipi possint, vti docet Caspensis, *n.* 67.

6 Ex quibus infertur primò, quod si agrum sterilem, quem mutuatarius, vel debitor non colebat, accepit in pignus mutuator, vel creditor, & ex sua diligentia fructus collegerit, tenetur eos, deductis expensis in colendo factis, in sortem computare. Docet Lessius *n.* 137. cum Navarro *cap.*17. *n.*217. Caspensis *n.*67.

7 Infertur II. quod si pignus diligentia indigeat & labore, vt conservetur, aut fructificet, si fructiferum sit, licitè non teneatur gratis laborem subire; tenetur tamen, si plus ceperit ex pignore, quàm propter laborem debeatur, domino pignoris restituere, seu in sortem computare. Est textus elegans *in cap. Ad nostram, el 1. & 7. de Iureiurando, infra recensendo.* Caramuël *num.*790. qui exempla ponit in vsu vestis pignoratæ, & in fructibus agri pignorati. Graffis *num.* 17. qui benè limitat expensas deducendas, ad solas vtiles, & necessarias, non ad voluntarias. Infert, & probat ex *l. Si necessarias, l. Si servus, ff. de Pignoribus, l. Fructus, ff. soluto matrimonio, l.2. Cod. de Pignoratitia actione, l.2. Cod. de Pactis pignorum.*

8 Immò tenetur creditor debitori restituere fructus, quos ex pignore propter suam negligentiam non recepit, vt si vineam, aut agrum non excoluit, aut si domum non locavit (Pensio enim domus, fructus civilis dicitur.) Ita Caspensis *n.* 67. & Graffius *num.* 17. qui *num.* 18. advertit, quod si domus, data fuit in pignus, & actum fuit, vt creditor eam habitaret, teneatur creditor ad pensionem, quam ipse solitus erat solvere; non tamen ad eam, quam pro conductione domus ob alio percipere potuisset. Allegat *l. Si ea, la 1. Cod. de Vsuris:* & Paulum de Castro *in l.1. Cod. de Pignoratitia actione.* Et quod de restitutione dictum est fructuum non perceptorum ob negligentiam, dico de damnis ob eandem negligentiam in pignoribus repertis.

9 Sed quid si debitor in contractu mutui datis pignoribus donationem fecerit creditori fructuũ, quos ex pignoribus percipiet, etiam ob merita? Inquirit Graffius: & respondet. Dic, quod præsumitur contractus omninò vsurarius, vt notat Dominicus *consil.*12.

10 Difficultates aliæ hîc occurrunt discutiendæ. I. An si Mutuatarius dato pignore fructifero mutuatori, iuraverit solvere quantitatem mutuo acceptam, teneatur illam solvere, vel possit obiicere creditori computationem fructuum perceptorum in sortem principalem? Respondet Graffius *num.* 19. teneri ad solutionem ratione iuramenti, ex textu *in capite Ad nostram, de Iureiurando, el 7.* vbi apertis verbis decernit Alexander Papa III. cogendos esse mutuatarios, qui sic, vt præfertur iuraverunt solvere sortem, ad restituendas mutuatori possessiones, & earum fructus in pignus datos mutuatori ipsi. Et pecunia mutuata persoluta, tota scilicet, vti ait ibi Glossa, cogendum etiam esse mutuatorem *ad restituendum quicquid (deductis expensis) vltra sortem recepisse constiterit.* Verba Decretalis sunt.

Secunda. An dari possit casus in quo, qui mutuavit teneatur fructus pignoris in sortem computare? Respondeo duos dari casus. *Primus* est, quando Feudatarius dat in pignus proprio domino, rem, quam feudo habebat. In illo enim dominus non debet rei fructum computare in sortem principalem, dummodò tamen interim feudi remittat servitium. Ita Glossa *in Summ. c. 1. de Feudis.* Barbosa *ibi, num.* 1. cum Cened. *collect.* 6. Viviano *in Rationali Iuris Pontificij, lib.*3. *pag.* 194. Alagona *in Compend. Iuris Canonici, pag.* 438. & pluribus aliis. Glossa *in cap.* 8. *de Vsuris, verbo De feudo.* Lessius *num.* 139. cum Navarro *in Manuali, cap.* 17. *num.*217. & Gabriele *distinct.*15. *q.*11. *art.*2. *concl.* 4. Caspensis *num.* 68. 11

Et probatur *ex cap. Insinuatione, el 1. de Feudis*, vbi sic Innocentius Papa III. Insinuatione »
præsentium declaramus, quod frageria (id est »
pignus, sive feudum, ait Glossa *verbo Gageria*) »
quam de Feudo Ecclesiæ tuæ ab M. dignosceris »
recepisse, à te potest liberè detineri, fructibus »
non computatis in sortem: ita videlicet, vt »
quandiù fructus illos ceperis in sortem minimè »
computandos. Idem M. à servitio in quo tibi, & Ecclesiæ tuæ pro Feudo ipso tenetur, interim sit immunis. Hactenùs Innocentius.

Probatur *secundò* ex *cap.* 8. *de Vsuris*, in quo ita Alexander Papa III. decernit. Conquestus est nobis C. Clericus: & infra. Discretioni vestræ mandamus, quatenùs si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & de fructibus eius, sortem recepistis, prædictam terram Clerico memorato reddatis; nisi terra ipsa, de Feudo sit Monasterij vestri.

Ratio autem huius, ait Caspensis, nulla alia assignari potest, nisi ipsa Lex feudi: quia videlicet à principio huius contractus cum hac conditione explicitè, vel implicitè apposita, celebrari ceperit, vt si res feudo data, in potestatem rediret Domini, etiam per modum pignoris, fructus illius, pro tempore illo, ad Dominum pertinerent directum. Ita ille cum Soto *de Instit. lib.6. quæst.*1. *art.* 2. De illo autem, quod interim debeat Dominus servitium remittere, nihil quoad rationem decidendi dicit. Et fortè, quia sic omnia iura, vsuram interdicentia, servantur illæsa in hac parte, etiam de contrahentium consensu.

Secundus casus est, quando Socer non dat 12
statim Genero dotem promissam, sed interim dum illam non solvit, ei dat pignus fructificans. In quo quidem caso non tenetur Gener fructus pignoris, quos recipit, in sortem dotis computare, sed illos licitè, & absque vsuræ labe potest percipere, & postea integram dotem. Ita docent Glossa, *in summa, cap. salubriter*, mox citandi. Lessius, *vbi suprà, num.*141. Caspensis, *vbi suprà, num.*69. Caramuël, *num.*791. Aug. Barbosa *in dict. cap. Salubriter. num.*1. cum Cenedo, *collect.* 44. Viviano *in Rationali, lib.*5. *Iuris Pontificij, pag.* 150. Alagona *in Compendio Iuris Canonici, pag.* 687. & compluribus, quos recenset,

Probatur ex *capite Salubriter, el 16. de Vsuris*, in quo Innocentius III. sic ait. Salubriter: & infra

„ infra sanè generum ad fructus possessionem, quæ „ sibi à socero sunt pro numerata dote pignori obli„ gatæ, computandos in sortem, non credimus „ compellendum: cum frequenter dotis fructus, non „ sufficiant ad onera matrimonij supportanda.

Circa quam Decretalem, ita philosophatur Caramuël. Vel Pontifex concedit, vel definit. Si concedit privilegium est, & habet Iuris vim, & debet practicari. Nemo enim dubitat posse Legislatorem ferre hanc legem. *Dos datur numerata pecunia; quod si comparanda illa sit, pignus genero traditur, cuius vsusfructum non socero, sed genero, non quidem ratione mutui, sed ratione maioris dotis credito?* Si definiat, saltem mihi concedent adversarij, Pontificum definitiones, extra materiam Fidei, non habere minorem authoritatem, quàm habeat opinio probabilis. Laudandi igitur auctores, qui titulum, propter quem fructus pignoris ad generum spectet, examinant; carpendi, qui sententiæ Pontificis probabilitati oblatrant.

Lessius autem sic illam interpretatur, vt in ea Pontifex nihil præter Ius commune, nec genero privilegium concedat ratione onerum matrimonij in pignore dotis, quod non habeat ex conditione contractus; sed tantum explicat, generum non teneri computare fructus pignoris in sortem dotis, supposita consuetudine, quæ passim viget: quod ex ipso modo loquendi Pontificis satis patere ait. Et hanc Lessij interpretationē approbat Caspensis *dicta sect. 9. num. 70.* vbi ait *in fine*, eodem modo philosophandum esse, quando loco pignoris datur genero pensio aliqua pecuniæ: quia potest existimari dari liberaliter à socero ad sustentanda onera matrimonij, vel in partem dotis.

13 Sed dubitatur à Doctoribus I. An gener possit retinere fructus pignoris etiamsi ex dilatione dotis nullum ei lucrum cesset? Respondent Lessius, & Caspensis, licitè illos posse retinere, sine computatione in sortem dotis. Quia non dantur à socero ratione lucri cessantis (vt alij volunt apud Covarruviam *lib. 3. variarum, cap. 1. num. 3.*) sed vt onera matrimonij sustententur, donec dos solvatur, vel ratione augmenti dotis, vti addit Caspensis. Limitant tamen, & benè, dummodò de contraria soceris non constet intentione. Et quod de socero dicitur, dicendum censet, & meritò, Lessius *nu. 142.* de quolibet extraneo, qui dotem dedit, & pignus.

14 Dubitatur II. An vidua possit accipere fructus pignoris dum solvitur dos, absque eo, quod eos teneatur in dotis sortem computare? Aliqui Doctores negativè respondent in casu, quod damnum emergens, aut lucrum cessans non ei contingat. Ducuntur illo fundamento, quod pignus solùm ad securitatem solvendi dotis soleat dari, Bannez *2. 2. quæst. 78. art. 2. sub fine.* Aragon *ibidem* Lopez, & alij, quos suppressis nominibus recenset Lessius (quorum placitum non esse improbabile dicit) sentiunt independenter à damno emergente, aut à lucro cessante, posse fructus retinere. Ipse tamen putat spectandam esse consuetudinem (quod & Turrianus docet *disputatione 71. dubio 5.* penes Caspensem, *vbi suprà, num. 71.*)

Caspensis tandem dicit, in favorem viduæ introductum esse, ex consuetudine, etiam apud tribunalia, vt alimenta dentur ei anno viduitatis, in quo hæredes (inquit) cogi non possunt ad solvendum lucrum cessans: quia ex Lege habent illud tempus, vt possint dotem solvere, *l. vnica, §. Cum autem, Cod. de rei vsuraria actione.* Vbi dicitur, vltra annum, si dotem non solverint, teneantur ad vsuras, id est ad lucrum. Hæc ille, qui absolute approbat sententiam Doctorum asserentium posse viduam retinere fructus pro alimentis, dicens: hoc enim videtur rationi, & Iuri consonum, vt hæredes defuncti alant vxorem illius eo tempore, quo dotem non restituunt.

Dubitatur tertiò, An Rex, aut Princeps, qui in pignus mutui ab alio Principe recipit Regnum aut Civitatem, debeat in mutui sortem computare vectigalia, aut alios fructus, ex ipso Regno, Civitate, aut Villa, &c. perceptos?

Affirmat Gu[illegible] his *in Decisionibus aureis; part. 1. lib 2. cap. 109. num. 22.* ita vt restituendo Vrbes, aut Villas Domino, teneatur etiam restituere fructus, medio tempore perceptos. Cum [illegible] tentiam tenent, apud Caspensem *num. 72.* Caietanus, & Sotus. Negat tamen ipse Caspensis, cum Mercado *Opusculo de Vsuris, cap. 7.* Quia vectigalia ideo dantur Regi, quia habet curam gubernationis Civitatis. Ergo (infert) qui habet Civitatem in pignus, cum eandem habeat curam, eodem titulo poterit vltra sortem mutui accipere vectigalia: sunt enim hi fructus industriales respondentes officio, & curæ Regis, atque adeò citra labem vsuræ possunt licitè recipi vltra sortem. Cuius quidem sententia multum mihi arridet, si non percipiantur alia emolumenta, præter ea, quæ pro dicta cura, & gubernatione debentur.

DVBIVM XXI.

An sit Vsurarius, qui dum mutuat, paciscitur, vt mutuatarius, si ad certum terminum non restituerit sortem, aliquid vltra eam solvat, in suæ moræ pœnam?

Quod est inquirere: *An pœna conventionalis locum habeat in mutuo?*

BREVIARIVM.

Debitor.

Contra iustitiam peccat si est in mora, n. 6.

Pœna.

Conventionalis apponi potest in contractu mutui, solvenda, si ad terminum præfixum soluta non fuerit sors mutuata, à n. 4.

Limita in casu, quo in fraudem apponatur vsurarum, n. 2.

Sex casus adnumerantur in quibus vt plurimum in illarum apponitur fraudem, n. 2.

Mora solvendi debitum, vt locum habeat pœna conventionalis, notabilis esse debet, non vnius hebdomadæ, n. 2.

Licitè apponitur in contractibus conventionalis pœna, n. 5.

Ad pœnam obligare invitum, solum Superior potest, num. 7.

Consentientem, potest privatus ad pœnam obligare, num.7.

Vsura.

Non committit Vsuram, qui dum mutuat sine fraude paciscitur, vt mutuatarius non restituens sortem ad certum terminum, aliquam luat pœnam, à n.3.

1 PRo dubij resolutione suppono I. illud procedere non solùm quando intervenit lucrum cessans, vel damnum emergens, sed etiam quando ratio pœnæ attenditur precisè.

2 Suppono *secundò* pœnam conventionalem non apponi in fraudem Vsurarum. Tunc enim sine controversia, committeret Vsuram in tali pactione, vti benè Iacobus Graffius, *in Decisionib. aur. part.*1. *lib.*2. *cap.* 106. *num.* 12. Vbi plures recenset casus, in quibus præfata vt plurimum interveniat fraus. *Primus*, si creditor esset solitus fœnerari. *l. Iulianus, ff. de Actionibus empti, & venditi*, argumento *textus in l. Qui semisses, ff.* eodem, D. Antoninus *part.* 2. *tit.*1. *cap.*7. §. 22. Vidal, *de Vsura, num.* 52. *Secundus*, si pœna excedat interesse Gordonus *num.*44. citando Vidal *num.* 52. *Tertius*, quando quis mutuat apposita pœna, nisi intra diem statutam ei solverit, quem à principio credebat ad eam diem solvere non posse. Gordonus *num.* 45. cum Molina, Toleto. Medina, Navarra, & Navarro. *Quartus*, si pœnam exigit ab eo, qui sine culpa sua non solvit. Quia vbi culpa non est, cum solvere non possit, iniustè infligitur pœna, *cap. sine culpa, de Regulis Iuris, lib.*6. D. Antoninus Gordonus, *num.*43. Becanus, *infra, num.*4. Vidal, *num.*52. Caspensis, mox citandus, *num.*90. Lessius *infra, num.*131. *Quintus*, quando soluta parte debiti, tota pœna extorqueretur, maximè si obligatio indivisibilis esset. Sylvester, *verbo, Vsura I. quæst.*28. Navarr. *in Manuali cap.* 17. *num.* 215. Gordonus, *num.*44. Vidal, *num.* 65. *Sextus*, quando pœna apponitur gravis: vt si dicatur: elapso termino, singulis etis diebus ad tantam solvendam pecuniam obligatus. Immò addit D. Antoninus si per singulos menses, vel annos, argum. *cap. Dilecti Filij, el 4. de Arbitriis.* Becanus Caspensis, *n.*90. & addit, moram debere esse notabilem, non vnius hebdomadæ.

3 Quod si petas in his casibus, an pœna apposita sit in Vsuratum fraudem, quomodo constabit? Respondet Graffius, in foro conscientiæ, & animæ standum esse ipsius creditoris. Idem dicit D. Antoninus, & addit, etiam in iudicio. Quo supposito sit.

CONCLVSIO.

4 LIcitè, & sine Vsuræ crimine, potest mutuator pœnam conventionalem mutuatario imponere, tempore contractus mutui, solvendam, si ad terminum sortem non solverit præfixum.

Hanc tenent D. Antoninus *in Summa, part.* 2. *tit.*1. *de Vsura, cap.*7. §.22. Iacobus Gordonus *in Theologia Morali, tom.* 2. *lib.* 4 *quæst.* 6. *cap.*15. *num.*42. cum Soto, *de Iust. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.*3. Conrado, *de Contractib. quæst.* 31. Molina, *de Iust. tom.*1. *tract.*1. *disp.*97. Navarro, *in Manuali, c.*17. *num.*215. & Toleto, *lib.*5. *cap.*32. Iacobus Graffius, *dicto cap.*106. *num.*11. & 13. *ex l. prædia, ff. de actionibus empti, & vendisi.* Azorius, *part.*3 *l.*5. *cap.*6. *quæst.*5. cum Scoto, *in* 4. *distinct.*15. *quæst.*1. *quæst.*2. Angelo, *verbo Vsura I. quæst.* 28. *fol. mihi* 386. Lessius, *de Iust. lib.*2. *cap.*20. *dubit.* 15. cum Gabriële, *in* 4. *distinct.*15. *quæst.*11. *art.*1. *col.*4. & Ioanne Medina *quæst.*3. *de Vsura* §. *Quartu causa.* Bassæus, *tom.*1. *verbo Vsura IV. num.* 1. cum Sà, *verbo Pœna.* & Petro Navarra, *de restit. lib.*3. *c.*2. *num.* 331. Becano, *de Iust. quæst.* 78. *q.*7. *num.*2. cum Gabr. *quæst.*11. *art.* 2. Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Vsura. Inquisit. vnica à num.* 43. Caspensis *in Cursu Theologico tom.* 2. *tract.* 19. *disp.* 3. *sect.* 11. *num.* 90. Ioannes Caramuël *in Theologia Morali, lib.* 2. *disp.* 14. *de Invidia, & Vsura, num.*779. *de Mora*, cum Medina *Cod. de Restitut. quæst.* 41. §. *Quarta causa.* Dicastillo, *lib.*2. *tract.*10. *disput.*2. *num.*258. Mercado, *tract. de Vsuris, cap.*7. Reginaldo, *lib.* 25. *num.* 228. Toleto, *lib.*5. *cap* 32. & Salone, 2.2. *quæst.*78. *art.*1. Machadus, *tom.*1. *lib.*3. *part.*5. *tract.* 8. *docum.*8. & alij passim Doctores, ita vt neminem contrarium asserentem legerim: nullum pro contraria sententia allegatum viderim, vno Catholico excepto Aragone, 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. asserente Vsuram esse exigere pœnam conventionalem, nisi cesset lucrum, aut damnum emergat: & altero nefandissimo hæretico, à Sanctissimo Clemente Papa VIII. damnato cum omnibus suis scriptis, quamtumvis parvis, in Constitutione *Apostolica Sedis, la* 89. *apud Angelum Cherubinum, tom.*3. *Bullarij pag. mihi* 135. Qui quidem Author Ecclesiæ Catholicæ infestissimus, docebat, vti ait Gordonus, pactum pœnale nihil vnquam valere. Sed impugnatur vterque Author, & simul propugnatur nostra verissima sententia.

Primò. Quia pœna conventionalis inter contrahentes est licita, & specialiter de apposita in contractu mutui, docent omnes, quos pro nobis allegavimus. Ergo non est Vsuratius, qui dum mutuat, pœnam apponit mutuatario, de illius consensu, vt aliquid supra sortem solvat, si illam ad præfixum non persolverit terminum. Antecedens confirmat Vidal, *num.*45. ex *l. si pacto, quo pœnam, Cod. de Pactis, ex l. Prædia, ff. de actionibus empti, & venditi.* Gordon. *n.*42. *vers. Secunda.* 5

Secundò. Debitor, qui est in mora peccat contra iustitiam retinendo alienum, seu debitum. Ergo dignus est pœna. Ergo licitè illa infligi potest, etiam in contractu mutui ex conventione partium, sicut imponi solet ei, quia contractu resilierit. 6

Nec valet dicere, quod solus Superior valeat alteri imponere pœnam, quam subire teneatur. Non inquam valet, quia licet sit verum, quod solus Superior invitum queat obligare ad pœnam; verum etiam est, quod etiam privatus alterum consentientem obligare benè possit. Et tunc quidem ille, per suum consensum, seipsum obligat, non aliter, quàm in aliis contractibus. Et ita respondent, *num*, 129. Lessius, & Gordonus, *n.*42. *versic. Secunda*, quo loci ait, ad hanc pœnam opus non esse authoritate publica, cum contrahentes consentiant, *ex lib. si pacta, Cod. de Pactis.* 7

* * *

DVB.

DVBIVM XXII.

Incidens.

An Pœna conventionalis in Mutuo, alióve contractu apposita, debeatur in conscientia, nulla spectata Iudicis sententia, & omni officio eius Irrequisito?

BREVIARIVM.

Contractus.

Quod ex contractu debetur, debetur in conscientia, num. 3.

Pactum.

Gravem obligationem naturalem, & ex iustitia inducit, n.6.

Pœna.

Conventionalis in quolibet iusto contractu apposita in conscientia debet solvi ante omnem Superioris iussionem, à n.2.

Tenetur solvi statim, ac petitur à Creditore, non antea, n.6.

Pœna conventionalis à legali differt in hoc, quod legalis, non debetur ante sententiam criminis, declaratoriam secus conventionalis, n.5.

Votum.

Pœnale, nulla expectata sententia, tenetur in conscientia votum adimplere, qui promisit, numero 4.

1 IN hac difficultate duas invenio sententias, sibi ad inviecem contrarias. *Prima* docet, non teneri ad solvendam pecuniam conventionalem in conscientia, qui ad id non fuerit prius per Iudicis, aut Superioris officium adstrictus. Pro hac allegantur Navarrus, *in Manuali, cap.*23.*n.*67. Layman, *l.*3.*sect.*5.*tr.*4. *c.*16.*n.*51. Sanchez, *tom.*1.*de Matrim.l.*1.*c.*37.*n.*4.Diana,*p.*1. *tract.*8 *resol.*29. Adrianus, *quod l.*6.*art.*1.*conclus.*2.*illatione* 3. Lopez, *lib.*1. *de contract. c.*31.*l.*2. *cap.*34. Victoria, penes eundem Lopez, & Lessius; sed immerito iste Doctor pro hac refertur sententia, vti videbimus; verum est tamen, quod illam iudicet probabilem, *de Iust. l.*2. *c.*20. *dubit.*15. *n.*136. Sicut Caspensis mox citandus. Gordonus, Bassæus isti adheret sententiæ, *tom.* 1. *verbo Vsura IV. n.* 2. Gabriël Vasquez, *tom.*1.*in* 1.2. *disput.*173. *cap.*1. *num.*3. *in fine.*

CONCLVSIO.

2 POena conventionalis, in quolibet iusto contracto apposita debet in conscientia solvi, ante omnem iudicis iussionem, nullo desiderato Superioris Officio.

Hanc tenent sententiam, D. Antoninus, *in Summa, part.*2. *tit.*1. *de Vsura, cap.*7. §.22. cum Hostiense, ibi: *& permaximè, in foro conscientiæ.* Caspensis *in Cursu Theologico; tom.* 2. *tract.*19. *disp.* 3. *sect.*11. *num.*90. Gordonus, *in Theologia Morali, tom.*1. *lib.*4. *q.*6. *cap.*15. *num.*42. *versic. Quares.* cum Covarruuia *in epist.* 4. (scilicet *Decret.*) *part.*2. *cap.*6.§.8. *n.*11. Angelo, *verbo Pœna, q.*12. Sylvestro, *eodem, verbo, quest.*14. (dicente ex Panormit. *ex cap. Raynaldus*, quod pœna apposita ex contraventione, committitur ex sola contraventione facti.) & Petro Navarra, *de restitut. lib.*3. *cap.*2. *num.*336. Molina, *de Iust. tom.*2. *disput.*97. & Toleto, *lib.*5. *cap.*34. Marcus Vidal, *in Arca Vitali, tit. de Vsura, inquisit. vnic. n.*55. cum Suarez, *de Legibus, lib.*5. *de varietate legum humanarum cap.*6. *num.*8. & 9. Reginaldo, *lib.*25. (*cap:*21.) *num.*228. Molina, *disput.* 317. *num.* 2. Molfesio, *in Summa, tract.* 12. *cap.* 23. *n.*43. & Megalla, 2. 2. *cap.*15. *q.*2. *n.*19. Lessius, absque ratione, pro contraria allegatus sententia, sic enim pro nobis ait, *dicto n.*135. Valdè probabile est, ante omnem sententiam deberi. Et *num.* 136. *in fine.* Itaque verius puto spectandam consuetudinem: quæ nisi requirat condemnationem Iudicis, credo teneri ante sententiam, ad solam partis requisitionem. Hæc ille. Quid pro nostra sententia clarius? Illam etiam tenent penes Dianam *loco citato*, Regius, *in suis resolutionibus casu* 43. *n.*14. Malderus, 2.2. *tract.*4. *cap.*3. *dub.*18. Turrianus, 2. 2. *tom.*2. *disp.*61. *dub.* 3. *n.*9. Filliucius, *tom.*2. *tract.*34. *cap.*5. *num.* 105. Salas, *tract. de Vsuris, dub.*21.*n.*3. Sà *verbo, Pœna, n.* 2. Gutierrez, *de Matrimonio, cap.*18. *n.*19 Tenent etiam Beeanus, *de Iust. quæst.*78. *quæst.*7. *n.*5. Azotius, *part.*3.*l.*5. *cap.*6. *q.*5. *versic. Quares.* Castrus Palaus, *tom.*1. *tract.*3. *disp.*2. *punct.*3. *n.*1. cum Felino; *cap.*1 *de Constitutionib. n.*46. Decio, *ibi lect.*2. *n.*20. & *lect.*1. *n.*78 Paludano, *in* 4. *distinct.*27. *q.*1. *art.*2. *n.*13: Navarra, *vbi supra, dub* 10. *n.*274. *in* 2. *edit.* Illam pronuntiant probabilem: Bassæus, *tom.* 1. *verbo, Vsura IV. n.*2. Diana *loc. cit.*

Probatur nostra conclusio. Quia obligatio ad pœnam conventionalem fit ex contractu. Sed quod ex contractu debetur, in conscientia debetur: vnde *in l. Rescriptum*, §. *si pacto, ff. de Pactis*, datur actio adversus debitorem pœnalem: ibi. *Si quis in pacto pœnam stipulatus est, posse postea agere, vel ex pacto, vel ex stipulatione suo arbitrio.* Ergo signum est debitorem pœnæ in conscientia esse obligatum. 3

Confirmatur argumento desumpto ex voto pœnali, ad cuius obligationem tenetur vovens, nulla expectata sententia, si principali non steterit obligationi. Ergo etiam debet teneri homini, si à principali destitit obligatione. 4

Deinde probatur ex differentia communiter adnotata inter pœnam legalem, & conventionalem, quod illa non debetur ante Iudicis sententiam, saltem criminis declaratoriam: de quo plura diximus *disq.*4. *huius Tractatus, dub.*13. secus autem ista. 5

Difficultas adhuc in nostra sententia remanet resolvenda: *An scilicet debitor pœnalis teneatur in conscientia pœnam solvere antequam à creditore exigatur?* Communis resolutio est non teneri ad eius solutionem nisi priùs petatur à creditore, cuius exactio vicem supplet Iudicis. Ratio est. Quia nimis durum est, & hominum non satis accommodatum, vt solutio pœnæ debeatur ante exactionem; æquum verò, & iustum, vt creditore exigente, statim solvatur; quia debetur ex pacto gravem obligationem naturalem, & ex iustitia inducente. Quare sicut illicitum est Iudici iubenti solvere pœnam legalem, aut iudicialem resistere; ita illicitum est parti exigenti pœnam conventam denegare. Et ita docet Lessius, *vbi suprà, num.*316: 6

versic. Adverte tamen cum Covartuuia, *in Epitome 4. Decretn,p.1.c.6.* §.8. *n.*11. Molina, *tom.*5. *de Iust. disq.* 97. & multis Iuris peritis, suppressis nominibus recensitis. Gordonus *vbi suprà, & l.*2. *q.*11. *cap.*5. *n.*14. *versic. contra vero*, vbi ita fatur. Et quidem hoc probabilius est, sive divinandum sit de voluntate contrahentium tempore contractus initi sive vim pacti quis hîc expendat. Allegat præter Covartuuiam, *vbi proximè*, & Molinam, Angelum, *quæst.*12. Navarrum *dicto n.*336. & Toletum, *lib.*5. *cap.*32. Becanus, *loco iam reddito.* Azorius, *vbi suprà, versic. deinde quæres*, cum Corn. *Consilio*.69. *lib.* 2. *& consf.*55. *lib.* 3. & Rebuffa, *in l.*1.*Cod. de sententiis, quæ pro eo, quod interest proferuntur, n.*40. Caspensis, *num.*90. *citato.* Marcus Vidal, *n.*55. *ad secundam probationem* Hanc etiam sententiam tenet Palaus, *num.*4. in casu tantùm, quo contrahentes verbis exprimant, se obligare ad pœnam conventionalem velle, nulla expectata Iudicis condemnatione.

DVBIVM XXIII.

Incidens.

Ad quem de Vsura cognoscere pertineat?

BREVIARIVM.

Fides.

Ad fidem pertinet, non solùm credere, sed secundùm illam operari, n. 5.

Fides, sine operibus mortua est, n.5.

Forus.

Iudex Ecclesiasticus cognoscit, iudicat, & punit privativè ea, quorum prohibitio ortum habet ex iure Canonico solo, vel simul cum divino, & naturali, absque civili. n.12.

Sæcularis, privativè cognoscit de Criminibus, quorum prohibitio ortum habet solùm ex civili, & non Canonico, n.12.

De his, quorum prohibitio est tum ex Iure Canonico, tum ex civili, pœnam constituendo, à præventione cognoscit vterque Iudex, n.12.

Theologi.

Declaratio materiarum, quæ ius divinum spectant, ad Theologos pertinet, n.4.5.

Vsura.

Dubia de Vsuris declarare, an sint vsura, necne, magis ad Theologos, quàm ad Canonistas pertinet, à num. 4.

Cognoscere, an contractus celebratus, Vsurarius sit sit ad Iudicem Ecclesiasticum privativè spectat, n.8.10.

Cognoscere de Vsurariis, & contra illos procedere possunt à præventione Ecclesiasticus, & laicus, n.10.11.12.

1 TRiplicem sensum habere potest dubium propositum: alterum in ordine ad examinandas, & determinandas difficultates, circa actiones, & contractus: *An scilicet Vsurarij sint, necne?* Alterum verò in ordine ad pœnas, Vsuræ reis, infligendas: videlicet, *Quænam illa sint, & applicari debeant?* Tertium tandem; *Ad quem Iudicem pertineat Iuridicè contra Vsurarios procedere, & illos punire?*

Circa primum duplex est sententia. *Prima*, est 2
Anchartani, penes D. Antoninum, *in Summa, p.* 2. *tit.* 1. *de Vsura, cap.*7. §. 4. dicentis quod determinatio dubiorum de Vsuris non spectet ad Theologos, sed ad Canonistas. Dicit enim, quod interpretatio Iuris naturalis, & divini, quatenùs tendit ad moralitatem, & dirigit actus nostros in Deum, pertinet ad Canonistas; sed quatenùs Ius Divinum tendit ad spiritualitatem, & tuitionem Fidei contra infideles, pertinet ad Theologos. Et sic concludit, quod magis ad Canonistas, & Iuristas, quàm ad Theologos pertinet determinatio de Dubiis circa Vsuram. Ita ille *in cap. Malæ fidei possessor, de Regulis Iuris*, *l.*6.

Arnaldus Arbeltinus, *in tract. de agnoscendis* 3
assertionibus Catholicis, & hæreticis, quæst. 10. *n.*11. *pag. mihi* 32. Anchartanum sic allegat, & sequitur. Et facit (addit) quod notant Innocentius, & Ioan. Andreas *in cap. fin. de consuetud. cap. Quæ in Ecclesiarum de consuetudinibus*, & per Legistas, *in l. finali ff. de Constitutionibus Principum.*

CONCLVSIO I.

SEcunda, & vera sententia est magis ad Theologos, quàm ad Canonistas pertinere declarare dubia de Vsuris.

Probatur. Quia declarationes materiarum, quæ 4
ius respiciunt divinum, magis ad Theologos spectant: & in hoc debent ad eos recurrere Canonistæ: & hac de causa Qualificatores Sancti Officij contra hæreticam pravitatem, qui censores sunt propositionum, & doctrinarum ad Fidem, & Mores pertinentium, Theologi sunt, non verò Canonistæ, aut Iuristæ. Sed Vsura primario, & per se à Iure divino est prohibita. Ergo dubia circa Vsuras orta, magis ad Theologos pertinent, quàm ad Canonistas, & Iuristas.

Deindè ad bonitatem Fidei pertinet, non so- 5
lùm credere, sed etiam operari secundum illam. Fides enim sine operibus mortua est. Sed ad Theologos spectat interpretari Ius divinum in his, quæ Fidei sunt, vt fatetur Petrus Ancharranus. Ergo ad illos spectat agere, & declarare dubia de Vsuris. Patet consequentia. Quia Vsura est contra opera Fidei.

Hanc sententiam tenent D.Thom. *in quodlib*... D. Antoninus, *loco allegato*, & penes eum Antonius Butrius, qui fuit magnus Decretista (verba sunt S. Antonini.)

Ad hunc primum sensum reducitur quæstio 6
illa, inter Doctores controversa, quæ inquirit, *An cognoscere verum contractus celebratus, sit vsurarius, necne* (quæ quæstio de iure dicitur) *ad Iudicem Ecclesiasticum spectet, an vero ad laicum, vel ad vtrumque cumulativè, tanquam quid mixti fori?*

Quod mixti fori sit Vsura, & consequenter ad 7
vtrumque Iudicem Ecclesiasticum, & laicum spectet cognoscere, & decidere dubia, seu quæstiones de Iure Vsurarum, tenet Emmanuël Sà, *verbo Vsura, num.* 15. Sequuntur Emmanuelem Sà, penes Dianam, mox citandum Tanuerus, 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 4. *dub.* 1. *num.* 35. Salas, *tract. de empt. dub.* 45. *num.* 1. *&* 2. Ioannes Hevia, *in Labyrin. commerc. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 37. *& in Curia Philippica, p.* 3. §. 9. *n.* 27. Rodericus, *de annuis redditibus, l.* 3. *q.* 3 *n.* 12. 2.

Sed præfati Emmanuëlis placitum, communi- 8
ter reijcitur à Doctoribus. Dicunt enim, quod decisio

decisio quæstionis, *An contractus sit Vsurarius?* propriè ad Iudicem pertineat Ecclesiasticum, non ad laicum. Expresè noster Nicolaus Tudeschus, Abbas Panurmitanus, *in cap. Post miserabilem, n.2. el 12. de vsuris*, ibi. Et hoc, vbi non dubitatur contractum Vsurarium esse; si autem dubitaretur, cognitio pertineret ad forum Ecclesiasticum, vt plenè not. *in cap. Cum sit generale, de Foro competente, & cap. si Iudex laicus, de sententia excommunicationis, lib.6. & in l. Titia ff. soluto Matrimonio.* Idem Author, allegatus, & sequutus à Sylvestro, *verbo Vsura 6. in principio, in Clemen. 1. de Vsuris.* Iacobus Gordonus, *in Theologia Morali, tom. 1. lib. 4. q. 6. c. 19. n. 55. versic. Putant aliqui.* Antonius de Escobar, & Mendoza, *in Theologia Morali tract. 3. cap. 4. num. 37.* Diana, *p. 1. tract. 2. resol. 78.* cum Salonio, *2. 2. tom. 2. q. 78. art. 3. contra vltim.* Laymano, *in Theologia Morali, lib. 4. tract... c. 2. n. 8. & 9.* Ragucio, *in Lucerna Parochorum, tit. de Restit. q. 119.* Michaële de Palacio, *l. 6. contract. c. vlt.* Cardinali Tuscho, *tom. 8. §. Vsura, conclus. 357. n. 19.* Claro, *§. fin. q. 37.* Reginaldo, *in Praxi, tom. 2. lib. 23. c. 9. sect. 1. n. 93. in fine*, Bonacina, *de Contractibus, disp. 3. q. 3. punct. vlt. n. 2.* Martha, *de Iurisdict. p. 2. cap. 7. num. 11.* Scaccia, *tract. de Commerciis, §. 7. Glossa, 5. n. 81.* dicente. Conclude ex horum omnium casuum distinctione, & resolutione, quod cognitio, An contractus sit vsurarius, pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum, & non ad sæcularem, vt notavit Cardinalis Turrecremata, *in c. Quid dicam, sub n. 5. verbo Ad tertium, 14. q. 4.* Remittit etiam Lectorem Diana ad Bobadillam *in Politica, tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 40.* Ausonius Noctinot *in Diana Summa, verbo Vsura, n. 6.* Azorius, *Institutionum Moralium, p. 2. lib. 3. c. 53. q. 2.* Vbi ait. Contra communem omnium opinionem docet Covarruuias, *lib. 3. cap. 3. num. 1. Variarum resolutionum*, Vsuram esse mixti fori, sive quæstio sit Iuris, sive facti. Antonius Naldus, *in Summa, verbo Vsura, n. 20.* In sequentia prorumpens. Vsuræ quæstio, non in facto, sed in Iure consistens, etiamsi causa fuerit mota coram Iudice sæculari, & incidenter dubitetur de pravitate vsuraria, remittenda & ad Iudicem Ecclesiasticum, & donec ab eo articulus expediatur, erit super sedendum in causa: ex decisione Regni Lusitaniæ, 194. Antonij Gomæ. Quocirca Zacharias, in Commentatio ad Panormitanum, *c. 2. de Vsuris*, ait. Adde, tu quod quoties intentatur principaliter causa Vsurarum, quod tunc est merè Ecclesiastica, & de illo recognoscat sæcularis Iudex, potest ei Ecclesiasticus inhibere non obstante illius præventione, secus si incidenter.

9 A resolutione Dubij propositi, in secundo sensu intellecti, facilè me expediam, dicendo, ad illum spectare solum cognoscere, quænam pœnæ applicandæ sint Vsurariis, ad quem pertineat illarum executio, & ad quem quæstio de facto pertinere possit; *An scilicet contractus celebratus sit, necne?* Ille enim solùm tenetur examinare dubia, & scite ius, in quo versatur, vt rectè muneri suo satisfaciat; aliis autem non incumbit, vti ex se patet, nisi scite velint ea, ad quæ non tenentur. Pendet igitur resolutio, à resolutione Dubij, in tertio iam explicato sensu. Ad eam accedendo sit pro ea.

CONCLVSIO II.

Ad Iudices, Ecclesiasticos, & ad Sæculares cumulativè, & à præventione pertinet Iuridicè contra Vsurarios procedere & illos punire. 10
Ita communissima Doctorum tenet sententia. Abbas Panurmitanus, *in Rubrica de Vsuris*, cum Ioanne Monacho, *in cap. 3. eod. tit. lib. 6.* ait quod Ecclesia hoc casu sibi vendicat iurisdictionem in laicos, quia Vsurarij committunt principaliter in Deum abutendo rerum vsu. Ideo ad eius Vicarium spectat punitio. Item (addit) Vsura est peccatum inductum ex veteri, & novo Testamento, & ex lege Canonica: & ideò punitio spectat ad conditorem Canonum, & ad Vicarium Christi. Hæc ibi. & *cap. 2. eiusdem tit. num. 1.* ait. Nota I. ex textu laicos esse compellendos ad restitutionem vsurarum per Ecclesiam: nam hoc delictum, seu eius coërtio, spectat ad Ecclesiam. Et *cap. Præterea, num. 2. el 7. dicti tit.* Sic fatur, Tertio nota, quod laici subsunt Ecclesiæ, quoad istud crimen Vsurarum, & possunt excommunicari in vita, vt desistant, & satisfaciant de præteritis. Hæc Dominus Tudeschus, quoad potestatem Iudicum Ecclesiasticorum: quoad illos, & Iudices laicos, *in cap. Post miserabilem, num. 2. el 12. præfati tituli*, in sequentia prorumpit. Nota primò, textum singularem, & apertum in argu: quod coram Iudice sæculari possunt repeti Vsuræ, seu agi ad remissionem Vsurarum promissarum: nam sicut Iudæi possunt compelli per potestatem, seu Principem Sæcularem, ita & Christiani. Est ergo istud crimen mixtum, seu mixti fori, vt possit fieri restitutio, seu repetitio, tàm in foro Sæculari, quàm Ecclesiastico; & hoc vbi non dubitatur contractum vsurarium esse; si autem dubitaretur, cognitio pertineret ad forum Ecclesiasticum, &c. vbi supra.

Abbatem sequuntur Sylvester, *verbo Vsura, 9. in principio.* Gordonus, *dicto, n. 55.* cum Covarruuia, *lib. 3. variar. c. 3. in princ.* Bartholus, & alij, *in l. Titia, ff. soluto matrimonio*, penes Azorium, *p. 2. l. 3. cap. 53. q. 2. in fine.* Escobar, Hevia, Salonius, Martha, Diana, Noctinot, Naldus, cum Claro; *locis supra allegatis.* Thomas Delbene, *de Immunitate Ecclesiastica, tom. 2. cap. 10. dubit. 1. sect. 1. supposito 2. n. 14.* & non obscurè D. Antoninus, *in Summa, p. 2. tit. 1. cap. 7. §. 4. ad finem*; ibi: Benè est verum, quod quantum ad ea, quæ instituta sunt per leges, & Canones contra Vsurarios, declaratio dubiorum, magis spectat ad legistas, & Canonistas. Si ergo ad Iuristas, & Canonistas spectat declaratio eorum, quæ à legibus, & Canonibus statuta sunt: ad Iuristas, id est ad Iudices sæculares; & ad Canonistas, Iudices scilicet Ecclesiasticos, in D. Antonini sententia, eadem executioni demandare spectabit. Quia omnino inutilis esset vis directiva declarationis in eo, cui deesset vis coërcitiva executionis: vti ex Aristotele, D. Thoma, & Tamburino dixi *in disquisitione Pastorali; de Iure Prioris annexi, num. 125.* 11

Et præter hanc rationem, quæ mihi efficax videtur ad probandum crimen Vsuræ, mixti esse fori, aliam reddo ex Azorio, *p. 2. l. 3. c. 53. q. 1.* vbi sic inquirit, & resolvit. 12
Primò quæro. Quænam sint crimina tantummodo Ecclesiastici fori? Respondeo cum Goffredo, & Abbate, *in cap. Cum sit generale, de foro competente*

petente num. 30. esse illa, quorum prohibitio ortum habet, ex Iure Canonico solo, vel simul cum Iure divino, vel naturali, sed absque civili. Ac proindè huiusmodi crimina cognoscuntur, iudicantur, puniuntur ex præscripto Iuris Canonici, non civilis. Crimina pertinentia solum ad forum sæculare, sunt illa, quorum prohibitio ortum habet ex iure civili, non Canonico: vndè cognoscuntur, iudicantur, plectuntur prout leges civiles præscribunt. Crimina mixti fori sunt, quorum prohibitio est, tum in Iure Canonico, tum in civili, quia vtrumque Ius pœnam in criminosos constituit. Hæc ille, cui consonat Gordonus, *loco citato*, dicens Vsuram esse mixti fori; quia certè vtroque Iure tàm civili, quàm Canonico prohibentur Vsuræ, nec Ius Canonicum vllibi hoc crimen reservat Iudici Ecclesiastico.

13 Vndè non bene sibi constare videtur Azorius, dum immediatè, *in quæst.* 2. ait, contra communem omnium opinionem docere Covarruuiam, *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. *variarum resolutionum*, Vsuram esse mixti fori. Quia præterquàm quod Covarruuiæ placitum, quoad quæstionem facti habeat pro se Panormitanum, Sylvestrum, Gordonum Bartolum, Escobar, Heviam, Salonium, Martham Dianam, Noctinot, Naldum, Clarum, Delbene, D. Antoninum *suprà allegatos*, & plures alios, quos recensere, allegare poteramus, & praxim simul communissimam Tribunaliom Sæcularium, scitam, & toleratam per Dominos Episcopos, & alios Ecclesiasticos Iudices, superiores, & inferiores illis, negari nequit quod Ius civile, sicut Canonicum Vsuram prohibuerit, suas particulares pœnas infligendo, distinctas quidem ab inflictis per Ius Canonicum. Et si hoc in aliis criminibus sufficit, vt mixti fori fiant, cur non in Vsura?

14 Nec obstat, quod fuerit olim Vsura, legibus civilibus, permissa, & Iure divino prohibita: quia ex quo illam Ius prohibuit civile, sub specialibus pœnis, ad suom forum pertinere, fateri tenetur Azorius ex regula à seipso tradita, ad dignnscenda crimina mixti fori. Et patet à simili, in aliis criminibus Iure divino prohibitis in Decalogo; ex eo enim, quod eorum prohibitio ortum habuerit ex Iure divino, & quod simul in Canonico prohibeatur, vt videre licet in titulis, *de Homicidio*, *de Iureiurando*, *de Furto*, *de Adulteris*, *de Crimine falsi*, *&c.* non Iuri civili interdicta eorundem criminum prohibitio, & punitio manet; immò de facto illa severissimè prohibere, & punire Ecclesia approbante, nemo est qui nesciat.

Quocircà Abbas *loco proximè citando num.* 18. ait, nostram esse communem opinionem, & sibi placere & pro ea (inquit) adduco: quia video in simili Iudicem sæcularem posse compellere ad observantiam Iuramenti, & coram eo potest obligari de Iuramento, si vertitur in dubium de validitate Iuramenti, *vt in cap. licet, de iureiurando, lib.* 6. notat Ioannes Andreas, *in capite fin. de Foro compet. eod. lib.* Item punit periuros, etiam de consensu Ecclesiæ, & *in capite Rex debet* 23. *quæstio.* 5. punit etiam Sacrilegos, vt patet hîc, & expressius *in cap. sunt quædam,* 23. *quæst.* 5. *& in cap. Felicis.* Ad hoc enim Principes mundi receperunt gladium, vt scelera vindicent. Hæc Abbas.

Verba *cap. Rex*, ex D. Cypriano desumpta 15
sunt. *Rex debet furta cohibere, adulteria punire: impios de terra perdere: parricidas, & periuros non sinere vivere: filios suos non sinere impiè agere.* Verba autem *capitis sunt quædam*, ex D. Ambrosio *super Epistolam ad Romanos*, quæ sequuntur sunt. *Sunt quædam enormia flagitia, quæ potiùs per mundi Iudices, quàm per Antistites, & Rectores Ecclesiarum vindicantur: sicut est, cum quis interficit Pontificem Apostolicum, Episcopum, Presbyterum, sive Diaconum. Huiusmodi reos Reges, & Principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portant, qui talia scelera diiudicant: sunt enim maximè constituti propter homicidas, raptores, vt & illos damnent, & alios suo timore compescant.* Hæc Ambrosius.

Nec placet, quod è contrario docet Thomas 16
Delbene, acerrimus aliàs immunitatis Ecclesiasticæ propugnator, dum *parte* 2. *de eadem Immunitate, capite* 10. *dubit.* 1. *sect.* 1. *supposito* 2. *numero* 14. sic ait. Tertiò Vsura, non quidem secundum se, seu secundum suam naturam: quia spectata eius natura est crimen merè civile (quale est homicidium, furtum, & simile aliud crimen contra iustitiam); sed per accidens; scilicet ex eo, quia olim in Iure civili multæ Vsuræ impunitæ erant, quin licitæ censebantur: quapropter potestas Ecclesiastica de Vsurarum crimine cognitionem, & punitionem sibi vindicavit. Allegat Abbatem, *in capite Cum sit, numero* 17. *et* 8. *de Foro competente.* Sed meo videri, potius Abbas illi obest, quàm prodest. In expositione enim Rubricæ de Vsuris, vti *numero* 10. exscripsi, docuit, quod Ecclesia sibi vendicat iurisdictionem in laicos in casibus Vsurarum; non quia impuniti remanebant in Iure civili, aut quia licitæ censebantur; sed *quia Vsurarij committunt principaliter in Deum, abutendo rerum usu. Ideò ad eius Vicarium spectat punitio.* Et aliis (pro nunc ommissis) quæ *dicto num.* 10. ex eodem recensui Panormitano, libuit reddere eius verba, *ex eodem cap. Cum sit generalis*, à Delbene pro se allegato, *numero* 18. immediatè sequenti prolata, contra illum allegantem, producere, ad confirmationem placiti, quod habuisse, in modo redditis verbis, dixi. Nam Ecclesiasticus cognoscit, vel quia adest pactum, vel quia est crimen contra naturam: quia Vsurarius abutitur natura rerum. Vndè Dei Vicarius cognoscit, vt notat Ioannes Andreas. Hæc Abbas

***

DIS

DISQVISITIO XV.

De eo, qui secundum & tertium Ecclesiæ præceptum non adimplet.

An qui semel in anno confessus non fuit, & Eucharistiam non suscepit in Paschate, Ecclesiastica Sepultura sit ipso iure privatus?

BREVIARIVM.

Confessio.

Debet fieri semel in anno, sub pœna privationis Sepultura, num.2.

Eucharistia.

De proprij Sacerdotis manu suscipi debet in Paschate, sub pœna privationis Sepultura, n.2.

De illius consilio, differri licet eius susceptio, n.1.

Præsumptio.

In dubio non debet prasumi, quod aliquis peccaverit, & quod immemor sit sua aterna salutis, numero 5.6.

Sepultura.

Qui semel in anno non fuit confessus, & qui in Paschate Eucharistiam non suscepit, privatur Sepultura, à n. 2.

Dummodò notoria fuerit omissio, n. 5.

Et dummodò pracedat Iudicis sententia, n. 2.

1 PRocedit difficultas proposita, quandò ex propria malitia, aut negligentia; non verò quandò ex Confessarij consilio, ob iustam causam, prorogavit peccatori suorum scelerum Sacramentalem confessionem, aut Sanctissimæ Eucharistiæ paschalem susceptionem. Quia cum in hoc casu culpa careat, non debet ei omissio ad pœnam vllam imputari, & multò minùs ad tam gravem, qualis est privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, & suffragiorum Ecclesiæ, & Fidelium oblationum, ac orationum. Et hæc quidem prorogatio, de proprij Sacerdotis consilio, permittitur à Iure, *in cap. Omnis vtriusque sexus, citando.*

CONCLVSIO.

2 QVi semel in anno iuxta Ecclesiæ præscriptum peccata mortalia à se perpetrata Confessori legitimo non confitetur, & qui Sacram Synaxim, tempore non suscipit Dominicæ Resurrectionis; Ecclesiasticâ privatur Sepulturâ.

Ita docent Abbat *in cap. Ex parte n.3. el 11. de Sepulturis.* Machadus, *tomo 2. del Perfecto Confessor y Cura de Almas, lib.4.p.2.tr.2. documento, 25. n.4.* Ioannes Baptista Ventriglia, *in Praxi rerum notabilium, annotat.52.n.21.* Barbosa, *in cap. Omnis vtriusque sexus, n.4. in fine de Pœnit. & remissionibus, & de vniverso Iure Ecclesiastico p.2. lib.2. cap. 10.n.46.* Sylvester, *verbo Sepultura, n. 9. versic. Quarto*; cum Archidiacono, & Ioanne de Imola D. Antoninus, *in Summa; part.3. tit.10. cap.5. de Sepulturis*, §. 8. Glossa, *in cap. Omnis vtriusque sexus, verbo Sepultura.* Caiet. *tom.1. opusculor. q.1. versic. Tertio.* Caspensis, *in cursu Theologico, to.2. tract.24. disp.4. sect.9. n.81.* vbi addit pœnas inflictas, *in cap Omnis, mox citando* iis, qui non adimplent præceptum confessionis, aut Communionis non incurri ipso facto ante Iudicis sententiam iuxta communem doctrinam (quam ego ipse secutus etiam fui, *Disq. 1. huius Tract. dub.14.*) secus autem docet de excommunicatione in aliquibus statutis provincialibus imponi solita.

Probatur conclusio *ex cap. Omnis vtriusque sexus, el 12. de Pœnitentiis, & Remissionibus,* ex Concilio Generali, sub Innocentio III. desumpto. In eo sic diffinitur. Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum; nisi fortè de propriis Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin, & vivens, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat Sepulturâ. Hactenùs Conciliare Decretum. 3

Probatur secundò, ex Rituali Romano Pauli Papæ V. *in Rubrica de Exequiis,* ibi: Negatur igitur Ecclesiastica Sepultura.... Iis, de quibus planè constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis, & Communionis in Pascha. 4

Notentur verba illa: *de quibus planè constat.* Si enim planè, & manifeste non constat omisisse aliquem Confessionem, & Communionem Paschalem, non debet ei Sepultura Christiana denegari, nec potest. Quocirca D. Antoninus §. 8. *allegato*, sic ait. Quarto prohibetur ei; de quo est certum, & manifestum non fuisse confessum, vel non communicasse semel in anno. Et §. 9. Quamvis videatur quod Sacerdos possit ei interdicere Sepulturam (scilicet, qui non sit confessus suo Sacerdoti infra annum, nec accepit Eucharistiam de eius manu) per *cap. Omnis vtriusque, de Pœnit. & remiss.* Ioannes tamen de Imola credit contrarium: Ratio, quia in dubio, debet præsumi quod non deliquerit, & quod non fuit immemor salutis æternæ, 1. *q.7. Sancimus.* Potuit enim aliis legitimè confiteri, quia Mendicantibus Fratribus, vt patet *ex Clementina Dudum.* Et de eius consilio abstinere ab Eucharistia: & non debet præsumi; quod non fecerit. Hæc D. Antoninus. 5

Noster Panormitanus *in c. ex parte n.3. el 11. de Sepulturis,* similem tradit doctrinam dicens. Nota vlterius, & tene menti, quod decedens sine confessione exteriori in extremo vitæ facta, debet sepeliri in Cœmeterio Ecclesiæ; ex quo confessionem non contempsisset, sed morte præventus est. Non est enim credendum; quod decesserit in peccato mortali. De quolibet enim præsumendum est bonum nisi contempsisset per annum confessionem iuxta formam *capitis Omnis, de Pœnitent. & remissionib.* Et hæc procedunt, etiamsi mors fuerit casualis, vt hic, & sic nota quod quis est sepeliendus in Cœmeterio sine aliquo Sacro, quod tene menti: Ita Abbas. Circa hanc disquisitionem, nonnulla dubia discutere, operæ pretium duxi; sit igitur: 6

DVBIVM I.

An qui semel in anno non est confessus, nec Sacram Communionem Paschalem suscepit, possit Ecclesiastico tumulari modo, si cum signis decessit pœnitentiæ, & contritionis?

BREVIARIVM.

Dictio *Et.*

Ita copulat, vt copulata, in dispositione necessariò intervenire debeant, vt locum habeat ipsa dispositio, n. 4.

Sepultura.

Qui semel in anno non fuit confessus, aut Eucharistiam non suscepit Paschalem, si in fine pœnitentia dedit signa, Sepulturâ non privatur, n. 1. 3. 4.

Suicidæ.

Non sunt Ecclesiæ more tumulandi, nec oblationes, aut commemorationes pro eis fieri possunt, n. 2.

CONCLVSIO.

1 RESponsio est affirmativa. Ita tenet D. Antoninus, *in Summa, part. 3. tit. 10. cap. 5. de Sepulturis* §. 8. vbi ita fatur. Et hoc intellige, nisi super hoc emendasset in articulo mortis, confitendo, & communicando: vel saltem signa contritionis, & huiusmodi emendationis ostendisset in fine. Quia tunc non negabitur Sepultura. Quod etiam dicit Ioannes de Imola. Hæc D. Antoninus. Abbas, *in cap ex parte, num. 4. el 11. de Sepulturis*, ad Glossam finalem ibi: *vel pro suis sceleribus interficiantur*: sic ait. Intellige hoc dictum Glossæ in caso, quo decedunt sine pœnitentia, & sic loquitur illud *caput Placuit, in fine.* Verba huius capitis, quod desumptum fuit ex Concilio Bracharensi, & habetur 23. *quæst.* 5. Hæc sunt.

2 Placuit, vt iis, qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in obligatione, commemoratio fiat: neque cum psalmis ad Sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam vsurpant. Similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus moriuntur, impœnitentes subaudiatur.

Tenet etiam Sylvester, *verbo Sepultura, n. 10.* cum Archidiacono.

3 Concludenter probatur resolutio, ex Rituali Romano Pauli Papæ V. *in Rubrica, de Exequiis*, vbi sic habetur. Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica Sepultura ipso iure sint excludendi; ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta vnquam admittat. Negatur igitur Ecclesiastica Sepultura Paganis (& aliis interjectis, prosequitur) iis, de quibus planè constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta confessionis, & Communionis in Pascha, & absque vllo signo contritionis obierint. Hæc Rubrica illa. In quo duo adverto. *Primum*, quod Paulus V. Parochum per eam instruere, & instituere intendit circa omnes, qui Sepultura Ecclesiastica à Sacris Canonibus privantur. Hoc enim demonstrant verba: *Ignorare non debet, qui*: (id est aliquem ex his, qui) *ab Ecclesiastica Sepultura sunt excludendi.* Et illa. *Ne quemquam ad illam, contra sacror. Canonum Decreta vnquam admittat.*

Secundum, quod non excludit à Sepultura eum, qui in Anno non fuerit confessus aut in Pascha non communicaverit, nisi in casu, quo sine aliquo signo contritionis obierit. Dictio enim *et* cum copulativa sit in hac rubrica, in vtraque parte dispositionis, & in neutra disiunctiva esse possit, necessariò omnia in dispositione copulata debent convenire, vt illa locum habeat, & intervenire quidem æquè principaliter. Vti benè Panormitanus, *prima p. consiliorum, consil. 57. n. 1. ad medium*, ex Glossa, *in c. Querelam de Simonia* & ex Glossa, *ff. de Iuris, & facti ignorantia, in Rubrica, & ex l. si quis ita stipulatus, ff. de verborum obligatione*, vbi probatur, (verba sunt Abbatis, quod si duo in dispositione coniunguntur per dictionem *et*, oportet vtrumque intervenire. Idem docent Laurentius de Peyrinis, *tom. 2. de Prælato, q. 1. cap. 2. §. vnico, n. 21. pag. mihi* 257. quem recenset, & sequitur Lezana, *in Summa qq. Regul. to. 2 p. 3. verbo Dictio, n. 19.* 4

DVBIVM II.

An qui non habuit conscientiam peccati mortalis, & hac de causa non fuit confessus, privetur Ecclesiastica Sepultura?

BREVIARIVM.

Confessio.

Christus sola mortalia confiteri præcepit, n. 4.

Sub Ecclesiæ præcepto solum cadit confessio mortalium, a Christo præcepta, tempus determinando, n. 4. 5.

Venialia de quibus dubitatur an sint mortalia, confiteri debent semel in anno, n. 2.

Qui conscientiam peccati mortalis non habet, confiteri non tenetur in vim capitis Omnis vtriusque sexus, n. 3.

Venialia omnia confiteri nequeunt, n. 5.

Qui semel in anno non fuit Confessus, quia mortale non habuit, Sepulturâ non privatur, à n. 3.

HVius difficultatis resolutio, dependet ex resolutione illius, *An scilicet teneantur fideles ad Confessionem Sacramentalem, si tantùm habeant peccata venialia?* Dato enim, quod ista confiteri teneantur semel in anno: etiam dabitur, quod pœna privationis Sepulturæ Ecclesiasticæ, non confitentibus semel in anno venialia, inflicta sit ipso iure; secus verò, si ad illa confitenda non teneantur. Ratio vtriusque est, quia in eodemmet Iure *c. Omnis vtriusque sexus*, in quo imponitur obligatio confitendi semel in anno, omnia sua peccata, infligitur pœna privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, si omnia illa non confiteatur: & quidem sub eadem dispositione, vti ex specie apparet ipsius textus: ac per consequens, de iisdem peccatis disponit Confessionem, & punitionem omissionis eiusdem Confessionis. 1

Dubium autem non procedit, quandò aliqua adest circunstantia, ratione cuius debeat quilibet 2

venia

veniaIia confiteri, puta cum Valerio Reginaldo, *in Praxi fori Pœnitentiæ, lib.6. num.93.* quem recenset Barbosa, *in cap. Omnis vtriusque sexus, num.* 4. quando de aliquo veniali dubitatur an sit mortale. Quod & docet Caspensis, *tom. 2. tr.24. disput.4. sect.16. num.147.* Lessius, *de Sacramento Pœnitentiæ, quæst. 6. de Confessione, art. 4:* Sylvester, *verbo Confessio I. quæst. 13. vers. Secundo* Bassæus, *V. Confessio III. num. 2.* Et quando quis tantopere affi. itur ad aliquod peccatum veniale, vt timeat se per illud ad mortale inducendum nisi confitendo veniale, fortiter talem affectum refrænet, nam alioquin consensu saltem interpretativo, in mortale consentiret. Sed in hoc casu non teneri nisi ad pœnitendum de veniali, non ad confitendum, dicit Sylvester *vers. Primo,* ex Bonavent. *in 4. d. 16.* & Angelo. Procedit igitur absolutè quando huiusmodi, aut similis circumstantia intervenire non deprehenditur. Sit igitur.

CONCLVSIO.

3 QVi conscientiam peccati mortalis non habent, non tenentur venialia peccata confiteri, in vim *capitis Omnis vtriusque sexus:* Nec Sepultora privantur.

Ita Glossa *in dictum caput, verbo Omnia sua peccata.* Abbas *ibi, num.* 10. Barbosa, *num.* 4. cum Navarro, *in Manuali, cap.21. num.34.* Victoria, *de Sacramentis, num.* 128. Gabriel Vazquez, *tom.4. in 3. part. D. Thom. quæst.90. art.2. dub.2. num.* 10. cum Ioanne Medina, *Cod. de Confessione.* Soto, *in 4. distinct.* 18. *quæst.* 1. *art.*3. & Scoto, *ibidem, distinct.* 17. *quæst.*1. §. De tertio articulo. Caietanus, *tom. 1. opusculorum, q.1. versic. Et licet prima & seqq.*

4 Et probatur *primò* Ecclesia non intendit confessionem præcipere, sed præceptam iam iure divino confessionem, quoad tempus determinare. Vndè sub Ecclesiæ præcepto non alia cadit confessio, quàm illa, quæ à Christo est præcepta: sed à Christo non est præcepta nisi confessio mortalium. Ergo neque ab Ecclesia.

5 *Secundo.* Ecclesia *in dicto capite Omnis.* præcipit fidelibus confiteri omnia peccata sua. Sed nemo potest omnia sua peccata venialia confiteri, vt patet. Ego Ecclesiæ præceptum non se extendit ad peccata veoialia.

6 *Tertiò* patet ex pœnis, in dicto Iure inflictis, illud, violantibos: quæ non sunt à pia matre Ecclesia, perfectioribus viris, quales sunt viventes sine culpa mortali, proomissione Confessionis venialium, ad quam alij tenentur, infligendæ, aliàs meliores, deterioris essent conditionis.

7 Ex quo quidem fundamento, benè probatur directa dubij principalis negativa resolutio, quod scilicet non privetur Ecclesiastica Sepultura, qui non habens conscientiam peccati mortalis, semel non fuerit confessus in anno, quam insinuat Cajetanus, *versic. Quarto,* & Barbosa, *vbi proximè, in vltima probatione,* ibi: Tandem quia in hoc textu.

DVBIVM III.

An Monachi Benedictini nigri, teneamur ad Confessionem menstruam venialium peccatorum, deficientibus mortalibus, & ad menstruam communionem sub culpa mortali? Et an contra facientibus denegari debeat Ecclesiastica Sepultura?

BREVIARIVM.

Aocupatio.

Monachis interdicitur nigris, & illi assistere, n.21

Clementina *Ne in agro.*

Recensetur Clementina Ne in agro Dominico, num.1.

Non magis obligat Monachos, quàm Regula Sancta, n.11. 14.15.17.

Præceptum non continet, n.12.17.18.19.

Solum Monachos nigros comprehendit, n.25.

Confessio.

Peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, n.9.

Confessio menstrua Monachis iniungitur nigris, num. 1.

Non sunt sub culpa mortali, à num. 7.

Neque sub veniali, etiamsi mortalia habeant, à num.12.

Sed sub pœna regulari, n.1.10.14.

Non tàm præcipiuur, quàm consulitur Monachis num. 18.

Concilium Tridentinum, quoad menstruam confessioem, & communionem Monialium recensetur; num. 21.

Dictio *attendant.*

Præceptiva non est, sed exhortativa, n. 23.

Dictio *admoneo.*

Consilij est præstativa, non præceptiva, n.23.

Euchatistia.

Iniungitur Monachis nigris menstrua Eucharistiæ sumptio, n.1.

Non tenentur, neque vllus vtriusque sexus Regularis ad menstruam communionem vigore Clement. Ne in agro Dominico aut Tridentini, sub mortali, à num. 20. *ad* 25. *neque sub veniali;* num.23.

Lex.

Ex gravitate, aut levitate pœna inflicta, vim, quam lex habeat obligandi colligimus. n. 10.

Odiosa.

Dispositio odiosa, & pœnalis extendi non debet, sed restringi quantum verba patiuntur iuxta naturalem eorum significationem, n.22.

Peccatum.

Ad constituendum mortale peccatum, duo requiruntur: pœna gravis, & verba præceptiva, n.16.23.

Pœna.

Non infligitur nisi ob culpam, cuius est mensura; n.28. *vel ob causam.*

Religiosis passim pro levibus applicari solet, n.15.

Pœna gravis non est comestio panis, & aqua, n.16.

Pœnæ graves adnumerantur, quæ in legibus apponi solent, & præceptis, n.16.

Pœna subeunda non sunt ante sententiam criminis declaratoriam, n.16.23.

Regula Sancta.

In capitulo vulgari Idiomate exponenda, numero 2.

Ex se, & seclusis votis, & materiarum gravitate, ad venialem ad Summum obligat. Et iuxta Caramuelem, ad nullam culpam, n.11.

Sepultura.

Religiosi, etiam Monachi nigri, Sepulturâ non privantur non confitentes etiam mortalia, neque non communicantes semel in mense, n.27.

Venatio.

Monachis prohibetur Nigris, & canes Venaticos habere per se, vel per alios, n.1.

1 SVppono Clementem Papam V. in Concilio Viennensi Constitutionem generalem condidisse, quæ incipit *Ne in agro Dominico*, & inter Clementinas, est in titulo, *de statu Monachorum*, „ *la* 1. in qua sic decetnit. Sanè, singulis mensibus, „ tàm in Monasteriis, quàm extra (sublata occasio- „ nè quacumque) ad confessionem saltem semel „ accedant omnes, & singuli Monachi. Et in prima „ Dominica mensis cuiuslibet, in Monasteriis sem- „ per communicent, nisi ex causa fortè, quam Ab- „ bati, Priori, aut Pœnitentiariis Monasteriorum „ non differant intimare, eorumque iudicio, vel ab- „ stineant, vel accedant. Regula quoque cum in „ Capitulo legitur, ab illo, qui præest ipsi Capitu- „ lo, vel alio, cui hoc ipse iniunxerit, propter iu- „ niores vulgariter exponatur. Noviriis etiam fi- „ delis deputetur instructor, tàm in divinis officiis, quàm in observantia Regulari. Hæc omnia *in* §. *illo*, & nihil amplius. *In* §. *immediatè sequenti* prohibet eisdem venationes, aucupationes, quod eis assistant, & quod tàm ipsi, quàm alij ipsorum nomine, aut familiares secum morantes canes, vel aves venaticos habere præsumant. Et in §. bis duobus sequenti, sic habetur. Si quis autem præmissorum temerarius extiterit violator, regulari subiaceat disciplinæ.

2 Qua supposita Clementina Constitutione, controvertitur inter Doctores an obliget sub aliqua culpa confiteri venialia semel in mense eos, qui conscientiam non habent peccati mortalis à se commissi: quæ prima est pars dubij propositi: plures in ea invenio inter se oppositas sententias. *Prima* asserit, mortaliter peccare Monachum qui semel in mense non confitetur, & communicat, prout præscribitur in dicta Clementina, etiamsi venialia tantùm commiserit. Hanc tenent Azorius, *tom.* 1. *Institutionum* Moralium *lib.*7. *cap.*40. *q.*2. *colum. mihi* 816. Gabriel Vazquez, *tom.*4. *in* 3. *partem D. Thomæ*, *q.*90. *art.*2. *dub.*3. *à num.*8. *versiculo Mihi verò*. Pellizzarius, *in Manuali Regularium*, *tom.*1. *tract.*5. *cap.*3. *sect.*1. *n.*12. Hurtadus *de Pœnitentia*, *disp.*7. *difficult.*8. apud Dianam, *p.*5. *tract.*13. *resol.*35. Pro hac sententia allegantur Sotus, Palodanus, Caietanus, Navarrus, Innocentius, & Major ab Azotio, & Pellizzario ex Fagundez, 2. *præcepto Ecclesiæ*, *l.*2. *cap.*2. *num.*12. Sed immerito, vti videbimus, pro se allegantur Sot. Palu. Caiet. Sed benè verum est, quod Pellizzarius non asserit absolutè peccare mortaliter huiusmodi Monachum, sed iuxta Sotum, & alios ex recensitis; & venialiter tantùm secundùm Caietanum, & alios.

3 Probatur ista sententia. Quia non habet lex minorem obligandi vim, quàm votum habet, in debita tamen materia. Sed votum factum de confitendis venialibus ad mortale obligaret. Ergo & lex Clementinæ absolutè præcipiens nobis confessionem menstruam, ad illam obligat, etiamsi mortalia desint. Patet consequentia, nam aliàs substantia huius præcepti adimpleri non posset.

Deindè. Posset Ecclesia præcipere vsum Sacra- 4
menti Pœnitentiæ ergo tunc, qui non haberet mortalia, Venialia confiteri teneretur. Antecedens probatur, quia vsus huius Sacramenti, res saluberrima est, quod enim confessio sit venialium parum refert: quia gravitas materiæ non est sumenda ex venialibus, quæ confitemur, sed ex ipsamet Confessione venialium, quæ quidem magni momenti est, cum sit Sacramentum in quo confertur gratia, & actus eximiæ virtutis, sicut Eucharistiam sumere, & plùs quàm Missam audire. Ergo potest Ecclesia vsum huius præcipere Sacramenti, sicut præcipit Eucharistiæ sumptionem, Missæ auditionem, ieiunium, orationem, & similia bona opera. Non quidem tanquàm necessaria ad iustificationem sit confessio, si mortalia desint peccata; sed vt summè expediens ad peccatorum satisfactionem, & vitæ Christianæ profectum.

Materia ergo immediata huius præcepti, quæ 5
præcipitur in Clementina reddita, non est hæc, aut illa peccatorum materia, venialium, scilicet, aut mortalium, sed Confessionis Sacramentum: quæ maximi momenti est, licet venialia peccata, parvi existimentur momenti. Quod hoc certè illustratur exemplo. Parvi momenti est parum sumere potus, aut cibi; sed post illud Eucharistiam sumere, maximum Sacrilegij peccatum est. Quia quod prohibetur, non est parva illa cibi, aut potus materia; sed sumptio Eucharistiæ post illud. Sic in nostro casu, esto peccata venialia parvi sint momenti: illa tamen confiteri est res magni momenti: & sic potest esse materia gravis confessio venialium, sicut suscipere Eucharistiam in ieiunio naturali.

Secunda sententia negat, Constitutionem præ- 6
fatam Clementis V. iniungere Monachis obligationem sub mortali, confitendi semel in mense peccata venialia, sed tantùm mortalia ad summum, dicunt aliqui; quod etiam alij negant; venialia autem solùm sub veniali. Hanc tenent Abbas Tamburinus, *de Iure Abbatum tom.*2. *disp.*6. *quæsito* 21. *n.*4. cum Valentina, *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*9. *punct.*3. Zerola, *in praxi Pœnitent. cap.* 10. *q.*22. Cano, *in Relectione Pœnitentiæ*, *p.*5. Soto, *in* 4. *distinct.*18. *q.*1. *art.*3. & Bartholomæo à S. Fausto, *de Pœnitentia lib.*4. *q.*65. Eligius Bassæus, *in Summa*, *tom.*1. *verbo*, *Confessio III. n.*5. cum Fagundez *præcepto*, 2. *Ecclesiæ*, *lib.*2. *c.*1. *n.*5. & Paulo Layman, *lib.*5. *tract.*6. *cap.*5. *n.*12. Antoninus Diana, *part.*3. *tract.*4. *resolut.*125. *versic. Sed quidquid sit:* affert Nugnum *in additionibus ad tertiam partem*, *q.*6. *art.*5. *difficult.*7. Molfesium, *in Summa tr.*2. *cap.*10. *n.*21. Megadam, *in* 1. *part. l.*5. *cap.*4. *num.*4. & alios penes ipsos Leander à Sanctissimo Sacramento, *de Sacramentis*, *part.*1. *disp.*3. *quæst.*49. & 50. cum multis DD. plus asserit: quod scilicet Monachus in vim dictæ constitutionis, mortaliter, immò venialiter non peccat, venialia non confitendo iuxta illius præscriptum, semel in mense: neque peccare quidem, nisi ad summum venialiter mortalia, in vim Clementinæ, non confitendo. Et alij tandem docent, nullo modo delinquere contra præfatam legem. Sed vt tot tantorum Vi-

rorum

rotum placita meliùs percipiantur, & dubium propositum exactè, & ea, quâ fas est Claritate, & dexteritate decidatur, libuit sequentes statuere conclusiones.

CONCLVSIO I.

7 MOnachus Benedictinus niger, non habens nisi venialia peccata, in vim Clementinæ *Ne in agro, dominico*, non peccat mortaliter omittendo menstruam confessionem per illam statutam.

Hanc tenent conclusionem omnes Doctores, pro secunda sententia allegati: Tamburinus, Bassæus, Leander, *q.* 94. qui pro illa recenset Sotum, *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. Paludanum *distinct.* 27. *q.* 2. *art.* 4. Vivaldum, *de Confessione*, *n.* 52. & penes eum Scotum, Gabrielem, & Ledesmam. Refert etiam Stephanum Fagundez, *in Præcepta Ecclesiæ, præcepto* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 17. Hieronymum Llamas, 2. *p. Methodi*, *c.* 3. §. 4. Villalobos, *in Summa*, *tract.* 9. *difficult.* 28. *n.* 5. & Præpositum *in* 3. *part. D. Thomæ*, *q.* 3. *de Confessione*, *dub.* 10. *n.* 65. Et benè poterat allegare, ex his, quos pro contraria sententia recenset, secum, & nobiscum sentientes, Cajetanum, *tom.* 1. *Opusculorum tract.* 5. *q.* 1. *versic. quarto patet.* Cuius verba infra reddam. Tenent etiam Lessius, *de Sacramento Pœnitentiæ*, *q.* 6. *de Confessione*, *art.* 5. *dub.* 8. *in fine.* Lezana, *in Summa q. Regularium*, *tom.* 1. *p.* 1. *c.* 9. *n.* 22. cum Henriquez, *l.* 1. *de Sacramento*, *Pœnit. cap.* 4. *a.* 2. Iacobus de Graffis, *in Decisionibus aureis*, *p.* 1. *l.* 1. *c.* 10. cum Navarro, *in Manuali c.* 11. *n.* 34. Castrus Palaus, *tom.* 4. *operum Moralium*, *tract.* 23. *de Sacram. Pœnitent. disp. unica puncto* 20. *a.* 6. *versic. Verum*, cum Barbosa, *in Collectanea ad Concilium Tridentinum*, *sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 5. *n.* 4. absolutè dicente. cum 15. Doctoribus, quos recenset: Peccata venialia possunt à pœnitente omitti, nec qui eo tantùm habet, obligatur per se ex præcepto Ecclesiæ confiteri. Quod certè non tàm generaliter docet Sylvester, *verbo Confessio*, 1. *q.* 13. ibi. Tertiò, ratione professionis alicuius regulæ ad hoc obligantis; sed hoc nihil est: quia si Papa non potest obligare per statutum, vt ipsa tenet (scilicet Summa Angelica) multò minùs obligare potest quicumque alius.... Vndè (addit) Religiosi non tenentur confiteri de venialibus, sed solùm de mortalibus. Præallegatis, in terminis nostræ Clementinæ, addo Antoninum Dianam, *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 125. *versic. Quæ omnia p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 35. *&* *p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 16. *versic. His tamen non obstantibus.* Ausonium Noctinot, *in eius Summa*, *verbo Confessionis necessitas*, *n.* 4.

8 Probatur conclusio. Quia ad Summum per dictam Clementinam arctantur Monachi singulis mensibus, ad quod arctantur alij fideles, per *cap. Omnis vtriusque sexus*, singulis annis: ad summum enim solum continet secundam abbreviationem, seu limitationem temporis, illimitatè appositi in præcepto Divino, de Confessione Sacramentali facienda: iuxta Glossam dictæ Clementinæ, *verbo Mensibus*, dicentem: Arctantur ergo Monachi, singulis mensibus ad quod fideles arctantur singulis annis, *de Pœnitent. & remiss. Omnis.* Propter Religionis enim perfectionem, aliquid debent ad pensum Sanctæ Institutionis adijcere 4. *dict. Denique*, Glossæ consonant Abbas *in eandem Clementinam n.* 18. Graffius, *vbi proximè*, *n.* 2. Sed reliqui fideles non habentes nisi venialia, non peccant mortaliter omittendo confessionem venialium semel in anno vti omnes concorditer tenent Doctores. Ergo neque Monachi mortaliter peccant, non confitendo venialia, semel in mense.

9 *Secundò* probatur. Quia cum venialia peccata, non sint materia necessaria Confessionis, nimis durum esset obligare sub mortali Religiosos, ad illa confitenda singulis mensibus, ipsis invitis. Ergo credendum non est Ecclesiam piam matrem, & Clementem patrem Papam, illius nominis Quintum, in recensita Constitutione, voluisse Monachos obligare sub mortali, ad menstruam venialium confessionem.

10 *Tertiò* probatur, quia in præfata Clementina minùs gravis pœna infligitur illam violantibus, quàm in c. *Omnis vtriusque sexus* imponitur illam non observantibus, cum in illo assignetur, quod ab ingressu arceantur Ecclesiæ, & Ecclesiastica priventur Sepulturâ; in Clementina autem, solùm iniungitur disciplinæ Regularis pœna, quæ quidem non inducit culpam mortalem, vti benè Leander, *quæst.* 50. Tamburinus, *num.* 4. cum S. Fausto, *loco cit.* Caietanus, & alij plures, ex allegatis pro conclusione. Ergo cum ex gravitate pœnæ, per legem, aut Constitutionem inflictæ colligitur vis, quæ in ea est obligandi ad sui executionem; & ex pœnis, *cap. Omnis vtriusque sexus*, colligant omnes Doctores, illud obligare ad mortale; ex levitate pœnæ, per Clementinam impositæ, quæ certè frequentissimè, pro levissimis culpis infligi solet, colligere debent, ad tàm gravem culpam non obligare; etsi ad vllam, ad levissimam, vel levem tantum.

11 Quæ quidem verissima sententia illustratur à Doctissimo P. Francisco Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *part. D. Thomæ*, *disp.* 36. *de Pœnitentia*, *sect.* 5. *n.* 7. quatenus docet, Clementinam, non magis nos obligare, quàm nos obligat Regula: quod vtique innuit illa, dum regularem imponit pœnam: *Regulari subiaceat disciplinæ.* Sed Regula Sancta, ex se, & seclusis circunstantiis votorum, & gravitatis rerum, quæ in ea ordinantur, præcipiuntur, ad veniale solùm obligat, secundum communissimam illius intelligentiam; & certè ad nullam culpam obligaret si vera esset Ioannis Caramuëlis sententia *in commentario in dictam Regulam*, *disput.* 7. *à principio*, *maximè*, *num.* 88. *& seqq.* quem tamen impugnat Nicolaus Bravo, *in lacinia addita notis litteralibus ad eandem Regulam*, *plicatura* 1. *segmento* 2. *& seq.* Ergo Clementina, sæpius repetita, vel ad nullam culpam nos obligat, vel ad venialem solum, in sententia, P. Francisci Suarez, qui vnus solus pro millibus, ad fundandam nostram sufficeret conclusionem, & illam validissimè probandam, si mille, quos pro illa producere possumus, non haberemus testes, omni maiores exceptione.

CONCLVSIO II.

12 NEque venialiter peccat Monachus, solis venialibus oppressus, qui in vim Clementinæ, semel in mense, illa non confitetur: immò neque lethalibus noxis implicatus.

Istam tenent Lessius, *q.* 6. *de Confessione*, *dub.* 8. *n.* 35. Castrus Palaus, *tom.* 4. *operum Moral. tr.* 23. *disp. vnica punct.* 20. §. 2. *n.* 6. *in fine* cum Barbosa *in Remissionibus Concilij Trid. sess.* 14. *c.* 5. Henriquez, Roderiquez, & Cano, *locis citandis.* Præpositus, *in* 3. *p. D. Thom. q.* 3. *de Confessione*, *dub.* 10. *n.* 62.

Henriq. Villalobos, *in summa, to. 1. tr. 9. difficult. 28. num. 5.* quem recenset, & non improbat Diana *3. par. tract. 4. resol. 125. & par. 5. tr. 13. resol. 35. in fine.* Immò hanc sententiam, etiam quoad secundam conclusionis partem probabilem pronunciat *part. 8. tract. 1. resol. 16. vers. His tamen.* Qui omnes vno ore pronunciant, vti videbimus, eorum verba recensendo, nullum præceptum inducere dictam Clementinam, vel quia nunquam illud induxit, vel quia per contrarium vsum ei fuerit derogatum. Quod quidem vltimum tenet Villalobos. Et approbare videtur Diana *resol. 125.* si igitur Clementina præceptum non continet, nullum adest fundamentum, ad dicendum, peccare etiam leviter in vim illius, Monachum non confitentem semel in mense peccata sua; non venialia, sed nec mortalia quidem.

13 Præter Doctores hîc allegatos, qui ab omni absolvunt culpa Monachum non confitentem mortalia semel in mense, libuit allegare alios, à mortali saltem illum liberantes, veniali id summum sentientes addictum. Huic assentiuntur placito Lezana *in Summa, qq. Regul. tom. 1. part. 1. cap. 9. num. 22.* cum Henriquez *lib. 1. de Sacram. Pænitent. cap. 4. num. 10.* & Soto *in 4. distinct. 18. quæst. 1. num. 3.* ibi, Nihilominùs probabilius est, vel non esse talem obligationem ad culpam, vel solùm esse venialem. Leander *quæst. 1. de Sacram. Pænit. tract. 5. disput 3. quæst. 50.* cum Navarro *in cap. Placuit, num. 122.* Cano *de Pœnit. part. 5.* Granados *tract. 1. disput. 9. num. 2.* & Ludovico de San Iuan *quæst. 9. diffic. 1. pag. 50.* sed probabiliùs respondeo (ait Palaus:) non teneri sub mortali; sed ad summum sub veniali. Diana *part. 3. & par. 5. locis proximè redditis.*

14 Pro hac parte citatur Caïetanus *tom. 1. Opusc. tract. 5. de Confessione, quæst. 1.* sed ni fallor, magis favet vltimæ nostræ conclusionis parti, asserenti in vim Clementinæ, nec sub veniali teneri Monachos ad Confessionem menstruam. Ita enim fatur. Et confirmantur hæc omnia ex *Clem. Ne in agro Dominico, de Statu Monachor.* vbi menstrua Confessio Nigris Monachis imponitur, absque explicatione materiæ: non enim dicitur, quod confiteantur omnia sua peccata, vt ex hoc intelligatur astringi illos, etiamsi peccato mortali careant, ad confessionem semel in mense. Vnde non supradicta (capitis scilicet *Omnis vtriusque sexus*) sed pœna regularis disciplinæ subiungitur imponenda temerario violatori. Sicut enim Religiosi, ex suis statutis obligantur ad alia, quæ absolutè sunt bona supererogationis, ita obligantur ad confessiones statutas, etiamsi mortali careant peccato. In cuius signum puniuntur in Religionibus, qui statutis diebus non confitentur, quantumcumque nullum habeant mortale.

15 Hæc omnia, & nihil ampliùs Caïetanus, Ex cuius quidem verbis, colligi non potest non sensisse, præceptum morale continere Clementinam præfatam; sed ex vi illius obligari Monachum, non confitentem semel in mense, etiam mortali carentem, ad pœnam subeundam Regularem, quam Prælatus imposuerit pro illa omissione, non aliter ac obligatur ad subeundam inflictam, pro omissione alterius boni supererogationis. Et continere merum statutum regulare, ad culpam non obligans vllam: cum non inducatur ex materia: siquidem ex supererogatione est; neque ex pœna; cum pro levibus applicari passim soleat; neque ex mente Legislaturis: cum non appareat in verbis, intentionem habuisse obligandi in foro conscientiæ. Cum igitur inductione pareat, nullum adesse principium, ex quo colligi possit huiusmodi obligatio, & Lex Clementinæ sit pœnalis, extendi neutiquam ad id, quod non exprimit, debet. Ergo gratis ab Authoribus contrariæ sententiæ fingitur.

Vnde in simili de eo, quod non teneantur nostri sub mortali singulis hebdomadibus confiteri, 16
sic arguit Grassius *par. 1. lib. 1. cap. 9. num. 18.* cum duo requirantur ad constituendum peccatum mortale, pœna gravius, & verba præceptiva, vt inquit Covarr *in Regula Peccatum, par. 2. §. 5. n. 3. & 4.* & colligitur ex verbis Sylvest. *in verbo Præceptum, circa fin.* cum neutrum horum sit in præsenti quæstione: ergo non erit peccatum mortale. Non primum: quia comestio panis, & aquæ, non numeratur inter pœnas graves: illæ enim sunt, pœna mortis, vel mutilationis, vel amissionis omnium bonorum, verberum, vel carceris. Sylv. *v. Præceptum, & in v. Religio, 7. q. 14.* Item sub virtute sanctæ obedientiæ sub obtestatione divini iudicij sub excommunicationis pœna... Nec etiam secundùm adest: cum verba, quibus præcipitur confessio (in Constitutionibus Cassinensibus) non sint præceptiva, sed communia, vt est hoc verbum *Statuo* Panorm. *in cap. Nam concupiscentiam, de Constitut. circa secundùm.* Caïet. *2. 2. q. 186. art. 2.* inquit, quod tripliciter pœna considerari potest. Quandoque non taxata, ac imponenda à Prælato, & ad talem non obligantur contravenientes, nisi realiter imponatur. Quandoque verò pœna est taxata, sed imponenda à Prælato: & ad huiusmodi etiam non tenentur, nisi imposita sit. Quandoque verò pœna taxata, & imposita invenitur, v. g. qui semel non confessus fuerit in hebdomada, comedat in pane, & aqua, vel qui fregerit silentium luat eandem pœnam, & tunc vult Caïet. quod ad huiusmodi pœnitentias teneantur contravenientes, etiamsi nullus Prælatus imponat. Sed salva pace tanti viri, contrarium videtur verius, vt inquit Sylv. *in ver. Hæresis, 1. quæst. 8. vers. Et hæc valent.* Vbi asserit, quod etiamsi imponatur clausula ipso facto, tamen requiritur sententia declaratoria, per quam declaretur fuisse commissum id, propter quod veniebat imponenda illa pœna; alias pœna illa effectum, & executionem non habet: ita Alexand. *in l. Si quis maior, Cod. de Transaction.* per textum *in cap. Cum secundùm, de Hæreticis, lib. 6. cap. 1. de Homicid. lib. 6.* vbi Francus *nu. 6. & cap. Felicis, §. Nullus, de Pœn. eod. lib.* Igitur cum in nostro casu Ordinationes nostræ velint, quod dicat suam culpam in Capitulo, colligitur etiam dictam pœnam esse taxatam, sed imponendam, & per consequens ad illam non obligari nisi imponatur. Hucvsque Grassius. Verba Lessij, & aliorum pro nostra firmanda, producenda promisi; lubens promissis stare volo.

Lessius in primis ita *loco allegato* ad obiectionem sibi factam ex Clementina ait. Respondeo 17
breviter: Nullum esse hic propriè dictum præceptum, sed solam Monasticam Constitutionem, obligantem tantummodò ad punitionem Regularem: vt patet diligenter examinanti. Nullum enim verbum ponitur, quod propriè præceptum insinuet. Hæc doctissimus ille Theologus.

Ferdinandi Castri Palai sententiam, vbi supra 18
fideliter refero. Postquàm iste Doctor recensuit Paulum Layman affirmantem re ipsa Monachis

S.Bene

S. Benedicti menstruam confessionem præceptam esse *in Clem. Ne in agro dominico, §. Sane, de stat. Monach.* in sequentia prorumpit. Sed credo cum Barbosa *in remissionibus Concilij, sess. 14. cap. 5.* Henriquez *lib. 4. cap. 4. num.* 10. Roderiguez *to. 1. quæst. 62. art. 1.* Cano *Relectione, de Pœnit. cap. 5. §. At verò*, potius sub consilio, & directione, quàm sub rigoroso præcepto prædictam confessionem statutam esse, sicut & Communionem omnibus diebus Dominicis. Hactenùs Palaus.

19 Præpositum, prout a P. Diana recensetur *par. 8. tract. 1. resol. 16. versic. His tamen non obstantibus,* produco, asserentem in dicta Clementina non esse vllum verbum, quod significet strictum præceptum: ita enim habetur: vt singuli Monachi saltem semel singulis mensibus ad Confessionem accedant. Neque satis constat, quod id communi vsu Religiosorum sit receptum per modum legis obligantis, cum de hoc controvertant Doctores, nec ex aliquo capite colligi possit obligatio. Quod addo, quia licet in *capitulo Omnis vtriusque*, non videatur esse verbum, quod vi sua rigidum præceptum contineat; tamen ex pœna adiuncta ex communi sensu fidelium, ex Trident no *sess. 14. capite 5.* colligitur eo loco imponi strictum præceptum; in præsenti autem, nihil habemus simile. Adverte, aliquos cognoscentes præceptum censere eius violationem esse venialem; sed minùs benè, cùm materia præcepti, scilicet vsus Sacramenti, sit gravis. Confirmatur. Qui vovisset singulis mensibus confiteri, mortaliter peccaret, vel semel omittendo absque causa. Ergo. Ita Præpositus. Hæc de Confessione menstrua sufficiant pro dubij resolutione. Ad menstruam communionem accedamus. Pro qua sit.

CONCLVSIO III.

20 NOn tenentur Monachi Benedictini Nigri, sub mortali *in vim Clem. Ne in agro dominico*, semel in mense sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere: neque in vim Concil. Trident. *sess. 25. c. 10. de Regul.*

Hæc Conclusio, est contra nostrum Iacobum de Graffis *in decis. Aureis, part. 1. lib. 2. cap. 38. num. 16.* vbi sic ait. Monachus Sancti Benedicti, seu quicumque alius, aut Monialis cuiusvis Ordinis, non communicans semel in mense, peccat mortaliter: nisi illam differat ex consilio sui confessarij. Ita textus *in Clem. Ne in agro, §. Sanè,* vbi Zabarella *de Statu Monach. Concil. Trident. sess. 25. c. 10. de Regular.*

21 Ita Graffius; sed bona eius venia, minùs benè. In primis, quoad obligationem, quam ex Concilio imponere intendit, sine fundamento sufficienti id asserit. Quia S. Synodus ibi communionem menstruam nulli Regularium præcipit; sed tantum dicit: Attendant diligenter Episcopi, & cæteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant. Hæc Conciliare decretum.

22 In eo, imprimis, adnoto, solùm de Sanctimonialibus loqui. Quare ergo extenditur à Domino I. Graffio ad Religiosos viros dispositio, in ipsius sententia, obligans ad mortale? sine vlla ratione quidem, aut fundamento, contra Iuris principia, & Regulas, & contra communissimam Theologorum, & vtriusque Iuris peritorum sententiam, & suam. Pro quo suppono, quod dato, quod dicta dispositio esset præceptiva, esset pariter pœnalis, & odiosa, vti ex se patet, & gravissima quidem, vti de dispositione simili *Clem. Ne in agro Dominico*, docet Leander *dicta part. 1. tract. 5. disput. 3. quæst. 48.* Dispositio enim pœnalis, & odiosa restringi debet, iuxta propriam verborum significationem & naturalem *cap. Odia, el 15. de Regulis Iuris, lib. 6.* Mag. Lezana *tom. 2. par. 3. verbo Leges Regularium, num. 33.* Tamburinus *de Iure Abbatum, tom. 2. disput. 14. quæst. 15. num. 3.* Palaus *part. 1. tract. 3. disput. 5. punct. 3. §. 3. n. 7. & 8.* Vidal *in Arca Vitali, tit. de Monialibus, inquisit. 2. num. 106.* Ego ipse *in Disquisit. de Iure Prioris annexi, num. 50.* & ipse Graffius *ead. part. lib. 1. cap. 21. num. 11.* Ergo dispositio Conciliaris præfata, cum de Sanctimonialibus loquatur tantum, extendi non debet ad Religiosos viros, sed restringi, ad solas Moniales.

23 Secundò adnoto, dictam dispositionem, admonitionem, & consilium continere, non præceptum quod & advertit Tamburinus *tom. 2. disp. 6. q. 21. in fine*, cum Vivaldo *de Confessione, nu. 52.* & Suarez *tom. 4. in 3. par. disput. 36. sect. 3. n. 7.* & admonitionem, quidem, & consilium respectu Sanctimonialium, non factum à Concilio, sed ab Ordinariis, & Superioribus illarum præstandum. Patet evidenter ex textu. Ergo neque ipsæ Sanctimoniales in vim Tridentini peccant, non solùm mortaliter, sed nec venialiter, non communicando semel in mense. Tamburinus cum Vivaldo & Suarez. Antecedens demonstratur ex verbis: *Attendant: & admoneantur*, quæ certè præceptiva non sunt, sed exhortationis, & consilij præstandi. Vnde Barbosa *in collect. ad dictum Concilij caput, num. 2.* ad illa verba *admoneantur*, sic ait: Non esse obligatorium præceptum, resolvunt Vivaldus *in Candelabro aureo, rubrica de Confessione, num. 41.* Zerola *in Praxi Episcopor. pars. 1. verbo Moniales, §. 7.* Valer. Reginaldus *in Praxi fori Pœnit. lib. 29. num. 73. in fine.* Suarez *tom. 4. de Pœnit. disput. 36. sect. 3. num. 7.* Fagundez *in quinque Ecclesiæ præcepta, præcepto 2. cap. 2. n. 18.* Consequentia etiam evidens est, in sententia Doctoris, quem impugno. Illam paulò superiùs; *versic. Vnde in simili*, fideliter retuli. Ibi enim duo docet, & benè. *Primum* ad inducendam obligationem sub mortali, duo requiri: verba scilicet præceptiva, & pœnam gravem. Sed vtrumque desideratur in dicto Concilij capite. Ergo in sententia Graffis evidens est non teneri sub mortali Moniales, ad Communionem menstruam. *Secundum*, neminem obligari ad subeundam pœnam, etiam taxatam, si imposita non sit. Ergo in eiusdem sententia, etiam, si Concilium verba præceptiva haberet, cum non sint de facto imposita, sed imponenda à Superioribus Monialium, ad nullam omnino obligant culpam.

24 Quoad primam verò partem doctrinæ Iacobi de Graffis, quæ dispositionem respicit *Clem. Ne in agro*, duo dicere invenio, quæ mihi, immò, & quàm plurimis Doctoribus non probantur. *Primum* est, illam adstringere, non Monachos Nigros Benedictinos solùm, sed quoscumque alios, aut Moniales cuiusvis Ordinis. Quod & probabilius iudicat, Azorius *part. 1. lib. 12. cap. 19. quæst. 17. colum. 1402.* *Secundum* est, omnes illos peccare mortaliter, si non communicent semel in mense.

Quoad

Quoad primum dico illi obstare, quæ paulò ant. dixi, de non extendenda lege pœnali vltra naturalem, & propriam illius significationem.

25 Secundò obstant plures Doctores, expressè docentes, solùm nos Monachos comprehendere Nigros Clementinæ dispositionem. In primis Glossa illius *verbo Singuli*, proposito dubio: *An per hoc intendat dilatare hanc Constitutionem, quoad hoc, ad alios Monachos?* non audet resolvere; sed solum dicit: *quod factu est honestum.* Abbas *in dictam Clementinam, n.* 19. sic ait. Et an hic comprehendat alios Monachos, non Nigros. Gloss. præallegata videtur dubitare: videtur tamen concludere honestum esse, quod sic. Barbosa *in idem caput, num.* 2. sic infert. Ergò non comprehendit Monachos Cistercienses, Camadulenses, & his similes, quia non sunt Monachi Nigri. Allegat Henriquez *lib.* 3. *cap.* 38. Sayrum *de Censuris, lib.*4. *cap.*23. *num.*6. Marium Alterium *in eodem tract. tom.*2. *disp.* 17. *cap.*1. *col.* 3. & Bonacinam *de Suspens. omnibus in particulari, disp.*3.*q.*8.*punct.* 14. *num.* 2.

26 Ad secundum dico, Clementinam, eodem prorsùs modo, disponere de Confessione, ac de Communione menstrua, vno excepto, quod Cōmunio, prima fiat Dominica die, cuiuslibet mensis: quæ quidem determinatio non arguit in dispositione maiorem vim obligandi. Sed quoad Confessionem, nullam habet obligandi ad mortale, neque ad veniale quidem, vti probatum reliquimus *conclusione secunda*. Ergo neque quoad Communionem, vllam habet vim obligandi ad mortale peccatum, in doctrina eiusdem Graffis *conclusione præfata recensiti, numero* 16. neque ad veniale, in sententia Doctorum, quos ibi pro illa allegavi.

CONCLVSIO IV.

27 MOnachus Benedictinus Niger, qui semel in mense confessus non fuit venialia, aut mortalia peccata vel prima Dominica, non sumpsit sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, iuxta præscriptum *Clem. Ne in agro dominico*, & multò fortiùs alter cuiusvis Congregationis eiusdem, aut alterius Ordinis, non privatur Ecclesiasticâ sepulturâ.

Hæc conclusio ex dictis, in præcedentibus, efficacissimè probatur: quia in Clementina hæc pœna gravissima, non infligitur violatoribus, neque alia, quæ pro levibus defectibus regulariter non imponatur. Ergo non confitentibus, aut Eucharistiam semel in mense sumentibus non est applicanda.

Nec est eadem, de Monacho non confitente, aut communicante semel in mense, ratio, ac de quolibet fidele, qui ad Confessionem non accedit semel in anno, & ad Eucharistiam in Paschate. Quia istis infligitur prædicta pœna in eodemmet Iure *capitis Omnis vtriusque sexus*, in quo iniungitur obligatio confitendi semel in anno, & suscipiendi sanctissimum Sacramentum in Paschate; Monacho autem, in Clementina recensita, in qua indicitur ei menstrua Confessio, & Communio, non infligitur huiusmodi pœna. Nec valet ista, ab vna ad aliam extendi dispositionem. Quia pœnalia, & odiosa ex vno ad alium non extenduntur casum.

28 Tum etiam, quia Monachi Nigri, qui semel in mense non confitentur, nec Eucharistiam suscipiunt prima Dominica, non peccant, vti suprà probavimus. Ergo non est eis pœna infligenda privationis Sepulturæ. Patet consequentia: quia res, quæ culpâ caret, ad damnum vocari non convenit. *Cap. Cognoscentes, el* 2. *de Constitut.* Rationem efficacissimam reddit Glossa *in cap. Sine culpa, verbo eodem, el* 23. *de Regulis Iuris, lib.*6. Quia pœna (inquit) est mensura culpæ. Vbi autem non extat mensurandum, mensura locum non habet. Ergo vbi non est culpa, nec pœna.

Ad argumenta pro prima sententia adducta respondere restat. Et ad primum, concessa maiori, & minori, nego consequentiam, & suppositum, quod illa implicat. Falsò enim supponit Clementinam continere præceptum; quod illi omnino deesse, satis supra probavimus, quoad Confessionem, & Communionem, de quibus solum hic. 29

Ad secundum, concesso etiam antecedente simul, & consequentia, in illa suppositione, quod Ecclesia præciperet vsum Sacramenti Pœnitentiæ: obligaremur enim ad confitenda venialia, etiamsi lethalia non haberemus; dummodò tamen verum, & rigorosum præceptum ad mortale obligans imponeret. At in *Clem. Ne in agro*, hoc non recognoscimus. Nihil ergo probat contra nos illud argumentum. Quoad alia verò in illa prohibita, præceptum imponere non nego. 30

DISQVISITIO XVI.

De Diœcesano in visitationibus, aliquid occasione procurationis accipiente *in cap. Exigit*, *de Censibus* prohibitum.

An sit Ecclesiastica sepultura privatus Diœcesanus in visitatione munus recipiens?

BREVIARIVM.

Constitutiones.

Canonicæ Constitutiones simpliciter loquentes, ad Religiosos extenduntur, n.6.

Eulogiæ.

Munera sunt, quæ subditi suo deferunt Prælato, num.8.

Sepultura.

Visitatores munera recipientes sepulturâ privantur, si in lethali notorio decedant, non secus, n.10.

Visitatio.

Dispositio capitis Romana de Censibus, circa visitatores Regulares, & Sæculares recensetur, num. 1. *&* 2.

Cap. Exigit, eiusdem tit. circa idem refertur, numero 3.

Strictè prohibetur, ne præter victualia moderata, aliquid in pecunijs, aut in alijs rebus à visitatoribus, aut ab aliquo de eorum familia recipiatur, n.1.2.3.

Limitatio cap. Romana permittentis rationabiles, & approbatas Religiosorum consuetudines, & statuta aufertur per Tridentinum, n.7.

Duplum eius, quod receptum est, etiam spontè oblatum,

tum, Ecclesiæ a qua receptum fuerat, intra mensem restitui præcipitur, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis inflicta: & sub pœna suspensionis ab officio & beneficio alijs inferioribus iniuncta, n. 3.

Circa eadem Tridentinum recensetur, n. 5.

Iura prælata, Regulares etiam comprehendunt; numero 16.

Peyrinus ait, posse istos esculenta, poculentia Xenia, & eulogias recipere; ego autem stante Tridentino, Peyrinum sequi non auderem, n. 9.

Episcopis, aut aliis sæcularibus nostras Ecclesias, Monasteriis annexas visitantibus, procurationes, nec in victualibus debentur, n. 4.

Xenia.

Munera sunt, vulgo Presentes, n. 8.

1 AFfirmat Samuellius *de Sepulturis, tr. 1. disp. 1. controv. 4. concl. 6.* in vim Decretalis præfatæ. Ait enim etsi celebraverint fiunt irregulares, ac impœnitentes decedentes sepultura Ecclesiastica privantur.

Pro resolutione difficultatis propositæ suppono Innocentium Papam IV. *in cap. Romana, el 1.*
» *de Censibus, n. 6.* sic in §. *Procurationes constienis-*
» *se.* Procurationes autem recipiat (visitator scil.)
» secundum, quod est in Canonibus constitutum;
» nullam tamen pecuniam ipse, vel aliquis de sua
» familia occasione alicuius officij, aut consuetudi-
» nis, seu quolibet alio modo earum nomine, sed
» victualibus, expensas tantùm recipiat moderatas.
» Caveat insuper, ne ipse, vel quisquam suorum,
» aliquod munus quodcumque sit, & qualitercum-
» que offeratur, præsumat recipere. Vt non quæ sua
» sunt videatur quærere, sed quæ Iesu Christi.
» Quod si fuerit contra præsumptum, recipiens ma-
» ledictionem incurrat, à qua nunquam nisi (duplum
» restituat) liberetur. Volumus enim in his, fraudem
» quamlibet penitùs evitari.

2 Hactenùs ibi, & *in §. finali*, prout sequitur.
» Hanc autem visitandi formam ab vniversis etiam
» Episcopis, aliisque Prælatis ordinario iure suos
» subiectos visitantibus plenè observari præcipi-
» mus; salvis super hoc rationabilibus, & approba-
» tis Religiosorum consuetudinibus, & Regularibus
» institutis.

3 Constitutio Innocentij præfata innovata est & inviolabiliter observari præcepta à Gregorio X. *in cap. Exigit, el 2. eiusdem tituli, & libri, ex Concilio generali Lugdunensi desumpto,* & pœnam illius violatoribus auxit, quæ occasionem præsenti præ-
» hibuit Disquisitioni. Ait enim statuentes, vt vni-
» versi, & singuli, qui ob procurationem sibi ratio-
» ne visitationis debitam exigere pecuniam, vel
» etiam à volente recipere: vel aliàs constitutionem
» ipsam recipiendo munera, sive visitationis officio
» non impenso procurationem in victualibus, aut
» aliquid aliud procurationis occasione violare præ-
» sumpserint, duplum eius, quod receperint Eccle-
» siæ, à qua id receptum fuerit, intra mensem red-
» dere teneantur. Alioqui ex tunc Patriarchæ, Ar-
» chiepiscopi, Episcopi, duplum ipsum vltra præ-
» dictum tempus restituere differentes, ingressum
» sibi Ecclesiæ sentiant interdictum. Inferiores ve-
» rò, ab officio, & beneficio noverint se suspensos,
» quousque de duplo huiusmodi gravatis Ecclesijs
» plenariam satisfactionem impendant: nulla eis in
» hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia va-
litura. Ista, Conciliaris Constitutio. Et nihil amplius in ea statutum invenio.

Adnotanda veniunt verba illa: *qui ob procurationem sibi debitam*, vel etiam à volente recipere. Quia sicuti accepi Visitatores sunt, qui non verentur exigere, & ab invito extorquere procurationem, & in pecunia quidem ab Ecclesijs illam non debentibus, neque in victualibus.. Huiusmodi sunt annexæ Monasterijs nostræ Congregationis ex Constit. Eugen. IV. *Regularem vitam, n. 7. la 15. nostri Bullarij, fol.* 48. & ex literis executorialibus quas eadem à S.Rota obtinuit Congregatio, anno 1599. contra D. Archiepiscopum Burgensem, & eius Capitulum.) Et cum tanta extorsione solutionem procurant, vt non vereantur illam consulere, & præcipere per substractionem decimarum Monasteriis debitarum. Heu, atque iterum, Heu miseri, qui talia consulũt, & qui talia consulta executioni tradiderint. Certum enim esse debet, quod his omnibus non deficiet sepultura in inferno, si in vita plenè non satisfecerint. Eugen. addit clausu-
lam, Non obstantibus præscriptionibus, Constitu- »
tionibus, consuetudinibus, statutis, Decretis, & pri- »
vilegijs Apostolicis, quibuscumque. »

Vtraque denique præcedens dispositio, per Con- 5
cilium Trident. innovata est, *sess. 24. de Reform c. 3.*
vbi habetur. Interimq; caveant, ne inutilibus sum- »
ptibus cuiquam graves, onerosive sint, néve ipsi, »
aut quisquam suorum quidquam procurationis »
causa pro visitatione, etiã testamentorum ad pios »
vsus, præter id, quod ex relictis piis iure debetur, »
aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, »
quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur »
accipiant: non obstante quacumque consuetudine, »
etiam immemorabili, exceptis tamen victualibus, »
quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatéque pro tem- »
poris tantum necessitate, & non vltra, erunt mini- »
stranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitan- »
tur, si maline solvere id, quod erat ab ipsis antea »
solvi, certa pecunia taxata, consuetũ; an verò præ- »
dicta victualia subministrare; salvo item iure con- »
ventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve »
pijs locis, aut Ecclesijs non Parochialib. inito, quod »
illæsum permaneat. In aliis verò locis, seu Provin- »
ciis, vbi consuetudo est, vt nec victualia, nec pecu- »
nia nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur »
sed omnia gratis fiant, ibi id observetur. Quod si »
quisquã (quod absit) aliquid amplius in supradictis »
omnibus casibus accipere præsumpserit, is, præter »
dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis »
etiam pœnis iuxta Constitutionem Concilij gene- »
ralis Lugdun. quæ incipit *Exigit*, nec non & aliis »
pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi, abs- »
que vlla spe veniæ, mulctetur. Hæc omnia Trid. »

6 Quæ quidem Canonicæ Constitutiones, & Decreta omnes ad illorum observantiam adstringunt etiam Prælatos, & Visitatores Regulares, vti benè docet Peyrin. *de Privil. to. 1. ad constit. 14. Leon. X.* §. 2. *n. 11.* ex *c. fin. de stat. Monac.* § *Porrò*, vbi Abb. *n. 1.* ait, quod Canones simpliciter loquentes, extenduntur ad Religiosos. Idẽ Gloss *in c. Moniales verbo eod 3. de Purgat. Canon.* Bruno Chassaing *in Prelato suo Regulari c. 7. §. 8. versic. Probatur ergo, pag. mihi* 129. *ex c. 1. de Constit. & ex can. Si Romanorum, 19. distinct. can. Si quis omnes, 1. q. 17.* quos & *can. Enimverò dicta dist.* 19. innovat Trid. *sess. 25 c. 18. de Reform.* ibi. *Quapropter sciant vniversi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eos fieri poterit, indistinctè observandos.* Ad cuius marginem prædicti Canones citantur.

7 In Tridentino tamen recensito Decreto, derogari §. *fin. d. cap. Romana*, quoad reservationem

consuetudinum, & instinitorum Regularium, probabilissimum censeo. Quoad consuetudinem vtiq; ibi: *Non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili.* Et quoad statuta, id colligo ex limitationibus, & exceptioouibus, quas prohibitiuni apponit generali: si enim excipere statuta Regularium voluisset, illa expressisset, sicut alia excepit.

8 Probabile nihilominùs videtur, posse Prælatos Regulares recipere munuscula parva, esculenta, & poculenta, & etiam Xenia, & Eulogias, quæ Prælatis dantur humanitatis, vel vrbanitatis gratiâ, si sponrè oblatæ sint, non tamen ab eis quæsitæ, ioxta Leonis I V. sententiam, dicentis *in can. de Eulogijs*, 18. *distinct. quæ non sunt (vt arbitror) rationabiliter requirenda; nec vltrò delata respuenda.* Consonat D. Antonin. *in Summ. par.* 3. *tit.* 20. *cap.* 5. §. 5. *not.* 19. cum Ioan. Monacho, qui limitant, dummodò munuscula Prælati non alio portent. Ait enim. Puto quod periculum sit recipere victualia portanda: si portat aliquos capones, caseos, vel flascos vini; sed victualia ibi comedendá quantumcumque excellentia recipere, non est periculum pœnarum infra positarum: exigere tamen posset esse peccatum. Hæc D. Anton. Peyr. *d.* §. 2. *n.* 7. docet, excipi à prohibitione, non solùm esculenta, & poculenta, sed etiam Xenia, & Eulogias. Xenium est munus, vulgò *presente*, hóspitibus dari solitum, Calepin Passeratij *verbo Xen.* ex Martiale *lib.* 13 Eulogia autem, est munus quod defert subditus suo Prælato. Gloss. *in d. can. De Eulogijs, verbo Eulogijs.* Addit etiam Peytin. quod hæc munuscula quærere non debent Prælati; oblata tamen spontè recipere posse.

9 *Videtur* dixi *probabile*, non tam authoritate Leonis, & Antonini, quia ante Tridentinum scripserũt in quo huiusmodi fuit receptio prohibita, sed Laurentij de Peytinis, Authoris modemi, & gravis; eius tamen placitum, in praxi saltem, ego sequi non auderem, durante visitatione. Quia Concilium, quodcumque munus, & qualitercumque oblatum strictè prohibet sub pœnis gravibus, & obligantibus ad mortale. Quibus suppositis.

CONCLVSIO.

10 Difficultati principali respondro, Prælatos Superiores, aut inferiores pœnam non incurrere privationis Ecclesiasticæ sepulturæ in vim *capitis Exigis*, aut alterius quidem Iuris Canoniei, ob crimen concussionis, ob receptionem scilicet munerum, occasione officij sui dum visitant; incurrere tamen illam, si in peccato illo nototio, impœnitentes decedunt.

Prima responsionis huius pars, patet, quia pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ gravissima est, non incurritur nisi in casibus in Iure expressis. Sed non infligitur ista pœna *in cap. Exigis*, aut in alio quidem, Prælatis in visitatione muneta recipientibus. Ergo ex hoc capite non privantur Ecclesiasticâ sepulturâ.

Secunda verò probatur. Quia qui decedunt impœnitentes, peccato mortali nototio obnoxij, sepulturâ privantur, vti infrà Disquisitione propria ostenditur, & vti credo, hoc idem docere voluit Samuëllius vbi suprà, & non aliud, cum dixit, visitatores muneta recipientes, ac impœnitentes decedontes, sepultura privari Ecclesiastica.

DISQVISITIO XVII.

De Sacerdotem Filijs suis tutorem instituente in testamento.

An privetur Ecclesiasticâ sepulturâ?

BREVIARIVM.

Dictio *Nisi*.

Exceptiva est, & præcedentibus adversatur, numero 4.

Sepultura.

Qui in testamento Sacerdotem, aut Clericum filijs suis, tutorem, ac curatorem instituit, sepulturâ privatur, à n. 1.

Tutela.

Testamentaria tutela Clericis prohibetur; legitima autem tutela ab eis recipi potest, sed illam recipere non tenentur, n. 5.

Istam difficultatem resolvit Glossa *in cap. Ex parte, verbo Communicabatur, el* 12. *de Sepulturis.* Sylvester *verbo Sepultura, num.* 9. *versic. Duodecimo*, affirmando sepulturâ privari Ecclesiasticâ huiusmodi institutorem. Quod probat ex Glossa *in canon. Neque apud altare, el final.* 88. *distinct.* Quæ in fine sic ait. Vel hoc intelligas quoad sepulturam tantum. Dispositionem scilicet illius Canoois, in quo Cyprianus sic ait. Neque apud Altare Dei merentur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros volunt avocare. Et ideò victor cum contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminum Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, ob dormitionem eius apud vos non fiat oblatio; neque alia deprecatio pro nomine eius frequentetur in Ecclesia; vt Sacerdotum Decretum religiosè, aut necessariè factum obsetvetur à nobis. 1

Idem Cyprianus *in canone Cyprianus* 21. *qu.* 3. in sequentia prorumpit. Iam pridem Concilio Episcoporum est statutum, ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem, ac curatorem testamento suo nominaverit, quandoquidem singuli divino Sacerdotio honorati, & in Clericorum ministerio constituti, non nisi Altari, & Sacrificijs deservire, & precibus, atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo, implicet se negotiis sæcularibus, vt possit placere ei, cui se probavit. Quod enim Episcopi, & antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter providentes censuerunt, ne quis decedens ad tutelam, vel curam, Clericum nominaret, ac si hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur: neque enim ante Altare Dei merentur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & ministros volunt avocare. 2

Hactenùs Cyprianus, cuius Decretis obstare videtur Concilium generale Calcedonense *in canone Pervenit, el final*, 86. *distinct.* quod ipse allegat Cyprianus, vt patet, ex Glossa *in dictum canonem Neque, verbo eodem.* Ait enim præfatum 3

Con

,, Concilium Decrevit: igitur Sancta, & vniversalis,
,, & magna Synodus, neminem hotum deinceps,
,, hoc est, Episcopum, sive Clericum, aut Monachũ
,, conducere possessiones, aut misceri Sæcularibus
,, possessionibus poss., nisi fortè, qui legibus ad mi-
,, norũ ætatis tutelas, sive curationes inexcusabiles
,, attrahuntur. Ergo malè allegatur sacrum hoc Concilium ad probandum, graviter delinquere, qui Clericum tutorem, ac curatorem instituit: ac per consequens Ecclesiasticâ sepulturâ privari non debet institutor huiusmodi tutoris, ac curatoris.

4 Consequentia patet, quia dictio *nisi* à Concilio in suo Decreto apposita, exceptiva est, & in effectu adversatur præcedentibus, vti docet Barbosa *tract. de Dictionibus, distinct.* 217. *num.* 2. ex *l. Actione, & ibi.* Bart. Ias. Et cæteris ibi scribentibus *Cod. de Transactionibus, & in Regula Peccatum, de Regulis Iuris.* Iasone *in l.* 3. *nu.* 11. *ff. de Officio eius*, Socino Iuniore *cons.* 163. *num.* 36. *volum.* 2. Federico de Senis *cons.* 80. *num.* 1. *vers. Item non obstat.* Alexandro *cons.* 64. & pluribus aliis, quos pleno calamo pro more cumulat suo. Et ita significat necessariò oppositum antecedentis, cui immediatè adversatur. Idem Barbosa *n.* 3. cum Dec. *in l. Bonorum, in* 2. *lect. n.* 27. *Cod. Qui admitti*: & *in l. Si quis in aliquo, Cod. de Edendo.* Alexand. *cons.* 83. *num.* 3. *volum* 1. Surdo *de Alimentis, tit.* 1. *quæst.* 104. *num.* 7. Octav. Vulpell. *de Præpositionibus, & adverbiorum significatione; sub dictione Nisi. versic. Regulariter, pag.* 65. & Cenedo *post librum Practicarum, & Canonicarum quæstionum, singul.* 23.

5 *Obstare videtur Concilium* dixi; sed revera non obstat. Quia Cyprianus, de testamentaria tutela, sive dativa loquitur; Concilium autem de legitima tutela intelligitur. Glossa *in dict. can. Pervenit, verbo Tutelas*, & *in cap. Cyprianus, verbo Tutorem.* Et vtrobique docet, posse Clericos tutelam legitimam recipere, sed non teneri; dativam autem, seu testamentariam, non posse. Quod possint legitimam suspicere tutelam, patet ex *can. Generaliter*, 16. *q.* 1.

DISQVISITIO XVIII.

De Clericis, concubinis suis, aut filijs spurijs bona, seu fructus beneficiorum in vltima voluntate legantibus.

An priventur sepulturâ Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM.

Conradus.

Ex Monacho, Cardinalis, & vir Sanctus; instante morte pronunciavit. vtinam vsque in hanc horam in Villario, sub disciplina vixissem Regulari, & cum culina hebdomadarijs, ibidem scutellas abluissem; n. 2.

Excommunicatio.

Clerici, concubinis, aut filijs suis spurijs fructus beneficiorum in testamento relinquentes excommunicantur, in Concilio Germanico, n. 1.

Sepultura.

Clerici relinquentes concubinis, aut filijs spurijs fructus beneficiorum delinquentes, sepulturâ privantur, ibid.

Testamentum.

De fructibus beneficiorum fieri non potest, n. 1. 7.

Concubinæ, & filij spurij Clericorum fructus beneficiorum, quos eis ipsi Clerici in testamento reliquerunt, suos non faciunt, n. 1.

Excommunicati sunt, qui tale testamentum manutenuerit, n. 1.

Item, qui istos fructus ministraverint talibus concubinis, & filijs excommunicantur, n. 1.

Interdicto supposita est Ecclesia quandiu talibus fructus huiusmodi fuerint ministrati, n. 1.

CONCLVSIO.

HVius difficultatis responsio affirmativa, desumitur ex Concilio Alemannico, celebrato anno 1225. sub Conrado Cardinali Sanctæ Rufinæ Legato Apostolico *can.* 5. quem exscribit noster Petrus Crespetius *in Summa Ecclesiastica Disciplina, verbo Testamentum, pag.* 862. *colum.* 2. sub tenore sequenti. Videlicet. 1
Ad abolendam de ,,
domo Domini consuetudinem, vel potius corru- ,,
ptelam, seu temeritatem, quâ Clerici (qui signum ,,
pudicitiæ debent ostendere Laïcis, quibus positi ,,
sunt in exemplum) in argumentum suæ finalis ,,
impœnitentiæ, fructus præbendarum suarum con- ,,
cubinis, vel spurijs suis legant in vltima volunta- ,,
te, contra eos rigor Ecclesiasticus exerceri debet. ,,
Quare sub anathemate prohibemus, ne de cæterò ,,
Clerici, gratia testandi abutentes, cum de rebus ,,
Ecclesiæ nullum possint condere testamentum, ,,
fructus Ecclesiasticorum beneficiorum spurijs suis ,,
vel concubinis dimittant. Qui verò contra hanc ,,
inhibitionem venire præsumpserint, in signum ,,
suæ perditionis, Ecclesiasticâ careant sepulturâ; ,,
& quibus taliter fructus legantur, & per quorum ,,
munus personis illis fructus Præbendæ fuerint mi- ,,
nistrati, ipso facto sciant se excommunicationis ,,
vinculo innodatos, & quandiù fructus huiusmodi ,,
contra hãc institutionem ipsis ministrati fuerint, ,,
Ecclesia ipsa sit sub interdicto posita. Hactenùs ,,
Concilium, prout à Doctore recensito traditur. ,,

Celebratum illud fuisse Moguntiæ; testatur Henricus Spondanus *in Continuatione Annalium Ecclesiasticorum, anno supradicto, num.* 5. ex Cæsareo *in Vita Engelberti Coloniensis Archiepiscopi, & Martyris, pro iustitia defensione confessi, lib.* 2. *cap.* 13. & tam celebre illud extitisse, ait, vt absolutè *Germanica Synodus* vocaretur. De præfato Conrado, etiam testatur, fuisse Monachum Cisterciensi, & Abbatem in Cœnobio quodam Diœcesis Leodiensis, & Sanctum: & tanti quidem meriti, tantæque pietatis, *Vt eius digiti, quibus Sacratissimi Christi hostiam offerre solitus erat; noctu ad instar candelarum ita fulgerent; vt eius lucis ope scripturas omnes expeditè legeret.* Verba sunt Henrici, qui paucis interpositis, hæc menti omnium fidelium tenenda addit. Qui nihilominùs; quamvis talis, & tantus esset, morti proximus adstantibus pronunciasse ibidem dicitur (scilicet in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis *tomo* 1. *lib.* 1. *dist.* 6.) *Vtinam vsque in hanc horam in Villario* (Conventu scilicet in quo Monachus, & Abbas vitam duxerat) *sub disciplina vixissem regulari, & cum culina hebdomadarijs ibidem scutelas abluissem.* 2 Alludebat hìc Sanctus

ille Cardinalis, ad textum Regulæ sanctæ, communis Parentis Benedicti *cap. 35. de Septimanarijs. Coquina.* Culina enim, coquina est, vulgò *Cozina, lugar de Cozinar*, vti ex pluribus docet Calepinus Passeratij, *verbo Culina.*

DISQVISITIO XIX.

De Incendiarijs.

An Sepulturâ priventur Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM.

Incendiarij.

Crimen incendiariorum, ante rei denunciationem Episcopo est reservatum; Papa verò post denunciationem, n.6.

Excommunicandi sunt incendiarij, & scienter consilium, & auxilium ad incendium præstantes, n.2 4.

Absolvi non possunt, nisi prius satisfaciant secundum facultatem suam damnum illatum, & iurent vlterius ignem non apposituros. Et pænitentia est iniungenda, vt per annum integrum, Hierosolymis, aut in Hispania in Dei servitio perseveret, num.2.

Hoc relaxare non possunt Episcopi, nec Archiepiscopi sub pæna restitutionis damni, & suspensionis per annum ab officio Episcopali, n.2.

Vltimi supplicij pæna infligitur incendiarijs à Iure civili, n.5.

Sepulturâ privatur incendiarius, à n. 1.

Si tamen pænitentiam non egerit, n.4.

Præcipientes, consulentes incendium, & consentientes sepultura privantur, nisi satisfecerint, n.2.

CONCLVSIO.

1 Respondeo affirmativè cum Sebastiano Brant *in Explicatione titulorum vtriusque Iuris, libro 48. tit. de Cadaveribus punitorum*: & Glossa *in can. Pessimam, mox citandum, in formatione casus.* Et *in cap. In literis, infra citandum, verbo Sepeliri.*

Est expressè definita nostra resolutio ab Innocentio Papa II. in Concilio generali, Romæ celebrato, ab octava Aprilis de anno millesimo centesimo, trigesimo nono, cum fere mille Episcopis, vti ex Cæsare Baronio refert Spondanus, anno iam reddito *num. 2. pag. mihi* 531. vbi plures canones præfati Concilij recenset contra fœneratores, sacrilegos, incendiarios, & alios. Ex quibus vnum exscribit noster Gratianus 23. *causa, q.* 8. in quo nostra resoluitur præsens difficultas, quem libuit ad amussim tradere, vt illa exactè, dilucidetur, & vt aliæ pœnæ huius criminis reis, à maxima illa Synodo inflictæ, notæ Lectori meo fiant. Huiusmodi est Canon ille.

Pessimam quidem, & depopulatricem, & hor-
2 rendam incendiariorum malitiam, authoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, omninò detestamur, & interdicimus. Si quis ergo post huius nostræ prohibitionis promulgationem malo studio, sive pro odio, sive pro vindicta ignem apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter tribuerit, excommunicetur. Et si mortuus fuerit incendiarius *Christianorum careat sepulturâ*: nec absolvatur, nisi priùs damno cui intulit, secundùm facultatem suam resarcito, iuret se vlterius ignem non appositurum. Pœnitentia autem ei detur, vt Hierosolymis, aut in Hispania in servitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiscopus, vel Episcopus, hoc relaxaverit; damnum restituat, & per annum ab officio Episcopali abstineat. Sanè Regibus, & Principibus faciendæ iustitiæ facultatem consultis Archiepiscopis, & Episcopis, non negamus. Omnia hæc Concilium generale præfatum.

3 Eandem privationis Ecclesiasticæ sepulturæ pœnam infligit Euticianus Papa, in Decreto, si quis membrorum, immediatè à Gratiano recensito ante dictum *can. Pessimam* incendia domorum facientibus, facere præcipientibus, & facienti consentientibus, nisi legaliter, vel amicabiliter satisfecerit, coram Episcopo, & aliis civibus; licet non ita clarè. Attenim de incendiario, præcipiente, & consulente: *tanquam ethnicus, & publicanus ab omni Christianorum collegio separetur.* Si enim separatur vivus, separari debet mortuus.

4 Pœna tamen privationis sepulturæ, locum non habere cum incendiario, qui pœnitentiam egit constanter teneo *ex cap. In literis tuis, el 5. de Raptoribus* in quo Alexander III. mandavit in Cœmeterio sepeliri, quendam incendiarium, qui in ægritudine constitutus accepta pœnitentia de commissis, per manum Capellani sui fuerat à sententia anathematis absolutus, sed moriens; non fuerat in Ecclesiasticâ sepulturâ tumulatus.

5 Secundùm Ius civile, vltimo afficitur incendiarius supplicio *l. fin. ff. de Incendio, l. Capitalium, ff. de Pœnis*: & *l. Si quis dolo, ff. ad Legem Corneliam, de Sicarijs*, capite punitur nobilis, qui dolo fecit incendium; si autem ignobilis, supponitur bestiis, bonis proscriptis, *dict. l. vlt. de Incendio.* Allegantur Iura ista à Glossa *in d. can. Pessimam, verbo Sanè Regibus.*

6 Incendiarij crimen Episcopo est reservatum in hac Pampilonensi Diœcesi, vt ex Constitutione Synodali, de anno 1590. constat *lib. 5. tit. de Pæn. & remission.* Immò esse à Iure Episcopo reservatum, docet noster etiam Iacob. de Graffis *in dec. Aureis, par. 1. lib. 1. c. 13. n. 65.* Favius Incarnatus *in Scrut. Sacerdotali, par. 1. tr. 12. de Excom. paulò ante fin. pag. mihi* 376. Allegat Graffius *d. can. Pessimam*, sed immeritò quidem, cum in eo, nulla de reservatione mentio fiat: sed alio quidem Iure illam statutam vidi *in cap.* scilicet *Tua nos, el 19. de Sent. Excom.* limitat tamen post publicationem ab Ecclesia per sententiam factam. Glossa tenet *in d. cap. In literis, verbo Anathematis*, & *in cap. Conquesti, el 22. de Sent. Excom. verbo Repræsentent*, & addunt limitationem post publicationem *in dicto cap. In tua* appositam. Quocirca Constitutio Synodalis huius Episcopatus citata *cap. 15. casu 29.* ita ait. *Iten el incidiario antes que se denuncie, y publique portal: porque despues de Publicado, y declarado, es reservado al Papa.*

DISQVI

DISQVISITIO XX.

De decedentibus in lethali peccato.

An quilibet peccator notorius, qui in mortali culpa, nullo dato contritionis signo, diem clausit extremum, Ecclesiasticâ sit Sepulturâ privandus.

BREVIARIVM.

Punctio.

Peccata latentia vindictam non habent, n. 3.

Sepultura.

Qui in peccato mortali notorio, sine signis decesserint contritionis, sepultura privantur, n. 1.

Quod contritionis dederint signa, per vnicum fide dignum probatur testem, n. 4.

Peccatori non notorio, sepultura deneganda non est, num. 3.

Testis.

Vnus testis plenè probat ea, quæ in nullius sunt præjudicium, n. 4.

CONCLVSIO.

1 COmmunissima sententia Doctorum docet; privari Ecclesiastica Sepultura, quemlibet in lethali culpa decedentem, notoriè tamen absque pœnitentia morientem. Ita docet noster Abbas Panormitanus, *in cap. Ad audientiam, el 2. de Torneamentis, cap. Fures, num. 1. el 2. de Furtis, & in cap. Super eo, n. 3. el 2. de Raptoribus*, D. Antoninus, *in Summa 3. part. tit. 10. cap. 5. de Sepulturis* §. 8. & §. 9. Glossa, *in cap. Ex parte, verbo, Communicabatur, el 11. de Sepulturis, in fine, & in cap. Quia, verbo, Accipiant, el 3. de Vsuris, in cap. Monachi, verbo Sepulturam, el 2. de statu Monachor.* Sylvester, *verbo Sepultura, quæst. 9. versic. septimo.* Diana, *part. 5. tract. 3. resol. 99.* cum Iacobo Marchantio, *in resolutionibus Pastoralibus, tr. 5. de Moribundis cap. 3. quæst. 4. fol. 636.* Ioannes Baptista Ventriglia, *in Praxi* notabilium rerum, *annotat. 52. de Electione sepulturæ, n. 21. pag. mihi* 474. Augustinus Barbosa *de Vniverso Iure Ecclesiastico, part. 2. lib. 2. cap. 10. num. 48.* cum Couvarruvia, *in cap. Alma mater, part. 1. §. 6. num. 4.* Petro Gregorio *syntagmat. Iuris lib. 5. cap. 13.* Vgolino, *de officio, & potestate Episcopi, cap. 17. num. 4. versic. Postremo*, & Gutierrez, *Canonicar. lib. 2. cap. 3. num. 2. & sequentibus.* Francisc. Maria Samuellios, *in Praxi de sepulturis, tract. 2. disput. 1. controv. 4. conclus.* 4.

2 Multi sunt sacri Canones, quibus Glossæ, & Authores allegati, nostram folciunt resolutionem: Sufficiat nobis ad illam probandum, Rituale Romanum, authoritate Pauli Papæ Quinti editum, & publicatum, quod *in Rubrica de Exequiis* ità disponit, aut instruit. *Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso iure sint excludendi; ne quemquam ad illam contra Sacrorum Canonum Decreta vnquam admittat. Negatur igitur Ecclesiastica sepultura, Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, hæreticis... manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.* Hæc Rituale.

Consultò inquirimus de peccatore notorio. 3 Quia occulto peccatori denegari non debet Ecclesiastica sepultura. Dicit enim D. Antoninus, *dicto* §. 8. quod *occulti peccatores sunt sepeliendi* (verba istius sancti Doctoris reddo) *quia manifestari non debet peccatum alterius occultum per viam istam. Latentia enim peccata, vindictam non habent.* Et §. 9. idem docet, ibi. *Idem si delictum tale esset occultum* (scilicet privari quis sepulturâ non debet:) *Et per hoc non debet publicari. Ergo &c.* Et infra. *Et intelligitur iste rigor de raptoribus manifestis, non occultis secundum Innocent. Archidia. in dict. cap. Super eo.* Et alij Doctores idem supponunt, cùm difficultatem proponant, & resolvant de peccatore, non solùm occulto, seu manifesto, sed de notorio, cuius peccatum nulla queat tergiversatione celari. Et de hoc notorio intelligi benè potest Rituale dum de manifestis & publicis peccatoribus loquitur.

Quod si inquiras, quomodò constare debeat 4 notorium peccatorem pœnitentiam egisse ad effectum, vt in loco Sacro, & ritu Ecclesiastico, tumulari valeat: Respondeo, sufficienter id constare, & probari per vnicum testem. Ita docet D. Antoninus, *in allegato* § 8. Ad quod probandum (inquit) sufficit vnus testis, *26. quæst. 6. Qui recedunt.* Quia tunc sepeliendi essent. Hæc S. Doctor, cui consonat Sylvester *loco supra recensito*, dicens eadem prorsus verba, & allegat Archidiaconum, Diana; *part. 5. tract. 3. resol. 99.* cum Marchantio *loco cit.* dummodò ille testis sit fide dignus. Noctinot; *verbo Sepultura in loco sacro, num. 5.* ibi Nisi quis attestetur eos, signa pœnitentiæ dedisse. Samuellius, *in Praxi de sepult. tract. 2. disp. 1. controv. 7. conclus. 6.* Et ratio est. Quia quod in nullius est præiudicium, satis probatur per vnicum testem fide dignum, & plene. Ang. Barbosa, *in cap. In omni negotio, num. 6. el 4. de Testibus, & attestationibus*, cum Nell. *de Testibus, num. 85. casu 9. n. 87. in fine.* Campegio, *eod. tract. regula 93. fallentia 3.* Croto *eodem num. 213. & seq.* Mascardo, *de Probationibus in Præfatione, lib. 1. quæst. 11. num. 14.* & Farinacio, *in Praxi Criminali, part. 2. de opposition. contra personas testium, quæst. 63. num. 26.* Ioannes Sanctius, *disput. 36. num. 5.* cum Villalobos, *tom. 2. tract. 31. difficult. 3. num. 5.* Et probatur ex Canone *Is qui 16. quæst. 6.* ex Concilio IV. Carthaginensi desumpto, iuncta Glossa, Verbo *Qui eum audierunt.* Is qui (ait textus) in infirmitate pœnitentiam petiit. Si casu dum ad eum inuitatus Sacerdos venit, oppressos infirmitate obmutuerit, Vel si in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Glossa autem sic. Nunquid soli testi creditur in hoc casu, cum pluraliter loquitur? videtur quod plores requiruntur; quod tamen vni solo credatur, videtur ex hoc, quod illud non cedit in præiudicium alicuius vt infrà *de consecrat. distinct. 4. Cum itaque, & cap. Placuit:*

* * *

DVBIVM I.

An Ecclesiasticâ Sepulturâ sit priuandus, qui in actu venereo, mortaliter peccaminoso morbo correptus loquelam amisit, & posteà absque doloris, & pœnitentiæ signis obut?

BREVIARIVM.

Orare Oratio.

Pro impiis non licet; bene tamen pro iis, de quibus est dubium, n. 3.9.10.

Præsumere. Præsumptio.

Nemo præsumitur salutis æternæ immemor, nisi in actuali peccato, n. 10.

Sepelire. Sepultura.

Rationes redduntur, ob quas homines in Ecclesiis sepeliantur, num. 7.

Sepelire non licet eum, pro quo oblationes, & preces non licet offerre, à n. 4. ad 9.

In mortali culpa mortui, ad maiorem cumulum damnationis in Ecclesia sepeliuntur, n. 6.7.8.

Qui in actu venereo mortaliter peccaminosô loquelam amisit, & absque externis pœnitentia signis decessit, sepulturâ est privandus, à n. 2.

Privandus etiam est, qui in actuali alio peccato mortali mortuus est, aut occisus sine signis pœnitentia, à num. 3.

Hurtadus de Mendoza 2. 2. *disput.* 76. *sect.* 1. §. 21. quem recenset Diana, *part.* 5. *tract.* 3. *de Casibus occurrentibus tempore mortis, resolut.* 99. negat privandos esse Ecclesiastica sepultura, hæreticos, & quoslibet alios publicos peccatores exteriùs non pœnitentes. Et exemplum apponit in his, qui in torneamentis, aut in aliqua alia actione moraliter mala occumbunt; eos tantum excipit, qui seipsos occiderint. Fundamentum P. Hurtadi est, quia *in cap.* 2. *de Vsuris lib.* 6. facta restitutione, permittitur sepultura Vsurario, absque discrimine, quod egerit, vel non egerit pœnitentiam exteriùs: immò, & pro huiusmodi peccatore: video (inquit) offerri sacrificia (non ago, addit, de excommunicato). Et hanc reddit rationem. Quia non sumus certi de eius damnatione: potuit enim conuerti absque signis externis. Et §. 22. docet contra Suarez *in* 3. *parte Diui Thomæ, tom.* 5. *de Censuris, disp.* 31. *sect.* 2. *num.* 8. posse pro supradictis offerri suffragia: quia Ecclesiæ constare non potest, verum internam non egerint pœnitentiam, & orationes tam publicæ, quàm priuatæ ex hypotesi funduntur, quod ij, pro quibus offeruntur in statu sint, in quo illis prosint. Et quoad oblationem suffragiorum, Hurtado assentitur Diana, ait enim Hurtadum rectè id docere.

CONCLVSIO.

2 Vera sententia docet, priuandum esse Ecclesiasticâ sepulturâ, qui in actu venereo mortaliter peccaminoso loquelam amisit, & sine signis doloris, & pœnitentiæ sensibilis, seu externæ decessit.

Hanc conclusionem tenent Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controu.* 4. *conclus.* 10. *& controu.* 7. *conclus.* 7. Diana, *loco citato*, cum Iacobo Marchantio, *in resolutionibus Pastoralibus, tract.* 5. *de Moribundis, cap.* 3. *quæst.* 4. *fol.* 936. Noctinot, *verbo Sepultura in loco Sacro, num.* 5. Emmanuel mox citandus cum Ioanne Andrea, & Ioanne ab Anania in *cap. Fures de Vsuris*, cum de Furtis dicere deberet. Barbosa *in idem cap. num.* 2. Ioannes Sanctius, *in selectis Disputationibus, disput.* 36. *num.* 2. Navarrus, *in Consiliis, tit. de Sepulturis, consil.* 6. *num.* 1. *&* 4. Henricus de Villalobos *in summa, tom.* 2. *tract.* 31. *difficult.* 3. *num.* 10. quem Diana sub his verbis recenset. Videlicet.

Ay vna duda, y es de vna muger publica, que se havia confessado, y comulgado la Pascua, y fue hallada muerta a puñaladas en casa de su amigo, y no constò si murio contrita, o no. En este Caso se duda, si se le deve negar la sepultura Ecclesiastica? Y aunque parece que si, por un texto donde se niega la Sepultura al que fuere muerto estando hurtando, donde se colige, que el que verisimilmente muere en peccado mortal, no ha de ser enterrado en Lugar sagrado, y segun el Abbad y Ananias no se presume que muera contrito, el que muere estando cometiendo el peccado. Con todo esto Navarro responde, que no se le debe negar a esta la sepultura Ecclesiastica, porque no se sabe el intento con que el amigo la llevò a su casa, pues la matò; y se ha de presumir, que dixo Iesus, quando le dieron las puñaladas, y mostrò otra señal de contricion, y suelen estos dezir: encomendaos à Dios, que os tengo de matar. Con loqual, no se le debe negar la sepultura Ecclesiastica. Y el texto citado, habla del que fue muerto, estando cometiendo el hurto: y assi diria yo por esse texto, que quando el marido hallò al amigo con su muger en fragante delicto, los matò ambos, no deben ser enterrados en lugar sagrado. Hucusquè Villalobos. Roderiquez, *tom.* 3. *quæst.* 61. *art.* 2. cum Navarro, & Villalobos sentit quoad Meretricem. 2

Probatur conclusio nostra. Non licet in loco Sacro, aut in Ecclesiastica sepultura tumulari illum pro quo oblationes, & orationes non licet offerre: Sed pro illo, qui in actu venereo mortaliter peccaminoso decedit sine signis pœnitentiæ, oblationes, & orationes offerre non licet, neque pro eo, qui in dicto actu loquelam amisit, & postea signa illa non ostendit. Ergo neque licet illum Ecclesiasticæ tradere Sepulturæ. 3

Maior est certa, quia nullus Ecclesiastica privatur sepultura, pro quo oblationes, & orationes, offerri non sit prohibitum (vno excepto, in *cap. Felicis, el* 1. *de Torneamentis*, qui in torneamento decessit, cui Sacramenta conceduntur, quod maius est, & negatur Sepultura, quod est minùs, ad aliorum terrorem vt aduotat ibi Glossa, *Verbo Sepultura*, & consequenter conceduntur etiam orationes, & suffragia) Concilium Brachatense, relatum *in canone Placuit*, iuncta Glossa, *verbo Commemoratio, & verbo, Ad Sepulturam*, 23. *quæst.* 5. & Concilium Triburiense, & D. Ambrosius, ex quibus desumptus est *can. Quicumque Clericus, eadem causa, quæst.* 8. *vbi* Glossa, *verbo Sepultura.* prohibent oblationes, & commemorationes, pro suicidis, & pro Clericis, in bello, rixa, aut in Gentilium ludis mortuis, & Sepulturam caninam eis tantùm concedunt, vti vtrobique Glossa, *in cap. Fures, el* 2. *de Furtis*, prohibetur orare pro fure, & latrone si in furando vel deprædando occiduntur, & sepulturâ privantur, vti *dubio* 2. videbimus. 4

Et ratio desumitur ex *canone cùm gratia, causa* 13. *quæst.* 2. in quo sic noster Gregorius Magnus ait. 5

ait. *Cum gratia peccata non depriminit, tunc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur: quia eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt suorum qua Sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundant. Nam quos peccata grauia deprimunt ad maiorem cumulum damnationis potius, quàm ad solutionem, eorum corpora in Ecclesiis ponuntur.* Hæc maximus Doctor, & Pontifex.

7 Vbi Glossa, *verbo Sepeliuntur*, tres tradit rationes, ob quas potiùs homines sepeliendi sunt apud Ecclesias, quàm alibi. *Prima* inquit est, quam reddit textus ibi: *quia eorum proximi quoties ad loca sacra veniunt suorùmque sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis preces fundunt. Secunda*, quia specialiter commendantur patrocinijs illorum Sanctorum, in quorum nomine dedicata est illa Ecclesia. Quod certè, & primum docet D. Augustinus, *in libro de agenda cura pro mortuis, relatus in Canone Nō æstimemus, eadem causa, & quæstione*, dicens *Quod verò quis apud memorias Martyrum sepelitur, hoc tantum videtur mihi prodesse defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.* Et ibi Glossa *in 4. parte diuisionis casus*, secundam approbat causam. *Tertia* inquit est: quia minùs vbi vexantur à spiritibus immundis: Vndè in Cœmeteriis dicitur esse requies defunctorum, iuxta illud D. Ambrosij *in lib. de Officiis*, relati, *in canone Animum, 12. quæst. 2. Nemo potest dolere, quia in sepulchris Christianorum requies defunctorum est.* Habemus igitur ex recensitis Sacris Canonibus quod corpora defunctorum ad hoc solùm in loco tumulantur Sacro, vt eorum animæ suffragiis, & precibus iuuentur: & quod locus sacer ad maiorem damnationem reprobotum deseruit, si in eo illorum corpora ponantur. Ex quibus benè infertur nostra maior propositio, quod non liceat in loco sacro, & Ecclesiasticâ Sepulturâ tumulati, pro quo oblationes, & orationes non licet offerre.

8 Minor autem probatur ex D. Gregorio Secundo, Papa ex nostra familia, qui D. Bonifacio Monacho etiam Benedictino Anglo, Moguntino Archiepiscopo, & Martyri, se, & Sanctam Sedem Apostolicam, de variis rebus dubiis consulenti, ad finem anni Christi Domini 726. vti ex Baronio docet Spondanus, in illius compendio, eodem anno, *num. 12. pag. 187.* statim rescripsit, & quoad præsens, vt sequitur, & habetur *in canone Pro obeuntibus, 13. quæst. 2.* videlicet.

9 Pro obeuntibos qoippè consuluisse cognoueris, si liceat pro eis oblationes offerri? Sancta, sic
,, tenet Ecclesia, vt quisque pro mortuis verè Chri-
,, stianis offerat oblationes, atque Præsbyter eorum
,, faciat memoriam. Et quamuis peccatis omnes
,, subiaceamus, congruit, vt Sacerdos pro mortuis
,, Catholicis memoriam faciat, vt intercedat, non
,, tamen pro impiis (quamuis Christiani fuerint)
,, tale quid agere licebit. Hæc omnia noster Secun-
,, dus Gregorius.

Et Glossa verbo *Pro impiis*, sic inquirit. Sed nunquid Ecclesia orabit pro illis, quos constat decessisse in mortali? Et respondet. Si euidens est aliquem decessisse in mortali, vt cum quis suspendit se, vel præcipitat, aut alio modo se interfecit, pro illo non est orandum. Pro quo allegat *Canones Placuit, & Quicumque num. 5.* à nobis recensitos; secus (inquit) si est dubium. Abbas, *in cap. 2. de Furtis n. 1.* eisdem iuribus innixus, ait. Secundò noto, quod pro decedentibus in peccato mortali, non est aliquomodo in Ecclesia orandum; Bernardus etiam *in dist. C.* ait. Et nota, quod non est orandum pro decedentibus in mortali peccato. Conc. item Triburiense relato, *in eodem met. cap.* ibi *Visum est pro eis non esse orandum.* vbi Glossa, *verbo, Non esse*, reddit rationem dicens: quia in mortali eos decessisse constat. Barbosa *num. 2.* cum Basilio Pontio *de impedimentis Matrimonij, cap. 35. in fine.* Roderiquez, *tom. 3. quæst. 61. art. 2. versic. Neque obstat.*

Probatur igitur, ex hac vniuersali, & verissima Ecclesiæ doctrina, quod non liceat Oblationes pro illis, aut orationes offerre, qoi in actu venereo peccaminoso mortaliter decesserunt, aut loquelam amiserunt, & absque signis pœnitentiæ postea obierunt: cum non minus euidens sit istos io mortali decessisse, quàm illos, qui se suspenderunt, seve præcipitaverunt, aut qui in ebrietate occisi sunt. Sicut enim potuit contingere, quod vni, in morula temporis brevissima, post admissum peccatum internè pœnituerint, sic quod & reliqui alij.

Et per hoc patet ad Patris Hurtadi rationem *supra n. 1.* adductam. Licet enim non simus certi de illorum damnatione, cum potuerint brevissimo tempore interius conuerti, absque externæ pœnitentiæ signis; quia tamen Ecclesia non iudicat vllum, nisi quatenùs apparet externè, cum externe moraliter certum, & euidens sit illos in mortali decedere, pro illis sacrificia, & orationes, ac preces offerri non sinit; secus autem pro aliis, qui pòst patrata facinora, tempus habuerunt opportunum veniendi ad pœnitentiam: quia cum nemo præsumatur suæ immemor salutis, vti bene D. Antonin. *in summa, pag. 3. tit. 10. cap. 5. §. 9.* & habetur *in can. Sancimus 1. quæst. 7.* ibi: Et licet neminem ,, divini timoris contemnendo iusiurandum arbi- ,, tremur immemorem, vt saluti propriæ vllum ,, commodum anteponat. Et inter alios modernos. Diana *part. 5. tract. 3. resol. 99. versic. Non desinam, post medium*, præsumitur pœnituisse; vel ad summum adest de Pœnitentia dubium, & in dubio permittit Ecclesia fieri oblationes, preces, orationes, & sacrificia pro peccatoribus. Quocircà Abbas *in cap. 2. de Furtis, num. 1.* ait. Nota 1. ex textu, quòd interemptus in aliquo facinore, præsumitur decessisse in illo peccato. 10

DVBIVM II.

An Fures, & Latrones, qui in furando, vel depredando occisi sunt Sepulturâ priventur Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM.

Confessio.

In necessitate, fieri potest non Sacerdoti, n. 5. 8.

Non vt a peccatis absolvatur; sed vt excitetur in peccatore contritio, & iustificetur, n. 7. 8.

Obligatio confitendi non Sacerdoti, non est rigorosa, nec procedit ex præcepto divino, aut Ecclesiastico, sed ex Charitate erga seipsum, num. 9.

Per hanc confessionem non adimpletur aliqua ex parte præceptum Confessionis Sacramentalis numero 10.

Magna prudentia requiritur in facienda Confessione non Sacerdoti: vt enim vtilis sit, viro bono, & prudenti

prudenti fieri convenit, n.11.

Qui non Sacerdos hanc audit Confessionem, ad secretum tenetur naturale; non sub Confessionis sigillo: nec maior obligatio augetur ex tali Confessione, quàm si extra illam eadem sciret peccata, numero 12.

Sacramentalis Confessio, soli fieri potest Sacerdoti: ita vt Papa alteri eam committere non possit, num. 6.

Ecclesia.

Gremium redeunti non claudit, n.3.

Fur.

Ille est, qui de nocte furtum committit, n.1.

Latro.

Qui de die deprædatur, latro nominatur, n.1.

Præsumere. Præsumptio.

In actuali peccato peremptus, præsumitur in illo decessisse, n. 3.

In extremis, non præsumitur contritio, ex quo manifestè constat de peccato præcedenti, nisi adsint signa exteriora pœnitentiæ: saltem, si notabile tempus non intervenit inter peccatum, & mortem, num. 3.

Sacramenta.

Neganda non sunt in morte contrito, nisi in casibus in iure expressis, n.3.

Sepultura.

Qui dum prædam committunt occiduntur sine pœnitentia, si præda sit notoria, sepultura privantur, n.2.

1 Pro tituli intelligentia suppono cum nostro Abbate Panormitano, *in cap. Fures, el segundo de Furtis, num.* 1. quod licet aliquando, vt *in cap. Tua de Homicidio,* nomina *Fur,* & *Latro,* equivocè sumantur, hîc tamen pro diversis sumi, ita vt *Fur* accipiatur pro eo, qui de nocte furtum committit, *Latro* verò, pro eo, qui de die deprædatur. Distinctionem approbar etiam Barbosa, *ibidem n.* 5. ibi opponit enim textus, hîc duo illa hominum genera, &c.

CONCLVSIO.

2 FVres, & Latrones, qui dum furtum, aut prædam committunt, occiduntur, aut moriuntur, (si tamen crimen notorium sit,) Ecclesiasticâ sepulturâ priuari debent. Ita docet Ioannes Baptista Venttiglia *in Praxi rerum notabilium, annotat.* 52. *de Electione sepulturæ* §. *vnico, num.* 21. *ad finem.* Augustinus Barbosa *in cap. Fures* citatum, *num.* 5. ibi. Illis negat communionem, Sepulturæ scilicet, & oblationum, & orationum. Ita & omnes pro conclusione dubij primi adducti docere debent.

Et probatur ex Concilio Tributense, in præallegato *capite* 2. *de Furtis,* in quo sic habetur. Fures, & Latrones si in furando, vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem, & sepulturam eis non negamus. Hæc Concilium.

3 Quod exponens Panormitanus, nonnulla adnotat menti tenenda. *Primum.* Quod interemptus in aliquo crimine, præsumitur decessisse in illo peccato. *Secundum.* Quod in extremovitæ, non præsumitur contritio, ex quo manifestè patet de peccato præcedenti. Oportet ergo (addit) quod per illa signa exteriora constet de Contritione. Quod quidem verissimum iudico saltem quandò notabile tempus non mediat inter peccati admissionem, & animæ emissionem, iuxta ea, quæ dubio diximus præcedente. *Tertium.* Quod in hoc *cap.* Fures, & Latrones, vt diversi puniuntur. Quia si non essent diversi, diversa non haberent. *l. Si idem, Cod. de Codicu. Quartum.* Quod quātuncúmque facinoroso in vita, & morte contrito, non sunt deneganda Sacramenta, nisi in casibus in Iure expressis. Et reddit hanc rationem. Quia Ecclesia non claudit gremium redeunti. Vtrumque, notatum scilicet, & probationem, canonizatum invenio per Alexandrum Papam IV. *in cap. Super eo, el 4. de Hæreticis, lib.*6.

Circa id quod addit Concilium Tributiense: 4
vel Diacono confessus fuerit. occurrit difficultas, *An in casu necessitatis debeat quis non Sacerdoti sua confiteri peccata, vel saltem ei liceat?*

Quod liceat, & teneatur, colligi videtur ex præfato Concilio, siquidem Diacono, sicut ex Sacerdoti confitenti, sepultura conceditur, & communio: siue communionem hîc sumamus pro Sacra Synaxi, pro Sacratissimo Euchatistiæ Sacramento, vti vult Glossa *verbo, Communionem;* sive pro communione Ecclesiastica precum, orationum, oblationum, & Sacrificiorum, vti sentit Barbosa *in dictum cap. num.* 5. *ex cap. Ex parte, el* 11. *in fine de Sepulturis,* vbi Innocentius Papa Tertius sic ait. *Et cui communicabatur viuenti, communicandum sit iam defuncto.*

Magnus Petrus Lombardus Sententiarum Ma- 5
gister, *in* 4. *distinct.* 17. *q.* 3. ita ait. Si tamen defuerit sacerdos, proximo, vel socio est facienda confessio. Et infra. Quætendus est enim Sacerdos sapiens, & discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium, qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Et statim recenset nostrum Venerabilem Bedam sic. Beda verò inter Confessionem venialium, & mortalium distinguit super illum locum (*Iacobi scilicet* 5.) *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ait enim, coæqualibus, quotidiana, & leuia; grauiora verò Sacerdoti pandamus & quanto iusserit tempus purgare curemus: quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Sed & grauiora coæqualibus pandenda sunt, cum deest Sacerdos, & vrget periculum. D. item Cyprianus, *lib.* 3. *Epistolar. epist.* 13. *aliàs* 17. vti refert Gabr. Vazquez, *in* 3. *pag. D. Th. tom.* 4. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 1. docet. Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotis adventū, reconcilietur per Diaconum, facta priùs exomologesi, idest, confessione.

Idem docet Abbas, *num.* 4. Glossa, *in cap. Pasto-* 6
ralis Officij, verbo, Præterquam, el 11. *de Officio Iudicis Ordinarij.* & Ioannes Andreas in Marginali *ad dictum cap. Fures.* Addunt tamen absolvere non posse à peccatis alium quàm Sacerdotium. Immò (ait Panormitanus) & Papa non posset hanc potestatem dare non Sacerdoti, de quo vide, quod notat Glossa, *in cap. Pervenit,* 95. *distinct.* quia hæc potestas data fuit à Deo tantum Sacerdotibus. Tene menti. Hactenùs Nicolaus Tudeschius. Quocircà Sacrosancta Tridentina Synodus, *sess.* 14. *can.* 6. sic definit. Videlicet.

Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi *soli Sacerdoti,* quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

Ad quid igitur fiet confessio in necessitate non 7
Sacerdoti? Respondet D. Augustinus in libro de

de Pœnitentia, relatus, *in Canone Quem pœnitet, de Pœnitentia distinctione*, 2. Tanta itaque vis Confessionis est, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contigit, quod pœnitens non potest verecundari coram Sacerdote, quem desiderat, nec locus, nec tempus offert; & si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habeat, sit tamen dignus venia, & desiderin Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi dum ibant ostendere se Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vndè patet Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire. Sæpè quidem eos quærunt: Sed sani & læti dum quærunt, antequam ad eos perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei est vbique: qui & iustis novit parcere, & si non tam cito, sicut si solverentur à Sacerdote. Hæc Augustinus. Vbi Glossa, *verbo & si non tam cito, & verbo solverentur.* Iuncta Glossa *in Canone si quis Diaconus, verbo Dimiserit distinct.* 50. Verbum *Parcere* sic exponit, vt non tam citò dimittat Deus pœnam temporalem ei, qui Sacerdoti non confitetur, quam ei, quem absolvit Sacerdos.

8 Fit igitur Confessio non Sacerdoti, in necessitatis tempore, & illo non habito, vt perfectius do Corde Peccatis excitetur, & ad veram contritionem, quantùm homini possibile est, gratia Dei excitante, & prævenienti, comitante, & cooperante, disponatur peccator, in necessitate illa constiturus; non autem, vt à non Sacerdote absolvatur. Quocircà Abbas vbi suprà sic ait. Sed dic, quod licet in casu necessitatis non Presbytero possit, & debeat quis confiteri; non tamen ab illo potest absolvi, quia non habet potestatem clauium, sed propter contritionem Deus dimittit sibi peccatum. Hæc Cardinalis, dictus Abbas & Barbosa, *dict. c. Fures n.* 2. ibi. *Presbytero, vel Diacono confessi fuerint*: Intellige (inquit) textum loqui de ostendente signa confessionis, & penitentiæ.

9 Vndè, licet in Sacra Pagina, aut in Sacris Canonibus, præceptum rigorosum obligans ad confitendum non Sacerdoti in necessitate, & absentia Sacerdotis non inveniam; negare neutiquam possum, istam sententiam piissimam esse, & illam in praxi sequi, valdè salutare, & aptissimum quidem medium ad præceptum Charitatis, quo quisque fidelium adstringitur, vitam æternam sibi summo studio curare, adimplendum.

10 Et hanc sententiam, non esse, quam Vazquez supra falsam esse docet, firmiter credo. Quia Doctor iste illam sententiam hac acri censura inurit, quæ docet, quod deficiente Sacerdote necessarium sit cum laïco confiteri, saltem in periculo mortis, non vt illè absolvat, quia constat id non posse facere, sed vt saltem pœnitens confiteatur peccata, & ita observet, quod potest huius Sacramenti. Sententia autem, quam sequimur, nullomodò intendit per Confessionem non Sacerdoti factam adimpleri aliorum ex parte præceptum Confessionis Sacramentalis. Si hoc enim intenderet, aut doceret, merito tanquam falsa à P. Vazquez iudicaretur ob rationem ab eo adductam. Videlicet, quod præceptum de Confessione, colligatur ex eo, quod Sacerdotes constituti sunt Iudices huius Sacramenti, de quo ipse ex professo egerat, *q.* 90. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 11. Vndè ergo erit præceptum manifestandi sua peccata laico (inferet), si ille non est constitutus Iudex, vt de fide constat?

11 Pro praxi tamen nostræ sententiæ operæ pretium duxi advertere, magnam prudentiam esse necessariam in Confessione huiusmodi coram non Sacerdote fienda. Contingere enim potest, quod aliquandò illa vtilis sit, si non Sacerdos ille, vir bonus, & prudens sit; contingere etiam potest, quod magis perniciosum sit, quàm vtile non Sacerdoti confiteri. Vtrumque benè præfatus Vazquez, *dicto dub.* 1. *num.* 2. Causa verò humilitatis confiteri peccata Laïcis, non video qua ratione esse necessarium probetur. Sed vtile aliquandò docent Authores prædicti, & forsan, vt docet Scotus, Gabriël, Angelus, & Sotus, modo esset magis perniciosum, quàm vtile ita confiteri laico; aut saltem si non sit perniciosum, quando laicus aliàs est Vir bonus, & prudens, non tamen video esse ita vtile omnia detegere etiam enormia peccata laico.

Quod si petas, *In casu, quo non Sacerdos, in casu necessitatis, Confessionem exceperit, tenebiturne ad secretum servandum?* Respondeo quod Sotus, *in* 4 *distinct.* 8. *q.* 4. *art.* 1. quem recenset, & sequitur Gabriel Vazquez, *num.* 3. teneri servare asserit; non quidem sigilli Confessionis obligatione cum illa Confessio Sacramentalis non fuerit. Differunt tamen duo isti Doctores, in hoc, quod Sotus affirmat, excipientem huiusmodi Confessionem, majori quidem vinculo teneri, quàm communi vinculo secreti; Vazquez autem id neget, eo ductus, quia quod peccator sua facinora, ad modum dixerit Confessionis, aut alio modo, non includit novam rationem, ratione cuius mutetur, aut augeatur quidem obligatio servandi secretum: & quod vulgatis illa loquendi modus: *in Confessione tibi hoc manifesto*: nihil prosit ad augendam secreti obligationem, indicat. 12

De Raptoribus.

An priventur Ecclesiasticâ Sepultura Raptores.

BREVIARIVM.

Furtum.

Specie differt à Rapina, quia occultè fit, ignorante Domino, n. 1.

Impossibile.

Impossibilium nulla est obligatio, n. 10.

Rapina Raptor.

A furto specie differt, quia violenter fit sciente Domino, n. 1.

Raptor est, qui impetu, celeritate, & vi quippiam aufert, n. 1.

Raptor, qui in vita potuit restituere, & non restituit, si in vltimis non potest restituere, nec securitatem reddere plenam, Sacramenta recipere potest si pœniteat, & in Ecclesia sepeliri; sed humationi Clerici interesse non possunt; nec eorum recipere eleemosynas, n. 9. 10.

Clerici admittentes ad pœnitentiam, aut Sepulturam Raptorem, qui non restituit, aut cautionem dedit, ab officio deponuntur, & beneficio privantur, num. 5. 9.

Sepelire Sepultura.

Raptor notorius rerum, si habet vnde restituere posset ablata, & non restituit, vel securitatem plenam, de reddendo non dedit, cum posset,

etiamsi in fine pæniteat, sepulturâ privatur à numero 2.

Privatur etiam & Sacramentis, n. 4. 7.

1 RAptor ille dicitur, & verè talis est, *qui impetu, & celeritate, ac vi quippiam aufert*, vti benè Calepinus à Passeratio illustratus, *verbo Rapio, & Raptor*, Vulgo *Arrebatador*: quod etiam Glossa *in can. Qui Christi, verbo. Et rapit.* 12. q. 2. D. Antoninus, *in summa, part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 5. §. 9. Barbosa, *in cap. Super eo, num.* 1. *el* 2. *de Raptoribus.* Vbi Glossa *in figuratione casus.* Ballæns *in summa, tom.* 1. *verbo, Furtum, num.* 2. vbi docet, Furtum, & Rapinam in ratione iniuriæ, specie differre: quia Rapina (inquit) includit violentiam, quæ fit Domino sciente; quam furtum excludit. Quam vtique distinctionem priùs fecerat Aristoteles 5. *Ethicorum libro, cap.* 2. *in fine tom.* 5. ponens *Furtum*, occultum; *Rapinam* verò violentam. Et D. Thomas, 2. 2. *quæst* 66. *art.* 4. *in corpore*, vbi ita ait. Respondeo dicendum quod *Furtum & Rapina* sunt vitia iustitiæ opposita, in quantum aliquis alteri facit iniustum. Nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur *in* 5. *Ethicorum* (scilicet *cap.* 9. *ante medium, tom.* 5.) Et ideò *Furtum, & Rapina* ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est involuntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autẽ dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur *in* 3. *Ethicorum* (*cap.* scilicet 1. *tom.* 5.) Et ideò aliam rationem peccati habet *Rapina*, & aliam *Furtum* Ergo propter hoc differunt specie. Hactenùs Angelicus Doctor, quem communiter scribentes sequuntur.

CONCLVSIO.

2 DIfficultati propositæ respondetur, Ecclesiasticâ Sepulturâ privari notorium Raptorem rerum, si habuit vnde restituere posset ablata, & non restituit in vita; vel securitatem plenam de reddendo non dedit, cum posset, etiamsi in fine vitæ pœniteat, si tamen securitatem, ob impotentiam non reddat. Ita docent Nicolaus Tudeschus, Cardinalis, & Abbas Panormitanus, *in cap. Super eo, el* 2. *de Raptoribus.* Glossa *ibidem verbo Super eo*, S. Antoninus, *in Summa, part.* 3. *tit. cap. & §. supra citatis.* Barbosa, *de Iure Ecclesiastico universo, p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 44. *& dicto cap. Super eo, num.* 1. *& de Officio, & potest. Parochi, part.* 3. *cap.* 26. *num* 44. Ioannes Machadus, *en el Perfecto Confessor, y Cura de Almas, tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *document.* 25. *n.* 4. Franciscus Maria Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controu.* 4. *conclus.* 11. Moure *in Examine Theologiæ Moralis, part.* 4. *cap.* 20. §. 3. Sylvester, *verbo Rapina*, §. 1. Ioannes Ægidius Trullench, *de Iure Parochi, cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 5. Sylvester *verbo Rapina, n.* 1. *& verbo Sepultura, n.* 10. *versic. Tertiò.* Naldus, *verbo Sepultura, n.* 7. Ioannes Baptista, Ventriglia; *in Praxi rerum notabilium, annotat.* 52. *de Electione Sepulturæ*, §. *vnico, n.* 21. Libuit verba Abbatis, & Antonini recensere.

3. Panormitanus ita fatur. Manifestus Raptor, vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cavet in vita, & morte, ad pœnitentiam, & Sepulturam admittitur. Si verò noluit cavere, cum posset, & in morte non potest. Clerici eius Sepulturæ interesse non debent, & Clerici interessentes, vel iniungentes pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab Officio, & Beneficio.

Hæc Abbas, Florentinus autem Archiepiscopus, in sequentia prorumpit. Raptori rerum per violentiam, si habet vnde possit reddere ablata, nisi restituat, vel securitatem plenam de reddendo faciat, denegabuntur ei Sacramenta, & Sepultura. Si verò cum haberet vndè redderet, distulit vsque ad mortem pœnitere, & tunc est impotens ad restituendum, si aliàs est contritus, & dispositus ad restituendum si posset, dabuntur ei Sacramenta; sed privabitur Sepulturâ Ecclesiasticâ ad terrorem aliorum, nisi parentes, vel amici eius vellent restituere pro eo: quia tunc non privabitur Sepulturâ. Et multò magis privabitur Sepulturâ, immò, & Sacramentis, si est impœnitens. *Extra de Raptoribus c. Ex literis, & c. Super eo.* 4

Hactenùs Sanctus ille Doctor, cui assentitur Sylvester, verbo *Rapina, n.* 1. Ventriglia, dicens. Raptores, manifesti, qui possidentes recusarunt ablata restituere, nec aliquis pro eis restituere intendit, iuxta latè dicta per D. Antoninum, 3 *p. &c.* Notentur vtriusque verba: *nisi parentes, vel amici eius vellent restituere pro eo*: & *nec aliquis pro illis restituere intendit.* Quæ quidem maximè favorabilia sunt, & non ab omnibus Doctoribus loquuntur. 5

Notorium dixi Raptorem, cum ob authoritatem Abbatis Panormitani, qui *loco allegato, n.* 4. Verbum *Manifestè* dicti capitis, pro verbo *Notoriè* vsurpat. Sic enim ait. Communiter solvunt Doctores, quod contrarium procedit in Rapina non manifesta hoc cap. & hoc videtur velle textus ibi: *manifestè fuerit deprehensus, &c.* Nam delicta notoria saltem propter exemplum magis puniuntur, ne multis crassantibus locus sit exemplo, *l. Aut facta, ff. de Pœnis & in l. Capitulum*, §. *Famosos eod. tit. & in cap. Quanquam, de Vsuris, lib.* 6. & infra, *cap. Quia de Vsuris, Gloss.* 2. *in fine.* Tum etiam ob ea, quæ ex D. Antonino dixi *disquis.* 20. *n.* 3. & sæpè alibi in præsenti Tractatu. 6

Sed vt iuxta morem meum, probem responsionem nostram, non solùm Doctorum authoritate, sed etiam Iure saltem aliquo, operæ pretium duxi pro illa solidissimè fulcienda, reddere ad amussim textum, *in dict. cap.* 2. *de Raptoribus*, in quo sic noster Eugenius Papa III. decernens ait. Super eo verò: & infrà statuimus, vt quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, sive Ecclesiarum violationes, manifestè fuerit deprehensus: nisi prius ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam, & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium, ei penitus denegetur. 7

Si verò vsque ad obitum in contumacia sua duraverit, & in extremis positus, remedium pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia, & Sepultura Ecclesiastica concedatur. 8

Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendaverit; & in morte securitatem præstare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum prodesse videtur; sicut credimus; sed de peccato contrito corde Viaticum non negetur, ita tamen vt nullus Clericorum Sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam præsumat accipere. Quod si qui Presbyterorum vel Clericorum contra hoc in vita, vel in morte pœnitentias dare, aut Sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentaverint, seu huiusmodi rapinæ participes inventi fuerint, Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant. 9

Hæc

Hæc omnia Eugenius in Decretali. Circa cuius strictissimam prohibitionem Clericis inflictam, de non interessendo Sepulturæ Raptorum rerum, & Ecclesiarum Violatorum, adnotanda valdè venit sententia Glossæ, *verbo Sepultura*, (quæ Bernardi est) Ioannis Andreæ, in marginali, & Abbatis Panormitan *in fine dicti capitis*, asserentium, quod his, qui in morte pœnitent, sed satisfacere non possunt, non denegatur ab Eugenio sepultura in Cœmeterio, aut in loco Sacro, sed tantum prohibetur Clericis, quod tumulationi intersint, ad terrorem potius aliorum, vt alij cum possint, satisfaciant timore huiusmodi pœnæ. Et ista interpretatio tenenda est, tanquam benignior, ait Abbas, vt notatur *cap. Odia, de Regulis Iuris, lib. 6. & l. Pen. ff. de Pænis.* Conceditur autem beneficium absolutionis, & Viaticum. Quia impossibilium, nulla est obligatio, *L. impossibilium ff. de Regulis Iuris la 145.* & Glossa *in dicto cap. Super eo, verbo Si poterit.*

DISQVISITIO XXII.

De Ecclesiæ Violatore.

An priuetur Ecclesiasticâ Sepulturâ notorius Ecclesiæ violator.

BREVIARIVM.

Deus.

Pater noster est, quia nos creavit, n. 3.

Ecclesia.

Mater nostra est, quia nos in Baptismo regeneravit, n. 3.

Homicida.

Qui aliquid aufert Patri, Matri, aut Ecclesiæ homicida censetur, n. 3.

Pœna.

Agentes & consentientes pari pœna puniuntur, numero 3.

Raptor.

Bonorū Ecclesiæ Raptores & alienatores excommunicantur, n. 3. 6.

Raptor bonorum Ecclesiæ infamis est, & carceri, aut exilio perpetuo tradendus est, n. 5.

Absolui non potest in vita, nisi priùs oblata restituat, si possit, vel plenam securitatem restituendi faciat, num. 7.

Si distulerit restituere, aut dare securitatem ad extremum vitæ, & in illo constitutus verè pœniteat, & aliquo ex his duobus modis satisfaciat, ad absolutionem, & sepulturam admittitur, n. 8.

Si in hoc dilationis casu in externis neutro modo satisfacere possit, Viaticum ei ministretur, & sepultura; sed sine ritu, & absque Clericorum assistentia, n. 9.

Sacrilegium.

Qui res Ecclesiæ aufert, sacrilegium committit, numero 3. 4. 5.

Qui etiam sacerdotes insequitur, n. 4.

Violator.

Ecclesiæ violator est, qui violenter res eius aufert. Qui si notorius sit, & non restituit aut securitatem plenam de reddendo non dedit cum possit, etiamsi in fine pœniteat sepultura privatur à n. 1.

Violator Ecclesiæ in præsenti accipitur, pro 1
eo qui violenter res Ecclesiæ invadit, aufert. Violare enim Vulgo, *Corrumper violentamente*, est, Calepino teste: & certè apertè colligitur ex capite 2. *de Raptoribus*, vbi eodem modo de Violatore Ecclesiæ, ac de Raptore loquitur. *Statuimus* (inquit Eugenius Tertius ibi) *vt quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, siue Ecclesiarum violationes, &c.* De huiusmodi igitur Ecclesiarum Violatore, procedit proposita difficultas, non autem de eo, qui alio Ecclesiam violat modo, v. gr. per Sanguinis, vel seminis humani effusionem.

CONCLVSIO.

Quod notorij Violatores Ecclesiarum de qui- 2
bus in præsentiarum, sint Ecclesiasticâ sepulturâ priuati, in casibus in quibus Raptores, docent Glossa *in cap. super eo, verbo eodem, el 2. de Raptoribus, citatum.* Abbas, & Barbosa, *ibi*, D. Antoninus, *in summa, part. 3. tit. 10. cap. 5. §. 9.* Qui licet de Raptoribus solum ibi loquatur, à fortiori de Violatoribus Ecclesiæ, idem dicere debuit: tum quia Raptores etiam sunt: tum, quia de Raptoribus probat, ex dicto Iure, *super eo*, quod æquè disponit de Violatoribus, ac de Raptoribus. Docent & alij, *Disquis. praced.* allegati, *n. 2.*

Plures Sacri Canones recensentur à nostro Pe- 3
tro Crespetio, *in Summa Ecclesiastica Disciplina, verbo Facultates Ecclesia non diripienda, nec invadenda, pag. mihi 397. colum. 1.* & prius à nostro etiam Gratiano, *in Decreto, causa 12. quæst. 2.* quibus variæ infliguntur Violatoribus Ecclesiarum pœnæ, & gravitas criminis, & atrocitas declaratur, in primis enim Anacletus Papa I. *Epist. 1. ad Episcopos Ecclesiarum*, sic ait. Qui abstulerit, „ aliquid Patri, vel matri, dicitque hoc peccatum „ non esse, homicidij particeps est. Pater noster sine „ dubio Deus est, qui nos creavit: mater verò „ nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter „ regeneravit. Ergo, qui Christi pecunias, & Eccle- „ siæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque „ Homicida ante conspectum iusti Iudicis esse de- „ putabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, ini- „ quitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res „ Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Similia „ dixit Lucius I. *Epist. 1. ad Gallia, & Hispania Episcopos.* Et addit. Hæc fieri Prophetæ, hæc „ Apostoli, hæc successores eorum, & omnium „ Catholicorum Patrum vetant Decreta, & tales „ præsumptiones, sacrilegium esse diiudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales Raptores, atque suarum facultatum alienatores vnà nobiscum à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatos, Apostulica authoritate pellimus, „ & damnamus, atque Sacrilegos esse iudicamus: „ & non solum eos, sed omnes consentientes eis: „ quia non solum, qui faciunt, rei iudicantur, sed „ etiam, qui consentiunt facientibus. Par enim pœ- „ na, & agentes, & consentientes comprehendit. „ Hæc Lucius.

Pius Papa I. *Epist. 2. ad Episcopos Italiæ.* Sicut 4
qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia, & donaria expoliat, & invadit fit Sacrilegus: sic, & ille, „ qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur. „

Vrbanus Papa I. *epist.* 1. *ad omnes fideles*, eosdem rerum Ecclesiæ vsurpatores sacrilegos etiam iudicat, & addit. Quod si quis fecerit, post debitam vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportationis vtatur.

6 Excommunicatio huius criminis reis sæpissimè non lata, sed ferenda statuitur in Concilio Romano 6. sub Symacho I. in Concilio Meldensi *c.* 40. in Aurelianensi 3. *cap.* 22. in Alvernensi *can.* 4. in Aurelianensi 4. *cap.* 11. in Turonensi 2. *c.* 25. & 26. in Parisiensi I. in Aurelianensi 5. *cap.* 13. 14. & 16. in Moguntino 3. *cap.* 6. in Valentino Galliæ 2. *cap. vnico*, & in Valentino similiter Galliæ 3. *c.* 8. excommunicationis sententia profertur. De quibus omnibus, & de aliis prolixè Cresspetius. Et ex quibus non levis probatio educi posset, pro responsione data ad difficultatem propositam. Quia excommunicati Ecclesiasticâ sepulturâ privantur, vti *in Disquisitione* 3. probavi. Et quia, qui ita graviter, contra Ecclesiam, in vita deliquit, & emendam ei, cum posset non exhibuit, dignus non est, vt illa eum ad communionem sepulturæ recipiat in morte. Probatio tamen efficacissima, & explicatio responsionis desumitur, ex præallegato *cap. Super eo*, ad amussim exscripto, *in Disquisitione præcedenti*. Ex quo, diversa, quoad Ecclesiarum violatores, decisa habemus, sicut quoad Raptores.

7 *Primum.* Quod huiusmodi violatores, beneficium absolutionis non obtineant in vita, nisi priùs ablata, si possint, de facto restituant: vel plenam securitatem restituendi faciant.

8 *Secundum.* Quod si pœnitentiam distulerint, & satisfactionem, per restitutionem actualem; aut per securitatem præfatam, in præsentis vitæ extremum, & in illo constituti humiliter pœnituerint, & altero ex assignatis modis satisfecerint, beneficium absolutionis, & sepulturam obtineant.

9 *Tertium.* Quod si in dicto districtionis casu, nec restituerint, nec securitatem plenam dederint ob impotentiam, si de peccatis contriti extiterint, Viaticum recipiant; sed Clerici eorum non intersint sepulturæ, nec eorum accipiant eleemosynas. Per quod, vti *Disquisitione præcedenti, num.* 10. diximus, non excluduntur à Sepultura sacra, in loco scilicet sacro, sed à sepultura Ecclesiastica, quoad ritum, cum Clericorum assistentia, cum psalmis, responsorijs, &c.

DISQVISITIO XXIII.

De Iustitiatis.

An suspensi, vel alio iustitiati modo, Sepulturâ priventur Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM.

Argumentum.

A maiori, ad minus, validum est, n. 8.

Axioma.

Maius, cui conceditur, & minus concedi videtur, num. 8.

Plus si licet, etiam quod est minus, licitum est, num. 8.

Consuetudo.

Contra Ius Divinum, nulla subsistit, n. 3.

Iustitiati.

In Deuteronomio præceptum fuit, vt suspensi, eadem sepelirentur die. Postea crescente malitia diu manserunt in ligno, n. 4.

Decedentes pœnitentes, ad sacramenta admittuntur, & sepulturam, n. 2. 6. & seqq.

Punire. Punitio.

Si punitio, quam quis in hac vita patitur pro delictis sufficiens sit, in altera pro eisdem non punietur, n. 2. 6.

Præceptum.

Verba exhortatoria, deprecativa, & consilij, quando materia est necessaria rigorosum continent præceptum, n. 9.

Sacramenta.

Pœnitentia, & Communionis sacramenta negare vltimo supplicio deputandis damnabile est, ou meto 7.

Sepultura.

Iustitiati impœnitentes decedentes sepultura privantur, n. 1.

Mortaliter peccant Iudices negantes deponi de patibulo mortuos pœnitentes, vt sepeliantur. 3. *nisi iusta adsit causa*, n. 5.

De his, quos Iustitia, ob sua delicta, punit, vel suspendendo, vel alio modo, vita temporali privando, cum distinctione, Difficultati propositæ respondere debemus. Vel enim reus impœnitens decedit; aut pœnitens. Si impœnitens, sepulturâ privari debet, sicut & Sacramentis. Ita Glossa *in cap. Ex parte*, *verbo Communicabatur*, ibi: *Vel pro suis sceleribus interficiuntur*, *el* 11. *de Sepulturis*: quam Abbas *ibi*, *n.* 4. interpretatur, & sequitur de impœnitentibus, docet D. Antoninus *in Summa*, *par.* 3. *tit.* 10. *cap.* 5. §. 9. *ad finem* dicens. Suspensus, vel alio modo Iustitiatus propter scelera sua, si moriatur impœnitens, denegantur ei Sacramenta; & sepultura. Ioannes Baptista Ventriglia, D. Antoninum sequitur *in praxi rerum notabilium*, *annotat.* 52. *de elect. Sepultura*, §. *vnico*, *nu.* 21. *in fine*. Sylvester *verbo Sepultura*, *n.* 10. *versic. Quartò*. Samuëllius *de Sepulturis*, *tract.* 2. *disp.* 2. *controv.* 7. *concl.* 9. & docere debent omnes, quos allegavi *disquis.* 20. *de Decedentibus in lethali peccato*, & eisdem probatur fundamentis. Probatur ex *can. Placuit*, *in fin.* 23. *q.* 5. & ibi Glossa *verbo Pro suis*. 1

2 Si verò huiusmodi iustitiati cum pœnitentia decedunt, nec Sacramenta eis, nec sepultura denegari debent. Docent Glossa *in can. Quæsitum*, *verbo In patibulis*, *el fin.* 13. *q.* 2. & *in Clem. Cum secundum*, *verbo Pœnitentia*. Antoninus, Abbas Panormitanus, & Sylvester, qui allegat Archidiaconum, Samuëllius. Nam suspensus, vel decapitatus, seu alia pœna afflictus, pro scelere (verba Abbatis reddo) dummodò ipsum pœnituerit, potest sepeliri in Cœmeterio Ecclesiæ cum solemnitate Missæ, & aliorum officiorum, nec Sacramenta Ecclesiæ sunt tali deneganda, vt est textus *in cap. fin.* 13. *q.* 2. & *in Clem.* 1. *de Pœniten. & Remiss.* Nam & illa pœna si sufficiens est pro delicto, prodest, vt in alia vita non puniatur de eodem delicto. Quia scriptum est: *Non iudicabit Deus bis in id ipsum*, *in dicto cap. fin.* & Clarius 23. *q.* 5. *cap. Quid ergo.*

Hactenùs

3 Hactenùs Nicolaus Tudeschus, qui Glossa tam *cap. Ex parte*, quàm *in Clem. Præfata*, & *in canon. Quæsitum, verbo In patibulis*. D. Antoninus, & Sylvester, locis allegatis, Sebastianus Brant *in expositione tituli, de Cadaveribus punitorum, lib. 48. Digesti novi, pag.* 207. Samuëllius *loco citato*, qui addit *conclus.* 10. peccare mortaliter Iudicem denegantem deponi de patibulo mortuos pœnitentes, vt sepulturæ tradantur Ecclesiasticæ. Et pro sua recenset assertione Baldum *in cap.* 1. *§. Iniuria, de Pace, iuramento firmanda.* Vbi postquam casus enumeravit, in quibus pœna Furcæ imponitur, & adducit textum *in l. Capitalium, §. Famosus, ff. de Pœnis*, inquit, quod non debent in patibulo remanere vltra eundem diem *ex Deuteron. cap.* 21. *in fine, & ex Iosue, cap* 8. Et dum Ius Divinum adest, consuetudo nulla in contrarium valet, nec excusat, *cap. fin. de Consuetudine*: & Romana Ecclesia, quæ est cæterarum Ecclesiarum mater, hoc ad vnguem observat. Hæc omnia ille.

4 Sed hoc non obstante, ex iusta causa, benè possunt vltra diem in patibulo cadavera detineri, ob atrocitatem scilicet criminis, & in aliorum exemplum. Quia licet *in Deuteronomio, cap.* 21. sic præceperit Deus. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur*; postea tamen crescente malitia hominum, fuit pœna aggravata, vt videre licet 2. *Reg. cap.* 21. vbi habemus, quod Gabaonitæ suspenderunt duos filios Respha, & quinque filios Michol, qui diu suspensi permanserunt. Sic docent Hugo Cardinalis *in dictum cap.* 21. *Deuteron. versic.* 23. *ad verbum Sepelietur*: & Iacob Bonfterius *versic. Nota tamen.*

5 Quocirca *l.* 1. *ff. de Cadaveribus punitor*: sic disponit. *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se observasse etiam D. Augustinus, lib.* 10. *de Vita sua scribit. Hodiè autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum, & permissum, & nonnunquam non permittitur, maximè maiestatis causa damnatorum.* Hæc ibi; sed quoad petitionem; ad cognatos *l.* 2. *&* 4. non limitant. Secunda enim ait. *Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur; peti possunt; scilicet vt ossa, & cineres collecta sepulturæ tradi possint*: Quarta verò sic. *Corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt.* De his omnibus Brant in expositione huius tituli. Et aliqui ex dictis Doctoribus advertunt, quod ad deponendum de patibulo punitum, necessaria est Principis, aut Iudicis Sæcularis licentia, qui in hoc se debet facilem reddere *l.* 1. *&* 2. *ff. de Cadaveribus punitorum.* Addit & *l.* 3. Glossa *in d. Clem. verbo citato.*

6 Quod huiusmodi Iustitiatis, qui pœnitentes obierint sepultura Ecclesiastica concedenda sit, in Concilio Maguntinensi, de quo desumptus est *canon. Quæsitum, el final* 13. *quæst.* 2. definitum inuenio. Sic enim in eo lego. Quæsitum est ab aliquibus fratribus, de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo peractam: *Vtrùm cadauera eorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & Missæ celebrandæ, annon?* Quibus respondemus: si de omnibus peccatis suis puram Confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine secundum præcepta Canonum danda est: cur Canones Communionem, vel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt, & confitentur, vel confiteri desiderant? scriptum est enim: Non iudicat Deus his in id ipsum. Hucusquè Concilium Maguntinum. Viennense autem in præallegata Clementina, sic vt sequitur statuit.

Cum secundùm statuta Canonica, vltimo deputandis supplicio, negari (si petant) non debeat pœnitentiæ Sacramentum: abusum damnabilem in quibus partibus, contra hoc introductum aboleri omninò volentes, iustitiarios omnes, & Dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi. Locorum Ordinarijs nihilominùs iniungentes, vt eos ad hoc, cum primum commodè poterunt, diligenter monere, & (si necessè fuerit) Ecclesiastica censura compellere non omittant. 7

Hæc Concilium. In quibus licet de sepultura mentionem non faciat, de illa etiam intelligi debere, sentiunt eius Glossa *verbo Pœnitentia*, & Abbas *ibi, nu.* 1. vbi ita fatur. Damnatis ad mortem, non est pœnitentia deneganda, nec sacra Communio, nec tandem Ecclesiastica sepultura. Qui idem sentit vt vidimus *in dictum cap. Ex parte.*

Et quod ita debeat intelligi, probari potest 8 ex illo Iuris axiomate; *Maius cui conceditur, & minus concedi videtur, leg. Si filiusfamilias, §. fin. ff. de Donationibus, l. Marcellus, ff. de Donationibus causa mortis, l. Non debet, de Regulis Iuris, cap. Ex parte, de Decimis.* Ioannes Maria Novarias *qq. Forensium, lib.* 1. *quæst.* 24. *nu.* 5. Barbosa *tract. de Axiomatibus, axiom.* 140. *num.* 5. Minus enim (addit) semper inest in eo, quod plus est *l. In eo, ff. de Regulis Iuris.* Farinacius *in Praxi criminali, part.* 4. *decis.* 10. *num.* 6. Secundò illud, ex hoc alio axiomate el 180. *inter sua* probat. *Plus scilicet, etiam quod est minus, licitum est, l. Non debet, ff. de Regulis Iuris. Authent. Multo magis, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, cap. Cui licet, la* 53. *de Regulis Iuris, lib.* 6. Farinac. *consil.* 60. *nu.* 109. *lib.* 1. *in dicta Praxi, part.* 4. Thoma de Thomasset *in Floribus Legum, reg.* 85. Menoch. *cons.* 302. *num.* 41. Surdus *cons.* 288. *num.* 14. Novarius *vbi proximè, num.* 6. Vnde, à maiori ad minus validum est argumentum. Idem Barbosa *in tract. de locis argumentorum Iuris, loco* 67. *num.* 1. ex *l. In suis, in fine, ff. de Liberis, & posthumis, l. Nec in ea, ff. de Adulterijs; Authent. Multò magis, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, cap. Si ergo, quæst.* 1. *cap. Si Paulus*, & ibi Glossa 32. *quæst.* 5. *cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi.* Et plures allegat Doctores. Sed sic est; quod Concilium Viennense, non solùm concedit, sed strictissimè præcipit Iustitiatis, ob sua scelera, ministrari Sacramenta si pœnitentes sint. Ergo in vim eiusdem Conciliaris Decreti eisdem conceditur sepultura Ecclesiastica, quæ minùs est, quàm Sacramenta.

Strictissimè præcipit, dixi; cum potiùs videa- 9 tur hortari, & obsecrari, sine vlla coactione, & obligationis inductione. Ita quidem dici posset, attenta rigorosa verborum, & stricta significatione; sed meliùs, & verè, contineri in illis rigidum præceptum, dixi. Quia verba exhortativa, & deprecativa, quandoque necessitatem imponunt. Vti ait Glossa marginalis. Et Cardinalis Zabarella, in dictam Clementinam, inter alia; quæ adnotat, hoc vnum est: quod aliquando verba exhortativa, & deprecativa, imponunt

necessitatem: quia habemus consilium reverentiæ, quod obligat sub præceptum, quandò materia est necessaria, scilicet ob reverentiam personarum, quibus Papa scribit, verbis deprecativis, & exhortativis, vt hîc. Omnia sunt Zabarellæ verba.

DVBIUM I.

Vbi sepeliri debeant, qui ob sua crimina, à Iudicibus, vltimo plectuntur supplicio?

BREVIARIVM.

Consuetudo.

Fortior est pacto, & quidquid, pactum facere potest, num. 2.

Per consuetudinem introduci potest, quidquid per privilegium, n. 5.

Parochus.

Ius habet ad sepeliendum in sua Parochiali omnes morientes absque electione sepultura, & sine maiorum sepultura, n. 1.

Ius Parochi consistit in hoc, quod populum habeat, cui sacramenta, & sepulturam det, & Dei verbum annunciet, n. 1.

Attento iure communi impedire valet, ne corpora punitorum alibi, quàm in suà Parochiali sepeliantur, n. 1.

Secùs, attenta consuetudine aliquorum locorum, num. 3.

Sepelire. Sepultura.

Sepelire possunt parentes filios suos impuberes vbi voluerint, si id terræ habeat consuetudo, n. 3.

Pactum initum inter Parochos, & alios Ius habentes sepeliendi servari debet, n. 4.

Difficultatis propositæ sensus est, An furca, patibulóve depositi, aut alio modo, à publicis iustitiæ ministris, ob patrata facinora occisi, sepeliri debeant in Parochiali Ecclesia; an verò in loco pro huiusmodi supplicio affectis, in aliquibus locis destinato?

CONCLVSIO I.

1 Respondeo quod attento Iure communi, in Parochia, in cuius territorio supplicium patiuntur, tumulari debent, & Parochus eodem Iure attento, prohibere benè valet, ne punitorum cadavera, alibi, quàm in sua Parochiali Ecclesia sepeliantur. Ius enim Parochi est, vt omnes fideles, qui in sua obeunt Parochia, sine electione sepulturæ, aut suorum maiorum propria, in eadem sepeliantur Parochia, vti dixerunt Sylvester *verbo Parochia* ibi: sextò, in sepulturis, *& verbo Sepultura, num. 8. versic. Secundum, ad finem.* Azorius *tom. 2. lib. 3. cap. 12. quæst. 5. column.* 282. ibi: *Ius beneficij Parochialis consistit in hoc, vt Parochus habeat populum, cui Sacramenta, & sepulturam ministret, & det: cui verbum Divinum annunciet. Hæc Gemecius in Regula Cancellaria, de idiomat. quæst.* 11. *versic. Et ideo pro vero intellectu.* Hactenùs Azorius. Samuëllius *in Praxi, de Sepulturis, tract. 2. disp. 2. controv. 7. conclus.* 12. Ioannes Ægidius Trullench *tract. de Parocho, cap. 9. dub. 1. & 4. n. 2. & 10.* & ego ipse dixi, *in quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi Ecclesiarum vnitarum, par. 3. quæst. 7.*

CONCLVSIO II.

Attenta autem consuetudine præscripta, qua regulariter, vbi frequenter huiusmodi suppliciorum genus exercetur, particulares solent sepulturæ, pro cadaveribus destinari punitorum, vti in hac Pampilonensi Civitate, destinatas video in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia, iuxta portam principalem, viæ publicæ contiguam: & attenta praxi in eisdem sepulturis, punitorum cadavera sepeliendi, nequeunt Parochi impedire, ne in destinatis suspensorum, aut aliorum punitorum corpora, tumulentur Sepulturis. 2

Ita in terminis, docet Pater Samuëllius *loco proximè allegato*. Et ratio est, quia in hac materia de Sepulturis, vti ait Moronus *resp. 51. n. 49.* sicut in quàm plurimis aliis Ecclesiasticis, multum consuetudini defertur meritò. Consuetudo enim habet vim pacti, immò est fortior pacto, sicut tradit Barbosa *tract. locorum communium argumentorum Iuris, loco 25. num. 1.* cum Farinacio *in Praxi Criminali, par. 6. quæst. 175.* & Gonzalez *ad Regulam 8. Cancellaria, glossa 33. num. 4.* Et facere potest, quidquid facere pactum potest. Idem Barbosa *ibidem*, cum Afflictis, Neapolit. *decis. 91. num. 9. & decis. 258. num. 2.* & Cardinali Tuscho *to. 2. Practicarum conclusionum, lit. C, concl.* 807.

Quocirca parentes posse filios suos impuberes sepeliri vbi voluerint, si consuetudo terræ id habear, docet D. Antoninus *in Summa, part. 3. tit. 10. cap. 5. de Sepulturis, in principio.* Abbas Panorm. *in cap. De vxore, num. 7. in fine, el 7. de Sepultur.* Barbosa *ibi, num. 6.* cum Sebast. de Medices *de Sepulturis, quæst.* 8. & alijs. Quod & decernit Lucius Papa III. *in dicto capite*, dicens. Vtrùm autem pater, quò magis voluerit minores filios valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus diffinitum: & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum. 3

Et quidem pactum initum inter Parochum, & alios habentes facultatem sepeliendi, servari debet, vti benè D. Antoninus *vbi proximè*, §. 2. *ad fin.* & Barbosa cum pluribus *in can. Pactum, n. 1. el 1. de Pactis, lib. 6.* Et ibi decernitur à Bonifacio Papa VIII. Si ergo consuetudo habet vim pacti, & pactum circa facultatem sepeliendi servari debet, servari etiam debet consuetudo. 4

Aliud item fit ex consuetudine, ad probandam secundam partem nostræ responsionis, argumentum. Quia consuetudine introduci potest, quicquid per privilegium concedi valet. Barbosa *dicto loco 25. num. 2.* cum Cardinali Tuscho *tom. 2. allegato lit. C, conclus. 808. & loco 88.* cum eodem Card. *tom. 1. lit. A, conclus. 507. num. 13.* & Oldrado *consil. 146. in fine, & cons. 172. in principio.* Sed privilegio concedi valet facultas sepeliendi contra Parochum, & Ecclesiam Parochialem, vti apparet *ex dicto capite Pactum*, & passim ex diversis Summorum Pontificum diplomatibus. Ergo consuetudine introduci benè potest, quod punitorum corpora, extra Ecclesiam Parochialem 5

in

in sepultura ad id destinata, renitente etiam Parocho tumulentur,

---

DVBIVM II.

Incidens.

Quid observari debeat in tumulando per vim occiso?

BREVIARIVM.

Auxilium.

Principes, Magistratus, & Iudices Ecclesiastici, & Sæculares tenentur ad invicem sibi auxilium sui brachij impartiri, vt Iurisdictionem auxilium implorantis adiuvent, n. 18.

Compelli possunt ad auxilium impartiendum: Sæcularis, per Ecclesiasticum, & Ecclesiasticus per suum Superiorem, n. 18.

Ecclesia.

Nulla causa civiles, aut criminales agitari possunt per Sæculares in loco sacro: & si causa sanguinis sunt, excommunicantur, qui illas exercent, n. 2. & 3.

Irregularitas ex defectu lenitatis.

Non incurritur nisi per actum proximè, & directè in mortem, aut mutilationem influentem: & ad summum qui moraliter censeatur concurrere ad mortem, aut mutilationem, n. 4.

Soli ministri Iustitia incurrunt, in sententia probabili, hanc irregularitatem, & quinam illi sint, num. 5.

Non incurritur ab Episcopo, aut eius Vicario veniam concedente ad exhumandos occisos, vt eorum vulnera à Iudicibus inspiciantur Laicis, numero 4.

Neque Ecclesiastici habentes iurisdictionem temporalem, si deputent Iudices, quibus iniungunt, vt iustitia mediante procedant in causis, etiam sanguinis, n. 6. 7.

Neque Confessarius pœnitentem obligans ad confitendum delictum dignum morte, si iudice interrogetur, n. 8.

Neque consulens, vt consentiat iuste sententiæ mortis, quam nisi per iniustitiam, appellationem differre nequit; secùs consulens, vt omittat appellationem iustam, n. 8.

Neque Confessarius, qui negat absolutionem Iudici nolenti damnare ad mortem, quem condemnare tenetur, n. 9.

Neque Consiliarius, quē Iudex consulit de crimine, quod mortem meretur, si in genere respondeat, crimen esse morte dignum, n. 10.

Neque si in particulari consultus, respondeat hominem, homicidam, v. g. secundùm leges morte puniendum, n. 9.

Neque si interrogatus, an quis teneatur accusare, aut deponere in causa sanguinis, si in genere aperit ius, & docet veritatem, non inducendo ad accusandum, aut deponendum, n. 10.

Neque comitantes reum, vt illum adiuvent, si dicant: alacriter perge: *si mortis accelerationem non intendant,* n. 11.

Neque viam breviorem consulentes, aut solicitantes accelerationem executionis iustitiæ dicendo, v. g. horam tardam esse, vel populum nimis detineri, num. 11.

Neque qui voce, aut percussione instigat brutum, in quo puniendus vehitur, quamvis ex eo mors acceleretur, n. 11.

Neque Sacerdos, qui roganti Carnifici, respondet Functus sum officio meo vel *Nemo te impedit: aut quid simile,* n. 11.

Neque, qui dicunt: Pergamus citius: *Aut reo scalam ascendenti:* Ascende citius; *si tamen isti actus non sint peccata mortalia: aut eqnquam à Ministro iustitiæ fiant,* n. 11.

Neque qui reo dicit: Suppone caput ad excipiendum ictum. *Et ideò citius supponit,* n. 12.

Neque qui Carnifici dicit, vt aliquid aptet, quo citius is, qui morte plectitur, extinguatur, n. 12.

Neque armorum, aut funium fabricatores, fabricando, aut vendendo illa indifferenter ad vsus humanos; secùs si animo faciant, aut vendant, vt morti inferenda deserviant, n. 13.

Neque Ecclesiastici executioni sententiæ assistentes, si non sint Domini temporales, qui sua præsentia authoritatem præstent, n. 14.

Neque qui iudicem rogat, vt iudicet secundùm iura; secùs si rogat, vt sententiam sanguinis exequatur, num. 15.

Neque Ecclesiastici habentes dominium temporale, aut iurisdictionem, qui legem, aut statutum condunt, aliquid sub pœna capitis prohibent, n. 16.

Neque Ecclesiastici, qui consilium Principi prabent, vt legem ferat, quâ pœnâ capitis malefactores puniantur, n. 17.

Neque in communi exhortantes ad talem legem servandam, coërcendo improbos debitis pœnis, numero 17.

Occisi.

Regulariter sepeliri non debent, nisi priùs facta vulnerum inspectione, aut probata morte violenta per Iudicem Ecclesiasticum, aut Sæcularem, num. 1.

Inspectio ista fieri non licet post humationem corporis, nisi priùs obtineatur Episcopi, aut Vicarij eius licentia, n. 2.

Tenetur Episcopus dictam concedere licentiam: & potest ad id compelli per Superiorem, n. 18.

CONCLVSIO.

RESpondeo cum Samuëllio *in Praxi, de Sepulturis, tract. 2. disp. 2. controv. 7. concl. 13.* quod cadavera eorum, qui violenter fuerint interfecti, sepeliri non debent regulariter, nisi inspectis à Iudice Sæculari, vel Ecclesiastico illorum vulneribus: vel nisi aliàs probata morte per vim illata. 1

Regulariter consultò dixi, quia cum sit periculum in mora, ob corruptionem cadaverum, imminentem, ex tumulationis dilatione, si Iudices, seu Ministri vtriusque Curiæ, moram in cadaverum traxerint visitatione, & in vulnerum inspectione, sepulturæ tradi debent ante actualem illorum corruptionem.

Humato tamen cadavere, eius inspectio fieri neutiquā licet nisi obtenta priùs Episcopi, aut eius Vicarij licentia, ac venia. Ratio est, quia in Ecclesia, aut Cœmeterio causæ sanguinis agitari non debent, nec Sæculares quidem. Glossa *in cap. Ve in domibus, verbo Placitum,* el 1. & *in cap. Cum Ecclesia, verbo Sanguinis,* el 5. *de Immunitate Ecclesiar.* & *in cap. Decet, in 2. divisione; versic:* 2

Istud

Istud capitulum, *el* 2. *eod. tit. in* 6. Samuëllius *loco citato*. Ita enim Lucius Papa III. decernit *in cap. Cum Ecclesia Dei*, *el* 5. *Immunitate Ecclesiarum*. Cum Ecclesia Dei, secundùm Evangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum. Sæculares Iudices causas vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in Ecclesijs, vel Cœmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdum enim est, & crudele, ibi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela refugij constituta. Hactenùs Lucius in Decretali illa.

3 Gregorius Papa X. *in Concilio Generali Lugdunensi, in cap. Decet*, *el* 2. *eiusdem tit. lib.* 6. sic statuit. Cessent in Ecclesiis, earúmque Cœmeterijs negociationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscumque tumultus, omnis in eis Sæcularium iudiciorum strepitus, conquiescat: nulla inibi causa per Laicos, criminalis maximè agitetur: sint loca eadem à Laïcorum cognitionibus aliena.

4 *Nisi obtenta licentia*, addidi. Sed inquies. *Poteritne Episcopus illam absque irregularitatis incursione concedere?* Respondeo cum Patre Samuëllio *conclus.* 14. quod tam Episcopus, quàm eius Vicarius benè valet, absque irregularitatis incursione, veniam ad exhumanda cadavera; pro vulnerum inspectione præstare. Ratio est. Quia actus inducens irregularitatem ex defectu lenitatis, ille tantùm est, qui proximè, & directè in mortem, aut mutilationem influit: & ad summum, qui moraliter censetur concurrere ad mortem, vel mutilationem alicui inferendam, vti Lessius docet *in tract. de Irregularitate*, *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 19. Actus autem concedendi licentiam, ad exhumandum cadaver hominis occisi, ad eius inspectionem, remotissimus est, & suaptè natura non directus ad mortem, aut mutilationem, & non censetur moraliter ad earum aliquam concurrere. Non ergo incurrit irregularitatem Episcopus, aut Vicarius eius veniam concedens ad huiusmodi exhumationem.

5 Quod quidem vrgentiùs probatur ex opinione Gabrielis Vazquez, quam sequuntur Turrianus, *de censuris*, *lib.* 9. *disput.* 66. *dub.* 3. Hurtadus, *difficult.* 11. Caspensi, *in Cursu Theologico*, *tr.* 15. *de Censuris*, *disput.* 5. *sect.* 13. *num.* 93. esse satis probabilem indicant Diana, *part.* 3. *tract.* 5. *Miscellaneo*, *resol.* 89. & Bassæus *tom.* 1. *verbo Irregularitas V. num.* 3. *versic. Advertendum.* Ista enim opinio docet, quod irregularitas ex homicidio, non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico iustè, puta à Iudice, Notario, Advocatore, Procuratore, Teste, Accusatore, Carnifice, Ministro carceris, eius Clavigero, Custodibus, & Comitantibus reum causa securitatis, struentibus focum, vt vivus hæreticus comburatur, à furca, pro suspendẽdis faciente, & à quibuslibet aliis iustitiæ ministris ad executionem sententiæ destinatis, aut à persona privata iniustè. Quæ primo contrahitur modo, iustè scilicet, & sine culpa, immò sæpè cum merito, dicitur irregularitas ex defectu lenitatis, quam in ista sententia soli ministri iustitiæ, & non alij incurrunt. Quia in Iuribus in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis (sic dictæ, quia qui ad homicidium, etiam iustum concurrunt, lenitatem, pacem, & mansuetudinem Christi non præ se ferunt, repræsentant:) tantùm fit sermo de Iudicibus, & aliis Officialibus, ad occisionem, aut mutilationem, vt publicis iustitiæ ministris, concurrentibus.

Ex qua sententia, multorum casuum frequenter 6
contingentium decisio, menti pro conscientiis sedandis tenenda, sequitur.

I. Ecclesiastici iurisdictionem temporalem, & criminalem habentes, vti sunt multi Episcopi, & Abbates etiam nostri, irregulares non fiunt, ex defectu lenitatis, ex eo, quod constituant Iudicem pro capitalibus criminibus, etiamsi in communi Iudici dicant huiusmodi, vt invigilent contra malefactores: vel etiamsi in particulari pro aliquo committant casum dignum morte. Caspensis, *n.* 91. Bassæus *tom.* 1. *verbo Irregularitas V. n.* 5. cum Sayro *in Thesauro*, *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 17. Fillincio *tract.* 19. *cap.* 9. *num.* 241. & Sylvestro *verbo Homicidium* 3. *num.* 7. Et expressè decernitur *in cap. Episcopus*, *el* 3. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, *in* 6. Vbi sic Bonifacius Papa VIII. Episcopus, seu quicumque alius Prælatus, vel Clericus iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio, ab aliquibus in iurisdictione sua commisso, ballivo suo, aut alij cuicumque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet: quamvis ipse ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, iustitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtineant temporalem) debent, & possunt, metu irregularitatem cessante, alijs delegare. Hactenùs Bonifacius.

Et Innocentius Papa III. *in cap. Novimus*, 7
el 27. *de Verborum significatione*, decernit, vt Clericus propter sua crimina degradatus, Curiæ, & potestati tradatur Sæculari, vtique puniendus, vti Glossa *verbo Tradatur, in fine.* Bassæus *num.* 6. Caspensis *num.* 91. Ex quibus Iuribus, benè, quod asserui *num.* 4. colligitur. Si enim in his casibus Episcopus sciens mortem ex suo facto, & commissione, & rei traditione sequuturam, irregularitatem ob lenitatis defectum non incurrit, quare in illa licentia exhumandi occisum, & recognoscendi vulnera incurrat, non video.

II. Confessarius pœnitentem obligans ad 8
confitendum delictum morte dignum, si iuridicè interrogetur, non incurrit irregularitatem. Neque illi consulens, vt consentiat iustæ sententiæ mortis, quam differre non potest nisi per iniustam appellationem. Ita Caspensis *num.* 92. Bassæus *n.* 8. cum Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *nu.* 4. Avila *par.* 7. *disput.* 5. *dub.* 6. *sect.* 2. Antoninus Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 99. cum Cornejo *tract. de Irregular. disput.* 11. *dub.* 1. *quæst.* 4. Et ratio est, quia in his casibus solùm intendit Confessarius, & consulens salutem animæ; secùs dicendum, si consulat, vt omittat appellationem Iure illi concessam. Quia esset causa accelerationis mortis. Idem Caspensis, & Diana.

III. Confessarius, qui Iudici nolenti dam- 9
nare ad mortem, quem tenetur condemnare, absolutionem negat, irregularis non efficitur. Quia salutem suam, & pœnitentis Iudicis tantum intendit: quod autem mors sequatur, per accidens est. Caspensis *ibid.* Bassæus *n.* 8. cum Sayro *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 26.

IV. Neque Consiliarius, quem Iudex con- 10
sulit de crimine, quod mortem meretur, irregularitatem incurrit, si in genere respondeat, crimen esse morte dignum: immò si in casu parti-

culari

culari conſultus reſpondeat, homicidam v.gr. ſecundùm leges morte puniendum. Caſpenſis, *dicto, num.*92. Et ratio eſt eadem, quam duobus præcedentis caſibus reddidi. Et idem eſt de conſultore, qui interrogatus, an quis teneatur accuſare, aut deponere in cauſa ſanguinis, & ipſe in genere aperit ius; & veritatem docet, non inducendo ad accuſandum. Baſſæus, *num.*4. cum Filliucio, *tract.*19.*cap.*9. *num.*242. Molina, *tom.*4. *tract.*3. *disput.*74. *num.*5. Suarez *tom.*5. *in* 3.*part. disp.*45. *sect.*3.*num.*5. Navar. & Graffis.

11 V. Comitantes reum vt illum adiuvent, dicentes, *perge alacriter*, irregularitatem non incurrunt, ſi accelerationem mortis non intendant. Caſpenſis, *num.* 93. Neque conſulentes viam breviorem, aut ſolicitantes accelerari exequutionem iuſtitiæ dicendo, v.gr. *horam eſſe tardam, vel populum nimis detineri.* Diana, *dicta reſolut.* 79. *verſic, Legitur.* Immo qui ſive voce, ſiue punctione, aut percuſſione in ſtigat brutum in quo puniendus vehitur, irregolaris non efficitur, quamvis ex eo mors acceleretur. Caſpenſis, *num.* 93. Neque Sacerdos, qui roganti Carnifici reſpondit: *ſum functus officio meo, nemo te impedit*: irregularitatem incurrit, Caſpenſis, n. 93. Et horum omnium ratio eſt, quia nullus ex recenſitis ad mortem concurrit iniuſtè, aut tanquam iuſtitiæ miniſter. Et ex eadem ratione Turrianus ab irregularitate liberat dicentes: *pergamus citius*: aut reo ſcalam aſcendenti: *aſcende citius*: niſi ſint iſti actus peccata mortalia: aut fiant tanquam à miniſtro iuſtitiæ.

12 VI. Si quis ei, qoi plectendus eſt capite, dicat vt caput ſupponat ad excipiendum ictum, & ideo citius ſupponat: aut carnifici dicat vt aliquid aptet, quò citiùs is, qoi morte plectitur, extinguatur, irregularitatem non incurrit. Diana *citato loco.*

13 VII. Fabri ferrarij, & alij armorum fabricatores, fabricando, aut vendendo gladios, funem aut quid aliud ad vſus humanos indifferens, ſine intentione, vt per illud alicui mors inferatur, eſto poſteà illa ſequatur, irregulares non ſunt, ſecùs ſi eo animo illud efficiant; aut vendant. Baſſæus, *n.*4. vbi idem docet de eo, qui venenum præparat.

14 VIII. Eccleſiaſtici aſſiſtentes executionis ſententiæ ſangninis, Irregulares non ſunt. Baſſæus, *num.*5. cum Suarez *de Cenſuris*, *disput.*47. *sect.*4. *num.* 10. & Filliucio; *tract.* 19. *cap.*9. *num.*258. Excipit tamen habentes iuriſdictionem temporalem (in loco ſcilicet vbi exequitur ſupplicium,) qui ſua præſentia aliquo modo authoritatem præſtant.

15 IX. Clericus, qui Iudicem rogat, vt iudicet ſecundum iura, irregularis non eſt. Quia hæc verba indifferentia ſunt, & non important cooperationem ad mortem, Baſſæus, *num* 5. cum Bonacina, *de cenſur. disp.*7. *quaſt.*4. *punct.* 1. *num.*11. Antoninus Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.*35. Qoi addit nec peccare venialiter, nullam authoritatem præſtando. Si tamen roget; vt ſententiam exequatur, incurrit Irregularitatem. Quia iſta actio ex ſoa natura ad mortem ordinatur. Baſſæos.

16 X. Neque Eccleſiaſticus habens iuriſdictionem temporalem, legem, aut ſtatutum condens, quo aliquid ſub pœna mortis prohibet; irregularis eſt, quamvis poſteà Iodex ea lege ductus aliquem occidat. Quia poſteà Dominus non infert mortem, ſed lex: & quia in determinatam perſonam non animadvertit. Baſſæus, *num.* 7. cum noſtro Sayro, *de Cenſuris*, *lib.* 6. *cap.*18. *n.*18. Henriquez, *l.*14.*c.*12. & Sylveſtro *verbo Homicidium*, 3.*n.*7.

X I. Eccleſiaſticus item conſilium præbens Principi, vt ferat legem, quà delinquentes pœnâ capitis puniantur: & exhortans ad illam ſervandam in genere, coërcendo improbos debitis pœnis, Irregularis non eſt. Baſſæus, *num.*7. cum Filliucio, *num.* 242. Bunacina, *num.* 31. & Vgolino. 17

Sed redeundo ad caſum licentiæ exhumandi, & recognoſcendi vulnera occiſi, cuius occaſione hanc, non inutilem feci digreſſionem, dico, non ſolum poſſe, ſed debere Epiſcopum veniam ad id concedere. Ita Samuellius, *vbi ſuprà.* Et ratio eſt. Quia ſicut Iudex ſæcularis tenetur Epiſcopi Iuriſdictionem adiuvare, & auxilium, & brachium ſuum ei præſtare *cap. Perniciosam cap. Quoniam, de Offic. Iudicis Ordinary, cap. ſtatuimus, de Maledicis, & can. Adminiſtratores*, 23. *quaſt.*5. & poteſt ad id compelli ab Epiſcopo in vim dictorum Iurium, vti advertunt eorum Gloſſæ, & Samuellius, ita Epiſcopus, & eius Vicarius compelli poſſunt ad auxilium Iudici Sæculari præſtandum non tamen per iſtum, ſed per Metropolitanum, aut Nuncium Apoſtolicum, ad quos poteſt ſæcularis ille Iudex appellare. Idem Samuellius. 18

DISQVISITIO XXIV.

De Exulibus,

An qui exilium patiuntur, ob ſua crimina, reduci poſſint ad patriam, poſt mortem, vt in ea tumulari queant?

B R E V I A R I V M.

Exemptio. Exemptum.

Quod in loco ſit exempto, perindè eſt, ac ſi extra territorium fieret, n.6.

Limita, quando lex, Conſtitutio, aut ſtatutum in contrarium non exiſtit, n. 6.

Exul.

Sententiam non obſervat, qui ad Eccleſiam ſua patriæ ſe recipit, n.3.

Si in illo decedat, ad patriam reduci nequit, numero 1. 4.

C O N C L V S I O.

Reſpondet Franciſcus Maria Samuellius, *in Praxi de Sepulturis*, *tr.* 2. *disp.*1. *controu.* 7. *concl.*15. cum Bartolo, quod qui in vita nequeunt in civitate morari, poſt mortem ad Sepulturam reduci non valent. Et allegat legem. *Si quis in Inſulam ff. de Cadaveribus puniendorum.* Ex qua quidem optimè reſponſio probatur. Sic enim illa decernit, videlicet.

Si quis Inſulam deportatus, vel relegatus fuerit, pœna etiam poſt mortem manet, nec licet eum inde transferre alicubi, & ſepelire inconſulto Principe, vt ſæpiſſimè Severus, & Antoninus reſcripſe

,, cripserunt, & multis petentibus hoc ipsum indul- ,, serunt. Hæc lex citata, quæ penultima est dicti tituli, qui 24. *est l.48. Digesti novi.*

3 Ex qua benè resolvitur, ad favorem Ioannis Capiblanci, *de officio Baronum, tom. 2. pragm. 8. cap. 34. num. 4.* & aliorum, quos suppressis nominibus recenset Thomas Delbene, *de Immunitate Ecclesiastica, tom. 1. cap. 6. dub. 14. sect. 3. num. 5.* quæstio illa, *An si exul, vel bannitus recipiat se in Ecclesiam suæ patriæ, intelligatur per hoc exilium frangere, & sic posit inquiri, & de sententia inobservantia puniri?* Respondent itaque dicti Authores, exilium frangere, huiusmodi exilij pœna puniri, se ad Ecclesiam patriæ suæ recipiendo.

4 Ducuntur. Quia licet Ecclesia sit exempta à Iurisdictione sæculari, & Prælato subiaceat Ecclesiastico; stat tamen in territorio Principis sæcularis, in quo fundata est. Et sic cum Ecclesia sit in territorio, vbi exul, vel bannitus esse non potest, si iste ad illam se recipiat, exilium frangit: & consequenter inquiri potest, & puniri ob sententiæ inobservantiam. *Benè resolvitur* dixi, ex dicta Lege, quæstio ista; quia si post mortem frangitur lex exilij per translationem corporis exulis alicubi, & illius Sepulturam, quare eadem non frangatur, si in vita se ad Ecclesiam idem exul recipiat: cum eadem pœna sit in vita, & in morte, ex dicta lege ibi *pœna etiam post mortem manet?*

5 Vndè in hac parte, non satis mihi probatur dicti P. Thomæ Delbene placitum, exilium non frangi in hoc casu, sententis. Quia licet Ecclesia (inquit) ratione situs, revera sit in territorio Principis sæcularis, vbi sita est; tamen quoad Iuris effectus, & præcipuè quoad ligandum ordine, banno, vel statuto Principis territorij, id quod fit in Ecclesia, vel in loco exempto, non dicitur fieri in territorio; quin immo fieri in loco exempto, & fieri extra territorium (addit) æquiparantur, vt docent communiter Iuristæ, *in l. fin. de Iurisdictione omnium Iudicum*, & Paulus de Castro, *consilio* 187. Alexander *consil.* 151. *volum.* 2. Natta, *cons.* 643. & Rolandus, *cons.* 33. *volum.* 3.

6 Non inquam mihi satis probatur Delbene sententia, quoad non fractionem exilij in præsenti casu; licet plurimum mihi arrideat, & summè plausibilis doctrina sit ab ipso tradita ad illam probandam. Quia istam verissimam iudico, quandò dispositio legis, seu statuti, vel Constitutionis in contrarium non existit, sicuti existere videtur *in dicta l. si quis*, in qua simul cum declaratione facta, de eo, quod eadem sit pœna in vita, & post mortem, decernit, quod sententia istam infligens frangatur, si exul post mortem alicubi deferatur sepeliendus: & consequenter decernere videtur huiusmodi fractionem, in casu proposito, de exule, se ad Ecclesiam suæ patriæ recipiente.

***

DISQVISITIO XXV.

De Exenteratis.

An cadavera defunctorum exenterata, ac divisa & immaniter decerpta, & decocta, vt ossa separentur à carnibus, vt aliò illa sepelienda ferantur, Ecclesiasticâ careant Sepulturâ?

BREVIARIVM.

Clausula.

Qui aliquid attentaverit: facit aliquandò hunc sensum: *Qui semel attentaverit*, n. 6.

Communio.

Nemo communione privatur Sacramentorum, aliorum divinorum, & Sepulturæ, nisi censura fuerit expressè denunciata contra determinatam personam, aut communitatem: & in casu notorij Clerici, vel Monachi percussoris, n. 10.

Dictio *Et*

Omnes actiones, quas dispositio prohibet, ita copulat, & coniungit, vt idem de vno, ac de alio sit: & concursum requirat omnium copulatorum, num. 5.

Excommunicatio.

Lata est Papæ reservata, contra quoscumque exenterantes cadavera, & decoquentes, &c. animo deferendi illa in patria Sepulturam, n. 1.

Procedit si in Christianorum terris fiat, non verò Turcarum, &c. n. 3.

Non procedit si exenterentur, &c. ad alios fines, quamvis pravos, quàm ad deferenda in patria Sepulturam, n. 4.

Neque si omnes actiones in ea prohibitæ non exerceantur: exenteratio, divisio, decoctio, numero 5. 6.

Neque comprehendit mandantes, aut Consulentes dictas actiones, neque consentientes, &c. numero 11.

Lex pœnalis.

Ad casus in ea non expressos extendi non debet, num. 11.

Pœna.

Sine culpa, aut sine causa infligi non potest, numero 8.

Sepultura.

Corpora fidelium exenterata, decerpta, & cocta ad deferenda in Sepulturas patria, privantur Sepulturâ, n. 4.

Post sententiam tamen criminis declaratoriam, num. 10.

Limita, si actiones illæ in terris Christianorum fiant. num. 3.

CONCLVSIO.

Responsio est affirmativa. Illam tenent Glossa *in Extravagant. Detestandæ, verbo, eodem, & verbo Sepultura, la 1. de Sepulturis, inter Communes.* Franciscus Maria Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tract. 2. disput. 1. controu. 7. concl. 19.* 1

conclus. 19. Ferdinandus Castrus Palaus, *part.* 3. *Operis Moralis, tr.* 29. *de Censuris disp.* 3. *punct.* 27. *num.* 5.

Probatur ex dicta Extravagante, in qua Bonifacius Papa VIII. postquam excommunicationis ipso facto incurrendæ, reservatæ Papæ sententiam tulit, contra quoscumque, cuiusvis Ordinis, conditionis, status, aut gradus, etiam dignitati Ponificali, præfulgentes, corpora defunctorum exenterantes, ea immaniter decoquentes, vt ossa à carnibus separata ferant sepelienda in terram suam, concludit constitutionem suam dicens: *Et nihilominùs ille, cuius corpus, sic inhumanè tractatum fuerit, Ecclesiastica careat Sepultura.*

2 Circa dispositionem huius Extravagantis, nonnulla occurrunt dubia breviter discutienda. I. An illa locum habeat vbique gentium, & respectu cuiuscumque cadaveris? II. An comprehendat illos, qui recensita inhumanitate corpora fidelium defunctorum tractant ad alios fines, quamtumvis pravos, quàm ad ferenda eorum ossa aliò sepelienda? III. An liget corpora exenterantes, si concisio, & coctio eorum non sequatur? IV. An pœna privationis Sepulturæ vivis exenterantibus, an verò exenteratis cadaveribus inflicta dicatur? V. An ad sui executionem prærequirat causæ cognitionem, & sententiam criminis declaratoriam? VI. An excommunicatio consentientes liget, & consulentes?

3 Ad primum dubium, quoad vtramque illius partem, negativè respondetur. Quoad locum quidem, solùm afficere terras Christianorum, docent Glossa, *verbo Catholicæ fidei*, dicens: *Et sic hæc constitutio non inhibet, vbi Catholicus decederet in terra Sarracenorum.* Barbosa, *de Potestate Episcopi, part.* 3. *allegat.* 50. *num.* 103. cum Lavorio, *de Indulgentiis, part.* 2. *cap.* 21. *num.* 28. Fillioeio, *tract.* 15. *num.* 72. *versic.* 3. *num.* 77. & Gambarupta *de casibus reservatis, cap.* 7. *num.* 7. Castrus Palaus *loco citato, num.* 3. cum Sayro, *in Thesauro lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 2. & Toleto, *lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 6. Et probatur ex verbis dictæ Extravagantis, ibi: *In Ciuitatibus, terris, seu locis, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, diem de Catero claudet extremum.*

Quoad secundam eius partem de Cadaveribus, certum etiam est, quod constitutio solum prohibeat actiones præfatas in Cadavera fidelium exercitas. Ita Glossa *modo reddita*, ibi: *Vbi Catholicus*: Barbosa insinuat, & expressè docet Palaus *dicto numer.* 3. cum Bonacina, *tom.* 3. *disput.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 45. *num.* 6. & benè id colligit ex ipso textu in principio, ibi: *Si quisquam eis genere nobilis, &c.*

4 Ad secundam difficultatem, respondetur etiam negativè. Ita Barbosa *in dictum Extravagantem, num.* 2. *& loco allegato de Potestate Episcopi*, cum Navarro, *in Manuali, cap.* 27. *num.* 105. *& de excommunicatione, consil.* 54. *in antiquis, & in novis, de Sepulturis, consil.* 10. Castrus Palaus, *loco reddito, num.* 4. cum Caïetano, *in summa, verbo, Excommunicatio, cap.* 70. Bonacina, *vbi proximè, num.* 5. & Sayro, *num.* 2. Vnde qui actiones prohibitas præstat ex odio, vel vindicta, vel ad maleficium, aut superstitionem, vel causa anatomiæ, vel ne fœteat cadaver, pœnas non incurrit dictæ Extravagantis. Docent Barbosa, & Palaus cum aliis allegatis Doctoribus.

5 Ad tertium dubium dico, pœnas à Bonifacio Octavo in dicta Constitutione inflictas, non incurri per solam exenterationem, seu per extractionem internorum cadaveris, si hoc simul immaniter non concidatur, & partes illius decoquantur, quovsquè ossa à carnis tegumento exuantur. Docet Palaus, *dicto num.* 4. cum Toleto, *vbi supra.*

Et ratio est, quia dictio *et*, omnes actiones, quas dispositio Extravagantis prohibet, copulat, & contingit. Ita vt æqualiter copulet: vt idem sit de vno quod de altero ex copulatis: & requirit concursum copulatorum. Barbosa, *in tract. de Dictionibus, dictione,* 110. *num.* 9. *vt in l. si mihi, & Titio ff. de Verborum significatione, & in l. Reos, §. cum in tabulis ff. de Duobus reis constituendis. Et in l. Si hæredi plures, ff. de Conditionibus institutionum.* notant Iasius *in l.* 5. *num.* 3. *& seqq. ff. de Iustitia & Iure.* Felinus, *in cap.* 2. *num.* 32. *in verbo Copula, de Rescriptis,* Decius *consilio* 89. *num.* 2. *& consilio* 417. *num.* 1. *& consilio* 433. *numer.* 6. Natta *consilio* 373. *nume.* 14. *tom.* 4. Parisius *consilio* 95. *numer.* 6. *volum.* 1. *& consilio* 63 *num.* 14. Thesaurus, *decision.* 189. *n.* 1. Guido Papa *decis.* 527 *num.* 1. *& sing.* 309. *num.* 1. 2. *&* 4. Rochus de Curte *de Iurepatronatus, verbo Ipse, vel is, num.* 48. *& seq.* & plures alij, quos pro more suo recenset, & sequitur præfatus Barbosa.

Neque obest, quod Bonifacius Papa cum excommunicet, qui aliquid contra huius statuti tenorem præsumpserit attentare: quasi diceret, non est necesse, vt circa corpus defuncti omnes illæ actiones exenterationis, concisionis, & coctionis exerceantur, sed satis est, quod aliqua illarum præstetur, vt sit excommunicationi (& consequenter sepulturæ privationi) locus, vti Suarez, *tom.* 5. *in* 3. *partem, disput.* 22. *sect.* 5. *n.* 4. Filliucius, *tract.* 25. *cap.* 4. *quæst.* 6. *numer.* 74. & Bonacina, *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 45. *num.* 4. docuerunt. 6

Non inquam obest, quia vti benè Palaus *dicto num.* 4. illud pronomen *aliquid*, non refertur ad aliquam actionem ex enumeratis, sed ad totam excommunicationis materiam, sive divisibilis sit, sive indivisibilis. Sæpè enim posita materia excommunicationis indivisibili, subdit Pontifex prædictam clausulam: *Qui aliquid contra huius nostri statuti, & Ordinationis tenorem præsumpserit attentare.* Quapropter clausula ista hunc facit sensum. *Qui semel contra huius nostri instituti, & ordinationis tenorem præsumpserit attentare, excommunicatione innodatus sit.* Ita Palaus.

Ad quartam difficultatem respondet ut subdistinctione. Aut ille, cuius cadaver sic, vt præfertur, inhumanè tractatur, adhuc vivens, sic tractari mandavit, vel in specie, vel saltem in genere; vel non. Si primum, certum est, quod pœna privationis sepulturæ, eidem cadaveri inflicta sit, ex sequela præcedentis delicti, sicut & honor absolutionis defuncto etiam fit, ex signis, quæ in eo apparuerunt ipso viuo, *In capite A nobis, el* 28, *de sententia excommunicationis.* Et ita respondet Glossa, *in Extrauag Detestandæ, verbo Sepultura.* Si verò secundum, potest adhuc dici, pœnam infligi ipsi cadaueri, non ob culpam ab ipso viuo commissam, sed ob causam detestationis ipsius facti, & eiusdem sequelæ. Ita etiam prædicta Glossa, *eodem verbo.* 7

prudenti fieri convenit, n.12.

Qui non Sacerdos hanc audit Confessionem, ad secretum tenetur naturale; non sub Confessionis sigillo: nec maior obligatio augetur ex tali Confessione, quàm si extra illam eadem sciret peccata, numero 12.

Sacramentalis Confessio, soli fieri potest Sacerdoti: ita vt Papa alteri eam committere non possit, num. 6.

Ecclesia.

Gremium redeunti non claudit, n.3.

Fur.

Ille est, qui de nocte furtum committit, n.1.

Latro.

Qui de die deprædatur, latro nominatur, n.1.

Præsumere. Præsumptio.

In actuali peccato peremptus, præsumitur in illo decessisse, n.3.

In extremis, non præsumitur contritio, ex quo manifestè constat de peccato præcedenti, nisi adsint signa exteriora pœnitentiæ: saltem, si notabile tempus non intervenit inter peccatum, & mortem, num.3.

Sacramenta.

Neganda non sunt in morte contrito, nisi in casibus in iure expressis, n.3.

Sepultura.

Qui dum prædam committunt occiduntur sine pœnitentia, si præda sit notoria, sepultura privantur, n.2.

Pro tituli intelligentia suppono cum nostro
1 Abbate Panormitano, *in cap. Fures, el segundo de Furtis, num.1.* quod licet aliquando, vt *in cap. Tua de Homicidio*, nomina *Fur*, & *Latro*, equivocè sumantur, hîc tamen pro diversis sumi, ita vt *Fur* accipiatur pro eo, qui de nocte furtum committit, *Latro* verò, pro eo, qui de die deprædatur. Distinctionem approbat etiam Barbosa, *ibidem n. 5.* ibi opponit enim textus, hîc duo illa hominum genera, &c.

CONCLVSIO.

2 FVres, & Latrones, qui dum furtum, aut prædam committunt, occiduntur, aut moriuntur, (si tamen crimen notorium sit,) Ecclesiasticâ sepulturâ priuari debent. Ita docet Ioannes Baptista Ventriglia *in Praxi rerum notabilium, annotat.52. de Electione sepulturæ §. vnico, num.21. ad finem.* Augustinus Barbosa *in cap. Fures* citatum, *num.5.* ibi. Illis negat commonionem, Sepulturæ scilicet, & oblationum, & orationum. Ita & omnes pro conclusione dubij primi adducti docere debent.

Et probatur ex Concilio Tributense, in præallegato *capite 2. de Furtis*, in quo sic habetur. Fures; & Latrones si in furando, vel deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem, & sepulturam eis non negamus. Hæc Concilium.

3 Quod exponens Panormitanus, nonnulla adnotat menti tenenda. *Primum.* Quod interemptus in aliquo crimine, præsumitur decessisse in illo peccato. *Secundum.* Quòd in extremo vitæ, non præsumitur contritio, ex quo manifestè patet de peccato præcedenti. Oportet ergo (addit) quod per illa signa exteriora constet de Contritione. Quod quidem verissimum iudico saltem quandò notabile tempus non mediat inter peccati admissionem, & animæ emissionem, iuxta ea, quæ dubio diximus præcedente. *Tertium.* Quod in hoc *cap.* Fures, & Latrones, vt diversi puniuntur. Quia si non essent diversi, diversa non haberent. *l. Si idem, Cod. de Codicis. Quartum.* Quod quãtuncúmque facinoroso in vita, & morte contrito, non sunt deneganda Sacramenta, nisi in casibus in Iure expressis. Et reddit hanc rationem. Quia Ecclesia non claudit gremium redeunti. Vtrumque, notatum scilicet, & probationem, canonizatum invenio per Alexandrum Papam IV. *in cap. Super eo, el 4. de Hæreticis, lib.6.*

Circa id quod addit Concilium Tributiense: 4
vel Diacono confessus fuerit. occurrit difficultas, *An in casu necessitatis debeat quis non Sacerdoti sua confiteri peccata, vel saltem ei liceat?*

Quod liceat, & teneatur, colligi videtur ex præfato Concilio, siquidem Diacono, sicut ex Sacerdoti confitenti, sepultura conceditur, & communio: siue communionem hîc somamus pro Sacra Synaxi, pro Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, vti vult Glossa *verbo, Communionem*; siue pro communione Ecclesiastica precum, orationum, oblationum, & Sacrificiorum, vti sentit Barbosa *in dictum cap. num.5. ex cap. Ex parte, el 12. in fine de Sepulturis*, vbi Innocentius Papa Tertius sic ait. *Et cui communicabatur viuenti, communicandum sit iam defunctæ.*

Magnus Petrus Lombardus Sententiarum Ma- 5
gister, *in 4. distinct.17.q.3.* ita ait. Si tamen defuerit sacerdos, proximo, vel socio est facienda confessio. Et infra. Quætendus est enim Sacerdos sapiens, & discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium, qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Et statim recenset nostrum Venerabilem Bedam sic. Beda verò inter Confessionem venialium, & mortalium distinguit super illum locum (*Iacobi scilicet 5.*) *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ait enim, coæqualibus, quotidiana, & leuia; graviora verò Sacerdoti pandamus & quanto iusserit tempus purgare curemus: quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Sed & graviora coæqualibus pandenda sunt, cum deest Sacerdos, & vrget periculum. D. item Cyprianus, *lib.3. Epistolar. epist.13. aliàs 17.* vti refert Gabr. Vazquez, *in 3. pag. D. Th. tom.4. q.93. art.1. dub.1.* docet. Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotis adventũ, reconcilietur per Diaconum, facta priùs exomologesi, idest, confessione.

Idem docet Abbas, *num.4.* Glossa, *in cap. Pasto-* 6
ralis Officij, verbo, Præterquam, el 11. de Officio Iudicis Ordinarij. & Ioannes Andreas in Marginali *ad dictum cap. Fures.* Addunt tamen absolvere non posse à peccatis alium quàm Sacerdotium. Immò (ait Panormitanus) & Papa non posset hanc potestatem dare non Sacerdoti, de quo vide, quod notat Glossa, *in cap. Pervenit, 95. distinct.* quia hæc potestas data fuit à Deo tantum Sacerdotibus. Tene menti. Hactenùs Nicolaus Tudeschus. Quocircà Sacrosancta Tridentina Synodus, *sess.14. can.6.* sic definit. Videlicet.

Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi *soli Sacerdoti*, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.

Ad quid igitur fiet confessio in necessitate non 7
Sacerdoti? Respondet D. Augustinus in libro

de

de Pœnitentia, relatus, *in Canone Quem pœnitet, de Pœnitentia distinctione*, 2. Tanta itaque vis Confessionis est, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpè enim contigit, quod pœnitens non potest verecundari coram Sacerdote, quem desiderat, nec locus, nec tempus offert; & si ille, cui confitebitur, potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus venia, & desiderio Sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi dum ibant ostendere se Sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vndè patet Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad Sacerdotes pervenire. Sæpè quidem eos quærunt: Sed sani & læti dum quærunt, antequam ad eos perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei est vbique: qui & iustis novit parcere, & si non tam cito, sicut si solverentur à Sacerdote. Hæc Augustinus. Vbi Glossa, *verbo & si non tam cito, & verbo solverentur.* Iuncta Glossa *in Canone si quis Diaconus, verbo Dimiserit distinct.* 50. Verbum *Parcere* sic exponit, vt non tam citò dimittat Deus pœnam temporalem ei, qui Sacerdoti non confitetur, quàm ei, quem absolvit Sacerdos.

8 Fit igitur Confessio non Sacerdoti, in necessitatis tempore, & illo non habito, vt perfectius do Corde Peccatis excitetur, & ad veram contritionem, quamdiu homini possibile est, gratia Dei excitante, & prævenienti, comitante, & cooperante, disponatur peccator, in necessitate illa constitutus; non autem, vt à non Sacerdote absolvatur. Quocircà Abbas vbi suprà sic ait. Sed dic, quod licet in casu necessitatis non Presbytero possit, & debeat quis confiteri; non tamen ab illo potest absolvi, quia non habet potestatem clavium, sed propter contritionem Deus dimittit sibi peccatum. Hæc Cardinalis, dictus Abbas & Barbosa, *dict. c. Fures n.* 2. ibi. *Presbytero, vel Diacono confessi fuerint*: Intellige (inquit) textum loqui de ostendente signa confessionis, & penitentiæ.

9 Vndè, licet in Sacra Pagina, aut in Sacris Canonibus, præceptum rigorosum obligans ad confitendum non Sacerdoti in necessitate, & absentia Sacerdotis non inveniam; negare neutiquam possum, istam sententiam piissimam esse, & illam in praxi sequi, valdè salutare, & aptissimum quidem medium ad præceptum Charitatis, quo quisque fidelium adstringitur, vitam æternam sibi summo studio curare, adimplendum.

10 Et hanc sententiam, non esse, quam Vazquez supra falsam esse docet, firmiter credo. Quia Doctor iste illam sententiam hac acri censura inurit, quæ docet, quod deficiente Sacerdote necessarium sit cum laïco confiteri, saltem in periculo mortis, non vt illè absolvat, quia constat id non posse facere, sed vt saltem pœnitens confiteatur peccata, & ita observet, quod potest huius Sacramenti. Sententia autem, quam sequimur, nullomodò intendit per Confessionem non Sacerdoti factam adimpleri aliqua ex parte præceptum Confessionis Sacramentalis. Si hoc enim intenderet, aut doceret, merito tanquam falsa à P. Vazquez iudicaretur ob rationem ab eo adductam. Videlicet, quod præceptum de Confessione, colligamus ex eo, quod Sacerdotes constituti sunt Iudices huius Sacramenti, de quo ipse ex professo egerat, *q. 90. art. 1. dub. 2. n.* 11. Vndè ergo erit præceptum manifestandi sua peccata laico (inferret,) si ille non est constitutus Iudex, vt de fide constat?

11 Pro praxi tamen nostræ sententiæ operæ pretium duxi advertere, magnam prudentiam esse necessariam in Confessione huiusmodi coram non Sacerdote fienda. Contingere enim potest, quod aliquandò illa vtilis sit, si non Sacerdos ille, vir bonus, & prudens sit; contingere etiam potest, quod magis pernitiosum sit, quàm vtile non Sacerdoti confiteri. Verumque benè præfatus Vazquez, *dicto dub. 1. num.* 2. Causa verò humilitatis confiteri peccata Laïcis, non video qua ratione esse necessarium probetur. Sed vtile aliquandò docent Authores prædicti, & forsan, vt docet Scotus, Gabriël, Angelus, & Sotus, modo esset magis pernitiosum, quàm vtile ita confiteri laico; aut saltem si non sit perniciosum, quando laicus aliàs est Vir bonus, & prudens, non tamen video esse ita vtile omnia detegere etiam enormia peccata laico.

12 Quod si petas, *In casu, quo non Sacerdos, in casu necessitatis, Confessionem exceperit, tenebiturne ad secretum servandum?* Respondeo quod Sotus, *in 4 distinct. 8. q. 4. art.* 1. quem recenset & sequitur Gabriel Vazquez, *num.* 3. teneri servare asserit; non quidem sigilli Confessionis obligatione cum illa Confessio Sacramentalis non fuerit. Differunt tamen duo isti Doctores, in hoc, quod Sotus asserat, excipientem huiusmodi Confessionem, majori quidem vinculo teneri, quàm communi vinculo secreti; Vazquez autem id neget, eo ductus, quia quod peccator sua facinora, ad modum dixerit Confessionis, aut alio modo, non includit novam rationem, ratione cuius mutetur, aut augeatur quidem obligatio servandi secretum: & quod vulgaris illa loquendi modus: *in Confessione tibi hoc manifesto*: nihil prosit ad augendam secreti obligationem, iudicat.

De Raptoribus.

An priventur Ecclesiasticá Sepultura Raptores.

BREVIARIVM.

Furtum.

Specie differt à Rapina, quia occultè fit, ignorante Domino, n. 1.

Impossibile.

Impossibilium nulla est obligatio, n. 10.

Rapina Raptor.

A furto specie differt, quia violenter fit sciente Domino, n. 1.

Raptor est, qui impetu, celeritate, & vi quippiam aufert, n. 1.

Raptor, qui in vita potuit restituere, & non restituit, si in vltimis non potest restituere, nec securitatem reddere plenam, Sacramenta recipere potest si pœniteat, & in Ecclesia sepeliri; sed humationi Clerici interesse non possunt; nec eorum recipere eleemosynas; n. 9. 10.

Clerici admittentes ad pœnitentiam, aut Sepulturam Raptorem, qui non restituit, aut cautionem dedit, ab officio deponuntur, & beneficio privantur, num. 3. 9.

Sepelire Sepultura.

Raptor notorius rerum, si habet vnde restituere posset ablata, & non restituit, vel securitatem plenam, de reddendo non dedit, cum posset,

etiamsi in fine pæniteat, sepulturâ privatur à numero 2.

Privatur etiam & Sacramentis, n. 4. 7.

1 RAptor ille dicitur, & verè talis est, *qui impetu, & celeritate, ac vi quippiam aufert*, vti benè Calepinus à Passeratio illustratus, *verbo Rapio, & Raptor*, Vulgo *Arrebatador*: quod etiam Glossa *in can. Qui Christi, verbo. Et rapit.* 12. q. 2. D. Antoninus, *in summa, part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 5. §. 9. Barbosa, *in cap. Super eo, num.* 1. *el* 2. *de Raptoribus.* Vbi Glossa *in figuratione casus.* Ballæus *in summa, tom.* 1. *verbo, Furtum, num.* 2. vbi docet, Furtum, & Rapinam in ratione iniuriæ, specie differre: quia Rapina (inquit) includit violentiam, quæ fit Domino scienti; quam furtum excludit. Quam vtique distinctionem priùs fecerat Aristoteles 5. *Ethicorum libro, cap.* 2. *in fine tom.* 5. ponens *Furtum*, occultum; *Rapinam* verò violentam. Et D. Thomas, 2. 2. *quæst* 66. *art.* 4. *in corpore*, vbi ita ait. Respondeo dicendum quod *Furtum & Rapina* sunt vitia iustitiæ opposita, in quantum aliquis alteri facit iniustum. Nullus autem patitur iniustum volens, vt probatur *in* 5. *Ethicorum* (scilicet *cap.* 9. *ante medium, tom.* 5.) Et ideò *Furtum, & Rapina* ex hoc habent rationem peccati, quod acceptio est involuntaria ex parte eius, cui aliquid subtrahitur. Involuntarium autem dupliciter dicitur, scilicet per ignorantiam, & violentiam, vt habetur *in* 3. *Ethicorum (cap.* scilicet 1. *tom.* 5.) Et ideò aliam rationem peccati habet *Rapina*, & aliam *Furtum* Ergo propter hoc differunt specie. Hactenùs Angelicus Doctor, quem communiter scribentes sequuntur.

CONCLVSIO.

2 DIfficultati propositæ respondetur, Ecclesiasticâ Sepulturâ privari notorium Raptorem rerum, si habuit vnde restituere posset ablata, & non restituit in vita, vel securitatem plenam de reddendo non dedit, cum posset, etiamsi in fine vitæ pœniteat, si tamen securitatem, ob impotentiam non reddat. Ita docent Nicolaus Tudeschus, Cardinalis, & Abbas Panormitanus, *in cap. Super eo, el* 2. *de Raptoribus.* Glossa *ibidem verbo Super eo*, S. Antoninus, *in Summa, part.* 3. *tit. cap. & §. supra citatis.* Barbosa, *de Iure Ecclesiastico vniverso, p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 44. *& dicto cap. Super eo, num.* 1. *& de Officio, & potest. Parochi, part.* 3. *cap.* 26. *num* 44. Ioannes Machadus, *en el Perfecto Confessor, y Cura de Almas, tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 2. *tract.* 2. *document.* 25. *n.* 4. Franciscus Maria Samuellius, *in Praxi de Sepulturis, tract.* 2. *disput.* 1. *controu.* 4. *conclus.* 11. Moure *in Examine Theologiæ Moralis, part.* 4. *cap.* 20. §. 3. Sylvester, *verbo Rapina*, §. 1. Ioannes Ægidius Trullench, *de Iure Parochi, cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 5. Sylvester *verbo Rapina, n.* 1. *& verbo Sepultura, n.* 10. *versic. Tertiò.* Naldus, *verbo Sepultura, n.* 7. Ioannes Baptista, Ventriglia, *in Praxi rerum notabilium, annotat.* 52. *de Electione Sepulturæ*, §. *vnico, n.* 21. Libuit verba Abbatis, & Antonini recensere.

3 Panormitanus ita fatur. Manifestus Raptor, vel Ecclesiæ violator, si restituit, vel de restituendo cavet in vita, & morte, ad pœnitentiam, & Sepulturam admittitur. Si verò noluit cavere, cum posset, & in morte non potest. Clerici eius Sepulturæ interesse non debent, & Clerici interessentes, vel iniungentes pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab Officio, & Beneficio.

Hæc Abbas, Florentinus autem Archiepiscopus, in sequentia prorumpit. Raptori rerum per violentiam, si habet vnde possit reddere ablata, nisi restituat, vel securitatem plenam de reddendo faciat, denegabuntur ei Sacramenta, & Sepultura. Si verò cum haberet vndè redderet, distulit vsque ad mortem pœnitere, & tunc est impotens ad restituendum, si aliàs est contritus, & dispositus ad restituendum si posset, dabuntur ei Sacramenta; sed privabitur Sepulturâ Ecclesiasticâ ad terrorem aliorum, nisi parentes, vel amici eius vellent restituere pro eo: quia tunc non privabitur Sepulturâ. Et multò magis privabitur Sepulturâ, immò, & Sacramentis, si est impœnitens. *Extra de Raptoribus c. Ex literis, & c. Super eo.* 4

Hactenùs Sanctus ille Doctor, cui assentitur Sylvester, verbo *Rapina, n.* 1. Ventriglia, dicens. Raptores, manifesti, qui possidentes recusarunt ablata restituere, nec aliquis pro eis restituere intendit, iuxta latè dicta per D. Antoninum, 3. *p. &c.* Notentur vtriusque verba: *nisi parentes, vel amici eius vellent restituere pro eo*: & *nec aliquis pro illis restituere intendit.* Quæ quidem maximè favorabilia sunt, & non ab omnibus Doctoribus loquuntur. 5

Notorium dixi Raptorem, cum ob authoritatem Abbatis Panormitani, qui *loco allegato, n.* 4. Verbum *Manifestè* dicti capitis, pro verbo *Notoriè* vsurpat. Sic enim ait. Communiter solvunt Doctores, quod contrarium procedit in Rapina non manifesta hoc cap. & hoc videtur velle textus ibi: *manifestè fuerit deprehensus, &c.* Nam delicta notoria saltem propter exemplum magis puniuntur, ne multis crassantibus locus sit exemplo, *l. Aut facta, ff. de Pænis & in l. Capitulum, §. Famosos eod. tit. & in cap. Quanquam, de Vsuris, lib.* 6. & infra, *cap. Quia de Vsuris, Gloss.* 2. *in fine.* Tum etiam ob ea, quæ ex D. Antonino dixi *disquis.* 20. *n.* 3. & sæpè alibi in præsenti Tractatu. 6

Sed vt iuxta morem meum, probem responsionem nostram, non solùm Doctorum authoritate, sed etiam Iure saltem aliquo, operæ pretium duxi pro illa solidissimè fulcienda, reddere ad amussim textum, *in dict. cap.* 2. *de Raptoribus*, in quo sic noster Eugenius Papa III. decernens ait. Super eo verò: & infrà statuimus, vt quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, sive Ecclesiarum violationes, manifestè fuerit deprehensus: nisi prius ablata restituat, si poterit, vel emendandi firmam, & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium, ei penitus denegetur. 7

Si verò vsque ad obitum in contumacia sua duraverit, & in extremis positus, remedium pœnitentiæ humiliter postulaverit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ei pœnitentia, & Sepultura Ecclesiastica concedatur. 8

Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendaverit; & in morte securitatem præstare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum prodesse videtur; sicut credimus; sed de peccato contrito corde Viaticum non negetur, ita tamen vt nullus Clericorum Sepulturæ illius intersit, nec eius eleemosynam præsumat accipere. Quod si qui Presbyterorum vel Clericorum contra hoc in vita, vel in morte pœnitentias dare, aut Sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere attentaverint, seu huiusmodi rapinæ participes inventi fuerint, Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant. 9

Hæc

Hæc omnia Eugenius in Decretali. Circa cuius strictissimam prohibitionem Clericis inflictam, de non interessendo Sepulturæ Raptorum rerum, & Ecclesiarum Violatorum, adnotanda valdè venit sententia Glossæ, *verbo Sepultura*, (quæ Bernardi est) Ioannis Andreæ, in marginali, & Abbatis Panormitan *in fine dicti capitis*, asserentium, quod his, qui in morte pœnitent, sed satisfacere non possunt, non denegatur ab Eugenio sepultura in Cœmeterio, aut in loco Sacro, sed tantum prohibetur Clericis, quod tumulationi intersint, ad terrorem potius aliorum, vt alij cum possint, satisfaciant timore huiusmodi pœnæ. Et ista interpretatio tenenda est, tanquam benignior, ait Abbas, vt notatur *cap. Odia, de Regulis Iuris, lib. 6. & l. Pen. ff. de Pœnis.* Conceditur autem beneficium absolutionis, & Viaticum. Quia impossibilium, nulla est obligatio, *l. impossibilium, ff. de Regulis Iuris la* 145. & Glossa *in dicto cap. Super eo, verbo Si poterit.*

DISQVISITIO XXII.

De Ecclesiæ Violatore.

An priuetur Ecclesiasticâ Sepulturâ notorius Ecclesiæ violator.

BREVIARIVM.

Deus.

Pater noster est, quia nos creavit, n. 3.

Ecclesia.

Mater nostra est, quia nos in Baptismo regeneravit, n. 3.

Homicida.

Qui aliquid aufert Patri, Matri, aut Ecclesiæ homicida censetur, n. 3.

Pœna.

Agentes & consentientes pari pœna puniuntur, numero 3.

Raptor.

Bonorū Ecclesiæ Raptores & alienatores excommunicantur, n. 3.6.

Raptor bonorum Ecclesiæ infamis est, & carceri, aut exilio perpetuo tradendus est, n. 5.

Absolui non potest in vita, nisi priùs oblata restituat, si possit, vel plenam securitatem restituendi faciat, num. 7.

Si distulerit restituere, aut dare securitatem ad extremum vitæ, & in illo constitutus verè pœniteat, & aliquo ex his duobus modis satisfaciat, ad absolutionem, & sepulturam admittitur, n. 8.

Si in hoc dilationis casu in externis neutro modo satisfacere possit, Viaticum ei ministretur, & sepultura; sed sine ritu, & absque Clericorum assistentia, n. 9.

Sacrilegium.

Qui res Ecclesiæ aufert, sacrilegium committit, numero 3.4.5.

Qui etiam sacerdotes insequitur, n. 4.

Violator.

Ecclesiæ violator est, qui violenter res eius aufert. Qui si notorius sit, & non restituit aut securitatem plenam de reddendo non dedit cum possit, etiamsi in fine pœniteat sepultura privatur à n. 2.

1 VIolator Ecclesiæ in præsenti accipitur, pro eo qui violenter res Ecclesiæ invadit, aufert. Violare enim Vulgo, *Corrumper violentamente*, est, Calepino teste: & certè apertè colligitur ex capite 2. *de Raptoribus*, vbi eodem modo de Violatore Ecclesiæ, ac de Raptore loquitur. *Statuimus.* (inquit Eugenius Tertius ibi) *vt quicumque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, siue Ecclesiarum violationes, &c.* De huiusmodi igitur Ecclesiarum Violatore, procedit proposita difficultas, non autem de eo, qui alio Ecclesiam violat modo, v. gr. per Sanguinis, vel seminis humani effussionem.

CONCLVSIO.

2 QVod notorij Violatores Ecclesiarum de quibus in præsentiarum, sint Ecclesiasticâ sepulturâ priuari, in casibus in quibus Raptores, docent Glossa *in cap. super eo, verbo eodem, el 2. de Raptoribus, citatum.* Abbas, & Barbosa, *ibi*, D. Antoninus, *in summa, part. 3. tit. 10. cap. 5. §. 9.* Qui licet de Raptoribus solum ibi loquator, à fortiori de Violatoribus Ecclesiæ, idem dicere debuit: cum quia Raptores etiam sunt: tum, quia de Raptoribus probat, ex dicto Iure, *super eo*, quod æquè disponit de Violatoribus, ac de Raptoribus. Docent & alij, *Disquis. præced.* allegati, *n.* 2.

3 Plures Sacri Canones recensentur à nostro Petro Crespetio, *in Summa Ecclesiastica Disciplina, verbo Facultates Ecclesiæ non diripiendæ, nec inuadendæ, pag. mihi* 397. *colum.* 1. & prius à nostro etiam Gratiano, *in Decreto, causa* 12. *quæst.* 2. quibus variæ infliguntur Violatoribus Ecclesiarum pœnæ, & grauitas criminis, & attrocitas declaratur, in primis enim Anacletos Papa I. *Epist.* 1. *ad Episcopos Ecclesiarum*, sic ait. Qui abstulerit, aliquid Patri, vel matri, dicitque hoc peccatum non esse, homicidij particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo, qui Christi pecunias, & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atque Homicida ante conspectum iusti Iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, Similia dixit Lucius I. *Epist.* 1. *ad Galliæ, & Hispaniæ Episcopos.* Et addit. Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum, & omnium Catholicorum Patrum vetant Decreta, & tales præsumptiones, sacrilegium esse diiudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales Raptores, atque suarum facultatum alienatores vnà nobiscum à liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ anathematizatos, Apostolica authoritate pellimus, & damnamus, atque Sacrilegos esse iudicamus: & non solum eos, sed omnes consentientes eis: quia non solum, qui faciunt, rei iudicantur, sed etiam, qui consentiunt facientibus. Par enim pœna, & agentes, & consentientes comprehendit. Hæc Lucius.

Pius Papa I. *Epist.* 2. *ad Episcopos Italiæ.* Sicut 4 qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia, & donaria expoliat, & invadit fit Sacrilegus: sic, & ille, qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.

Vrbanus Papa I. *epist.* 1. *ad omnes fideles*, eosdem rerum Ecclesiæ vsurpatores sacrilegos etiam iu-
» dicat, & addit. Quod si quis fecerit, post debi-
» tam vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos
» iure promenda est, perpetua damnetur infamia,
» carceri tradatur, aut exilio perpetuæ deportatio-
» nis vtatur.

6 Excommunicatio huius criminis reis sæpissimè non lata, sed ferenda statuitur in Concilio Romano 6. sub Symacho I. in Concilio Meldensi *c.* 40. in Aurelianensi 3. *cap.* 22. in Alvernensi *can.* 4. in Aurelianensi 4. *cap.* 11. in Turonensi 2. *c.* 25. *&* 26. in Parisiensi I. in Aurelianensi 5. *cap.* 13. 14. *&* 16. in Moguntino 3. *cap.* 6. in Valentino Galliæ 2. *cap. vnico*, & in Valeotino similiter Galliæ 3. *c.* 8. excommunicationis sententia profertur. De quibus omnibus, & de aliis prolixè Crespetius. Et ex quibus non levis probatio educi posset, pro responsione data ad difficultatem propositam. Quia excommunicati Ecclesiasticâ sepulturâ privantur, vti *in Disquisitione* 3. probavi. Et quia, qui ita graviter, contra Ecclesiam, in vita deliquit, & emendam ei, cum posset non exhibuit, dignus non est, vt illa eum ad communionem sepulturæ recipiat in morte. Probatio tamen efficacissima, & explicatio responsionis desumitur, ex prævallegato *cap. Super eo*, ad amussim exscripto, *in Disquisitione præcedenti.* Ex quo, diversa, quoad Ecclesiarum violatores, decisa habemus, sicut quoad Raptores.

7 *Primum.* Quod huiusmodi violatores, beneficium absolutionis non obtineant in vita, nisi priùs ablata, si possint, de facto restituant: vel plenam securitatem restituendi faciant.

8 *Secundum.* Quod si pœnitentiam distulerint, & satisfactionem, per restitutionem actualem; aut per securitatem præfatam, in præsentis vitæ extremum, & in illo constituti humiliter pœnituerint, & altero ex assignatis modis satisfecerint, beneficium absolutionis, & sepulturam obtineant.

9 *Tertium.* Quod si in dicto dilationis casu, nec restituerint, nec securitatem plenam dederint ob impotentiam, si de peccatis contriti extiterint, Viaticum recipiant, sed Clerici eorum non intersint sepulturæ, nec eorum accipiant eleemosynas. Per quod, vti *Disquisitione præcedenti*, *num.* 10. diximus, non excluduntur à Sepultura sacra, in loco scilicet sacro, sed à sepultura Ecclesiastica, quoad ritum, cum Clericorum assistentia, cum psalmis, responsorijs, &c.

DISQVISITIO XXIII.

De Iustitiatis.

An suspensi, vel alio iustitiati modo, Sepulturâ priventur Ecclesiasticâ?

BREVIARIVM.

Argumentum.

A maiori, ad minus, validum est, n. 8.

Axioma.

Maius, cui conceditur, & minus concedi videtur, num. 8.

Plus si licet, etiam quod est minus, licitum est, num. 8.

Consuetudo.

Contra Ius Divinum, nulla subsistit, n. 3.

Iustitiati.

In Deuteronomio preceptum fuit, vt suspensi, eadem sepelirentur die. Postea crescente malitia diu manserunt in ligno, n. 4.

Decedentes pœnitentes, ad sacramenta admittuntur, & sepulturam, n. 2. 6. & seqq.

Punire. Punitio.

Si punitio, quam quis in hac vita patitur pro delictis sufficiens sit, in altera pro eisdem non punietur, n. 2. 6.

Præceptum.

Verba exhortatoria, deprecativa, & consilij, quando materia est necessaria rigorosum continent præceptum, n. 9.

Sacramenta.

Pœnitentiæ, & Communionis sacramenta negare vltimo supplicio deputandis damnabile est, numero 7.

Sepultura.

Iustitiati impœnitentes decedentes sepultura privantur, n. 1.

Mortaliter peccant Iudices negantes deponi de patibulo mortuos pœnitentes, vt sepeliantur. 3. *nisi iusta adsit causa*, n. 5.

DE his, quos Iustitia, ob sua delicta, punit, 1
vel suspendendo, vel alio modo, vita temporali privando, cum distinctione, Difficultati propositæ respondere debemus. Vel enim reus impœnitens decedit, aut pœnitens. Si impœnitens, sepulturâ privari debet, sicut & Sacramentis. Ita Glossa *in cap. Ex parte*, *verbo Communicabatur*, ibi: *Vel pro suis sceleribus interficiuntur*, el 11. *de Sepulturis*: quam Abbas *ibi*, *n.* 4. interpretatur, & sequitur de impœnitentibus, docet D. Antoninus *in Summa*, *par.* 3. *tit.* 10. *cap.* 5. §. 9. *ad finem* dicens. Suspensus, vel alio modo Iustitiatus propter scelera sua, si moriatur impœnitens, denegantur ei Sacramenta; & sepultura. Ioannes Baptista Ventriglia, D. Antoninum sequitur *in praxi rerum notabilium*, *annotat.* 52. *de elect. Sepultura*, §. *vnico*, *nu.* 21. *in fine.* Sylvester *verbo Sepultura*, *n.* 10. *versic. Quartò.* Samuëllius *de Sepulturis*, *tract.* 2. *disp.* 2. *controv.* 7. *concl.* 9. & docere debent omnes, quos allegavi *disquis.* 20. *de Decedentibus in lethali peccato*, & eisdem probatur fundamentis. Probatur ex *can. Placuit, in fin.* 23. *q.* 5. & ibi Glossa *verbo Pro suis.*

Si verò huiusmodi iustitiati cum pœnitentia 2
decedunt, nec Sacramenta eis, nec sepultura denegari debent. Docent Glossa *in can. Quæsitum*, *verbo In patibulis*, *el fin.* 13. *q.* 2. & *in Clem. Cùm secundum*, *verbo Pœnitentia.* Antoninus, Abbas Panormitanus, & Sylvester, qui allegat Archidiaconum, Samuëllius. Nam suspensus, vel decapitatus, seu alia pœna afflictus, pro scelere (verbis Abbatis reddo) dummodò ipsum pœnituerit, potest sepeliri in Cœmeterio Ecclesiæ cum solemnitate Missæ, & aliorum officiorum, nec Sacramenta Ecclesiæ sunt tali deneganda, vt est textus *in cap. fin.* 13. *q.* 2. & *in Clem.* 1. *de Pœniten. & Remiss.* Nam & illa pœna si sufficiens est pro delicto, prodest, vt in alia vita non puniatur de eodem delicto. Quia scriptum est: *Non iudicabit Deus bis in id ipsum*, *in dicto cap. fin.* & Clarius 23. *q.* 5. *cap. Quid ergo.*

Hactenus

3 Hactenùs Nicolaus Tudeschus, qui Glossa tam *cap. Ex parte*, quàm *in Clem. Præfata*, & *in canon. Quæsitum, verbo In patibulis*. D. Antoninus, & Sylvester, locis allegatis, Sebastianus Brau *in expositione tituli, de Cadaveribus punitorum, lib. 48. Digesti novi, pag. 207.* Samuëllius *loco citato*, qui addit *conclus.* 10. peccare mortaliter Iudicem denegantem deponi de patibulo mortuos pœnitentes, vt sepulturæ tradantur Ecclesiasticæ. Et pro sua recenset assertione Baldum *in cap. 1. §. Iniuria, de Pace, iuramento firmanda.* Vbi postquam casus enumeravit, in quibus pœna Furcæ imponitur, & adducit textum *in l. Capitalium, §. Famosos, ff. de Pœnis*, inquit, quod non debent in patibulo remanere vltra eundem diem *ex Deuteron. cap. 21. in fine, & ex Iosue, cap* 8. Et dum Ius Divinum adest, consuetudo nulla in contrarium valet, nec excusat, *cap. fin. de Consuetudine:* & Romana Ecclesia, quæ est cæterarum Ecclesiarum mater, hoc ad vnguem observat. Hæc omnia ille.

4 Sed hoc non obstante, ex iusta causa, benè possunt vltra diem in patibulo cadavera detineri, ob atrocitatem scilicet criminis, & in aliorum exemplum. Quia licet *in Deuteronomio, cap. 21.* sic præcepit Deus. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur*; postea tamen crescente malitia hominum, fuit pœna aggravata, vt videre licet 2. *Reg. cap.* 21. vbi habemus, quod Gabaonitæ suspenderunt duos filios Respha, & quinque filios Michol, qui diu suspensi permanserunt. Sic docent Hugo Cardinalis *in dictum cap. 21. Deuteron. versic. 23. ad verbum Sepelietur:* & Iacob Bonfrerius *versic. Nota tamen.*

5 Quocirca *l. 1. ff. de Cadaveribus punitor:* sic disponit. *Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. Et id se observasse etiam D. Augustinus, lib. 10. de Vita sua scribit. Hodiè autem eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum, & permissum, & nonnunquam non permittitur, maximè maiestatis causa damnatorum.* Hæc ibi; sed quoad petitionem; ad cognatos *l. 2. & 4.* non limitant. Secunda enim ait. *Eorum quoque corpora, qui exurendi damnantur, peti possunt, scilicet vt ossa, & cineres collecta sepulturæ tradi possint.* Quarta verò sic. *Corpora animadversorum quibuslibet petentibus ad sepulturam danda sunt.* De his omnibus Brant in expositione huius tituli. Et aliqui ex dictis Doctoribus advertunt, quod ad deponendum de patibulo punitum, necessaria est Principis, aut Iudicis Sæcularis licentia, qui in hoc se debet facilem reddere *l. 1. & 2. ff. de Cadaveribus punitorum.* Addit & *l.* 3. Glossa *in d. Clem. verbo citato.*

6 Quod huiusmodi Iustitiatis, qui pœnitentes obierint sepultura Ecclesiastica concedenda sit, in Concilio Maguntunensi, de quo desumptus est *canon. Quæsitum, el final* 13. *quæst.* 2. definitum inuenio. Sic enim in eo lego. „Quæsitum est ab aliquibus fratribus, de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, post confessionem Deo peractam: *Vtrùm cadavera eorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerenda, & Missæ celebrandæ, annon?* Quibus respondemus: si de omnibus peccatis suis puram Confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine secundum præcepta Canonum danda est: cur Canones Communionem, vel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt, & confitentur, vel confiteri desiderant? scriptum est enim: Non iudicat Deus his in id ipsum. Hucusquè Concilium Maguntinum." Viennense autem in præallegata Clementina, sic vt sequitur statuit.

7 „Cum secundùm statuta Canonica, vltimo deputandis supplicio, negari (si petant) non debeat pœnitentiæ Sacramentum: abusum damnabilem in quibus partibus, contra hoc introductum aboleri omninò volentes, iustitiarios omnes, & Dominos temporales, vt ab huiusmodi desistant abusu, hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Iesu Christi. Locorum Ordinarijs nihilominùs iniungentes, vt eos ad hoc, cum primum commodè poterunt, diligenter monere, & (si necessè fuerit) Ecclesiastica censura compellere non omittant."

Hæc Concilium. In quibus licet de sepultura mentionem non faciat, de illa etiam intelligi debere, sentiunt eius Glossa *verbo Pœnitentia*, & Abbas *ibi, nu.* 1. vbi ita fatur. Damnatis ad mortem, non est pœnitentia deneganda, nec sacra Communio, nec tandem Ecclesiastica sepultura. Qui idem sentit vt vidimus *in dictum cap. Ex parte.*

8 Et quod ita debeat intelligi, probari potest ex illo Iuris axiomate: *Maius cui conceditur, & minus concedi videtur, leg. Si filiusfamilias, §. fin. ff. de Donationibus, l. Marcellus, ff. de Donationibus causa mortis, l. Non debet, de Regulis Iuris, cap. Ex parte, de Decimis.* Ioannes Maria Novarias *qq. Forensium, lib. 1. quæst. 24. nu. 5.* Barbosa *tract. de Axiomatibus, axiom. 140. num. 5.* Minus enim (addit) semper inest in eo, quod plus est *l. In eo, ff. de Regulis Iuris.* Farinacius *in Praxi criminali, part. 4. decis. 10. num. 6.* Secundò illud, ex hoc alio axiomate *ol* 180. *inter sua* probat. *Plus scilicet, etiam quod est minus, licitum est, l. Non debet, ff. de Regulis Iuris. Authent. Multò magis, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, cap. Cui licet, la* 53. *de Regulis Iuris, lib. 6.* Farinac. *consil. 60. nu. 109. lib. 1. in dicta Praxi, part. 4.* Thoma de Thomasset *in Floribus Legum, reg.* 85. Menoch. *cons.* 302. *num.* 41. Surdus *cons. 288. num.* 14. Novarius *vbi proximè, num.* 6. Vnde, à maiori ad minus validum est argumentum. Idem Barbosa *in tract. de locis argumentorum Iuris, loco 67. num. 1. ex l. In suis, in fine, ff. de Liberis, & posthumis, l. Nec in ea, ff. de Adulterijs; Authent. Multò magis, Cod. de Sacrosanctis Ecclesijs, cap. Si ergo, quæst. 1. cap. Si Paulus*, & ibi Glossa 32. *quæst. 5. cap. Per venerabilem, Qui filij sint legitimi.* Et plures allegat Doctores. Sed sic est; quod Concilium Viennense, non solùm concedit, sed strictissimè præcipit Iustitiatis, ob sua scelera, ministrari Sacramenta si pœnitentes sint. Ergo in vim eiusdem Conciliaris Decreti eisdem conceditur sepultura Ecclesiastica, quæ minùs est, quàm Sacramenta.

9 *Strictissimè præcipit*, dixi; cum potiùs videatur hortari, & obsecrari, sine vlla coactione, & obligationis inductione. Ita quidem dici posset, attenta rigorosa verborum, & stricta significatione; sed meliùs, & verè, contineri in illis rigidum præceptum, dixi. Quia verba exhortativa, & deprecativa, quandoque necessitatem imponunt. Vti ait Glossa marginalis. Et Cardinalis Zabarella, in dictam Clementinam, inter alia, quæ adnotat, hoc vnum est: quod aliquando verba exhortativa, & deprecativa, imponunt

necessitatem: quia habemus consilium reverentiæ, quod obligat sub præceptum, quandò materia est necessaria, scilicet ob reverentiam personarum, quibus Papa scribit, verbis deprecativis, & exhortativis, vt hîc. Omnia sunt Zabarellæ verba.

DVBIVM I.

Vbi sepeliri debeant, qui ob sua crimina, à Iudicibus, vltimo plectuntur supplicio?

BREVIARIVM.

Consuetudo.

Fortior est pacto, & quidquid, pactum facere potest, num. 2.

Per consuetudinem introduci potest, quidquid per privilegium, n. 5.

Parochus.

Ius habet ad sepeliendum in sua Parochiali omnes morientes absque electione sepultura, & sine maiorum sepultura, n. 1.

Ius Parochi consistit in hoc, quod populum habeat, cui sacramenta, & sepulturam det, & Dei verbum annunciet, n. 1.

Attento iure communi impedire valet, ne corpora punitorum alibi, quàm in suâ Parochiali sepeliantur, n. 1.

Secus, attenta consuetudine aliquorum locorum, num. 3.

Sepelire. Sepultura.

Sepelire possunt parentes filios suos impuberes vbi voluerint, si id terra habeat consuetudo, n. 3.

Pactum initum inter Parochos, & alios Ius habentes sepeliendi servari debet, n. 4.

Difficultatis propositæ sensus est, An furca, patibulóve depositi, aut alio modo, à publicis iustitiæ ministris, ob patrata facinora occisi, sepeliri debeant in Parochiali Ecclesia; an verò in loco pro huiusmodi supplicio affectis, in aliquibus locis destinato?

CONCLVSIO I.

1 Respondeo quod attento Iure communi, in Parochia, in cuius territorio supplicium patiuntur, tumulari debent, & Parochus eodem Iure attento, prohibere benè valet, ne punitorum cadavera, alibi, quàm in sua Parochiali Ecclesia sepeliantur. Ius enim Parochi est, vt omnes fideles, qui in sua obeunt Parochia, sine electione sepulturæ, aut suorum maiorum propria, in eadem sepeliantur Parochia, vti dixerunt Sylvester *verbo Parochia* ibi: sextò, in sepulturis, *& verbo Sepultura, num. 8. versic. Secundum, ad finem.* Azorius *tom. 2. lib. 3. cap. 12. quæst. 5. colum.* 282. ibi: *Ius beneficij Parochialis consistit in hoc, vt Parochus habeat populum, cui Sacramenta, & sepulturam ministret, & det: cui verbum Divinum annunciet. Hæc Gomecius in Regula Cancellariæ, de idiomat. quæst. 11. versic. Et ideo pro vero intellectu.* Hactenùs Azorius. Samuëllius *in Praxi, de Sepulturis, tract. 2. disp. 2. controv. 7. conclus.* 12. Ioannes Ægidius Trullench *tract. de Parocho, cap. 9. dub. 1. & 4. n. 2. & 10.* & ego ipse dixi, *in quæstionibus Pastoralibus, de Iure Parochi Ecclesiarum vnitarum, par. 3. quæst. 7.*

CONCLVSIO II.

Attenta autem consuetudine præscripta, quæ regulariter, vbi frequenter huiusmodi suppliciorum genus exercetur, particulares solent sepulturæ, pro cadaveribus destinari punitorum, vti in hac Pampilonensi Civitate, destinatas video in Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia, iuxta portam principalem, viæ publicæ contiguam: & attenta praxi in eisdem sepulturis, punitorum cadavera sepeliendi, nequeunt Parochi impedire, ne in destinatis suspensorum, aut aliorum punitorum corpora, tumulentur Sepulturis. 2

Ita in terminis, docet Pater Samuëllius *loco proximè allegato*. Et ratio est, quia in hac materia de Sepulturis, vti ait Moronus *resp. 51. n. 49.* sicut in quàm plurimis aliis Ecclesiasticis, multum consuetudini defertur meritò. Consuetudo enim habet vim pacti, immò est fortior pacto, sicut tradit Barbosa *tract. locorum communium argumentorum Iuris, loco 25. num. 1.* cum Farinacio *in Praxi Criminali, par. 6. quæst. 175.* & Gonzalez *ad Regulam 8. Cancellariæ, glossa 33. num. 4.* Et facere potest, quidquid facere pactum potest. Idem Barbosa *ibidem*, cum Afflictis, Neapolit. *decis. 91. num. 9. & decis. 258. num. 2.* & Cardinali Tuscho *to. 2. Practicarum conclusionum, lit. C. concl.* 807.

Quocirca parentes posse filios suos impuberes sepeliri vbi voluerint, si consuetudo terræ id habeat, docet D. Antoninus *in Summa, part. 3. tit. 10. cap. 5. de Sepulturis, in principio.* Abbas Panorm. *in cap. De vxore, num. 7. in fine, el 7. de Sepultur.* Barbosa *ibi, num. 6.* cum Sebast. de Medices *de Sepulturis, quæst. 8.* & alijs. Quod & decernit Lucius Papa III. *in dicto capite*, dicens. Vtrùm autem patet, quòd magis voluerit minores filios valeat sepelire, non invenimus à Sanctis Patribus diffinitum: & proptereà terræ consuetudini decernimus relinquendum. 3

Et quidem pactum initum inter Parochum, & alios habentes facultatem sepeliendi, servari debet, vti benè D. Antoninus *vbi proximè, §. 2. ad fin.* & Barbosa cum pluribus *in can. Pactum, n. 1. el 1. de Pactis, lib. 6.* Et ibi decernitur à Bonifacio Papa VIII. Si ergo consuetudo habet vim pacti, & pactum circa facultatem sepeliendi servari debet, servari etiam debet consuetudo. 4

Aliud item fit ex consuetudine, ad probandam secundam partem nostræ responsionis, argumentum. Quia consuetudine introduci potest, quicquid per privilegium concedi valet. Barbosa *dicto loco 25. num. 2.* cum Cardinali Tuscho *tom. 2. allegato lit. C, conclus. 808. & loco 88.* cum eodem Card. *tom. 1. lit. A, conclus. 507. num. 13.* & Oldrado *consil. 146. in fine, & cons. 172. in principio.* Sed privilegio concedi valet facultas sepeliendi contra Parochum, & Ecclesiam Parochialem, vti apparet *ex dicto capite Pactum*, & passim ex diversis Summorum Pontificum diplomatibus. Ergo consuetudine introduci benè potest, quod punitorum corpora, extra Ecclesiam Parochialem 5

in sepultura ad id destinata, renitente etiam Parocho tumulentur,

DVBIVM II.

Incidens.

Quid observari debeat in tumulando per vim occiso?

BREVIARIVM.

Auxilium.

Principes, Magistratus, & Iudices Ecclesiastici, & Saculares tenentur ad invicem sibi auxilium sui brachij impartiri, vt Iurisdictionem auxilium implorantis adiuvent, n. 18.

Compelli possunt ad auxilium impartiendum: Saecularis, per Ecclesiasticum, & Ecclesiasticus per suum Superiorem, n.18.

Ecclesia.

Nulla causa civiles, aut criminales agitari possunt per Saculares in loco sacro: & si causa sanguinis sunt, excommunicantur, qui illas exercent, n. 2. & 3.

Irregularitas ex defectu lenitatis.

Non incurritur nisi per actum proximè, & directè in mortem, aut mutilationem influentem: & ad summum qui moraliter causatur concurrere ad mortem, aut mutilationem, n.4.

Soli ministri Iustitia incurrunt, in sententia probabili, hanc irregularitatem, & quinam illi sint, num.5.

Non incurritur ab Episcopo, aut eius Vicario veniam concedente ad exhumandos occisos, vt eorum vulnera à Iudicibus inspiciantur Laicis, numero 4.

Neque Ecclesiastici habentes iurisdictionem temporalem, si deputent Iudices, quibus iniungunt, vt iustitia mediante procedant in causis, etiam sanguinis, n.6.7.

Neque Confessarius pœnitentem obligans ad confitendum delictum dignum morte, si iudice interrogetur, n.8.

Neque consulens, vt consentiat iusta sententia mortis, quam nisi per iniustitiam, appellationem differre nequit; secus consulens, vt omittat appellationem iustam, n.8.

Neque Confessarius, qui negat absolutionem Iudici nolenti damnare ad mortem, quem condemnare tenetur, n.9.

Neque Consiliarius, quē Iudex consulit de crimine, quod mortem meretur, si in genere respondeat, crimen esse morte dignum, n.10.

Neque si in particulari consultus, respondeat hominem, homicidam, v. g. secundùm leges morte puniendum, n.9.

Neque si interrogatus, an quis teneatur accusare, aut deponere in causa sanguinis, si in genere aperit ius, & docet veritatem, non inducendo ad accusandum, aut deponendum, n.10.

Neque comitantes reum, vt illum adiuvent, si dicant: alacriter perge: *si mortis accelerationem non intendant,* n.11.

Neque viam breviorem consulentes, aut solicitantes accelerationem executionis iustitia dicendo, v. g. horam tardam esse, vel populum nimis detineri; num.11.

Neque qui voce, aut percussione instigat brutum, in quo puniendus vehitur, quamvis ex eo mors acceleretur, n.11.

Neque Sacerdos, qui roganti Carnifici, respondet Functus sum officio meo vel *Nemo te impedit: aut quid simile,* n.11.

Neque, qui dicunt: Pergamus citius: *Aut reo scalam ascendenti:* Ascende citius; *si tamen isti actus non sint peccata mortalia: aut tanquam à Ministro iustitia fiant,* n.11.

Neque qui reo dicit: Suppone caput ad excipiendum ictum. *Et ideò citius supponit,* n.12.

Neque qui Carnifici dicit, vt aliquid aptet, quo citius is, qui morte plectitur, extinguatur, n.12.

Neque armorum, aut funium fabricatores, fabricando, aut vendendo illa indifferenter ad vsus humanos; secùs si animo faciant, aut vendant, vt morti inferenda deserviant, n.13.

Neque Ecclesiastici executioni sententia assistentes, si non sint Domini temporales, qui sua prasentia authoritatem prastent, n.14.

Neque qui iudicem rogat, vt iudicet secundùm iura; secus si rogat, vt sententiam sanguinis exequatur, num. 15.

Neque Ecclesiastici habentes dominium temporale, aut iurisdictionem, qui legem, aut statutum condunt, aliquid sub pœna capitis prohibens, n.16.

Neque Ecclesiastici, qui consilium Principi prabent, vt legem ferat, quâ pœnâ capitis malefactores puniantur, n.17.

Neque in communi exhortantes ad talem legem servandam, coërcendo improbos debitis pœnis, numero 17.

Occisi.

Regulariter sepeiirò non debent, nisi priùs facta vulnerum inspectione, aut probata morte violenta per Iudicem Ecclesiasticum, aut Sacularem, num. 1.

Inspectio ista fieri non licet post humationem corporis, nisi prius obtineatur Episcopi, aut Vicarij eius licentia, n.2.

Tenetur Episcopus dictam concedere licentiam: & potest ad id compelli per Superiorem, n.18.

CONCLVSIO.

REspondeo cum Samuëllio *in Praxi, de Sepulturis, tract. 2. disp. 2. controv. 7. concl. 13.* quod cadavera eorum, qui violenter fuerint interfecti, sepeliri non debent regulariter, nisi inspectis à Iudice Sæculari, vel Ecclesiastico illorum vulneribus: vel nisi aliàs probata morte per vim illata. 1

Regulariter consultò dixi, quia cum sit periculum in mora, ob corruptionem cadaverum, imminentem, ex tumulationis dilatione, si Iudices, seu Ministri vtriusque Curiæ, moram in cadaverum traxerint visitatione, & in vulnerum inspectione, sepulturæ tradi debent ante actualem illorum corruptionem.

Humato tamen cadavere, eius inspectio fieri neutiquā licet nisi obtenta priùs Episcopi, aut eius Vicarij licentia, ac venia. Ratio est, quia in Ecclesia, aut Cœmeterio causæ sanguinis agitari non debent, nec Sæculares quidem. Glossa *in cap. Vt in domibus, verbo Placitum, cl 1. &* *in cap. Cum Ecclesia, verbo Sanguinis, cl 5. de Immunitate Ecclesiar. & in cap. Decet, in 2. divisione; versic.* 2

Istud

Istud capitulum, *el* 2. *eod. tit. in* 6. Samuëllius *loco citato*. Ita enim Lucius Papa III. decernit *in cap. Cum Ecclesia Dei*, *el* 5. *Immunitate Ecclesiarum*. Cum Ecclesia Dei, secundùm Evangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum. Sæculares Iudices caosas vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in Ecclesijs, vel Cœmeteriis agitare sub interminatione anathematis prohibemus. Absurdom eoim est, & crudele, ibi iudicium sanguiois exerceri, vbi est tutela refugij constituta. Hactenùs Lucius in Decretali illa.

3 Gregorius Papa X. *in Concilio Generali Lugdunensi, in cap. Decet*, *el* 2. *eiusdem tit. lib.* 6. sic statuit. Cessent in Ecclesiis, earúmque Cœmeterijs negociationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscumque tumultus, omnis in eis Sæcularium iudiciorum strepitus, conquiescat: nulla inibi causa per Laicos, criminalis maximè agitetur: sint loca eadem à Laïcorum cognitionibus alie-
4 na.

Nisi obtenta licentia, addidi. Sed inquires. *Poterítne Episcopus illam absque irregularitatis incursione concedere?* Respondeo cum Patre Samuëllio *conclus.* 14. quod tam Episcopus, quàm eius Vicarius benè valet, absque irregularitatis incursione, veniam ad exhumanda cadavera; pro vulnerum inspectione præstare. Ratio est. Quia actus inducens irregularitatem ex defectu lenitatis, ille tantùm est, qui proximè, & directè in mortem, aut mutilationem influit: & ad summum, qui moraliter censetur concurrere ad mortem, vel mutilationem alicui inferendam, vt Lessius docet *in tract. de Irregularitate*, *cap.* 2. *dub.* 5. *num.* 19. Actus autem concedendi licentiam, ad exhumandum cadaver hominis occisi, ad eius inspectionem, remotissimus est, & suaptè natura non directus ad mortem, aut mutilationem, & non censetur moraliter ad earum aliquam concurrere. Non ergo incurrit irregularitatem Episcopus, aut Vicarius eius veniam concedens ad huiusmodi ex-
5 humationem.

Quod quidem vrgentiùs probatur ex opinione Gabrielis Vazquez, quam sequuntur Turrianus, *de censuris*, *lib.* 9. *disput.* 66. *dub.* 3. Hurtadus, *difficult.* 11. Caspensis, *in Cursu Theologico*, *tr.* 25. *de Censuris*, *disput.* 5. *sect.* 13. *num.* 93. esse satis probabilem iudicant Diana, *part.* 3. *tract.* 5. *Miscellaneo*, *resol.* 89. & Bassæus *tom.* 1. *verbo Irregularitas V. num.* 3. *versic. Advertendum.* Ista enim opinio docet, quod irregularitas ex homicidio, non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico iustè, puta à Iudice, Notario, Advocatore, Procuratore, Teste, Accusatore, Carnifice, Ministro carceris, eius Clavigero, Custodibus, & Comitantibus reum causa securitatis, struentibus focum, vt vivus hæreticus comburatur, à furca, pro suspendēdis faciente; & à quibuslibet aliis iustitiæ ministris ad executionem sententiæ destinatis, aut à persona privata iniustè. Quæ primo contrahitur modo, iustè scilicet, & sine culpa, immò sæpè cum merito, dicitur irregularitas ex defectu lenitatis, quam in ista sententia soli ministri iustitiæ, & non alij incurrunt. Quia in Iuribus in quibus fit mentio irregularitatis ex defectu lenitatis (sic dictæ, quia qui ad homicidium, etiam iustum concurrunt, lenitatem, pacem, & mansuetudinem Christi non præ se ferunt, repræsentant:) tantùm fit sermo de Iudicibus, & aliis Officialibus, ad occisionem, aut mutilationem, vt publicis iustitiæ ministris, concurrentibus.

Ex qua sententia, multorom casuum frequenter 6 contingentium decisio, menti pro conscientiis sedandis tenenda, sequitur.

I. Ecclesiastici iurisdictionem temporalem, & criminalem habentes, vel sunt multi Episcopi, & Abbates etiam nostri, irregulares non fiunt, ex defectu lenitatis, ex eo, quod constituant Iudicem pro capitalibus criminibus, etiamsi in communi Iudici dicant huiusmodi, vt invigilent contra malefactores: vel etiamsi in particulari pro aliquo committant casum dignum morte. Caspensis, *n.* 92. Bassæus *tom.* 1. *verbo Irregularitas V. n.* 5. cum Sayro *in Thesauro*, *lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 17. Filliucio *tract.* 29. *cap.* 9. *num.* 241. & Sylvestro *verbo Homicidium* 3. *num.* 7. Et expressè decernitur *in cap. Episcopus*, *el* 3. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, *in* 6. Vbi sic Bonifacius Papa VIII. Episcopus, seu quicumque alius Prælatus, vel Clericus iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio, ab aliquibus in iurisdictione sua commisso, ballivo suo, aut alij cuicumque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet: quamvis ipse ballivus, vel alios contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, iustitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtineant temporalem) debent, & possunt, metu irregularitatem cessante, alijs delegare. Hactenùs Bonifacius.

Et Innocentius Papa III. *in cap. Novimus*, 7 *el* 27. *de Verborum significatione*, decernit, vt Clericus propter sua crimina degradatus, Curiæ, & potestati tradatur Sæculari, vtique puniendus, vti Glossa *verbo Tradatur*, *in fine*. Bassæus *num.* 6. Caspensis *num.* 91. Ex quibus Iuribus, benè, quod asserui *num.* 4. colligitur. Si enim in his casibus Episcopus sciens mortem ex suo facto, & commissione, & rei traditione sequuturam, irregularitatem ob lenitatis defectum non incurrit, quare in illa licentia exhumandi occisum, & recognoscendi vulnera incurrat, non video.

II. Confessarius pœnitentem obligans ad 8 confitendum delictum morte dignum, si iuridicè interrogetur, non incurrit irregularitatem. Neque illi consulens, vt consentiat iustæ sententiæ mortis, quam differre non potest nisi per iniustam appellationem. Ita Caspensis *num.* 92. Bassæus *n.* 8. cum Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. *nu.* 4. Avila *par.* 7. *disput.* 5. *dub.* 6. *sect.* 2. Antoninus Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 99. cum Cornejo *tract. de Irregular. disput.* 11. *dub.* 1. *quæst.* 4. Et ratio est, quia in his casibus solùm intendit Confessarius, & consulens salutem animæ; secùs dicendum, si consulat, vt omittat appellationem iure illi concessam. Quia esset causa accelerationis mortis. Idem Caspensis, & Diana.

III. Confessarios, qui Iudici nolenti dam- 9 nare ad mortem, quem tenetur condemnare, absolutionem negat, irregularis non efficitur. Quia salutem suam, & pœnitentis Iudicis tantum intendit; quod autem mors sequatur, per accidens est. Caspensis *ibid.* Bassæus *n.* 8. cum Sayro *lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 26.

IV. Neque Consiliarios, quem Iudex con- 10 sulit de crimine, quod mortem meretur, irregularitatem incurrit, si in genere respondeat, crimen esse morte dignum; immò si in casu parti-

culari

culari consultus respondeat, homicidam v. gr. secundùm leges morte puniendum. Caspensis, dicto, num. 92. Et ratio est eadem, quam duobus præcedentis casibus reddidi. Et idem est de consultore, qui interrogatus, an quis teneatur accusare, aut deponere in causa sanguinis, & ipse in genere aperit ius; & veritatem docet, non inducendo ad accusandum. Bassæus, num. 4. cum Filliucio, tract. 19. cap. 9. num. 242. Molina, tom. 4. tract. 3. disput. 74. num. 5. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 45. sect. 4. num. 5. Navar. & Graffis.

11 V. Comitantes reum vt illum adiuvent, dicentes, perge alacriter, irregularitatem non incurrunt, si accelerationem mortis non intendant. Caspensis, num. 93. Neque consulentes viam breviorem, aut solicitantes accelerari exequutionem iustitiæ dicendo, v gr. horam esse tardam, vel populum nimis detineri. Diana, dicta resolut. 79. versic, Legitur. Immo qui sive voce, sive punctione, aut percussione instigat brutum in quo puniendus vehitur, irregularis non efficitur, quamvis ex eo mors acceleretur. Caspensis, num. 93. Neque Sacerdos, qui roganti Carnifici respondit: sum functus officio meo, nemo te impedit: irregularitatem incurrit, Caspensis, n. 93. Et horum omnium ratio est, quia nullus ex recensitis ad mortem concurrit iniustè, aut tanquam iustitiæ minister. Et ex eadem ratione Turrianus ab irregularitate liberat dicentes: pergamus citius: aut reo scalam ascendenti: ascende citius: nisi sint isti actus peccata mortalia: aut fiant tanquam à ministro iustitiæ.

12 VI. Si quis ei, qui plectendus est capite, dicat vt caput supponat ad excipiendum ictum, & ideo citius supponat: aut carnifici dicat vt aliquid aptet, quò citiùs is, qui morte plectitur, extinguatur, irregularitatem non incurrit. Diana citato loco.

13 VII. Fabri ferrarij, & alij armorum fabricatores, fabricando, aut vendendo gladios, funem aut quid aliud ad vsus humanos indifferens, sine intentione, vt per illud alicui mors inferatur, esto postea illa sequatur, irregulares non sunt, secùs si eo animo illud efficiant; aut vendant. Bassæus, n. 4. vbi idem docet de eo, qui venenum præparat.

14 VIII. Ecclesiastici assistentes executionis sententiæ sanguinis, Irregulares non sunt. Bassæus, num. 5. cum Suarez de Censuris, disput. 47. sect. 4. num. 10. & Filliucio, tract. 19. cap. 9. num. 258. Excipit tamen habentes iurisdictionem temporalem (in loco scilicet vbi exequitur supplicium,) qui sua præsentia aliquo modo authoritatem præstant.

15 IX. Clericus, qui Iudicem rogat, vt iudicet secundum iura, irregularis non est. Quia hæc verba indifferentia sunt, & non important cooperationem ad mortem, Bassæus, num 5. cum Bonacina, de censur. disp. 7. quæst. 4. punct. 1. num. 21. Antoninus Diana part. 4. tract. 2. resol. 35. Qui addit nec peccare venialiter, nullam authoritatem præstando. Si tamen roget, vt sententiam exequatur, incurrit irregularitatem. Quia ista actio ex sua natura ad mortem ordinatur. Bassæus.

16 X. Neque Ecclesiasticus habens iurisdictionem temporalem, legem, aut statutum condens, quo aliquid sub pœna mortis prohibet; irregularis est, quamvis posteà Iudex ea lege ductus aliquem occidat. Quia posteà Dominus non infert mortem, sed lex: & quia in determinatam personam non animadvertit. Bassæus, num. 7. cum nostro Sayro, de Censuris, lib. 6. cap. 18. n. 18. Henriquez, l. 14. c. 12. & Sylvestro verbo Homicidium, 3. n. 7.

XI. Ecclesiasticus item consilium præbens Principi, vt ferat legem, quâ delinquentes pœnâ capitis puniantur: & exhortans ad illam servandam in genere, coërcendo improbos debitis pœnis, Irregularis non est. Bassæus, num. 7. cum Filliucio, num. 242. Bonacina, num. 31. & Vgolino. 17

Sed redeundo ad casum licentiæ exhumandi, & recognoscendi vulnera occisi, cuius occasione hanc, non inutilem feci digressionem, dico, non solum posse, sed debere Episcopum veniam ad id concedere. Ita Samuellius, vbi suprà. Et ratio est. Quia sicut Iudex sæcularis tenetur Episcopi Iurisdictionem adiuvare, & auxilium, & brachium suum ei præstare cap. Perniciosam cap. Quoniam, de Offic. Iudicis Ordinary, cap. statuimus, de Maledicis, & can. Administratores, 23. quæst. 5. & potest ad id compelli ab Episcopo in vim dictorum Iurium, vti advertunt eorum Glossæ, & Samuellius, ita Episcopus, & eius Vicarius compelli possunt ad auxilium Iudici Sæculari præstandum non tamen per istum, sed per Metropolitanum, aut Nuncium Apostolicum, ad quod potest sæcularis ille Iudex appellare. Idem Samuellius. 18

DISQVISITIO XXIV.

De Exulibus.

An qui exilium patiuntur, ob sua crimina, reduci possint ad patriam, post mortem, vt in ea tumulari queant?

BREVIARIVM.

Exemptio. Exemptum.

Quod in loco sit exempto, perinde est, ac si extra territorium fieret, n. 6.

Limita, quando lex, Constitutio, aut statutum in contrarium non existit, n. 6.

Exul.

Sententiam non observat, qui ad Ecclesiam sua patria se recipit, n. 3.

Si in illo decedat, ad patriam reduci nequit, numero 3. 4.

CONCLVSIO.

Respondet Franciscus Maria Samuellius, in Praxi de Sepulturis, tr. 2. disp. 1. controu. 7. concl. 15. cum Bartolo, quod qui in vita nequeunt in civitate morari, post mortem ad Sepulturam reduci non valent. Et allegat legem. Si quis in Insulam ff. de Cadaveribus punitorum. Ex qua quidem optimè responsio probatur. Sic enim illa decernit, videlicet.

Si quis Insulam deportatus, vel relegatus fuerit, pœna etiam post mortem manet, nec licet eum inde transferre alicubi, & sepelire inconsulto Principe, vt sæpissimè Severus, & Antoninus rescripse

concluſ. 19. Ferdinandus Caſtrus Palaus, *part.5. Operis Moralis, tr.29. de Cenſuris diſp.5. punct. 27. num. 5.*

Probatur ex dicta Extravagante, in qua Bonifacius Papa VIII. poſtquam excommunicationis ipſo facto incurrendæ, reſervatæ Papæ ſententiam tulit, contra quoſcumque, cuiuſvis Ordinis, conditionis, ſtatus, aut gradus, etiam dignitati Ponificali, præfulgentes, corpora defunctorum exenterantes, ea immaniter decoquentes, vt oſſa à carnibus ſeparata ferant ſepelienda in terram ſuam, concludit conſtitutionem ſuam dicens: *Et nihilominùs ille, cuius corpus, ſic inhumanè tractatum fuerit, Eccleſiaſtica careat Sepultura.*

2 Circa diſpoſitionem huius Extravagantis, nonnulla occurrunt dubia breviter diſcutienda. I. An illa locum habeat vbique gentium, & reſpectu cuiuſcumque cadaveris? II. An comprehendat illos, qui recenſita inhumanitate corpora fidelium defunctorum tractant ad alios fines, quantumvis pravos, quàm ad ferenda eorum oſſa aliò ſepelienda? III. An liget corpora exenterantes, ſi conciſio, & coctio eorum non ſequatur? IV. An pœna privationis Sepulturæ vivis exenterantibus, an verò exenteratis cadaveribus inflicta dicatur? V. An ad ſui executionem prærequirat cauſæ cognitionem, & ſententiam criminis declaratoriam? VI. An excommunicatio conſentientes liget, & conſulentes?

3 Ad primum dubium, quoad vtramque illius partem, negativè reſpondetur. Quoad locum quidem, ſolùm afficere terras Chriſtianorum, docent Gloſſa, *verbo Catholicæ fidei*, dicens: *Et ſic hæc conſtitutio non inhibet, vbi Catholicus decederet in terra Sarracenorum.* Barboſa, *de Poteſtate Epiſcopi, part.3. allegat. 50. num.103.* cum Lavorio, *de Indulgentiis, part.2. cap.21. num. 28.* Filliucio, *tract.15. num. 72. verſic.3. num.77.* & Gambarupta *de caſibus reſervatis, cap.7. num.7.* Caſtrus Palaus *loco citato, num.3.* cum Sayro, *in Theſauro lib.3. cap.30. num.2.* & Toleto, *lib.1. cap. 36. num.6.* Et probatur ex verbis dictæ Extravagantis, ibi: *In Ciuitatibus, terris, ſeu locis, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, diem de Cætero claudet extremum.*

Quoad ſecundam eius partem de Cadaveribus, certum etiam eſt, quod conſtitutio ſolum prohibeat actiones præfatas in Cadavera fidelium exercitas. Ita Gloſſa *modo reddita*, ibi: *Vbi Catholicus*: Barboſa inſinuat, & expreſſè docet Palaus *dicto numer. 3.* cum Bonacina, *tom.3. diſput.2. quæſt.5. punct.45. num.6.* & benè id colligit ex ipſo textu in principio, ibi: *Si quiſquam eis genere nobilis, &c.*

4 Ad ſecundam difficultatem, reſpondetur etiam negativè. Ita Barboſa *in dictum Extravagantem, num.2. & loco allegato de Poteſtate Epiſcopi*, cum Navarro, *in Manuali, cap.27. num.105. & de excommunicatione, conſil. 54. in antiquis, & in novis, de Sepulturis, conſil. 10.* Caſtrus Palaus, *loco reddito, num. 4.* cum Caietano, *in ſumma, verbo, Excommunicatio, cap. 70.* Bonacina, *vbi proximè, num. 3.* & Sayro, *num. 2.* Vnde qui actiones prohibitas præſtat ex odio, vel vindicta, vel ad maleficium, aut ſuperſtitionem, vel cauſa anatomiæ, vel ne fæteat cadaver, pœnas non incurrit dictæ Extravagantis. Docent Barboſa, & Palaus cum aliis allegatis Doctoribus.

Ad tertium dubium dico, pœnas à Bonifacio Octavo in dicta Conſtitutione inflictas, non incurri per ſolam exenterationem, ſeu per extractionem intemorum cadaveris, ſi hoc ſimul immaniter non concidatur, & partes illius decoquantur, quovſquè oſſa à carnis tegumento exuantur. Docet Palaus, *dicto num. 4.* cum Toleto, *vbi ſupra.* 5

Et ratio eſt, quia dictio et, omnes actiones, quas diſpoſitio Extravagantis prohibet, copulat, & coniungit. Ita vt æqualiter copulet: vt idem ſit de vno quod de altero ex copulatis: & requirit concurſum copulatorum. Barboſa, *in tract. de Dictionibus, dictione, 110. num.9.* vt in *l. ſi mihi, & Titio ff. de Verborum ſignificatione, & in l. Reos, §. cum in tabulis ff. de Duobus reis conſtituendis. Et in l. Si hæredi plures, ff. de Conditionibus inſtitutionum.* notant Iaſius *in l. 1. num. 3. & ſeqq. ff. de Iuſtitia & Iure.* Felinus, *in cap.2. num. 32. in verbo Copula, de Reſcriptis*, Decius *conſilio 89. num.2. & conſilio 417. num.1. & conſilio 433. numer. 6.* Natta *conſilio 373. numer. 14. tom.4.* Pariſius *conſilio 95. numer. 6. volum. 1. & conſilio 63. num. 14.* Theſaurus, *deciſion. 189. n.1.* Guido Papa *deciſ. 527. num.1. & ſing. 309. num. 1. 2. & 4.* Rochus de Curte *de Iure patronatus, verbo Ipſe, vel is, num. 48. & ſeq.* & plures alij, quos pro more ſuo recenſet, & ſequitur præfatus Barboſa.

Neque obeſt, quod Bonifacius Papa cum excommunicet, qui aliquid contra huius ſtatuti tenorem præſumpſerit attentare: quaſi diceret, non eſt neceſſe, vt circa corpus defuncti omnes illæ actiones exenterationis, conciſionis, & coctionis exerceantur, ſed ſatis eſt, quod aliqua illarum præſtetur, vt ſit excommunicationi (& conſequenter ſepulturæ privationi) locus, vti Suarez, *tom.5. in 3. partem, diſput.22. ſect.5. n.4.* Filliucius, *tract.25. cap.4. quæſt.6. numer. 74.* & Bonacina, *tom.3. diſp.2. quæſt.3. punct.45. num.4.* docuerunt. 6

Non inquam obeſt, quia vti benè Palaus *dicto num. 4.* illud pronomen *aliquid*, non refertur ad aliquam actionem ex enumeratis, ſed ad totam excommunicationis materiam, ſive diviſibilis ſit, ſive indiviſibilis. Sæpè enim poſita materia excommunicationis indiviſibili, ſubdit Pontifex prædictam clauſulam: *Qui aliquid contra huius noſtri ſtatuti, & Ordinationis tenorem præſumpſerit attentare.* Quapropter clauſula iſta hunc facit ſenſum. *Qui ſemel contra huius noſtri inſtituti, & ordinationis tenorem præſumpſerit attentare, excommunicatione innodatus ſit.* Ita Palaus.

Ad quartam difficultatem reſpondetur ſubdiſtinctione. Aut ille, cuius cadaver ſic, vt præfertur, inhumanè tractatur, adhuc vivens, ſic tractari mandavit, vel in ſpecie, vel ſaltem in genere; vel non. Si primum, certum eſt, quod pœna privationis ſepulturæ, eidem cadaveri inflicta ſit, ex ſequela præcedentis delicti, ſicut & honor abſolutionis defuncto etiam fit, ex ſignis, quæ in eo apparuerunt ipſo viuo, *in capite A nobis, el 28. de ſententia excommunicationis.* Et ita reſpondet Gloſſa, *in Extrauag. Deteſtandæ, verbo Sepultura.* Si verò ſecundum, poteſt adhuc dici, pœnam inſigi ipſi cadaueri, non ob culpam ab ipſo viuo commiſſam, ſed ob cauſam deteſtationis ipſius facti, & eiuſdem ſequelæ. Ita etiam prædicta Gloſſa, *eodem verbo.* 7

Nec valet dicere. Pœna non infligitur, nisi ei, qui culpam commisit. Pœna enim est mensura culpæ: vbi autem non est mensurandum: neque mensura. Pro quo habemus canonem *Satis*, el 7. *dist.* 56. *can. Inventum* iuncta Glossa, *verbo Nisi gravi*, el 38. 16. *q.* 7. *& cap. cognoscentes el* 2. *de Constitutionibus*, vbi ita ait Gregorius Papa. *Cognoscentes, quia res, quæ culpâ caret, ad damnum vocari non convenit.* Non inquam valet, quia sæpè imponitur pœna, culpam non habenti; si tamen adsit causa illam imponendi, vti ait Glossa *dicta Extravagantis*, *verbo Sepultura, in fine.* Et apertè decernitur *in cap.* 23. *de Regulis Iuris lib.*6. per hæc verba *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* In casu autem nostro magna adest causa, vti ex se patet. Ergo benè potuit pœna privationis Sepulturæ infligi ei, qui non fuit in culpa; vt eius corpus post mortem ita crudeliter tractaretur.

9 Vndè non satis probatur, quod Palaus, *num* 5. dicit, privationem Sepulturæ in casu præsenti, non esse propriæ pœnam cadaveris exenterati, decerpti, & decocti, neque illud capax esse pœnæ; nisi velit dicere, *pœnam non sentire*: aut, *esse incapax pœnam sentiendi.* Sicut enim capax honoris, reverentiæ, ac cultus cadaver sæpè est; ita è contra, non rarò incapax horum omnium reperitur. Quæ quidem incapacitas, pœna benè dici potest. Addit tamen Doctor præfatus, & benè, quod hæc privatio Sepulturæ (quatenùs scilicèt includit prohibitionem sepeliendi) sit pœna vivorum, ob crudelitatem commissam, in cuius punitionem, & satisfactionem prohibeotur, ne prædictum corpus, Ecclesiasticæ tradant Sepulturæ.

10 Ad quintam difficultatem, respondeo cum Castro Palao. *part.*5. *tract.*19. *disput.*3. *punct.*27. *n.*5. *prohibitionem* non sepeliendi cadaver exenteratum, decerptum, & decoctum, non adstringere quovsque delictum declaratum sit, post plenam delicti probationem, vt idem Author ex communi Doctorum sententia adnotavit, cum Suarez, *tom.*5. *in* 3. *part. D. Thom. disp.*22. *sect.*1. *num.*4. & Bonacini, *tom.* 3. *de Censuris in particulari, disput.*2. *quæst.* 3. *punct.*45. *in fine.* Ratio responsionis est, quia post publicationem Extravagantis, *Insuper ad evitandum Scandalum*, suprà *disquisit.* 12. *dub.*1. *num.* 9. redditæ, nemo à communione alicuius Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à Iure, vel ab homine generaliter promolgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare. Nisi sententia, vel censura huiusmodi fuerit illata, contra personam, Collegiom, Vniversitatem, Ecclesiæ Communitatem, vel locum certum, vel certam à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè. Verba sunt Extravagantis illius, quæ solùm excipit notorium percussorem Clerici.

Nostram sententiam tenet Pellixxarius, *in Manuali Regularium*, *tom.*2. *tract.*8. *cap.*5. *num.*148. cum Bordono. Hac ductus ratione. Quia privatio Sepulturæ est pœna gravis. Pœna autem non debet sustineri ab eo in quem nondom lata est sententia Canonica, *capite Non debet*, 12. *quæst.* 3. Ideóque pœna non debet nisi per Iudicem inferri, *cap. sive*, §. *in hoc*, 33. *quæst.* 2. & consequenter per sententiam declaratoriam Ordinarij.

11 Ad sextam respondetur, pœnas *Extravagantis Detestandæ*, non afficere, & comprehendere, actiones per illam prohibitas, mandantes, consulentes, consentientes, &c. Ita Barbosa, *ibi*, *num.* 2. *& de potestate Episcopi*; *allegat.* 50. *num.* 103. cum Navarro, *tom.* 2. *Consiliorum*, *tit. de sententia excommunicationis*, *consil.* 34. *in antiquis*, *& in novis*, *tit. de Sepulturis*, *consil.*10. & ratio est, quia lex pœnalis, & odiosa, qualis est ista, extendi non debet ad casus in ea non expressos, sed restringi ad eos tantùm, qui in ea exprimuntur. Navarrus, *tom.* 1. *consilior. lib.* 1. *tit. de Bigamis*, *consil.* 1. *num.*2. *vers. Tertio*, ex *l. Interpretatione*, *ff. de Pœnis*, *& cap. Pœne, de Pœnit. dist.* 1. idem Navarrus, *tom.* 2. *lib.* 5. *tit. de Privilegiis*, *consil.*25. *num.* 4. ex dictis Iuribus, & ex *l. si Præses*, *ff. de Pœnis.*

DISQVISITIO XXVI.

De iis, de quibus est dubium, An privati sint sepulturâ.

Sepelirine poterint in loco Sacro, ritu Ecclesiæ?

BREVIARIVM.

Appellatio.

Non admittitur à sententia de cadavere tumulando. Neque quoties res tempore perit, numero 4.

Axioma.

Dubia in meliorem partem sunt interpretanda, numero 2. 3.

Regula.

Favorabiliores rei, potius, quàm actores habentur, num. 4.

Estote misericordes, &c. exponitur, n.3.

Sepultura.

Ij, de quibus dubium est, an privari debeant Sepulturà, sepeliendi sunt, n.1.

CONCLVSIO.

REspondeo posse, & debere tumulari in Sepultura Ecclesiastica, more, & ritu Ecclesiastico. Ita docet Sanctus Antoninus *in Summa*, 3. *part. tit.*10. *cap.* 5. *de sepulturis*, §. 9. *in fine.* Vbi docet, quod si dubitetur, An quis sit infidelis, paganus Iudæos, excommunicatus, &c. non est Ecclesiastica privandus sepulturâ, neque ab ea extrahendos, nisi probabiliter credatur oppositum. Verba Sancti Doctoris recenseo. De cadavere autem iam sepulto, vel etiam sepeliendo, quia si dubitatur vtrum sint Christiani, vel infideles, vel excommunicati, in meliorem partem, interpretandum est, nisi aliqoa probabilitas esset de opposito, 13. *quæst.* 2. *Non æstimemus.* Hactenùs Florentinos Archiepiscopus. Docent etiam Sylvester, *verbo Sepultura*, *num.*9. *in fine*, & Samuellius, *in Praxi de sepulturis*, *tract.* 2. *disput.*1. *controu.*1. *per totam controu.* 8. *conclus.*8. Allegat Lavorium, *tom.*1. *variar. lucubrat. tit.* 2. *cap.*11. *num.*155. *& cap.*12. *num.*21. Molfesium, *in summ. tom.*2. *tract.* 11. *cap.*8. *num.* 31. *&* 75. Bonacinam, *de Contract. disput.* 3. *quæst.* 21. *punct.* 2. *num.*6.

num. 6. Mancinum *in Praxi visitationis infirmorum, dub.* 36. *fol.* 516. *de Sepulturis.*

Et ratio est iam ab Antonino tacta. Axioma enim Iuris est, quod *dubia in meliorem partem sunt interpretanda*. Barbosa *tractatu de Axiomatibus, axiomate* 78. *numero* 1. ex *lege Cum creditor, Digestis de Furtis, l. Proximè, Digestis De ÿs, quæ in testamento delentur: cap. Estote, de Regulis Iuris.* Aldrete *de Religiosa disciplina tuenda, libro* 1. *cap.* 4. *numero* 23. Franciscus Molin. *de Ritu nupt. libro primo, comparat.* 16. *numero* 2. Farinacio *in Praxi criminali, parte tertia, quæst.* 85. *à numero* 27. & alijs. Quibus addo nostrum Venerabilem Bedam, à quo desumpta est dicta regula *Estote, la* 2. *in Decretalibus*, & Glossam Bernardi, dicentis, Nota, dubia, in meliorem partem interpretari: quia potiùs debemus præsumere bonum, quàm malum. Abbatem Panormitanum *ibi, num.* 1. Barbosam *ibidem, num.* 1. cum Aloysio Riccio, *in Collectanea Decision. parte* 1. *collectan.* 220. & aliis. Regulam, ad amussim recenseo.

3 *Estote misericordes, &c.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est: Ex fructibus eorum cognoscetis eos: de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, vt stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia: de quibus nobis permittitur iudicare. Hæc Beda, in dicta *Lucæ cap.* 6. verba.

4 Probat resolutionem Samuëllius ex *Regula* 186. Iuris Cæsarei, *Favorabiliores rei, potiùs quàm actores habentur*. Et hoc verificari, (addit Samuëllius) etiamsi pars contraria obstet, vt non sepeliatur in loco sacro, & appellet: in quo casu, minimè appellatio datur, nec licet, nec permitti potest. Quia cadaver, dilationem non admittit, ob sui facilem corruptionem. Nec appellatio est admittenda, quoties res tempore perit. Hæc ille.

DISQVISITIO XXVII.

De loco, in quo humari debeant, qui Sepulturà privati sunt Ecclesiasticâ.

Et quæ pœnæ infligantur illis, qui eos Ecclesiasticè tumulant.

BREVIARIVM.

Sepulturâ.

Qui illâ carent, ita longè ab Ecclesia sepeliendi sunt Clericorum in ea canentium, vt voces, indè nullatenùs audiri queant, n. 2.

Qui Hæreticos, eis Credentes, eorum Fautores, Receptatores, & Defensores, scienter præsumpserint sepelire, sunt ipso facto excommunicati, & absolvi non possunt; nisi post satisfactionem, & postquam proprÿs manibus publicè extumulent, & proÿciant, n. 3.

Qui scienter præsumunt sepelire interdicti tempore, excommunicatos denunciatos; & interdictos, ac vsurarios notorios, ipso facto sunt excommunicati, & nequeunt absolvi, nisi prius ad arbitrium satisfaciant Episcopi, num. 4.

PRo coronide huius Tractatus, duo discutienda restant. *Vnum*, vbi humari debeant cadavera humana, quæ Ecclesia non sinit tumulari in loco sacro, & Ecclesiastico ritu, precum, Psalmorum, Oblationum, & Sacrificiorum? *Alterum*, quas pœnas incurrant, qui illa, contra Ecclesiæ prohibitionem, in Ecclesia, aut Cœmeterio, aut cum Ecclesiastica solemnitate, & ritu tumulant? A quibus difficultatibus breviter me expediam. 1

Ad primam dico, huiusmodi cadavera, quæ Ecclesiasticâ carent sepulturâ, ita longè ab Ecclesia esse sepelienda, vt Clericorum in ea canentium voces, indè nullatenùs audiri queant. Ita docet Abbas Panormitanus, *in capite Sacris, numero* 3. *el* 12. *de Sepulturis*, Vbi ita fatur. Nota ibi: *& procul*, quod excommunicati debent procul ab Ecclesia sepeliri, seu proiici. Et sic collige argumentum, quod isti, quibus interdicitur Ecclesiastica sepultura, non debent sepeliri propè Cœmeterium, sed procula, & in tanta distantia, secundùm Doctores, quod voces Clericorum cantantium, non possint ibi audiri, argumentum *in capite Quod in te, de Pœnitentÿs, & Remissionibus*. Hactenùs Abbas, quem, & Lavorium recenset, & sequitur Samuëllius, *in Praxi, de Sepulturis, tractatu* 2. *disputatione* 1. *controvers.* 7. *conclusio* 2. 2

Ad secundam dicendum est 1. scienter sepelientes Ecclesiasticè, seu in loco sacro Hæreticos, eis Credentes, Fautores eorum, Receptatores, Defensores, ipso facto excommunicatos esse, & absolvi non possunt nisi post satisfactionem, & postquam proprijs manibus publicè extumulaverint, & proiecerint illorum corpora. Ita Samuëllius, *vbi proximè, controvers.* 10. *conclus.* 2. Et probatur ex *cap. Quicumque, el* 2. *de Hæreticis, libro* 6. vbi sic Alexander Papa IV. decernit. Quicumque Hæreticos; Credentes, Receptatores, Defensores, vel Fautores eorum, scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere Sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ, se noverint subiacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetuâ careat sepulturâ. 3

Secundò, qui scienter sepelire præsumunt in Ecclesijs, aut Cœmeterijs interdicti tempore, nisi in casibus in iure expressis, vel excommunicatos denunciatos, nominatim interdictos; vel Vsurarios manifestos, sunt ipso facto excommunicati, & absolvi nequeunt; nisi priùs, ad arbitrium Episcopi 4

Diœcesani, eis, quibus fuerit iniuria irrogata satisfactionem exhibuerint competentem. Sic Concilium Viennense sub Clemente Papa V. *in Clementina Eos qui*, *la primera*, *de Sepulturis*. *Denunciatos* dixi, cum dicat Clementina, *publicè*: propter Extravagantem *Insuper ad evitandam*, relatam, *Disquisit.* 25. & exscriptam *Disquisitione* 12. *dubio primo*, *numero* 9.

Et hæc à me, in duplici huius Operis Disquisitionum Moralium, & Canonicarum Volumine, sicut & aliàs dicta, & vsque ad supremum vitæ dicenda, correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ omnis veritatis columna est, & Magistra, Superioribus meis, ac peritioribus, & eorum omnium iudicio, omni animi mei demissione submitto, ad laudem Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, ac Spiritus Sancti, necnon Deiparæ Virginis Mariæ, Angeli pro mea custodia destinati, Petri Apostolorum Principis, Patriarchæ Benedicti, omnium Iustorum spiritu pleni, Veremundi Abbatis, & omnium Curiæ Cœlestis Civium.



REPER



REPERTORIVM,

SVMMA, ET EPITOME

Locupletissima eorum omnium, quæ in hoc Volumine, tam ex professo dilucidantur, quàm quæ obiter, & non incongruè proferuntur.

Litera sub hoc charactere, D. Disquisitionem; sub isto autem, d. Dubium demonstrat; & sub hoc denique N. numerum marginalem indicat.

A

Abbas.

Abbatissa.

Quædam

si notoria non sint, vel ad forum deducta contentiosum, Episcopi absolvere possunt, à n. 134. ad 159. p. 146.

Possunt absolvi Episcopi ab Hæresi, & ab aliis in Bulla Cœnæ contentis, & occultis, per Confessarium ab ipsis electum. n. 137. p. 147.

Abbates, & alij Prælati Regulares locales, & eorum vices gerentes, an possint absolvere ab omnibus Casibus Bullæ Cœnæ, occultis, & non deductis ad forum contentiosum, & etiam ab Hæresi subditos suos, & cum eis dispensare, in vim Trid. *sess. 24. cap. 6.* n. 165. p. 154.

An à relapsu in Hæresim absolvere possint. ibid.

An ab Apostasia à Fide. ibid.

In facultatibus Episcopis per Tridentinum concessis, dicto cap. 6. comprehendi Prælatos Regulares, locales etiam, declaravit Pius V. quoad absolutiones, & dispensationes subditorum suorū. n. 170. 171. p. 155. & n. 176. p. 157.

Potestas ad absolvendum, & dispensandum cum subditis, & hospitibus Ordinis, concessa Minoribus, Prædicatoribus, Carmelitanis, Augustinianis, Servitis, & Minimis recensetur. n. 172. 173. pag. 156.

Concessa Benedictinis Hispaniæ redditur. n. 175. ibidem.

Concessa Casinensibus, cum Bullæ Cœnæ Casibus, refertur. n. 176. p. 157.

Concessa Iesuitis recensetur. n. 179. 180. 181. p. 158.

Absolvi possunt Religiosi plenariè (id est etiam ab exceptis) aliquibus anni diebus. n. 177. 178. p. 157. & n. 105. 106. p. 161.

Bulla Cœnæ revocat privilegia generalia Regularium facultatem concedentia ad absolvendum à casibus Papalibus, non verò, quæ concedunt casus ipsius Bullæ, à n. 184. ad 187. p. 158.

Declarationis S. Congregationis, per quas derogatur privilegiis Regularium, & Sæcularium quoad facultatem absolvendi à casibus in eis expressis, recensentur. n. 188. 189. p. 159. n. 190. pag. 160.

Redditur etiam Clem. VIII. Constit. n. 191. ibid.

Locum non habent istæ Declarationes, & Constitutio, quoad absolutiones passivas Regularium, sed Sæcularium, à n. 192. ad 195. ibid.

S. Congregatio, de mandato Vrbani VIII. declaravit non posse Regulares in vim suorum privilegiorum absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, & ab Ordinario loci sibi reservatis. n. 197. 199. p. 160. 161.

Ista declaratio comprehendere intelligitur absolutiones sæcularium, non vero Regularium. n. 200. p. 161.

Aliam Declarationem S. Congregationis, & alteram Greg. XIII. circa idem recenseo, sed non admitto ob authoritatis defectum. n. 201. 202. 203. ibid.

Prælati Regulares absolvere possunt subditos utriusque sexus à reservatis tempore, quo privilegia sunt concessa, & à reservandis usque ad absolutionis tempus. n. 207. 208. p. 162.

Ad obtinendam absolutionem à reservatis, non possunt Regulares subditi simpliciter eligere Sacerdotem, sed approbatum ab habente approbandi potestatem; Prælati vero benè possunt. n. 211. ibid.

Casus pro quibus rei ad summum Pontificium pro absolutione, aut dispensatione merito sunt destinandi, quinque adnumerantur. n. 174. 185.

Post mortem, excommunicatus ab alio absolvi non potest nisi ab eo, per quem vivus fuerat absolvendus. D. 2 n. 7. D. 4. n. 12 p. 175.

Quilibet sacerdos simplex potest in articulo, & periculo mortis absolvere ab excommunicatione, ab omni alia censura, & à peccatis, etiam si excommunicatus ipse sit, dicto d. 4. n. 2. ibid. D. 1. d. 14. n. 57. p. 131.

An à Censuris possit tunc absolvere Laicus, absente, aut nolente Sacerdote absolvere, controvertitur. Negant aliqui D. 2. d. 4. n. 3. 4. p. 175. Cum aliis assero à n. 6. ad 9. ibid. Latius, D. 1. d. 14. à n. 49. vbi etiam de muliere asservi, non tam iuris, quàm Doctorum autho...ri, & Ecclesiæ benignitati, rationabiliter præsumptæ innixus. p. 127.

Immò tenentur prædicti absolvere D. 14. n. 50. pag. 128.

Confessarius absolvere tenetur, contra propriam opinionem, pœnitentem contrariam sequentem. n. 50. ibid. 158.

Absolutio excommunicationis, & aliarum censurarum à Clerico non Sacerdote, à Laïco, vel muliere, moribundo data, ad effectus Ecclesiasticæ Sepulturæ, & participationis suffragiorum Ecclesiæ deservit. D. 14. n. 71. p. 134.

Absolutio ab excommunicatione plures sortitur effectus, vnum ab alio inde pendentem. ibid.

Ad absolvendum, ex propria authoritate, tanta requiritur facultas, quanta ad excommunicandum, & è contra. D. 14. n. 59. p. 131.

Absolvere à peccatis nemo, nisi Sacerdos potest. D. 1. d. 14. n. 62. p. 132. n. 69. 70. pag. 134. D. 20. d. 2. n. 6. pag. 560.

Iurisdictio ad absolvendum, etiam à peccatis acquiritur ex tacito consensu potentis illam concedere, scientis scilicet, & patientis illa aliquem vti. D. 1. d. 14. n. 84. 85. p. 136.

Absolutio à censuris, prior debet esse saltem prioritate naturæ, absolutione à peccatis. num. 92. 137.

Potest simul dari per Verba: *Ego te absolvo*: si tamen necessitas occurrat, & Sacerdos, ab vtrisque simul absolvere intendat, n. 92. p. 137.

Absolutio à Censuris non est Sacramentalis, sed magis consequens iudiciariam iurisdictionem; n. 94. p. 138.

Absolutio à peccatis, ex Christi institutione prærequirit peccatoris confessionem, num. 97. ibid.

Absolutio à Censuris confessionem non requirit illis innodati. Et dari potest illi absenti, & invito, n. 97 ibid & n. 109. p. 140.

Absolutio data in foro conscientiæ à Censuris operatur vt absolutus, licitè, & validè quo ad Deum operetur; secus quoad Ecclesiam, n. 99. pag. 139.

Absolutio à Censuris necessariam connexionem non habet cum absolutione à peccatis, n. 101. ibid.

Si pro eodem actu plures latæ sunt à diversis excommunicationes, distinctam habentibus potestatem, absoluta, quæ à Superiore lata est; quæ ab inferiore absoluta manet, D. 11. d. 14. n. 15. 17 p. 419 420.

Episcopus in causa Duelli absolvere potest reos, si crimen occultum est, & non deductum ad forum contentiosum Disq. 11. à numero 8. pag. 428.

Immò etiamsi illud publicum sit, quando rei ad Papam, aut ad eius Legatum adire non possunt.

DDD d D. 11.

Obligatio

Obligatio denegandi absolutionem nolentibus decimas solvere, intelligitur, si ter admoniti, & excommunicati, illas solvere noluerint. n. 19. ibidem.

Quilibet Confessarius approbatus, prius partibus satisfactione præstita, quibus iniutiam irrogavit Vsurarius, absolvere potest ab excommunicatione, quam quis incurrit Vsurarium sepeliendo. D. 14. n. 15. p. 497.

Vt absolvatur Vsurarius occultus, non tenetur cautionem præstare, sed sufficit quod Confessario satisfacere promittat, si in aliis Confessionibus id non promiserat. n. 23. p. 498.

Occultus Vsurarius potest in articulo mortis absolvi, esto per se possit restituere, si vult restituere in testamento, si adsit rationabilis causa, & Confessarius certus sit hæredem restituturum. n. 23. ibid.

Si Vsurarius occultus, instante morte, non possit aliquid facere, non est petenda promissio, cum licentia revelandi Episcopo. n. 23. ibid.

Qui excommunicatione ligatus, cum signis decessit pœnitentiæ, non potest ab alio absolvi, quàm ab eo, à quo in vita absolvi poterat. n. 27. 30. p. 499.

Acceptio personarum.

Personarum acceptionem, & hominum conditiones Catholica non agnoscit Religio, sed animos aspicit. D. 1. d. 10. n. 9. p. 67.

In rebus Fidei acceptio, seu differentia non est personarum. D. 1. d. 12. n. 11. p. 71.

Accusare. Accusatio.

Accusari possunt Hæretici post eorum mortem, vt eorū damnetur memoria, & bona confiscentur. D. 1. d. 12. n. 90. D. 8. d. 1. p. 83. n. 10. p. 359.

Intra quod tempus post Hæretici mortem accusari possit declaratur. n. 92. dicti dubij 12. p. 84

Accusari etiam potest post mortem, qui crimen læsæ Majestatis commisit. n. 91. 92. ibid. D. 8. d. 1. n. 10. p. 359.

Item accusari potest post mortem, qui crimen Peculatus admisit, aut Repetundarum. D. 8. d. 1. n. 10. ibid.

Actor. Agere.

Apostata à Fide, Hæreticus, eius Credentes, Defensores, Fautores, & Receptatores, in nullo negotio possunt esse Actores, seu contra alios agere; debent tamen eis respondere. D. 1. d. 12. n. 32. p. 73. n. 43. p. 75.

Id possumus privata agere authoritate, quæ leges permittunt, & Respublica; non quæ his contrariantur. D. 11. d. 3. n. 19. p. 387.

In rebus agendis omnimoda certitudo haberi non potest. D. 11. d. 17. n. 102. p. 445.

Quod perfectius est, & securius, nō tenemur agere semper, & sequi, sed perfectum, & tutum. n. 103. ibid.

Actuarius.

Qui in Hæresis causa, in iudicio, de authoritate Inquisitorum patrocinium suscipit, iurat de iusta præstanda defensione, & de abstinendo à defensione quamprimùm cognitum fuerit Hæreticum esse illum, qui defenditur. D. 1. d. 4. n. 9. pag. 12.

Actuarij, Notarij, aut Scribæ censentur Hæretici, si omittant contra Hæreticum procedere, & vt tales in S. Officio tractandi sunt. D. 1. d. 5. n. 23. 25. p. 17.

Actus.

Actus proprietarius, est actus dominij. D. 6. d. 2. n. 2. p. 232.

Actum prohibet proprietarium; qui prohibet actum dominij. ibid.

Actus interni hominis, nulli humanæ potestati subduntur. D. 6. d. 18. n. 8. & quatr. n. 11. p. 333.

Administrare. Administratio. Administrator.

Administratio, est ius gubernandi, & distribuendi iuxta conditiones limitatas, &c. D. 6. d. 11. n. 62. p. 227. & n. 70. p. 228.

Est quid facti. n. 70. ibid.

Sumitur prout est quid Iuris, & prout est quid facti. n. 71. ibid.

Non includit administratio vllum dominium, ius fruendi, aut vtendi. n. 70. ibid.

Administrator, meliorare potest conditionem eorum, qui administrat, non deteriorare. D. 6. d. 9. n. 36. p. 279.

Facultas vtendi re nomine proprio, Administratori convenit, sicut Domino. D. 6. d. 13. num. 40. pag. 297.

Religiosus, sui peculij, in suum commodum administrator est. d. 16. n. 16. p. 311.

In Domini commodum administrat Oeconomus. n. 16. ibid.

Administrator conditiones, & limitationes etiam præfixas, servare tenetur. D. 6. d. 23. n. 46. p. 341.

Adulterium.

Gravius est furto Adulterium. D. 7. n. 8. p. 353.

Impedit prolis nasciturae certitudinem. ibid.

Advocatus.

Qui in causa Hæresis, in iudicio, de authoritate Inquisitorum, patrocinium suscipit, iurat de iusta præstanda defensione, & de abstinendo à defensione quamprimùm cognitum fuerit Hæreticum esse illum, qui defenditur. D. 1. d. 4. n. 9. pag. 12.

Advocatus, Hæreticus censetur, si omittat contra Hæreticum procedere, & vt talis in S. Officio tractandus. D. 1. d. 5. n. 23. 25. p. 17.

Advocati auxilium, consilium, vel favorem Hæreticis præstantes, suspenduntur ab officio, & perpetua inuruntur infamia. D. 1. d. 5. num. 44. pag. 20.

Apostatæ à Fide, Hæretici, Credentes, Defensores, Fautores, & Receptatores ab Advocati Officio & à patrocinio excluduntur. D. 1. d. 12. n. 36. 37. p. 74. n. 41. p. 75.

Qui alij, Advocati esse non possint. dicto. n. 36. pag. 74.

Ædificia.

Severè reprehenduntur Prælati, & Conventus, fastuosè, & superbè ædificantes. D. 6. d. 8. n. 10. 11. p. 270.

Ætas.

Impuberis debitoris hæreditarij ætas, non impedit, quominus debitum ab eo exigatur. D. 6. d. 14. n. 13. p. 121.

Apostata

Differunt, quia Hæreticus, non omnino Fidem, & Christi doctrinam, sed in parte deserit, Apostata verò, totam deserit illam, num. 44. ibid.

Hoc discrimen, accidentale est, non specificum, num.54.56. p.33.n.70.p.36.

Aliqui speciè differre docent, n.45.46.47.48.p.32. Sed eiusdem esse speciei, cum pluribus ostenditur à n.49.ad 53. p.ibid. Solvuntur argumenta, à n.54.ad 57. p.33.

Apostatæ conveniunt omnia, quæ de Hæretico dicuntur, n.58. ibid.

Apostatæ pœnas non meretur, qui externè tantum verbis, aut factis Christum, & Catholicam Fidem metu gravis mali deserit; in foro tamen externo, vt verus punitur Apostata, n.61. pag. 34.

Peccat tamen mortaliter, non contra Fidem, sed contra Fidei confessionem, numero 62. ibidem.

Sed in foro conscientiæ, non incurrit excommunicationem, aut alias pœnas, numero 63. ibid.

Apostata internus, seu qui non solùm externè, sed etiam internè Fidem deserit, excommunicationem incurrit Papæ reservatam. D.1. d.11.9. 10. p.70.

Apostasia à Fide.

Objectum formale Apostasiæ à Fide, prout infidelitas est, directè opponitur obiecto formali Fidei: & actus proprius illius, actui Fidei contrariatur. D.1.d.6. n.53.p.33.

Requirit pro formali Apostasia à Fide, pertinaciam, quæ salvatur in hoc, quod sciat Ecclesiam, contrariam tenere sententiam, & nihilominus Iudæorum v. gr. doctrinæ adhæret: pro materiali vero, requirit iudicium erroneum intellectus, à voluntate liberè admissum, per quod renitatur omni veritati à Deo revelatæ, cui Fides assentitur Christiana, numero 59. pag. 34.

Apostasia, alia mentalis; alia externa: in quo vtraque consistat explicatur, numero 60. ibid.

Apostasia purè externa, non est propriè, & formaliter, sed materialiter, & impropriè Apostasia, n.60. ibid.

Apostasia formalis est, quando quis sciens, & volens, animo, totam Fidem Catholicam iam susceptam explicitè, & professam, in manifestatione veritatis, & non tantum in figura, deserit, dicto n.60. ibid.

Apostoli.

Æqualem à Christo in vniversum iurisdictionem obtinuerunt Orbem; restringibilem tamen à D. Petro illius Vicario. D.1. d. 14. num. 143. pag.148.

Petrus Apostolis limitavit iurisdictionem à Christo immediatè susceptam, eos ad singulas destinando Provincias, num. 143. ibid.

Appellatio.

Non permittitur in Congregatione vlla, de re, quæ graviter honorem non tangat. D. 6. d. 3. n.50. pag.254.

A sententia super Decimis, quoad vtrumque effectum locum habet. Primo, quando agitur cum persona Ecclesiastica, quæ prætendit in Decimis, potiora habere iura. II. Quando agitur inter duas Ecclesias contendentes super iure decimandi. III. Quando Decimarum Collector modum excedit: quia ab excessu appellari potest. D.13.n.21.p.494.

Non admittitur appellatio à sententia de cadavere tumulando: neque quoties res tempore perit, D. 26. num. 4.p.573.

Apprehensio.

Alia est apprehensio vera, alia ficta. D.6.d.n.30. pag. 214.

Argumentum.

Ab vno correlativo ad aliud, valet argumentum. D. 11. d.3.n.61.p.393.

A superfluitate vitanda, validissimum est argumentum in Iure. D.11. d.7. n. 4. p.409. & d. 17.n. 172.p.455.

A minori ad minus, validum est, D.23.n.8.p.565.

Arma.

Clericis sub excommunicatione ferenda prohibentur, D.10. n.8. p.364.

Excommunicantur ipso facto Monachi, sine Abbatis venia, arma habentes intra Septa Monasterij, n.10, vbi, quæ arma prohibeantur, declaratur. ibid.

Artefacta.

Quæ à Monacho, qua tali fiunt, non pertinere ad communitatem docet Caramuel; secus quæ à converso, D.6 .d .22. n.5. p.331.

Neque ad communitatem pertinere, quæ à Converso in die festo fiunt, n.13. ibid.

Potest Religiosus horis vacantibus, nisi contrarium præcipiat Prælatus, industria sua amicis servire pingendo transcribendo, &c. n. 14. ibid.

Quod verum, esto sciat amicum pretium pro artefactis recipere illis, n.21. p.332.

Artefacta, non sunt Monachi, qua Monachi; sunt tamen Conversi, qua Conversi, num.6. pagina 331.

Dominium habere Religiosum in picturas, & in alia artefacta sua, sentire videtur Caramuel, n.24. 26. p.332.

Articulus.

Mortis articulus, & periculum pro eodem reputantur in iure, D.1. d. 14. num.41. p.126.

Assassini.

Immunitate Ecclesiæ non gaudent, D. 1. d. 12. n.74.p.81.

Inflicta est ipso facto Assassinis, privatio beneficiorum: quo non obstante requiritur sententia criminis declaratoria, citata parte, D. 1. d.13. num.71. 72. pag. 102.

Avaritia.

Est inordinatus temporalium appetitus D.6. d.4. n.22.p.258.

Ex suo genere est culpa venialis, ibid.

Mortalis non est, nisi quando propter divitias conse

Benef.

Beneficia.

Obtinere nequit beneficia Religionis ad quam quis ex alia strictiori transivit, etiam de legitima licentia; secus si ex laxiori, D. 1. d.6.n.19. pag. 17.

Ordinum non Mendicantium beneficia, obtinere non possunt ad illos transeuntes ex quatuor Ordinibus Mendicantium expressis in Clementina I. de Regularibus; sed benè Mercenarij. ibid.

Scienter de manu Schismatici beneficia, & dignitates recipientes, impertratis carent, D. 1. d.7. n.78. p.58.

Beneficiis, & dignitatibus habitis tempore admissionis Schismatis, Schismatici privantur, ibid. à n.79 p 52.

Beneficium à Schismatico collatum, nulliter collatum declarari debet, D. 1. d.7. numero 112. pag. 58.

Intellige, si fuerit notoriè Schismaticus, & declaratur, n.113. ibid.

Beneficiis privantur Hæretici, eorum Credentes, defensores, Fautores, & Receptatores, & filij, & nepotes eorum. Privantur, & dignitatibus, D.1.d 11. n.10. p.72.

Ad nullum beneficium, aut officium admittuntur Hæretici, & eorum descendentes, vsque ad secundam generationem, à n. 64 p.79.

Limitatur hæc pœna in Hæreticis pœnitentibus: & in linea fœminea, ad primam tantum extenditur generationem, n.66. ibid,

Parochiale beneficium obtinere non potest, qui ætatem 25. annorum non tetigerit, D.1.d.13. n.18. p.89.

Beneficium Parochiale, absque vlla præmissa monitione retinere non potest, qui intra annum ad Sacerdotium promotus, non fuit, ibid.

Beneficium, dignitatem, personatum, aut officium obtinens incompatibile cum alio iam possesso, statim ac illius possessionem apprehenderit, vel per eum omni dolo, & fraude cessantibus, quominus illam apprehendat, primum dimittere tenetur in manibus eorum ad quos illud conferri pertinuerit, sub pœnis privationis vtriusque, & inhabilitatis ad alia obtinenda, & ad Sacros Ordines suscipiendos, ipso facto incurrendis, D.1.d.13 n.11. ibid.

Beneficio ipso iure privatus, illud in alterius favorem resignare non potest; secus illo privandus à Iudice ob delictum, D.1.d.13. num.118. pag.112.

Privatus ipso iure beneficio non facit fructus suos, etiam ante sententiam criminis declaratoriam, n. 117. 118. ibid.

Omnia beneficia, & dignitates, ex Ecclesiæ intentione, ordinantur vt beneficiarius Divina celebret, & Sacramenta ministret, D.3.d. 1.n.6. pag.169.

Ius acquiritur in beneficium, sola collatione, & acceptatione, D.6.d.1. n.26.p.215.

Beneficium simplex, per se primo vsum Ordinum non requirit; sed Curatum, sic, D.11.d.16.n.21. pag.427.

Omni beneficio privatur Clericus ob homicidium, & mutilationem, D.11. d.16.p.426.vers. Episcopo.

Dispensari ab Episcopo potest vt simplex retineat, nisi in casu, quo ab alio iam fuerit impetratum. ibid. vers. Non teticeam.

Sed nec ad retinendum simplex dispensari potest, si occisio, vel mutilatio fuerit in Duello formali facta. ibid. n. 13.p.427.

Dispensari non potest ad retinendum Curatum, nec ad obtinendum simplex, sive in Duello, sive extra illud fuerit facta occisio, aut mutilatio. ibid. n.19.21. p.426.427.

Resignatio Parochialis per concubinarium facta, & in Roma expedita, antequam ab Ordinario privaretur, suum sortitur integrum effectum, D.12.d.3. n.17. p.483.

Si privatus resignat, pœna ad successorem non transit, n.18. ibid.

Exceptio apposita ante, vel post sententiam, suspendere non potest executionem privationis beneficij concubinarij, n.19.ibid.

Quando distributionibus, quando beneficij administratione privetur concubinarius, & quando non declaratur, n.13. 14. ibid.

Ad beneficia præsentari non possunt à Patronis Apostatæ à Religione, & si præsententur, præsentatio est nulla, & pro illa vice privantur Patroni facultate alios præsentandi, D.1.d.6.n.37. pag. 30.

S. Bernardus.

Contra eos, qui de bonis Ecclesiæ præter victum, & vestitum aliquid retinent, D. Bernardi sententia refertur, D.6. d 4. n.26.p.259.

Fundum B. Norberto dedit S. Bernardus, vt ædificaret Præmonstratem. D.6. d.7.n.4.p.267.

Blasphemia.

Consistit in derogatione alicuius excellentiæ bonitatis, Deo, Matri suæ, aut Sanctis debitæ, D.2. n.3. p.163.

Blasphemia, alia cordis, oris alia, n.4. ibid.

Blasphemia oris, est verbum maledictionis, convitij, aut contumeliæ in Deum, ex malo voluntatis affectu. Vel locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res Sacras per modum contumeliæ, n.4. ibid.

Committitur quando Deo, Sanctis, & rebus Sacris negatur, quod illis convenit; & quando eis conceditur, quod non convenit eis, num.3. ibid.

Quando Deus falsus adoratur, aut per eum quis iurat: quia Deo vero detrahitur, quod vnicus Deus sit, n.3. ibid.

Non vero committitur, quando verbum contumeliosum, aut convitium in Deipatam profertur, aut Sanctos, sine respectu, saltem virtuali in Deum: prout Dei mater, v.gr. aut Sancti fuot, n.7. p.164.

Publicè blasphemantes, si pœnitentiam eis iniunctam non fecerint, Ecclesiastica privantur Sepultura, n.3.2. p.163.

Interdicto ingressu Ecclesiæ, & alij puniuntur pœnis, num. 2. ibid.

Bona.

Pœna amissionis bonorum, seu illorum confiscatio, non obligat in foro conscientiæ reum, ante sententiam Iudicis, criminis declaratoriam, D.1. d.13. n.105. Et quare, n 106. p.108. 109.

Conventuum bona à Prælato expendi debent in Dei cultum, Monasterij vtilitatem, & in eleemosynas:

mosynas: non solum de superfluis, sed etiam de non superfluis; prudenter tamen iuxta Conventus facultatem, D.6. d.4. n.14. p.259.

Dicta Conventuum bona, qualiter debeant expendi, ostenditor, D.6. n.16. 19. p.169.

Prælati, & Conventus possunt inter se bona illorum dividere propria authoritate, sed revocabiliter, D.15. n 14. p.306.

Omnia Religiosorum bona, Monasterio debent esse incorporata, & Prælati administrationi subjecta, D.15. n.21. ibid.

Bona fortunæ, sont vitæ necessarium instrumentum, subsidium, & ornamentom, D. 11. d.3. num.5 6. p.390.

Privatione bonorum puniuntur Schismatici, D.1. d.7. n.1 14.115.116. p.58.

Privantur & Hæretici, D. 1. d.12. à n.57. p.78. Etsi Clerici illi sint, applicantur Ecclesiis, à quibus stipendia acceperunt, ibidem *vers. Hæc omnia.*

Bonum publicum.

Anteferri debet bonum publicum privato bono, D. 11. d. 3. n.88. p.397.

Bonifacius Papa VIII.

Doctissimus fuit, & librum sextum Decretaliom edidit, D 3.d.1. n.14. p.170.

Fuit creatus Summus Pootifex, Anno 1294. D.3. d.3, n 5. pag.173.

Breve.

Breve à Papa concessum, Bulla, Rescriptum, &c. reipsa idem sunt, D.1. d.14. n.87. pag.136.

Bulla.

Idem est quod Breue, & Rescriptum, D.1. d.14. n.87. ibid.

Bulla Cœna.

Excommunicat Schismaticos, absolutionem reservando Papæ, D.1. d.7. n.46. p.45.

Excommunicat Hæreticos, &c. cum eadem reservatione, D.1.d.14. n.141. pag.148.

Absolutionem solum prohibet Hæresis, &c. quando publica sunt D.1. d.14. n.142. ibid. n.153, pag.151.

Bulla Cœnæ, non est à Iure, sed ab homine; non tamen expirat morte Papæ, illius conditoris, D.1.d.14. n.2. p.118.

Vltimo publicata valet, & nulla ex præcedentibus ibid. n. 3. ibid.

Bulla Cœnæ, & Concilium Tridentinum benè conciliari possunt, ad effectum, vt istud non revocetur per illam, D.1.d.14. n.141. 142. p.148. n.153. p.151.

Non derogat Bulla Cœnæ, Bullæ Cruciatæ in aliquo illius privilegio, ibid. n.145. p.149. n.155. pag. 151.

Non derogat Inquisitorum privilegiis, ibid. n.147. pag.149. n.153. p.151.

Antiquis Episcoporum privilegiis non derogat, ibid. n.149. p.150.

Non revocantur per Bullam Cœnæ privilegia Regularium, in specie concessa ad absolvendum à casibus eiusdem, sed concessa in genere ad absolvendum à Papæ reservatis, ibid. n.184.187. p.158.159.

Nonnulla recensentur in favorem Bullæ Cœnæ, pro Concilij Tridentini revocatione, quoad *sess.*24. c.6. D 1.d. 14. n.152. p.151. Fit tamen eis satis, ibid. à n.153. ad 159. ibid.

In generali concessione casuom ad Papam spectantium, non veniunt, quæ in Bulla Cœnæ continentur; & è contra, in generali revocatiooe privilegiorum, non illa veniunt, quæ ista concedunt, ibid. n.184. 185. 186. p.158.159.

Huius Bullæ tenor recensetur, D.1. d.14. num.9. 10.11. p.119.120.

Bulla Cruciatæ.

Quid operetur clausula apposita in ista Bulla: *in articulo mortis*: declaratur, D.1. d. 14. n. 127. 130. p.144.145.

Conceditur ista Bulla per modum onerosi contractus, D.1.d.14 n.146. p.149.

Est privilegium personale, num.145. ibid.

Non derogat vllo istius Bullæ privilegio, Bulla Cœnæ, ibid. n.145. p.149. n.153. p.151.

Pro Bullam Cruciatam sumentibus, revalidantur Regularium privilegia, D.4. n.39. p.185.

Qui illam non habet in Regnis Hispaniæ, si laici, sæculares sint, non gaudent Regularium privilegiis Interdicti tempore, quoad officia Divina, & Sepulturam; nisi necessarij sint, vt ministrent Sacerdotibus, ibid.

Idem est, de famulis, & Donatis Regularium, si animum non habent perseverandi, ibid.

Per Bullam Cruciatam non suspenduntur privilegia ad celebrandum tempore interdicti in aliquibus festivitatibus, D.4. n.40. ibid.

Qui in Regnis Hispaniæ Cruciatam susceperint, poterunt interdicti tempore cum moderata tumulari pompa: & quænam ista sit, n.37. ibid.

Concessio ista locum habet, tam in interdicto personali, quàm in locali, generali & speciali, n.38. ibid.

Facultatem non facit sepeliendi tempore Cessationis à Divinis, sed Interdicti, D. 4. d.7. n.9.10. pag.197.

Recensetur Cruciata, quoad facultatem, quam Confessariis confert, D.11.d.17. n.39. p.433.

Circa facultatem absolvendi in vim Bullæ Cruciatæ, vide verbo *Absolvere.*

C

Canonici.

Voce activa in Capitulo privantur Canonici, si Subdiaconi saltem non sint, & si infra annum post adeptam possessionem se promoveri non fecerint ad Ordines, quos exigit eorum dignitas, personatus, officium, vel præbenda, D.1.d.13. n.15.16. p.88.

Capere.

Apostatas, & Fugitivos capere potest Prælatus Regularis vbi, etiam auxilio brachij sæcularis invocato, D.1.d.6. n.12. p.27. Et tenetur, n.40. p.30.

Quilibet rem, quam possidet, vbicumque illam invenerit vendicare, & capere potest, ibid. n.22. p.27. n 32. p.29.

Servuum suom vbique capere potest Dominus, si fugiat, n.12. p.27.

Capi qnis potest vbique, illius, cui subest, authoritate, n.22. ibid.

De manibus qoorumcumque capi possunt, qui aliis perpetuam debent obedieutiam, n. 22. ibid.

Capitulum Sede Vacante.

Absolvere potest ab omnibus Bullæ Cœnæ casibus, & dispensare in vim Tridentini, si occulti sint & ad forum contentiosum non deducti, D. 1. d.14. n.160. 161. 162. p. 152.

Succedit Episcopo in eis, quæ ei competunt iure speciali ordinario; non in eo, quæ iure speciali delegato, num.160. 161. ibid.

Character.

Est signaculum quoddam indelebile, animæ impressum, in quo spiritualis potestas traditur, D.1. d. 7. n. 30. p. 43. Vel est, quædam qualitas in anima impressa, per quam quis disponitur ad facilius gratiam Dei recipiendum, n.31. ibid.

Nunquam iterari potest, n.31. 32. ibid.

Carcer.

Carcere, & dura custodia punitur Schismaticus, D.1. d 7. n.117. p.59.

Puniuntur etiam Apostatæ à Clericatu, & Ordine Sacro, & à Religione, si induci nequeant blanditiis, aut minis, vt habitum dimissum reassumant, donec resipiscant, D.1. d.6. num. 34. pag.30.

Apostatæ à Religione, incarcerari debent ab Episcopo, & Superioribus suis consignari, num.40. ibid.

Carnifex.

Eo modo tenetur occidere, quo Iudicis declarat sententia, & alio non potest diverso, D.11. d. 3. n.83. p.396.

Peccat, si hostis rei est, & causa explendi odij, eum occidit, n. 83. ibid.

Caro.

Carthusianis sub mortali culpa prohibetur, etiamsi non comedendo illam deberent mori, D. 11. d.3. n.88. p. 397.

An habere possit delectationem morosam de esu carnium, sine peccato. D. 6. d. 24. numero 6. pag. 343.

Carthusiani.

Vide verbo *Caro.*

Casus Episcopales.

Quando cuicumque Parocho in Constitutione Synodali conceduntur, desinunt esse Episcopales, seu Episcopo reservati; non autem quando ab ipso, Parocho particulati committuntur, D. 11 d.17 num.43. *vers. Et confirmatur. Quia* pag.433.

Regulares Confessarij possunt absolvere à reservatis Episcopis Diœcesanis, iure communi, D.11. d.17. n. 46. p.434.

Probabile est posse hodie absolvere ab his, quos Episcopi sibiipsis reservant, n.47. p.435.

Casus Papales.

Casus quinque sunt in quibus rei, ad Sedem sunt Apostolicam pro absolutione, aut dispensatione destinandi, D.1. d.14. n 174. p.156. & n. 185. pag.159.

Quando in generali Constitutione omnibus Episcopis in perpetuum casus Papæ reservati conceduntur, desinunt esse Papales; secus si alicui particulari concederentur Episcopo, D.11. d. 17. n 43. p 433.

Omnes casus Papæ reservati, si occulti sunt, Episcopales redduntur. ibid. n.46. p.434.

De absolutione à reservatis Papæ, plura require verbo *Absolvere.*

Nullus casus datur Papæ reservatus, nisi ratione censuræ, D.11. d.5. n.21. p.401.

Cathecumenus.

Contra Fidem sentiens Cathecumenus, Hæreticus est coram Deo, non verò coram Ecclesia, D.1. d.1. n.3. pag. 4.

Cathecumenus habetur pro fidele, D.1. d.11. n.11. p.69.

In loco sepelitur sacro. Eodem n.12. ibid.

Causa.

Alia est causa per se. quæ scilicet essentialem habet connexionem cum effectu, sine quo esse non potest, D. 12 num.92. p.472.

Alia est causa per accidens, quæ talem connexionem non habet, sed potest esse sine effectus, ibid.

Causæ continentia dividenda non est, D. 12. d. 5. n.9. p.488.

Censura Doctrinæ.

Diffinitio Doctrinalis, & Magistralis, & Censora assertionum, propositionum, seu doctrinarum in rebus Fidei, ad Theologos, non ad Canonistas pertinet, D.1. d.14. n.57. p.131.

Censura Ecclesiastica.

Censuræ Ecclesiasticæ tres sunt species. Excommunicatio, Interdictum, & Suspensio, D. 4. n.12. p.139. D.11. d.16. n.9. Vbi contra Cornejum, & Ledesmam, p.425.

Censura Ecclesiastica significat pœnam eius generis, vt sola potestate Ecclesiastica ferri possit, D. 4. n. 13. p.179.

Pœna ista, in privatione consistit rei spiritualis. Eodem n.13. ibid.

De essentia censuræ est, vt sit pœna medicinalis, quæ posita resipiscentia auferatur, D.11. d. 16. n.9. p.425.

Cerynthus Hæreticus.

Hæreses Cerynthi recensentur, D.1. d. 10. num.7. pag. 67.

Cessatio à Divinis.

Alia est, quæ fit ex privilegio concesso Collegio, Capitulo, aut conventui alicui erga Ecclesias proprias, vel alienas, pro repellenda iniuria Communitati irrogata, D.4. d.7. n.1. p.196.

Alia est, quæ à Superiore imponitur, iurisdictionem habente contentiosam, n.2. ibid.

Cessatio, in secunda acceptione, est pœna privans omnibus Divinis laudibus in Ecclesia, imposita ad correctionem iis, qui satisfacere nolunt, n.2. ibid.

Cessatio ista, alia generalis, & alia particularis sicut Interdictum, n.3. ibid.

Cessatio, & Interdictum in multis differunt, ibidem,

ibid. à num.4. & num. 10. pag.197.

Cessatio à Divinis, non est Censura Ecclesiastica, n.5. ibid.

Nulla cessatio à Divinis est in Iure expressa, ibid. n.7. p.196.

Irregularitas non incurritur per violationem Cessationis à Divinis, ibid.n.6.

Sacrum audire nequit tempore Cessationis à Divinis, qui privilegium habet audiendi illud tempore interdicti: in vim scilicet dicti privilegij, ibid. n.9.p.197.

Cessatio à Divinis, non privat omnibus, quibus Interdictum, ibidem num.15.p.198.

Probabile est, posse fideles, secluso omni privilegio, tempore Cessationis à Divinis tumulari, omni omissa solemnitate, ibid. n.14. p.197. & n.16. p.198.

Cessatio à Divinis, est quid facti, non quid iuris. Vnde illam alleganti, onus incumbit probandi, ibid.n.7. p.197.

Quæ tempore Interdicti fieri possunt in vim Iuris communis, & privilegiorum Regularium, fieri possunt tempore Cessationis à Divinis, ibidem, n.8.12. 13. ibid.

Quæ possint Regulares, Cessationis à Divinis tempore, demonstratur, D.4. n.28.p.181.n.29. 31.p.1.183. & n.32. p.184.

Suspendere possunt Cessationem in diebus pro suo Ordine concessis; sed non possunt in eisdem festis illam suspendere alij Regulares, illius Ordinis privilegiis gaudentes, D.4. d.11.à num.1. pag.216.

Possunt tamen sic communicantes, in similibus festis propriis, illam suspendere, etiamsi ad id speciale non habeant privilegium, ibid. num.2.5.

Omnes Religiones communicantes in privilegiis, suspendere illam possunt in festivitatibus omnibus illis communibus, etiamsi speciale non obtineant privilegium, v.gr. in diebus V. Mariæ. S. Ioannis Baptistæ, Sanctissimæ Trinitatis, &c. ibid. n.6.7.

Cessio Iuris naturalis.

Iuris naturalis cessio, legitima est ob bonum commune: & obligat ad mortale, D. 11. d.3. n.88. pag.397.

Charitas.

Vbi Charitas non est, non potest esse Iustitia, D.1. d.7.n.7. p.38.

Quæ pro Charitate instituta sunt, contra Charitatem militare non debent, D.6. d.9. num.41. pag. 281.

Aliqua sunt Charitatis officia, quæ Religiosos non decent, D.6. d.12. n.5.p.291.

Hone ordinem servare præcipit Charitas: vt primò Deum diligamus, Secundò, animas nostras. Tertiò, proximi animam. Quartò, corpora nostra. Quintò, corpus proximi, D.12. d. 2. n.5. pag. 479.

Cibus.

A cibo abstinere, nemo obligari potest, in pœnam delictorum, etiam ex Iudicis sententia, D.1 d.13.n.45. p.95.

Potest tamen, si velit, data sententia, num. 61. p.98.

Citatio.

Est medium necessarium, ad declarandum, aliquem crimen commisisse, D. 10. num. 22. p.367.

Episcopus citare non potest Regularem exemptum: neque ab eo citatus, ligatur censura, si non compareat. Decet tamen comparere, & allegata exemptione, & proposita fori declinatoria, recedere; sed non tenetur, ibid.n.25.p.367. & n.37. p.369.

Citare eum potest in aliquibus casibus, & comparere tenetur, n.36. ibid.

Claues Ecclesiæ.

Duos vsos habent: principalem, & primarium vnum; alium secundarium. Ille consistit, in solvere, & ligare in foro pœnitentiæ; iste, in excommunicare, suspendere, & à censuris absolvere, D.1. d.14. n.61. p. 132.

Clausula.

In vna dispositionis parte posita, ad omnia in dispositione contenta refertur, si eadem est omnium ratio, quæ in dispositione continentur, D.1. d.14. n 95.p.138.

Clausula: *Altari, nullatenus appropinquent*: quomodò intelligatur, ostenditur, D. 4. num. 24. p.181.

Clausula: *Submissa voce*: quomodo intelligatur in facultatibus concedentibus Sepulturam, interdicti tempore, D.4. d.2. n.6. p.188.

Clausula: *Ianuis clausis*: in huiusmodi apposita facultatibus, quid importet, ibid. num.7. *versic. Quoad Clausulam*. p. 189.

Clausula: *Quatenus sunt in vsu*: in privilegiis quomodo intelligenda sit, D. 4. d.8. num.19. pag.204.

Clausula: *Dummodò Decretis S. Concilij Tridentini non adversentur, &c.* quomodo in confirmationibus privilegiorum intelligatur, ibid. n. 40. p.205.

Ista clausula, non obstat quominos confirmentur, quæ Concilio contrariantur, dummodò expressè ab illo non revocentur, ibid. n.40.

Clausula: *Et Sacris Canonibus, &c.* in dictis addita privilegiorum confirmationibus, intelligitur solum de Canonibus Concilij Tridentini; non verò de Iuris antiqui Canonibus, n.41.ibid. p. 206.

Clausula: *Ex certa scientia, & ex plenitudine potestatis*: significat Papam velle operari quidquid potest, supra Ius, & contra Ius, n.42. 43. 44. ibid.

Habet ista clausula, vim novæ concessionis privilegij confirmati, n.42. 43.44. ibid.

Recensetur varij istarum clausularum effectus, ibidem, num. 43. & D. 11. d.17. à num. 164. pag.553.

Clausula: *Qui aliquid attentaverit*: facit aliquando hunc sensum: *Qui semel attentaverit*, D.15. n.6. p.571.

Clausura.

Monialibus à Monasteriis egressis, nisi ex causa magni incendij, infirmitatis, lepræ, aut Epidimiæ, & Prælatis licentiam exeundi concedentibus, ac eas comitantibus, & earum rece-

ptatoribus, pœna privationis dignitatum, officiorum, & administrationum inflicta est ipso facto quo non obstante, requiritur sententia, criminis declaratoria, partibus citatis, D.1.d.13. n.71.72.75. p.102.

Monasteria Regularium virorum, ingredi possunt Imperatrices, Reginæ, earum filiæ, ac familiæ ancillæ, eas de more associantis. ibid. n.81. p.104.

Omnes, etiam mulieres, ingredi possunt ad Claustra, Capitulum, & alia loca interna, Regularia, quando in eis Missæ, aut alia Divina celebrantur; quando processiones fiunt, aut Fideles tumulantur; & quando suffragia pro eis fiunt: quando concionatur: quando lotio pedum fit in die Iovis Sancti: & quando propter concursum populi, commodè ingredi, & egredi non potest per principalem Ecclesiæ portam, n.82.85. ibid.

Post finitum Officium, intra Monasterium, per breve temporis spatium, licitè possunt permanere, quadam curiositate, officinas visitando, n.86.ibid.

Non possunt fieri processiones extraordinariæ, vt illarum occasione, ingredi possint mulieres Monasteria, n.83. ibid.

Mulier Monasterium Virorum ingrediens quando ei licet, etiamsi malo ingrediatur fine pœnas Apostolicarum Constitutionum non incurrit: sicut nec vir in Monasterium Monialium: & sicut nec receptatores. Quia Ecclesia de intentione non iudicat, vtpote occulta. num.84. ibidem.

Regularibus prohibetur, ne præsumant mulieres intra Monasteria admittere, aut mittere, sub pœna Suspensionis à Divinis, Excommunicationis Papæ reservatæ, & privationis Officiorum, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia, ipso facto inflicta Prælatis, Monachis, Canonicis, & Fratribus eorundem Monasteriorum, ibid. n.71.72. p.102. & n.78. p.103.

Pœna inhabilitatis obligat in conscientia ante criminis declarationem, sicut Excommunicationis, & suspensionis pœna; secus pœna privationis, quæ requirit citationem, & sententiam criminis declaratoriam, n.71.72. p.102.& n.78. pag.103.

Clemens III.

Clemens Papa III. creatus fuit Anno 1159. D.5. d.3. n.5.p.173.

Clemens V.

Creatus fuit Summus Pontifex Anno 1305. nomero 7. D.5, d. 3. num. 5. ibid.

Clemens VIII.

Decretum huius Pontificis circa paupertatem Religiosam recenscetur, D.6. d. 2. num.4.& seqq. pag.233.

Innovatur hoc Decretum ab Vrbano Papa VIII. & à Congregatione Concilij. ibid. à n. 16. ad 21. p.234.

Bis in Anno debet hoc Decretum publicè legi, ibid.n.19. p.235.

Decreto Clementis VIII. circa Novitios recipiendos derogatur, ibid. n.18.pag.234.

Clementina Ne in agro.

Recensetur Clementina *Ne in agro Dominico* de statu Monachorum, D.15. d.3. n.1.p.548.

Non magis Monachos obligat Clementina ista, quàm Sancta Regula, ibid. num.11.14. 15. 17. p.549.550.

Præceptum non continet, ibid. n.12. 17.18. 19. quoad Confessionem menstruam, ibid.

Solum Monachos comprehendit Nigros, ibid.n. 25. p. 552.

Clerici.

In Hæresim lapsi, degradati à suis Ordinibus, brachio traduntur sæculari puniendi, D.1.d.12. n.59.*vers. Hæc omnia* p.78.

Clerici omnes Regulares, & sæculares, etiam prima Tonsura initiati, beneficium aliquod, pensionem, vel aliquod aliud emolumentum Ecclesiasticum percipientes, Tonsuram, & habitum Clericalem, & si Milites sint suæ Militiæ habitum proprium non gestantes, mortaliter peccant, & ipso facto privantur omnibus quibuscumque dignitatibus, beneficiis, Canonicatibus, Præbendis, Administrationibus, Officiis, proventibus, & quibuscumque rebus, & iuribus Ecclesiasticis, D.1.d.13.n.87.p.105.

Requiritur tamen declaratio criminis per Iudicem facta. ibid.

Ad simplicem Clericatum eligi non licet, excommunicatum, minori Excommunicatione. Quia Clericatus assumitur tanquam medium ad Ordinum susceptionem, & Sacramentorum, quorum susceptione est ipso iure privatus, D.3.d.1. n.6. p.169.

Sub nomine Clericorum, Religiosi vtriusque sexus, in favorabilibus veniunt, D.4.n.10.p.178.

Clerici, in Ecclesiis eo numero, in quo sustentari commodè possint, poni debent, D.6.d.23.n.1.2. 3. p.534.n.27.33.p.538.539.

Clerici fornicarij, si post trinam monitionum eum eisdem fabulati, & aliquomodò conversati fuerint, excommunicandi sunt, & etiam illorum concubinæ, D.12.n.23.p.464.

Concubinarij in Sacris constituti, suspendendi sunt, & interdicendi, & si ad Concubinas redierint, vel alias receperint, excommunicandi sunt donec resipiscant, n.25.26. ibid.464.465.

Privandi sunt officio, & beneficio, etiam in Sacris non constituti, n.27.29.38.39. p.464. 465.

Post suspensionem tamen, & trinam monitionem, n.30.33.ibid.

Interdicto ingressus Ecclesiæ feriuntur Clerici in Sacris concubinarij, donec resipiscant, numero 36. p. 465.

Per solam emendationem, hoc tollitur interdictum, ibid.n.37.p.465.

Varia Conciliorum Decreta, contra Clericos recensentur Concubinarios, à num. 39. ad 48. ibid.

Missam Clerici concubinarij audire probibuit Concilium Romanum, ibid. n.21. 22. p. 464. n. 34. 35. 36 .p. 46.

Clericus concubinarius notorius, si vsque ad mortem impœnitens sit, Sepultura privatur, non qua concubinarius, sed qua impœnitens, à n.1.p.461.

Cohabitatio.

Iure cohabitandi cum coniugibus privantur Hæretici, D.1. d. 12. num.55.pag.77.

Colle

Collegium.

Commissi.

Commodatum.

Communicare. Communio.

Communitas.

Compensatio.

Concedere. Concessio.

Concilia.

Confiteri.

Confirmatio.

Confiscatio.

S. Congregatio Cardinalium.

Declarationes intellectæ, & receptæ. ibid. n. 78. pag. 241.

Coniugium.

Datum est, vt quis non delinquat cum aliena, aut cum non sua. D. 12. n. 17. p. 463.

Conradus Cardinalis.

Ex Monacho Benedictino, & vir sanctus, instante morte pronunciavit. *Vtinam vsque in hanc horam in Villario, sub disciplina vixissem Regulari, & cum culina hebdomadarijs, ibidem scutellas abluissem.* D. 18. n. 2. p. 555.

Consanguinitas.

Quædam ratione consanguinitatis tolerantur, quæ aliàs non tolerantur. D. 1. d. 5. n. 60. p. 21.

Consanguineum, qui favet Hæretico, præsumitur illud fecisse affectione sanguinis. ibid.

Consecratio.

Consecrare non possunt Schismatici, nec consecrari. D. 1. d. 7. n. 8. p. 38.

Consilium.

Abbas, attenta Regula sancta, consilium petere, non tamen sequi tenetur. D. 6. d. 7. num. 5. pag. 267.

Attentis tamen Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis, vota decisiva Patrum sequi debet, si prævaleant. ibid. n. 6. & 7 p. 268.

Consilium differt à mandato, quia in gratiam illius, cui datur, imponit vim, & obligationem; mandatum autem vim iniungit, & obligationem in mandantis gratiam. D. 11. d. 8. num. 5. pag. 412.

Consilij revocatio quot modis fiat, & quot exequatur, post revocationem, modis. ibidem num. 12. p. 413.

Quando efficax, & quando inefficax sit, consilij revocatio. ibid. n. 13.

Efficax consilij revocatio, excusat consulentem à pœnis, consulentibus inflictis. ibidem, numero 14.

Consulens, qui certo scit revocationem suam efficacem fuisse, & credit alterum in facinore progressurum, tenetur ex charitate periclitantem monere. ibid. n. 15.

Tenetur etiam ex iustitia, quando probabiliter credit, alterum suo consilio moveri, ad facinus perpetrandum. ibid. n. 16.

Consilium revocans, si putat alterum non credere, ex animo illud revocare, quid facere teneatur. ibid. n. 18.

Quando constat revocationem consilij ex animo etiam factam, & debitis diligentijs adhibitis, non fuisse efficacem, eo quod alter crederet non fuisse ex animo revocatum, consulens incurrit pœnas consulenti inflictas. ibidem, numero 19.

Consulens iniuriam, esto ante executionem pœniteat, & confiteatur, omnes pœnas consulenti inflictas incurrit, & ad restitutionem tenetur. n. 20. p. 413.

Qui tempestivè, & debitè revocavit consilium, ita vt alter, secundum prudens iudicium, rationem non habeat dubitandi, quin ex animo fuerit revocatum, nisi de contrario aliquo modo constet, in neutro foro pœnas incurrit. n. 22. pag. 414.

Id constat, I. si executor constanter asserat se consilio fuisse motum, nec fiot rationes suspicandi, eum mentiri. II. si ipse ex se non fuerit proclivis ad facinus illud. n. 23. ibid.

Qui verum dedit consilium, quantumcumque conetur facinus dissuadere, si hoc perpetretur, nisi de contrario constet, in vtroque præsumitur foro, fuisse consilio motus. ibid. num. 24. pag. 414.

Constitutio.

Vt Constitutiones Pontificiæ vbique terrarum obligent, saltem post duos menses sufficere; vt Romæ publicentur, docent plures. D. 4. dub. 8. n. 20. p. 203.

Plures etiam docent, nec illas, nec imperiales, & civiles obligare, nisi in singulis Diœcesibus, & Provinciis publicentur. ibid. n. 21. 22.

Constitutiones Pij V. *Ad exequendum*, & *Cum intra mentis nostræ arcana*, & *Etsi Mendicantium Ordines*, revocatæ non sunt per Gregor. XIII. ibid. à n. 15. p. 201.

Constitutio *In tanta rerum* Gregor. XIII. publicata fuit. ibid. n. 19. p. 203.

Dicta Gregoriana, Pianis non derogat Constitutionibus, à n. 15. ibid.

Ab eodem Gregorio confirmata est Constitutio *Etsi Mendicantium*, post publicationem suæ Constitutionis *In tanta*. ibid. n. 27. p. 204.

Concedit Constitutio *Etsi Mendicantium* Regularibus, quoad interdicti suspensionem, facultatem, quam Concilium sustulit. ibid. numero 28.

Constitutiones Apostolicæ de Paupertate tractantes Religiosa, receptæ, & intellectæ eodem modo sunt, ac Decretum Concilij Tridentini circa eandem Paupertatem. D. 6. d. 2. num. 78. pag. 241.

Constitutiones Canonicæ simpliciter loquentes, ad Religiosos extenduntur. D. 16. n. 6. p. 553.

Consuetudo.

Quæ contra Fidem Catholicam non existit, permanere conceditur. D. 1. d. 7. n. 94. p. 54.

Consuetudo dare non potest iurisdictionem, quando vsurpatur insciis iis, qui eam dare possunt. D. 1. d. 14. n. 85. p. 136.

Consuetudo est optima legum interpres. D. 11. d. 17 n. 84. p. 441.

Consuetudo nulla subsistit contra Ius divinum. D. 23. n. 3. p. 565.

Consuetudo fortior est pacto: & facere potest, quidquid pactum facere valet. D. 23. d. 1. n. 2. pag. 566.

Per consuetudinem introduci potest quidquid per privilegium. n. 5. ibid.

Contractus.

Est actus externus inter duos, aut plures, ex consensu ipsorum vltro, citroque obligationem pariens. D. 1. d. 6. n. 24. p. 18.

Contractus per Hæreticum facti ante sententiam criminis declaratoriam, validi sunt. D. 1. d. 13. n. 97. p. 106.

Decima

Tertiò defendit, qui captum liberat, num. 7. ibid.

Defendit quarto, qui facit vt in tuto viuat Hæreticus, ibid.n.7.

Quintò defendit, qui muneribus, dolo, aut potentia, ne puniatur, aut condemnetur procurat, n.7. ibid.

Sextò, qui curat ne denuncietur, aut accusetur, vel ne eius prava dogmata ad Iudicem deferantur, ibid.n.7.

Septimò, qui curat, ne Hæreticus examinetur, aut interrogetur, in Hæresis causa, n.7. ibid.

Defendit octavo, qui quavis ratione Inquisitorum functionem in Hæreticali impedit causa, dicto, n.7. ibid.

Qui innocentem defendit, quem vt Hæreticum quærunt Inquisitores, non est in foro interno defensor, sed in externo, vt talis punietur, n.8. ibid.

Defensor censetur, & vt talis punitur Advocatus, Actuarius, & Procurator, qui nisi de Inquisitorum authoritate in iudicio Hæretico patrocinatur, n.9. p.12.

Qui defendit, quem credebat esse Hæreticum, vt defensor punitur, & abiurare cogitur: peccat que graviter; sed excommunicationem non incurrit, si defensus non est Hæreticus, num.9. ibid.

Gravius defendit, qui cum armis, quàm sine illis: gravius qui vi adimit Hæreticum de capientium manibus, quàm qui voce mouet vt fugiat, &c. n.10.11.p.12.13.

Defensores Hæreticorum, eisdem plectuntur pœnis, ac eorum Receptatores, n.10.p.12.

Defensor Schismatici est, qui personam in Schismatis defendit causa, vel ipsum Schisma D. 1. d.8. n.5.p.62.

Defensor Schismatici non est, qui aliquem defendit in causa iusta litis, aut in aliis extra Schisma delictis, ibid. n.5.

Defensor Schismatici, ob Schismatis causam, multiplex, n.6. ibid.

Qui inquisitum, vt Schismaticum, defendit sciens talem non esse, non est in conscientiæ foro, defensor Schismatici; sed in externo, defensor iudicabitur, ibid.n.7.

Defensores Hæreticorum, excommunicationi Papæ reservatæ subiacent, D.1. d.12. à num. 1. ad 10. p.69.

Defensores Hæreticorum, & eorum descendentes vsque ad secundam progeniem, non admittuntur ad consilia, electiones, honores, & officia, ibid, à n.16. p.71.

Ex improviso oppressi, & inuasi, authoritate propria se defendunt, publica authoritate præcipiente, aut permittente, D.11. d.3. num.10. pag. 387.

Vnicuique licet se defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ab iniusto aggressore, etiam cum morte illius, si aliter mortem suam vitare nequit, ibid. n.32.33. pag.388.

Degradatio.

Realis Degradatio, quibus vocatis fieri ab Episcopo debeat: D.1.d.18. n.61. p.79.

Clericus in hæresim lapsus pertinax, & relapsus, Degradationis realis pœnam incurrit, ibidem.

Perpetuam causat inhabilitatem vsus Ordinis, Officij, & beneficij, retentis privilegiis Canonis, & fori, realis Degradatio, D.11.d.16.n.10. pag 425.

Privatur his privilegiis Canonis, & Fori degradatus, quoties brachio traditur sæculari, num.11. *versic. Circa ea* p. 426.

Degradatio, alia est realis, & verbalis simul, & alia verbalis solum. Realis, à solo Episcopo fieri potest, n.10.p.425.

Forma degradandi recensetur, num.10. 11.p.425. 426.

Iustè, & rectè degradatus, à solo Papa restitui valet, si degradatus realiter sit, num. 12. pag. 426.

Ante realem insignium ablationem, potest ab Episcopo dispensari: & post ablationem etiam, si deprehendatur iniustè fuisse degradatum, num. 12. ibid.

Delectatio morosa.

Participat de obiecto pravo, malitiam eiusdem speciei, ad summum, quando malitia obiectiva, de qua sumitur delectatio, est intrinsecè mala; non autem quando est mala, quia prohibita, D. 6. d.24. num.1. 2. 3. 4.5. 8. pag.343. 344.

Delectatio morosa de Dominio, aut de independente rerum vsu, in Religioso, mortalis non est, nec de esu carnium in Carthusiano, dummodo excludat propositum agendi contra votum, & periculo agendi non se exponat, ibid. n.2.3.4.6.9.

In his, quæ iure naturæ non sunt prohibita, sed voto, aut iure positivo, potest per rationem præscindi, quod ante prohibitionem erat licitum, & provt sic, in eo mente delectari, sine culpa lethali, ibid. n.18. p.344.

Morosa delectatio tunc datur propriè, quando plenè advertis opus esse illicitum, etiam sub dubio, si voluntas consentiat, & delectatio positivè placeat, etiam per brevissimum tempus, ibid. num.11.

Discrimen assignatur inter delectationem de re intrinsecè mala, & de re mala, quia prohibita, ibid. n.5.6.9. p.343. 344.

Delegatio.

Quoties tanquam Delegato conceditur potestas, licet in perpetuum dignitati aut Officio concedatur, delegata est, non Ordinaria, D.1. d.14. n.161. p.152.

Quæ ex speciali delegatione ad aliquem pertinent, industria exigente personæ, alteri committi non possunt, D.11.d.17. num. 41. p.433.

Delicta.

Delicta omnia extinguuntur per mortem, exceptis criminibus Hæresis, & læsæ Maiestatis, D.1. d. 12. n.91. 98. p.84.

Delictum alienum occultans, suum illud facit, D.1. d.5.n.48.p.20.

De nemine præsumendum est, delictum commisisse, D.8.n.8.9. p.354. num.11. 18. p.355. & n.41.p.356.

Delictum non est, vbi deest culpa, D.11.d.5 n.28. pag.402.

Deposita

Depositarius.

Depositio.

Detractio.

Deus.

Dictiones variæ.

qualitate: de dolo scilicet, & malitia, ibid. n. 101. pag. 107.

Pratextus, regulariter fictam significat causam, non veram. Estque quoddam velamen, quo quis se moveri simulat ad aliquid faciendum cum tamen alia moveatur causa, D. 1. d. 14. oum. 12. pag. 120.

Quicumque, ita vniversalis est dictio, vt omnia includat, etiam casus improprios, & personas omnes, & nihil excludat, D. 1. d. 14. num. 124. pag. 143.

Quoque, propositiones Symbolas connectere debet, vel affirmanses scilicet, vel negantes, D. 14. d. 3. n. 29. p. 507.

Scienter, omnem ignorantiam etiam culpabilem excludit, D. 1. n. 8. p. 2. d. 13. n. 23. p. 90.

Solitus est, qui bis saltem aliquid fecit, D. 2. d 4. num. 9. p. 485.

Sponte, exeludit necessitasem inevitabilem, non quæ evitari potest, D. 11. d. 16. n. 5. p. 425.

Statuimus, legem novam condere demonstrat. D. 11. d. 17. n. 5. p. 428.

Dictiones *Toties quoties*, in privilegiis, & facultatibus contentæ, discretum, & prudentem significant vsum, D. 1. d. 13. oum. 83. pag. 104.

Dictio *Translatio*, quid importes, D. 4. d. 10. nom. 1. p. 212.

Videtur, dictio, in plurimum nihil enuntiat assertivè, sed dubitativè, aut examinativè: sub ea DD. mentem proponunt suam, D. 1. d. 14. num. 110.

Volumus, demonstrat nouum ius induci, D. 6. d. 8. n. 13. p. 271.

Dictio futuri temporis, v. gr. *Non innetur*, non importat sententiam latam, sed ferendam, D. 1. d. 6. num. 14. pag. 26.

Dignitas.

Dignitate caret, qui eam à Schismatico notorio, & declarato obtinuit, D. 1. d. 7. à n. 111. p. 58.

Dignius.

Ad se trahit minus dignum, D. 12. d. 15. n. 8. *versic. Quod vtique* p. 488, & n. 9. ibid.

Discretio.

Virtutum omninm mater, Discretio est, D. 6. d. 8. num. 14. p. 271.

Dispensare Dispensatio.

In lege Superioris inferior dispensare non potest, D. 1. d. 7. n 97. p 55.

Probabile est Schismaticum occultum pœnitentem, & Ecclesiæ reconciliatum, dispensatione non indigere, D. 1. d. 7. n. 99. ibid.

Dispensatio ad Episcopum spectat, non ex Iure, sed ex praxi, & consuetudine præscripta, super impedimento ad petendum debitum coniugale, orto post matrimonium, ex re habita cum cognata spirituali, aut affine, D. 1. d. 13. n. 110. pag. 113.

Dispensare possunt, etiam hodie, Prælati nostri locales, & Monachi ab ipsis deputati; cum incestuosis, ibid. à n. 121. Non est revocata Eugeniana, n. 140. & seqq. p. 116.

Immo, & Confessarij Mendicantium deputati à suis Superioribus, dispensare cum incestuosis possunt, servatis aliquibus conditionibus, ibidem, à num. 126. ad 132. pag. 114. & n. 147. pag. 118.

Dispensare possunt nostri, in propriis Ecclesiis, in omnibus casibus, & votis, etiam Ordinariis reservatis, cum quibuscumque ad eos confluentibus, aut ibi commorantibus, præter casus, de quibus merito Sedes Apostolica esset consulenda: & præter casus, de quibus ipsis ad Ordinarium videbitur recurrendum, ibid. n. 121. 122. p. 113. 114. D. 11. d. 17. n. 52.

Nulla dispensatio, sine causa fieri potest, ibid. D. 1. d. 13. n. 133. p. 115.

Sufficiens causa dispensationis cum incestuoso, super inhabilitate ad petendum debitum est, vt ille iuvenis sit, & non possit se abstinere à debiti petitione, ibid. n 135.

Super quibus valeans dispensare Prælati Regulares, etiam locales, cum subditis suis, & hospitibus, Ordinis, declaratur, D. 1. d. 14. n. 165. & seqq. vsque ad 181. p. 154.

Super occultis per accidens, ptovt distinguuntur à probabilibus, dispensare possunt Episcopi, & Regulares Prælati, cum suis respectivè subditis, D. 12. n. 99. p. 473.

Concilium Tridentinum non tollit privilegia Regularibus concessa ad habilitandos illegitimos ad suas Regulares Dignitates, & gradus, D. 12. d. 6. n. 27. p. 491.

Episcopus dispensare potest cum Clericis vsurariis, pœnitentia, & restitutione facta, super suspensione ab eis contracta, D. 14. n. 26. p. 499.

Distinguere.

Vbi Ius non distinguit, nos distinguere non debemus, D. 11. d. 6. n. 10. p. 405.

Divortium.

Propria ex authoritate potest vxor vti divortio statim ac eius vir Hæreticus per sententiam declaratur, D. 1. d. 12. n. 55. p. 77.

Si ad Fidem vir redierit post sententiam, potest vxor, si vult, ad eum accedere, sed non tenetur, nisi ab eo discesserit ex authoritate propria, ibid.

Docere: Doctrina.

Illa tantum Doctrina in rigore hæretica est, quæ immediatè contradicit, vel mediatè, verisari à Deo revelatæ, & propositioni, quam de Fide appellamus, D. 1. d. 14. n. 53. p. 131.

Revelatæ scilicet expressè in S. Scriptura: in traditione Ecclesiæ: in Declaratione Concilij Generalis: aut Papæ in rebus Fidei: aut alicui personæ ita propositæ credendæ, vt non dubitet à Deo esse revelatam, ibid. num. 74. pag 134.

Doctrina Hæresi proxima est illa, quæ contradicit veritati Catholicæ, & vniversali, quam vniversa tenet Ecclesia, & certitudinem Fidei non attingit, ibid. n. 55. p. 131.

Doctrina Hæresim sapiens est, quando ex ea, & ex aliis principiis non omnino certis, sed ab Ecclesia pro certis habitis, Hæresis sequitur: aut quando illatio evidens non est. Item, quando in sensu proprio hæretica est, & in metaphorico ab

Doctores.

Dominium.

tum

Donare: Donatio: Donator.

Dormire.

Dubium: Dubius.

Vt

redditur ad omnia obtinenda, D.11. d.16.n.22. 23. p. 417.

Pœnæ in causa Duelli à Concilio Tridentino inflictæ, reservatæ non sunt, D.11. d.17.num.2. ibid.

Inflictæ à Gregorio XIII. probabile est quod non sint reservatæ, d. 17. n. 2. ibid. Probabile etiam est, quod reservatæ sint, à num.3. ibid.

Pœnæ per Clementem VIII impositæ Papæ reservatæ sunt. dubio 17. numero 6. pag. 418.

Si Duellum occultum sit, illius excommunicatio non est Papæ reservata, D.11. d. 17. num. 42. p.433.

Clemens VIII. sibi reservavit absolutionem excommunicationis pugnantium in Duello, tam secreto, quàm publico; non autem aliorum in crimine reorum, d.17.n.77.78. p.440. n.83. p.441. n. 98. p.444.

Duellum proprium, & formale de necessitate requirit, vt inter Duellatores præcedat provocatio, vt pugna sit ex condicto, d. 17. n.78. p. 440.

Quoad absolutionem Excommunicationis in causa Duelli, vide Verbo *Absolvere*.

Dulia.

Virtus est, qua Sanctis adorationem adhibemus, & cultum, D.2.n.8.10. p.164.

E

Ecclesia.

Purè interna, non iudicat, punit, aut reservat, D.1.d.1.n.8. p.4.d.6.n.61.p.34. d.7. n.50.p.46. n.129 p.61. d.13. n. 84. p.104.112.p.101. D 11. d.4. n.2.p.398.D.12. à n.73.ad 79.p.470.

Eius iudicium sæpè veritati non innitur, & quare, D.3. n.9.p.166.

Ecclesia duas habet vniones, vnam in Fide, quæ vnica est in ea: alteram in suo capite Christo, & Vicario eius Papa, tam in Sacramentis, & divino cultu, quam in subordinatione ad dictum caput. Vnde dupliciter potest quis ab Ecclesia separari, D. 1. d.7. n.22. p.41.

Cautè, & piè vtitur Ecclesia Iudæis, Hæreticis, Schismaticis, & Paganis, D.1. d.10. num.5.6. pag.66.

Omnium rerum Ecclesiasticarum, dominium habet absolutum, Ecclesia,D.6.d.23. num.49. p. 342.

Ecclesia formaliter sumpta, non est aliud, quam Congregatio, & communio fidelium, D. 11. d.15. n.7.24.25. p.424.

Habet Ecclesia potestatem directivam, qua solum vtitur præcipiendo, in occultis per accidens, D.12.n.85.p.471. & n.88. p.472.

Habet etiam potestatem coactivam, qua non vtitur in occultis per accidens, puniendo, quia per accidens eius iudicium impeditur, & cognitio, D.12. n.98. p.473.

Pia Mater est Ecclesia: Facientibus, quod in ipsis est, Sepulturam non denegat, nec suffragia, Disq.14. num. 29. pag. 499. Mater nostra est, quia nos in Baptismo regeneravit, D. 22. n.3. pag. 563.

Gremium Ecclesia redeunti non claudit, D. 20. dub.2. num. 3. pag. 560.

Nullæ causæ civiles, aut criminales agitari possunt per sæculares in loco Sacro, & si causæ sanguinis sunt, excommunicantur, qui illas exercent, D.23. d.2. n.2. p. 567. n.3. p.568.

Effectus formalis.

Non datur esse existentiæ, sine eius causa formali, D.11.n.2. p.371.

Effectus alius per se; alius per accidens. Primus essentialem connexionem habet cum causa, ita vt non possit ab esse, nisi absit causa; Secundus, abest, quin causa absit, Disq. 12. n. 92. pag.472.

Electio: Electus.

Electus, ante confirmationem, nullam queit administrationem in spiritualibus, aut temporalibus, per se, aut per alium facere, D. 1. d. 13. n. 100. p.107.

Electio est ipso facto nulla, si electi, aut electores censuræ sunt ligati, etiamsi occulta censura sit, Disquis. 1. dub. 13. num. 104. pag. 108.

Recensentur multi, potestate eligendi, *ipso iure*, ob crimen patratum privati, D.1. d.13. n.103. ibid.

Requiritur tamen sententia criminis declaratoria, D. 1. d.13.n.104. ibid.

Eligere, aut eligi non potest irregularis, *D* 3. d.1. n.15. p.170.

Excommunicatus, minori excommunicatione, eligere potest, Disquis. 3. dub. 1. num. 5. pag. 169.

Eligi non potest minori excommunicatione ligatus, D.3. d.1.n.5.6.ibid.

Si duo tantum sunt in Collegio, & alter iuri eligendi cedat, potest per alterum electio fieri: Et quidem in favorem illius, qui cessit, *D*.6.d.3. n.44. p. 253.

Electio, est alicuius certæ personæ voluntaria vocatio Canonicè facta, à maiori parte intéressentium, & habentium ius eligendi, legitimè congregata, *Disq*. 6. dub. 7. num. 9. p. 268.

Triplex est electionis forma. Per Scrutinium: Compromissum: & per Inspiritationem, ibidem.

Votum decisivum exigit, in Electoribus Electio, ibid.

Illud habent in Congregatione nostra Benedictina Hispana Patres Consiliarij, in electione Abbatum Filiationum, Priorum annexorum, & Superiorum Grangiarum, ibidem, num.8.9.

Eleemosyna.

Prælatus Regularis debet eleemosynam facere, etiam de non superfluis, *D*.6. dub. 6. num.4. p. 266.

Pro pauperum sustentatione, vasa Sacra frangere, & vendere licet, *D*. 6. dub.8. num.22. p.271.

Illas eleemosynas facere potest Oeconomus, & Procurator Conventus, quas Prælati voluntas, & Religionis præscripta permiserit consuetudo, & non alias, *D*.6. d.9. à n.13. ad 17. pag. 276.

Reli

Religiosus particularis, sine Prælati licentia, eleemosynam facere non potest. num. 16. 17. ibid. & n.41. p.281.

Potest eleemosynam facere sine Prælati venia extremè indigenti. ibid. n.16. p.276.

Immò tenetur sub mortali, etiam aliena furando. ibid. n.17. p.278. n.41. 42. 43. p. 281.

Sine tacita, virtuali, aut interpretativa saltem Prælati venia, introduci non potest consuetudo, in cuius vim Religiosi eleemosynam erogare queant. D.6. d.10. n.4. p.282.

Peccat venialiter Religiosus, qui potens facilè, veniam à Prælato non petit ad subveniendum extremè indigenti, ibid. n. 6. 7. 8. p.283.

Eleemosynam facere non potest Religiosus administrationem non habens absque licentia, saltem virtuali, Prælati, sine vitio Proprietatis. à n.8. ad 11. ibid.

Multò minus potest illam, repugnante Prælato, facere, nisi extremè indigenti. ibidem num.17. pag. 284.

In casu magnæ necessitatis advenientis proximo, supponitur licentia, tempore, quo adiri non potest Superior. ibid.n.8. p.283.

Extremè indigenti potest invito Prælato facere eleemosynam, & tenetur ex bonis etiam Conventus. n.5.6.7. ibid.

Religiosus intra Claustra existens, sine licentia expressa Prælati, potest eleemosynas facere de his, quæ sibi subtraxit, si id Conventus ferat consuetudo, & in quantitate, quam ista fert. ibid. n.19. p 285.

In eleemosyna facienda, consuetudo Religionis à Prælato servanda. n.22. ibid.

Emancipatio.

Filiorum, aut subditorum emancipatio, facta per Apostatam a Fide, per Hæreticum, &c. nulla est. D.1. d.12. §.3 n.45. 46. p.75.

Eo ipso, quod Pater, & Superior in Apostasiam, &c, inciderint, Filij, & subditi sui iuris efficiuntur. ibid.

Emere. Emptio.

Minoris emere debita periculosa, & recuperatu difficilia, licet, ratione difficultatis, & periculi. D.14. d.18. n.7. p 534.

Episcopus.

Si intra tres menses non consecretur, in moræ suæ pœnam, ante omnem Iudicis declarationem, tenetur in conscientia fructus restituere. Et postea, si intra tres alios menses consecrari neglexerit, est ipso iure Episcopatu privatus. D. 1. d.13. §.2. n.11. p.87.

Non licet Episcopo, nisi servata Tridentini solemnitate, ad executionem pœnæ privationis vocis, Canonicis, &c. inflictæ, ob omissionem susceptionis Ordinum, procedere. D.1. d.13. §.2. n.16. p.88.

Episcopi authoritas, quoad absolutionem ab Hæresi, & ab aliis Papæ reservaris, & quoad dispensationes ei à Tridentino concessas, recensetur. D.1. d.14. §.10. n.139. p.147.

An censeatur comprehendere solum reservato tempore celebrationis Concilij, explicatur. n. 209. ibid.

In sententia probabili, eandem omnino iurisdictionem in propria Diœcesi, de Iure divino habet Episcopus, ac habet Papa pro tota Ecclesia; restringibilem tamen per Papam. D. 1. d.14 n.143. p.148. n.153. p.151.

Episcopi, successores sunt Apostolorum. dicto n.143. pag. 148.

Concilium restituit Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. Iurisdictionem restrictam Episcopis per ius antiquum, cuius Lex Concilij correctoria est; non tamen à iure exorbitat primævo. ibidem, n.144 p.149.

Episcopi, quasi æquales Summo Pontifici sunt. ibid. n.154. p.151.

Papa appellat Episcopos, Fratres. eodem n. 154. ibid.

Episcopis confirmatis, & nondum consecratis, competit facultas eis facta per Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. sicut omnia, quæ iurisdictionis sunt. D.1. d.14. n.158. ibid.

Si tamen Bullas obtinuerit Papæ. ibid. num. 159. pag. 152.

Ad quas Processiones compellere possit Episcopus Regulares exemptos. D.4 d. 8. n.10. *vers. Secundam.* p 201.

Episcopus nihil præcipere potest Monachis non exemptis à iurisdictione sua, nisi in actu visitationis. D.6. d.3. n.50. p.254.

Episcopus, Dominus non est rerum Ecclesiæ suæ, sed Procurator. D.6. d.5. n.1. p.261.

Meliorare potest conditionem suæ Ecclesiæ, deteriorare nó potest. D.6. d.5. n.1. ib. d.9. n.36. p.279

Bona Episcopi, propria illius non sunt, sed pauperum. D.1. d.5. n. 1. p.261.

Iure ordinario sunt Episcopi Iudices, in omnibus Ecclesiasticis causis. D.6. d.25. n.17. p.347.

Possunt in suis Diœcesibus declarare subditos incurrisse in pœnas per Pontifices Summos inflictas D 6. d.25. n.19. p.348.

Transgressiones puniunt sacrorum Canonum. D.6. d.25. n.20 21. ibid.

Possunt in territorijs suis, omnia, quæ Papa potest in toto Orbe, exceptis Papæ reservatis. D. 6. d 25. n.18. ibid.

Non possunt Regulares exemptos excommunicatos denonciare, seu declarare illos incurrisse in censuras Iuris, aut Constitutionem Apostolicarum: nec illos excommunicare. D.10. n.20. p.366. n.23. 24. p.367.

Limita vt infrà.

Non sunt Ordinarij Regularium exemptorum. D.10. n.21. p.366. n.23. p.367.

Illos citare non possunt, nec de illorum contractibus, aut delictis cognoscere. D. 10. num. 22. pag. 366.

Non possunt illos absolvere, etiam in casibus, in quibus eis delegatur facultas illos declarandi. D.10. n.24. p.367.

Episcoporum censuræ, contra Regulares exemptos latæ, in neutro sunt servandæ foro. D.10. n.25. ibid.

Declarare non possunt Regulares exemptos incurrisse in pœnam interdicti inflictam *in cap. Episcoporum*, 8. *de Privilegijs in* 6. D. 10. nu. 33. pag. 369.

Declarare possunt incurrisse excommunicationem *Clem. Religiosi*, 1. *de Privil.* D. 10. num. 34. ibid.

Si Episcopus citet Religiosos exemptos, in casu dubiæ iurisdictionis, comparere debent, &

allegare suam exemptionem, & rationes; sed privilegium Episcopo exhibere non tenentur, sed viris probis vtrinque assumptis. D. 10. n. 37. ibid.

Si tamen non compareant, adhuc nulliter contra eos procedebit Episcopus. Quia in casu dubiæ iurisdictionis cognoscere non potest Episcopus de Regularibus exemptis. Disq. 10. num. 37. ibid.

Facultas per Tridentinum facta *sess.* 24. *cap.* 6. Ordinario iure Episcopis competit. D. 11. dub. 17. n. 42. p. 433.

In loco exempto, Iurisdictionem non potest Episcopus exercere: quia perindè est, ac si locus ille exemptus in Diœcesi non esset sua. D. 14. n. 32. 33. p. 500.

Regularem exemptum extra Monasterij claustra, notoriè cum populi scandalo delinquentem, punire nequit Episcopus, nisi requisito Superiore suo, & punitionem illius omittente. D. 14. n. 35. ibid.

Alia pro hoc titulo require, *verb. Absoluere. Dispensare.*

Error.

Cui non resistitur, approbatur. D. 1. d. 5. n. 21. pag. 17.

Communis error, cum titulo præsumpto, seu probabili, iurisdictionem tribuit. D. 11. d. 17. n. 137. 138. 189. p. 449.

Erubescere.

Erubescibile est aliquid dicere, & per legem non probare. D. 11. d. 6. n. 8. p. 404.

Ethnici.

Cum Ethnicis communionem Catholici non habent. D. 1. d. 9. n. 1. p. 64.

Ethnicus, per nomen Gentilis exponitur. ibid.

Eucharistia.

De proprij Sacerdotis manu suscipi debet in Paschate, sub pœna privationis Ecclesiasticæ Sepulturæ. D. 15. n. 2. p. 545.

De consilio Sacerdotis proprij, differri licet Eucharistiæ susceptio. n. 1. ibid.

Monachis iniungitur Nigris menstrua Eucharistiæ sumptio. D. 15. d. 3. n. 1. p. 548.

Nec Monachi Nigri, nec alij Religiosi vtriusque sexus, tenentur sub mortali culpa, ad menstruam communionē vigore *Clem. Ne in agro Dominico*, aut Concilij Tridentini. ibid. à num. 20. ad 25. pag. 551.

Neque sub veniali quidem. n. 23. ibid.

Eulogia.

Munera sunt, quæ subditi suo deferunt Prælato. D. 16. n. 8. p. 554.

Examen.

Examinatores præficiendorum Ecclesiis Parochialibus simoniam committunt, quicquam prorsus recipiendo occasione examinis, ante, vel post ipsum, etiamsi gratis detur. D. 1. dub. 13. n. 17. p. 88.

Debent dimittere omnia beneficia quomodocumque obtenta ante examen ab ipsis factum: quibus non dimissis, absolvi nequeunt. ibid.

Incurrunt etiam inhabilitatem, ad alia beneficia in posterum obtinenda. ibid.

Post declarationem tamen criminis. ibid. num. 36. pag. 92.

Exceptio.

Vbi crimen non excipitur, nec persona delinquentis excipitur. D. 1. d. 12. n. 78. p. 81.

Exceptio firmat regulam in contrarium in non exceptis. D. 1. d. 14. n. 124. p. 143. D. 11. d. 17. n. 53. *versic. Quo supposito.* p. 436.

Ei, cui competit actio, competit & exceptio. D. 6. d. 16. n. 65. p. 319.

Exceptio, & inclusio, ponunt specialem casum D. 11. d. 17. n. 53. *versic. Quo supposito*, p. 436.

Exclusio.

Odiosa est exclusio in materia favorabili; & favorabilis, in odiosa. D. 11. d. 17. n. 98. p. 444.

Excommunicatione.

Excommunicantur Hæretici, Credentes, &c. D. 1. n. 4. p. 4. d. 7. n. 46. pag. 45. d. 12. n. 1. vsque ad 10. p. 69.

Excommunicationem non incurrit, qui mandat percuti Clericum, percussione non sequuta. D. 1. d. 5. n. 7. p. 15. num. 13. p. 16.

Neque qui consulit, favet, vel mandat, nisi sequuto effectu principaliter sub excommunicatione prohibito, si minus principaliter prohibeatur consilium, favor, vel mandatum. D. 1. d. 5. n. 8. p. 15.

Omnes sub excommunicatione tenentur, etiam edicto non præmisso, Hæreticum Episcopo, Inquisitori, vel Commissario indicare, vt ad Inquisitores perveniat illius notitia. D. 1. d. 5. n. 30. p. 18.

Vt excommunicati habentur, & absolvuntur Fugitivi nostri, & Carmelitani. D. 1. d. 6. n. 10. 11. pag. 26.

Post Concilium Constantiense, solùm vitare debemus excommunicatos denunciatos, & notorios Clericorum, & Monachorum percussores. D. 1. d. 7. n. 43. p. 45.

Excommunicationi Bullæ Cœnæ non subest Schismaticus, qui Hæreticus non est. D. 1. d. 7. n. 48. p. 46.

Hæreticus purè internus non afficitur excommunicatione Bullæ Cœnæ. D. 1. d. 7. n. 50. ibid.

Schismaticus purè externus dictæ excommunicationi subest. D. 1. dub. 7. n. 51. p. 47.

Illi subsunt inobedientes Summo Pontifici, etiamsi Schismatici non sint, quæ lata est *in cap. Licet, el 6. de Elect.* D. 1. dub. 7. n. 57. ibid. Non tamen subsunt excommunicationi Bullæ Cœnæ. n. 53. ibid. licet olim ista comprehenderet. n. 56. ibid.

Excommunicatio Bullæ Cœnæ non afficit Fautores, Receptatores, & Defensores Schismaticorum. Disq. 1. d. 7. num. 55. ibid. d. 8. num. 13. pag. 63.

Olim Schismatici, non erant ipso facto excommunicati, sed erant excommunicandi. D. 1. d. 7. n. 72. vsque ad 78. p. 50.

Fautores Defensores, & Receptatores Schismaticorum

Ipso

HHhh Laico

Item

Fœmina.

Ferrus Manrique.

Fœtus.

Feudum.

Qui modica, non rarò, furatur, mortaliter delinquit, quando ad notabilem pervenit quantitatem. D.6.d.16.0.38. p.314.
Furtum, omnem illicitam rei alienæ vsurpationem comprehendit. D.12. n.7. p.463.

Furiosi.

Sine consensu Curatoris, nequeunt furiosi rem, propria amittere voluntate. D.6.d.1.n.52.p.226

G

Generalis.

An aliquid assumere possit de rebus Monasteriorum. D.6. dub.6.n.12.p.266.
Generalis S. Benedicti, non exercet iurisdictionem, in degentes in annexis Monasteriorum, nisi quando visitat Monasteria principalia, & in gradu appellationis. D. 6. dub. 3. num. 49. pag.253.
Idem Generalis eximere non potest Religiosum ab obedientia Superioris localis: neque ei licentiam dare, aut privilegium pro ordinario modo vivendi intra Monasterium, nisi in casu, quo illa denegaverit Superior immediatus: & tunc vtroque audito. D. 6. d.15.0.8. p.305.

Gens. Gentilis.

Gens, nomen collectivum est, & significat personarum pluralitatem invicem congregatam. Idem est, ac plurium collectio personarum. D.1. d.9.n.6. p.65.
Accipitur aliquando pro bona, aliquando pro mala multorum vnione, vel congregatione. n.6. ibid.
Gentiles, quos Paganos vocamus, sunt, qui falsorum Deorum cultores se exhibent. D.1. dub.9. n.2.3. p.64.
Gentiles, omnes illos sacra Scriptura appellat, qui Iudæi non erant. ibid. n.4.5.6. p.64. 65.
Gentes dicebantur, quasi sine Rege viventes. n.6. pag. 65.
Gentes, significat omnes mundi peccatores, & iniquos, qui legi Dei non subiiciuntur, à veris filiis Israël, id est à Viris Sanctis separantur, & idola vitiorum venerantur. eod. n.6. ibid.

Gratia.

Gratia concessa ad beneplacitum, ad arbitrium, vel donec concedens voluerit, morte expirat concedentis, & amotione ab officio; secùs si concessa ad beneplacitum Sedis, Dignitatis, vel Officij, perpetui, saltem in successoribus. D. 1. d.13. n.129. p.115.

Gratianus.

Magna Gratiani, Decreti Compilatoris, authoritas, & quæ ei fides detur, ostenditur. D.1. d.7. n.88. p.53.

Gratitudo.

Sine culpa omitti potest obligatio antidoralis, quæ ex gratitudine oritur. D.14. d.6. n.17.19. p.514. & 515.

Græcus.

Aliquando sumitur Græcus, pro Gentili. D. 1. d.10. n.9. p.67.
Non est distinctio Iudæi, & Græci. ibid.

Gregorius XIII.

Per Constitutionem *In tanta rerum, & negotiorum mole*, Constitutionibus Pij V. *Ad exequendum: Etsi Mendicantium Ordines: & Cum intra mentis nostræ arcana*, non derogavit. D. 4. d.8. à n.15. p.201.
Dictas Constitutiones confirmavit Pianas ipse Gregorius post editionem dictæ Constitutionis *In tanta.* ibid. num.27. pag. 204.

H

Habitus.

Clericalem habitum non gestans, mortaliter peccat, & privatur beneficiis, dignitatibus, &c. D.1. d.13. n. 87. p.105.

Hastilidium.

Idem est, ac hastarum lis: quia hastis exercetur. D.9. num.1. pag.359.

Hæreditas. Hæres.

In hæreditatem ius acquiritur sola additione, seu acceptatione hæreditatis, verbo, vel facto. D.6. d.1. n.26.27. p.223.
Hæredes institui non possunt, nec Legatarij, Apostatæ à Fide, Hæretici, eorum Credentes, Defensores, Receptatores. D.1. d. 12. num.29. & seqq. p.73.
Hæres, compelli potest per censuras, ad satisfaciendum pro excommunicato, & pro vsurario cuius hæres est. D.14. n.27. 30. p. 499.

Hæresis. Hæreticus.

Hæresis est error intellectus voluntarius, liber, & pertinax in parte Fidei contrarius, in homine, qui Fidem suscepit. D.1. d.1. n.1. p.3.
Habet Hæresis, pro materiali, iudicium erroneum voluntarium, & liberum: & pro formali, contumaciam. num.2. ibid.
Hæresis, alia materialis; & formalis alia. ibidem num. 4. vbi quænam vtraque sit declaratur. pag. 4.
Contumacia Hæresim constituens, declaratur. ibid. num.12.13. 14.15.21. p.6.
Hæresis, alia mentalis, & alia externa: vtraque declaratur. ibid. n.4. p.4.
Hæreticus formalis est, qui aliquid sentit, cuius contrarium scit Ecclesiam sentire, quamvis illud non fateatur, aut acriter teneat. ibid. n.2. p.3.
Traduntur regulæ ad cognoscendam manifestationem constitutivam Hæresis externæ. ibid. n.5.6. p.4.
Hæresis externa, alia occulta per accidens; alia manifesta; alia publica; alia notoria. n.7. ibid.
Hæreticus externus, torquendus est super intentione. ibid. n.9. p.5.
Hæreticus est, qui postquam Fidem suscepit, ex

errore intellectus, liberè, & pertinaciter aliquid contra eam defendit, aut sentit. n. 11. ibid.

Item, qui contra Sacram Scripturam, Fidei articulos, & determinationes Ecclesiæ, vt de Fide, pertinaciter sentit. Ibid. n. 17. pag. 6.

Item, qui male sentit de Sacramentis. n. 18. ibid.

Item, qui falso credens aliquid esse ab Ecclesia definitum, oppositum sentit. n. 19. ibid.

Item, qui sentit contra traditiones Ecclesiæ perpetuo receptas: contra eas scilicet, quæ doctrinales sunt, & morales, prout includunt aliquid credendum. n. 20. ibid.

Item, qui non assentitur reuelationibus sibi specialiter factis, quas diuinas putat. ibid. num. 22. pag. 7.

Hæreticus non est, qui paratus est iudicium suum Ecclesiæ submittere, aut nescit contrarium illam tenere. ibid. n. 13. p. 6.

Neque est Hæreticus rusticus rudis, qui ex ignorantia culpabili, falso credit Patrem, in Diuinis, maiorem, aut seniorem esse Filio, aut personas Diuinas loco esse distinctas, si implicite, quod Ecclesia, credit. n. 14. ibid.

Hæreticus censeri debet, & vt talis tractari à S. Officio, Episcopus, Inquisitor, & quilibet Prælatus potens impedire in suo territorio prædicationem Hæresum, aut lectionem librorum Hæresim continentium, & non impedit: & à dignitate, vel officio est remouendus. D. 1 d. 5. n. 22. pag. 17.

Schismaticus, vehementer est de Hæresi suspectus, D. 1. d. 7. n. 121. pag. 59.

Raro datur sine Hæresi Schisma, D. 1. d. 7. n. 121. ibid.

Non licere Hæreticis communicare, exemplis demonstratur Apostolicis, Disq. 1. dub. 10. n. 6. pag. 66.

Hæreses Cerynthi recensentur, ibid. n. 7. p. 67.

Hæretici banniuntur: diffidantur: eorum bona publicantur, & Fisco applicantur: & eorum filij hæreditate priuantur D. 1. d. 12. n. 55. p. 72. n. 57. p. 78. & si Clerici sint, applicantur Ecclesiis à quibus stipendia acceperunt. n. 59. *versic. Hæc omnia* p. 78. n. 55. p. 77.

Priuantur iure debiti coniugalis D. 1. d. 12. n. 47. pag 76. n. 55. p. 77.

Potest illud exigere sine violentia post reconciliationem. n. 55. ibid.

Debito fidelitatis, & omni alio Hæreticis debito, absoluuntur debitores, ita vt eius nullum eorum soluere debeant. D. 1. d. 12. n. 47. p. 76.

Testari non possunt Hæretici. ibid. & d. 13. n. 111. pag. 110.

Ad pœnitentiam redeuntes Hæretici, perpetuo, mancipantur carceri. D. 1. d. 12. à n. 49. pag. 76.

Hæretici à Iudice damnati Ecclesiastico, traduntur brachio sæculari, iuxta ciuiles leges puniendi. D. 1. d. 12. n. 53. 54 p. 77.

Iure cohabitationis cum coniugibus priuantur Hæretici. n. 55. ibid.

Possunt vxores propria ex authoritate vti diuortio statim ac eorum viri per sententiam Hæretici declarantur. n. 55. ibid.

Si ad Fidem redeunt viri, possunt vxores, si velint, ad eos accedere, sed non tenentur, nisi propria discesserint authoritate, eodem n. 55. ibid.

Confiscantur omnia Hæreticorum bona, mobilia, immobilia, & semouentia. n. 57. 58. 60. p. 78.

Non euadunt confiscationem per pœnitentiam. n. 57. ibid.

Possunt eorum confiscari bona post mortem illorum, infra 40. annos, non postea. n. 57. ibid.

Clericus hæreticus, iam degradatus, traditur etiam brachio sæculari puniendus. Ibid. n. 59. 61. pag. 78. 79.

Priuantur Hæretici omni dignitate, beneficio, & officio. Ibidem. n. 62 63. p. 79.

Inhabiles redduntur ad illa, & alia obtinenda tam ipsi, quàm descendentes eorum vsque ad secundam generationem. à n. 64. ibid.

Limita in pœnitentibus: & in linea fœminea, ad 1. generationem. n. 66. ibid.

Qui ad Ecclesiam reuertuntur, abiurare debent Hæreses, & Hæresiarchas. n. 71. p. 80.

Si abiurare noluerint, pœna mortis plectuntur. n. 86. 87. p. 85.

Irregulares redduntur Hæretici, & beneficiorum incapaces. An autem hoc teneat in solis publicis Hæreticis, an etiam in secretis, controuersum est. ibid. n. 69. p. 80.

Hæreticus in casu Hæresis, non gaudet Ecclesiæ immunitate; sed bene in aliis. Ibid. à num. 73. pag. 81.

In seipsum non tenetur pœnam exequi priuationis eius. d 13. n. 114. p. 111.

Clerici, & Religiosi Sacramenta Hæreticis ministrantes, sepelientes eos, aut eleemosynas, vel oblationes eorum recipientes, officiis priuantur, & restitui non debent absque speciali Papæ indulto. ibid. n. 79. 80. 81. dicti Dubij 12. pag. 82.

Hæretici tenentur contra se edere libros, & probationes ad intentionem accusatoris confirmandam. n. 82. ibid.

De Hæreticis, plures simul possunt cognoscere Iudices seorsim, vsque ad sententiam exclusiuè. n. 85. ibid.

Pœnam ignis merentur Hæretici. num. 88. 89. pag. 83.

Iudices Laici incompetentes sunt in causa Hæresis, nisi postquàm eorum brachio ab Ecclesiastico traduntur, aut eorum imploratur auxilium. n. 87. ibid.

Post Hæretici mortem accusari potest. n. 90. ibid.

Et infra quod tempus. n. 93. pag. 84.

Qui sint in hoc casu citandi. n. 94. ibid.

Ipso facto priuatur Hæreticus bonis possessis à die patrati criminis, sed ante sententiam criminis declaratoriam, illa Fisco tradere non tenetur, & alienationes per eum factæ validæ sunt. ibid. d. 13. n. 97. p. 106.

Inualidari tamen possunt, post criminis declarationem. ibid. n. 117. pag. 112.

Hæreticus ante omnem sententiam, criminis etiam declaratoriam ipso facto est excommunicatus, excommunicatione Papæ reseruata. D. 1. d. 12. à n. 1. ad. 10. p 69. d. 13. n. 108. p. 109.

Irregularitas obligat etiam in conscientia, ante criminis declarationem. d. 13. n. 108. ibid.

Infamiam incurrit Hæreticus, facti, & Iuris: illam, statim ac crimen admittit; istam, post sententiam criminis declaratoriam. n. 109. ibid.

Multis pœnis plectuntur Hæretici, quarum non paucæ sunt, quæ in neutro foro obligent ante sententiam criminis declaratoriam. D. 1. d. 13. n. 110. 111. p. 110.

Qui sine errore formali intellectus in mente retento, hæreticalia profert, Hæreticus formalis non est, sed materialis, & excommunicationi non subest. D. 11. d. 4. n. 6. p. 398.

Alia

Alia pro hoc titulo require, verbo *Absolvere.* *Fautor.*

Homicida : Homicidium.

Homicidium, grauius, & horribilius est periurio. D.7. n.7. p.352.
Et etiam adulterio. n.8.p.353.
Dicitur contra naturam, quia illud ista abhorret. D.11.d.3. n.8.p.386.
Licitè à Iustitiæ fit ministris. D.11.d.3.n 8.ibid.
Ad Ordines non admittitur homicida. D.7. n.7. pag.252.
Nec post pœnitentiam. Ibid.
Homicida, est depositione dignus. D.7. num.9 pag.353.

Honor.

Est testificatio alienæ excellentiæ mente concepta, seu animo. D.2.n.6.p.164.
Non renunciant Religiosi honoribus Magisterij, & aliis Ecclesiasticis, qui sancti sunt. D.6. d.18. n.2. pag.322.
In pretio esse, aut non esse apud viles improbos, & imperitos, perinde est. D.11. d.3. num.28. pag.389.

Horæ Canonicæ.

Qui Horas non persoluit Canonicas post sex menses, beneficium habens Curatum, aut simplex, præstimonium, aut portionem, fructus non facit suos, sed eos restituere tenetur fabricæ beneficij, aut pauperibus, ante omnem sententiam, etiam criminis declaratoriam. Integros illi diei correspondentes, si omnes Horas: dimidiam partem, si Matutinum: qui cæteras aliam dimidiam: & qui vnam Horam, sextam partem, Disq.1. dub.13. num. 19. 20. pag.89. num.36. pag.92.
Qui à die obtenti beneficij Horas non persolvit, graviter peccat. Eodem n.20. p. 89.
Qui pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur, si B. Mariæ Officium non recitat. Dicto n.20. ibid.
Non peccat mortaliter, qui solitus est benè, & integrum officium Divinum persolvere, si semel, aut iterum per oblivionem Horas omittit, D.1.d.13. n.79. p.103.
Qui vltimo instanti horæ duodecimæ mediæ noctis, vltimam officij partem persolvit, præceptum adimplet: & ante illud instans non peccat eam non recitando, D. 11. d. 6. num. 33. p. 408.
Qui Horas sine attentione legit intrinseca, tutius, & securius illas persolvit, in Ioannis Caramuëlis sententia. D.1.d.17.n.104. p.445.

Hyperdulia.

Est excellens, vt eximia Dulia, qua Beatæ V. Mariæ, tanquam Dei Matri honorem adhibemus, & cultum, D.2. n. 8. 10. 11. p.164.

I

Idololatria.

Idololatra purè externus excommunicatione nemini reservata plectitur, D.1.d.1.n.9.p 5.

Ieiunium.

An violetur Ieiunium, per delectationem morosam esus carnium, D.6. d.24. n.7. 8.9.p.344.

Iesuita.

Scholastici Iesuitæ, ante renunciationem, verum habent Dominium bonorum suorum, D.6.d.1. n.73. p.228. d. 16. n.61. p.318.

Ignis.

Pœnam ignis meretur Hæreticus, D.1. d.12.n.88. 89.p.85.

Ignorantia.

In facto alieno, præsumitur ignorantia, D.1. d.3. n.11. p.10.
In dubio, præsumitur ignorantia, n.12. ibid.
Ignorantia probatur iuramento Receptatoris, aut rei, n.12. ibid.
Ignorantia Affectata scientiæ æquiparatur, D. 1. d.14. n.20.p.122.
Voluntarium auget Ignorantia Affectata, non minuit, n 19. 20. ibid.
Ignorantia, seu inscitia dividitur primo ratione scientiæ, seu notitiæ, cuius est privatio, in Ignorantias pravæ dispositionis; negationis; & privationis, D. 1. d 14.n.21 p.123.
Ignorantia pravæ dispositionis, contingit quando quis habet in intellectu errorem veritati contrarium. Dicto n.21. ibid.
Ignorantia negationis contingit, quando quis non habet, nec habere potest notitiam rationis n.21. ibid.
Ignorantia privationis contingit, quando quis notitia caret elicuius rei, quam nosse potest, & tenetur, n.21. ibid.
Dividitur secundo ignorantia ratione rei obiectæ, in Ignorantiam Iuris, in Ignorantiam Facti, & in Ignorantiam Pœnæ, D.1.d.14. n.22. ibid.
Ignorantia Iuris datur, quando Lex, præceptum, aut prohibitio nescitur, n.22. ibid.
Ignorantia Facti datur, quando adest scientia, & notitia Iuris, seu legis, sed factum, quod in ea prohibetur, nescitur, Disq.1. dub.14. num.23. ibid.
Ignorantia Pœnæ datur, quando nescitur talem esse pœnam contra taliter delinquentem, D.1. d.14. n.24. ibid.
Ignorantia Iuris dividitur eo modo quo ipsum Ius, cuius est nescientia. In Ignorantiam Iuris Divini positivi; Iuris Divini scripti; Iuris naturalis; Iuris Canonici; Iuris Civilis; & Iuris Municipalis, seu particularis, D. 1. d. 14. n. 25. ibid.
Ignorantia Facti dividitur in ignorantiam proprij, & alieni facti. Prima contingit, quando nescio me Horas summo manè persolvisse. Secunda, quando nescio Petrum testamentum condidisse, D. 1. d. 14. n.26. ibid.
Ignorantia, tam Iuris, quam Facti, dividitur tertio, ex respectu, & ordine ad voluntatem, in invincibilem, quæ Probabilis etiam dicitur, inculpabilis, & iusta; & in vincibilem, quæ & improbabilis, culpabilis, & iniusta appellatur, D.1. d.14. n.27. ibid.

Igno

Impos

Impossibile.

Incendiarij; Incendium.

Incestus.

Inclusio.

Inducere.

Indulgentiæ.

Infamia.

Inferior.

Infidelitas.

Inhabilitas.

Inhabilis est ad beneficia, & dignitates in futurum obtinenda. Schismaticus, D. 1. d.7. pag.54.

Non tollitur hæc inhabilitas per pœnitentiam, & reversionem ad vnionem Ecclesiæ, sed per dispensationem, D.1. d.7. n.96. p.55.

Si Schismaticus notorius est, tolli non potest eius inhabilitas nisi per Papam, D. s. d.7. num.97. ibid.

Inhabiles etiam sunt Hæretici impœnitentes, & descendentes eorum per lineam virilem, vsque ad secundam generationem: & vsque ad primam, per fœmineam, D.1. dub.12. à num.64. pag.79.

Defensores Hæreticorum, & eorum descendentes vsque ad secundam etiam progeniem, non admittuntur, D. s. d.12 à n.16. p.71.

Idem de Fautoribus Hæreticorum, & de descendentibus eorum, D. 1. d.12. à numero 16. ibid.

Idem est de Hæreticorum Receptatoribus, D. 1. d.12 n.19. p.72.

Religiosi munerum largitores, dictam inhabilitatem ad beneficia, dignitates incurrunt, D.1. d.13. n.87. p.105.

Non incurritur inhabilitas ante sententiam Iudicis criminis declaratoriam, D. 1. d 13. num.36. pag.92. num.102. 103. pag.108.

Iniuria.

Ab eo, qui iure suo vtitur iniuria non fit, D. 14. d 12. num.1. pag.522.

Iniustitia.

Sine iniuria, iniustitia dari non potest, D.6. d.11. n.8. p.287.

In eo, quod quis omnino liberè vult, non est iniustitia, D.14. d.2. n.4. p.502.

Innocentius III.

Creatus est Summus Pontifex, anno Domini 1198. D.3. d.3. n. 5. pag.173.

Inquisitio: Inquisitores.

Inquisitores habent facultatem priuandi Apostatas à Fide, Hæreticos, Credentes, Defensores, Fautores, & Defensores eorum beneficiis, dignitatibus, &c. & eos declarandi, D.1. d.12. n.67. pag.80.

Episcopi, & Inquisitores, in Fidei causis, omni carnali affectu amoris, odij, timoris aut cuiuslibet commodi temporalis procedere debent, D.1 d.12. n.84 p.85.

Possunt seorsim Inquisitores contra Hæreticos, vsque ad sententiam exclusivè procedere, D.1. d.12. n 83 84. 85. ibid.

Inquisitorum priuilegia non reuocantur per Bullam Cœnæ, D.1. dub.14. num. 147. pag.149. n.158. p.151.

Sententiæ Inquisitionis Supremæ etiam Romanæ, de eo, quod authoritas Episcopis attributa per Tridentinum, *sess.* 24. *cap.* 6. sit abrogata per Bullam Cœnæ, non nos obligant, siquidem nondum præcepit eas amplecti: quia eas pronuntiavit in sententia probabili, nostra in sua probabilitate relicta, D.1. d 14. n.557.

Prælati Regulares debent ad Inquisitores mittere causas subditorum suorum in rebus Fidei, ad forum exterius, & contentiosum spectantes, ex Pauli V. Constitutione, D. 1. d. 14. n.169. ibid.

Quomodo Hæreticos absoluant Episcopi, & Inquisitores, Vide verbo *Absoluere*.

Intellectus.

In operationibus suis non dependet intellectus à voluntate, sicut ab intellectu dependet voluntas, D.12. n.97. pag. 473.

Intentio.

Intentio, & spes aliquid habendi, actus distincti non sunt, D.14. d.1. n.6.7.8. p.591.

Interdictum.

Qui habet priuilegium interessendi Diuinis Interdicti tempore, illud habet pro his, quibus de more associatur, Disq.1. dub.13. num. 81. pag. 104.

Interdictum ingressus Ecclesiæ incurrit, qui scienter, & ex præsumptione celebrat, aut celebrare facit Diuina in locis Interdictis, nisi quatenus ei à iure permittitur: & qui excommunicatos denunciatos, Interdictos, aut Vsurarios manifestos admittit ad Diuina Officia, ad Sacramenta, aut ad Sepulturam Ecclesiasticam, D.3. n.12. 13. p.167.

Interdictum est Censura Ecclesiastica, à Iure, vel ab homine prolata, qua fideles separantur seu prohibentur à Sacramentis non necessariis, ab omnibus Diuinis Officiis, & à Sepulturâ, quatenus illa rerum spiritualium quandam participationem habet, Disquis. 4. num. 12. pag. 179.

Interdictum, extremam vnctionem, & Sepulturam prohibet Ecclesiasticam, numero 9. pag.178.

Separat indirectè à communione fidelium, directè, à Sacramentis, Diuinis Officiis, & Sepulturis, qua spiritualia ista sunt, ibid. n.12. p.179.

Ratio specifica distinctiva Interdicti, ab aliis Censuris Ecclesiasticis, in hoc sita est, vt sit priuatio bonorum quatenus sunt participatio Sacramentorum, Diuinorum officiorum, & Sepulturæ, Disquisitio 4. numero 14. ibid.

Interdictum, diuiditur in locale, & personale: & secundum aliquos, etiam in mixtum, D.4. n.15. ibid.

Tam locale, quam personale Interdictum, in generale diuiditur. & particulare, seu in speciale, D.4. n.16. ibid.

Interdictum generale locale contingit, quando integrum Regnum, Provincia, Civitas, Villa, Pagus, aut Parochia interdicitur, D.4. n.16. ibid.

Particulare contingit, quando de pluribus Ecclesiis vnius Civitatis, vna, aut aliquæ interdicuntur earum, D.4. n.16 ibid.

Interdictum personale generale, est quod directè fertur vniuersaliter, contra omnes personas

personas Regni, Provinciæ, Civitatis, Villæ, Pagi, aut Parochiæ: & quod directè fertur in aliquam Communitatem, quatenus aliquod corpus constituit, D.4. num.17. ibid.

Interdictum personale particulare, est, quod fertur in vnam, vel plures personas particulares, qua tales, & non solum quando aliqui nominatim interdicuntur, sed etiam quando interdicuntur omnes qui tale facinus perpetrarunt, D.4. n.18. ibid.

Effectus Interdicti, non habent cum illo, aut inter se necessariam connexionem; sed per interdicentis voluntatem, separari ita queunt, vt vnus, & non alij censentur. Quando tamen non exprimit voluntatem, omnes causantur, D.4. n.19. ibid.

Interdictum, rationem habet necessariæ defensionis, D.4. n.20. p.180.

In omni Interdicto locali generali, & particulari, ij omnes specialiter interdicti censentur, qui causam dederunt Interdicto, D.4. num. 21. ibid.

Interdicti nominatim denunciati, vitandi sunt, D.4.n.2.p.177. n.8. p.79.

Scienter celebrantes, aut celebrare facientes in loco Interdicto, nisi quatenus eis à Iure permittitur, ab ingressu Ecclesiæ Interdicti sunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam Interdicti contempserunt, satisfaciant, Disquis. 4. num. 3. *versic. Probatur Secundò*, p.177.

Eadem infligitur pœna iis, qui excommunicatos denunciatos, & Interdictos pariter denunciatos admittunt ad Divina Officia, ad Sacramenta, & ad Sepulturam Ecclesiasticam. Eodem n. 3. ibid.

Interdictum, non solùm adultos privat Sepultura Ecclesiastica, sed Infantes vsu rationis carentes, D.4. n. 20. p.180.

Cui ingressus Ecclesiæ est Interdictus, celebratio Divinorum est in ea Interdicta, D. 4. d. 5. n.3. pag.193.

Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt Religiosi celebrantes. & facientes celebrare in locis interdictis: & admittentes ad Officia Divina, ad Sacramenta, & Sepulturam excommunicatos, & interdictos denunciatos, D. 10. num.33. p.369.

Interdictum alios effectus non habet, quam in Iure expressos, D. 11. d. 15. num. 14. p.422. n.20. p. 423.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ prohibitus est illam ingredi ad audienda Divina officia; non autem privatur ingressu illius materiali, D. 11. d.25.n.14. p.422.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non delinquit contra censuram Interdicti, cum necessitate compulsus, eo confugit, D.11. d.15. num.15. ibid.

Interdicti localis effectus est, vt in eo Divina celebrari non possint; D. 11. d. 15. num.19. p.423.

Privilegia pro Interdicti tempore. Tempore Interdicti, in Ecclesiis, & Monasteriis possunt ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & Interdictis submissa voce, & campanis non pulsatis, Missæ, & alia Divina officia celebrare singulis diebus, D. 4. num. 24. p.181.

Diebus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostis, & Assumptionis V. Mariæ, pulsatis campanis, alta voce, ianuis apertis, exclusis excommunicatis, & admissis interdictis, dummodo isti ad Altare nullatenus appropinquent, diuina officia solemniter celebrare licet, D. 4. n. 24. ibid.

Tempore interdicti localis generalis, licet Benedictinis Congregationis Hispanæ, in suis Ecclesiis, exclusis excommunicatis & interdictis, ianuis clausis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Clericis, & familiæ suæ Divina celebrare, & Sacramenta ministrare, & debitâ peragere Sepulturæ, dummodò aliquis eorum, causam non dederit Interdicto, D. 4. num. 26. pag.482.

Suspenditur Interdictum in omnibus Ecclesiis, præcipuè Hispaniæ, pro diebus Corporis Christi, & Octavæ, D.4. n.27. ibid.

Interdicti, & Cessationis à Divinis tempore, Apostolica apposito authoritate, ianuis clausis, alia verò quacumque authoritate, dummodò causam non dederint Interdicto, nec in illo specialiter emanato, apertis ianuis, pulsatis campanis, nominatim interdictis, & excommunicatis exclusis, possunt Benedictini nostræ Congregationis Hispanæ, Missas, & alia Divina Officia solemniter, & in cantu celebrare, in Nativitate, & Conceptione V. Mariæ, S. Ioannis Baptistæ, in Transitu, & Translatione S.P.N. Benedicti, & in diebus Sanctorum Martini, Scholasticæ, Mauri, Placidi, Gregori Magni, Ildephonsi, Antonij, & Bernardi Abbatum, Addelmi, & quorumcumque Sanctorum, & Sanctarum sub quorum invocationibus Ecclesiæ Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Congregationis dicatæ, & constructæ sunt, & quorum corpora in ipsis recondita existunt: per eorumque octavas. In hebdomadibus Sancta, & Paschæ. In diebus professionis, & Missæ primæ Religiosi. Et quoties humana cadavera tumulamus, D 4. n. 28. p. 182. n.29.p.183.

Eisdem diebus, Monachi non Presbyteri, Commissi, Oblati, Donati, & Servitores Monasteriorum, & Prioratuum Congregationis præfatæ, Eucharistiam, & alia Sacramenta recipere possunt, dummodò Interdictum, aut Cessationem Apostolica non apposuerit authoritas, D.4. n.28. p.182. n.29. p. 183

In diebus, quibus suspenditur Interdictum de Iure, aut in vim privilegiorum, possunt PP. Ordinis Minorum in Domibus suis, intra & extra Ecclesiam, dicere, & facere, quæ fieri possunt Interdicto non existente, Disq. 4.n.30 ibid.

Possunt etiam Minores in diebus Portiunculæ, S. Francisci, S. Bonaventuræ, S. Antonij de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Didaci, S. Claræ, S. Elisabeth, ac SS. Martyrum Ordinis, tempore Interdicti, & Cessationis à Divinis, Missas, & alia Divina Officia celebrare ianuis apertis, & pulsatis campanis, exclusis iis tantum, qui causam Interdicto dederunt, D.4.n.32. p.184.

Idem possunt PP. S. Hieronymi in diebus eiusdem Sancti, translationis eius, V Mariæ, Apostolorum, Dedicationis Ecclesiæ, Nativitatis Domini Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, in Dominica Palmarum, Feria quinta, sexta, & Sabato Maioris Hebdomadæ, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Visitationis, & Assumptionis V. Mariæ, Nativitatis S. Ioannis Baptistæ. S. Aug. S. Paulæ Viduæ. Omnium Sanctorum, Commemorationis

omnium defunctorum, pro Missa, & Processione, & in die obitus Religiosi Ordinis, pro Missa, & Officio Defuncti, dummodo causam non dederint Interdicto, d.4. num. 31. p.183. n.33. 34. p. 184.

Patres Augustinienses tempore specialis, seu particularis Interdicti, omnia illa facere possunt, quæ pro tempore generalis Interdicti, eis sunt concessa, D.4.n.30. p.183.

Omnes Ecclesiastici Regnorum Hispaniæ, exclusis excommunicatis, ac Interdictis nominatim, possunt in Ecclesiis, & locis dictorum Regnorum, à primis Vesperis Conceptionis V. Mariæ, & Corporis Christi, vsque ad totales eorum Octavas inclusivè, Missas, & alia divina Officia, ianuis apertis, & pulsatis campanis celebrare, D.4. n.36.p 184.

Omnes Regulares possunt per communicationem in Festivitatibus Translationum Fundatorum, & Patronorum Ordinum, Missas, & alia divina Officia celebrare ianuis apertis, pulsatis campanis, exclusis iis, qui causam dederint interdicto, D.4. n. 32. ibid.

Quæ Iulius Secundus, & Leo Decimus concesserunt, quoad suspensionem Interdicti, confirmata sunt per Gregorium XIII. Sixtum V. & Clementem VIII D. 4. n. 30. p.183.

A lore communi habent Clerici, & Religiosi, vt Divinis assistere possint, D. 4. numero 40. p.185.

Privilegia concessa Regularibus ad celebrandum tempore Interdicti in aliquibus festivitatibus, de quibus supra,& in quibus omnes admittuntur ad divina, & ad Sacramenta, non suspenduntur in Hispaniæ Regnis per Bullam Cruciatæ, D.4. n.40.ibid.

Laici tamen sæculares, dictam Bullam non habentes, interesse non possunt Divinis, Interdicti tempore, nec sepeliri in loco Sacro, in dictis Hispaniæ Regnis in vim privilegiorum Regularibus concessorum, D.4.n.39. ibid.

Suspendunt Regulares Interdictum in diebus Sanctorum, quorum maiorem partem corporum habent, D.4. d. 9. n. 4. p. 212.

Non solum illud suspendunt in diebus Sanctorum, pro quibus concessa est huiusmodi suspensio,sed in diebus ad quas transferuntur,D.4. d.10.n.2.3. p.213.

Non possunt Regulares suspendere Interdictum communicantes in privilegiis ipsis diebus, pro quibus alteri Ordini suspensio conceditur;possunt tamen in similibus festis sibi propriis, D. 4. d.11. n.1.2. 5. p.214.

In festis, & diebus, omnibus Religionibus communibus, vti in Hebdomada Sancta, die Paschalis, omnium Sanctorum, &c. pro quibus alicui earum conceditur Interdicti suspensio, possunt illam, omnes, communicationem privilegiorum habentes, suspensionem facere,D.4. d 11.n.6 7. ibid.

Pius V. nostræ Congregationi, & Mendicantibus concessit, quoad Interdicti suspensionem, facultatem, quam Concilium sustulerat Tridentinum, D.4. d 8. n. 28. p.204.

Interpretare: Interpretatio.

Pœnæ interpretatio, benigna esse debet, D.1.d.15. n 16. p.85. D.14. n.24. pag. 88.498.

Legis, aut statuti interpretatio iudicialis, ad illius tantum pertinet conditorem, D.6.d.25.n.15. p.347.

Interpretatio iudicialis, seu difinitio Canonum, & Constitutionum Concilij Tridentini, & Papæ, si verba obscura sint, ad Papam pertinet solum; doctrinalis verò, etiam ad alios spectat Prælatos, & ad Viros doctos, D.6. d.25. n.15. 16. ibid.

Immo, si verba clara sunt, interpretationem facere possunt iudices inferiores, D.6. d.25. num.17. p. 349.

Involuntarium.

Preces importunæ, querelæ, murmurationes, vis, dolus, & fraus, involuntarium causant, etiam in Prælato, D.6. d.17. n.1.2. p.520.n.3.4. pag.521.

Immò, & favores, involuntarium causant, 5. ibid.

Ioannes XXII.

Quod Ioannes Papa XXII. erraverit tanquam Doctor particularis, in odium Occham in Extravagante *Conditorem*, & quod errorem revocaverit, dicunt aliqui, D. 6. d. 13. num.52. p.299.

Irregularitas.

Irregularitatem contrahit, quilibet Censuræ Ecclesiasticæ violator, Disq.1. dub. 6. num. 12. pag. 26.

Item Apostata à Religione, D. 1.d.6.n.13. ibid.

Item Schismaticus Hæreticus. D.1.d.7. num.104. 105.p.56.

Schismaticus, qui Hæreticus non est, nisi notorius sit, irregularis non efficitur, D.1.d.7.n.107. ibid.

Qui crimen, depositione dignum perpetravit, si notorium illud fuerit, irregularitatem contraxit, Disq.1. dub 6. n.107. ibid.

Rebaptizatus, irregularitatem indispensabilem contraxit, D.1. d.11. n.71. p.80.

Hæretici, irregulares sunt, D.1.d. 12. à num.69. ibid.

An autem soli Hæretici publici, an autem etiam & secreti, sint irregulares, controversum est, Eodem n.69. ibid.

Apostatæ à Fide, irregulares sunt, D.1.d.13 n.108. p.109.

Qui scienter in loco celebrat interdicto, irregularis efficitur, nisi privilegiatus sit, aut celebret in casibus in iure permissis expressè, D.3. d.1. n.15.p.170. Eius dispensatio est Papæ reservata. ibid.

Qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ in ea celebrat, Irregularis fit, D. 4. n.4. *versic. Tertiò probatur.* p.177.

Qui interdictus ab ingressu Ecclesiæ, in ea se ingerit, in suo agens officio, Irregularitatem contrahit, D. 4. d. 5. n.3. p.193.

Irregulares fiunt omnes, qui in causa belli iniusti sunt, seu illiciti, aut ad illud accedunt, etiamsi ipsi non occiderint, vel mutilaverint, D 9.n.19. p.361.

Item, omnes, qui ad Torneamenta accedunt, animo se exercendi, Irregulares fiunt, D.9. n.19. ibid.

Qui homicidium consuluit, illo secuto, Irregularitatem contraxit, esto consilium revocaverit, D.11.d.8. n.2.7. p.412.

Qui aborsum fœtus animati consuluit, esto consilium

filium revocaverit, irregularitatem contraxit sequuto aborsu. D.11. dub.8. n.7. ibid.

Irregularis fit, qui homicidium, aut mutilationem fieri mandat, illis factis. D.11. d.9. n.3. *versic. Obiicies primò*. p.414.

Qui irregulares non fiunt. Irregularitas non incurritur nisi in casibus in iure expressis. D.1. d.7.n. 105. 106. p.56. D.4. d.7. n.6. p.196.

Illam non contrahit excommunicatus minori excommunicatione, celebrans. D.3. dub.1.n. 5. pag. 169.

Neque, qui sciente celebrare præsumit in Ecclesia polluta, aut præsentibus excommunicatione innodatis. Disquis. 3. dub. 1. num. 15. pag.170.

Non incurrit irregularitatem, qui Cessationem à Divinis violat, sicut incurrit, qui interdictum. D.4.d.7.n.6.p.196.

Illam non incurrit, qui vult occidere, & non occidit. D.11. d.5. n.1. p.399.

Qui consuluit homicidium irregularitatem evader, etiam homicidio secuto, si post datum consilium moneat eum, cuius homicidium consuluit, vt sibi caveat. Disq.11. dub.8. num.8. pag.412.

Item, qui homicidium mandavit fieri, si mandatum revocet, & intimet ante homicidij perpetrationem irregularitatem non incurret. D. 11. d.8. n.3.4. ibid.

Assignatur disparitas, quoad hoc, inter consulentem, & mandantem. D. 11. dub. 8. num. 5. pag. 412.

Per ratihabitionem mortis, suo nomine factæ, irregularitatem nemo incurrit. D.11. d.9. n.4. pag.415.

Ex defectu lenitatis. Irregularitas ex defectu lenitatis, non incurritur, in sententia probabili, ab his, qui iustitiæ ministri non sunt. Et quinam illi sint. D.23. d.2. n.5. p.568.

Non incurritur nisi per actum proximè, & directè in mortem, aut mutilationem influentem: & ad summum, qui moraliter concurrere censeatur ad mortem, aut mutilationem. num. 4. ibid.

Non incurritur ab Episcopo, vel ab eius Vicario veniam concedente ad exhumandos occisos, vt eorum vulnera à Iudicibus inspiciantur laicis. D.23.d.2. n. 4. ibid.

Neque ab Ecclesiasticis habentibus iurisdictionem temporalem, si deputent Iudices, quibus iniungunt, vt iustitia mediante procedant in causis etiam sanguinis. D.23. dub.2. num.6.7. ibid.

Neque à Confessario pœnitentem obligante ad confitendum delictum morte dignum, si iuridicè interrogetur. Disquis. 23. dub.2. num.8. ibid.

Neque consulens, vt reus consentiat iustæ mortis sententiæ, quam nisi per iniustam appellationem differre nequit, irregularitatem incurrit. Secùs consulens, vt iustam omittat appellationem. D.23.d.2. n.8. ibid.

Neque Confessarius negans absolutionem Iudici noleoti ad mortem damnare quem condemnare tenetur, illam contrahit. D. 23. d.2. n.9. ibid.

Neque consiliarius, quem Iudex consulit de crimine, quod mortem meretur, si in genere respondeat, etiam esse morte dignum. D.23.d.2. n.10. ibid.

Neque si in particulari consultus, respondeat hominem homicidam secundum leges esse mortis reum. D.23. d.2. n.9. ibid.

Neque si interrogatus, an quis accusare teneatur, aut deponere in causa sanguinis, si in genere aperit ius, & veritatem docet, non inducendo ad accusandum, aut ad deponendum. D. 13. dub.2. num. 10. ibid.

Neque comitantes reum vt illum adiuvent, si dicant: *alacriter perge*: si mortis accelerationem non intendant. Disq.23. dub.2. num. 11. pag. 569.

Neque viam breviorem consulentes, aut solicitantes accelerationem executionis iustitiæ, dicendo, v. g. horam tardam esse, vel populum nimis detineri. D.23. d.2. n.11. ibid.

Neque qui voce, aut percussione instigat brutum in quo puniendus vehitur, quamvis ex eo mors acceleretur. D.23.d.2. n.11. ibid.

Neque Sacerdos, qui roganti Carnifici respondet: *Functus sum officio meo*, vel *Nemo te impedit*: vel quid simile. D. 23. dub.2. num. 11. ibid.

Neque qui dicunt: *Pergamus citiùs*: aut reo scalam ascendenti: *Ascende citiùs*; si tamen isti actus peccata mortalia non sint: aut tanquam à ministro institiæ fiant. eodem numero 11. ibid.

Neque qui reo dicit: *Suppone caput ad excipiendum ictum*: & ideò citius supponit. ibidem num.12. ibid.

Neque qui Carnifici dicit, vt aliquid aptet, quo citius is, qui morte plectitur, extinguatur. D.23. d.2. n.12. ibid.

Neque armorum, aut funium fabricatores, fabricando, aut vendendo illa indifferenter ad vsus humanos; secùs si animo faciant, aut vendant, vt morti deserviant inferendæ. D.23. d.2. n.13. ibid.

Neque Ecclesiastici executioni sententiæ assistentes, si non sint Domini temporales, qui sua præsentia authoritatem præstent. D. 23. d. 2. n. 14. ibid.

Neque, qui Iudicem rogat, vt iud cet secundùm iura; secùs si rogat, vt sententiam exequatur sanguinis. D.23. d.2. num.15. ibid.

Neque Ecclesiastici habentes temporale Dominium, aut iurisdictionem, qui legem, aut statutum condunt, aliquid prohibens sub capitis pœna. D.23. d.2. n. 16. ibid.

Neque Ecclesiastici, qui consilium præbent Principi, vt legem ferat, qua pœna capitis malefactores puniantur. D.23. d.2. n.17. ibid.

Neque in communi exhortantes ad talem legem servandam, coërcendo improbos debitis pœnis. D.23. d.2. n.17. ibid.

Irregularis, incapax fit beneficij obtinendi. D. 1. d.12. num.69. pag.80. *Irregularitatis defectus.*

Irregularitas sequitur factum, & culpam non requirit. Vnde, qui aliquid facit, quod annexam habet talem culpam, esto illam nesciat, irregularitatem incurret. D. 1. dub. 13. num. 24. pag. 90.

In conscientia obligat irregularitas, ante sententiam criminis declaratoriam, Apostatas à Fide, Hæreticos, &c. D. 1. d.13. n.108. p.109.

Irregularis, privatus est voce activa, & passiva in Electionibus. D.3. d.1. n.15. pag.170.

Tollitur irregularitas per Baptismum, per Professionem Religionis, & per dispensationem, ac per ablationem causæ ob quam fuerat inducta. *Irregularitatis dispensatio: & ablatio.*

Iudæi.

Iudex.

Iudicium.

Iuramenta.

Iura naturæ.

Ius naturale.

Iurisdictio.

Ius.

pagina 385. numero 19. & 21. pagina 387. & 388.

Iustitia.

Ad alterum est iustitia, non ad seipsum. Disq. 1. d.13. n.45. p.95.
Iustitiæ legalis finis adæquatus, est externa ciuium concordia, & pax. D.6. d.9. n.28. p.278.
Iustitiæ distributivæ finis adæquatus, est bona communia civibus, secundum proportionem meritorum vniuscuiusque, & secundum personarum dignitatem, distribuere. D. 6. dub.9. n.29. ibid.
Medium huius virtutis est, æquale geometricum. dicto n. 29. ibid.
Iustitiæ commutativæ obiectum formale, est bonum æqualitatis, vt non solùm quis, quæ sua sunt habeat. sed etiam vt sine suis rebus non maneat. D.6. d.16. n.53. p.317.
Vbi charitas non est, iustitia esse non potest. D.1. dub. 7. num.7. pag.38.

Iustitiati.

In Deuteronomio fuit præceptum, vt suspensi, eodem die sepelirentur. Crescente postcà malitia, diù manserunt in ligno. Disq.23. num.4. pag.565.

L

Laici.

Quas facultates à Papa recipere valeant, vide verbo *Facultas*.
Incapaces sunt locum sacrum possidendi, esto illum apprehendant corpore & animo. Vnde nullo tempore illum præscribere possunt. D. 6. d.1. n. 32. 38. p. 224. 225.

Largitio munerum.

Prohibita est Religiosis omnibus sub pœna privationis, cuiuscumque Dignitatis, &c. & inhabilitatis ad illa, & alia similia, & privationis vocis activæ, & passivæ: & quod possit contra eos procedi tanquam reos criminis furti, & simoniæ. D.1. d.13. n.88. p.105.
Munus autem recipiens, cuiuscumque Ordinis, status, aut conditionis sit, illud non facit suum, & restituere tenetur ipso facto in vtroque foro, Congregationi, aut Monasterio, de cuios bonis facta est largitio: & si non de bonis Monasterij, aut totius Congregationis, Monasterio in quo largitor professionem emisit. Congregatio autem, & Monasterium condonare non potest. ibid. n.89. 92. 96. pag.106.
Largitor tamen non tenetur in seipsum dictas exequi pœnas, ante sententiam criminis declaratoriam. D.1. d.13. n.71. 72. p. 102. n.91. 92. p.106.

Latria.

Est virtus, qua solos Deus colitur, & adoratur. D. 2. num.8. pag. 164.

Latro.

Qui de die deprædatur, latro nominatur. D. 20. d.2. n.1. p.560.

Læsæ Maiestatis crimen.

Illud est, per quod imminnitur maiestas, dignitas vel amplitudo Populi, aut Principis. D.8. dub vnico num.9. pag.358.
Illud committit, qui falsificat monetam, vel falsam cudendo, vel veram tundendo. num. 9. ibid.
Potest post mortem hoc crimen obiici, quando molitum fuerat contra Principem, vel Rempublicam solùm, non in aliis casibus. ibid. n.10. pag.359.

Lectio. Legere.

Constitutiones Apostolicæ contra largitores munerum, legi præcipiuntur quotannis in publica mensa Regularium, aut in Congregatione, mense Ianuarij, sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ Prælatis inflicta localibus. Sed non incurritur ante sententiam criminis declaratoriam. D. 1. dub. 13. num. 90. *versic. Hæc omnia.* p.105.
Libros Hæreticorum legentes, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt. D.1. d.12. n.8. 9.10. p.70.
Aliæ Constitutiones in publica mensa legendæ. Disq. 6. dub.23. num.21. p.337.

Legatarius. Legatum.

Qui non petit ab hærede Legatum, illud remittere censetur. D.1. d.13. n.67. p 99.
Statim ac hæreditas ab hærede acceptatur, Legatum comparatur. Disq. 6. dub.1. num. 16. 27. pag.223.
Vim non habet Legatum nisi post testatoris mortem. D.6. d.13. n.50. p.299.
Revocari non potest Legatum post mortem donantis. ibid.
Legatum ad Legatarium non transfertur quando non est illius capax, se ad eum, qui nomine Legatarij, Legatum acquirere valet. n. 51.
Simile adducitur. ibid. n. 64. p.301.

Leo V. Papa.

Monachus fuit Benedictinus. Coactus abdicavit, & vitam repetiit Monasticam, 9. Kal. Iunij, anni 907. D.13. n.16. p.493.

Legislator. Lex.

Lex humana conscientias non obstringit cum certo, aut probabili vitæ discrimine. D.1. d.3. n.9. p.10.
Lex, quæ fundatur in præsumptione, in conscientia non obligat, si veritati præsumptio non correspondet. Quia præsumptio veritati cedit. D.1. d.6. n.63. p.34.
Verbum quodlibet legis aliquid operari debet. D.1. d.6. n.49. p.32. D.11. d.7. n.4. p.409. d.14. n.6. p.418. D.12. d.4. n.10. p.485. saltem secundum se. D.11. d.7. n.5. p.409.
In Lege, quod non est expressum censetur neglectum. D.1. d.6. n.68. p.36. D 9. n.10. pag.361. D.11. d.17. n.59. p.436. D.12. dub.4. n.10. pag.485.
Lex civilis in Decreto reperta non habet vim Iuris Canonici, nisi alicui Canoni fuerit per,

Pon

Leges

Liberalitas.

Libertas.

Libri.

Licentia.

Licitum.

Lis.

Locatio.

Ludus.

S. Matthaeus.

Eius Evangelium *cap.* 10. exponitur. D. 1. d. 10. num. 9. pag. 67.

Matrimonium.

Mutuum postulat consensum tanquam de eius substantia. D. 12. n. 18. p. 463.
Quando est occultè irritum, Ecclesia permittit coniugatos tanquam fratres habitare, quamvis adsit incontinentiae periculum. D. 12. d. 2. n. 7. pag. 479.
Alia require *verbo Impedimenta.*

Mechia.

Omne illicitum concubitum, comprehendit nomen Mechia. D. 12. n. 17. pag. 463.

Medici.

Medici ordinarij Patrum Ordinis Minorum eisdem privilegiis, ac gratiis gaudent, quibus ipsi Minores, etiamsi Doctoris gradu insigniti non sint. D. 4. dub. 3. num. 8. pag. 190.
Inter spirituales, & corporales Medicos hoc est discrimen, quod isti, si morbi vim, etiam sine sua ignorent culpa, occidunt ægrotum; illi verò, si probabili vtantur opinione, sanant, etiamsi in re illa falsa sit. D. 11. d. 17. de iis qui in Duello moriuntur. n. 413. pag. 446.

Membrum.

Nemo tenetur sibi membrum amputare in delicti pœnam, etiam ex Iudicis sententia. Disq. 1. dub. 13. num. 46. pag. 96.

Memoriale.

Religiosi omnes nostræ Congregationis, in annexis degentes, exhibere debent Abbati, quando illos visitat, rerum omnium, quas ad vsum habent Memoriale; non autem Reverendissimo Generali, nisi bonorum administrationem habentes. D. 6. d. 3. n. 24. 25. p. 249.
In Conventibus debent omnes illud exhibere Abbati semel in anno n. 4. p. 246. n. 14. p. 149. n. 37. p. 252. & Generali dum visitat. n. 25. 26. pag. 249.

Mendacium.

Inter intrinsecè mala recensetur. D. 10. num. 30 pag. 368.

Mentiri.

Dicitur aliquando ad proprium tuendum honorem, & ad iniuriam propulsandam: aliquando ad violandum alterius honorem, & iniuriam inferendam. D. 11. d. 10. n. 1. p. 415.

Merx.

Vilescit vltionea merx. D. 14. d. 18. n. 18. p. 535.

Miles.

Potest ad evertendam turrim hostilem, aut occidendos hostes ignem in tormentarium pulverem iniicere, & illum incendere, etsi certum sit, momento temporis se obruendum, & dissipandum. D. 1. dub. 13. num. 52. p. 97.
Possunt Milites, & Socij navales cum Hæreticis, & Turcis prælio navali fortiter dimicantes, cum iam vident navem in hostium potestatem venturam, & ipsos ab inimicis occidendos, vel aliàs gravis adsit causa, communi consensu, ignem pulveri tormentario iniicere, vel se mari committere, maximè si natare sciant. n. 54. 55. ibid.
Possunt cum vitæ periculo turres, & mœnia hostium suffodere. n. 53. ibidem.
Tenentur non deserere stationes suas, etiamsi moraliter certi sint se occidendos. num. 51. ibid. em D. 11. d. 3. n. 54. p. 393.
Possunt in bello, cum propriæ vitæ periculo, alteri vt fugiat, equum dare. n. 59. p. 97.

Miracula.

Frustra non fiunt, sed ad hominum ædificationem. Disq. 8. num. 30. p. 357.

Monachus.

Quidquid acquirit, Monasterio acquirit. D. 6. d. 16. n. 41. p. 305.
Alia require *verbo Absolvere; Apostata; Confessarij; Confessio; Confiteri; Constitutio; Delectatio morosa; Dispensare; Eucharistia; Regulares.*

Monasteria.

In professione Religiosorum se obligant ad ministrandum eis necessaria iuxta Ordinis præscriptum, pro victu, & vestitu. D. 6. d. 9. n. 31. 32. pag. 279.
Ædificari prohibentur Monasteria, & Domus Regulares, nisi servatis conditionibus à Gregorio Papa XV. & Vrbano VIII. præscriptis. D. 6. d. 23. n. 20. 24. p. 337. 358.
Alia require *verbo Numerus.*

Moneta.

Qui illam falsificat cudendo, aut tundendo, crimen læsæ Maiestatis committit. D. 8. d. vnic. n. 9. pag. 358.
Qui certo scit brevi minuendam in valore, licitè illam, valore tunc currente, expendere potest, debita solvendo, census, & quæcumque bona emendo. Disquis. 14. dub. 11. num. 27. pag. 521.
Si aliud, tempore non exprimatur contractus, solum attenditur moneta secundum valorem, & æstimationem, quam tempore habet contractus. Disq. 14. dub. 11. num. 6. p. 519. n. 14. pag. 520.
Monetæ valor, in intrinseca æstimatione, à Principe, vel à Republica dependente consistit; non verò in pondere. n. 19. ibid.
Ab aliis differt rebus moneta: quia in ea primario pretium spectatur; in aliis, ipsa materia. D. 14. d. 12. n. 10. p. 524.
Moneta, instrumentum negotiandi est. Disq. 14. d. 16. n. 10. p. 528.

Monomachia

Monomachia.

Græcum est nomen, idem significat, quod Latinum, *Duellum*, D. 11. nom. 1. p. 372.

Moralia.

In re morali, & practica, communis, vel plurium Doctorum authoritas, magni est habenda, D. 1. d. 14. n. 82. p. 135. Si tamen legi, aut rationi innitantur, ibid. n. 138. p. 147.

Mori : Mors.

Articulus, & periculum mortis, pro eodem sumuntur. Plures casus recensentur, D. 1. d. 7. n. 60. 61. p. 48. n. 62. 63. 64. p. 49.

Licitè potest quis, sibi, & aliis mortem desiderare, & eam modo procurare legitimo, D. 1. d. 13. n. 60. p. 98.

Communiter benè moritur, qui benè vixerit; & è contra, qui malè vivit, malè moritur, D. 6. d. 25. num. 32. pag. 350.

Mutuum.

Est traditio rei, numero, pondere, & mensura constantis, eo animo facta, vt statim fiat accipientis, cum obligatione, vt similis in specie, & bonitate restituatur, D. 6. d. 13. num. 58. pag. 500.

Qui mutuo accipit, tenetur, ex gratitudine, beneficium compensare, D. 14. d. 2. num. 7. pag 502.

Mutuator illicitè aliquid sperat tanquam debitum ex iustitia; licitè, si ex amicitia, D. 14 d. 2. n. 12. 13. 16. p 503.

Mutuatori debetur sors mutuata, & remuneratio; illa, ex iustitia; ista, ex gratitudine, D. 14. d. 2. n. 14. p. 503.

Licitè ijs solum mutuatare quis potest, qui grati futuri sunt; Disquis. 13. dub. 2. numero 17. ibid.

In hoc sita est iustitia contractus mutui, vt nihil extra sortem mutuatam vi mutui exigatur, sed in recompensationem damni verè subsecuti, aut probabiliter eventuri, D. 14. d. 3. num. 21. pag. 506.

Vt dicta servetur iustitia, mutuator non in suam, sed in mutuatarij vtilitatem, mutuare debet, ib. n. 23. p. 507.

Vt iustitia item servetur mutui, æqualitas attendi debet. Plus enim lucrum præsens, quam certo futurum: certum, quam probabilius, &c. D. 14. d. 4. n. 9. 21. 22. p. 510.

Qui tempore mutui non convenit cum mutuatario, de reddenda re in eadem materia, obligare illum non potest, vt in eadem solvat, sed in valore D. 14. d. 11. n. 5. & seqq. p. 519. Quia in communi æstimatione, & sensu, excessum æstimationis materiæ remittit, n. 7. p. 519. num. 15. p. 520

Limita in casu, quo tempus sit transactum, & mutuatarius constitutus in mora. Tunc enim in eadem materia solvere debet, sive illius crescat, aut decrescat valor, numero 27. ibidem.

Si in contractu mutuator obligationem imponat, vt mutuatarius in eadem specie monetam reddat, seu in eadem materia, argentea v. gr. nihil aliud exprimendo, debet restitui, non solum valor, sed materia; non tamen incrementum valoris, si id evenerit, n. 20 ibid.

Si verò deduxit in pactum, vt solveret monetam, non solum quoad materiam, & valorem, sed quoad quantitatem materialem in numero, & pondere, in quocumque eventu, licet crescat in valore, obligabit illum sine vsura, vt omnem materialem reddat quantitatem, ibid n. 21. p. 521

Si tamen in hoc casu decrescat monetæ valor, non tenebitur mutuatarius eundem reddere valorem, quem tempore habebat mutui, sed easdem pecunias in numero, pondere, & mensura, n. 22. ibid.

Limita in casu, quo mutuator pecuniam illam esset apud se habiturus vsque ad tempus in quo in valore crevit, n. 23 ibid.

Qui scit valorem monetæ esse minuendum ante solutionis tempus, licitè potest absolutè illam mutuare, vt postea idem valor ei reddatur in majori monetæ quantitate, numero 24. ibidem.

Si tempore mutui, solutionis tempus non fuit assignatum licet mutuatori rem exigere mutuatam, triticum v. gr. tempore, quo plus valet, si antea non impedierit solutionem fieri, D. 14. d. 11. n. 1. p. 522.

Si fuit in principio tempus solutionis præfixum, & tunc æquè dubium erat plus, minusvè valituram rem mutuatam tempore solutionis, quam mutui æstimabatur tempore, licitum est pacisci, vt tantundem reddatur in eadem specie, pondere, & mensura, etiamsi pretium augeatur, sive mutuator illam esset servaturus, sive non, Disq 14. dub. 12. numero 2. ibid.

Si moraliter sit certum, vel probabilius, tempore solutionis plus valiturum si mutuator illud esset vsque ad id tempus servaturus, licitè potest tantundem in specie, pondere, & mensura exigere, cum tribus conditionibus, num 4. p. 523.

I. Vt mutuator non adimat mutuatario libertatem, antea solvendi, si voluerit, numero 5. ibid.

II. Quod si mutuator servaturus rem vsque ad tempus solutionis, facturus erat sumptus in illa custodienda, & conservanda, tantum de quantitate rei detrahatur, quantum sumptus illi mereantur. Eodem numero 5. ibidem.

III. Vt si res mutuata periculo subjaceat corruptionis vsque ad solutionis tempus, tantum de rei quantitate detrahatur, quantum prudentium iudicio, ratione periculi, detrahi debeat, loci & temporis circumstantiis attentis. Dicto n. 5. ibid.

Si moraliter sit certum, & probabilius, rem tempore solutionis pluris valituram, quam tempore mutui, probabile est, non licere mutuatori; tantundem rei mutuatæ recipere in specie, pondere, & mensura; si tamen tempus præfigatur solutionis, in quo nec antea, nec post fieri possit, n. 6. ibid.

Probabile etiam est licere, si non adimatur mutuatario libertas antea solvendi, num. 7. 9. p. 523. 524.

Si post mutuum, frumenti v. gr. valor decrescat, non

N

Naufragium.

Necessitas.

Negotiare : Negotiatio.

Nobilitas.

Nominatio.

Notarius.

Notorium.

Viciniæ

Nouitij.

Numerus.

Obedien

O

Obedientia : Obedire.

Nemo tenetur obedire Superiori, nisi prius morali certitudine sibi constet, suum esse Superiorem. D.1. d.7. n.19. p.41.

Peccatum inobedientiæ in Religioso duplicem habere malitiam specie distinctam, affirmant Doctores aliqui; alij negant. D.6. d.16. n.37. pag.314.

Qui vouerit parere in omnibus, quæ non sunt manifestè peccata, non tenetur obedire, nisi in licitis,& honestis. D.6.d.21. n.5 p.318.

Duplex peccatum non committit, quoties quis Superiori præcipienti non obedit: vnũ contra virtutem, cuius est materia præcepta, & aliud contra ius Superioris, quod ex sui præcepti omissione læditur. D.1.d.5.n.37. p.19.

Contra obedientiam tantum, extra Caramuëlem, & non contra paupertatem peccat Religiosus, qui contra Prælati præceptum, pingit, &c. ex materialibus amici, & amico picturas donat, D.6.d.22. n.16.17. p.332.

Æqualiter peccat contra obedientiam; qui vilissimam tabulam amico pingit, & donat, & qui pretiosissimam, si æquale tempus in pingendo insumpsit, ibid.n.18. iuxta eundem Doctorem.

Oblatio.

Clericus, aut Religiosus oblationes, aut eleemosynas ab Hæretico recipiens, officio privatur, ad quod, nisi ex Papæ indulto admitti nequit. D.1. d.12. n.80.81. p.82.

Obligatio.

Omni obligatione iuramenti, pactionis, &c. qua quilibet Hæretico obstringitur, liber manet, & absolutus ob illius Hæresim. D.1.d.12.n.47. pag.76.

Ciuilis obligatio non resultat in Regulari Prælato, in Domino ex contractu inito cum subdito, aut seruo. D.6.d.15. n.13.p.306. Resultat tamen naturalis. n.15. ibid.

Quælibet obligatio est pretio æstimabilis. D.14. d.18.n.6. p.534. d.18. num.9. ibid. intellige de ciuili.

Non solum datur obligatio ad actus positiuos, sed etiam ad priuationes actuum: ad non faciendum. D.14 d.17. n 7.

Obligatio Antidoralis.

Obligatio Antidoralis, seu remuneratoria ratione virtutis gratitudinis, ex ipso oritur beneficio. D.14.d.17.n.8.p.531.

Antidoralis obligatio, ex decentia & honestate est, & ex liberalitate procedit. D.14.d.6. n.18. pag.515.

Non parit actionem: & est in debitoris facultate illam adimplere, vel non, n.19. ibid.

Obligatio Antidoralis, quæ ex ipsa nascitur virtute gratitudinis, non est proprie obligatio, nec pretio æstimabilis. D.14. d.8. n.4. p.516.

Occasio.

Proxima Occasio peccandi est, quæ moralem habet cum peccato connexionem: quæ frequenter homines ad peccatum inducit: & quæ talem effectum in hoc habet homine. D.12. d.2. n.12. p.480.

Occasio proxima, eodem præcepto vitanda prohibetur, quo peccatum ipsum. D.12.d.2. n.14. ibidem.

Occasio remota est, quæ non habet illam moralem connexionem, seu coniunctionem cum peccato, n.12. ibid.

Occidere : Occisi : Occisio.

Ad vitam Principis conseruandam, immo & amici, potest quis se obiicere telo. D.1.d.13 .n.59. pag. 97.

Pro iniuste ad mortem condemnato, potest quis, se occidendum offerre, Eodem,n.59.ibid.

Potest quis frigoris tempore, vestem quam habet, cum propriæ vitæ periculo,alteri ne pereat dare. Dicto n.59. ibid.

Occidere se, aut patrem nemo queit, etiam ex legis,aut sententiæ præscripto. ibid. à n.44. ad 48. p.95.96.

Venenum sumere, nemo in pœnam delicti, etiam ex Iudicis præcepto sumere potest. n.45. 47. ibidem.

Violentas manus sibi inferre nemini licet, etiam in pœnam delicti, ex Iudicis sententia. ibid. n.46. 48 ibid.

Venam sibi scindere, vt sanguinem emittat, & sic paulatim vitam amittat, non licere, etiam ex Iudicis sententia, alij aiunt, alij negant, D.1. d.15. n.47. p. 96.

Se graviter verberare, aut cum infamia nemo tenetur in pœnam delicti, etiam ex legis præscripto, aut sententiæ,n.48. ibid.

Reus iustè ad mortem condemnatus, si Innocens non sit, aliquas in se exequi actiones conducentes ad sui occisionem, remote tamen, vt ad furcam, tabulatum proficiscere, scalam ascendere, culum præparare, manus apponere, laqueum sibi applicando, &c. tenetur, num 50. ibid.

Licitè potest puella invasorem suæ pudicitiæ occidere, si aliter se liberare nequit, D.8. n.12. p.355.

Aggressorem vitæ, aut bonorum fortunæ magni valoris, prudentium arbitrio, quando alia via defendi nequeunt, licet occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ.D.11.d.3.n.38.p.390. n.41. 43.44. p 391.

Inimicum occidere, alio modo, quo militibus,aut ministris aliis iustitiæ iubetur, mortalis culpa est D.11.d.3. n.83. p.396.

Regulariter occisi, non debent tumulari nisi prius facta vulnerum inspectione, aut probata morte violenta, per Iudicum Ecclesiasticum, aut sæcularem. D.23.d 2. n.1.p.567.

Inspectionem itaque fieri non licet post corporis humationem, nisi prius obtineatur Episcopi, aut eius Vicarij licentia. n.2. ibid.

Tenetur Episcopus dictam concedere licentiam, & potest ad id per Superiorem compelli. ibid. n.18. p.569.

Occultare. Occultum.

Alienum occultans delictum, suum illud facit. D.1.d.5.n.48. p.20.

De occultis per se, seu de pure internis, & mentalibus, nulla humana potestas cognoscit, aut iudicat. D.1. d.14. n.8. p.119.

Aliquando

Odia : Odiosa.

Oeconomus.

Opinio.

Gravem

Prælati,

Prælati, aut Conventus. D. 6. dub. 4. num. 16. pag. 258.

Item, qui superfluè, aut profanè insumit, nisi parvitas excuset materiæ. Disq. 6. d. 4. n. 25. pag. 259.

Prælatus licentiam concedens ad superflua, fini-delitatis peccatum committit. D. 6. d. 4. n. 21. pag. 258.

Non potest sibi maiorem concedere licentiam, quam subdito, nec è contra. Disq. 6 dub. 4. num. 14. p. 257. n. 19. p. 258. n. 36. *versic. Quæ asserunt.* p. 261.

Stare potest Religiosus Superioris arbitrio; quoad superfluitatem rerum habendarum, & insumendarum, nisi de arbitrij constet excessu, attentis circumstantiis. Disq. 6. dub. 4. num. 1. pag. 255.

Votum paupertatis non frangunt Religiosi Ordinum Militarium superflua habentes, aut expendentes: testari tamen non possunt. D. 6. d. 4. n. 8. p. 156.

Peccatum contra votum paupertatis, latius patet, quam peccatum proprietatis D. 6. dub. 4. n. 10. pag. 256.

An peccet mortaliter Religiosus retinens de Prælati licentia in sua cella, arma, monilia, vestes sericas, & alia statum Religiosum dedecentia? Disq. 6. d. 4. n. 11. p. 257.

Et an illa in Deposito ad bonum retinens finem? n. 12. ibid.

Paupertatis votum violat Religiosus, qui tribuit aliquid meretrici, ob turpia: & qui ludo illud exponit. D. 6. d. 4. n. 14. ibid.

In vtroque casu, duplex admittitur peccatum. Vnum, ob actum illicitum: aliud contra votum. n. 14. ibidem.

Religiosus bona distrahens, etiam de Prælati licentia, in canes venaticos, vanas picturas, convivia sumptuosa, vestes magni pretij contra paupertatem Religiosam, peccat contra paupertatis votum. D. 6. d. 5. n. 6. pag. 26;. n. 10. pag. 264.

Religiosus aliquid notabile donare non potest intra, aut extra Monasterium sine licentia expressa, aut tacita Prælati. D. 6. dub. 6. nu. 6. pag. 266.

Quantum de Prælati licentia possit in anno dare Religiosus consanguineis pauperibus ex suo peculio, declaratur. Disq. 6. dub. 6. num. 5. 6. ibid.

Et quoties. n. 8. ibid.

Improbatur, quod Prælati, officio durante sibi marsupium faciant, prætextu emendi libros planetas, &c. pro communi Conventus servitio. D. 6. d. 6. n. 13. ibid.

Paupertas Evangelica, & Religiosa, à D Bonaventura describitur. D. 6. d. 8. num. 3. & seqq. pag. 269.

Paupertatis voto adstringitur Communitas Religiosa. Censetur enim sicut vna persona professionem faciens paupertatis. D. 6. dub. 8. n. 9. pag. 270.

Statui pauperum repugnat habere, aut expendere per se, vel per alium, bona superflua. D. 6. d. 8. n. 9. ibid.

Paupertatis votum sacrilegè violat Communitas Religiosa, & Prælatus, si superflua, & statum pauperum dedecentia emant. D. 6. d. 8. n. 10. ibid. n. 11. 12. p. 271. n. 16. 17. p. 272.

Communitas tamen non incurrit vitium proprietatis, si expendat quæ sua sunt propria in communi. D. 6. d. 8. n. 7. p. 270.

Non licet Prælatis bona Conventus expendere in alios vsus extra quos destinata sunt, nisi vbi consuetudo aliquid modicum expendere permiserit. D. 6. d. 9. n. 20. p. 277.

In Religionibus, in quibus quota datur Religiosis pro itinere, aut Scholis, vel extra Monasterium degentibus, ea lege, vt nihil amplius teneatur Monasterium eis dare, nec ipsi rationem de residuo reddere, possunt de residuo eleemosynas, aut donationes facere. D. 6. d. 10. à n. 12. ad 15. p. 284.

Secùs dicendum, quando etsi assignetur quota, non tamen recensita lege, & quando non assignatur quota. D. 6. d. 10. n 16. ibid. num. 23. pag. 285.

Secùs etiam dicendum, de Prælato, & quocumque alio administratore. Dicto n. 23. ibidem.

Religiosus extra Claustrum contractum iniens, habere debet intentionem, saltem virtualem acquirendi Monasterio, aut Ordini, eo modo, quo licet iure humano, & divino. D. 6. dub. 10. n. 18. p. 284. d. 19. n. 3. p. 325.

Religiosus habens peculium, de Prælati licentia potest, in Peyrini sententia, consanguineis pauperibus, semel, & iterum, si totum exigat, iudicio prudentis, necessitas, decem ducatos donare. Sed cautè procedat, quia carnis affectus, sæpè non sinit debitas pensare circumstantias. D. 6. d. 10. n. 21. p. 285.

Non violat paupertatem Religiosus, qui meram administrationem, & curam rerum exterorum accipit, dummodò ei aliquod emolumentum ex administratione non adveniat, sicut nec coquus Religiosus si in obsequium sæcularis, & eius nomine, sumptuosum præparet convivium. D. 6. d. 11 n. 11. p. 288.

Verum hoc tenet, etiamsi sæcularis intendat dominium rerum in Religiosum transferre, aut possessionem, dummodò neutrum Religiosus acceptet. D. 6. d. 11. n. 13. ibid.

Depositum, administratio, aut vsus rerum, tunc solum pretio sunt æstimabiles, quando aliquod ius, seu potestas vtendi independens acquiritur. D. 6. d. 11. num. 15. ibid.

Ius administrandi seu disponendi de re aliena, & nomine alieno, non est verum ius, sed improprium, & simplex facti vsus. Vnde paupertatis non violat votum. D. 6. d. 11. n. 16.

Illustratur à simili, de Vicario Ecclesiæ alteri accessoriè vnitæ. ibid. num. 17.

Religiosus, (nisi ex iusta, & rationabili causa) non acceptans rem donatam, contra Charitatem Monasterio debitam peccat, non contra paupertatis votum. Disq. 6. d. 11. n. 19. p. 289.

Votum paupertatis obligat ad carentiam dominij & cuiuslibet iuris civilis, & ad non habendum vsum facti rerum temporalium, nisi ex voluntate Prælati. Disq. 6. dub. 11. n. 20. ibid.

Et ad imitandum statum pauperum. num. 21. pag. 290.

Peccat contra votum, qui insumit sine licentia, saltem tacita Superioris, esculenta, aut poculenta ab externis oblata. D. 6. dub. 11. num. 22. ibidem.

Etiam in convivio. D. 6. d. 11. à n. 23. ibid.

Per votum paupertatis, non solum res obligavimus nostras, sed & principium dominandi. D. 6. d. 1. n. 8. p. 221. d. 11. n. 22. p. 190.

Qui

Possessio

Praxis. Stylus.

Præcepta.

Prædo.

Prælati.

Committit etiam peccatum proptiectatis D 6.d.4. à n.6. ad 11. p.263. d.16. n. 25. pag.312 n.31. pag. 314.

Eadem omnia asserunturr, si subdito ad similia veniam concedat, etiam simul cum Conventu. D.6.d.4.n.6.7.p.263.n.10. pag. 264.

Eisdem subest legibus, quoad temporalia habenda, ac subditi subsunt. D. 6. d. 5. n.2.3. p.262.

Aliam sibi,quam subdito licentiam concedere non potest, & è contrà. D. 6. dub.5. num. 4. ibid. n.7. p.263 n.10.13. p.264.

Datur incommodum, & vtilitatem ,non sui, sed Subditorum, & Conventus. D.6. dub.5. n.4. p.262.n.10. p.264.d.23.n.46.p.341.

Ea bona sibi potest assumere,ex bonis Conventus, quæ potest aliis concedere, & non alia. D. 6. d. 6. n.1. p.265.

Posse Prælatum ex bonis Conventus assumere sibi, aut ad pias causas decem aureos singulis annis, & viginti, si Conventus pinguis sit,servatis servandis, docet Peyrinus. D.6.d.6. n.2. 3.4. p.266.

An possit donare, & quantum, ex bonis propria industria acquisitis, disseritur. D.6. d.6. nu.9. 10.11.ibid.

Generalis, an aliquid assumere possit ex bonis Conventuum. D.6.d.6. à n.12. ibid.

Prælatus mortaliter peccat, si condemnet, quem ex actis constat esse nocentem, si enim privatim esse cognoscat innocentem. D.6. dub. 8. n. 19. pag.272.

Tenetur Prælatus subditis bona illa alimenta, vestimenta, *&c.* ministrare, quæ à Regula,ordinatione Ordinis, vel à consuetudine legitimè præscripta ministrari disponuntur; aliter faciens, peccat contra iustitiam legalem. D. 6. d.9.n.18. p.278.

Contra iustitiam distributivam.n. 29.30. ibid.

Et contra commutativam, n.29. 31.ibid.

Omnia necessaria debent dari subditis cum proportione, attentis circumstantiis:non secundum proprium affectum, sed iuxta regulam Charitatis. D. 6. d.9.n.29. & seqq. ibid.

Mortaliter peccant Prælati si aliter faciant, nisi parvitas excuset materiæ, vel sit exigua inter personas distantia. D.6. d.9.n.30.31.ibid. n.32. pag.279.

Quanta debeant abundantia ministrare, declaratur. D. 6. d.9. num.31. 32. pag.278. num.32. pag.279.

Prælati negligentiam supplere non potest subditus; benè tamen Prælatus potest, & debet subditi negligentiam supplere. D. 6.dub. 9. n.33. 34. ibid. n.37.p.280.

Impugnatur Peyrinus contrarium in certo casu docens. Disq. 6. dub. 9. num. 38. ibid.

Prælatum accusare, aut reprehendere non potest subditus, nisi à Fide exorbitaverit. D. 6. d. 9. n.34. p. 279.

Facta, & ordinationes Prælati à subditis diiudicanda non sunt, ne Monasterium per abrupta dissolvatur vitiorum. D. 6. d.9. n. 35. ibid.

Prælati omnes Regulares, etiam supremi, Regulis subiecti sunt, sicut Religiosi particulares. Disq. 6. d.9. n 38 p.280.

Prælati, si contra Regulam aliquid operantur, nullum illud est. D.6. d.9. num.38. ibid.

Prælatus, & non Oeconomus, vel Procurator, administrationem habet bonorum Conventus. D.6. d.9. num. 43. p.281.

Prælatus, qui aliquid subdito concessit, cum promissione, illud non revocandi, validè revocare potest. Disq.6. dub. 15. n.10. 12. 13. 14 pag. 305.306.

Sed non licitè, nisi adsit iusta causa. n. 10. 15. ibid.

Idem dicitur de successore Prælato, n.11. p. 305.

Prælatus successor stare tenetur contractibus prædecessoris, & sub eadem obligatione.D.6.d.15. n.11.ibid.

Prælatus, & Conventus possunt inter se bona Monasterij dividere; revocabiliter tamen. D.6. d 15. n.14. p.306.

Tantam in se habent Prælati, quoad favorabilia, facultatem, quanta in subditos pollent. D.6. d.16. n 32. p.314.

Prælati possunt sine testibus culpæ, politicè corrigere publicè subditos, circa ea, quæ leviter tenentur in foro externo facere, vel omittere; secùs circa ea, quæ graviter, & in foro interiori. Disq.6. dub.18. num.12.13. p.323.

Annuatim requirere debent fugitivos, & eiectos. D.6. d.25. n.7.8. p.346.

Nullus, præter Abbatem, inter Regulares Prælatos, potestatem Ordinis habet; habent tamen omnes illi, iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos, & quantam in suos habet Episcopus. D.6. d.25.n. 16. p.347.

Omnia possunt Prælati Regulares in subditos, quæ in suos Episcopus, & Papa in omnes fideles, exceptis reservatis ipsi Papæ. D.6.dub.25. num.18. 19.20. pag. 348.

Possunt declarare subditos incurrisse in pœnas, authoritate Apostolica inflictas. eod. num. 19. ibid.

Possunt punire Apostolicatum dispositionum transgressores. n 20. ibid.

Et de facto puniunt. n.21. ibidem.

Prohibere possunt Prælati Ecclesiastici ea, quæ animæ commoniter periculum afferunt.Disq.9. num. 2. pag.359.

Vide alia, *verbo Abbas. Absolvere. Capere. Dispensare.*

Præscriptio.

Locum non habet respectu bonorum Congregationum Cassinensis, & Vallisoletanæ Benedictinarum, nisi post centenariam possessionem. D.4. d.8 num.30. p.204.

Bonæ fidei possessor, rem tempore à Iure statuto præscribit, illam suam faciendo. D.6.d.1.n.55. p.227.

Præscriptio non datur, vbi non adest civilis possessio.ibid.n.45. p 226.

Præsumere. Præsumptio.

Si falsa est præsumptio,lex, & sententia in ea fundatæ, nullæ sunt. Disq.1. d.6. n.63. p.34.

Vnusquisque bonus præsumitur, vsque dum malus non probetur. D. 8. n.9. pag.354.

In dubio, non debet præsumi, quod aliquis peccaverit, & quod immemor sit suæ æternæ salutis. D. 15. n. 5. 6. p.545.

Nisi in actuali peccato deprehensus, nemo suæ æternæ salutis immemor præsumitur. D. 20. dub.1. num.10. p.559.

Pretium.

Quod liberum non est, sed ex iustitia debetur, pro pretio constitui non potest. Disq. 14. d.6. n.3. pag. 513.

Alia vide *verbo Moneta. Simonia. Vsura.*

aliis, illius favores concedantur, & gratiæ, D. 4. d. 8. n. 63. p. 111.

Privilegiorum Regularium variæ communicationes, & extensiones recensentur, D. 4. d. 8. à n. 46. ad 60. p. 206.

Huiusmodi privilegiis, etiam revocatis possunt hodie uti omnes Regulares communicantes in privilegiis, D. 4. d. 8. n. 61. p. 210.

An etiam & expressè revocatis per Tridentinum, in foro conscientiæ saltem, D. 4. d. 8. num. 64. pag. 211.

Eatenus privilegia, & indulta facere intendunt alicui Religioni Pontifices, quatenus ei favorabilia existunt, Disq. 4. dub. 11. num. 3. 4. p. 214.

Communicantes in privilegiis alteri concessis Religioni, eadem respectivè, in similibus casibus efficere queunt, ac illa valet Religio efficere, D. 4. d. 11. n. 5. ibid.

Privilegia, quæ Regularibus conceduntur, maximè salutem, animarum concernentia, favorabilia sunt, Disq. 11. dub. 17. num. 151. pag. 452.

In remunerationem conceduntur Regularibus privilegia, D. 11. d. 17. n. 155. ibid.

Latissimè sunt interpretanda, D. 11. d. 17. n. 151. 153. ibid.

Concessa in perpetuum Regularibus, censentur ac si essent in corpore Iuris inserta, D. 11. d. 17. n. 154. ibid.

Regulares sua consulere debent privilegia, ne limites transgrediantur concessionum, nec aliquid detrahant concessionibus, D. 11. d. 17. n. 177. p. 456. n. 178. p. 459.

Laudabiliter conantur sua defendere privilegia: & ad id tenentur, Disq. 11. d. 17. num. 178. ibid.

Revocationes generales privilegiorum Regularium factæ ante 5. Novembris 1631. solùm vim habent in iis, quæ Fidem, eius propagationem, & Inquisitionem concernunt, D. 11. d. 17. n. 180. ibid. n. 186. p. 459.

Revocationes editæ, vel edendæ ab illo die, in omni materia vim obtinent. n. 181. p. 457. n. 186. p. 459.

Confirmatis privilegiis vnius Ordinis, aut Coogregationis, confirmata censentur pro aliis Ordinationibus, & Congregationibus illis gaudentibus: dummodò communicatio non solum sint concessorum, sed etiam concedendorum, D. 11. d. 17. n. 175. p. 456.

Privilegia Congregationum Ordinis S. Benedicti. Privilegia à Sede Apostolica Cisterciensibus concessa non revocantur, nisi in revocatione fiat expressa mentio ipsorum Cisterciensium, D. 1. dub. 14. num. 140. *versic. Probatur primò*, pagina 147.

Benedictini Congregationis Hispanæ privilegiis aliorum Ordinum gaudent, D. 1. d. 14. n. 176. p. 157.

Privilegia eiusdem Congregationis data verborum ambiguitate, & varia peritorum interpretatione, in favorem Congregationis, & locorum particularium eius, interpretari debent, D. 4. d. 4. n. 2. p. 189. Idem de Cassinensibus, D. 11. d. 17. n. 163. p. 451.

Privilegiis concessis Benedictinis, Cassinensibus, & Vallisoletanis, non derogatur per alios Summos Pontifices, nisi servatis, quæ in sua statuuntur Constitutione, concessit Eugenius IV. D. 4. d. 8. n. 35. p. 205.

Cassinensium privilegiis, Hispanæ, seu Valisoletanæ Congregationis, Benedictini gaudent, D. 4. d. 8. n. 30. p. 204.

Gaudent etiam idem Vallisoletanæ Congregationis Monachi, omnibus privilegiis, & gratiis concessis, & concedendis quibuscumque Ordinibus, etiam Mendicantibus. Et non solum Monachi, sed aliæ personæ & loca, D. 4. d. 8. n. 51. 64. 53. p. 208.

Similiter Monachi Camaldulenses, gaudent concessis & concedendis aliis omnibus Regularibus, D. 4. d. 8. n. 59. p. 210.

Recensentur privilegium amplissimum Benedictinis Portugaliæ concessum, ibid. n. 40. p. 206. n. 48. 49. p. 107.

Non amittimus Benedictini privilegia, per non vsum, aut per contrarium vsum, D. 11. dub. 17. n. 178. 179. p. 457.

Amplissima referuntur privilegia, Congregationi Fulliensi concessa, Disq. 4. dub. 8. num. 44. p. 107.

Recensentur etiam illustria privilegia aliarum Congregationum Cistercientium, D. 4. dub. 8. num. 47. ibid. num. 56. pag. 209. numero 58. pag. 110.

Privilegia nostrarum Congregationum Cassinensium Vallisoletanæ, Societatis Iesu, & Ordinis Melitensis, revocata non fuot per Constitutionem, *Illius vices*, Clementis VIII. D. 4. dub. 8. n. 64. p. 211.

Cassinensium privilegia, per nullam Constitutionem Apostolicam revocari possunt, nisi de eorum, & de Bulla Pauli III. sub 5. Novembris, 1537. tenoribus, de Verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & specifica, specialis, & expressa mentio facta fuerit: ac nisi derogationes, per tres distinctas litteras, eundem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, Præsidenti, Diffinitoribus, & Visitatoribus intimatæ sint; ac de ipsorum assensu, D. 11. d. 17. n. 65. p. 438. Vide n. 69. & 70. p. 439.

Idem concessit Societati Iesu, Gregor. XIII. D. 11. d. 17. n. 66. p. 438. Et Melitensibus, num. 67. p. 439. *Pro Societate Iesu, & Melitensibus.*

Privilegia dictæ Societatis, & Ordinis non sunt revocata per Clem. VIII. Vbi proximè, n. 64. p. 438.

Pro Trinitariis excalceatis. Privilegia Ordinis Excalciatorum Sanctissimæ Trinitatis, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmauit Vrbanus VIII. anno 1636. absque clausula: *Dummodo sint in vsu*: aut: *dummodo revocata non sint*. D. 11. d. 17. n. 159. p. 453.

Probare: Probatio.

Alleganti se non fecisse aliquid prohibitum, animo favendi Hæretico, qua tali, sed ex misericordia, aut amicitia, &c. incumbit onus id probandi. D. 1. d. 5. n. 57. p. 21.

Si falsa fuit probatio, sententia in ea fundata, nulla est. D. 1. d. 6 n. 63. p. 34.

Probare rem esse suam; ad possessorem non spectat, sed ad actorem. D. 6. d. 1. num. 57. pag. 227.

Ad plenam probationem, quando non agitur de alicuius præiudicio, vnus testis sufficit. D. 5. n. 6. p. 216. D. 20. n. 4. p. 557.

Duo vt plurimum sufficiunt, etiam quando de præiudicio agitur, ad plenam probationem. D. 12. n. 100. p. 473.

Alia vide verbo *Testis*.

Processio

deponere, aut commodare, D.6. d.10. num.22. p.285.

Proprietarius est Religiosus recipiens absolutè ab extraneo distributionem bonorum, & illa distribuens sine venia Prælati: & peccat contra iustitiam, D.6. d.11. n.2.3. 4. p.286.

Secus est si absolutè non acceptat, sed donanti manifestat, se eius nomine facturum distributiones; dummodò tamen in proprium commodum ipsius Religiosi non sit, D.6. d.11. n.7.8. 9. p.287.

Religiosus, cui volens amicus dare aliquid, rogat, vt tali illud det consanguineo, aut alteri non intendens, saltem tacitè, quoad ius aliquod illud acceptare, proprietarius non est, D.6.d.11. num.5. pag.286. & num. 18. pag.289. Vbi declaratur, quando contingat tacita acceptatio.

Proprietarius est, qui ab extraneo accipit pecuniam pro libito, etiam donantis nomine distribuendam sine dependentia à Prælato, quamvis donans se pecuniæ dicat, retinere dominium, D.6.d.11 n.6 p.287.

Secus si donans quæreret Religiosi ministerium propter eius fidelitatem, etiamsi à donante personæ non determinentur, & Religiosus bona fide, absque intentione habendi commoditatem in distributione huiusmodi, distributionem acceptet, Disq. 6. dub. 11. numero 6. ibid.

Non est proprietarius, qui ab extraneo accipit pecuniam, vsum illius non determinante, sed suo arbitrio relinquente, vt nomine ipsius, in vsum, quem elegerit expendat, dummodo in sui non expendat vsum, Superiore non consentiente, Disq. 6. dub. 11. num. 10. ibid.

Neque proprietarios est, qui petit ab amico, vt penes se deponat pecuniam, vt postea quando opus fuerit, petat à Prælato veniam vtendi; si tamen nullum ius, aut possessionem acquirere intendat, Disq 6. dub. 11. num.10. ibid.

Nostræ Congregationis Religiosi proprietatiorum pœnas incurrunt si absque expressa Prælati venia, vltra 24. horas apud se habeant, aut penes alios, aurum, argentum, pecunias, &c. & qui intra idem tempus illa expendant, D.6.d.11. n.14. p.288.

Proprietarius est, qui ab extero pecuniam accipit ad ipsius vsum liberè dispensandum, esto donans dominium pecuniæ sibi reservet, Disquis. 6. dub. 11. num. 20. pag. 289. num. 23. 290.

Parati ex animo esse debent omnes Religiosi ad assentiendum Prælato, revocare volenti peculium, & statim ac revocatur, tenentur illud tradere, sub vitio proprietatis, D.6. d.15. n.16.19. 20.21. p.306.

Limita in casu, quo aliunde satis Religiosis provideatur, D.6. d.15.n.17. ibid.

Religiosus aliquid occultans Prælaro, ne ab eo auferatur, esto ab eo fuerit concessum, proprietarius est, Disq. 6. dub. 15. num. 17. 18. ibid.

Excipiuntur casus aliqui, in quibus à culpa mortali excusatur, licet non à veniali, D. 6. d.15. n.18. ibid.

Proprietarius est, & peccatum admittit Scandali, qui murmurationibus, aut aliis modis nititur, ne sibi id, quod habet auferatur, à Prælato, modo murmuratio, aut quærimonia, &c. notabilis sit, Disq. 6. dub. 15. n. 22. ibid.

Idem est de eo, qui similibus mediis, vel precibus importunis, vi, dolo, aut metu licentiam impetrat ad accipiendum, retinendum, vel expendendum; Disq. 6. dub. 15. numero 23. p.307.

Proprietarius est Prælatus veniam subdito concedens ad habendum proprium, & ad vsus superfluos, & statum pauperum dedecentes, Disquis. 6. d.16. 0.30. p.313.

Proprietarius est & subditus, tali vtens licentia, D.6. d.16. 0.30. ibid.

Peccatum proprietatis in Religioso duas continet formalitates, specie distinctas, necessariò confitendas: furti, & Sacrilegij. Disq.6. d.16. num.36. p.314. Et de Sacrilegio, d.25. num. 3. p.346.

Proprietarius est Religiosus, qui vtitur licentia non legitima, & vera, & omnino liberè concessa, & ex iusta causa, D. 6. d. 17. à num. 1. p.310.

Proprietarius est Religiosus, qui acceptans ius ad stipendium Missarum, quas celebrat, illud remittit extraneo, aut pauperibus, D.6. d.18. o.11 p.322.

Secus dicendum de non applicante animum ad stipendium, & negativè se habente respectu stipendij, & Missas se obligante celebrare pro eo, quæ scit illarum percipere eleemosynas, Disq. 6. dub. 18. num. 2. ibid. num. 17. 19. p.324.

Proprietarius non est Religiosus cedens iuri Missarum ei debitarum, etiam ob stipendium solutum, aut ab alio, quàm ab ipso solvendum Religioso, Disq. 6. dub. 18. num.4. pagina 322.

Non est proprietarius Religiosus si offerenti stipendium pro Missis, dicat: *gratis pro te celebrabo Missas, sub hac conditione, quod stipendium, quod non accepto, gratis des tali amico*; D.6.d.18. n.23. p.325.

Non est proprietarius, qui conventionem facit dicendi certum Missarum numerum pro tali stipendio; dummodò hoc non recipiat de facto, sine licentia; Disq. 6. dub. 19. numero 2. ibid.

Debet tamen habere animum non acquirendi aliquod ius, seo actionem ad acquirendum stipendium proprio nomine, sed Conventus, D.6. d.19. n.3. ibid.

Proprietarius est Religiosus, qui picturam, aut aliud artefactum, absque licentia facit animo dandi illud amico; secus si ante picturam factam, ea primaria intentione ad eius petitionem fiat, Disquis. 6. dub. 22. numero 26. p.332.

Si Religiosus contra Prælati præceptum, picturam donet pretiosam, aut aliud à se factum ex materialibus donatarij, contra obedientiam, non contra paupertatem peccat in sententia Caramuelis, Disq.6. d. 22. n.2. p.230. n. 16.17.25. p. 232.

Religiosi omnes, qui in causa sunt, vt in Domo Regulari plures ponantur, quàm commodè, sine penuria, & abondanter sustentari possint, proprietarij sunt, Disq.6. d.23. à numero 43. p.341.

NNNn Non

Servis æquiparantur Religiosi, D.1.d.6. num.11. p.17. D.6. d.1.n.74. p.128.

Quicquid acquirunt, Monasterio acquirunt, etiam tempore fugæ, & apostasiæ, D.1.d.6.n.12 p.17. n.26. p.18.

Si in apostasia moriantur, ad Sedem Apostolicam eorum pertinent spolia, Disq.1. d.6. num.27. p.19.

Religiosus lapsus in crimen, cui ipso facto inflicta sit pœna privationis dignitatis, officij, & huiusmodi, non tenetur ab exercitio abstinere illius, donec per sententiam criminis declaratoriam, ipso citato, condemnetur, D.1. d.13.n.71. 72. 75. p.109.

Religiosi, ex debito, in Claustro esse tenentur, qui administrationem non habent, D. 1. d.14. n.183. p.158.

Vivere sine Claustro non possunt, sicut nec pisces sine aqua. Eodem n.183. ibid.

Religiosorum quies, & vagandi occasiones maximè Summi intendunt Pontifices, & propter illa, magna eis, & plura concesserunt privilegia, ibidem, numero 183. & numero 185. p.159.

Monasterio acquirunt, si capax illud dominij sit, D.6. d.1.n.74. p.128.

Testari non possunt, nec succedere. Eodem numero 74.ibid.

Obligantur ad non habendum, vel volendum habere, aut expendere aliquid iure suo, D.6. d 1. n.75 p.129.

Curare debent de bono testimonio, & opinione, vt non damnentur humano iudicio, D. 6. d. 8. n.14 p.171.

Per professionem, se, cum omnibus suis, Monasterio dederunt. Vndè omnia eorum opera Monasterio sunt debita, D.6. d.9. num.24. p.177. n.31. p.178.

Non solum renunciant in professione rebus temporalibus, sed propriæ voluntati, ita vt penitus alienæ se potestati subdant, D.6, d.10. num.10. p.183.

Aliqua sunt Charitatis officia, quæ Religiosos non decent, D.6. d. 12. n.5. p.191.

Ita se habent Religiosi ad Prælatum, sicut servus ad Dominum suum, Disq.6. dub. 15. num 15. p.306.

Nulla obedientia eis ad vitam committi potest, sed amôvibiliter ad Prælati nutum, D. 6. d.15. n.12. ibid.

Alia vide Verb. *Absolvere, Apostata; Clerici; Confessarij, Confessio; Confiteri; Constitutio; Conversi, Delectatio morosa, Depositarius; Dispensare; Dominium; Donare; Eleemosyna; Episcopus; Eucharistia; Illegitimi; largitio munerum; licentia; Ludus; Negotiare, Numerus, Obedientia, Paupertas Religiosa, Peculium; Proprietas Religiosorum vitium; Proprium.*

Rei.

In dubio, reo favendum est, D.8. d.9.p.354. Potius quàm actori, D.11. d.1 n. 4. p.379.

Rei, tormentorum timore falsa crimina confitentes, in æternum damnantur, si mortem ob illam subeunt confessionem, si saltem illam non revocant in extremis, d.8.n.11. p.355.

Rei è carcere fugientes, vt pœnam legitime inferendam evitent, peccant. Dicto n.11. ibid.

Religio.

Apud solos Catholicos quærenda est, D. 1. d.10. n.5. p.66.

Reliquiæ.

Notabilia Reliquia, est Caput, Brachium, Crus, & pars corporis, in qua Martyr passus est, si integra illa sit, D.4. d.9. n.1. p.211.

Remedium.

Vbi remedium ordinarium locum habere potest, extraordinario regulariter locus non est; secus si adest facultas potentis concedere, D. 1. d.7. n.70. p.50.

Remigrare.

Contra Ecclesiam, vel Christianos, in favorem inimicorum Fidei remigrare, mortale crimen est, D.1.d 5. n.56. p.21.

Repetundæ.

Repetundarum crimen committitur à Magistratu, qui pecuniam, aut munus ab his accipit, quibus præest in Provincia, ad quam missus fuit, aut in Vrbe, D.8. d. Vnico. n.5. p.358.

Res.

Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, D.1. d.7. n.108. p.57.

Rescriptum.

Eandem vim habet rescriptum Papæ, ac alia quævis dispositio eius, D.1. d.14. n.87. p.136.

Reservatio.

Nullum pure internum mentale, & occultum per se, comprehendit reservatio, D.1. d.14.n.8.p.119.

Reservatio odiosa est, & limitanda quantum verba patiuntur, D.11. d.17.n.44.p.434.

Residentia.

Archiepiscopi, Episcopi, Primates, & Parochi tenentur ipso facto, in conscientia, fructus restituere ante omnem sententiam, si in Ecclesiis non residեant, & peccant mortaliter, D.1. d.13. n.12. 13.14 p.88. n.18.p 89. n.36.p.91.

Respondere.

Ad interrogationem factam super facultatem ab aliquo, obtentam, satis rectè responderi non potest, nisi ista perspecta, D. 1. d.6. n.19. p. 17.

Restituere: Restitutio.

Restitutioni obnoxius, qui non restituit statim, ac commodè potest, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis, & voluntatis retinendi alienum, moraliter interrupti, D.1. d.13.n.92. p. 106.

Privatus ipso iure beneficio, restituere tenetur fructus post criminis declarationem, non antea, D.1. d.13.n.117. p.112.

Quicumque bona Hæretici possideat post patratum crimen, illa debet Fisco restituere post criminis declarationem, Disq.1. dub.13. num.117. ibid.

Restituere tenetur pecunias, qui illas accepit, à Religioso in vana, & superflua impensas, etiam de Prælati licentia, D.6. d.4. n.13. 14. p.157. d.5.n.6.7, p.161. n.10.p.164.

Prælatus Regularis restituere tenetur pecunias, in exquisitos cibos, aut vina expensas, D.6.dub.5. n.18.p.165.

Ad restitutionem tenetur, qui ab Oeconomo, vel ab alio ministro aliquid accepit, sine Prælati licentia, D.6. d 9.n.8. p.175.

Religiosus, qui deperdit in ludo maiorem quantitatem, quàm deperdere poterat, tenetur collusorem suadere, vt Conventui restituat, quod fuerat lucratus vltra iustam quantitatem. Qui si restituere noluerit, tenetur Religiosus recompensationem intendere ex peculio sibi concesso, esto ex eodem peculio illam deperderit, Disq.6. d.16. n.42. p.315.

Restitu-

Qui internè tantum Schismaticus est, pœnam nullam incurrit. D.1. dub.7. n.129. ibid.

Omnes tamen pœnas incurrit Schismaticus merè externus. D.1. d.7. n.130. 135. ibid.

Alia vide *verbo Carcer; Flagellum; Furca; Fautor; Defensor; Receptator.*

Scripta.

Quasi pars scientiæ, & doctrinæ sunt, & deserviunt vt adminiculum memoriæ à qua scientia dependet. D.6. d. 21. n.17. p.329.

Religiosus in sua scripta dominium habet, & quale illud sit declaratur. n.4. p.327. n.5.7. p.328. n.14.15.16. p.329.

Sententia.

In falsa probatione, aut præsumptione fundata, nulla est. D.1. dub.6. n. 63. p.34.

Sententia criminis declaratoria ab eo in plurimum ferri debet, qui pœnam tulit contra delinquentes. D.1. d.13. num. 107. p.112.

Prælati declarare possunt subditos. D.6. dub.25. num.19. p.348.

Sententia semel lata, retractari non debet, ob privilegium, aut instrumentum de nouo repertum. D. 1. d.14. n.13. p.121.

Contra non citatum, & auditum sententia lata, iniqua est, iniusta, & nulla. D. 10. num. 22. pag.366.

Iuxta allegata, & probata ferri debet. Disq.10. num.26. p.368.

Fallit quando Iudex scientiam habet contrariam, etiam priuatam, Disq. 10. num. 27. 28. 29. ibidem.

Sententia super tumulando, aut non tumulando cadauere, inappellabilis est. D.11. d.1. n.11. & 12. pag.380.

Sepultura.

Sepultura Ecclesiastica priuati existunt Hæretici, Iudæi, Pagani, & alij infideles. D.1. n. 1. p.1. n.2.5. pag.2.

Denunciati esse debent prædicti, vt de facto sepultura priuentur. D.1. n.6. ibid.

Iudæi, qui à pueritia legem Moïsi sine intermissione profitentur, & qui illa derelicta, & Euangelica admissa, ac derelicta ad Mosaïcam redierunt sepultura priuantur. D. 1. d. 10. n. 2. 3. pag.65.66.

Secùs, qui Euangelicam semel susceptam, probabiliter non deposuerunt. D. 1. d. 10. num.9. pag.67.

Sepeliendus est simul cum matre fideli, fœtus in ventre mortuus, & non extractus. D.1. dub.15. n.1.4. p. 68.

In loco sacro sepeliendi non sunt, nec more Ecclesiastico filij fidelium lati non baptizati. D.1. dub.15. n.3. 4.5.6. ibid.

Illi de quibus dubium est, an sint baptizati, Ecclesiasticâ sepulturâ priuandi non sunt. n. 7. & seqq. dicti d. 11. ibid.

Qui Hæreticum tumulauit, siue Clericus, siue Religiosus, officio priuatur. D. 1. d.12. n.79. pag.82.

Perpetuo Sepultura caret locus, in quo Hæreticus fuit tumulatus. Disq.1. dub. 12. num.81. pag.82.

Nulla, vel vilis iustis obest, nec impiis vlla, vel celebris, aut speciosa prodest. Disq.3. num.7. pag.166.

Interdictum ingressus Ecclesiæ, & excommunicationem incurrit, qui scienter, & ex præsumptione ad Sepulturam publicos excommunicatos, vsurarios manifestos, vel interdictos admittit. D.3. n.12. 13. p.167.

Causa ob quam Fideles in loco sepeliuntur sacro, est, vt sint Suffragiorum participes. D.3. d.3. n.13. p.174.

Excommunicati non denunciati, & qui non sunt notorij percussores Clerici, aut Monachi, possunt cum solemnitate Ecclesiastica in loco sacro sepeliri. Disq 3. dub.3. num.6. 8. p.173. 174. & à n.10. ad 54. p.174.

Per quodlibet interdictum, tam locale, quam personale, sepultura prohibetur Ecclesiastica. D.4. n.19 p.179.

Prohibetur tempore interdicti sepultura, tam adultis, quàm infantibus, Disq. 4. num.20. pag. 180.

Clerici, qui interdictum seruauerunt, tempore interdicti sepeliri possunt, sed absque solemnitate vlla. D 4. n.9. p.178. n.40. p.185.

Religiosi etiam tempore interdicti sepeliendi sunt D.4. n.10. p.178. n.40. p.185.

Immò, & Nouitij sepeliendi. D.4. n.11. p.178. n.40. p.185.

In Hispaniarum Regnis, Bullam habentes Cruciatæ, tempore interdicti, possunt pompa moderata sepeliri in Ecclesiastica Sepultura. D. 4. n.37. p.185.

Clerici, qua tales, sepeliri non possunt in loco specialiter interdicto, etiamsi illud seruauerint. D.4. d.1. n.14. p 186.

Possun. hodiè Religiosi, & Nouitij vtriusque sexus in Ecclesiastica tumulari Sepultura, in loco specialiter interdicto, dummodò causam non dederint interdicto, nec sint personaliter interdicti, & dummodo illud seruauerint. D.4. d. 1. n. 2.5. & seqq. ibid.

Possunt Regulares tempore interdicti generalis in suis Ecclesijs, & Cœmeterijs corpora sæcularium, qui in eorum morabantur obsequiis tumulare. D.4. d.3. n.1. & seqq. p. 189.

Possunt etiam tumulare Procuratores, & negotia eorum gerentes. D.4. d.3. n.6. ibid.

Possunt Aduocatos Monasteriorum sepelire. n. 7. ibid.

Possunt similiter Medicos suos. n.8. p. 190.

Possunt etiam Chirurgos ordinarios, num. 9. ibid.

Possunt & Capellanos Monasteriorum, n. 10. ibid.

Item possunt sepelire Laïcos, qui habitant intra septa Monasteriorum, & locorum eorum habitant. D.4. d.3. n.10. ibid.

Possunt in Interdicto particulari locali sepelire Confratres Ordinum, si fecerint Religiosis donationem inter viuos omnium bonorum suorum, sibi solum reseruando vsumfructum quandiu vixerint. D.4. d.3. à n.11. p.191.

Possunt etiam Tertiarios, qui collegialiter viuunt, & Tertiarios, qui votum emittunt castitatis D.4. d.3. n 15.16. ibid.

Propter duo negatur sepulturâ tempore Interdicti I. Ratione Officij diuini annexi. II. Ratione dependentiæ ad Ordinem sacrum, propter Ecclesiæ consecrationem. D.4. d.4. n.4. p.192.

Concessa celebratione Diuinorum, conceditur Sepultura mortuorum. D.4. d.4. n.5. ibid.

Sepeliri possunt Laïci, qui priuilegium habent Diuinis assistendi, interdicti tempore. D.4. d.4. n.2. ibid.

Ecclesiastico more sepeliri nominatim interdicti; &

neque

Vendere

à

à dominio non est moraliter distinctus; secus vsus in habitu dependens, ibid. n. 33. p. 296. n. 34. 39. p. 297.
Vsus iuris, seu in habitu, vel per modum habitus, impropriè dicitur vsus. Eodem num. 34. ibid.
Vsus propriè in ipso actu consistit, numero 34. ibid.
Vsus in actu, non distinguitur à Dominio impropriè sumpto, n. 34. ibid.
Vsus facti sumptus pro actu vtendi rebus, vnico actu consumptibilibus, non proveniens à legitima potestate, à dominio distinguitur illarum, n. 35. ibid.
Omnes Religiosi ius quondam vtendi rebus omnibus sibi à Prælatis concessis habent; dependens tamen, & revocabile: quod civile, & rigorosum non est, sed nudus vsus iuris dicitur, à n. 36. ibid.
Vsus iuris propriè dictus, est independens ab alterius voluntate, Disq. 6. dub. 13. num. 37. ibid.
Non distinguitur iste vsus à proprietate, & dominio, ibidem, num. 39. 42. ibid. numero 55. p. 300.
Vsum iuris rerum, vnico actu consumptibilium, independentem, nullus habet Religiosus. Eodem n. 42. p. 297.
Vsus istarum, non est proprie vsus: quia non est salva earum substantia, num. 41. ibid. num. 56. p. 300.
Vsum rerum multi Summi Pontifices concesserunt Minoribus, retento illarum dominio apud Sedem Apostolicam, ibid. n. 53. p. 299. num. 54. p. 300.
Res ad vsum revocabilem concessa, si consumitur, aut alienatur Domino perit, numero 59. ibid.
Habens vsum rei absolutum, & illimitatum, potest illam vendere, & alienare; secus illum habens dependentem, & revocabilem, n. 60. ibid.
Vsus revocabiliter concessus, in quolibet instante, quo res consumpta non fuerit, potest à concedente revocari, ibidem, numero 63. 65. p. 301.
Purus, & simplex vsus independens à Prælati voluntate sufficit ad fractionem voti paupertatis, D. 6. d. 14. n. 67. p. 302.
Vsum irrevocabilem, nec Papa potest Religioso concedere, Disq. 6. dub. 15. num. 1. 2. & 3. p. 304.
Superfluus rerum vsus, non minus voto contrariatur paupertatis, quam illarum dominium, D. 6. dub. 16. num. 30. pag. 313.

Vsusfructus.

Est ius vtendi, & fruendi re aliena, salva illius substantia, Disq. 6. dub. 1. numero 18. pagina 221.
Vsusfructus, alius *Causalis*: qui scilicet in eodem homine causatur, à proprietate, quam in tem habet, D. 6. d. 1, n. 18. ibid.
Alius est Vsusfructus *Formalis*, qui est à proprietate separatus. Eodem n. 18. ibid.
Vsufructuarius potest rei fructus percipere, & expendere, vt vult, num. 19. ibid. & numero 62. p. 227. Etiam in extraneorum vtilitatem, n. 21. pag. 225.
Vsus, & Vsusfructus propriè loquendo non dantur, nisi rerum immobilium respectu, & mobilium quidem, quæ statim vsu non consumuntur, n. 22. ibid.
Vsus, & Vsusfructus rerum esse possunt penes vnum, & Dominium penes alium, num. 23. ibid.
Vsusfructus rerum immobilium, non est perpetuus, D. 6. d. 13. n. 30. p. 296.

Vsura.

Vsurario inflicta est pœna excommunicationis, D. 10. n. 8. p. 364.
Vsurarij notorij, non admittuntur ad Confessionem, d. 44. n. 16. p. 497.
Non admittuntur ad Eucharistiam, ad Oblationes, nec ad Sepulturam, ibid. numero 2. & 3. p. 496.
Qui illos acceperit ad Sepulturam, & Oblationes acceperit, ab Officio, ad arbitrium Episcopi manebit suspensus: & quæ acceperit, reddere compelletur, n. 2. 3. 4. ibid.
Vsurarius est, qui intendit lucrum ex mutuo: seu qui ratione mutui aliquid pretio æstimabile vltra sortem, quam mutuat, etiam ex secundaria intentione, dummodò tanquam ex iustitia debitum, recipit, n. 5. ibid.
Vt ad Sepulturam admitti possit Vsurarius, si restituere non potest, tenetur dare cautionem pignoratitiam de restituendo: & si illam dare non poterit, tenetur ad fideiussoriam: & ista deficiente tenetur ad iuratoriam, ib. d. num. 12. p. 497.
Cautio, præstanda est creditoribus, si adsint: in eorum absentia, Episcopo, aut eius Vicario, vel Parocho coram Notario, & fide dignis testibus, aut coram Notario, habente ad hoc ab Ordinario mandatum, 12. ibid.
Hæres Vsurarij, qui in fine pœnituit, ad restitutionem pro illo faciendam compelli potest, ibid. n. 27. p. 499.
Manifestus Vsurarius sumitur hic pro notorio, ibid. n. 6. p. 496.
Alius est Vsurarius notorius Iuris, ille scilicet, qui de hoc crimine per Diffinitivam sententiam est damnatus: qui illud de se est in iudicio confessus: & qui est in iudicio de illo, per idoneos testes convictus, n. 7. 9. ibid.
Alius est notorius facti, qui palam dat ad fœnus, ita vt negari nequeat, Disq. 14. num. 7. 8. 9. ibid.
Talis est etiam, qui etsi Domi reclusus, paratus est illuc accedentibus fœnerati: & qui suis scriptis Vsurarius convincitur, ibid. num. 10. pagina 497.
Infamia, non inducit Vsurarium notorium, nec semiplena probatio, ibid. n. 7. p. 496.
Confessio rei coram Parocho, & testibus, non constituit eum Vsurarium notorium iuris, n. 7. ibid. sed facti, n. 9. ibid.
Vsurarius notorius, infamis est ante latam sententiam, n. 19. p. 498.
Tollitur ipso facto ista infamia per satisfactionem, & pœnitentiam, n. 20. ibid.
Vsurarius, notorius, irregularis est, & Beneficij incapax, n. 19. ibid.
Pœnas non incurrere prædictas Vsurarios, non præmissa Iudicis sententia, dicunt aliqui, n. 22. ibid.

Non

Non illas incurrunt, qui notorij non sunt, ibid. n.23. ibid.

Nec illas incurrunt, qui contractus fecerunt Vsurarios, vsuras tamen non exegerunt, num. 24. ibid.

Clerici Vsurarij, suspendendi sunt ab Officio, & Beneficio, obtento, & obtinendo: laici verò excommunicandi, ibidem num. 25. pagina 499.

Contra locantes Domos Vsurariis alienigenis, & non oriondis, & contra eos, qui illos in suis permittunt terris, variæ infliguntur pœnæ iuxta personarum, & communitatum qualitates, ibid. n.21. p.498.

Iure diuino prohibita est Vsura, D.14. d.1. n.27. p.501.

Qui propter mutuom, aliquid recipit, aut sperat, siue ex primaria, siue ex secundaria intentione, tanquam sibi debitum ex obligatione ciuili, & ex iustitia, vltra sortem mutuatam, Vsurarius est, D.14. à n.1. ibid.

Vsura formaliter, & intrinsecè est iniustitia, D.14. d.1. n.3. p.502. Quia intenditur, aut recipitur, quod est inuoluntarium ex parte dantis, n.5. ibid.

Non est Vsurarius qui ex mutuo, siue principaliter, siue minus principaliter lucrum intendit, non tanquam sibi ex iustitia, & ciuiliter debitum, sed ex amicitia, & gratitudine, ibid. à n.t. ibid.

Neque qui mutuat sub spe recipiendi lucrum ex amicitia, ita vt non mutuaret, nisi lucrum speraret, n.8. ibid.

Neque qui per lucrum intendit amicitiam mutuatarij, vt postea ab eo omnino gratis pecuniario afficiatur commodo, ibid. n.18. p.503.

Vt deprehendatur, an res ex mutuo tanquam pretium, an ex amicitia detur, attendi debent circunstantiæ personæ, & rei, quæ datur, num.19. ibid.

In dubio, præsumendum est, ex amicitia dedisse, n.20. ibid.

Qui ratione damni emergentis, aliquid vltra sortem recipit, Vsurarius non est, D.14. d.3. à n.1. p.504.

Qui omninò sponte, & gratis mutuat, nullo apposito pacto de damno emergente, quodcumque postea eueniat, nihil pro eo accipi potest antequam mutuatarius sit in Mora, ibid. n.4. p.505. Secus postquam sit in mora constitutus, n.8. ibid.

Quando mutuo datur, siue sponte, siue rogato mutuatore, potest iste damnum emergens in pactum deducere, n.6. ibid.

Nonnulla requiruntur, vt aliquid vltra sortem exigi possit caosa damni emergentis.

I. Vt mutuum, re vera sit damni caosa, num. 12. p.506.

II. Vt mutuator, à principio mutuatario exponat damnum, quod ex mutuo incurrit, num. 13. ibid.

III. Vt mutuator mutuatarium non cogat pacisci de periculo damni, potius quam de damno, n.17. ibid.

IV. Vt seruetur æqualitas: vt si immineat damnum vt quatuor, compensatio non exigatur vt sex, nec tota damni quantitas, si certum non sit peratur: nec tantum pro damno, aut periculo probabili, quantum pro certo, &c. num.20. ibid.

Si à principio non init pactum de damno emergente mutuator, censetur illud mutuatario condonare, n.15. ibid.

Si certo sciat damnum euenturum decem aureorum v. gr. ex centum mutuatis, potest pacisci de 110. non monito mutuatario de hoc damno, n.16. ibid.

Quando periculum probabiliter timetur, & de eo paciscitur, potest, quod conuentum est exigi, etiamsi illud non euenerit, n.17. ibid.

Quando nec damnum, nec periculum, fuit in pactum deductum, non tenetur mutuatarius illis aduenientibus, aliquid vltra sortem soluere, dummodò non coëgerit per vim mutuare, aut non fuerit in mora soluendi, n.18.19. ibid.

Mutuum causa damni non est, quando mutuator alias habet pecunias, vel facilè illas quærere potest, quibus damnum vitare queat, ibid. num 12.

Qui vltra sortem mutuatam, aliquid titolo lucri cessantis recipit, Vsurarius non est, D.14. d.4. n 1.2. p 508. n.7. & seqq. p.509.

Quod verum est, etiamsi non rogatus, sed sponte mutuet, ibid. n.32. p.511. Debent tamen seruari sequentes conditiones.

I. Vt re vera mutuator, pecunia ipsa mutuata, negotiaturus esset, & lucraturus, si illam mutuo non ded isset, n.2. p 508. n.34.35. p.511.

Huius ratio redditur, n.24. & 25. ibid.

II. Vt mutuator, aliam pecuniam non habeat otiosam, qua commodè negotiari possit, præter illam, quam mutuat, ibid. n.3. & 4. p.508.

Aliqui tamen Doctores hanc non exigunt conditionem, n 4. ibid.

III. Vt mutuator propter mutuom datum, ab omni cesset negotiatione. Quia si alium negotiandi modum se conferat, vltra sortem aliquid recipere nequit, ratione lucri cessantis, num.5. p.509.

Limita in casu, quo nouus negotiandi modus minus lucrum adferat, aut molestior negotiatio sit, n.6. ibid.

IV. Vt mutuatario, quantitas lucri cessantis, à mutuatore proponatur, n.7. & 8. ibid.

V. Vt seruetur æqualitas, n.9. ibid.

VI. Vt ex lucro, quod probabiliter speratur, detrahantur expensæ, & pericula, n.10. ibid. n.34. 35. p.511.

VII. Vt lucri cessantis compensatio, non exigatur statim dato mutuo, sed interuallo conuenienti, ibid. n.11. p.509.

VIII. Vt lucrum habeatur in spe certa, aut probabili, ex negotiatione, ibid. n.12. p.509. n.34. p 511.

IX. Vt mutuator, verè habeat animum exercendi negotia lucratiua cum pecunia, quam mutuat, D.14. d.4. num. 12. p. 509. num. 26. p.511.

X. Vt animus negotiandi cum pecunia, quam dat mutuo, toto mutui tempore duret, ibid. n.13. p 509. n.14. p.510.

XI. Vt recta sit mutuatoris intentio: quod scilicet intendat accipere, quod vltra sortem intendit, non ratione mutui, & tanquam pretiom eius ciuiliter, & ex iustitia debitum, sed ratione lucri cessantis præcisè, n.15. ibid.

XII. Vt lucrum cessans iustum sit, & non Vsurarium. Quia si Vsurariæ negotiationi sortem mutuatam habet expositam, nihil ratione lucri cessantis recipere potest, n.16. ibid.

Non

X

Xenia.

Finis Repertorij omnium memorabilium, quæ in hoc Volumine, de Ecclesiastica Sepultura à iure privatis, continentur, non minori labore, diligentiâ, ac studio, quàm Opus principale compositi.



SERIES

Series Titulorum Repertorij.

Interdi

PPpp 3 Prodi

FINIS.





